
13
17 M I
7

BIBLIOTHECA MAXIMA PONTIFICIA

TOMVS VII.





BIBLIOTHECA MAXIMA PONTIFICIA

IN QVA


Authores melioris notæ qui hactenus pro Sancta Romana Sede, tum Theologicè, tum Canonicè scripserunt, ferè omnes continentur.

PROMOVENTE, AESQVE SVPPEDITANTE

ILLVSTRISS. ET EXCELLENTISS. D.

D. FR. IOANNE THOMA DE ROCCABERTI

Prælato domestico assistente sacro Solio, ab INNOCENTIO XI. Archiepiscopo Valentino: olim in eiusdem Vrbis Vniuersitate S. Theologiæ Primario Professore, Ordinis Prædicatorum in Prouincia Aragoniæ Prouinciali, postmodùm totius Religionis Generali Magistro; semel, atque iterum Valentini Regni Prorege, & in præsentia Hispaniarum Inquisitore Generali.



SANCTISS.MO IN CHRISTO PATRI

INNOCENTIO XII.

DIVINA PROVIDENTIA PONTIF: MAX:

DICATA.

TOMVS VII.







ROMÆ, M.DC.XCVIII.

Ex Typographia Ioannis Francisci Buagni.

SVPERIORVM PERMISSV.

Imprimatur,

Si videbitur Reuerendiss. Patri Magistro Sacri Apostolici Palatij.

Sperellus Episc. Interamnen. Vicesg.

CENSVRA
TOMI VII.
BIBLIOTHECÆ PONTIFICIÆ.

DE ordine Reuerendiss. P. Paulini Bernardinij Sac. Palatij Apostolici Magistri reuidi infrascripta Opera: *Caroli Scribani: De Controuersijs Fidei, earumque Iudice. Cæsaris Petri Michaelis Delphini: Certissima, & nouissima Decisio, De Proportione Papæ ad Concilium, & de vtroque eiusdem Principatu. Constantini Caietani: De singulari Primatu S. Petri solius. Item: De Romano eiusdem S. Petri Domicilio, & Pontificatu Concertatio. Pro SS. Romano, & Catholicæ Ecclesiæ Episcopo, Sacri veritatis testes, rationes, & Ecclesiæ progressus Fidelis obseruatio, aduersus vitiosa, & corrupta, aut falsò interpretata à Matthia Flacco Illyrico præcipuo Centuriarum Auctore testimonia. Cathedræ Apostolicæ Oecumenicæ auctoritas, ex occasione quatuor Cleri Gallicani Propositionum Anno MDCXXCII. in Parisiensi Ecclesiastico Conuentu editarum, asserta, & vindicata ab Auctore inextinctæ Sac. Concilij Tridentini veritatis, &c. Cypriani Beneti: De prima Orbis Sede, De Consilio, & Ecclesiastica potestate, ac de S.D.N. Papæ supremo, insuperabilique dominio Opus. Cuneri Petri: Veræ, ac germanæ Domini Nostri Iesu Christi Ecclesiæ (quæ columna, & firmamentum est veritatis) designatio: atque eiusdem per XIV. Proprietates ostensio. In ijs nihil reperi contrarium Fidei, aut bonis moribus, quare censeo posse permitti, quod imprimantur, vt septimus Tomus Bibliothecæ Pontificiæ. Ita censeo ego infrascriptus. Ex Ædibus S. Mariæ in Porticu in Campitello hac die 20. Iunij 1697.*

Franciscus Maria Campionus
Examinat. Synod. in Vrbe.

Imprimatur,

Fr. Paulinus Bernardinus Ordinis Prædicatorum Sacri Apostolici Palatij Magister.

AVTHORES
Quorum opera in hoc ſeptimo Tomo continentur.

INDEX CAPITVM

Huius Septimi Tomi.

CAROLI SCRIBANI PLACENTINI Societatis IESV.

De Controuersijs Fidei, earumque Iudice, ibique Synopsis. pag. 1.

CAPVT QVARTVM.

CÆSARIS PETRI MICHAELIS DELPHINI PARMENSIS.

Certissima, & nouissima decisio de Proportione Papæ ad Concilium, & de vtroque eiusdem Principatu, ibique Synopsis. pag. 7.

EXPOSITIO I.

CONSTANTINI CAIETANI CASINENSIS ABBATIS
Præsidentis Apostolici, &c.

De singulari Primatu Sancti Petri Solius Commentarius manuscriptus; Item de Romano eiusdem S. Petri Domicilio, & Pontificatu Concertatio, ibique Synopsis. pag. 27.

CAPVT I.

EIVSDEM AVCTORIS.

De Romano S. Petri Principis Apostolorum Domicilio, & Pontificatu aduersùs Nouatorum impudentiam Commentarius alter. pag. 69.

CAPVT I.

PRO

Sacri Veritatis testes, rationes, & Ecclesiæ progressus fidelis obseruatio aduersùs vitiosa, & corrupta à Matthia Flacco Illyrico præcipuo Centuriarum auctore testimonia, ibique Synopsis, & Præfatio.

pag. 133.

CAPVT I.

CATHEDRÆ APOSTOLICÆ OECVMENICÆ AVCTORITAS

Ex occasione quatuor Cleri Gallicani propositionum vindicata ab Auctore inextincta S.Concilij Tridentini Veritatis, ibique Synopsis. pag. 265.

DISQVISITIO QVARTA.

ARTICVLVS PRIMVS.

De Romani Pontificis erga Reges, ac Principes seculares auctoritate. pag. 303.

DISQVISITIO PRIMA.

SVMMA PRIMI ARTICVLI,

De Cathedra Apostolica super Reges auctoritate. Vnà cum refutatione Dissertationis à prætacto Ludouico Ellies du Pin, & Proloquium. pag.438.

ARTICVLVS I.

ARTI-

Dis-

CYPRIANI BENETI ARAGONENSIS ORD. PRÆDIC.


Sacræ Theologiæ Doctoris.

De Prima Orbis Sede, de Consilio, & Ecclesiastica Potestate, ac de SS.D.N. Papæ supremo, insuperabilique Dominio opus, ibique Synopsis, & Quæstionum Index. pag. 737.

CONCLVSIO.

CVNERI PETRI DE BROWERSHAVEN,

Pastoris Sancti Petri Louanij.



CAROLI SCRIBANI PLACENTINI,

Societatis Iesu Theologi,

DE CONTROVERSIIS FIDEI, Earumque Iudice.

Cùm perfectus esset Tomus literæ C, peruenerunt ad manus nostras plura Manuscripta eiusdem literæ, quibus auidissimè post longam inquisitionem habitis Bibliothecam nostram locupletamus additis aliquot alijs opusculis longo labore quæsitis.

Carolus Scribanus natione Belga, natus Bruxellæ anno MDLXI. Patre Placentino Viro Nobili, & qui Alexandro Farnesio Parmæ, & Placentiæ Principi, Belgij Proregi carus erat, Matre Gandensi: Belli Belgici tumultibus eiectus in Coloniensem Academiam, dum ibi Philosophiam audiret ad Societatem Iesu è terrena Sapientia ad cœlestem, à visibilibus ad inuisibilia raptus animum appulit. Tyrocinium vitæ Religiosæ Treuiris posuit. Inde à Patre Francisco Costero Rhenanæ tunc Prouinciæ Præposito reductus in Patriam, cùm Rhetoricam multis annis docuisset, ac deinde Duaci Philosophiæ cursum docendo emensus esset, viuax ingenium tota deinceps vita, tum ad gubernandum, tum ad scribendum simul contulit, ea felicitate, vt qui videat monumenta gubernationis miretur scribere potuisse, qui monumenta scriptionis miretur potuisse gubernare. Vernaculis linguis Hispanica, Germanica, Italica, Gallica, Belgica, ità promptè loquebatur, vt nemo crederet eum alio in loco narum esse, quàm cuius lingua vtebatur. Antuerpiæ Præfecturam Scholarum per annos 7. magna literarum humaniorum bono præclarè sustinuit. Inde ad gubernationem Societatis Rector assumptus, Rectoratum Antuerpiæ, Præposituram Flandrobelgicæ, Rectoratum Bruxellæ annis 28. non interpolatè gessit. Domus Professæ apud Antuerpienses erigendæ Auctor, curatorque fuit. Prima etiam iecit fundamenta Tyrocinij, ac Collegij Mechliniensis, & Domus tertiæ Probationis liranæ. Ob res gestas scriptas, summis, infimisque in pretio fuit. D. Erycius Puteanus vir magni Iudicij Scribanum asserebat, cuius scriptioni, & functioni parem. D. Aubertus Mireus aiebat vix singula sæcula, singulos ferre Scribanios. A Valerio Andrea vocatur hæreticorum Antagonista, Caluinistarum terror; Franciscus Suuertius mitra, & pedo dignissimum profitetur. Henricus Fitzsimon celebrat velut vnum è millibus gloriosum pugilem in Ecclesia Dei. Eius vitam fusissimè prosequuntur Bibliotheca Societatis Iesu, & Bibliotheca Belgica, & Theatrum

Ghilini. Maximi eum fecit Vrbanus VIII. Pontifex Maximus, quod & literis ad eum datis, & sacris donarijs missis sæpè testatus est. Ferdinandus II. Imperator Augustus literis beneuolentia plenissimis eum honorauit, cui etiam fuerat ad confessiones propositus, nisi fractæ annis vires impediuissent. Rex Hispaniarum Philippus Quartus per Comitem Oliuarium indicari iussit duo sibi cùm cætera placerent omnia, in Scribanio displicere; vnum, quòd eius sapientia in tanto locorum interuallo assiduè frui non posset, alterum quod liber Politico Christianus sibi dedicatus, quem optasset seruare, velut priuatum sibi Consiliarium, publicè legeretur orbe vniuerso. Henricus IV. Galliarum Rex ob nominis famam, & vota pro se concepta in Amphiteatro honoris, cùm calumniatores librum illum flammis expiandum vrgerent, diplomate regio ad eum misso laudauit, & ciuem illum Gallicum eum solitis priuilegijs inscripsit. Innumeris etiam alijs Principibus summo honori fuit tum laicis, tum Ecclesiasticis. Alberto Belgarum, Maximiliano Boiorum, Vvolfango Gulielmo Neoburgico; Cardinalibus Borromæo Borgiæ, Cobellutio, Barberino, Bentiuoglio, Sanseuerino, Cueuæ, Ducibus, Comiti Oliuario Marchioni Spinulæ, & sexcentis alijs, qui & omni existimationis, & officiorum genere sunt prosecuti. Per annos quadraginta, quidquid controuersiarum fuit in contractibus, cambijs, alijsque intricatissimis mercatorijs difficultatibus, de quibus ait Nauarrus plus scire mercatores, quàm Morales, semper spontè concurrentibus ad eius arbitrium partibus bono exitu decisum est, & deinceps Scribani sententia apud omnes pro irrefragabili norma fuit. Cum quibus agebat non fabulosus Hercules Gallicus catenis aureis cor vinciebat; & volentes quocumque vellet, & lubentes trahebat. Bruxellæ noctu, diuque obruebatur aduenientibus auxilij, consilijque causa Principibus viris. Sed ille ad extremum aulicorum motum, & irrequieti strepitus pertæsus honestam, & piam missionem petijt, & impetrauit. Ergo Antuerpiam regressus per annos quatuor varijs morbis, & assiduis oppressus in schola patientiæ Atletes se ad Christum patientem meditandum, eiusque mortem imitandam, & scripto, & exemplo accinxit. Edidit autem infrascripta opera. Ars mentiendi Caluinistica nomine Romani Veronensis edita Moguntiæ MDCII. in 8. Amphiteatrum honoris aduersùs Caluinistarum criminationes libros 3. sub nomine Clari Bonarscij, quod est Anagratismus Palæopoli Aduaticorum apud Alexandrum Verheuden MDCV. quem librum paulò post recudit addito Auctario libri IV. & V. Antuerpiæ ex officina Plantiniana. Commentarius in Dominici Baudæi Gnomas suppresso nomine, Antuerpiæ quidem, sed fictè nomine Lugduni Batauorum apud Thomam Bassonum MDCVII. Defensio Posthuma Iusti Lipsij ibidem typis Moreti MDCVIII. in 12. & MDCXXIX. in 4. inserta famæ Posthumæ Iusti Lipsij à Balthassare Moreto collecta, & excusa; Antuerpiæ, in qua Antuerpiensium ingenium, educatio, mores ibidem MDCX. in 4. Antuerpiensium origines ibidem MDCX. in 4. continet vrbis initia, progressus, incrementa, eum Iconibus, & descriptionibus Topographicis, & Chronographicis. Philosophus Christianus. Antuerpiæ typis Nunniancis MDCXIV. in 8. Meditationum Sacrarum Tom. 11. Belgicè. Antuerpiæ apud Trognæsium 1613. quos latinè vertit P. Ioannes Brixellius 1615. & Coloniæ 1618. prodierunt eædem meditationes Gallicæ Parisijs 1619. Amor Diuinus Antuerpiæ per Nutium 1615. in 8. Moguntiæ apud Ioannem Albinum MDCXVI. in 12. & Coloniæ 1618. in 12. Spiritualis vinea, seu piæ precationes lingua vernacula. Antuerpiæ apud Nutium 1616. & apud Verdussium 1622. Votiua Gratulatio in Annunciationem B. V. Mariæ, Antuerpiæ typis Plantinianis Moreti 1618. Medicus Religiosus de animorum morbis, & curationibus. Antuerpiæ apud Nutium 1618. & 1619. & Monasterij Vvestphaliæ apud Michaelem Dalium 1620. in 12. Superior Religiosus de prudenti, ac religiosa gubernatione. Antuerpiæ 1619. in 8. & Monasterij Vvestphaliæ 1619. apud eosdem. Adolescens prodigus, Antuerpiæ apud Martinum Nutium, & Fratres 1612. in 8. Institutio Politico-Christiana ad Philippum IV. Hispaniarum, & Indiarum Regem. Antuerpiæ typis Nutij 1624. in 4. sæpius recusa. Veridicus Belgicus, seu de bellis ciuilibus Belgarum. Item reformata Apocalypsis Batauica, aucta, & recensita, sine nomine. Antuerpiæ apud Nutium 1624. & alibi Christus patiens pijs exercitationibus illustratus Vrbano VIII. Pontifici Maximo D. D. Antuerpiæ apud Martinum Nutium MDCXXIX. Orthodoxæ fidei controuersa libris VI.

quorum I. De Scriptura, Traditionibus, Iudice; II. De Apostolicæ fidei germanis Denuntiatoribus, III. De Reliquijs Sanctorum. IV. De Miraculis. V. De Sanctorum Inuocatione. VI. De Imaginum cultu. Antuerpiæ ex officina Plantiniana Moreti 1612. in 8. Ex quibus primum tantùm de Iudice controuersiarum seligimus, modicum quidem mole, sed maximum virtute.

CAPVT QVARTVM.

An Iudex controuersiarum ab alia Ecclesia petendus, quàm à Romana?



NOn ab illa, cui præsidet Lutherus, Caluinus, Menno, tot sæcula, nec capillum quidem horum norant: sine Præside ergo tot sæcula steterunt: Hoc si non cadit in Deum, & Deum bonum, aliquem statuamus necessum est, hunc aliquem, in qua Ecclesia reperiemus, si non in status prærogatiua, & infractæ perennitatis nobili, cui præsidet Romanus Pontifex? Audiamus Patres Ecclesiæ Principes, videamus quid senserint.

Maximæ & antiquissimæ, & omnibus
Irenæ. lib. 3. cap. 3. agnitæ, & gloriosissimis duobus Apostolis Petro, & Paulo Romæ fundatæ, & constitutæ Ecclesiæ, eam, quam habuit ab Apostolis traditionem, & annunriatam ab omnibus fidem, per successiones Episcoporum peruenientem vsque ad nos indicantes, confundimus eos, qui quoquo modo, vel per sui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel per cęciratem, & malam conscientiam, præterquam oportet, colligunt. Ad hanc enim Ecclesiam, propter potentiorem principalitatem, necesse est omnem conuenire Ecclesiam.]

Quam laudat Ecclesiam Irenæus? non quam Petrus, & Paulus constituerunt Romæ? quam successionem? Ad quam Ecclesiam propter potentiorem principalitatem vult reliquas conuenire Ecclesias? Non Romanam? Nulla hic Saxonica, nulla Lemannica, nulla Frisica Ecclesia. Nusquam hic Lutherus, Caluinus, Menno: nusquam horum successores: nusquam alia fides, quàm Romana: & qui aliud sentiunt ab Apostolica successione, video confundi. Qui verò aliud sentiunt, si non, qui arbitrantur non esse decurrendum ad hanc Ecclesiam, Lutherus, Caluinus, Menno?

De hac Romana Ecclesia audiamus Ter-
Tertull. de præscript. aduer. Hær. tullianum; [Habes Romam, vnde nobis quoque auctoritas præstò est. Statu fęlix Ecclesia, cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt: vbi Petrus passioni Dominicæ adæquatur, Paulus Ioannis exitu coronatur: vbi Apostolus Ioannes posteaquam in dolium igneum demersus est, nihil passus est, in Insulam relegatur: videamus quid dixerit, quid docuerit.]

Quare hæc præ reliquis statu felix Ecclesia? Nulli nimirum tempestatibus euertenda, nec dimouenda à semel accepta Fidei regula, Apostolico sanguine rigata. Hic portus, hic veritati tuta statio est, fida carinis nauigantibus. Hic Apostolicæ vineæ torcular nobile preme: succum exprimes Dominicæ vineæ: nam illam labruscatam, Geneuæ reperies, Franckeræ, Wirtembergæ. Ad Romanam Ecclesiam relegat dubios, aut aliud quàm maiores profitentes; Ergo etiam te, & tuos intuere; & si quid iudico, expues de facili, quod hausisti virus. Vis scire vnde hauseris? docebit te Cyprianus.

[Neque enim aliunde hæreses obortæ sunt; aut nata sunt schismata, quàm inde Cyp. ep 55.
quod sacerdoti Dei non obtemperetur; nec vnus in Ecclesia ad tempus Sacerdos, & ad tempus Iudex Vice-Christi cogitatur: cui si secundùm magisteria diuina obtemperaret fraternitas vniuersa, nemo aduersùm Sacerdotum collegium quidquam moueret.]

At quis erit hic Sacerdos, qui Christi vices subeat in terris? cui obtemperent quotquot vbique fideles? Lutherus? Caluinus? Menno? Cyprianus nimirum illos designarat: & cùm illi tot sæculis nusquam essent, ideò tot hæreses natæ. Verùm quis ex illis vices Christi geret in terris? omnes non possunt; vno tempore omnes. Quis ergo vnus ex illis, cui obtemperent reliqui? Lutherus? non paret illi Caluinus, non Menno. Caluinus? nulli primas concesserit Lutherus, nulli Menno. Menno? videant hanc de Æsopo fabulam priores; & vnum tamen vult Cyprianus: & hæreseos causam assignat, quod vni illi obsequia, & patientiam negent, qui se ipsos præsciderunt ab hoc capite.

Hoc Caput vbi quale sit, & in qua Ec- Cypr. ep 40. de 5. presb.
clesia? [Deus vnus est, & vna Ecclesia, & Cathedra vna super Petrum Domini voce fundata.] Vna ergo Cathedra, nec alia quàm Romana; nam quæ alia? Gebennensis, Wittembergica, Frisica? nec ipsi fatentur; aut si fatentur, deligant vnam sibi. At si quid illos nouis, ante Romanam deligent, quam prærogatiuam hanc vni suorum concedant: & vt quàm maximè vnum designent è suis, duo fateantur necessum est. Primum, tot sæculis nec Ecclesiam vnam, nec Cathedram vnam, nec Christum vnum, nec vnum fuisse Deum. Deinde mortuo hoc ex corpore ipsorum capite, aliud designent; sed omnium assensu, omnium, quod si non possint, nos verò possumus, quid causæ est, quò minus fateantur, nusquam caput hoc esse extra Romanam Ecclesiam?

Decidet clarè omnem hanc quæstionem Cyprianus lib. de vnit. Eccl.
Cyprianus ipse: [Qui Petri Cathedram deserit, in Ecclesia non est:] Vbi est, qui in Ecclesia non est? & Petri Cathedra vbi est, si Romæ non est? quod si, vbi Petri Cathedra est, ibi Christi Ecclesia est; & vbi Christi Ecclesia est, ibi veritas est, ibi Spiritus sanctus Doctor

est; & Cathedra Petri aut nusquam, aut Romæ sit; sequitur in Romana Ecclesia genuinum veritatis spiritum esse, ac scripturarum omnium primogenitum sensum.

Elegantèr in hanc sententiam Athanasius: [Domino sancto, & Apostolici culminis venerando Marco, sanctæ Romanæ, & Apostolicæ Sedis, atque vniuersalis Ecclesię Papę Athanasius, & vniuersi Ægyptiorum Episcopi salutem. . . . . .

Optamus à vestræ sanctæ Sedis Ecclesiæ auctoritate, quæ est mater, & caput omnium Ecclesiarum, ea ad correptionem, & recreationem fidelium Orthodoxorum percipere per præsentes legatos mereamur.] Alterius ergo capitis membra sunt, alterius vteri filij sunt, quicumque matri huic, & capiti renuntiarunt. Viderint igitur, cuius matris, & capitis Lutherani, Caluinistæ, Mennonistæ filij, & membra sint; cùm orthodoxarum Ecclesiarum matris, & capitis, filij & membra non sint. Et clariùs, etiam, suum, Ægyptij, Thebaidis, & Libyæ Episcoporum sensum aperit: [Pater Beatissime, quia semper antecessores nostri, & nos à vestra Apostolica sancta sede auxilium hausimus; & nostri vos curam habere cognouimus, præfatam Apostolicam, & summam expetimus iuxta Canonum decreta, Sedem; vt inde auxilium capiamus, vnde prædecessores nostri ordinationes, & dogmata, atque subleuationem cœperunt: ad eam quoque quasi ad matrem recurrimus, vt eius vberibus nutriamur; quoniam non potest mater obliuisci infantem suum: sic & vos nolite obliuisci nos vobis commissos.]

Lutherus, Caluinus, à qua Sede dogmata expectant, aut accipiunt? Romanam auersantur: Sed neque agnoscunt aliam, aut si aliam, quam? vnam non possunt: neque enim ab vna tam pugnantia dogmata. Matrem deindè Romanam agnoscit Athanasius; & Orthodoxæ Matris Orthodoxus filius agnoscit vbera, Apostolicæ fidei distenta Lacte: fateturque se commissum huic Matri: nimirum à Domino Ecclesiarum vnico parente. Iam qui Romana agnoscit vbera, vt Matris, non Vvittembergica, ac Lemannica repellet, vt extranea? vnam enim scimus Matrem prolis vnius: & prolem vnam, non nisi vteri vnius.

Epist. ad Celestin. PP. anno 430.

Videamus quid Alexandrinus Cyrillus de hac Pontificia potestate senserit: [Non priùs Nestorij communionem confidentes deserere ausi fuimus, quàm hæc ipsa pietati tuæ indicaremus. Digneris proindè, quid hic sentias, declarare: quo liquidò nobis constet, communicare ne nos cum Nestorio oporteat, an verò liberè eidem denuntiare, neminem cùm eo communicare.]

Nestorij agnoscit impietatem, & hæresim, nec hæresis tamen crimen audet inferre, sine Pontificis Romani exerta sententia; nec ab illius se, suosque communione præscinderet. Nunc ergo fidei agnoscit Iudicem, ad cuius vnius sententiam decurrit in causa fidei, in hæresis denunciatione, erit proinde Cyrillo hæreticus, quem Romani Pontificis sententia didicerit hæreticum: qualis ergo Cyrillo Lutherus, Caluinus, Menno esset?

Paria reperies apud Maximum Constantinopolitanum: [Omnes fines terræ, quæ Dominum sincerè receperunt, & vbique terrarum catholici veram fidem confitentes, in potestatem Romanorum Pontificum, tamquam in solem respiciunt: & ex ipsa lumen catholicæ, & Apostolicæ fidei recipiunt.]

Epistola ad Orientales anno 430.

Quicumque ergo ab hoc Apostolicę fidei Sole lumen non accipiunt, à quo accipiunt? neque enim in orbe vno alius, quàm Sol vnus: neque in mystico hoc Ecclesiæ, cœlo plures Soles esse possunt: possunt sidera sub hoc Sole; sed ita, vt ab hoc ipso lumen suum mutuentur. Ab hoc igitur Sole, cùm lumen suum non mutuantur Lutherani, Caluinistæ, Mennonistæ; Catholicæ, & Apostolicæ fidei lumine viduatos, spuriaque radiatos luce cum Maximo fatearis.

Fortiter in hanc sententiam Hieronymus ad Damasum: Ego nullum primum, nisi Christum sequens, Beatitudini tuæ, idest, Cathedræ Petri communione consocior. Super illam petram ædificatam Ecclesiam scio. Quicumque extra hanc domum agnum comedit, profanus est. Si quis in Arca Noe non fuerit, peribit regnante diluuio. Pergit: [Non noui Vitalem, Meletium respuo, ignoro Paulinum. Qui tecum non colligit, spargit; qui Christi non est, Antichristi est.]

An meo hic opus commentario? Petri Cathedram non agnoscit aliam, quàm Romanam. Qui Vitalem, qui Meletium, qui Paulinum transit, soli Damaso sociatur; quid faceret, si Lutheri, si Caluini, si Mennonis audiret nomen? Qui extra Romanam Ecclesiam agnum comedit, profanus Hieronymo est; qualis esset, qui de Lutheri, Caluini, Mennonis mensa comedit? Qui Damasi non est, Christi non est, Antichristi est; qualis ergo erit, qui Lutheri, qui Caluini, qui Mennonis est? nam hic Damasi non sunt; ergò Antichristi sunt. Iam & diluuio perit, qui in Arca Noe non est: quibus igitur aquis, quibus obruitur fluctibus, qui Tyrrhenum non nauigat æquor? qui Petri, qui Damasi, qui Romani Pontificis non vehitur naui?

Hieronymo succenturiatur Augustinus: [Multa sunt, quæ in Ecclesiæ gremio me iustissimè teneant: tenet consensus populorum atque gentium, tenet auctoritas miraculis inchoata, Spe nutrita, charitate aucta, vetustate firmata: tenet ab ipsa Sede Petri Apostoli, cui pascendas oues suas post resurrectionem Dominus commendauit, vsque ad præsentem Episcopatum, successio Sacerdotum; tenet postremò ipsum catholicæ nomen quod non sine causa inter tam multas hæreses sic ista Ecclesia sola obtinuit, vt iam omnes hæretici se catholicos dici velint. Quærenti tamen peregrino alicui, vbi ad catholicam conueniatur, nullus hæreticorum, vel basilicam suam, vel domum audeat ostendere. Ista ergo tot, & tanta Christiani nominis charissima vincula. rectè hominem tenent credentem in catholica Ecclesia.]

Aug. cont. Epist. Fund. cap 4.

Successio Sacerdotum in sede Petri tenet Augustinum in Ecclesiæ gremio, quid Lutherum, Caluinum, Mennonem excusserit ex hoc gremio. ego non video: nisi aut improba carnis diffibulatio, aut Sodomæ pellacia, aut ignis Moab. Nam quid aliud? neque enim illos cum Augustino tenere potuit concors popu-

populorum, aut gentium consensus, de quo nihil intulerunt, qui de suo pectore Euangelium innouarunt: cum illis propositum fuerit aliter docere, quare, & aliter dispone instrumenta doctrinæ, nam tot ætatibus inaudierant. Non auctoritas miraculis firmata: nam miracula illis præstigiæ sunt, & magicarum artium ludi. Non nusquam intercisa serie felix in Petri Cathedra successio, cùm successionem omnem rideant, vt superforaneam. Fortunati! qui solo risu, tamquam plumea scopa, omnem ab atrijs, scholisque suis euerrunt successionem, qua carere se sciunt, aut si quam habent, edant si possunt, & ostendant nobis Ecclesiarum suarum successiones. Lutherus, cui successit? cui Caluinus? Menno cui? Imò, quis Luthero, Caluino, Mennoni successit? Nam in tanta opinationum inuicem pugnantium varietate inter Lutheri, Caluini, Mennonis discipulos, quis vnus potuit succedere? Singuli seclamant Apostolicos successores, Apostolicos hæredes, & ex asse hæredes, & solos hæredes, reliquos de adulterio deputandos; cui ergo hanc hæreditatem? omnibus non possumus: vni ergo adiudicanda, nam reliqui de spurio puluinari sunt: cùm veritati, non nisi germen vnum, vniforme. Plura si cogitas, mutuò bellantia, veritatem tollis; vna est, cuius hæredes pugnantibus instructi plures esse non possunt: vnus ergo. Quem anteferes? quantum vni concesseris, tantum reliquis detraxeris.

Redan. Satis est Apostolorum fuisse hæredes, & solos hæredes, & ex asse hæredes.

Lips. Nimirum Apostoli ante prouida prophetica scientia præuiderant post annos mille quingentos Lutherum, Caluinum, Mennonem venturos; & hos tot seculis antè testamento hæredes caueant. Verùm quis ex his hæres? omnes, vti dixi, ex asse esse non possunt: an partitio iure singuli? Hæreditatis ergo partem alteram ex Apostolica testatoria voluntate, alteram ab Apostolorum æmulo acceperunt. Verùm quis horum hæres Apostolorum? Si vnum designaueris, & vnum tantùm, erunt reliqui de meretricio sinu. Imò si vetum fateri velis, in tanta doctrinę diuersitate, quam declamant horum hęredes, omnis pretensa, hęc Apostolica hęreditas, adulteratio, non legitima successio cogitanda est.

Epist. ad Renat. an. 430. Augustino accedit Theodoretus: [Tenet enim] sancta Romana [ista sedes gubernacula regendarum cuncti orbis Ecclesiarum, cùm propter alia, tùm quia semper hæretici fætoris expers mansit, nec vllus vnquam, qui contrarium sentiret, in ea Sede sedit: quin potiùs Apostolicam gratiam puram custodiuit.] Cùm fides vestra alia sit à Romana, hęc verò [hęretici fætoris expers manserit,] necessum est vestram ab hęresi esse, improbę matris improbam Sobolem. Vna namque fides est, vt Deus vnus. Iam si Romana puram seruauit [Apostolicam gratiam] sequitur, quam consecuti estis gratiam, non Apostolicam, sed Moechię adulterę nimirum matris, patrisque spurium germen esse. Demum si Romana Ecclesia [gubernacula tenet regendarum cuncti orbis Ecclesiarum;] Securè nauigat fidei illa, quę illa ductrice velificata, cauta cursum tenuit, nullis olim hęreseos allisa breuibus, nullis hodiè infixa vadit. At illa, quę ab hoc gubernaculo voluntariè naufraga, se ipsam excussit in profundum, inextricabili impacta salo, quid spetet desorbenda fluctibus? Hęc vestra est; quę vltroneo delectu gubernaculo se exuit, nouum fabricata, naucleris nouis: & de suo, non maiorum ingenio, sulcat maria, proscinditque à temerario ausu, infelix exitu, fidei fluctus, irrespirabile effocatis effugium.

Audi eumdem Theodoretum ad Leonem Papam: [Si Paulus pręco veritatis, tuba sanctissimi Spiritus, ad magnum Petrum cucurrit, vt ijs, qui Antiochię de institutis legalibus contendebant, ab ipso adferret solutionem: multò magis nos, qui abiecti sumus, & pusilli, ad Apostolicam Sedem vestram currimus, vt Ecclesiarum vlceribus medicinam à vobis accipiamus.]

Ad Apostolicam Sedem Theodoretus decurrit ad Leonem Magnum, vt Ecclesiarum vulneribus medicinam acciperet. Ad quem Lutherani, Caluinistę, Mennonistę decurrunt? ad Lutherum? non agnoscunt hunc medicum Caluinistę, ad Caluinum? ignorant hanc manum Mennonistę, ad Mennonem? nullus hic prioribus illis medicus, ac ne Chirurgus est. Ergo ad quem? ad omnes? vnum corpus tot aduersantibus Medicis; vna ęgritudo, tot ex diametro pugnantibus leuabitur medicamentis.

Redan. Nihil est necessum recursu ad horum aliquem; scripturam petat, quisquis mentem trahit ignorationis vulnere grauem.

Lips. Etiam mulier? etiam puer? etiam qui, nec literas vidit? Quid si hauriat venena, vndè debebat salutem? aut omnes, omnes, quia patet orbis, Saucij, primo occursu, & remedia inueniunt malis, & intelligent? Hippocrates, Galenus, Auicenna, magna planè apud sæculi medicos nomina, quanta de morborum generibus, de remediatione quanta, solida, elata? & tamen de horum mente, pugnant inter se, non indoctum vulgus, sed scientiæ huius Principes. Quid fiet ab imperito quoque Scripturæ sacræ lectore? aut quomodo conspirabunt tam varij, sine doctore, in vnam illius mentem, veritatis ore dictatam? Ipsi primi vestri doctores acerrimè pugnant de illius sensu vero, & abeunt ferè post omnem pugnam in contrarias opinationes; quid facient gregarij milites, calones, lixæ, non sequentes Imperatores suos? Pugnabunt etiam acriùs, & quo quisque ingenij, aut iudicij minus attulerit, hoc & abibit in retrosiores à scriptura sensus, & adhærebit pertinaciùs, cum sibi persuaserit nihil opus ductore, nihil magistro.

Saniora reperies monita Chrysol. ad Eutychetem: [Hortamur te, Frater Venerabilis, vt his, quæ à Beatissimo Papa Romanæ Ciuitatis scripta sunt, obedienter attendas, quia B. Petrus, qui in propria Sede viuit, & præsidet, præstat quærentibus veritatem.] Propria ergo Petri Sedes Romana est. Non Witembergica Lutheri, Lemannica Caluini, Frisica Mennonis, qui cum non sociantur Romanæ Sedi Petri, nec Petro: ac proinde, nec Christo sociantur, neque enim de Christi consortio est, qui de Petri, qui de Romano non est: de adulterinis ergo, de spurijs, de damnatis participant, qui de Romano

Petr. Chrys. in Epist. ad Eutych. Habetur tom. 1 Concil. ante Conc. Chalcedon.

mano non participant; Viderint ergo illi, qui Romanæ, qui Petri, qui Christi, Lutheri sedem, Caluini, Mennonis prætulerunt: nobis extra Romanam, hoc est Petri, hoc est Christi Sedes nulla est. Hanc cum Theodoreto, cum Chrysologo, vt Fidei, vt veritatis regulam tenemus: à qua, qui desciuerunt à Petro, à Christo desciuerunt, eòque magis, quò magis à Romana desciuerunt: neque enim veritatis plures Sedes esse possunt: vt enim vna Dei est, & vna tantùm: nam illius: qui dicebat [in corde suo: In cœlum conscendam, supra astra Dei exaltabo Solium meum, sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis:] de mendacio fuit; de veritate non fuit, quare & cum sessore suo ad infernum detracta est, in profundum laci. Veræ ergo Fidei Sedes vna est, vt veritatis vna; Dei vna. Quicumque proinde diuidit, aliam Sedem diuidit: nam hanc vnam nemo diuidat: indiuisa enim vnitas est. Deum ergo Lutherus, Caluinus, Menno, Fidei Sedem diuidunt, dum singuli ad se partem illius rapiunt, partem destituunt, non possunt in veritatis Sede consistere: neque enim capit illa sessorem diuisa, sed neque diuidi salua veritate potest, quæ ergo diuiditur, mendacij Sedes est: diuisione gaudet, & inuisum cœlo portentum est, sectione crescit ad exemplum Herculeæ fabulæ.

[Cum duplices pareret vulnere mors animæ.] Nec alienior ab hoc sensu olim Aristoteles: *Tò men amartanein pollachos esti tò gar catborthoyn monachos.* [Aberrare varijs possumus modis, rectè vno licet modo agere.] Quod ille de errore, deque recta actione, hoc de falso, vtroque locum habet. Vis hanc rem clarius? Primi Sedis huius Sectatores Lutherus, Caluinus, Menno: exinde surrexerunt ex horum singulis Sectores plurimi, de mendacio omnes, aut si non omnes, quis inter tam multos vnus de veritate est? Omnes esse volunt, esse non possunt omnes: vnus igitur ille vnus, qui veritatis Sedem occupauit, quis est? è Lutheri, Caluini, Mennonis discipulis quis? in tam pugnantibus sententijs quis? nam in vna veritatis Sede pugnantia sedere non possunt. Veritas enim numquam multiplex est, vna est: & olim dictum: *Tis alitheias odos phauli*, [Veritatis via simplex est.]



CÆSA-



CÆSARIS PETRI MICHAELIS DELPHINI PARMENSIS

Certissima, & nouissima Decisio.

DE PROPORTIONE PAPAE AD CONCILIUM, Et de vtroque eiusdem Principatu.

Cæsar Petrus Michael Delphinus, vel vt vocat Ludouicus Carolus à S. Iacobo in sua Bibliotheca Pontificia Cæsar Delphinus, vel iuxta Bibliothecam Slusianam, Petrus Michael Delphinus, vel vt nominat seipsum in principio operis Iulius Cæsar Petrus Delphinus, vel denique vt se vocat in principio epistolæ dedicatoriæ (nisi sit error librariorum frequentissimus in hisce antiquis Codicibus) Cæsar Petri Michaelis Delphini, natus est Parmæ ex familia Delphina honestis parentibus, quæ familia Venetijs viget, & Parmæ residua est in vnico tantùm eoque Clerico, & sene. Legitur in collectione Bibliothecarum, & alius Petrus Michael Delphinus similiter Parmensis excellens Medicus, qui scripsit luculenter de re physica. Nos autem hunc ponimus in litera C secuti ordinem ipsius libri. Theologiæ operam assiduam dedit, qua & Catholicis amori, & Hæreticis terrori fuit. Apud Auctores suo tempore viuentes dicebatur eruditissimus, & omnium horarum vir, apud posteros refertur inter excellentissimos Iuris, & Theologiæ Tractatores. Eius autem vita partim hominum improbitate, & nequitia, partim ob defensionem Catholicæ Religionis gloriosis aduersitatibus assiduè referta eius pietatem summam redolet. Catholicæ Religionis iuuandæ gratia in Angliam se contulerat, ibique per plurimos annos versatus eam occultè in omnium animis fouebat. Accidit autem, vt disputatione vrgente occuparetur, ob tuendam fidem aduersùs Iudæos, vnde ardenti zelo succensus demonstrauit Iudæis insultans, humanam naturam in Christo Domino verbi Diuini totalitatem capere non potuisse, vt vera humanitas, & creatura finita in eo superesse possit. Permouit acerbissimè ea disputatio, Catholicis omni prohibitionum genere interdicta Angliæ Regem, & omni virium, & astutiarum genere ita est persecutus, vt vix sola vita superstite, spoliatus omnibus opibus, quas longo tempore, & assiduo labore comparauerat, aufugerit. Nec iram quamuis maximam Regis vnquam effugisset, de quo ipse queritur in epistola dedicatoria, singularis ferus debacchatus est in me, nisi in alias tendiculas subtiliores, & minùs extricabiles in Germania inferiori implicandus fuisset; quas tamen Caroli Affaitati viri integerrimi monitu magno discrimine per densas tenebras, & vias inuias vix effugit. Italiam redux Venetias in suis iacturis fęlix incoluit, beneficijs cumulatus ab illa inclyta, & sapientissima Republica, quæ vt diuitijs inops, ingenio rependeret, in fine sui operis Venetos laudat tanquam Summi Pontificis ma-

maximos obseruatores in mira Federici Imperatoris depressione, & Corcyrano triumpho in Turcas celeberrimo. Ibi & amicos, & hostes propitios inuenit, gratiam etenim apud Anglorum Legatum Venetijs degentem, suorumque erga ipsum rabiem sæpè repetentem, tantam inuenit, vt sublato iam è viuis Rege ab Angliæ Proceribus, promiserit sub sigillo iustæ sponsionis, & vltionem tam grauis iniuriæ, & restitutionem bonorum propè futuram. Et promissioni certus respondisset effectus, nisi Cæsaris Delphini tractatus de vtroque Romani Pontificis Principatu ad eorum notitiam perueniens antiquas flammas restituisset, & ardentiores excitasset. Itaque Religionis causa deperditis opibus vlla absque spe ad Pium III. Romanum Pontificem accurrit, rei gestæ pondus exponit, & opem implorat. Verùm postea queritur cum Successore se nihil ab eo præter operum suorum pro fide Christiana commendationem, & pro necessitudine sua promissiones nimis morosas retulisse; quotidiana Catholicorum querela, qui Romanum Pontificem vellent sibi Patrem, non omnibus, se solos considerantes non alios, quibus extinguendæ ergo sitis mare non sufficeret, nedum fons sæpè aridus, & arefactus. Recurrit deinde ad Iulium tertium, quem ideo laudat tanquam sub eius imperio regimen fortunæ desinat, & virtus in solio æquitatis eius residens successus omnes disponat, & dirigat, illi dedicat librum de vtroque Principatu Romani Pontificis magis explicitum (antea enim per diuersas prouincias latùs fuerat non ita perpolitus) cum additione de proportione eius ad Concilium, & promittit aliud opus grauioris negotij ipsimet Pontifici, Si intellexerit tantum pondus habitura, quæ scribit, quantum scribens confidebat. Verùm cum nulla extent apud Auctores, & Bibliothecas omnes, nisi hæc duo tantùm exigua opera, de spirituali, & temporali Principatu Papæ, & de Proportione Papæ ad Concilium satis manifestè deducitur paupertate altera veluti remora detentum vlteriùs progredi non potuisse, cùm ægrè curet alienas miserias, qui suas non potest. Fuit autem occasio scribendi, quòd Henricus VIII. Rex Angliæ à fide separatus Regem temporalem, & Spiritualem elegit; & tamen vtrumque Principatum quem in se approbabat in Romano Pontifice damnauerat cum suis. Inde Auctor Principatum, spiritualem in Rege confutat, & temporalem etiam in Summo Pontifice defendit; & claues ostendit Ecclesiæ Pastoribus, non Regibus concessas, imò quolibet sceptro præstantiores. Floruit Auctor sub diuersis Summis Pontificibus, sed præcipuè sub Pio III. & Iulio III. à quibus opem petijt. Meminerunt Cæsaris Delphini Ludouicus Carolus à S. Iacobo, & quamplures aliæ Bibliothecæ, & Auctores, sed omnes solùm opus, & nomen referunt, non vitam, cuius multa deduximus ex epistola dedicatoria ad Iulium III. quem vocat Pontificum Maximum, mittitque istam, quam vocat certissimam, & nouissimam Decisionem; quantitate molis exiguam, sed virtutis copiosissimam.

EXPOSITIO PRIMA.

Ordinem certum ad rerum quarumlibet durationem necessario adinuentum esse demonstrat.



Experientia, & rationibus dudùm compertum est omnia, quæ in vniuerso adinuenta sunt ideo permanere, quia certissimo, & digesto ordine fines suos per actiones medias adipiscuntur: Sublato enim inter vniuersi naturas ordine compellimur inficiari earum pluralitatem, & vnum genus entium, & vnicam ipsius operationem dumtaxat asseuerare: Nam si natura quælibet actiones proprias absque alterius adminiculo, & auxiliari influxu peragere sufficit necesse erit affirmare hasce omnes æquali vigoris portione præditas esse, & quæcumque à prima omnium causa producta sunt per æquidistantiam ab eadem in vniuerso constituta fuisse opinari, & inde ad ridiculum inconueniens præcipitari, vt naturas omnes vniuersi irritas, & vanas esse præter vnam illarum impudenter adstruamus: nam si ordine nullo quælibet illarum à prima causa æqualiter distare, & virtutem omnipharia alterius vigori parem nancisci deprehensa sit, nihil prohiber omnes dempta vna incassum esse, quandoquidem illa vna effectus omnium producere queat, proptereaque eadem proportionem habebit vna ad effectus omnium aliarum indifferenter producendos, quam & singulæ ad singulas actiones suas peragendas sortitæ sunt: si enim ventriculus animalis eandem facultatem ad sanguinem gignendum, quæ Iecori appropriatur, possideret, dubio procul Iecur frustratorium, & incassum à natura productum fateri cogeremur, & si membra viuentis nullo ordine adinuicem depen-

penderent, nec sibi ipsis correspondêrent: omnia vtique præter eorum vnum frustratoria, & irrita iuremerito possent existimari: Idcirco ne contingat nos ita turpiter à recta veritatis via dilabi omnia, quæ sunt ideo permanere cõstanter asserimus, quia certo ordine inter sese dependent, & per mutuam connexionem inferioris ad superius in actiones suas quibus fines proprios attingunt, diriguntur.

EXPOSITIO II.

Quod multorum ordo semper in vno complectatur.

ORdo igitur, de quo rursùs infra dicendum restat, qui essentialiter in pluralitate naturarum vniuersi semper adinuentus est in vno solo, quòd in se ipso omnium ordinatorum gradus complectitur, & connectit, reperitur, in æuiternis enim, & substantijs spiritualibus vnica earum semper inuenta est, quæ omnium aliarum perfectiones in seipsa comprehendit, cuius esse est mensura omnium aliarum, quæ in eodem genere continentur, in qua vna omnes aliæ secundùm maiorem, & minorem recessum ab ea, & ampliorem, & minùs copiosam bonitatis illius participationem respectu illins ad inuicem ordinantur, & in suo ordine incommutabili ab ipsa vna diriguntur, & gubernantur, parimodo omnia temporalia in primo cœlo, quod primum temporalium, & variabilium, & in eorum genere vnicum independens existit adinuicem more æuiternorum proportionaliter ordinantur, & diriguntur: sed in notioribus, quæ respectu vnius in ordine suo gubernari, & conseruari etiam à vulgo deprehendi possunt ratiocinantes, omne genus permanentis, & certi regiminis in vno semper totum consistere, & conseruari demonstrabimus. Nam si de regimine per Reges sermo incidat, illud quidem in vnico imperante, siue ille sit Rex ad populos suos, siue sit Imperator ad alios Reges relatus totum continetur, & huiusmodi sententia in digressione de Principatu Papæ, maiori lumine superest nobis explicanda, si verò de regimine per Senatum loquendum sit compertum est ipsum durationem mansiuam nancisci, eo quod in senatu quolibet aliquis gradus superior Regi, aut Duci proportionalis semper obseruatus fuerit, ad tollendas enim inter Senatores de prouentu ampliori, & maiori dignitate concertationes, necessitas cogit, vt vnicus inter eos superioritate quadam sibi delata plures simultates de pluribus superioritatibus emergentes cohibeat in eum finem, vt primo gradu inter eos vni soli quæsito ob illius supremi reuerentiam quilibet sine querela in locis suis obsequium suæ administrationis, & regiminis prout rei necessitas exigit præstare queat: propterea licèt legamus altissimum Deum quodammodo
1. Reg. c. 8. ægrè tulisse Iudæos Regem poposcisse, quandoquidem præstitissent ipsos diuino monitu magisquàm humano gubernari, nihilominus, quia nouerat eorum ceruices diuinos instinctus detrectare, satiùs esse duxit, vt regimen humanum quærentibus meliori, quoad fieri potuit modo circumspecta eorum ad ciuiles tumultus pronitate reges adijcerentur. Si autem de regimine per Populum fermo habendus sit hoc etiam minimè durabile repetiemus, nisi per tribunos, qui pars senatus non ab re censeri debent exerceatur, qui vnà cum toto senatu à ditione supremi gradus in eo nequaquam absoluebantur: in nullo igitur regimine principatuum pluralitas bona vnquam reperiri potuit, nisi huiusmodi ad vnum, in quo plura complectantur redigi valeat, veluti per rationes à naturalibus, pollicitis, & supernaturaliter reuelatis sumptas infra cùm de Principatu Papæ grauiores sententias aggrediemur demonstrabimus. Sufficit enim in hac minùs graui, quàm quis sibi persuadeat materia propositionem de necessitate ordinis in quolibet mansiuo regimine vniuersaliter explicitam præposuisse, propterea quod nullus inter Christicolas ita vecors recenseri debet, qui illud vnum, in quo tota huiusmodi pluralitas connectitur à pluralitate Prælatorum, & Principatuum Concilij auferre velit, & veritatem in præsentiarum aperiendam auersari, & inficiari præsumat. His autem præmissis ad intentionem nostram de discrimine inter Papam, & Concilium accedentes rem Concilij in primis definiuè aggrediemur cùm Papæ dignitas satis innotescat, & de sublimitate ipsius in huius voluminis recessu sufficienter prædicandum sit.

EXPOSITIO III.

Quid Concilium referat.

COncilium est conuentus partis Christianorum potioris inter ipsos assertæ, alicuius nouæ veritatis supernaturalis indagandæ, vel alterius talis dudum receptæ confirmationis gratia. Si enim quid nominis Concilij interpretari voluerimus, illud erit diuersarum sententiarum contractus, & conciliatio: sed si non vocis, sed rei essentiam perscrutabimur inueniemus, id esse certiorem inter Christicolas dispositionem, per quam reuelationes nouas supernaturales in re dubia aptiùs nancisci queant: exponere enim homines segregatos supernaturali illustrationi, & absque signorum interuentu ipsis credere difficillimum foret, & hunc magis, quàm illum spectatæ sanctitatis probare tutum non esset; & miracula exposcere temerarij nimis animi, & Altissimum tentantis nota videretur, quapropter rectiùs visum fuit meliori, quoad fieri potuit via per conuentum potiorum Christianorum Altissimi responsa consuluisse, vt nullæ ipsius tentatione interueniente, nulla singulari cuipiam sanctitate adscripta, citra omnem inuidiæ, & simultatis occasionem Christianos cœtus indifferenter miraculum latens per supernas illustrationes ipsis illapsas excipere, & deploratam veritatem hac vna semita adipisci, qua viri religiosi consulenre, & mandante Domino quantum ipsis datum est, nituntur per mutuam dilectionem, & concordiam, quamdam proportionem in se ipsis ad Angelorum cohortes ostendere, vt in ea ad illustrationes, quæ dignioribus spiritibus fieri consueuerunt certiùs dispositi adinueniantur,

tam & si enim Dominus noster pollicitus fuerit numen suum auxiliare duobus, vel tribus, qui in nomine ipsius congregati fuerint affuturum credibile tamen est in illo plures multiplicibus magis Spiritus sancti impulsibus adactos in Diuinis illustrationibus longiùs, & altiùs aciem mentis infigere, præsertim cùm omnes animo concordi idem speculari, & attingere contendant.

Matth. vl.

EXPOSITIO IV.

Ordinem, ac vnitatem regiminis Concilij in solo Papa consistere demonstrat.

PAlàm est Ecclesiam Christianam, & Concilium, quod ipsam tota virtualiter, & altiori modo refert vniratem sortiri ab vnitate obiecti per fidem formatam credibilis, veluti Ecclesia triumphans ab vnitate obiecti fruibilis vnica esse perhibetur: amplius notissimum est Ecclesiam esse vnam, & Concilium in Christo Domino vnum esse, ceu membra omnia corporis humani vnum sunt in capite, à quo sensum, & motum nanciscuntur, & in tali esse, & operari ab eo iuxta Medicorum sententiam dependent: omnes enim, qui fideliter credimus, membra dicimur corporis mystici Ecclesiæ, cuius caput est Dominus Christus, in quo plures vnum sumus, veluti plura membra viuentis in capite vnum sunt, perspicuum enim est Ecclesiam esse vnam, & Concilium in Christo Domino vnum esse, quia quicquid in conditionibus supernaturalibus habent id totum virtualiter, & formaliter ab eo contrahunt, in manifestis verò conditionibus humani regiminis vnitas Concilij penès illud, per quod ad obseruationes traditionum Ecclesiasticarum ordinatur, & regitur, attendi debet, nam cum inter legitima regimina recenseatur, necesse est ipsum ratione, qua tale regimen est in tali vno determinato ordinem suum, & formam propriam præseferre, & cum huiusmodi vnum in regimine rationabili, & mansiuo apud homines à potiori causa efficiente, & conseruante sumendum sit, compellimur illud in serie Concilij, & non extra ipsius ambitum assignare, demonstratum est enim primum æuiternorum in eorummet ambitu, & primum temporalium in serie mobilium, & variabilium, & reges, & senatus in conditionibus eorum, qui regimini humano subduntur recenseri, & comprehendi: propterea etiam cogimur affirmare id primum, in quo regimen Concilij vnum existit in eiusdem ambitu per conditiones aliorum eiusdem generis contineri, tametsi enim credere teneamur Concilium, & Ecclesiam in nomine Christi Domini congregatam à supernaturali virtute agi, & dirigi, & in conditionibus supernaturalibus vnicum dumtaxat caput, quod est Christus Dominus habere, & solummodo fines vltimos spirituales sibi præfigere, ea ratione tamen, qua humano indiget regimine, vnum etiam caput in hoc genere regiminis à supernaturali distinctum superimponere sibi debuit, quandoquidem tot temporales, & humanæ methodi (quamuis Ecclesiasticæ nuncupentur) ad plurima digerenda, & peragenda, quæ Concilij essentiam concernunt exigantur, ex quibus regimen Concilij per diuersos status Ecclesiasticos totum contexitur, quæ omnia dempto capite, & gradu Concilij supremo ex leui quolibet occursu confundi, & auferri possent; propterea ad integritatem, & durationem Concilij mansiuam supremus gradus in eo semper adinueniendus est, sine quo Concilium Spiritui sancto minùs aptum simultatibus dubioprocul ex quolibet extraneo interuentu obnoxium foret. Quapropter id sine Papa, de cuius Principatu propè dicturi sumus non ab re acephalum cognominatur, nam casu, quo Papa Concilio non intersit, siue quia Sedes vacet, vel ob infandum ipsius hæresis crimen Concilio incommodus refellatur, necesse est vice ipsius aliquem illi proportionalem pro Concilij legitima integritate, & celebratione recta deligere, quandoquidem vltima rerum necessitas veri Papæ electionem impediret; sic igitur Concilium more aliorum regiminum permanentium integritatem ordinem, & vnitatem ab vno, qui est Papa, & Christianorum supremus nancisci dignoscitur.

Ad Colos. 1.

EXPOSITIO V.

Quod Concilium in claue scientiæ à Papa minimè, sed à Spiritu sancto, & ab Altissimi munificentia supernaturali, & à seipso toto dependeat.

IN claue iurisdictionis, de qua paulò post dicturi sumus Concilium à Papa totum sicuti & tota Ecclesia citra Concilij congregationem regi, & gubernari demonstratum est, pro ea parte verò, quæ Concilium supernaturaliter illustratur, & à Spiritu sancto agitur Papa nullam in eo principalitatem sibi vendicat, eoque ipse ita agitur veluti, & quæcumque alia pars integralis Concilij supernaturaliter agi, & regi creditur, ipse enim ratione clauis scientiæ, & reuelationum, & supernarum institutionum, nulla in Concilio prælatione fungitur, eoque obiectum huius facultatis, & regimen, quod per eam exercetur pro maiori parte supernaturale existit, & nullam viribus humanis proportionem obtinet: in huiusmodi enim claui, quantum præstat Papa, tantùm præstat Sacerdos nulla iurisdictione præditus, quatenus in partem Concilij integralem assumptus est, propterea què effectus supernaturalis illustrationis æque à Sacerdote simplici, seu ab Episcopo quolibet probabiles euenire possunt, tametsi sacerdos purus extra Concilium, quantum ad ordines, & ad forum ab Episcopo dependeat. Idcircò ea omnia, quæ articulos fidei concernunt à Concilio veritate supernaturali informato, & non à Papa, neque ab aliquo hominum robur suum trahunt. Nam licèt Spiritus sanctus per vocem vnius magisquàm alterius de Concilio supernaturalia sua pro-

dat, illa tamen toti Concilio, & non vni, vel pluribus illapsa fuisse reputantur, propterea- que Altissimi gratia toti Concilio per mu- tuam omnium adinuicem charitatem, ma- gisquàm per scientiam,& authoritatem vnius vel plurium conferri creditur: nam Apostoli Actorum 15. in decisione de tollenda circumcisione scri- bentes sententiam illiusmodi Spiritui sancto respectu Concilij, sibi ipsis autem respectu hominum adscripserunt: Concilium tamen Spiritus sancti monitu plerumque Papæ, & ipsi inseparabiliter assistentibus explorata eo- rum bonitate, & sapientia plurima clauem scientiæ concernentia (si quæ noua emergant) pro tempore determinanda, & vsque ad no- uam alterius Concilij conuocationem pro ra- tis habenda derelinquit: ideo clauis scientiæ in Papa, non ad Concilium, sed ad alios quos- libet Ecclesiæ Prælatos sigillatim relata ma- ioris, quàm in omnibus, illis singulariter, & diuisim consideratis habenda est. Quapro- pter claues antonomasticè Papæ attribuuntur, eoque clauis iurisdictionis modis omnibus, & vniuersaliter ipsi primò conueniat, illa verò, quæ scientiæ nuncupatur singula singu- lis referendo in ipso potior, & eminentior- que in alijs ex ante dictis, & dicendis fore deprehenditur.

EXPOSITIO VI.

Dubitatio circa prædicta emergens dissoluitur.

SI autem quis sciscitari aggrediatur quam- obrem regimen per clauem iurisdictionis in Papa positiuum, & humanum, illud verò, quod per clauem scientiæ exerceri consueuit diuinum, & supernaturale censeri debeat, quandoquidem vtrumque cœlitus collatum fuisse credatur, & ex hoc inferat, quòd veluti Papa primitatem omnimodam in vno, ita etiam eamdem in alio sibi vendicare queat respondemus, quòd cùm duo sint clauium obiecta, vnum clauis scientiæ, quòd est superna, & diuina illustratio, & institutio finem supernaturalem immediatè respiciens: aliud verò clauis iurisdictionis dictum, quòd est positiua, & humana spiritualis institutio immediatè huiusmodi diuinam, & supernam institutionem intendens, propterque duo ob- iecta, claues huiusmodi, potestates, siue po- tentias more philosophorum, & facultates nominamus, quælibet enim potestas ad ob- iectum sibi adæquatum, & viceuersa quodli- bet obiectum ad potestatem refertur, necesse est potestates tales, qualia sunt obiecta adin- uentas fuisse: cum igitur potestatis clauis scientiæ obiectum supernaturale existat, compellimur etiam ipsam potestatem super- naturalem esse fateri, & nullam proportio- nem ad hominem, quam regimen ipsius exigit sortitam fuisse, in qua potestate illud vnum, in quo regimen ipsius vnum esse perhibetur, supernaturale est, & est glorio- sus Christus, qui licèt illud vnum supernatu- rale sit nobiscum tamen, vsque ad consumma- tionem sæculi, vt nos in suo regimine diri- gat, & regat permanere creditur, & cum po- testatis clauis iurisdictionis obiectum in am- bitu naturalium comprehendatur: ipsa etiam potestas ad ipsum relata in eodem ambitu necessariò reponenda est, propterea illud vnum, in quo regimen iurisdictionis com- plectimur intra naturalium metas omninò circumseptum erit, quamobrem rationibus, & diuinis authoribus huiusmodi regiminis caput Papam esse contendimus, ipse enim vt singularis homo à Deo constitutus, habet certam proportionem ad regimen, quod per clauem iurisdictionis exercetur, quandoqui- dem ipse vnus ad Ecclesiastica, & positiua iura digerenda, & ad quoscumque status Ec- clesiæ vniuersaliter gubernandos sufficere vi- deatur, & quod Papa, vt homo à Deo tamen ordinatus huic regimini sufficiat, ostenditur, cum satis deprehensum sit plerumque virum naturali ingenio, magisque quilibet alius longè ipso sanctior modis omnibus, huius- modi ditioni exercendæ coaptari, quia verò nullus ad formam, & conditionem clauis scientiæ pro se ipso capessendam, & minùs ad eamdem alijs impartiendam, sine nouæ gratiæ supernaturalis appositione reperitur idoneus, idcircò nullus principatus vniuer- salis de vera claue scientiæ inter homines re- ceptus est, & ad obiectionem tollendam di- cimus, quod huiusmodi sententia claues ambas cœlitus, & diuinitùs hominibus col- latas fuisse nequaquam inficiatur: Baptismus enim Ioannis à Deo fuerat, quia tamen re- ctitudinem naturalem in hominibus porten- debat, in ipsis etiam proportionem certam ad seipsum referre videbatur cum tamen à Deo esset, quia diuinis institutionibus inse- reretur: statuit enim Altissimus medio illius homines in dispositionibus rectitudinis na- turalis roborare, vt inde ad alias potiores assumerentur, quibus supernaturalem recti- tudinem per alium Christi Domini baptis- mum superuenientem nancisci sufficerent, ab Altissimo insuper processit, quandoquidem homo per seipsum rectitudinem naturalem, quam baptismus Ioannis refert assequi, ne- queat, nisi ipso mandante opitulatione Ange- lica potiatur, per quam ad culmen huius re- ctitudinis euehi possit: sic & iurisdictio in Papa ab Altissimo esse perhibetur, quia vo- luit ipse, vt homines more supercœlestium hierarchiarum in politia, & rectitudine Ec- clesiastica sub positiuis legibus cohibiti, sine querela cohærentes ad suscipienda, & obser- uanda supernaturalia magis apti reperiantur. Iurisdictio etiam Papæ cœlitus conferri cen- senda est cum Dei Altissimi decreto non nisi tectam, & veram clauem scientiæ, desuper habenti altera tantæ, & sublimis iurisdictio- nis tradi, & appropriari debeat insuper, quia nullus mortalium ab errore immunis, dum tantam præstat iurisdictionem repertus est, nisi gratia Altissimi concomitante præ- uentus fuerit.

EXPOSITIO VII.

De Clauibus Ecclesiæ.

LEgimus Seruatorem nostrum de clauibus
in plurali numero loqnutum fuisse, quę
si duæ sint, aut plures nihil palàm ex verbis
Lucæ 11. eius percipi potest. Vnam quarum clauem
scientiæ nominasse visus est, quæ prout ex
verborum illius intimis sensibus decerpere
quid sit clauis scientiæ potuimus dicitur facultas homini collata, vt
per reuelationum supernaturalium notitiam,
& earum fidam interpretationem semel, &
alios recta mediorum supernaturalium via ad
perpetuam beatitudinē dirigat, & per æterni-
tatis aditus ad summi boni fruitionē ingre-
Matthæi 16. diatur, & alios ingredi doceat, cum verò di-
xerit Petro. Tibi dabo claues regni cœlorum:
clauem huiusmodi cum altera nexam, quā iu-
risdictionis clauē dicimus insinuasse creditur,
nā cùm claues dixerit facultatē omnimodam
homini collatam, qua regnum cœlorum adi-
re, & alios introducere potest demonstrasse
dignoscitur. Cùm verò ligandi, & soluen-
di differentias addiderit intellectu vno clauē
iurisdictionis, altero verò illam, quam scien-
tiæ diximus indicasse visus fuit, nam per li-
gandi, & soluendi facultatem, qua homo
membra corporis Ecclesiæ taliter ordinat, &
regit, vt adinuicem sine querela quodlibet
eorum loco suo officium proprium peragat
Quid per clauem iurisdictionis intelligamus. insuper, & tabida quæque ab hoc mystico
corpore abscindit, vel corrigit, & sana cum
cæteris ad certam vnionem subigit, & seruat,
clauem iurisdictionis intelligi volumus, per
facultatem verò, qua omnia illa toti corpori
Ecclesiæ in ordine ad caput aligat, & digna
capite probat, vel eo indigna respuit, &
damnat scientiæ clauem significari contendi-
mus, adeò quòd vna earum principaliter
facultatem ligandi, & soluendi homines in
ordine ad seipsos in corpore mistico Ecclesię.
Differentiæ propriè per quas claues distingui cōsueuerunt. Altera verò facultatem alteram ligandi, &
soluendi eos in ordine ad caput principaliter
concernat, per clauem enim iurisdictionis
denotatur authoritas, qua homo sub potesta-
te constitutus, semet ad fideles sibi subditos,
& illos omnes adinuicem taliter ordinat, &
regit, vt vnusquisque eorum in corpore Ec-
clesiæ iuxta gradus suos, & sibi debitas con-
ditiones cohibeatur, & ligetur, vt sibi ipsi-
met, & alijs officium rationabile præstare
valeat, & si quis sibi improbus, vel alijs in-
Matthæi 18 fensus depreheuditur correctioni subiaceat,
quam si non receperit à corpore Ecclesiæ iuxta
Seruatoris institutum soluatur, & clauis hu-
iusmodi clauem scientiæ, semper sibi preuiam
exigit, cum tamen clauis scientiæ sine illa,
quæ iurisdictionis dicta est inueniri queat,
nam Sacerdos, qui subditis sibi Sacerdoti-
bus non imperat, vel forum proprium non
habet claue iurisdictionis propriæ dicta mi-
nimè potitur, licèt clauem scientiæ exerceat,
homo enim qui cæteris præest, & eos ab Ec-
clesia soluit, & eidem annectit claui scientiæ
carere nequaquam debet, vt scripturarum
sententijs innixus actus suos rationabiliter
3. Regū c. 3. exercere possit. Idcircò Salomon implorauit
ab Altissimo Deo cor docile, vt populum
suum iudicare, & inter rectum, & obliquum
discernere posset. Moyses insuper tanto po-
pulo præficiendus non tantùm diuinis, verùm
etiam naturalibus disciplinis, & omni sa-
pientia Ægyptiorum præditus verbo, & ope- Actorum 7.
re potens adinuentus est. Paulus etiam asse-
rit Episcopum doctrinam sanam habentem,
qua contradicentes conuincere possit, & ad
exhortationes sufficiat eligendum esse, etsi Ad Titū 1.
probè considerare voluerimus clauem scien-
tiæ veriùs soluere, quàm ligare, & clauem
iurisdictionis propriùs ligare, quàm soluere,
licèt ambabus soluantur homines, & ligen-
tur: clauis enim scientiæ reddit hominem
liberum pro se, & pro alijs, quos instituit ad
electionem membrorum supernaturalium ad
finem supernaturalem ordinatorum, & decla-
rat portam cœli patefiendam his, qui dona
supernaturalia neglectis naturalibus toto
corde, & toto affectu complexantur, & insi-
nuat eamdem præclusam, his qui à recto de-
clinant, & sensuum illusionibus incumbunt:
clauis autem iurisdictionis magis vrget eos
ad pacificam conuersationem, cum cæteris
fratribus, & ipsos maioribus subigit, & mi-
noribus præficit, vt vnus quisque in gradu
suo, & conditione sua sibimet, & alijs ad vi-
tam æternam præesse possit, & per commina-
tiones degradationum, & depositionum ab
honoribus, & dignis administrationibus,
quæ culpas detestatas, & damnatas declarant, Ex duobus actibus diuersis regendi dua claues, & non plures dignosci possunt.
& per incussionem timoris pœnarum status
Ecclesiæ mansiuos disponit. Duo igitur hu-
iusmodi actus diuersi, & huiusmodi bina li-
gandi, & soluendi sufficiens diuersitas duas
tantummodo claues de quibus Seruator no-
ster nullo earum expresso numero meminit
ostendunt.

EXPOSITIO VIII.

De Sacerdotali, & Episcopali dignitate.

PLerique modernorum temerè magisque
rationabiliter loquentes affirmant om-
nes qualitercumque sacræ scripturæ gnaros
pro Sacerdotibus haberi posse, dicunt enim
quemlibet ex habitu animæ Sacerdotium
nancisci absq; eoquod cęremonię extrinsecæ,
& authoritas Ecclesiæ accedant. Nos verò
dicimus, quod licèt homo, ac si Angelus
scripturarum quarumcumque sensus recon-
ditos assequatur ipsum; tamen Sacerdotem
minimè vocari posse, nisi scientia ipsius per
iudicium alterius in illo probata fuerit: quis
enim potest seipsum probare, & semet ad alios
indicandum promouere, nisi per alios priùs
comendetur? nullus enim de seipso testimo-
monium perhibere potest, cùm nullus sit, qui
seipsum cognoscat, & sibi ipsi non indulgeat:
propterea dicebat Seruator. Si ego testimo-
nium perhiberem de me ipso testimonium Ioannis 5.
meum non esset verum. Paulus insuper insi-
nuans neminem posse seipsum ad docendum Ad Roman. 10.
alios eligere dicit, quomodo prædicabunt
nisi mittantur, subintelligendo prædicatione
approbata, & recipienda nisi mittantur, & à
maioribus, qui ad eorum scientiam explo-
randam legitimè addicti sunt promoueantur,
à quibus insuper si eorum scientia deficiens

reper-

Osex 4.

repertus sit refelli, & à Sacerdotio iuxta Oseæ sententiam repelli debent: Idcircò in Sacerdotem euadit, cuius scientia discernendi, & iudicandi approbatur, & recipitur, approbata enim, & legitimè recepta scientia fit clauis, & per clauem Sacerdos ordinatur, per quam paradisi ingressum modò præcludit, modò patefacit, dum explorata hominum conditione, per sententias scripturarum gratiam supernaturalem ipsis elargitam, vel interdictam exponit: ex quo præceptum, & confessionis necessitas coram Sacerdote palàm deprehendi potest, quam si de Iure diuino vsus clauium, & præcipuè clauis scientiæ exercendus sit, quomodo exercebitur, nisi delinquens semet per omnia discutiendum Sacerdotibus obtulerit; formalitas igitur idonei Sacerdotis erit ipsius præstantia in sacris literis ab Ecclesia recepta, & approbata, & per huiusmodi receptionem regni cœlorum clauis affecta. Sacerdotium autem à magisterio in Theologia dirimitur, eòque præstantia Sacerdotis in sacris literis non solummodò notitiam illarum, & modum docendi, verùm insuper earum, quoad practicam, & opus extrinsecum peritiam importat, magisterium autem duntaxat earum scientiam, & modum docendi citra opus extrinsecum refert, & nullam aptitudinem ad cæremonias includit, quamobrem longè præstantior Sacerdotalis conditio, quàm magisterium habenda est. Nec contingit nisi valdè mirari, quod aliquis audeat opinari hominem per semetipsum ad alios iudicandum promoueri posse, cùm Paulus apertè ostendat nullum Sacerdotem, imò nec Seruatorem ipsum, nisi per diuinam vocationem Pontificem constitutum fuisse, & Moyses, Aaron, & Filios eius non nisi Altissimo imperante, & eos probante Sacerdotes constituerit, qui enim in Sacerdotem assumitur pro seipso, & pro alijs si Sacerdotium exercere debeat assumitur, propterea potior alijs eligi debet, quicumque enim semet eligit ob præsumptionem, quam de se iactat, alijs deterior cum virtute humilitatis careat reputandus est, & qui se magistrum propria voce confitetur, in hoc ipso semet docendum, & imbecillem demonstrat. Sacerdos autem euadit in Episcopum, quotiescumque necessitas ministerij pluralitatem Sacerdotum expostulat, inter quos prior semper adinueniendus est, ille enim Episcopus dicitur, qui plures Ecclesiæ status principales adinuicem ordinat, & regit, veluti qui Sacerdotalem, & secularem ordinem ad seipsos inuicem disponit, & gubernat, & qui iura fori ecclesiastici subditis suis principaliter ministrat, Moyses enim Altissimo Deo præcipiente, & necessitate ministerij ingruente Aaron, & filios eius in Sacerdotes assumens inter eos supremum Aaron constituit, quem ideo, quia Sacerdotibus præfuerat, Pontificem, & Episcopum nominari voluerunt. Cùm autem tempestate nostra propter Altissimi Dei gratiam in gentibus pluriticatam increbuerit vsus doctrinæ christianæ, et orationum ad Deum, et ministerij Sacramentorum, et crebræ rememorationis Passionis Altissimi Christi per Sacramentum Eucharistiæ necessitas, adeò multiplicati sunt Sacerdotes, vt necessitas coegerit inter eos ab infinitis, vsque ad eorum supremum, quem Summum Pontificem vocamus plures gradus Episcopales diuersis, & aptis nominibus significatos, inter quos idemmet ordo respectu multitudinis eorum seruari debet, qui inter Aaron, & filios respectu paucitatis illorum seruatus fuit, nam si ordo, qui essentialiter ad rerum omnium durationem requiritur in vmbra rei debuit obseruari, quantò magis in re iam parta custodiri debet, vt omnes Sacerdotes in secta Christianorum summum, & vnicum Sacerdotem digestis, inter eos ordinibus constituant, & obseruent, ne turpiter de prioritate, & æqualitate inter se decertantes minoris ordinis, & maioris confusionis, quàm Iudæi, & Saraceni, & Idololatræ fore deprehendantur, apud quos vnicus Summus Sacerdos in vnica eorum secta, digna obseruatione, & maximo honore semper habitus fuit, prout magis infra rationibus, & authoritatibus innixi demonstrabimus. In religione igitur nostra primi, & secundi Sacerdotes ordine suo, non solummodo veluti, sed magis, quàm in alijs sectis (cum ipsa omnium aliarum potissima sit) reperiendi sunt. Si autem rationem pluralitatis eorum attendere voluerimus inueniemus ipsos, non tantùm ob numerum hominum, locorum distantiam, & nationum, & idiomatum diuersitatem, sed etiam propter statuum ecclesiasticorum varietatem repertos fuisse, vnus enim Sacerdos vrbi toti, nec in duobus locis notabiliter distantibus, & minus duabus nationibus diuersis, & diuersis idiomatibus, neque duobus statibus in corpore mistico Ecclesiæ puta secularibus, & Monachis commodè ministrare deprehenditur. Propterea, & ratione multitudinis hominum, & ratione graduum secularium, & monachorum, & monialium, & distantias locorum, & nationum diuersitates, tot numero Sacerdotes, & Episcopos nancisci cogimur, inter quos debent superiores ordine debito, qui proportionatos sibi inferiores dirigant, & corrigant adinueniri, quos ideo Episcopos, supra contemplatores, & diuinos speculatores appellamus, eoque modo, quo speculator in turri super ciuitatem contemplatus ipsi ab hostium incursionibus præcauere tenetur, ita etiam Episcopi super subditos suos, vt ab eis occursus, quibus Paradisi via intercipi potest arceantur inuigilare debent, nec differt Episcopus à Sacerdote, per scientiæ clauem, cùm vterque eorum sicuti diximus ministerio docendi incumbat, sed sola iurisdictio inter eos dirimit, Sacerdos enim inquantum Sacerdos, orat, ministrat, & docet, inquantum autem Episcopus ordinat, & regit diuersos hominum status, vt ordine debito in corpore Ecclesiæ sine querela cohæreant, & licèt contingat interdum Sacerdotem simplicem diuersis hominum statibus ministrare, quia tamen forum non habet Episcopus dici minimè potest. Preter forum etiam, & iurisdictionem Episcopum à Sacerdote simplici dirimit authoritas conferendi ordines, nam licèt Episcopus sub ratione, qua Sacerdos est, & claui scientiæ potitur, & non sub ratione qua Episcopus est, ordines conferat, cùm dignitas Episcopalis non sit ordo, sed potiùs, & veriùs potestas

Confessio coram Sacerdote ad precepta iuris diuini reducitur.

Ad Hebr. 5

Exodus 28.

testas quædam Hierarchica, quæ ordinem in seipsa non habens ipsum conferre nequit, Sacerdos tamen simplex ordinem conferre minimè valeat, proptereaque promotio ad ordines sacros, semper à maiori promouente fieri debet, & cùm maioritas vera inter Sacerdotes simplices nequaquam inueniatur huiusmodi collatio solis Episcopis fuit reseruata, idcircò clauis iurisdictionis, etiam clauis ordinis in Episcopis nuncupatur, quamuis per iurisdictionem ordines non conferant, sed per clauem scientiæ iurisdictioni coniunctam. Episcopi igitur formalitas dicitur diuersorum statuum Ecclesiasticorum per iurisdictionem, & forum proprium gubernatio authoritate, insuper ordines conferendi comprehensa, quod autem tempestate nostra inter Episcopum, & simplicem Sacerdotem alij gradus, qui nomine Episcopi minimè significantur adinueniti sint, illud contingit, & necessitas numerositatis vicinorum Sacerdotum propter populorum crebras, & parum distantes communitates, qui tamen gradus non nisi remissæ dignitates Episcopales propter distinctionem formalem inter Sacerdotem simplicem, & Episcopum narratam vocari possunt, quamuis autem Episcopus pro iurisdictione exercenda principaliter ordinatus, sit nihilominus Sacerdotio insuper, cum deuotione maiori, & sollicitudine exquisita magis, quàm simplex Sacerdos fungi debet, vt quæcumque de moribus, & officio Episcoporum scripta sunt, in aliorum dignam ædificationem præstare, & peragere videatur.

EXPOSITIO IX.

De dignitate Clauium.

Altera clauium in homine, videlicet clauis scientiæ donis supernaturalibus ascribenda est, nam veluti superiùs ostendimus spiritus ootitiæ reuelationum extra ordinem vniuersis hominibus illabens dispositionem in ipsis efficit, per quam apud homines manifestam clauem scientiæ sortiri queant. Altera verò licèt humanam proportionem nequaquam transcendere putari possit, diuinis tamen institutionibus ascribi, & in causam efficientem supernaturalem referri, & in ipsam tamquam in finem vltimum (tametsi mediante) ordinari debet, facultas enim iurisdictionis homini collata licèt quodammodo ipsi pat existimari possit formalitatem; tamen quamdam diuinam præseferre videtur, quandoquidem domo sub huiusmodi constitutus potestate modo naturæ inconsueto sibi subditos ad mediorum supernaturalium exquisitam obseruationem certis ordinibus vrgere moliatur, & non hominum, nec Angelorum naturaliter agentium more. Verùm Altissimi semita cætera naturales ritus in finis supernaturalis ademptionem per clauium concomitantiam ipsos dirigat, & moderetur, quapropter donum supernaturale, & formalitatem quasi diuinam in Sacerdotibus, & Episcopis non mediocriter vereri oportet, qui propter regimen ipsis creditum, & sapientiæ eorum apicem Dij nominari consueuerunt. Et licèt ali- Psalmo 81.

quis obijciens, illos etiam veluti cæteri homines peccatores esse contendat, & nullo honori habendos propter eorum scelera fore demonstret, imò aspernandos magis, quàm reuerendos insinuare nitatur, dicimus Seruatorem palàm nobis ostendisse, quod licèt ipsi sibimet mali sine doctrina, tamen eorum nequaquam suspecta, neq; etiam ministerium eorum refellendum, & vitandum esse debet, propterèaque cum gratia altissimi Dei quocumque modo hominibus improportionata reperiatur non differt, quod in homine malo veluti, & in bono reperta sit præcipuè, cum non hominis illius gratia sed propter alios eidem collata sit & in eodem non propter ipsum, sed gratia aliorum debeat exerceri: dispositio enim in homine ad gratiam pro semetipso recipiendam diuersa est à dispositione, per quam ad gratiam alteram propter aliorum commodum in seipso recipiendam disponi videtur, eoque homo pro se ipso gratiam suscepturus dispositione, qua gratia illa exercendus est caruisse non potest, ipso autem pro alijs conditionem diuinam recipiente sufficit, vt dispositio in illis, ad quos eadem conditio ordinata est reperiatur. Ex hoc autem quod Altissimus gratiam suam per instrumenta, quæ illam non habent impartiri consueuit apertè nobis ostenditur ipsam non esse ab hominibus, sed à Deo, quæ si dumtaxat per viros sanctitate probatos distribueretur plurimi possent opinari ipsam pro parte ab omnibus pronenire, propterea, vt Altissimi liberalitas probè dignosci possit donum Prophetiæ Balaam, qui inter ariolos connumeratus est propter vtilitatem alienam datum fuisse legimus, & dæmonibus interdum diuinas, & supernaturales reuelationes electorum gratia, & non ad eorum commodum fieri deprehendimus prout ex scriptura lumine supernaturali Sathan quandoque illuminatum cognouimus cùm per eam nobis ipsum inter filios Dei maximi cum ipso astitisse liqueat, cuius assistentia nihil aliud, quàm ipsius mentem diuinis illustrationibus, quæ bonis Angelis ostendi solent astitisse nobis insinuat: idcirco non est mirum si doctrina reuelationum, & modus ministrationis Sacramentorum in prauis Sacerdotibus probabiles inueniantur, & minùs super Episcopos mirandum est, si, & ipsi peccatores videantur, proptereaque Seruator etiam in malis Sacerdotibus regimen, & iurisdictionem probauit, nam licèt Sacerdotes & Episcopi mali sint, & relatione ad Deum per caput Ecclesiæ, quod est altissimus Christus reprobari indicentur, nihilominus in relatione eorum ad subditos vtiles valdè, & sibi ipsis dumtaxat malos esse reperiuntur, quotiescumque enim Sacerdotes, & Episcopi extrinsecus iuxta priscorum recepta reuelationes populos instituunt, & ipsis ministrantes illos in ordine ad seipsos in corpore Ecclesiæ, & ad Christum dirigunt, & moderantur, nihil cum eis si in domibus suis, & ab alijs seorsum arbitrio suo fragilitati humanæ indulgentes conuersantur. Ita enim contingit fieri iudicium de homine Sacerdote, & Episcopo veluti etiam contingit de principe temporali, qui pacem, concordiam, & honorem, & commodum populis suis ministrans nullatenus ab eis refellendus est, etiam si extra ditionem

Matthæi 23

Numeri 22.

Iob. 2.

Ad Coloss. cap. 1.

nem propriam nullo discrimine subditorum suorum rapiat, & honori, paci, & rei exterorum infensus fit: in hoc enim populi eius contra ipsum nullam querelam rationabiliter nanciscuntur cum medio ipsius, siue malus, siue bonus sit finem, in quem assumptus est consequantur. Quicumque enim præsident non debent considerari prout se ipsos in ordine ad Deum, sed prout sese ad illos, quibus præsident disponuntur, & iura debiti offi-
Actorũ 23. cij erga eos impendunt: propterea Paulus Apostolus cum fine causa iussu Principis Sacerdotum in maxillam cęsus fuisset erga ipsum maledicta, & imprecationes retractauit, eoque princeps non sit maledicendus, nisi toti reipublicæ priùs noceat, etiamsi particulari cuidam innocenti obfuisse cognoscatur, cùm præsides prout magis infra dicturi sumus à superioribus potestatibus potiùs agi, quàm agere videantur: idcirco si sontes ferant, & in sontes opprimant id euenit, propter eaque causa latens nobis ignota, quæ ipsos agit huiusmodi euentus non solummodò in commune verum etiam in insontis acriter, & turpiter lęsi commodum permittit, & hac sententia recepta nulla scriptura, quę Præsidibus malis homines quoslibet ex animo subigi præcipit obliqua videbitur, veritas enim summa est, quod omnis potestas à Deo est: Igitur potestas cuius-
Petri 2. libet principatis siue secularis, siue Ecclesiastici bona, & vtilis esse perhibetur quia à Deo est, malitia ergo Episcopi ipsi soli dumtaxat
Ad Roman. 13. oberit, quia prout ipse ad populum ordinatur potestatem super ipsum exercet, quæ cum sit à Deo, non nisi bona, & vtilis dici potest, vt autem nullus error, & nulla falsa, & inutilis persuasio occasione præsentis assertionis cuiquam suggeri possit subiungimus, quod si malitia Sacerdotum, & Episcoporum per manifestas hæreses, & infandos mores adeò debaccharetur, vt finis, in quem ordinati sunt præiudicarent nullo modo ferenda esset, & tunc
Ezech. 24. deceret eos expellere, & ipsi aduersari prout tot reges, & Sacerdotes ab officio regiminis,
Danielis 5. & ministrationis depositos, & exterminatos fuisse legimus, eoque Dei mandatis obsistere,
Regũ 1.c.2. vel eadem postponere moliebatur, & facinora sua contra intentionem, propter quam assumpti fuerant ad culmen regiminis, & ministerij longo abusu fore, & malis moribus subditos inquinari nitebantur: vt autem doctrinam clauium exquisitam expendamus, nostra interest declarare, si claues gratiam in homine supernaturalem semper referant, cùm vtraque earum in malis Prælatis, & Sacerdotibus obseruari debeat, propter, quod dicimus clauem iurisdictionis, pręter id, quod ab altissimo Deo tradita fertur, nulli in homine supernatur alitati attestari, quia si naturalem hominis facultatem excederet, absurdum esset aliud caput in in ea præter Altissimum Christum nominare, quod autem citra potestatem ab Altissimo datam, & ordinatam, certam particularem gratiam supernaturalem in homine demonstret, non videmus, nisi quis per clauis scientiæ concomitantiam pro antedictum fuit ipsam huiusmodi gratiam referre prædicet, clauis enim scientiæ donum supernaturale, & reuelationes extra ordinem vniuersi factas includit. Idcirco hæc eadem citra Altissimi

gratiam supernaturalem possideri, nequit tametsi vt probatum fuit gratijs gratum facientibus semper ascribi non debeat, eoque in prelatis, & Sacerdotibus malis recipi, & probabari possit, quia tamen scriptum reperitur in animam maleuolam non introibit spiritus sapientiæ: possumus opinari clauem scientiæ huiusmodi non secundùm eumdem gradum malis quo Sacerdotibus probis illapsam fuisse, & regimen iurisdictionis in prauis, veluti in bonis certum non esse.

EXPOSITIO X.

De summo Principatu Sacerdotali per rationes à naturalibus, & pollicitis sumptas.

Diximus in generali de prælatione summi Sacerdoris in omni genere fractarum, superest modò, vt rationibus potioribus dicta nostra validiora reddantur, quod in ordine Ecclesiastico veluti, & in cæteris quibuscumque ordinibus in vniuerso adinuentis de necessitate Sũmus Sacerdotum cæteris omnibus Ecclesiæ Prælatis debeat præsidere ratio à naturalibus sumpta non parum persuadere videtur, cùm enim Apostolus corpus Ecclesiæ corpori naturæ comparauerit licebit nobis 1.ad Corinthios c.12.
spiritualia grauita naturalibus spiritualibus & corporalibus contulisse, propterreaque gratuita omnia in maiorem perfectionem naturalium super elargita sunt, & in sublimitatem eorum certiorem, & mansiuam ordinantur: si ergo inter naturalia quæque ordo perfectionem eorum essentialem concernens de necessitate reperitur, decet etiam, vt in gratuitis non minori, imò potiùs maiori digestione deprehendatur: videmus enim naturales virtutes, veluti vegetatiua in planis, & sensitiua in animalibus imperfectis, & secundùm locum motiua apprehendens in perfectis animalibus omnes indiuersis rerum naturis diuersas rerum naturis diuersas inueniri, in homine tamen propter vnum ordi- Arist. in 1. Metheorũ lib.
nem inter eas, non nisi vna esse, omnia insuper sublunaria à superioribus cœlestibus gubernari, & ab eisdem in ordinibus suis dependere cognoscimus, nam totus iste mundus sensibilis est contiguus superioribus lationibus cœli, vt tota virtus eius gubernetur inde, propter ordinem autem cælorum omnium adinuicem videmus omnes octo cælos inferiores motu diurno cum cœlo primo, vnico ipsius proprio motu moueri, prætetea gratia ordinis octo cœlorum inferiorum adinuicem per longam obseruationem cœlum Lunæ in tot dirbus solaribus ab occidente in orientem reuolutione vna completa moueri palàm cernere possum, quot dirbus, diuinis videlicet millibus annorum cœlum octauum eadem semita renolui consueuit, rursus auges aliorum sex Planetarum eodem motu cum cęlo octauo circumferri deprehendimus, gratiam autem ordinis septem cœlorum inferiorum, & planetarum omnium adinuicem demonstratur nobis corpus solare semper cum corpore lunę, & vnà cum augibus eis remouetur inter vtraque per ęquidistantiam perpetuò locari: amplius

plius lineam medij motus Mercurij, & medij motus Veneris semper regula lineę medij motus Solis moueri deprehensum est, rursus Martem, Iouem, & Saturnum omnes norma motus Solis in epicylis suis moueri oculotenus agnoscimus, adeoque omnes cœlorum motus per mutuam se counexionem ordine vnico interseie ad vnum duntaxat motum referuntur. Morę igitur naturalium prælationes omnes Ecclesiasticæ in Summo Pontifice per ordinem vnum, & certam inter eas connexionem vnam solummodo, & non plures esse debent. Si autem modo regiminis Angelici regimen, & ordinemEcclesiasticum disposuisse velimus necesse erit summum principatum, in quo totus ordo regiminis consistat in eo statuisse, cum non solummodo ex naturali magia, quam summam philosophiam esse contendimus, verùm insuper ex scripturarum authoritate summum principatum inter angelos etiam in terminis creaturarum nanciscamur, cum enim

Apocalipsis 12.

Joannes scripserit Michaelem cum Angelis suis aduersùs Draconem pugnasse dubio procul ipsius exercitam superioritatem ad angelos ordine certo significasse dignosci potest: propterea cum legamus Archangelum eundem populi Iudaici, qui populus Dei altissimi electus dicebatur principem fuisse: proportionaliter etiam ipsum alijs Archangelis nationum aliarum principibus superiorem intelligere possumus, cùm populus Iudaicus omnes alias terræ nationes dignitate præcelleret,

Danielis 10.

præcipuè cùm Angelus Danielem illustrans appellet ipsum vnum de principibus primis, & illum Archangelo Persarum potiorèm fuisse demonstret, cùm ipsius auxilio Persarum Principis resistentiam irritam redditam fuisse recenseat.

Genesis 32.

Angelum etiam Esau præsidem cum Iacob luctatum fuisse scriptura refert: propterea quod cùm Esau iure naturali maior esset Iacob Angelus etiam ipsius in naturali sua prælatione maior angelo Iacob habendus fuerat, sed quia gratia supernaturali accedente Iacob assumptus fuerat, vt Esau maiori fratri suo præpositus esset rectum videbatur, vt propter huiusmodi vicem versam naturali gradui Angeli Esau gradum Angeli Iacob excedenti fieret iniuria, idcirco in tali mutatione cessit angelus Iacob dignitati præsidis Esau, vt in signum superioritatis suæ non lesæ per tactum illius læderetur Iacob, & claudicaret; ex quo non nisi miram prælationis inter Angelos obseruationem nosse possumus, quam tantopere Christiani debent imitari, & tota diligentia obseruare, vt ordinibus suis certis, superioribus filijs Dei similes inueniantur, & subditi inter eos discant sibi præpositos, licèt mali sibijpsis existant reuereri, proptereaque ex doctrina huiusmodi de prælationibus Angelorum reuelatis, non solummodò innotescit eos sibi ipsis inuicem subijci, & dominari, & in his inferioribus particularibus hominibus, & Ecclesijs vni-

Apocal. 2.

uersalibus, prout Ioannes docuit præesse, sed insuper principibus omnibus (differenter tamen) assistere, & actus eorum dirigere de-

Danielis 10.

monstratum est: nam Alexandro, Darium impetente nihil in scriptura de Alexandro, neque de Dario, sed duntaxat de Archangelo principe Græcorum, qui Alexandrum agebat legimus. Quapropter qui Prælatos, & Principes damnare volunt: perpendant velimus, an ipsi tamquam donorum Altissimi Dei, vel iræ ipsius instrumenta dictiones suas in subditos exerceant, & instinctu causarum superiorum ipsos corrigant, & gubernent, vel de capite suo dumtaxat ipsos agant. Credendum est etenim principatus omnes, siuè sęculares, siuè Ecclesiastici sint in vltionem, vel in vtilitatem populorum quicumque, & qualescumque sint à sapientissimo, & omnipotenti Deo omnia suauiter, & semita meliori disponente constituti, & desuper ordinari, vt boni bonis, & mali malis licèt ipsi mali sint, præsideant: propterea probè scriptum est, non maledices principi populi tui; ipse enim inquantum ad populos ordinatur, & inquantum princeps est maledici minimè

Exodi 22.

debet, proptereaque à Deo constitutus est: nihil enim de malitia principis ad populum refert; inquantum ipse ad Deum ordinatur cum plerumque vitiosos principes populis idoneos, mites verò ipsis inutiles experiamur: semita etiam huiusmodi naturalium prælationum, & ordinum reuelatorum, & absque reuelatione cognitorum prælationes iuris politici ordinari consueuerunt, quæ in secta qualibet, omnes in vno Imperatore vna complecti debent, omnes enim vnius sectæ Principes in modo regiminis politici ab vno Imperatore dependere, & ad illum referri debent, nec aliquis ipsorum à iurisdictione Imperatoris etiam authoritate ipsius consentiente præter Papam, de iure, prout infra demonstrabimus eximi, & absolui potest: cùm enim iura politica naturalibus innitantur debet etiam in illis ordo, & harmonia, quæ primum, & vltimum gradum sine intermediorum confusione complectitur obseruari, exemplo quorum non minus, imò magis iura Ecclesiastica (cùm ipsis potiora sint) debent sine confusione ab infimo gradu, vsque ad supremum eorum gradum ordinari: idcircò cùm Apostoli manus imponerent fidelibus Samaritanis ordinem superioritatis, & inferioritatis in Ecclesia citra omnem confusionem significare contendebant; nam veluti in

Actorum 8.

ciuili, vt ita dicamus propter nominum carentiam politia primus gradus Imperatori vni debetur, ita etiam primus gradus in politia Ecclesiastica solummodò Papam concernit, sicut enim status hominum sęculares pro commodo, & honore cuiuslibet eorum certa pace mansiua de iure per Imperatorem disponuntur, gubernantur, & corriguntur, pari ratione status Ecclesiasticorum, iuxta diuersos eorum gradus in corpore mistico Ecclesiæ per Papam sine querela disponi, gubernari, & corrigi debent, ipse enim solus princeps, & immediatè solus totam politiam Ecclesiasticam moderari debet, & ipse vnus claue iurisdictionis Ecclesiasticæ possidet altissimi decreto, & iure sibi appropriato exercet, quamuis etiam Prælati inferiores, prout ab eo distinguntur, ipsa fungi debeant, & eamdem ab ipso vno recognoscere teneantur, & exemplum primitatis huiusmodi principatus adducentes ipsum vnum tempestate nostra causam contra monachos, & moniales Apostatas recognoscere, & contra eos decidere posse, & teneri affirmamus, proptereaque talis causa statum contemplatiuorum omnino

re-

refellit, & aufert, & politiam Ecclesiasticam per status hominum actiuos, & contemplatiuos sententia altissimi Christi probatos demolitur: nam licèt fugitiui Monachi, & Moniales intentiones suas obliquas tutari velint, & ostendere nitantur vota sua nullius roboris esse, propteteaque homo quilibet ex vi professionis christianæ, & baptismatis ad obedientiam, paupertatem, & castitatem, imò virginitatem citra connubium principaliter teneri dignoscitur, non tamen probant, si contemplatiuam polliciti fuerint, quod huiusmodi votum præstare non teneantur, eoque votum contemplatiuæ vetissimis, & meliotibus bonis, ad quæ homo principaliter non tenetur; adscribi debeat, & dubio procul si promissum fuerit aspirante diuino fauote præstandum sit: ideirco solo Papa mandante, ad quem vnum de politia Ecclesiastica pertinet Moniales, & Monachi examinandi sunt, inter quos si quidam adeò simplices reperiantur, qui per tria vota, media necessaria ad vitam contemplatiuam tantummodò significari non intellexerint, absoluantur, & in libertate pristina dimittantur. Si verò inter eos deprehensi fuerint, qui per talia vota, media necessaria requisita in vitæ contemplatiuæ obseruationem, quæ verum, & proprium votum monachorum esse dignoscitur potuerint intelligere, compellantur rursus ingredi monasteria, ne propter occasionem nactæ libertatis plurimi eorum sanctitate spectati à probitate sua, & à recta contemplatiuæ vitæ recedere proponant, & prauis Monachis præstita debacchandi licentia boni insuper spe libertatis secularis allecti vitam Apostolicam, quam profitentur, & nouerunt negligant: nam si quis in statu Monachorum, iuxta Benedicti, & Bernardi normam priscam certior reddi voluerit reperiet eos, non nisi vitam Apostolorum, & Ecclesiæ primitiuæ, quæ in determinato hominum numero, nec nisi in parua multitudine consistens obseruari potest amplexatos fuisse, & alios amplexari docuisse: qui vtique gnari homines non esse Angelos, nec assiduè orationibus, & contemplationibus, & studijs vacare posse: post orationes, studia, & prædicationes, Pauli Apostoli exemplo laboribus manuum innixi de sudore vultus sui pane suo vescebantur, & amplos redditus pauperibus, qui sibi ipsis nonsufficiebant tota diligentia ministrare nitebantur. Propterea Dominus Ecclesiasticæ politiæ querelam tantam contra malos monachos, & principes ipsis fauentes solus recognoscere, & vlcisci debet; insuper ipse vnus desidiam illorum, qui absque operibus legis homines iustificari contendunt per Principatus alios sibi subditos corrigere tenetur, propterea que licèt dona supernaturalia quælibet gratis, & absque medio naturali suffragante proueniant, nihilominùs illis receptis necessariò succedunt opera legis, & mandatorum obseruatio, vt Filij Dei per actiones gratiæ in eis attestantes à filijs diaboli distinguantur, nam si quis opera diaboli facie, & conditionibus elementaribus nimis indulget, & iustificatum se dicit, mentitur, & alios seducit: huiusmodi enim hominum secta omnibus Ecclesiæ nostræ statibus infensa est, & membrorum corporis mystici ipsius connexionem

Lucæ 10.

Ad Corinth. 1. c. 11. & 12.

soluit, dum charitatis externa officia alterius ad alterum minimè necessaria fore prædicat, & institutiones mutuas per exempla inter christianos necessariò requisitas tollit. Idcircò cùm toti politiæ Ecclesiasticæ discrimen non mediocre moliatur à Summo Pontifice principaliter, & ab omnibus Ecclesiæ Prælatis consequenter radicitus suecidenda est, nisi correctioni subiaceat, & cohiberi possit. Nam veluti ciuiles abusus per sanctiones à solo Imperatore robur habentes euerti, & auferri, ita etiam radices malè in Ecclesia nostra germinantes solo robore manus Summi Pontificis euelli, & igni cremati debent: & veluti iuxta mores nationum, & diuersitatem temporum, & occursuum varietatem, iuris actiones à solo Imperatore (modò gratia honoris, & commodi populorum factæ sint) robur nanciscunt, ita etiam iuxta diuersos in Ecclesia Dei euentus institutiones Pontificiæ (modò gratia maioris obseruationis diuinarum traditionum perueniant) à solo Summo Pontifice vires sortiuntur. Huiusmodi autem sententiam exemplo declarantes dicimus, quòd si membro cuidam Ecclesiæ contingeret, vt qualicumque carnium esu, seù vini potu, sibi ipsi, vel alijs consuetudinem traheret, & isti præcepto Pontificis summi carnis esus, siuè vini potus interdiceretur, quod ipsum omnino pœnæ temporali, & culpa mortali, iuxta Summi Pontificis decretum obnoxium esset, si carnibus, vel vino sibi interdictis vesceretur, etsi tale præceptum nationi vniuersaliter impositum foret, in qua quidam præcipui, & egregij viri, qui communes mores minimè sectarentur, inuenti essent, & legislator à communi nationis ipsorum præcepto eos absolueret, nullus de Summi Pontificis iniustitia, siuè partialitate queri posset, cùm ipse intuitu conditionum diuersarum in hominibus hos soluere, & alios culpis, & pœnis ligare valeat, veluti, & Imperator ab onere quarumdam institutionum quamplures viros eximios interdum absoluit, & eximit, propthereaque ex moribus, & meritis eorum exploratis illos à quibusdam communibus legibus minimè cohibendos censet, cùm ipsi per seipsos inter rectum, & obliquum discernentes honori, & publicæ commoditati, absque eo, quòd legibus vrgeantur inuigilent. Si quis autem interrogaret, an aliquis in natione, cui propter finem dictum caro vel vinum interdicitur audito Papæ decreto posset vino, vel carnibus absque culpa, & discrimine pœnarum vesci quandoquidem tali parcitate ipsis vteretur, vt dubiò procul nullum periculum sibi ipsi, vel alijs exindè immineret: respondemus quod in hoc casu persona huiusmodi, nec in relatione ad Deum per seipsam, nec in relatione ad homines considerata à culpa, & pœna propter mandati sibi impositi transgressionem excusari posset, nam in ordine ad Deum considerata non potest de seipsa iudicium certum afferre, si minus, quàm cæteri homines mandato superuenienti Papæ teneatur, propterea que de bonitate, & securitate maiori in seipsa quàm in alijs præsumere nequaquam potest, vt semet à cœtu aliorum hominum secernat, & indicio proprio ab onere aliorum communi dispensare, & subtrahere sese valeat,

feat, nam licèt certior per se ipsam reddi possit, quod ex potu vini, vel carcium esu non periclitetur in alicuius dicti, vel facti turpitudinem, quam Papa per mandatum suum intercipere nititur, quia tamen de seipsa confidere non debet illi eidem, cui & alij subijciuntur ad maiorem cautelam suæ integritatis seruandæ subijcienda est. Si autem in relatione ad homines consideretur propter aliorum exemplum in obseruationem diuini præcepti de maiorum authoritate, & præcipuè Prælatorum Ecclesiasticorum in huiusmodi traditionibus quomodocumque verenda, & obseruanda, ex toto animo parere niti debet, quòd si in conditione sua propter talis mandati executionem nimis grauari videretur dispensationem à Papa per singulares proprietates aliorum communibus dissimiles in seipsa demonstratas implorare potest. Aliud exemplum gratia huius intentionis adduci posset, quo Papam cunctos vniuersaliter christianam fidem profitentes sub culpæ mortalis, & pœnæ temporalis reatu rationabiliter vrgere posse declaramus, vt Dominicis diebus nullus eorum in domo, nec in foro, nec in alio loco præterquam in Ecclesia cum altero, qui commensalis suus quotidianus non sit, congregari queat, & quod sub eodem reatu nulli liceat in templis spatiari, neque cum alio fabulari, & huiusmodi exempla, quibus homines iussu Papæ ad certiorem diuinæ legis obseruationem compelli possunt, quæ compendij gratia in præsentiarum omittimus crebra passim reperienda sese nobis obuiam ostendunt. Pro maiori autem declaratione eorum, quæ supradicta sunt rursum subiungimus, quòd licèt leges ciuiles à fine, propter quem conduntur, videlicèt à bono, & honesto respublicas concernente robur suum sortiantur, pariter & leges Ecclesiasticæ à fine suo, videlicèt diuini iuris faciliori, & exquisita magis obseruatione robur suum nanciscantur. Omnia enim practica à fine suo, veluti speculatiua à medio proprio denominari consueuerunt: attamen horum finium, quorum gratia leges emanant exploratio Papæ, & Imperatori principaliter credi debuit, propterea que vnus solius, & præcipuè executiua authoritas aliorum omnium authoritates in vnum coercet, & ad certiorem harmoniam reddit, quod plurium æqualium, vel ad inuicem secundùm superius, & inferius non ordinatorum authoritas coercere, & ordinare valeat: nam licèt plurimæ sanctiones, quæ fortasse Papæ, & Imperatori nunquam innotuerunt in diuersis locis obseruentur, nihilominùs ab eorum sola authoritate declarantur habere robur, & fines suos debitos intendere, eoque si reuerentia horum duorum principatuum non adesset, possent plures audactet magis, quàm rationabiliter eas infringere, & quam plurima iura ciuilia, & municipalia confundere, & in deterius inuertere. Idcircò sæpiùs multæ veteres ordinationes obseruantur, & multæ insuper nouæ obseruabuntur, quæ tamen, nec Papæ, & Imperatori distinctè cognoscuntur, & minùs in futurum cognosci poterunt: & nihilominùs ab eorum sola authoritate pro ratis habebuntur ratione, qua mediatè, vel immediatè casu aliquo dubij, vel contradictionis in illas insurgente semper (vltimatè saltem) ad eos referri debent: propterea veluti in responsione ad dubia de vniuersalitate Romani Pontificis dicturi sumus; ipse omnino vniuersalis (propter clauem iurisdictionis saltem) affirmandus est, eoque omnia solus, quæ ad ipsam exercendam, spectant notitia exercita nouisse potest, licèt fortasse hactenus numquam nouerit, & tamen, prout verba Gregorij Papæ sonant pro vniuersali ratione clauis scientiæ exercita notitia exercendæ non est habendus, eoque interdum Parochianus aliquis, qui singulares conditiones personæ, soluendæ, & ligandæ internas, & externas omnino assequitur ad illam in singularibus exercendam aptior inueniri queat, licèt Papa pro exquisito, & certo magis vsu clauis scientiæ declarandæ simul, & exercendæ ditionem vniuersalem clauis iurisdictionis exerceat, & hac semita verborum Gregorij sensus extorqueri faciliùs potest, propterea que Platina in ipsius gestis, refert ipsum Mauritio Imperatori respondisse quod illa vniuersalitas, quam sibi Ioannes Patriarcha Constantinopolitanus attribuebat Petri successoribus debebatur.

EXPOSITIO XI.

De summo principatu Sacerdotali per reuelationes, & authoritates à scripturis comprobatis deductas.

Svperest modò, vt de summo principatu Papæ sententiæ demonstrationem per reuelationes aggrediamur, quibus dumtaxat, postpositis aliorum modorum probationibus Domini nobis aduersantes initi compelluntur, dicamus igitur quod Seruator noster cùm de potestate ligandi, & soluendi hominibus collata loqueretur, numquam de clauibus, nisi cum Petro, & de potestate earum, Ioannis 16.
nisi vni ipsi tradita loqui deprehensus est, nam tametsi alijs potestatem ligandi, & solluendi contulerit, nunquam tamen de clauibus ipsis præstandis mentionem fecisse dignoscitur, propterea que videbatur frustratoria de claue scientiæ mentio, cùm facultatem remittendi, & retinendi peccata nihil esse præter clauem scientiæ satis notum foret, præcipuè cum priùs dixisset, accipite Spiritum sanctum, idest donum supernaturale Dei ad supernam illustrationem pro scripturarum exquisita interpretatione, prout etiam alibi scriptum est, Tunc aperuit illis sensum, vt intelligerent scripturas. Cum Petro autem loquens palàm demonstrat ambarum clauium facultatem ipsi vni traditam fuisse, & insinuat clauem iurisdictionis vni dumtaxat principaliter deberi, & vnicum principatum in Ecclesia sua obseruandum esse, per quem ordo totius politiæ Ecclesiasticæ sollicitacura seruandus sit, cuius ordinis curam tanti faciendam esse Christus insinuat, vt Petro, ac si triplici præcepto gregem suum pasci, ac custodiri mandauerit, exindè significans hominem, & præcipuè principantem, non solummodò propter seipsum ad dilectionem Dei Altis-

(Marginal note beside "nam tametsi alijs...": Ioannis 20.)

Altissimi verùm ex ipsa dilectione ad alios insuper ordinatum fuisse: ideò respondente Petro, Amo te, subiunxit, Pasce oues meas: quasi diceret, non sufficit, vt erga me pro te ipso, dumtaxat officium amoris præstes, sed ampliùs erga oues meas, erga corporis mistici membra, cuius caput ego sum, vt non

Io. vltimo.

solummodò pro se ipsis ad me, verùm etiam per alios adinuicem consona conuersatione disponantur: quòd autem Petrum solum in claue iurisdictionis, saltem præposuerit manifestè deprehendi potest, proptereaque ipsum nomine suo conditiones suas singulares con-

Ioannis 1.

cernente vocauerit, videlicèt Cephas, quòd interpretatum petram, & lapidem refert; nam ipsi vni coram omnibus alijs nemine eorum contradicente claues regni cœlorum tradidisse legitur, vt omnes palàm cognoscerent Petrum solum, Christum corporaliter absentem præsentia sua relaturum esse. Et valde dedecet, quòd quis contra huiusmodi sententiam proteruiens objiciat clauem scientiæ claue iurisdictionis potiorem esse, cùm clauis iurisdictionis gratia clauis scientiæ exercenda sit: iurisdictio enim nihil aliud molitur, nisi eorum, quæ clauis scientiæ suggerit, quasi coactam obseruationem, & cùm hoc verum sit consequenter ostendere nitatur Apostolos omnes dignitatem, non inferiorem illi, quæ Petro debetur sortitos fuisse, proptereaque clauis scientiæ æquę ipsis, sicuti, & illi collata sit: nos enim dicimus, quod seruator nomine lapidis, sibi vni debito Petrum cæteris omnibus Apostolis omnino præposuisse dignoscitur, cuius Prælatio, non nisi per clauem iurisdictionis claui scientiæ superadditam, & ipsam magis sublimem, & certam magis

Marci 9.

declarantem conferri quiuit: nec obstat, quod Seruatormet prioritatem inter eos damnare visus fuerit, cùm non prioritatem, sed animorum elationem, & desiderium præsidendi in-

Lucæ 9.

ter eos cohibuerit: idcircò dicebat. Qui voluerit esse, non qui fuerit inter vos maior ipse erit omnium nouissimus: & aliàs rursus. Qui minor est inter vos omnes, hic maior est: fortasse significans prælationem Petri, qui humilitate, & dilectione omnes alios, & non præsumptione propriæ voluntatis, & electionis creditur præcelluisse. Summi etiam Sacerdotis principatum præter authoritatem addu-

Exodi 18.

ctam de Aaron ostendimus, cùm Moyses non solummodò summi Sacerdotis principatum in spiritualibus, verùm etiam in temporalibus gesserit, prout vtriusque principatus eius acta indicant: propter quid autem viuente ipso fuerit Aaron in summum Sacerdotem assumptus, in responsione ad obiectiones

Deutero 17.

paulò post docebimus. Propterea ostendit nobis scriptura, quòd in Concilio, & conuentu Sacerdotum pro rei dubiæ veritate inquirenda adinuentus est sacerdos primus, cuius imperio decisiones Concilij debent obseruari, & mandata eius auersantes per decretum iudicis trucidari, cui intantùm scriptura differendum esse insinuat, vt ipsius solius imperio quæcumque decisa sunt in loco, & conuentu, quem elegerit Dominus executionem sortiantur, & non dicit scriptura sacerdotum, sed sacerdotis in singulari, significans huius hominis singularis principatum: quasi dicat, quòd digesta per sacerdotes debent vrgeri ad executionem, prout visum fuerit eorum summo habita per ipsum distinctione conditionum, & locorum inter homines, qui non à Concilio; sed ab ipso immediatè gubernari debent: ex quo demonstratur vltrà principatum clauis iurisdictionis in Papa, quanti insuper clauis scientiæ in eo magnifacienda, & quantum alijs aliorum Prælatorum præferenda sit, cùm ipsius imperio Concilium intantum deferre videatur, vt ea, quæ vtramque clauem, multò discrimine concernunt per ipsum solùm moderari, & regi permittat, & exindè authoritas ipsius tanta esse deprehendi potest, vt interdum casu vrgente ipsemet, absque aliorum consensu, & recenti Concilio viros eligat, qui pro tempore, seniores, & populum clauibus iurisdictionis, & scientiæ exerceant, veluti Moyses, cum in montem ascensurus esset senioribus, & sapientioribus congregatis non commisit electionem virorum, qui causas inter eos emergentes dirimerent, sed ipsemet illis astantibus Exodi 24.
Aaron, & Hur in hunc finem præposuit, cùm tamen Aaron in summum Sacerdotem nondum assumptus fuisset.

EXPOSITIO XII.

Authoritates, & rationes quibus Papa præter clauem iurisdictionis Ecclesiasticæ imperio, etiam temporali potiri debet.

IAm propè ostensum est Moysem vtriusque Genesis 14. Reg. 2. c. 6.
clauis principatum, & ditionem temporalem modis omnibus exercuisse parimodo Melchisedech regem, & Dauid Ephod accinctum, & Reges alios sacerdotium, & ditionem regiam præstitisse scriptura passim demonstrat, quorum more debet etiam summus Sacerdos christianorum iurisdictionem Temporalem subditis ministrare, & temporaliter dominari: proptereaque, nisi Papa ditione regia potiretur, plerumque contingeret ipsius maiestatem non solummodò à sęcularibus potentatibus, verùm etiam, & magis à pluribus Ecclesiasticis amplioribus diuitijs affluentibus despectui esse: Quamobrem Ecclesia nostro schismatibus semper obnoxia videri posset, nisi Papa omnibus in genere suo imperantibus maior esset; quòd Patriarchæ Constantinopolitani exemplo pro alijs innumeris, quæ adduci possent ostenditur, qui tempore, quo imperium Constantinopoli vigebat, & ibi resideret Imperator, Sedem Ecclesiæ Constantinopolitanæ Romanæ Sedi præponere nixus est, proptereaque ipse Romano Antistite fauore Mauritij Imperatoris temporali potentia maior videri potuisset, cui Romanus Pontifex propter ipsius authoritatem, & diuitias, mitioribus verbis, quàm oportuisset fertur respondisse: nec opus est, quod Domini nobis aduersantes in hoc loci mentitam Constantini, siuè nullius roboris donationem asserant, & opponant, eoque licèt etiam Papa nullo iure principatum temporalem occupasset, tantæ tamen vtilitatis apud populos, & apud Reges christianos tanti ho-

 noris,

noris, & apud Christi Crucis hostes tanti terroris reperta est Papæ sublimitas,& potentia, vt nullus ipsi propter ademptam etiam, vt occupatam temporalem ditionem, calumniam meritò possit inferre. Iura enim regnorum magis in vno, quàm in alio robur sortiuntur, cum medio vnius, magis quàm alterius (nulla personæ conditione habita) communis rerum publicarum vtilitas mansiua proueniat. Nam regiminis sęcularis, & humani Principantes Papæ exemplo discunt populis suis iura digesta cum omni diligentia, & æquitate, nulla habita electione personarum ministrare: vltrà commodum, quod Papa proprijs, sibi temporaliter subditis per regimen suum impendit, & per ditionem suam temporalem omnibus insinuat,vt si absque errore dirigi debeant hominum actiones circà ministeria sęcularia, debent priùs circà Ecclesiastica regimina, quæ per bonitatem, disciplinam, & scientiam consueuerunt exerceri doctos fuisse. Primùm enim quærenda est ab eis norma, qua homines inter seipsos in ordine ad finem supernaturalem regantur, postmodum regulam, qua inter se ad fines suos naturales ordinari possunt certiori lumine nanciscentur. Ordinata est enim à Deo Altissimo potestas Papæ temporalis, & in hunc finem regia sedes eius adinuenta est, vt deprehenso commodo rerum publicarum,quę temporaliter per Papam gubernantur omnibus innotescat id esse certius, & honorabilius omnibus commodis aliorum populorum, qui sub alijs Principibus sęcularibus aguntur: propptereaque in Papa præcedit earum regimen Ecclesiasticum, in quo si quis rectè dirigitur, rectiùs etiam, & commodiùs in alio temporali semper dirigetur.

EXPOSITIO XIII.

Cùm Papa in politia Ecclesiastica præsit Imperatori, an viceuersa Imperator in politia ciuili ipsi præsideat.

PRincipes Imperij tot iam voluentibus annis digna, & necessaria consideratione rerum publicarum status digerentes deprehenderunt non parum interesse Reipublicæ Christianæ, quòd magis ab Imperatore deuoto, & fidei, quàm ab ignaro diuinarum institutionum gubernetur, & corrigatur: nam si Imperator status Ecclesiasticos auersaretur, ciuilibus insuper, & sęcularibus infensus haberi posset, propterea que vtilitates, & honores, & rerum publicarum commoda omnia per obseruatam religionem certiora semper, & ampliora, & magis durabilia fuisse deprehensa sunt:prout non solammodò Gentilium, verùm etiam, & magis Deum vnicum, & verum colentium scripturę receptæ per exempla crebra passim indicant. Idcircò rationabiliter decreuerunt electum Imperatorem per Papam coronandum, & confirmandum esse, alioquin electionem suam irritam, & nullius roboris esse declarauerunt: propptereaque, nisi Imperator Pontificis summi authoritate reciperetur, & approbaretur semper de incommodo non solummodo fidei, verùm etiam Reipublicæ christianæ suspectus esset: ideò sese Papæ submittit,vt principatus suus,cuius tanta connexio cum Ecclesiastico attenditur legitimus agnosci queat, insuper, vt semet probatum, & receptum à Papa Reipublicæ christianæ idoneo demonstret ipsum à iurisdictione sua temporali exemptum declarat, eoque pro legitima sumet approbatione necesse est, vt omnibus iudicet sese receptum, & confirmatum à Principe toti Reipublicæ christianæ ad modum vtili, & bonorabili, vt nemo de cura, & ipsius exquisita sollicitudine non solummodò circà Ecclesiasticum, sed insuper circa regimen sęculare rationabiliter dubitare possit. Idcircò in huius rei demonstratiuum signum, temporalem principatum in ipso probat, & ipsius sęcularem ditionem verendam, & ratam, & ab Imperiali ditione exemptam exponit.

EXPOSITIO XIV.

Consequenter Summi Pontificis dignitatem, & conditionem soli Episcopo Romano deberi demonstratur.

CVm de Summi Pontificis necessaria adinuentione, & de ipsius conditionibus compendiosè quoad magis fieri potuit disseruimus, superest modò, vt rationibus, & authoritatibus innixi ipsum eumdem Antistitem Romanum esse demonstremus. Cuius quidem primitatem per successionem in loco sedis Petri minimè contendimus adstruere propptereaque Domini nobis aduersantes Petrum ipsum nunquam Romam vidisse sibi persuadent, nec scripturas de Romano ipsius Episcopatu admittunt: duximus enim rem indignam esse cum ipsis contendere de successione Romani Pontificis in Pontificatum Petri ratione loci, cum non de situ respectu cœli, sed dumtaxat de gradu, & dignitate, quos locos, & mansiones respectu regiminis in ordine vniuersi, & extra ipsum insuper nominamus rationabiliùs loquendum sit: nam successio huiusmodi attenditur magis ratione maioris assimilationis hominis ad Petrum prædecessorem in donis gratuitis, quàm in locis vbi ipse degebat habitatione:nam apud Altissimum nulla est loci veluti, nec personarum acceptio:idcirco cum loquimur de loco Petri, & de loco ipsius successoris, oportet æquiuocationem huius termini Locus, attendere, quam Domini nobis aduersantes perpendere negligunt, propter huiusmodi enim multiplicis nominis dimissam obseruationem in quasdam contra nos irrationabiles oppositiones labuntur, & à situ sub cœlo, & non ab homine, qui dignior est sit, totam rationem huiusmodi successionis summi asseuerant: nam si de hominibus loquendum est,nullos à Christo citra, Romanis digniores hactenus adinuentos fuisse faciliter ostendemus,nec insuper gentem, in qua virtutes omnium modorum

& diuinæ, & humanæ veluti in Romana florurrint reperiemus, & hoc palam ex Pauli Apostoli scriptis sublimioribus ad Romanos cæteris sublimiores innotuisse potest. Si quis autem obiecerit, quod tempore principatus Papæ quàm plures diuersarum nationum homines ab italica in Summos Pontifices electi fuerint: respondemus hoc ideo contigisse, quia gratia Altissimi Romanis impartita crebra magis emersit, vbi Romani plures adinuenti sunt; & ibi crebriùs, excellenter magis fuit exercita, propterea in illum locum potioribus hominibus affluentem non ratione qua talis locus, sed ratione incolarum potiores homines accersiti, & nutibus superiorũ adacti sunt, quapropter si rationem huius successionis etiam à loco situali sumere voluerimus, propositum nostrum insuper demonstratiua concludemus, nam locus ille sub cœlo potior habendus est, qui potiores incolas defert, & in suis conditionibus ipsos alit: Quod autem digniores homines digniorem gradum, & locum gratiæ altissimi Dei sublimem magis Romę obtinuerint veritas Historiarum declarat, cùm principatum Papæ extra Italiam translatum semper decreuisse, & in deterius cessisse passim legamus, quapropter necessitate vrgente Romam reuocatus, ibi tanquam in loco suo genuino more plantarum in terris sibi proportionatis semper viguit. Et cum Summi Pontificis necessaria adinuentio demonstrata sit, dicant quæso Domini opponentes, vbi Sedes eius præterquam Romæ locari debeat: qui si probè respondeant apertè fatebuntur Concilium Chalcedonense, & tot alia quamplurima concilia extra fines Italiæ celebrata, non ab re Pontificem Romanum omnium aliorum Summum declarasse, & per tot annos recepisse, & obseruasse: vbi tot viri celebres, ea tot diuersis nationibus congregati, Spiritu sancto suggerente omnes in hanc declarationem, & receptionẽ nemine discrepante concurrerunt: & Romanis plebanis, quos Cardinales non ab re (si officium suum rectè præstiterint) libuit apellari: intantum detulerunt, vt Romani Pontificis electio, etiã post ipsius primitatem declaratam: prout etiam ante ipsis, credita fuerat rursus Spiritu sancto compellente crederetur: quamobrem Romulidas miræ ęstimationis ob eorum sanctitatem, & iudicium apud vniuersi orbis veram Ecclesiam semper fuisse dignoscimus, cum ipsis à totius mundi Christiana republica quam concilia præseferunt vices in Summi Pontificis electionem perpetuam collatæ fuerint: in quibus profectò viri, nec numero pauciores, nec minus sapientes, neque Sancti minùs quàm Domini nobis opponentes, prout opera eorum attestantur inuenti sunt. Et si Christus pollicitus est se futurum in medio duorum, vel trium qui in eius nomine congregati fuerint, cõgemur ea ipsius pollicitis affirmare, ipsum in medio conciliorum, quę tot numero ab ineunte ætate diuersis locis legitime celebrata sunt affuisse: & quod ipsorum institutiones, & precipuè circa principatum Papæ, & loci eius decretum, qui tantum refert direxerit, palàm habere possumus, quandoquidem Concilium illud conditiones omnes in seipso prætulerit, per quas ab Altissimi solius nutu cõgregatum fuisse dignoscitur, & eodem ritu, quo mandauit scriptura sese ad illustrationes supernas capescendas disposuerit: scriptum est etenim, Super rem dubiam Sacerdotes tibi indicabunt: idest Sacerdotes leuitici generis Deo altissimo suggerente electi, per illustrationem super eos diuinitus factam, non in terminis humanis dubiorum nodos tibi resoluent: nam ita eius verba sonant, Surge, ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, veniesque ad Sacerdotes leuitici generis, quæresque ab eis, & indicabunt tibi iudicij veritatem, & facies quodcumque dixerint, qui præsunt in loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te iuxta legem eius, sequerisque sententiam eorum, nec declinabis ad dexteram neque ad sinistram: ex quo manifestè significatur, quod si altissimus Deus elegit locum vel modum, & conditionem Concilij, quod Ipse tamquam causa principalis, & Concilium tamquam causa instrumentalis eius apparens, omnia declarat, & decernit: & nota, quod scriptura dicit locum, non per locum ciuitatem, vel proprium locum, vel tale quid corporale, sed gradum dignitatis demonstrans: absurdum enim esset, si Sacerdotes in vno loco magis, quàm in alio congregati, munere illustrationis diuinæ fungerentur, cùm æquè dispositi in vno loco, veluti in alio per illius gratiam absque differentiæ locorum conditione ipsis superuenientem rationabiliter censeantur. Idcirco quod prope dictum fuit de gradu principalitatis Petri per locum significato, rectè, & piè considerantibus exortum minimè videri debet: propterea nec ratio successionis in Sede Antiochiæ, vel Romanæ, vbi Petrus præfuisse dicitur, primitatem Papæ per seipsam facit: sed hominum conuentus, vbi Christus inhabitat propter successionem Petro in fide, & moribus, & non in sede locali huius viri principatum legitimum, & in cœlis ratum constituit. Pro maiori autem discussione illius totius, quod in præsenti expositione demonstratur, superest, vt dubium quoddam absoluamus: quo quis hæsitaret circa summi principatus Antistitis Romani assertionem, dubitant enim quamplures, de huiusmodi præsentis sententiæ veritate, proptereaque Gregorius Papa in responsione quadam ad Alexandrinum Antistitem queri videtur, quod ab eo Episcopus vniuersalis appellari consueuerit, cùm Episcopus vniuersalis minimè censeri debeat: propterque existimant multi Papam summi principatus in se ipso titulùm denegasse cùm semet vniuersalem Episcopum non esse rescripserit, ad quod dicimus, Gregorium Papam Eulogio præsuli Alexandrino hoc vnum de principatu suo insinuasse videlicet, quod in exercendo clauem scientiæ pro vniuersali minimè foret habendus, veluti rationes, & authoritates cùm superiùs de proportione Papæ ad Concilium loqueremur demonstrabant, insuper quia impossibile sit ipsi soli totum obsequium clauis scientiæ subditis suis vniuersaliter præstitisse, cum, tamen totum obsequium clauis iurisdictionis solus expendere valeat: nam disciplina, & subditorum regimen per clauem scientiæ indefinitas hominum conditiones ambit, regimen autem per iurisdictionem, status,

Deutero 17

Num. 16.

Distin. 99.

tus, & gradus ordinatos, & numeratos concernit, quorum omnium speciales conditiones notitia exercita Papa nouisse potest: iccirco solus vniuersaliter dictio regimini circa vniuersalia, & pauciora sufficit, cùm tamen solus vniuersaliter effectus clauis scientię omnibus impartiri nequeat, eoque actu exercito ipse vnus omnium subditorum particulares conditiones explorare non valeat, quamuis clauis scientiæ, prout supradictum est, tanti in ipso perpendenda sit.

nisi ab odijs inter Prælatos, & Principes, & à Monachorum simultatibus, & non à zelo charitatis, & veritatis processisse: quamobrem à Concilijs veris propter repertam in conciliabulis prauitatem, nequaquam declinare debemus, imò magis propter notam inter vtraque differentiam ad eorum reuerentiam, & omnimodam obseruationem, totis viribus accingi tenemur, cùm nihil humanum in ipsis, & nisi diuinum (si probè decisiones eorum perpendantur) offendi possit.

EXPOSITIO XV.

Signa distinctiua, quibus Concilia Spiritus sancti à conciliabulis hominum dirimere possumus.

QVia in huiusmodi sententia de Romani Antistitis principatu aduersùs Dominos nobis opponentes Conciliorum decisiones amplexamur ipsi rursus insurgunt, & multorum conciliorum nullitatem demonstrare aggrediuntur: propterea que deprehensum sit ab eorum vno decretum vniusmodi ab altero, verò alteriusmodi emanasse, quamobrem cùm Spiritus sanctus contraria sese inuicem refellentia minimè suggerat concludunt quod saltem in eorum altero necesse sit fateri Christum, & Spiritus Sancti gratiam defuisse, & ex hoc fidem dubiam Concilijs præstandam esse deducunt: quod si vero consonaret, Christianæ fidei fundamenta, quibus innitimur, omnia ruinosa, & nullius firmitatis esse credi possent, quapropter ob animarum nostrarum commodum fides alia certior quærenda nobis superesset? cùm id totum, quod creditur, ideo credi debeat; quia per Concilia receptum, & approbatum dignoscitur: propterea que Christus in medio eorum per infusionem gratiæ supernaturalis Spiritus sancti, quam vires humanæ per seipsas nequaquam attingunt, ostendit eis in scripturis, quæ illarum ab altissimo Deo, & quæ ab hominibus dumtaxat proueniant, & quæ inter illas principijs reuelatis correspondeant, & quæ ab eis, coque solummodò ab hominibus inuentæ sunt discordent. Idcirco Concilia Dei altissimi à conciliabulis hominum facilimè distinguemus cùm in conciliabulis semper aliquid principijs fidei nostræ reuelatis dissentiens, & valde diuersum repertum sit: Concilia autem nihil prorsùs præter totum id, quod ab huiusmodi principijs clarè deduci, ordinari, & præcipi potest attendant, & instituant, veluti scriptum est, Et docuerint te iuxta legem eius, nam ex hoc, quod Concilia ab arbitrio Ecclesiæ, & communi consensu Prophetarum, Apostolorum, & Euangelistarum non declinant, sed secus legem per eos scriptam de credendis, & agendis decernunt, & præcipuè, non nisi diuina nosci possunt. Concilia etiam, & conciliabula dirimuntur, si radices eorum à quibus consurgunt in considerationem nostram deuenerint: nam si cautè conciliabulorum originem inspexerimus, palàm nobis fiet illa omnia secundùm se tota non

EXPOSITIO XVI.

Propter actuum obliquitatem modò sine heresi deprehendantur, Prælatos, nec Prælationes ab Ecclesia tolli posse demonstratur.

DOmini opponentes rursus in Romanum Pontificem, & in alios Ecclesiæ nostræ Prælatos indignantur, propterea que in eorum comparatione ad Deum nulla religionis, & propriè eorum professionis obseruatio (prout ipsi dicunt) reperta sit, & authoritate Christi indignationem suam exasperantes demonstrare, sibi persuadent clauium facultatem, nulli nisi charitate, priùs informato traditam fuisse: propterea que antequam Christus, cum Petro loquens subiunxerit, Pasce oues meas, terna interrogatione priùs *Io. vltimo.* si ipsum diligeret ab eo sciscitatus fuerat: asserentes, quod nullatenus ipsi, nisi per debitam in eo deprehensam dilectionem gregis sui pascendi curam mandauerit, neminem enim sine vera dilectione charitatis officia potiora docendo, & regendo præstare posse affirmant, cum insuper scriptum sit, quod sapientiæ spiritus mentibus maleuolum neqnaquam illabatur. *Sapientiæ 1* Nos autem licèt superiùs huiusmodi obiectionibus satis fecisse videri possimus, nihilominùs rursus dicemus, quòd licèt verum sit Christum Petro charitate informato gregis sui curam præcepisse, attamen si dicta ipsius in alijs locis scripturæ explorauerimus: manifestè reperiemus, ipsum clauem scientiæ, & iurisdictionis, etiam in quampluribus charitate non informatis obseruandas *Matth. 23.* proposuisse. Commendat enim Christus pastorum sapientum charitatem, & illam maximè expostulat, & maiorem in maioribus prælationibus ipsam exigit: nam cùm Petro *Io. vltimo.* curam gregis sui pascendi iniungeret maiorem sui dilectionem in eo, quàm in alijs requirebat: propter hoc tamen gubernantium doctrinam, & regimen, etiamsi mali sint, & charitate vacui non improbat: nam si Pastores, & Doctores ante Deum, pro seipsis mali sint, cum hoc tamen coram hominibus obsequia debita extrinsecùs præstent, nulla calumnia ipsis intentari, nec eorum doctrina refelli, & minùs regimen eorum detrectari debet: si enim Seruator Doctores, & Pastores seorsum, & in domibus suis explorandos subditis obiecisset, iam subditi non ipsorum subditi, sed eorum iudices haberi possent: idcircò ne tollatur humilitas, & subditorum obedientia, & eorum pura simplicitas monuit Ser-

Seruator, vt eorum extrinseca, cùm secundùm veritatem dicta, & facta censeri queant, & non ea, quæ Deum, sed quæ nosmet dumtaxat concernunt in ipsis obseruemus, & exequamur. Si enim licentia huiusmodi subditis non esset interdicta, semper inter illos & nos, informitas querelarum frequens exerceretur: omnis enim homo cum in seipso, & ad Deum relatus consideratur mendax est, & in pondere suo multum deficit: quod autem dictum sit sapientiæ spiritum malis non illabi intelligendum est, quòd malos nequaquam propter seipsos, sed tantùm propter alios instituit: veluti Salomonem, non propter seipsum, sed propter alios tantùm, si damnatus foret inhabitauit: sicuti etiam Spiritus propheticus Caipham non ipsius, sed aliorum gratia afflauit. Propterea Concilium Chalcedonense superno instinctu adactum declarauit Papam, ob nullius alterius criminis, præterquàm per hæresis notam, refellendum, & deponendum esse: in casu enim hæresis, nec sibi, nec alijs bonus, imò malus, & pessimus haberi potest: quòd in casu dementiæ non contingit, quandoquidem nemini obsit, quamuis nec prosit; & ob tanti gradus reuerentiam resipientia semper in eo speranda sit. Dedecet igitur asserere Prælatos deponendos, & fugandos esse, etiamsi sibimetipsis coram Deo tantùm propter actus suos detestabiles mali adinueniantur: & magis dedecet talem consequentiam admittere: Papa est malus, ergo Papatus refelli, & tolli debet: Monachi sunt mali, ergo monachatus est malus. Nec superest, nisi valdè mirari, quòd Domini nobis aduersantes consequentiam talem pergant admittere, & ipsi inhærere, cùm dubio procul apertè intelligant Ecclesiasticas Prælationes, & diuersos actiuorum, & contemplatiuorum status de necessitate citra omnem inter se confusionem ad Ecclesiæ nostræ perfectionem, & integritatem statuendos, & obseruandos esse; si mentis oculis inuigilauerint à semita præcipiti, super quam spiritu indignationis aguntur pedem referre, quàm citius aggrediantur.

EXPOSITIO XVII.

Obiectiones contra principatum temporalem Papæ aducuntur, & eliduntur.

CVm rationabiliter ex omnibus, quæ dicta sunt principatus temporalis Papæ probari, & recipi debeat, insurgunt tamen Domini opponentes, & contra ipsum obijciunt, quod nemo militans Deo implicat se negocijs sæcularibus: amplius quod Christus iudiciariæ, & temporali potestati visus est omninò renunciasse, cùm iudicium in adulteræ condemnationem, quamuis diuinitus ratum foret dimiserit, & statere pro semet, & Petro didrachma exigentibus, soluto in exemplum Prælatorum: ipsum sese ditionibus sæcularibus subiecisse, & non præposuisse, contendunt: & quod Sacerdotes temporalem iuris exequutionem minimè valeant exercere, quam rem secundùm eos scriptura vetus demonstrat, cùm fit mentio de iudice inter Sacerdotes, qui eorum summi iussu, & imperio rebelles, & ipsorum traditionibus, & sententijs inobedientes morti secus eorum assertionem dedat, & non dicit scriptura iuxta Sacerdotis, sed duntaxat iuxta iudicis decretum, propter quod iudiciariam potestatem Pontificibus: omninò interdictam fore insinuant: nam licèt Sacerdos reos condemnandos exponat, condemnationis tamen modum, & illius exequutionem decretis iudicum sæcularium dimittere, prout litera huiusmodi dictat cogi videtur. Præterea cùm Moyses post assumptionem Aaron in Summum Pontificem, Principis, & Sacerdotis Officio fungeretur Pontificem Summum non solummodò in temporalibus inferiorem, verùm etiam in ecclesiasticis minorem habuisse referunt, principatum insuper Petri inter Apostolos inficiantur, eoque cùm scriptum sit ipsum per Apostolos in Samariam missum fuisse minoritatem, potiùs quàm maioritatem ipsius inter eos, vel saltem æqualitatem ad alios, in eo concludere nituntur, propterea que maiorem à minoribus, numquam missum fuisse legatur. Rursùs ex hoc, quod à Paulo reprehensus dignoscitur prioritatem, ipsius negare aggrediuntur, cùm maior à minore deceater reprehendi numquam consueuerit: quibus omnibus obiectionibus singillatim satisfacientes dicimus, quod illa Pauli Apostoli authoritas non est ad eorum propositum, cùm per sæcularia negocia significentur actiones hominum, quæ nec in proximi necessaria commoda, nec ad Dei cultum ordinantur, in quos fines dubio procul principatus Papæ temporalis dirigitur: nam si probè considerationem nostram expenderimus inueniemus insuper vitam contemplatiuam, ab operibus extrinsecis horum finium gratia non esse absolutam, quamuis ab actiua per actiones extrinsecas non frequentes distingui videatur: nam actiua per orationes, & contemplationes breuiores ministerio extrinseco crebriori inhæret, contemplatiua verò illis longioribus, & sublimioribus incumbens, etiam tali ministerio licet minùs frequenti indulget, cùm tamen contemplatiua sine actiua, & è conuerso rarò, vel numquam reperiantur, eòque vna cum altera semper permixtim inueniri debeat: propterea que homo ex carnibus, & ossibus more Angelorum assiduam intellectus operationem præstare nequeat. Idcirò licèt Papa, & Ecclesiastici Præsules ad partem contemplatiuæ, magis, quàm actiuæ declinare debeant, ab officio tamen iudiciali præstando actiuam concernente, propter hoc abstinuisse non compelluntur; reuerentia tamen potioris vitæ contemplatiuæ in ipsis exposcit, vt decentiùs iudices sæculares in iudiciorum (saltem criminalium) exequutionem substituant, qui iuxta ciuilium decretorum normas iura subditis ministrent, & si quid dubij in exercendis iudicijs offenderint ipsis totum extricandum, & decidendum referant: Papa enim, & cæteri Ecclesiastici Principes cùm temporaliter præsint institutionum etiam, & regularum temporaliter regendi, pleno intellectu gnari esse tenentur, vt certiùs super iudices substitutos inuigilare possint: & huiusmodi te-

reſponſio obiectionem alteram, quæ de iudice Summi Sacerdotis imperio iuxta proprium decretum reos trucidante ſententiæ noſtræ aduerſari viſa fuerat totam eneruat, & auferti propterea que iudex ille pro principali in exercendo temporalia iudicia non habebatur cùm ſacerdotis imperio, & tanquam cauſa inſtrumentalis ipſius agendus eſſet: qui ideo inter Sacerdotes ſedere conſueuerat, vt eorum deciſiones auretenus adhauriens imperio ſummi eorum, qui arbitrio ſuo executiones omnium, quæ in Concilio decernebantur mandabat, certiori ſufficientia præſtò poſſet adinueniti, & Sacerdos ſummus habita ratione vitæ contemplatiuæ, in ſeipſo vita actiua potioris, iura imperij ſui læſi per alium magis actiuum decentiùs vlciſceretur, pro eo autem, quòd Chriſtus à condemnatione mulieris abſtinuit, & eam abſolutam dimiſit poſſumus ſcire, quòd ipſe poterat vtique condemnare, eam veluti etiam potuit illam abſoluere: & apud exigentes didrachma, poterat vtique ſemet exemptum, & immunem declarare; nam qui manifeſtauit hominibus ſe venturum in nubibus cœli, &

Matth. 26. Pilato dixit, Tu dicis quòd Rex ſum, ego in
Ioannis 18. hoc natus ſum, & ad hoc veni in hunc mundum, vt teſtimonium perhibeam veritati: quaſi diceret, non negauerim me eſſe regem, quia vt doceam, & regam natus ſum: poterat decenter ſemet exemptum iudicem, & regem per iudicij actus exercitos, vt verborum ſuorum veritas, apud homines effectibus comprobaretur oſtendere: verumtamen, quia dixerat regnum ſuum non eſſe de hoc mundo, declarabat iura ſuæ ditionis non eſſe more humano exercenda, videlicet per iudicium, quod exteriora hominis percunctatur, & illis dumtaxat inniti conſueuit, ſed per aliud certius, quod interiora ipſius ſcrutatur, & perpendit: idcirco coram accuſantibus adulteram digito ſcribebat in terra, ad ſignificandum, quod leges iudiciales ſcriptæ, propter homines terrenos adinuentæ ſunt, quæ non iuxta interiora, ſed plerumque iuxta caſualia extrinſecus homini occurrentia iudicandi modum hominibus ſuggerunt, multoties enim poterit homo mitis, & probus in aliquo opere legibus interdicto deprehendi, qui tamen peracta quantulacumque mora, ad actus rationis ſibi conſuetos, & permanentes reuertetur, & nihilominus ab huius mundi iudicibus cæteris quibuſcumque nequior habebitur, & viceuerſa continget interdum hominem malorum morum, & prauæ voluntatis ſibi taliter in extrinſecis; & apparentibus actionibus præcauere, vt cum ſit omnium ſceleſtiſſimus iudicio, quorumcumque ſanctiſſimus exiſtimari queat: propterea Chriſtus noluit iuxta leges hominibus ſcriptas iudicare; & principari eoque imperfectum iudicium noluerit exercere, nec voluit eas refellere; ſed potiùs aliorum exemplo ipſis ſubijci, cùm potiores iudicandi regulas homines nanciſci nequeant; propter quod tamen Vicarijs ſuis poteſtatem iudiciariam minimè dici poteſt ademiſſe, cùm & ipſi homines ſint, nec dedeceat eos iudicium humanum ſecundùm leges ſcriptas exercere, quòd tamen ipſum dedecuiſſet, exercuiſſe, eoque (prout dictum eſt) non niſi imperfectum poſſit exiſtimari; dice-

bat autem Petro, Vt non ſcandalizentur, ſoluamus didrachma, inſinuans nullum hominem ad euitationem offendiculi proximorum, regulas proprias ſibi cum alijs conuerſandi modum præfigere poſſe; idcirco ait, Marci 9.
filius venit non vt miniſtretur ei, ſed vt miniſtret: voluit enim potiùs hominibus ſubigi, quàm ipſos ſubigere, vt proprio exemplo probaret tutius eſſe parere, quàm iubere: proptereaque non illi, qui regitur, ſed illi, qui regit error (ſi contingat) imputandus eſt: adeoque qui leges, & iura nouit, legibus & iuribus, qui verò eas ignorat peritioribus ſe ſubijciatur: propter id autem, quod Chriſtus in hoc mundo, ſecundùm leges ſcriptas noluerit iudicare, neque ipſas refellere voluerit nullus de tali facto ipſius queri poteſt, eoque in alio mundo iura regni ſui exercens iudiciorum ſuorum omnium rectitudinem intellectibus quorumcumque aptam patefaciet. Ad obiectionem inſuper de Moyſe, qui viſus fuit Aaron etiam poſt ipſius electionem in ſummum Sacerdotem præfuiſſe dicimus, quod illa auctoritas opinioni noſtræ ſuffragatur, proptereaque Moyſes vices principis in Eccleſiaſticis, & temporalibus ſemper geſſit:
nam Seruator Summi Pontificis priſci cathe- Matth. 20.
dram non Aaron, ſed Moyſis cathedram appellauit: elegit autem Moyſes Aaron in ſummum Sacerdotem, & habitu (prout ipſi mandauerat Altiſſimus) ornauit; non tantùm propter miniſterij tanto populo præſtandi neceſſitatem, verùm magis, quia cùm ſolus legiſlator haberetur debuerat, & modum circa Summi Pontificis, qui tantùm referebat obſeruationem oſtendiſſe, & coram oculis totius gentis ſuæ, ipſam modis omnibus, prout ipſi Deus altiſſimus præceperat exercuiſſe,
ſeipſum autem Pontificem Summum licèt re- Exodi 18.
bus abſque extrinſecis cæremonijs ijſdem eſſet non declarauit, quia dedecebat occaſionem coram ſuggerere, qua quis in futurum ſe-
ipſum probare, & in ſummum Pontificem Numeri 16.
eligere poſſet: ſicut Choræ, qui prout ex ſcripturæ ſententia non ab re credi poteſt ſemetipſum eligere decernebat accidit, quamuis enim Moyſes talem electionem ſui ipſius non à ſeipſo, ſed à Deo eſſe demonſtrare potuiſſet, quamplures tamen Iudæorum duræ ceruicis non faciliter ipſius dictis etiam per ſigna manifeſta conſtantibus adhæſiſſent, ſed ſemper de nimia ipſius dominandi voluntate dubitaſſent: propterea mandato Altiſſimi elegit Aaron, vt ipſe Summi Pontificis coram omnibus normam in ſeipſo præſeferret, & populum de ritibus ſeruandis circa ipſius obſeruationem per ſucceſſiones temporum manſuram doceret: propterea ipſo mortuo, & die Moyſis nouiſſimo accelerante Eleazar vices ipſius ſubiuit, & vtrumque Principatum in Eccleſiaſticis, & ciuilibus geſſit: cùm Ioſue ad verbum ipſius egreſſurus, & ingreſſurus eſſet, & omnes filij Iſrael cùm eo, prout Moyſes propè moriturus Domino præcipiente
conſtituerat; nec mouere nos debet, quòd Numeri 27.
multi Principes nutibus Sacerdotum aliorum in rebus gerendis etiam acti ſunt, qui tamen his, quos conſulebant minimè ſubijciebantur, eo quòd ſummi Sacerdotis regimen ſemper pro magna parte in negotijs ſæcularibus peragendis veluti ſcripturarum exempla paſ-

ſim

sim ostendunt de necessitate requirebatur: quod autem Petri principatum, & maioritatem ob id, quòd ab Apostolis in Samariam missus fuerit auferri velint non mediocriter mirandum restat, eoque non ab illis imperantibus, sed illorum, & sui ipsius consilio accedente illuc cum Ioanne profectus sit: hac enim missiouis serie quotidie rerum publicarum potiores ab eis in legationem pro rebus arduis gerendis mitti videmus, nullo eorum, qui mittuntur maiori residente, veluti Phinees filius Eleazar, eum decem principibus missus fuit à filijs Israel ad tribus Ruben, & Gad, & ad mediam tribum Manasse, qui tamen de potioribus inter eos reputabatur, & Coritarum Dux fuisse legitur: propterea huiusmodi obiectio potiùs ridicula, quàm rationabilis censeri debet, cum insuper Gad nulla reuelationis facta mentione, dixerit Dauid, noli manere in præsidio, proficiscere, & vade in terram Iuda: & profectus est Dauid Gad, seipso minore ipsi consiliatiue, (vt ita dicamus) imperante, extra enim reuelationes Gad ipso minor esse dignoscebatur, cùm Dauid ante illud tempus dudum in Regem assumptus fuisset. Quod autem Paulus Apostolus Petrum arguerit, ex hoc nulla sequitur maioritatis ipsius detractio, primò quia Petrus ex intentione non errauerat, vnde verè non erat coram Deo reprehensibilis: secundò quia minor potest maiorem arguere nullo præiudicio maioritatis ipsius accedente; veluti Nathan Domino ei suggerente verè arguit Dauid de peccato, & tamen maioritatem ipsius, nec in minimo læsit, cum postmodum, etiam ipsum prout scriptura ostendit, adoraret, sic igitur nullam sacræ paginæ sententiam regimini temporali Summi Sacerdotis aduersari, imò potiùs crebras, ipsius authoritates palàm ipsi fauere compertum est: propter id autem, quòd Domini aduersantes argumentis omnibus contra Papæ sublimitatem inuehebantur explosis, pergunt insuper ipsum calumniari, eoque illum sponsum Ecclesiæ nostræ vocari audiunt: dicimus abusum nominis huius propter adulatores tantummodò? & non propter Papæ consensum inoleuisse: nam Papa scripturis receptis inhærens tales adulationes deuitat, quia cum sponsus sit mulieris caput, solus Christus, qui caput Ecclesiæ dignoscitur sponsus eius assertus est: idcircò Papa non sponsum, sed sponsi, & capitis Ecclesiæ Vicarium, & omnium membrorum eius ministrum, & seruum seruorum veriori vocabulo, prout tituli sui inscriptiones indicant se mauult appellari, licèt Papa Concilij, & totius Ecclesiæ in regimine clauis iurisdictionis caput, & Christianorum supremus iuxta Concilij Florentini, sub Eugenio Quarto decretum dici possit.

Iosue 22.

Paralip 9.

1. Reg. cap. 2

1. Reg. c. 16.

Ad Galat. 2.

2. Reg. c. 12.

3. Reg. cap. 1

Ad Ephes. 5

EXPOSITIO XVIII. & vltima.


Serenissimo Anglorum Regi pro Maiestatis contra Papam opinione respondetur.

Qvamuis D. Henricus Anglorum Rex vtrumque regimen, videlicet temporale, & Ecclesiasticum vni tantummodò personæ deferat, nihilominùs in opinione sua de Summo Sacerdote procul à nobis esse deprehenditur, cùm Regum quemlibet in regno suo Papam, & vtriusque iuris Principem Summum esse contēdat, propterea que priscos reges, prout supradiximus vtramque ditionem exercuisse perlegit, causam tamen, propter quam regibus illius temporis principes temporales, & Summos Sacerdotes nullius superioris ditione recognita, fuisse licebat (cum reuerentia Maiestatis ipsius dixerim) contemplari minimè videtur, eoque reges illius sublimitatis prisca tempestate vnius populi, linguæ vnius, & paris cultus, & numerum regno vni proprio parem non transcendentis, & tractus eiusdem absque diuersis nationibus intermixtis incolæ, concordis, politicis moribus vndecumque conformis reges essent, decebat enim tales reges populum vnum illiusmodi pro maiori eorum vnitate, & certiori ipsorum concordia, & regni sui duratione sub vnius singularis dominio, & diuinis, & humanis institutionibus exercere, vt vnico imperante in vtraque politia vitam magis quietam peragerent. Nam si quis inuestigauerit rationem, propter quam hodiernis temporibus Regum pluralitas inter Christianos adinuenta sit, illico occurret ei diuersitatem, & distantiam regionum, & idiomatum, & morum varietatem de necessitate diuersis regiminibus, & diuersis regibus propter commoditatem cohabitationis adinuicem seruandam indiguisse, vt vna quæque natio in terminis suis, sed rege proprio certa pace frui possit. Et si quis indagatus fuerit, quare plures Papæ, cum pluralitate Regum non possint adinueniri statim percunctanti occurrent, quod vnitas politiæ ecclesiasticæ vnum dumtaxat Principem exigit, si enim pluralitas morum, & idiomatum pluralitatem regum, prout experientia monuit expostulat, pluralitas etiam cultuum, & sectarum diuersitates, pluralitatem Pontificum Summorum requirit, quæ cum inter Christianos non reperiatur, nulla Pontificum Summorum pluralitas in ea numerari debet: propterea que vnus sufficit omnibus, qui in vno genere conuersationis, & legis coæquantur, vt per normam vnam, & eamdem, mediorum eorumdem reuelatorum omnes ab vno, citra querelarum, & omnimodi erroris occasionem dirigantur, cum enim lex diuina sit toti vniuerso eadem, in qua nulla nationum, idiomatum, & conditionis personarum distinctio perpenditur, num etiam, qui ritus vnitatem in toto orbe custodiat adesse oportet, cùm inter æquales, & nullo ordine dispositos ritum vnicum obseruari videatur impossibile. Experimur enim quid ex pluralitate

D Prin-

Principum, qui sub vnico Imperante querelas suas dirimi nolunt quotidie contingat, ex quo noscere possumus, quid maius insuper inter ipsos emergeret, si etiam omnes in regimine proprio ecclesiastico pares esse possent, nam sicuti bella ad rerum publicarũ omnifariam internectionem, inter eos geruntur, quia iugum vnius inter se primi perferre nolunt, ita etiam, & magis schismata in regimine eorum ecclesiastico consurgerent, si principarum vnius summi, qui lites ecclesiasticas inter eos suborientes cohibere, & dirimere posset, non admitterent. Nec etiam sententiam eorum, qui vtrumque principatum ecclesiasticum scilicet, & temporalem soli Imperatori committendum esse affirmant tutam fore credimus, propterea que licet non dedeceat, vtrumque regimen prout supradiximus in vno principante repeiri, nihilominus ditiones huiusmodi in populo christiano, latissimas regum supremo debêri suspectum, imò impossibile esse demonstramus, quoniam veluti nuper dictum est principes alij potentes, qui iugum ipsius politicum tota arte, & totis viribus plerumque contra rectum, & pium nituntur excutere, maiori interdum, & turpiori nixu ecclesiasticum, etiam sibi ipsis ab eo impositum disijcerent, & atterrerent, quod exemplo Chore faciliter omnibus persuaderi potest, qui Moysi temporaliter principanti, & insuper summi Sacerdotij, iura (prout ipsi videbatur) arbitrio suo ambienti, cum 250. Sinagogæ proceribus turpiter obstitit, & nisi vltio Dei superuenisset depositionem ipsius à iure, vtriusque ditionis moliebatur. Præterea cùm necessitas bellorum vrgentium præsentiam Imperatoris exigat tot regnis, & tot Christianorum populis diuersis, ipse vnus vtriusque ditionis ministerio nequaquam sufficeret, quamuis Moyses pro vtraque ditione manu Altissimi Dei pro eo pugnante, & populo omnibus modis vno existente tempore prisco suffecerit, veluti etiam tempestate nostra Romanus Pontifex pro tuendis iuribus augustæ ditionis suæ temporalis, bellis gerendis, & ministerio ecclesiastico summa cum diligentia præstando sufficere deprehenditur, huiusmodi enim diuersa regimina in persona plurium regnorum, & latæ ditionis, aduersitatibus quamplurimis, & innumeris defectibus semper forent obnoxia: idcircò vniuersaliter loquendo, nulli regum etiam in eorum ditione propria conueniunt: propterea que regem huiusmodi schismaticum, & à cœtu Christianorum aliorum separatum; vel summum omnium Christianorum Pontificem esse oporteat: quo titulo, rationibus, & authoritatibus solum Antistitem Romanum rebus titulo correspõdentibus appellari, & inscribi satis demonstratum est, nec refert, si malitia ipsius nimis obiecta perpendatur, eoque nisi intantum debaccharetur, vt ad hæresim, vsque assertam pertingeret, vel politiam ecclesiasticam demoliretur iurisdictioni suæ, nec in minimo potest obfuisse: quod si tale, quid informe contingeret, tunc non dedeceret obedientiam ipsi denegare, & intercipere, & cum reuerentia tantæ dignitatis, eousque legitimus alter institueretur immorari, ne ob vnius culpam veritas, & sublimitas tanti gradus, tanta lacessi posset iniuria, vt ob vnius crimen schisma infandum, & detestabile corpus insontis Ecclesiæ diuideret, & in partes varias abinuicem dissidentes disperget. Vos enim magni Reges in Summi Pontificis obseruationem, & reuerentiam, etiamsi peccator foret, Federici Imperatoris exemplum non parum mouere debet, qui Papam hostem sibi infensissimum, & Barbaris, & Saracenis in excidium ipsius fauentem, ita coluit, & veritus est, vt coram eo procidens pedem ipsius osculatus fuerit, cùm sibi conscius non hominem, sed gradus Petri formalitatem in eo perpendendam agnosceret: cuius actus memorabili tota laus Dominis Venetis debetur, qui semper visceribus ardentibus veritatem Christianam, ita complexati sunt, vt plerumque maximo ditionis, & rerum suarum discrimine propter eius amplificationem, & defensionem non mediocriter vexati fuerint: nam palàm omnibus est, quod ob diligentiam præstitam, ne classis Cæsarea in manus hostiles Turcarum laberetur Corcyræ immunitæ repentinam, & improuisam obsidionem Turcis in eos frendentibus, non paruo Reipublicæ suæ dispendio, & regnorum suorum periculo passi sunt: & qualiter Cæsari ex animo adhærentes, proprios filios, & diuitiarum aceruos, sub Turcarum tremenda potestate Christianæ fidei fauore neglexerint, nec eum potioribus, Christianis Regibus omnibus præuenti in vltimis angustijs obsidentue, Turcarum validam, & ipsis fidelem manum sese in eorum auxilium accingentem contra Christianos admittere noluerint, propterea que maluerant in manibus Altissimi Dei, & Christianorum periclitari, quàm per infidelium vires certissima salutis via ab excidio imminente liberari, qui tempestate nostra Christianæ Reipublicæ calamitatem, questi corde intimo dolore non desinunt, propterea que ob Principum Christianorum insidias exploratas, & expertas, infidelium ditiones à toto Mediterraneo Mari proprijs viribus in hunc finem superabundantibus in Christianitatis totius commodum summouere nequeant y quorum exempla in Summi Sacerdotis, & vniuersæ Religionis nostræ obseruantiam, & reuerentiam, Christianorum Principum mentes, cùm pietas, iudicium, & eorum sapientia tanti esse dignoscantur non mediocriter sollicitas reddere debent.

Num. 16.



CONSTANTINI CAIETANI

Casinensis Abbatis, Præsidentis Apostolici Collegij Gregoriani Domus S. Benedicti de Propaganda Fide, ac Sanctissimo Domino Nostro D. INNOCENTIO X. à Sacrarum literarum Monumentis.

DE SINGVLARI PRIMATV S. PETRI SOLIVS.

COMMENTARIVS M. S.

Ad Eumdem INNOCENTIVM P. M.

ITEM

De Romano eiusdem Sancti Petri Domicilio, & Pontificatu Concertatio.

Constantinus Caietanus Syracusis in Sicilia natus ex familia Caietana Romæ, & Neapoli Nobilissima, quam ipse in vita Gelasij Papæ à se edita mirificè extollit; Ingressus est Religionem Monasticam S. Benedicti in Congregatione Casinensi apud Monasterium S. Nicolai de Arena Vrbis Catanensis, professionem verò emisit anno 1586. die 29. Octobris. Philosophiæ, & Theologiæ operam dedit, & præcipuè Ecclesiasticis antiquitatis monumentis vbique eruendis totum se dedicauit. Itaque quamplurimas lucubrationes, & opera partim propria, partim aliena prælo dedit, partim manuscripta adhuc reliquit. Fuit autem Casinensis Congregationis Abbas, vt vocant Titularis, Paulo V. ob sacrarum rerum eruditionem valdè acceptus, sacris literarum monumentis, & in Vaticana Bibliotheca studio antiquitatis præpositus, vt refert inter alios Bernardus Clauellus in historia Arpinate libro 6. pag. 239. Quocirca ab aliquibus Auctoribus Historiographus Romani Pontificis appellatur. Mole autem pressus voluminum multa limæ subijcere non potuit, nec nonum promere in annum. Fuit autem Abbas, & Præsidens Collegij Gregoriani, quod erigi curauit trans Tyberim, vt patet ex eius epistola Encyclica de erectione Collegij Gregoriani, vbi S. Benedicti Religiosi Alumni aduersùs veritatis hostes prodire debebant in aciem, quarto propterea voto adstricti; quod tamen egregium opus perficere non potuit. Nec tantùm Paulo V. sed etiam Clementi Octauo fuit gratus, qui Romam specialiter accersiuit, vt impressioni operum S. Petri Damiani præesset, vt testis est Eminentissimus Cardinalis Baronius ad annum 1072. Vixit octoginta, & amplius annos, sub diuersis Pontificibus Paulo V. Clemente VIII. & Innocentio X. cui dedicat primum Manuscriptum modò imprimendum. Opera

ipsius partim sunt Manuscripta, partim in lucem edita, & partim sunt aliorum, partim propria. Manuscripta autem rapaces manus effugere non potuerunt quin aliò translata, vix ope, & auxilio Oratoris Hispani Romæ degentis partim recuperauerit, reliquis per multas Bibliothecas dispersis. Sunt autem opera eius edita huiusmodi. I. Operum B. Petri Damiani Tom. III. obseruationibus, ac notis illustrati. Primus continet epistolarum Lib. VII. Romæ 1606. II. Sermones de Sanctis, & Sanctorum Historias ibidem 1608. Tertius opuscula Theologica, & Moralia ibidem 1615. in folio, Paulo V. P. M. 2. B. Amalarij Fortunati Ordinis S. Benedicti Cardinalis, & Archiepiscopi Treuirensis vitam Scipioni Burghesio, Romæ Typis Iacobi Mascardi 1612. in 4. 3. Libros. 4. De imitatione Christi multis in locis ex veteribus Codicibus restitutos, auctos, & emendaros, quibus addidit concertationem, qua verus Auctor eorumdem librorum Ioannes Gersen Abbas Vercellensis vindicatur. Paulo V. Romæ 1616. Eamdem concertationem priori editione auctiorem edidit, cui accessit Apologetica Responsio pro hoc ipso librorum Auctore Ioanne Gersen aduersùs Heribertum Rosuiedum S. I. Presbyterum 1616. in 8. Libros duos pro Ioanne Diacono S.R.E. Cardinali de S.Gregorij Magni, eiusque discipulorum Monachatu Benedictino, Paridi Landronio Archiepiscopo Salsburgensi. Salsburgi 1620. in 4. VI. Sanctorum trium Episcoporum Religionis Benedictinæ luminum, Isidori Hispalensis, Ildephonsi Toletani, & Gregorij S. R. Ecclesiæ Cardinalis Episcopi Hostiensis vitas, & actiones Scholijs illustratas. Accesserunt opuscula quædam eiusdem S.Isidori nondum edita Philippo III. Hispaniarum Regi Romæ 1616. in 4. VII. Carmen in libros ligni vitæ, & eorum Auctoris Arnoldi Vioni commendationem Venetijs anno 1695. VIII. Animaduersiones in vitam Sancti Anselmi Episcopi Lucensis. Leguntur inter monumenta contra schismaticos à doctissimo P. Iacobo Gretsero Bellarmini Hyperaspiste S.I. publicata Ingolstadij 1613. in 4. & iterum impressa illustrant Bibliothecam nostram posita sub litera A. IX. S. Columbanum Abbatem Bobiensem, & Lucensem cum suis fuisse Ordinis S. Benedicti Assertionem, inter scholia in vitam S.Atagni à Martino Abbate Farfensi scripta Augustæ Vindelicorum 1627. in 8. X. De Erectione Collegij Gregoriani in vrbe Epistolam Encyclicam Romæ ex Typographia Cameræ Apostolicæ 1612. in 4. XI. Lingua Italica Giudicio sopra la vita del Rè Dauid scritta dal Sig. Ranuzio Pochi Segretario dell'Altezza di Parma Romæ 1631. Edenda autem ex multis sunt infrascripta. Operum S. Petri Damiani Tom. IV. & sunt Orationes, Carmina, & Rithmi. Vitam S.Benedicti. Acta S. Scholasticę Virginis, eiusdem Sororis. Acta S. Placidi Abbatis, & Martyris. Acta S. Gregorij Magni. Acta S. Petri Cœlestini. Acta S. Thomæ Aquinatis. De Sanctitate Luciferi Episcopi Calaritani libri duo Apologetici. In vitam Gelasij II. Papæ è familia Caietanorum à Pandulpho Pisano scriptam Commentaria. Vitam Bonifacij VIII. Papæ ex eadem familia cum Apologia pro eiusdem Bonifacij ingressu ad Pontificatum legitimo, prudenti regimine, & gloriosa morte. De nummis, & numismatibus in honorem B.M.V. excusis libri duo. De Veneratione Sanctorum libri duo. De Sacrosancta Basilica Vaticana. De Antiquitate Regulæ S. Augustini, & Canonicorum, quos vocant Regulares lib. I. De Præstantia Religionis Benedictinæ, seu de quatuor causis eiusdem Regulæ, Materiali, Formali, Finali, & Efficiente lib. 4. Opuscula quædam Ambrosij Authperti Magistri in humanioribus Caroli Magni, & Abbatis S. Vincentij de Vulturno propè Capuam Fluuio. Opuscula S. Bertharij Abbatis Montis Casini, & Martyris ex sanguine Regum Gallorum. Opera S.Bruni Episcopi Signini tom. 4. comprehensa, & scholijs, & argumentis illustrata. Variarum concertationum volumen CCC. De Vitis SS. Historias ad huc ineditas cum notis, & scholijs. Opuscula diuersa veterum Patrum Tom. III. Opuscula, & epistolas S. Columbani Abbatis Bobiensis cum notis, & argumentis. Sermones, & alia opuscula Ioannis Gersen Benedictini Abbatis S. Stephani Vercellarum cum Apologia pleniori, & auctiori illum fuisse legitimum Auctorem librorum de imitatione Christi. Opera Thomæ Gultherij Benedictini Abbatis S. Andreæ Vercellarum. De Caietana familia Commentaria ab anno Christi DCC. ad nostra tempora. Hæc sunt opera, quæ enumerat Leo Allatius in suis apibus Vrbanis. Sed innumera alia reliquit, quæ per varias Bibliothecas sunt dispersa; ad propositum nostrum duo inuenimus inedita. Primum de Primatu Principis Apostolorum in Ecclesia Dei, & D. N. Iesu Christi Euangelicis, atque Apostolicis demonstratio-

tionibus confirmato aduersùs perduelles Ecclesiæ Romanæ hostes hæreticos, & schismaticos à fide Catholica deuios Apostatas Commentarius. Alterum de Romano S. Petri Domicilio, & Primatu. In his autem antiquas, & modernas hæreses impugnat, de Petri Aduentu Romam ficto, & de gemino capite, Petro, & Paulo Ecclesiæ præsidente. Humanissimè autem hæc suppeditauit Illustrissimus D. Ioannes Ciampinus, V. Signaturæ Referendarius, Abbreuiator de Curia, Eruditorum omnium Mæcenas, Antiquitatis tum in scriptis, tum in marmoribus Conseruator, Latinis, Physicis, Mathematicis, Ecclesiasticis monumentis peritissimus, cuius domus pauperum refugium, menstrua Academia quotidianum Archigymnasium, quem satis est inter alios commendasse eruditissimum De Noris, & ei libros dedicasse. Meminere Constantini præclarissima Sapientum Capita, Cæsar Baronius vt supra, Card. Bellarminus de Scriptoribus Ecclesiasticis in Damiano, Arnoldus Vionus Belga in libris de ligno vitæ, Antonius Posseuinus in Apparatu Sacro, Clemens Raynerius Anglus in libro de Apostata Anglico Benedictino. Franciscus Biuarius Hispanus Commentarijs in Flauium Lucium Dextrum. Bartholomæus Gauantus in Rubricas Breuiarij. Franciscus Arantius in Manuali Simplicium, Iacobus Gretserus aduersùs replicatorem Caluinianum. Ioannes Salas in 1. 2. S. Thomæ. Andreas Salazar notis ad regulam S. Benedicti. Lucas Vvadingus notis in opuscula S. Francisci, & Annalibus, Christophorus Besoldus spicilegio politico, & iuridico. Maximilianus Sanderus Academicorum Commentariorum in Ieremiam. Octauius Caietanus Syracusanus in notis de Sanctis Siciliæ. Andreas Victorellus, & Ferdinandus Vghellus in additionibus ad Ciacconium. Abrahamus Bzouius compendio annalium Bzouij. Constantinus Bellotius colloquijs de instituto Gregorij Magni. Martinus Martinez Apologia de Patronatu Hispaniæ S. Æmiliani. Carolus Stanghelius, Lucida corona Religionis Benedictinæ, & Monasterologia, quam ipsi iuscripsit Laurus Orchestra. Dominus de Marigliac, & alij, qui cum passim vocant Archiuorum peruestigatorem diligentissimum, & de antiquitate Ecclesiastica benemeritum. Et de eo diffusè Leo Allatius, Puteanus, & alij, & fusiùs in Cathalogo PP. S. Benedicti Congregationis Casiuensis breui in lucem edendo.

CAPVT PRIMVM.

Comprobatur S. Petri Primatus.



Quisquis Cœlestis Sponsæ sagax edictum, quo Vulpeculas paruas intercipiendas imperauit, soporatis adhuc auribus prætetiuit: illuc oculos tandem experrectus aduertat, vbi doctissimos alioqui pios viros, iuriumque Christianæ vineæ propugnatores olim acerrimos, cum eiusdem demolitoribus deprehendet; intellecturus aliquando, inter Aprum de sylua, singularemque feram & vulpeculas, quàm nihil intersit, imò quàm maximo excedant istæ præiudicio, dum quæ oblectamento saltem futuræ sperarentur, fundi calamitas, nisi capiantur, euadunt. Quoniam si sacræ vineæ Vicario maledixisset Thracius inimicus, æquo animo sustinuisset vtique, qui enim non credit, iam iudicatus est; & si is, qui perperam credens odit eum, super eumdem magna locutus fuisset, absconditisset se forsitan ab eo: validissimo namque rationum clypeo cœlestem Petri auctoritatem detrectantibus iam repugnatum est: At verò homines vnanimes fide, duces ac notos, Religione pari, qui simul ex sacrarum Scripturarum pabulis dulces capiebant cibos, in Domo Dei ambulantes cum veterum Sanctorum Pontificum, Conciliorum, ac Patrum consensu, si nunc manifestè nocentes dissimularentur diutiùs, de vnitate Catholicæ vineæ, deque Dominici Gregis incolumitate actum esset omnino.

Sed non vnus eruditissimus (ego quidem minimus) Scriptor præstabit, fauente numine, vt non vacuam latrantibus caulam vos introisse putetis, quin deuotam hiantibus faucibus prædam siccis dentibus euomentes, confusi ad impia nouitatum lustra vestigia temeraria referatis. Et quoniam aufertis singularem B. Petri Primatum? Non eget, non cupit Paulus alieni iuris turbare ditionem, qui sacris charismatibus redundans, vel quæ sua essent, cuique despicienda suadebat, nedum vt sacro Petri Principatui præiudicaret; qui quidem quomodo in vita sese diligentes, nec ipsa morte separari voluerunt, nec certè in cœlis indiuiduæ charitate coniuncti, indignissimè ferunt suos per Alumnos impudentissimis simultatibus implicari. At verò, quem artes istæ iam lateant? Nequaquam vestrum interesset Paulinæ dignitatis amplificatio, quæ vestræ ambitioni aditum non reseraret. Enim verò hic nodus, ea vobis mens est. Aucto iam bellis Imperio, viribus, artibus, magnificentiaque decorato, deest modò spiritualis in animas auctoritas, vt singularis Romani anguli prærogatiua inclytam vestræ Patriæ gloriam non imminuat.

Ecquid vobis opus erat laboriosis itineribus

ribus Romam profectis Pontificias aures vtilius occupatas, iterum obtundere coudemnaris ineptijs, cùm, vel domi Doctores scitissimos haberetis ad istius nouitatis tenebras profligandas? Quando nihilominùs, spretis domestici luminis aureis candelabris, Romanis à lychnis, quos caligantes veriùs credebatis, lucem experiri maluistis, postulationi ducimus gratandum, ne si prouocantes responsione, quamquam superuacanea, fraudaremus: iusticiæ, vel iniuriæ nostrum tribueritis silentium, qui laboris compendio ad vestros vos celeberrimos, etsi non recentes, veritatis assertores, remittere poteramus.

Principio igitur attendamus, quàm diuerso à primæuis argumento Neoterici, nunc Ecclesiasticæ Monarchiæ euersores vtantur. Illi enim nihil antiquius ducebant, quàm vt punctum illud euincerent, Petrum vniuersalis Ecclesię Pastorem nequaquam Romę commoratum, nec proindè Romanam Ecclesiam fundasse, vel Pontificalia munera exercuisse: Vos verò, cùm facinus impudentissimum non audeatis, detestabilius tamen non veremini, communicata cum Paulo Petri Cathedra; dummodò enim Romanum Priuilegium, vtcumque abrogetis, siuè de initis absolutè ambigatur, siuè de certo iure minnatur, operę pretium ducitis ipsum Diuinæ institutionis abusum, qua solus Petrus audiuit: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersùs eam. Matth. 16.

Nos igitur, vt ancipitis gladij duplici huic obsisteremus offensæ, vtramque impietatem impugnare decreuimus, sed priori in præseuriarum superfedentes, alteri, qua iugulo renus impetimur, accursamus, priùsque aduersarios ex Venerabili Beda monemus, ne instam sedis capacitatem transcurrent, antequam de illius consortio iactationem instituant. Cur enim in Petri solium Paulum intrudere, quod veri Antistitis, iam pridem occupatur insessu? Cœterùm Regnum non capere duos, vel ipsa sanctæ Cathedræ dimensio (liceat leuibus leuiora diluere) adhùc vel cæcis argumento est. Vnis tantùm parent Clauibus cœlestium portarum inuiolabiles seræ; legitimas illas probè nouit Ecclesia, cui pro supremæ dilectionis mercede olim detulerit Summus futurorum Pontifex Christus Iesus: adhuc fidelium auribus insonat irreuocabilis Instrumenti Diuina promissio: Et tibi dabo: Et super hanc Petram. Si ergo tibi, non vtique illi; si dedit, nequaquam abstulit, qui sine pęnitentia dare consueuit; si super hanc, minimè super alteram; ac denique si super solidam Petram, profectò non super electionis vas, cui potiùs congruit inter ædificij selecta, diuerso vsui reponi, non verò in fundamenti firmitatem substari. Quo loco perpendant, quæso, Aduersarij profundum Diuini consilij mysterium, quam nempè varijs auspicijs contrarijs ministerijs Petrus, Paulusque deputati iam fuerint: Petro siquidem, ne fundamentum Ecclesiæ futurus, vllatenus labare posset, Christus ipse nouo cum Petræ nomine standi etiam contulit firmitatem, & alieno præcinctu arctè vinciendum prædixit, prærordinans Vaticano Vertice altè defosso Cruci figendum, pedibus (si quid ad stabilitatem conducit ponderosæ partis submissio) ad cęlum versis. Contra verò Paulo ad suum gloriosissimum nomen Genitus asportandum impigri ferè cursoris officium demandauit, ac ne pressus onere minùs expeditus cespitaret in studio, cursum consummaturum capite tandem voluit alleuari. Cùm maneat itaque Petrum Diuinæ institutionis indubia certitudo, ac imperturbata possessio, ostendant nunc Aduersarij, Christum Dominum etiam super Paulum suam Ecclesiam ædificasse, eique Pontificalia iura detulisse; nam in primis ex Euangelio probare debebant ęqualitatis istius assertionem. Queamadmodum enim, tùm, vt ne temerè fideles credidisse dicerentur, tùm vt inexcusabiles prorsus essent mortales; Diuinæ Petri exaltationi contradicturi; illam Christus ipse Auctor celebrauit totius primùm Apostolici Senatus præsentia, ac post resurrectionem senis quoque ex eodem Collegio testibus iterum stabiliuit: ijsdem etiam, imò potioribus de causis par erat, vt Pauli in Compontificem electio, post iacta iam Ecclesiasticæ Hierarchiæ fundamenta, manifestiore Apostolorum, quorum maximum intererat, vel aliorum Discipulorum comprobatione fulciretur, tamquam contrarium donationis Codicillum. Quòd quidem cùm Diuinus Pontifex Paulo præstare noluerit, solus extabit Petrus vniuersalis Ecclesiæ, fideique catholicæ incommutabilis Petra. Ipse est enim vnicus christianorum Character, ipse princeps norma fideliter credentium. Matth. 16. Io. cap. vlt.

Cęterùm cùm sanctus Paulus Petri Coapostolus omni tam humanarum, quàm Diuinarum virtutum genere fuerit imbutus, nec non scientia, & sapientia refertus, repletusque Spiritu sancto: Hinc à Summis Pontificibus, Concilijs, & Patribus, non tantùm ob eas virtutes, & dignitates, quas actu possidebat, acclamatus est: verùm etiam ob reliquas, quas habere poterat, etiamsi actu non possideret. Sic Prædicator vniuersalis, & Doctor Gentium appellatur in vniuerso Mundo, cùm tamen omnibus gentibus in vniuerso minimè prædicauerit. Saluo igitur Petri Primatu in Ecclesia singulari Christi gratia illi soli concesso, reliqua omnia laudum præconia, atque omnes particularium Ecclesiarum dignitates, & prærogatiuæ bono iure Paulo debentur. Iuxta quem sensum omnes omnium Summorum Pontificum, Concilio rum, & Patrum laudabiles de Paulo sententiæ, præsertim verò, quæ controuersiam hanc videntur implicare, facilè possunt conciliari per cordatum Doctorem.

Sed quis cordatos vos dixerit, dum quęstionem istam facti potiùs æstimatis, quàm iuris, & historicam magis, quàm propriè Theologicam? Non equidem ego, qui prorsus contrarium sentiens, indè maximè multiplicis erroris vestri confutationem scholasticè ordirer, ni præstantiori calamo viri, præsertim in Vrbe doctissimi Prouinciam hanc suscepissent. Interim liceat per me vobis periculum istud effugere, qui delectis à vobis armis vobiscū digladiari non recuso. Historicè mauultis? ea abstineamus Theologicis. De facto placet? concedo: facta perquiramus non iura. Et si qua prætereà ad veritatem adstruendam exorbitauero, dummodò concepti sermo-

sermonis indulgeatis abundantiæ, omni vos respondendi obligatione in eo prorsus exsoluo; Memineritis tamen, quod ex facto ius oritur.

Cùm aliquando post feriam sacri Euangelij lectionem in Petri personam animum propensiùs intendissem, quem supra ceteros Christi Apostolos, & Discipulos Diuinis virtutibus, muneribusque cumulatum animaduertebam, in curiosum desiderium incidi obseruandi, quænam demùm essent, quibus illum tantopere supra mortales vniuersos conspicuum fidelium admiratio commendaret. Nec diutiùs moratus, tùm ex sacris literis, tùm ex sanctis Patribus prærogatiuas singulares numero vnam supra triginta collegi, quas libenter hoc loco proponam, viam quasi straturus, imperitioribus quidem ad excitandam in virum deuotionem, & reuerentiam; eruditis verò ad circumspectiùs de Petro, præsertim in comparationibus, dijudicandum; si modò in christiano, ac pio subdito de Domino, ac de Diuino Iudice fas sit. Vt quemadmodum non dedecet suspicari ob eminentissimas illum, maximasque virtutes præ cæteris Apostolis Pontificalem dignitatem meruisse: sic versa vice ex eiusdem Petri meritis, gratijs, & honoribus singularibus, Pontificatus quoque dignitatem, & amplitudinem pariter singularem æstimare discamus. Prærogatiuæ autem hæ ferè sunt.

Ioann. 1. Matth. 16. Marc. 9. Prima; quòd solius Petri inter Apostolos Christus nomen immutauit, si cui nouum cognomentum superaddidit.

Matth. 10. & 17 Mar. 3. & 13. Luc. 6. & 22. Secunda, quòd primo semper, & vbique loco ponatur: Præterquam semel ad Galatas cap. 2. vbi, quia sanctus Iacobus Hierosolymæ, idest, loci eius, in quo tùm versabantur, Episcopus erat, Petro præponitur; quanquam secundùm Augustinum, Ambrosium, Hieronymum, & Chrysostomum in hunc locum, ne hic quidem.

Marc. c. vlt. Luc. 5. 9. & 10. Act. 1. & 6. Matth. 19. Ioan. 6. & 1. Cor. 9. Tertia, quòd sæpè tamquam quidam cæterorum Paterfamilias, Dux & Princeps cùm agendo, tùm loquendo describatur. Vndè: Dicite Discipulis eius, & Petro, Mar. cap. 16.

Quarta, quòd solus super aquas ambularit, Matth. 14. & postea solus ad Christum natando ierit, Ioan. vlt. Quorum vtrumque sanctus Bernardus (lib. 2. de Consid.) ad eius Primatus significationem, refert.

Quinta, quòd ei primò de altissimis sanctæ Trinitatis, ac Diuinitatis mysterijs reuelatum fuit, vt ex ea, quam Christus Dominus tantoperè ornauit, confessione liquet, Matthæi 16.

Sexta, quòd vnus Petrus ex ore Christi denuncietur Beatus. Nam cæteri quidem specialiter prærogatiuam istam retulerunt; ni dicamus, Beatitudines varias in concreto descriptas, cùm dixit: Beati pauperes spiritu: qui esuritis, qui fletis, qui audiunt Verbum Dei, qui non videntes crediderunt, &c. Petrum autem ex indiuiduo absolutè Beatum conclamare dignatus est.

Septima, quòd æternæ firmitatis cathedram acceperit, Matth. 26. Origenes in hunc locum. S. Augustinus contra Donat. Cùm Andreæ in Achaia, Iacobi Hierosolymis, Ioannis Ephesi, portarum inferni vi, & impetu iam, vel laborarint, vel penitus conciderint.

Octaua, quòd pro eo, vt pro se Didrachmam, Matth. 17. solui Christus Dominus iusserit. Siuè enim ad solos primogenitos (vt Chrysostomus in hunc locum) siuè ad singulos, huius portarij solutio pertinuerit, Petri dignitas intelligitur, cuius solius rationem Christus Dominus habuerit.

Nona, quòd in duobus illustribus piscationis miraculis, quorum prius, Luc. 5. hominum ad Ecclesiam, posterius, Ioan. 21. ad cœleste Regnum inductionem Augustino, Tract. 122. significare videtur.

Decima, quòd pro eo Dominus orarit, vt eius fides non deficeret, Luc. 22. in sequè conuersus fratres confirmaret.

Vndecima, quòd ab eo pedum lotionem, Ioan. 13. Christus Dominus inceperit, vt monet Augustinus in hunc locum. Licèt enim Chrysostomus, & Theophylactus, in hunc locum, Iudam priùs ablutum opinentur, id tamen ex eius importunitate factum docent: Cœteros enim Apostolos passuros nequaquam fuisse, vt ante suum Principem lauarentur.

Duodecima, quòd virorum omnium primò resurgens ei Dominus apparuerit, Marc. 16. Virorum, inquam, non hominum; quia Christus ante Petrum apparuit Virgini Beatissimę Matri suæ, iuxta illud, Lucę cap. 24. Quid quæritis viuentem cum mortuis? non est hic, sed surrexit.

Decimatertia, quòd ei soli Crucis mortem, qua simillimus ipsi foret, Dominus prædixerit. Ioan. 22. Certè Zebedæi filijs, qui Cruci, vt ipse, non erant destinati, ac præterea Discipulis in communi tantùm, nequaquam in specie, mortis genus Christus expressit, principibus inquiens: Calicem quidem meum bibetis; reliquis verò: Et morte afficient vos.

Decimaquarta, quòd Petrus præ cæteris Apostolis maioris in Christum amoris ab ipsomet tacito quamuis encomio, laudem, laureamque retulerit. Cum enim trina illa interrogatione non de amore simpliciter, de quo toties interrogatus iusta ferè de causa potuerat subirasci, sed de charitatis super alios Apostolos expressè sollicitaretur, & ipse constantissimè, non sine contristatione tertiò quoque annuisset: siquidem in eo ementitus fuisset, vel plus iusto de semetipso fidisset; ab ipsa protinus veritate Christo, vt in conuiuio quondam & sæpiùs, correptum vidissemus. A quo cum contra Pontificalibus Infulis ex eo muneratus abierit certo certius coniectandum relinquitur, Petrum charitatis eximiæ comprobatione, reliquis Apostolis fuisse prælatum ab Iesu; vt quemadmodum eiusdem Sponsi dilectus Ioannes antonomastice nuncupari prætenditur; sic contra, eiusdem Amasius non alius sit intelligendus, quàm Petrus. Hinc consequenter.

Decimaquinta Prærogatiua esto, quòd si de condigno vniuersalis Episcopatus titulus pro supremæ in Deum dilectionis præmio concedi videatur à Domino, Petrus procul dubio eiusdem Iesu Christi testimonio, atque sententia id sibi iuremerito vendicauit.

Decimasexta, quòd primus tamquam Princeps, vbi ab Ascensionis loco redijssent. Act. 2.

Act. 2. Apostolorum Senatum vocat, & ad quempiam Iudæ sufficiendum Comitia indicat.

Decimaseptima, quòd omnium primus post Ascensionem, & Spiritus sancti missionem ad populum concionari cœperit. Act. 2.

Decimaoctaua, quòd primus eodem tempore miraculum fecerit, dum claudum erexit. Act. 3.

Decimanona, quòd cæteris Apostolis miracula manu facientibus anteponatur, tum quia sola voce, tum quia vmbra sola ipse mira effecerit. Act. 5.

Vigesima, quòd tamquam Dux in exercitu Christianos vniuersos lustrauerit. Act. 9. Chrysostomus in hunc locum.

Vigesimaprima, quòd omnium primus Gentibus Christianam doctrinam, & Sacramenta communicauit, Act. 10. Philippus enim natione quidem Gentilem Eunuchum, sed Religione Proselytum Iudæum ante baptizauit. Act. 8. Paulum verò, licèt textus Latinus Act. 9. Hierosolymæ Gentibus locutum asserat; non tamen Græcus. Et si locutus esset, dicere liceret, eum illorum tantùm aduersùs Christi fidem tela retudisse, non eorum conuersioni studuisse.

Vigesimasecunda, quòd cùm arctè, & diligenter, quasi Christianorum Caput, ab Herode custodiebatur, propterea ipsius ab vniuersa Ecclesia liberatio precibus sine intermissione fusis deposceretur. Act. 10. Petrum, ait Chrysostomus in hunc locum, omnes quærebant.

Vigesimatertia, quòd in Concilio Hierosolymitano prior locutus sit, & controuersiam propositam dijudicarit. Act. 15. Hieronym. epist. ad August. Theod. epist. ad S. Leon.

Vigesimaquarta, quòd ad eum videndum, & ipsius calculo suam doctrinam probandam S. Paulus profectus sit, non quidem quasi eo Doctore ipse Paulus indigeret, qui Spiritu sancto Magistro certissimo vtebatur, sed vt suæ doctrinæ apud alios, quos instituere vellet, auctoritatis plus conciliaret, cùm eam eius, quem summi Doctoris loco haberent, approbatione laudatam viderent; vti rectè & prima & secunda defensione contra Sadaelem inculcat Turrianus. S. Paulus ad Galat. Hieron. in eamdem epist. & Chrysost. hom. 78. in Ioannem.

Hucusque S. Petri Prærogatiuas ex sacris literis ostendimus; testimonio autem SS. Patrum assertæ sunt septem, quas infra subiungimus, videlicet:

Vigesimaquinta, quòd solus Christi Domini manibus baptizatus sit, vt Euodio eiusdem S. Petri discipulo in epistola quadam placet, cuius Euthymius in cap. 3. Iob, & Nicephorus lib. 2. Hist. c. 3. meminerunt.

Vigesimasexta, quòd solus ab eodem Christo in Episcopum ordinatus videtur, vt Ioannes Turrecremata copiosè probat, lib. 2. Sum. de Eccles. c. 32. 33. & 34.

Vigesimaseptima, quòd primus Hæreticorum Patriarcham Simonem Magum, ipse Ecclesiæ Catholicæ Patriarcha detexerit, arguerit, damnauerit, extinxerit, vt manifestissimè patet, quidquid delirat Caluinus id negando, testimonijs tum antiquorum Patrum, tum Doctorum recentiorum.

Vigesimaoctaua, quòd cùm in omnes Orbis partes Apostoli missi essent, ipse Petrus, Orbis Caput Romam petierit Christi Domini iussione.

Vigesimanona, quod eidem Petro ante mortem Dominus apparuerit, dixeritque: Vado Romam iterum crucifigi, vt Egesippus lib. 3. cap. 2. Ambrosius orat. contra Auxent. alijque scripserunt.

Trigesima, quòd ipsius Cathedræ Festum agatur, quo, vt Breuiarium Romanum, & Martyrologium habent, diuini propter Pontificatum beneficij memoria repetatur.

Trigesimaprima, quòd solæ tres illius Sedes antiquitùs Patriarchales fuerint, Romana, Alexandrina in Ægypto, & Antiochena, quarum primam ipse Petrus per se, secundam per suum discipulum Marcum Euangelistam, tertiam per discipulum Euodium tenuit: quòd cùm Neoterici quidam aduertere uollent, aut nescirent, mirum non est, si de Patriarchalium Sedium numero, & ordine tam anxiè vacillarint. His præsuppositis cohiberi non possum, quin altiùs controuersæ historiæ istius exordiar fundamenta, quo Petri Primatus, Paulique subiectio clariùs elucescant.

Petrus itaque Apostolorum Princeps à Christo Domino creatus, creatus quoque fuit Vniuersalis Ecclesiæ Pastor, atque Animarum Episcopus: Doctorem etiam, atque diuinum eiusdem Ecclesiæ Magistrum à Spiritu sancto edoctum, Iudæis primùm, mox Gentibus Euangelium prædicasse, in promptu itidem est, vt ostendamus. Quod enim ad Iudæos spectat, Lucas Euangelista pluribus explicat in illo suo opere Actuum Apostolorum. Gentibus verò reseratum fuisse primò Euangelij ostium per eumdem Petrum, nemini debet esse dubium. Petrus namque monitu diuino primus omnium Cornelium Romanum Centurionem Gentilem hominem baptizans, cæteris Gentibus aditum ad Ecclesiam fecit. Notabilis est locus ille Actuum Apostolorum, quo ostenditur Petrum Paulo antiquiorem fuisse Gentium Prædicatorem: ait enim Lucas: Cùm autem magna conquisitio fieret Gentium inter Apostolos, surgens Petrus dixit ad eos: Viri fratres, vos scitis, quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit per os meum, audire Gentes verbum Euangelij, & credere. Et qui nouit corda Deus, testimonium perhibuit dans illis Spiritum sanctum, sicut & nobis: & nihil discreuit inter uos & illos, fide purificans corda eorum, &c.]

Præter hæc, annus tertius à Pauli conuersione numerabatur annus Christi trigesimus nonus, quo ille Damasco Hierosolymam venit, vt videas munus prædicationis expleuisse Paulum annis tribus à sua Conuersione, post quos venit Hierosolymam videre Petrum. Eius verò aduentus, scribens ad Galatas hisce verbis meminit: Deinde post annos tres veni Hierosolymam, videre Petrum, & mansi apud eum diebus quindecim.] Cùm verò, inquit Lucas, venisset in Hierusalem, tentabat se coniungere discipulis, & omnes timebant eum, non credentes, quod esset discipulus: Barnabas autem apprehensum illum duxit

duxit ad Apostolos, & narrauit illis: quomodo in via vidisset Dominum, & quia locutus est ei: & quomodo in Damasco fiducialiter egerit in nomine eius.] Timot quippe ille cæterorum discipulorum planè significat, tum primùm post suam conuersionem Paulum Hierosolymam concessisse. Deinde post annos tres, inquit Paulus, veni Hierosolymam videre Petrum, & mansi apud eum diebus quindecim.] Non vt oculos, ait S. Hieronymus, genas, vultumque eius aspiceret, vtrùm macilentus, an pinguis, adunco naso esset, an recto; & vtrùm frontem vestiret coma; an, vt Clemens in periodis eius refert, caluitiē haberet in capite. Nec puto Apostolicæ fuisse grauitatis, vt post tantam triennij præparationem, aliquid humanum in Petro voluerit aspicere. Sed his oculis aspexit, quibus & modò in epistolis suis videtur. His oculis Paulus vidit Cephan, quibus nunc à prudentibus quibusque Paulus ipse conspicitur. Quod si cui non videtur, cum superiori sensu iungat hæc omnia: quod nihil Apostoli sibi contulerint. Nam & quod iussus sit ire Hierosolymam, ad hoc ifie vt videret Petrum, non discendi studio, qui & ipse eumdem prædicationis haberet Auctorem, sed honoris priori Apostolo deferendi.] Hucusque sanctus Hieronymus. Ad hæc S. Ambrosius: Dignum, inquit, fuit, vt cuperet videre Petrum: quia primus erat inter Apostolos, cui delegauerat Saluator curam Ecclesiarum.] Rursum Chrysostomus: Ascendit, ait, velut ad Maiorem, & Seniorem.] Et paulò post: Vides quàm maiorem beneuolentiam habuit erga Petrum? Huius enim causa peregrinationem susceperat, & apud eumdem commoratus est. Hæc & dico frequenter, & memoria retineri volo: vt si quæ audieritis, quæ ab eo aduersùs Petrum dicta videbantur; ne quis suspectum habeat Paulum Apostolum: veluti cùm dicit: Restiti Petro. Neque hæc verba putet esse simulatis, aut contentionis: nam honorat Virum, & diligit plus omnibus, nec ob vllum aliorum Apostolorum narrat se ascendisse Hierosolymam, sed propter hunc solum.] Hæc ipse.

Hieron. in epist. ad Galat. 1.

Ambros. in epist. ad Galat.

Chrysost.

Porrò non id actum tantùm, vt dictum est, beneuolentiæ causa, qua erga cæteros quoque Apostolos æquè affectus erat; sed honoris, cum sciret Petrum à Christo omnibus esse præfectum. Theodoretus quoque sic ait: Etenim cùm Paulus humana doctrina non indigeret, vt qui ab vniuersorum Deo illam accepisset tamen Apostolorum Principi honorem, quem par est, tribuit.] Item Oecumenius: per tot, tantaque certamina, abijt, vt videret Petrum tamquam maiorem, aut etiam maneret causa honoris, quem Petro deferebat.] Hæc Oecumenius.

Theodor. in epist. ad Galat. 1.

Oecum. in epist. ad Galat. 1.

Illa etiam videtur Paulus fuisse impulsus causa veniendi Hierosolymam videre Petrum vt cùm aggressus esset prædicare Euangelium, illud cum Petro conferret: sicut cum prædicaturus Euangelium Gentibus iterum Hierosolymā venit, vt illud à cæteris probaretur Apostolis: quod ipse profitetur his verbis: Deinde post annos quatuordecim iterum ascendi Hierosolymam cum Barnaba, assumpto & Tito. Ascendi autem secundùm reuelationem: & contuli cum illis Euangelium, quod prædico in Gentibus seorsum autem iis, qui videbantur aliquid esse: ne fortè in vacuum currerem, aut cucurrissem.] Ita Paulus.

Galat. 2.

Hoc eodem anno qualis esset Ecclesiæ status, Petro eam gubernante, Lucas his verbis significat: Ecclesia quidem per totam Iudæam, & Galilæam, & Samariam habebat pacem, & ædificabatur, ambulans in timore Domini, & consolatione Sancti Spiritus replebatur. Tam optata igitur, & tam opportuna à Deo præstita Ecclesiæ suæ tranquillitate, Petrus optimè vsus est: quippe qui Hierosolymis egressus, Regiones, circumpositas peragendas, quod sui muneris erat vniuerso gregi prospicere, Ecclesias visitabat. Id quidem Lucas paucis his tantùm verbis significat, subdens: Factum est autem, vt Petrus dum pertransisset vniuersos, deueniret ad Sanctos, qui habitant Lyddæ &c.] Intentus enim ipse Lucas, vt apparet, miracula insigniora à Petro edita memoriæ commendare, cæteras eius res gestas hac lustratione Prouinciæ obuolutas silentio prætermisit, & inter alia institutionem Ecclesiæ Antiochenæ, quam hoc ipso anno Christi trigesimo nono ab eo fuisse erectam Maiorum testificatione facilè demonstrabimus. Permulta enim, præter hæc alia quoque grauissima fuisse à Luca prætermissa, S. Hieronymus manifestè satis testatur his verbis: Nec mirum esse, si Lucas hanc rem tacuerit, cùm, & alia multa, quæ Paulus sustinuisse se replicat, Historiographi licentia prætermiserit: & non esse contrarium, si quod aliud ob causam dignum putauit relatu, aliud inter cætera dereliquit. Denique primum Episcopum Antiochenæ Ecclesiæ Petrum fuisse accepimus, & Romam exinde translatum quod Lucas penitus omisit.] Hæc Hieronymus: & Chrysostomus: Lucas Historiographus multa succidit, & tempore congessit.]

Act. 9.

Act. 9.

Hieron. ad Galat. c. 2.

Chrysost. hom. in Act.

Cæterum, quod spectat ad Ecclesiam Antiochenam hoc anno à Petro institutam, & septem annis ab eodem administratam, non aliunde certiùs, quàm ab eiusdem Ecclesiæ antiquioribus monumentis Eusebius Cæsareæ Episcopus, & Sedi Antiochenæ proximus accepisse videtur, cum ait Olympiade ducentesima tertia anno quarto, antequam Tiberius moreretur, Petrum Antiochenam fundasse Ecclesiam ibique Cathedram adeptum fuisse. Sunt hæc eius verba sub hoc anno: Petrus Apostolus Antiochenam Ecclesiam fundauit, ibique Cathedram adeptus sedit.] Hæc habet editio Parisiensis à Michaele Gonnio elaborata, & Basileenses diuersis temporibus editæ. Verùm quod additur numerus, quo sedit, annorum vigintiquinque in Eusebij Chronicon mendum irrepsisse certum est, cum constet eiusdem Eusebij testimonio, nonnisi septem annis eam curasse Ecclesiam: nam inferiùs anno secundo Claudij Imp. de eodem Petro sic ait: Cum primùm Antiochenam fundasset Ecclesiam, Romam proficiscitur.] Ibi verè ponitur numerus annorum viginti quinque, quibus Romæ eum sedisse ostendit. Porrò quamuis Romam eo anno peruenisset, tamen non nisi sequenti, qui est tertius Claudij, Ecclesiæ Antiochenæ subrogatum ponit Euodium: vsque enim ad illud tempus Petrum illam ad-

Eusebius in Chron.

ministrasse Ecclesiam, nulli dubium esse potest. Caeterum de septem annis Sedis Antiochenae non tantùm Eusebius, sed & Liber Pontificalis qui nomine Damasi Papae circumfertur, & Gregorius Papa, atque alij testati sunt; vt cùm hic ad Eulogium Episcopum Alexandrinum scribens, haec habet de Sede Antiochena: Ipse firmauit Sedem, in qua septem annis, quamuis discessurus, sedit.] Liber Pontif. in Petro Greg. Reg. lib. 6. ep. 37.

Act. 11. Antiochiae igitur dum sederet Petrus, venit Paulus cum Barnaba continuè per annum euangelizantes. Vnde Lucas de eodem Barnaba: Profectus est autem Barnabas Tarsum, vt quaereret Saulum, quem cum inuenisset, perduxit Antiochiam. Et annum totum conuersati sunt ibi in Ecclesia: & docuerunt turbam multam, ita vt cognominarentur primùm Antiochiae Discipuli, Christiani.] Quibus verbis motus S. Athanasius aiebat: Omnes, qui credebant in Domino nostro Iesu Christo, non Christiani, sed Discipuli tantùm vocabantur. Et quia multi nouorum dogmatum auctores extiterant, doctrinae obuiantes Apostolicae, omnes sectatores suos discipulos nominabant, nec vlla erat nominis discretio inter veros, falsosque discipulos. Tunc Apostoli conuenientes Antiochiae, sicut horum Acta, narrante Luca, testantur, omnes discipulos vno nomine id est, Christiano, appellarunt, discernentes à communi discipulorũ vocabulo; vt diuini per Isaiam oraculi sermo compleretur, quo ait, Seruientibus mihi vocabitur nomen nouum.] Haec Athanasius. Isai. 65.

Audisti lector, Paulum, vt reliquos Christi Discipulos Antiochiae euangelizantem, dum Petrus Cathedram regeret Antiochenã? Quinimmo tunc temporis, hoc anno Christi 44., & Claudij Imp. primo cùm fames dominaretur in Orbe ab eodem Petro Episcopo Antiocheno pauperum cura demandata est etiam Paulo: ait enim Lucas: In his autem diebus superuenerunt ab Hierosolymis Prophetae Antiochiam, surgens vnus ex eis, nomine Agapus, significabat per spiritum famem magnam futuram in vniuerso Orbe terrarum. quae facta est sub Claudio. Discipuli autem, prout quisque habebat proposuerunt singuli in ministerium mittere habitantibus in Iudaea fratribus: quod, & fecerunt, mittentes ad Seniores per manus Barnabae, & Sauli.] Hinc etiam Hieronymus: Sancti pauperes, quorum praecipuè cura Paulo, & Barnabae ab Apostolis mandatur: hi sunt, qui ex Iudaeis credentes pretia possessionum suarum ad pedes Apostolorum deferebant, agentibus largienda.] Post haec subdit etiam Lucas: Barnabas autem, & Saulus reuersi sunt ab Hierosolymis, expleto ministerio, assumpto Ioanne, qui cognominatus est Marcus.] Act. 11.

Act. 12.

Haud sanè dubium, reuersi sunt Antiochiam ad Petrum. Sequitur enim Lucas: Erant autem in Ecclesia, quae erant Antiochiae, Prophetae, & Doctores, in quibus Barnabas, & Simon, qui vocabatur Niger, & Lucius Cyrenensis, & Manahen, qui erat Herodis Tetrarchę collactaneus, & Saulus. Ministrantibus autem illis Domino, & ieiunantibus dixit illis Spiritus sanctus: Segregate mihi Saulũ, & Barnabam, in opus, ad quos assumpsi eos, tunc ieiunantes, & orantes, imponẽtesq; eis manus, dimiserunt illos. Et ipsi quidem missi à Spiritu sancto, abierunt Seleuciam, & inde nauigauerunt Cyprum, &c.] Quibus Lucae verbis, vt Sanctorum Patrum sententia est, Sacros ritus habemus, quibus in ordinatione ad Episcopatum tum Pauli, & Barnabae, tum caeterorum Apostolorum, Apostolicorumque virorum vsa est tunc Ecclesia, cùm Sacrificium in primis, atque ieiunium praecessisse demonstrat. Nam quod habet Latina versio, vt etiam obseruauit Eminentissimus Card. Baronius, Ministrantibus illis, Graecè, vt scripsit Lucas, legitur *liteyrgoyton*, id est Sacrificantibus:] Ex Apostolica, inquit Leo Magnus, nouimus venire doctrina, vt Sacrae ordinationes praemisso ieiunio consecrentur.] Et Os aureum illud: Vides, quanta res sit ieiunium; quando ordinatio erat, tunc ieiunant.] Ita illi. Act. c. 13. Card. Baro. Annal to. 1. An Ch. 44. num. 83. Leo I. epist. 81. cap. 1. Chrys. hom. 27. in Act.

Creatus est igitur Paulus vnà cum alijs à Luca praenotaris Episcopus, non ab alio, quàm à Petro Apostolorum Principe, Ciuitatis eius Antiochenae tunc, inquam, Antiochiae praeter Petrum, vt praesertim colligitur ex Card. Baronio tom. 1. Annal., alij non aderant Apostoli; Paulum verò fuisse Episcopum, ex eius epistolis patenter apparet, & inter alios S. Ambrosius asserit, dum illa eiusdem Pauli verba declarat: Quosdam quidem posuit in Ecclesia primùm Apostolos, hoc est, Episcopos.] sensu identidem Petrus in electione Matthiae ad Apostolatum, appellat Iudam Iscariotem Apostolum etiam Episcopum: Et Episcopatum eius accipiat alter.] Quamobrem idem quoque Paulus de seipso: Positus sum ego Praedicator, & Apostolus; veritatem dico, non mentior, Doctor Gentium. Et quamdiu sum Gentium Apostolus ministerium meum honorifico.] Haec ille. Ambros. 1. Cor. 12. Psalm. 108. 1. Tim. 2. Rom. 11.

Itaque Paulus Damasci à Christo Vas electionis electus est, & Praedicator, vt portaret nomen eius coram Gentibus, & Regibus, & filijs Israel: Praedicator, inquam, confirmatus Hierosolymis à Petro eiusdem Christi Vicario tandémque ab eodem itidem Petro Episcopus creatus, & consecratus: Episcopus inquam, Ecclesiarum Titularis, tantum abest, vt ille fuerit par Petro in Episcopatu, & Auctoritate.

Et quidem dum Paulus praedicando peragraret Orbem, propagaret, & Fidem Christianam, Petrus relicta Antiochia, & mox creato Enodio eius discipulo, eiusdem Ecclesiae Episcopo, venit Romam, Romanam fundaturus Ecclesiam. Quamobrem Eusebius Episcopus Caesariensis de eadem re sic contestatum reliquit: [In ipsis Claudij temporibus, clementia Diuinę prouidentię promptissimum omnium Apostolorum, & maximum fidei magnificentia, & virtutis merito Primorum Principem Petrum ad Vrbem Romam, veluti aduersùm humani generis communem perniciem repugnaturum, deducit, Ducem quemdam, & Magistrum militiae suae, scientem diuina praelia gerere, & virtutum castra ducere. Iste adueniens ex Orientis partibus, vt cęlestis quidam negotiator, mercimonium diuini luminis, is, qui sit comparare paratus, aduexit: & salutaris praedicationis Verbo, primus in Vrbe Roma, Euangelij sui clauibus ianuam Regni coelestis aperuit.] Euseb. hist. lib. 2. c. 14.

mit.) Hæc Eusebius. Et Magnus Leo Papa, vt quàm plurimos alios tum Patres, tum Doctores præteream, eamdem sententiam sic confirmabat: Cùm duodecim Apostoli accepta per Spiritum sanctum omnium locutione linguarum, imbuendum Euangelio mundum distributis sibi terrarum partibus, suscepissent, Beatissimus Petrus Princeps Apostolici Ordinis ad Arcem Romani destinatur Imperij: vt lux veritatis, quæ in omnium gentium reuelabatur salutem, efficaciùs se ab ipso capite per totum Mundi corpus effunderet. Cuius autem nationis homines in hac Vrbe non essent, aut quæ vsquam gentes ignorarent, quod Roma didicisset? Hic conculcandæ Philosophiæ opiniones, hic dissoluendæ erat terrenæ sapientiæ vanitates, hic confutandi dæmonum cultus: hic omnium sacrilegiorum impietas destruenda, vbi diligentissima superstitione habebatur collectum, quidquid vsquam fuerat vanis erroribus institutum.) Hucusque Magnus Leo Maximus Pontifex.

S. Leo Ser. 1. in Natali Apost.

Quod verò ad certum tempus Petri aduentus Romam, secundus fuit annus Claudij Imperatoris, & Christi Domini quadragesimo quarto, sed anno sequenti, decimo quinto kalendas Februarij à Petro Apostolorum Principe Romana instituitur Ecclesia, ac Sedes in ea erigitur Pontificia: ea quippe dies in tantæ rei perennem memoriam anniuersaria celebritate consueuit antiquitùs celebrari: qui quidem pristinus vsus non in Vrbe tantùm, sed & vniuerso Christiano Orbe in annos singulos repetitus, licèt interdum alicubi prætermissus, sed restitutus à Paulo PP. IV. Diplomate suo, in hodiernum vsque diem sanctissimè perseuerat.

Cæterùm ipsa prima Pontificia Petri Sedes, Cathedra inquam lignea, dignum planè tantæ rei, eximiumque monumentum, quàm plurimis semper miraculis illustrata, à Maioribus asseruata, in eiusdem S. Petri Basilica Vaticana recondita hactenus religiosè custoditur, & certis diebus populo visenda exponitur: quæ primùm trans Tyberim in Synagoga Iudæorum, honoris gratia, concessa fuit eidem Petro Romam venienti, & Regnum Dei prædicanti, eodemmet in loco, vbi nunc Deo inspirante nos auctoritate Apostolica fabricamus Apostolicum Collegium Gregorianum Casinense de Propaganda Fide. Cæterùm mansit Romę Petrus, rexitque tunc Cathedram suam Apostolicam annis septem, vt aliàs latè probauimus, quibus expletis Claudius Imperator expulit illum Vrbe, cæterosque secum ferè omnes Iudæos, atque credentes, Romæ interim ab eodem ordinatis, qui reliquum fidelium gregem dirigerent, atque augerent in Euangelica Christi prædicatione.

Quod iterum ad Paulum spectat; anno Christi quadragesimo quarto illi relicta Antiochia, Græciam venit, ac reliquum Orientem, aliasque Occidentis partes profectus est, prædicaturus Christi Euangelium: in quibus autem, vel ciuitatibus, vel locis fuerit: quibusue Gentibus: seu Nationibus prædicauerit, & ab ipsius Epistolis, & à Luca Euangelista in Actibus Apostolorum satis superque cognoscetur. Nihilominus idem Paulus de seipso: (Habeo, inquit, gloriam à Christo Iesu ad Deum: non enim audeo aliquid loqui eorum, quæ per me non efficit Christus, in obedientiam gentibus verbo, & factis in virtute signorum, & prodigiorum; ita vt ab Ierusalem per circuitum vsque ad Illyricum repleuerim Euangelium Christi.) Et os aureum illud de eodem Paulo: Terram & Mare, Græciam simul, & Barbariem, omnemque Regionem, quasi volitans, circuiuit, fugans errores, veritatem reducens, ex hominibus Angelos faciens: quinimmò ipsos homines quasi ex dæmonibus in Angelos prouehens.)

Rom. 15.

Chrysost. hom. 1. de laud. Pauli.

Quid tandem? Petro adhuc Orbem peragrante, fidemque Christianam per Euangelium propagante, exactis Paulus in prædicatione annis quindecim, post eam discessionem Antiochenam, catenis vinctus Romam venit anno Christi quinquagesimo nono. Causa verò huius aduentus Pauli Romam, ne quispiam de Romano ipsius Pontificatu aliquid suspicetur, hæc extitit: Cum enim Paulus Gentiles Iudæis præponere videretur, Iudæis tumultuantibus, à Festo Iudeæ Præside vinctus Romam perducitur ad Neronem Imperatorem, quem in sui defensionem appellauerat. Hoc ipsum Christus Dominus eidem antea prædixerat: (Sequenti autem nocte assistens ei Dominus, ait: Constans esto: Sicut enim testificatus es de me in Ierusalem, sic te oportet, & Romæ testificari.)

Act. 23.

Sic igitur, ait doctissimus Card. Baronius, Romæ positus Paulus, quod ante, vt ipse ad Romanos scribens testatus erat, diù multùmque exoptauerat Romam venire, ac Euangelium prædicare: factus iam voti compos, licèt in vinculis positus, licèt hospitis conducti spatio circumscriptus, licet adhuc militari custodia tentus, Christi Euangelium magna animi fiducia, & alacritate prædicauit, atque, quod pollicitus erat, in abundantia benedictionis annunciauit.) Hæc Card. Baronius. Verba verò Pauli ad Romanos hæc sunt: Nolo autem vos ignorare Fratres, quia sæpe proposui venire ad vos, & prohibitus sum vsque adhuc, vt aliquem fructum habeam, & in vobis, sicut & in cæteris Gentibus: Græcis, ac Barbaris, sapientibus & insipientibus debitor sum: ita, quod in me promptum est & vobis, qui Romæ estis, euangelizare.) Hactenus ille.

Card. Bar. Annal. tom. 1. sub ann. Christ. 59.

Rom. 1.

Quod autem ad annum sequentem spectat, quid Romæ videlicet egerit Paulus, idem Eminentissimus Card. Baronius ex eiusdem Apostoli Epistolis ostendit: Ait enim: Anno Christi sexagesimo, Nerone Imp. Tertium, & Valerio Messala Coss. Paulus Apostolus secundum agens annum in vinculis, plures ad diuersos scripsit epistolas: quibus omnibus, sicut suum, ita & Timothei, quem literis accersitum, ante hyemem anno præterito diximus venisse Romam, nomen inscripsit. Censetur earum illa prima, quæ data legitur ad Philippenses, ea nimirum occasione conscripta, quod illi Pauli studiosissimi, mox cum audissent illum Romæ vinculis detineri, Epaphroditum ipsorum Apostolum, sic enim eum Paulus appellat, Romam miserunt, qui non tantùm illum inuiseret, sed & munera accepta perferret. Huic quidem Ro-

Card. Bar. vbi supra ann. Christ. 60.

Philip 2.

mæ agenti, morboque ad mortem vſque laborantí, cum tandem conualuiſſet, has ad Philippenſes dedit literas.

Id enim Paulus iiſdem ſignificat, quibus etiam ſuum ad eos pollicetur aduentum, ſic dicens: Confido autem in Domino, quoniam & ipſe venlam ad vos citò. Neceſſarium autem exiſtimaui Epaphroditum fratrem, & cooperatorem, & commilitonem meum, veſtrum autem Apoſtolum, & miniſtrum neceſſitatis meæ, mittere ad vos.] Hucuſque Card. Baronius. Qui deinceps his plura excerpſit, ſcripſitque ex alijs eiuſdem Pauli epiſtolis, quibus apertè docemur, Paulum Romæ nequaquam Epiſcopi munus, ſed Euangelizantis ſolummodo officium peregiſſe.

Philip. 4.

Philip. 2.

Accedit etiam illud aliud, quod concludens idem Card. Baronius totum illud temporis ſpatium, quo Paulus, abſente Petro, deguerat, anno ſequenti ſuorum Annalium ſubdit: Hoc, qui ordine ſequitur, anno Domini ſexageſimo primo, aſcribuntur Faſtis Coſs. C. Viſpanius, & Fonteius Capito: Quo Paulus biennio in vinculis iam exacto, liber abire ſinitur. Reliquæ autem res geſtæ Pauli vſque ad Martyrium remanſerunt prorſus obſcuræ.] Hactenus Card. Baronius, &, vt ſolet, perquam diligentiſſimè. Et nos etiam de Romana Pauli ſtatione, ac prædicatione iam ſatis.

Qua ratione igitur congruit veritati, Paulum catenis vinctum Romę annis duobus, & abſente Petro, ſolum vtcumque euangelizantem, ſediſſe nihilominus, vt ſatis aſſeueranter affirmat Scriptor nouiſſimus, in eadem cum Petro Cathedra, & in eodem Throno, atque in eiuſdem Sedis Primatu gaudentem? Multò enim veriùs aſſeuerare potuiſſet cum Eccleſia Catholica: Glorioſi Principes terræ, quomodo in vita ſua dilexeruut ſe, ita & in morte non ſunt ſeparati.

Denique ſingularem Petri Primatum in Eccleſia Dei, vt ſupra etiam innuebamus, demonſtrant præcipuè claues à Chriſto Ieſu ſibi ſoli traditæ: Tibi dabo, ait Diuinitas, Claues Regni Cęlorum, ad ſignificandum videlicet hoc clauium ſymbolo ſupremam Petri Eccleſia poteſtatem, & ius eius ligandi, ſoluendique. Quamobrem & Petrus duplicato, vel triplicato eo clauium numero depingi ſolet. Vnde Theodorus ſtudita Scriptor Græcus, & fidei confeſſione clarus, in epiſtola ad Paſchalem Papam I. de Eccleſia Romana loquens: Primaria Sedes, ait, in qua Chriſtus Dominus poſuit Claues fidei.] Hæc ſtudita. Quinimò Romani quique Pontifices ipſius Petri ſucceſſores eaſdem claues argento conflatas populo venerandas proponere conſueuerant, vt idem Theodorus Studita teſtis eſt in Oratione dogmatica de Honore, atque adoratione ſanctarum Imaginum: Audio Romæ, inquit, claues etiam Principis Apoſtolorum Petri in honore, & pretio haberi, cum tamen ei Dominus non ex materia confectas claues dederit, ſed eas, quæ ratione, orationeque ligant, & ſoluunt. Ipſi verò ex argento conflatas proponunt adorandas. Tanta eſt ipſorum fides. Atque illic quidem eſt firma, & infracta fidei petra verbo Domini fundata.] Hæc Catholicus Scriptor Græcus.

Quod ſanè ſacroſanctum, atque irrefragabile argumentum à clauibus cæleſtibus deductum luce clarius oſtendit, ſolum Petrum, & nequaquam Paulo iunctum, Eccleſiæ Caput, Paſtorem præſediſſe in vna Sede, in vno Throno, atque in vna Cathedra.

Mirabile quoque argumentum aliud huic accedit in Eccleſia, quam Cathedram Petri Principis Apoſtolorum vnà conſtituit vnicam: quando vnus Petrus in vna Cathedra Antiochiæ, & Romæ ſedit. Quamobrem S. Petri Cathedra, ſicut re, ita etiam nomine nuncupatur: Vnde à primis eiuſdem Eccleſiæ temporibus Feſtum celebratur Cathedræ S. Petri, tum Antiochenæ, tum Romanę. Eiuſdem verò Petri Cathedræ multi meminere Patres, & Doctores, Eccleſiarum Martyrologia & vetera earumdem Monumenta.

Aſſertæ huic noſtræ veritati maiorem auget vim illud, quod primis ſex, aut ſeptem Eccleſiæ ſæculis Romani Pontifices tanquàm Petri Apoſtoli ſucceſſores Pontificatus ſui poſſeſſionem adepturi, in eadem ſedentes Cathedra ſuſcipiebant. Quamobrem, Sedes poſtea Apoſtolica inde vocitata eſt, vt ex vetuſtiſſimis Eccleſiæ Romanæ monumentis refert Onuphrius Panuinius in rebus antiquis memorabilibus Eccleſiæ Vaticanæ Sancti Petri, atque etiam in libris antiquis Ritualibus ab eodem in priſtinum nitorem reſtitutis. Auctorem habeo Ioannem Pinadellum Taruiſium, qui in libro à ſe inſcripto (Inuicti Numeri Quinarij Series) Sixto PP. V. dicato, de Ioanne Papa V. loquens ita inquit: Ioannes verò inter cętera ſua inſtituta, voluit etiam Romanum Pontificem, ab Oſtienſi, Portuenſi, & Veliterno Epiſcopis conſecrari: qui quidem mos nunc etiam perdurat, cum antea nouus Pontifex ſolùm ad Cathedram S. Petri deduceretur, cui inſidens, poſſeſſionem acciperet.] Hæc Pinadellus. Ioannes, inquam, PP. V. Conſtitutum id fecerat de conſecrando Summo Pontifice.

Satis itaque ſuperque in ſuperioribus demonſtrauimus ſingularem Petri Primatum in Eccleſia Dei, in qua Paulus eodem inferior magnus Gentium Prædicator extitit. Præfata nihilominus, fortaſſe alia non minora, quæ de ipſius Petri Primatu conſiderationem meam ſubterfugerunt, tanti ſemper apud Sanctiſſimos Patres, ac Venerabiles Eccleſiæ Doctores fuerunt, vt in eiuſdem meritorum, & prærogatiuarum, ſuæque Primariæ dignitatis, tum abſolutè, tum reſpectiuè ad Paulum Coapoſtolum æſtimationem, deuotis ingenijs habenas relaxantes, hæc, quæ ſubrexam, vel præconia, vel teſtimonia, ſiue ſententias ingenuè protulerint, atque infra merita protuliſſe etiam doluerint. Quæ quidem potiùs attendenda ſunt, tum quia ſæpiùs inculcata, ac diuerſimodè ad intelligentiam inſinuata: tum etiam ob perſpicuitatem, qualis maximè deſideratur in ijs, quæ à nouiſſimo Anonymo, atque alijs promuntur, vel ambiguis, æquiuociſque, vel artificiosè mutilis, vel violenter in nouum à communi ſenſu detortis: tum denique ob vniuerſalem omnium conſenſum, atque iudicium, quod apud ſanæ mentis homines, etiam Ethnicos, Hæreticoſque nedum Catholicos, qui Orthodoxæ fidei colla ſubiecerunt quanti momenti ſit,

ri fit, Augustinum Magnum Ecclesiæ Doctorem audiant, temeritatemque pertæsi, erubescentiam addiscant: Multa sunt, inquit ille, quæ in Ecclesiæ Catholicæ gremio me iustissimè teneant: tenet consensio populorum, atque Gentium: tenet auctoritas miraculis inchoata, vetustate firmata: tenet ab ipsa Sede Petri Apostoli, cui pascendas oues suas post Resurrectionem suam Dominus commendauit, vsque ad præsentem Episcopum successio Sacerdotum: tenet postremò ipsum Catholicæ Ecclesiæ Nomen. Hęc S. Augustinus. Nunc verò Sanctorum Patrum expendantur iudicia.

CAPVT II.

S. Petrum Apostolum Ecclesiæ vniuersæ Principem vnicum, & Pastorem ab ipso Christo Saluatore constitutum esse (præter sacrum eiusdem Christi Domini Euangelium) asserunt Pontifices Maximi, Concilia, Patres, & Doctores, & ab eo met nascentis Ecclesiæ exordio ad hæc nostra tempora.

I. SAnctus Clemens Romanus SS. Apostolorum Petri, & Pauli discipulus, post S. Linum, & Cletum, Sancti Petri Apostoli in Pontificatu Romano successor, Epist. 1. ad Iacobum: Simon Petrus veræ fidei merito, & integræ prædicationis obtentu fundamentum Ecclesiæ esse definitus est. Qua de causa etiam Domini ore, & cognominatus est Petrus; qui fuit primitiæ electionis Domini, Apostolorum primus, cui & primo Deus Pater Filium reuelauit, cui & competenter beatitudinem contulit; qui & vocatus est, & electus est, & conuiua Domini, & comes effectus, tamquam bonus, & probatissimus discipulus, qui obscuriorem mundi plagam Occidentis, velut omnium potentior, illuminare præceptus est, quique, & integrè potuit implere præceptum. Annis Christi 80.

II. S. Dionysius Areopagita, Libro de Diuinis nominibus cap. 3. Aderat Petrus, supremum decus, & antiquissimum Theologorum columen. Ann. Christi 100.

Idem de SS. Petro, & Paulo: Pax tecum, Pastor Christi, inquit Paulus, & fundamentum Ecclesiæ: & Petrus ad eum: Vade in pace Prædicator, bonorum Mediator, & Dux salutis Iustorum.) Hoc Dionysij testimoniū citatur à S. Ant. Archiep. Flor. Chron. p. 1. tit. 6. c. 4. §. 3. à Sigismundo Laurenti in Vita S. Pauli, & alijs: Sed & Card. Baronius cap. 1. Annal. ad A. C. 69. Ad hoc ipsum alludit, & dum ait: Paulus cum à Petro, mutua prius salutatione impertita, more Christiano in osculo sancto, in hunc modum diuisus esset, ad præscriptum supplicij locum rectà perducitur.

III. S. Theophylus Antiochenus Episcopus, lib. 2. Allegoriarum in Euangelium secundum Marcum: Socrus Petri Synagoga est, filiaque eius Ecclesia, quam Petrus regendam accepit. Ann. Christi 170.

IV. Septimius Florentius Tertullianus, de Præscriptionibus hæreticorum cap. 22. Latuit aliquid Petrum ædificandæ Ecclesiæ petram dictum, claues Regni cœlorum consecutum, & soluendi, & alligandi in cœlis, & in terris potestatem. Ann. Christi 200.

V. S. Hyppolitus Episcopus Portuensis, oratione de consummatione mundi: Princeps Petrus fidei petra, quem beatum iudicauit Christus Deus noster, ille Doctor Ecclesiæ, ille primus discipulorum, qui regni claues habuit, docuit me, dicens &c. Ann. Christi 220.

VI. Origenes Adamantius Homil. 5. in Exodum: Vide magno in Ecclesiæ fundamento, & petræ solidissimæ, super quam Christus fundauit Ecclesiam, quid dicatur à Domino: Modicæ fidei, inquit, quare dubitasti? Ann. Christi 230.

Idem ad Psalm. 1. Petrus, super quem Christi Ecclesia, contra quam inferorum portæ non præualebunt, ædificata est.

Idem homil. 17. in Lucam: Ergo scandalizati sunt vniuersi, intantùm, vt Petrus quoque Apostolorum Princeps tertiò denegarit.

Idem ad cap. 6. ad Romanos: Et Petro cùm summa rerum de pascendis ouibus traderetur, & super ipsum, vel vt super terram, fundaretur Ecclesia, nullius confessio virtutis alterius ab eo, nisi charitas, exigitur.

VII. S. Cyprianus Episcopus, & Martyr, Epistola 40. Deus vnus est, & Christus vnus, & vna Ecclesia, & Cathedra vna super Petrum Domini voce fundata. Aliud altare constitui, aut Sacerdotium nouum fieri, præter vnum altare, & vnum Sacerdotium, non potest. Ann. Christi 250.

Idem Epist. 55. Petrus tamen, super quem ædificata à Domino fuerat Ecclesia, vnus pro omnibus loquens, & Ecclesiæ voce respondens, ait: Domine, ad quem ibimus.

Idem Epist. 69. Conuersus Dominus ad duodecim dixit: Nunquid, & vos vultis abire? Respondet ei Petrus dicens: Domine ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes, & nos credimus, & cognouimus, quoniam tu es filius Dei viui. Loquitur illic Petrus, super quem ædificata fuerat Ecclesia.

Idem Epist. 70. Vna est Ecclesia, à Christo Domino super Petrum origine vnitatis, & ratione fundata.

Idem Epist. 71. ad Quintum fratrem: Nam nec Petrus, quem primum Dominus elegit, & super quem ædificauit Ecclesiam suam, cùm secum Paulus de circumcisione postmodum disceptaret, vindicauit sibi aliquid insolenter.

Idem Epist. 73. ad Iubaianum: Petro primùm Dominus, super quem ædificauit Ecclesiam, & vndè vnitatis originem instituit, & ostendit, potestatem istam dedit, vt id solueretur in cœlis, quod ille soluisset in terris.

Idem, de vnitate Ecclesiæ catholicæ: Loquitur Dominus ad Petrum: Ego tibi dico, inquit, quia tu es Petrus, & super illam petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferorum non vincent eam: Et tibi dabo claues Regni cœlorum, & quæ ligaueris super terram, erunt ligata, & in cœlis &c. Et iterum eidem post resurrectionem suam dicit: Pasce oues meas. Super illum vnum ædificat Ecclesiam suam, & illi pascendas mandat oues suas. Et quamuis Apostolis omnibus post resur-

resurrectionem suam parem potestatem tribuat, & dicat: Sicut misit me Pater, & ego mitto vos: accipire Spiritum sanctum, si cui remiseritis peccata, remittentur illi: si tenueritis, tenebuntur: tamen, vt vnitatem manifestaret, vnam Cathedram constituit, & vnitatis eiusdem originem ab vno incipientem, sua auctoritate disposuit. Hoc erant vtique, & cœteri Apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio præditi, & honoris, & potestatis, sed exordium ab vnitate proficiscitur. Primatus Petro datur, vt vna Christi Ecclesia; & Cathedra vna monstretur. Et Pastores sunt omnes, sed grex vnus ostenditur, qui ab Apostolis omnibus vnanimi consensione pascatur.

Idem, exhortatione ad Martyrium, cap. 11. Cùm septem liberis planè copulatur, & mater, origo & radix, quæ Ecclesias septem postmodum peperit, ipsa prima, & vna super Petrum Domini voce fundata.

VIII. Eusebius Alexandrinus, Homilia de Resurrectione, explanans illud: Dicite discipulis eius, & Petro: Veni, inquit, ne timeas, nihil tibi de gloria Apostolici chori minui, non te à dignitate remoui, non feci te secundum infra alterum, non dedi alteri claues, ne timeas, quòd promisi impleo, super tuam fidem, quæ sit petra, ædificabo Ecclesiam meam: *epi ti petromeni soy pistei oicodomiso tin eclision moy*. Ann. Christi 260.

IX. S. Zeno Episcopus Veronensis, & Martyr, Sermon. de Circumsione: Non sine ratione Simoni, super quem ædificauit Ecclesiam Christus, Petrus nomen imposuit. Anu. Christi 260.

X. S. Petrus Alexandrinus Episcopus, & Martyr, Sermon. de pœnitentia: Petrus quoque Apostolorum Princeps in mentem reuocetur, qui iam in custodiam erat reiectus. Ann. Christi 280.

XI. S. Marcellus I. Papa, & Martyr, Epistola 1. Ipse est caput totius Ecclesiæ; cui ait Dominus: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Ann. Christi 304.

XII. S. Melchiades Papa, Epist. ad Episcopos Campaniæ. Licèt cunctorum Apostolorum par esset electio: Beato tamen Petro concessum est; vt alijs præemineret. Ann. Christi 310.

XIII. B. Constantinus Magnus Imp. in donatione: Sanctus Petrus est Dei in terra Vicarius. Ann. Christi 320.

XIV. Eusebius Episcopus Cæsariensis, Eccles. hist. lib. 2. cap. 13. Nam è vestigio sub ipso Claudij Imperio, benigna, & propitia Dei, totius huius vniuersitatis rectoris, erga humanum genus prouidentia fortem, ac præpotentem, & reliquorum Apostolorum omnium propter virtutis amplitudinem facilè principem Petrum Romam versùs, ad eiusmodi pestiferam vitæ humanæ corruptelam delendam, quasi manu deduxit. Ann. Christi 320.

Idem cap. 14. Cùm Petrus Apostolus, Diuina Spiritus sancti reuelatione suggerente, intelligeret Euangelium Marci editum esse, ferunt eum propenso, & acri illorum hominum studio magnoperè fuisse delectatum, hancque scripturam auctoritate sua ratam fecisse, quæ in Ecclesijs passim prælegeretur.

Idem in Chronicis: Petrus Romanorum Pontifex primus, cùm primùm Antiochiæ Ecclesiam fundasset, Romam proficiscitur.

XV. Concilium Generale Nicænum, Patrum 318. Can. 39. Arabico: Ille qui tenet Sedem Romæ, caput est, & princeps omnium Patriarcharum: quandoquidem ipse est primus, sicut Petrus, cui data est potestas in omnes Principes Christianos, & omnes populos eorum, vt qui sit Vicarius Christi Domini nostri super cunctos populos, & vniuersam Ecclesiam christianam, & quicumque contradixerit, à Synodo excommunicatur. Ann. Christi 325.

XVI. S. Iulius I. Papa, Epist. 1. ad Episcopos Orientales: Sicut in vno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent: ita multi vnum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra. Connexio totius corporis vnam sanitatem, vnam pulchritudinem facit: & hæc quidem connexio totius operis vnanimitatem requirit, sed præcipuè exigit concordiam Sacerdotum: quibus etsi dignitas communis non est, tamen ordo generalis est. Quoniam, & inter beatissimos Apostolos in similitudine honoris fuit quædam discretio potestatis: & cùm omnium par esset electio, vni tamen datum est, vt cæteris præemineret. De qua forma orta est Episcoporum quædam distinctio, & magna ordinatione prouisum, ne omnia sibi omnes vendicarent. Ann. Christi 340.

XVII. S. Athanasius Episcopus Alexandrinus, Epist. ad Felicem: Tu es Petrus, sicut veraciter dicit Diuinum eloquium, & super fundamentum tuum Ecclesiæ columnæ sunt confirmatæ. Ann. Christi 340.

XVIII. S. Hilarius Episcopus Pictauiensis, ad Psalm. 131. Cùm Iesus quædam de passione sua locutus ad discipulos fuisset, & Petrus tamquam indignum hoc Dei Filio detestatus esset: Petrum, cui superiùs claues Regni cœlorum dederat, super quem Ecclesiam ædificaturus erat, aduersùs quam portæ inferi nihil valerent, qui quæ in terris, vel soluisset, vel ligasset, ea in cœlis, vel soluta persisterent, vel ligata. Hunc itaque tali conuicio detestantem hoc Sacramentum passionis excepit: Vade post me Satana, scandalum mihi es. Tanta enim ei religio fuit pro humani generis salute patiendi, vt Petrum primum Filij Dei confessorem, Ecclesiæ fundamentum, cœlestis regni ianitorem, & in terreno iudicio iudicem cœli, Satanæ conuicio nuncuparet. Ann. Christi 350.

Idem in Matthæum Canone 16. Petrus respódit. Tu es Christus Filius Dei viui, &c. Et dignum planè confessio Petri præmium consecuta est, quia Dei Filium in homine vidisset. Beatus hic est, qui vltra humanum modum oculos intendisse, & vidisse laudatus est: non id quod ex carne, & sanguine erat contnens, sed Dei Filium cœlestis Patris reuelatione conspiciens, dignusque iudicatus, qui quod in Christo Dei esset primus agnosceret. O in nuncupatione noui nominis felix Ecclesiæ fundamentum, dignaque ædificatione illius petra, quæ infernas leges, & Tartari portas, & omnia mortis claustra dissolueret. O beatus cœli ianitor, cuius arbitrio claues æterni

aditus

aditus traduntur, cuius terrestre iudicium praeiudicata auctoritas sit in coelo: vt quae in terris, aut ligata sint, aut soluta, statuti eiusdem conditionem obtineant, & in coelo.

XIX. Dorotheus Tyrius, in Synopsi: Petrus Apostolorum Coryphaeus tandem Romae praedicauit: Linus post Petrum Coryphaeum Apostolorum Romae fuit Episcopus. Ann. Christi 350.

XX. S. Basilius Magnus, & Episcopus Caesariensis in Cappadocia, ad cap. 2. Isaiae: Vnus ex his montibus fuit Petrus, quem Petram appellauit propter firmitatem maximam fidei, propter infractum robur animi, ad non cedendum inflictis plagis tentationum, super quam petram promisit aedificare Ecclesiam suam. Ann. 370.

Idem in prohemio de iudicio Dei: B. Petrus, qui & caeteris antelatus fuit discipulis, cuique magnificentiùs, quàm reliquis omnibus datum testimonium est, magisque, quàm reliqui omnes Beatus appellatur, cui claues Regni caelestis commissae.

Idem, Oratione 3. de peccato: Admi. nister talis, ac tantae sententiae est Beatus Petrus, qui omnibus alijs discipulis antepositus fuit, & qui testimonium maius, & qui beatitudinem longè ampliorem caeteris omnibus adeptus erat, cui denique claues Regni coelorum erant concreditae, &c.

Idem lib. 2. contra Eunomium: Statim ex hac voce Petra, intelligimus Petrum Ionae filium, qui fuit ex Bethsaida, Andreae fratrem, qui ex piscatore ad Apostolatus ministerium vocatus est: qui quoniam fide praestabat, Ecclesiae commissam sibi aedificationem suscepit.

Idem, in prohemio praeceptionum latiùs disputatarum: Ad haec scitum fuerit, si illud Principis Apostolorum recordemur, meminerimusque; quia post tot praeclarè sibi acta, & beatitudinis à Christo sibi delatam gloriam, vnius dumtaxat errati gratia audiuit: Nisi lauero te, non habebis partem meam.

XXI. S. Cyrillus Episcopus Hierosolymitanus S. R. E. Doctor, Catechesi 2. Nemo desperet de sua salute. Petrus princeps Apostolorum excellentissimus, coram ancilla ter negauit Dominum: sed ad se rediens fleuit amarè. Fletus enim veram ex corde poenitentiam designat. Atque ideò non solùm negationis illius accepit condonationem, verùm etiam dignitatem Apostolicam non ablatam retinuit. Ann. Christi 370.

Idem, Catech. 11. Omnibus Apostolis reticentibus (supra vires enim haec erat doctrina) Petrus princeps Apostolorum, & supremus Ecclesiae Praeco, nô comminiscens sibi, neque ratione humana persuasus, sed à Patre Deo in mente illuminatus, dicit ad ipsum: Tu es Christus Filius Dei viui.

Idem, Catech. 17. In eadem Spiritus sancti virtute, & Princeps Apostolorum, & regni caelorum clauiger Petrus Liddę in Christi nomine paralyticum Aeneam curauit.

XXII. S. Ephrem Syrus, Diaconus Edessenus, in Panoplia, siue armatura spirituali: Ea fretus Princeps Apostolici ordinis Petrus, cùm Filium Dei viui Christum Iesum confessus esset, claues Regni cęlestis accepit, potestatemque cęlestium, ac terrestrium omnium obtinuit. Ann. Christi 370.

Idem, de varijs tormentis inferni: Clamat Petrus, vertex, ac caput, de die illa dicens: Dies Domini sicut fur de nocte, ita veniet.

Idem, Sermon. de Transfiguratione Domini: Sicut Moyses societatis illius, & coniunctionis Hebręorum iussis Dei Princeps fuit: ita Petrus Ecclesiae Christianorum. Atque, vt ille veteris, sic hic noui Testamenti Princeps.

XXIII. S. Ambrosius Episcopus Mediolanensis, Ecclesiae Romanae Doctor, serm. 11. de mirabilibus: Hanc solam Ecclesiae nauem ascendit Dominus, in qua Petrus Magister est constitutus, dicente Domino: Super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam: quae nauis in altum saeculi istius ita natat, vt pereunte mundo omnes, quos suscepit, seruet illaesos. Cuius figuram iam in veteri videmus testamento. Sicut enim Noe arca naufragante mundo cunctos, quos susceperat incolumes seruauit: ita & Petri Ecclesia, conflagrante saeculo, omnes, quos amplectitur, repraesentabit illaesos. Et sicut tunc transacto diluuio, ad arcam Noe columba signum pacis detulit: ita & transacto iudicio ad Ecclesiam Petri Christus gaudium pacis referet, quia ipse columba, vel pax est. Anno Christi 370.

Idem serm. 47. Petrus fidelior factus est postquam fidem se perdidisse defleuit, atque ideo maiorem gratiam reperit, quàm amisit. Tamquam bonus enim pastor tuendum gregem accepit, vt qui sibi ante infirmus fuerat, fieret omnibus firmamentum: & qui ipse interrogationis tentatione nutauerat, caeteros fidei stabilitate fundaret. Denique pro soliditate deuotionis Ecclesiarum petra dicitur, sicut ait Dominus: Tu es Petrus, & super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam. Petra dicitur, eò quod primus in nationibus fidei fundamenta posuerit, & tanquam saxum immobile totius operis Christiani compagem, molemque sustineat.

Idem serm. 68. Primum signum mirabilium suorum Petrus fecit, claudo pedum restituendo vestigia. Diximus frequenter ipsum Petrum à Domino nuncupatum, sicut ait: Tu es Petrus, & super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam. Si ergo Petrus petra est, super quam aedificatur Ecclesia, rectè priùs pedes sanat: vt sicut in Ecclesia fidei fundamentum continet, ita & in homine membrorum fundamenta confirmet.

Item ad cap. 24. Lucae. Vnde & contristatur Petrus, quia tertiò interrogatur: Amas me? Is enim interrogatur, de quo dubitatur: sed Dominus non dubitat, qui interrogabat, non vt disceret, sed vt doceret, quem eleuandus in coelum sui amoris nobis velut Vicarium relinquebat. Sic enim habes: Simon Ioannis diligis me? vtique tu scis Domine, quia amo te. Dicit ei Iesus: Pasce agnos meos. Bene conscius sui, non ad tempus assumptum, sed iam dudum Deo cognitum Petrus testificatur affectum. Quis est alius, qui de se hoc profiteri possit? Et ideò, quia solus profitetur ex omnibus, omnibus antefertur.

Idem ad cap. 1. ad Galatas: Dignum fuit, vt cuperet videre Petrum, quia primus

erat inter Apostolos, cui delegauerat Saluator curam Ecclesiarum:non vtique vt aliquid ab eo disceret, qui iam ab auctore didicerat à quo & ipse Petrus fuerat instructus: sed propter affectum Apostolatus, & vt sciret Petrus, hanc ipsi datam licentiam, quam & ipse acceperat.

Idem ad cap. 2. Petrum Paulus solum nominat, & sibi comparat: quia primatum ipse acceperat ad fundandam Ecclesiam, &c. Soli Petro gratia Primatus inter Apostolos est concessa.

Idem ad cap.12. posterioris ad Corinth. Prior secutus est Andreas Saluatorem quàm Petrus: & tamen Primatum non accepit Andreas, sed Petrus.

In hymno qui incipit: Æterne rerum conditor;

Hoc (scilicet gallo) nauta vires colligit,
Pontique mitescunt freta,
Hoc ipso petra Ecclesiæ
Canendo culpam diluit,

XXIV. S. Gregorius Episcopus Nazianzenus, Doctor, Oratione 7. seu Apologetico patrem Gregorium, cùm Episcopus Sasimorum creatus est: Occurrunt hinc antiquus ille Iudex Manne, hinc deinde Petrus Ecclesiæ columen: quorum alter cùm præstantiorem, quàm natura ipsius viresque ferrent, visionem sensisset. Perijmus, inquit, mulier, Deum vidimus: Alter Saluatoris præsentiam, vimque illam, & facultatem, cuius specimen illis, qui simul nauigabant, in piscatione præbuerat, ferre non poterat.

Idem orat. 26. quæ est de moderatione in disputationibus seruanda: Vides quemadmodum ex Christi discipulis, magnis vtique omnibus, & excelsis, atque electione dignis, hic scilicet Petrus petra vocetur, atque Ecclesiæ fundamenta in fidem suam accipiat, Ioannes ille impensiùs ametur, & supra pectus Iesu requiescat, ac reliqui discipuli sibi eum præferri æquo animo ferant. Ann.Christi 380.

XXV. S.Optatus Episcopus Mileuitanus, contra Donatistas lib.2. In Vrbe Roma Petro primo Cathedra Episcopalis est collata: in qua sedit omnium Apostolorum caput Petrus, vnde & Cephas appellatus est: in qua vna Cathedra vnitas ab omnibus seruaretur, ne cæteri Apostoli singulas sibi quisque defenderent: vt iam schismaticus, & peccator esset, qui contra singularem Cathedram alteram collocaret. Ergo Cathedra vnica est, quæ est prima de dotibus. Sedit prior Petrus &c.

Idem lib.7. Potuit vbique caput Apostolorum Petrus ita se gubernare, vt nihil incurreret quod doleret,sed ideò in vno titulo eius multa videntur errata, vt possit ostendi bono vnitatis omnia debere Deo seruari.

XXVI. S. Epiphanius Episcopus Salaminæ Cypri, hæresi 51. num. 16. Nequeverò de hoc quisquam ambigens curiosiùs perscrutetur, cum videat quod Andreas primus obuiam venit Iesu, deinde Petrus, & per ipsum vocatus est, neque hoc ægrè ferre incipiat. Occursus enim Andreæ primus contigit,cùm minor esset Petrus tempore ætatis. Postea enim rursus, quando perfecta renunciatio facta est, ipse enim fratrem suum præcessit. Insuper autem, & in hoc Deus est, qui nouit vocationes cordium, & scit qui dignus sit primo loco locari: & elegit Petrum, vt esset Dux suorum discipulorum, velut omninò clarè indicatum est.

Idem in Ancorato: Ipse Dominus constituit Petrum primum Apostolorum petram firmam, super quam Ecclesia Dei ædificata est, & portæ inferorum non valebunt aduersùs illam. Portæ autem inferorum sunt hæreses, & hæresiarchæ. Iuxta omnem enim modum in ipso firmata est fides, quæ accepit clauem cœlorum, & soluit in terra, & ligat in cœlo.

Idem hæresi 59. num. 7. Itemque Princeps Apostolorum Petrus, qui Dominum aliquando negauit: qui quidem solidæ Petræ instar nobis extitit: cui velut fundamento Domini fides innititur: supra quam Ecclesia modis omnibus extracta est. In primis quidem,quòd Christum Dei viui Filium esse confessus est, idque vicissim audijt: Supra hanc solidæ fidei petram ædificabo Ecclesiam meam, Quoniam disertè verum illum esse Filium asseruit. Cum enim Viui Dei Filium dixit, adiecta, Viui, particula, germanum illum esse Filium docuit. Id quod in omnibus penè refutandis Hæresibus à nobis repetitum meminimus.

XXVII. S. Damasus PP. I. in Vitis Romanorum Pontificum. B. Petrus Apostolus, & Princeps Apostolorum, filius Ioannis, Prouinciæ Galileæ, vico Bethsaidæ, frater Andreæ, primus sedit Cathedram Episcopatus in Antiochia annis septem. Hic Petrus ingressus in Vrbem Romam sub Claudio Cæsare, ibique sedit Cathedram Episcopatus annis viginti quinque, mens. 2. d.3. Ann. Christi 380.

Idem epist.2. Princeps Apostolorum Petrus solus, & præ omnibus creditus est, atque percipere meruit à Rege Regum Christo Deo claues Regni cœlorum, ad aperiendum fidelibus, & beneuolis hominibus in eumdem Dominum nostrum, & claudendum infidelibus, & maleuolis.

XXVIII. S.Pacianus Episcopus Barchinonensis, epist. 3. ad Sympronianum: Ad Petrum locutus est Dominus: ad vnum ideo, vt vnitatem fundaret ex vno: mox idipsum in commune præcipiens, qualiter tamen ad Petrum incipit: Et ego tibi dico, inquit, quia tu es Petrus, & super istam Petram ædificabo Ecclesiam meam, &c. Ann. Christi 380.

XXIX. Philo Carpathius, In Cantica: Caput eius aurum Cephas.] Quod ipsum aurum Cephas dicitur, quod Petrus vel firmitas interpretatur, stabilitatem eorum fidei aptissimè declarat, siue quod Petrus, qui & Cephas, caput Ecclesiæ ipsius sponsæ aliquando futurus erat: vtcumque per aurum sapientia designatur, quę Filius est Patris coæternus, & consubstantialis. Ann. Christi 380.

XXX. Aurelius Prudentius, Hymno de S. Laurentio: Ann. Christi 380.

Et iam tenemus obsides
Fidissimos huius spei.
Hic nempe iam regnant duo

Apo-

Apostolorum Principes :
Alter Vocator Gentium ,
Alter cathedram possidens
Primam , recludit creditas
Æternitatis ianuas .

XXXI. S. Syricius Papa , epist. 4. quæ inseritur Concilio Tolensi , appellaturque epistola tractatoria ad Episcopos Afros ; Cùm in vnum plurimi fratres conuenissemus ad Sancti Apostoli Petri Reliquias , per quem & Apostolatus , & Episcopatus in Christo cæpit exordium, placuit nobis, &c. Ann. Christi 390.

XXXII. S. Hieronymus Presbyter , Ecclesiæ Romanæ Doctor , ad Psal. 13. Nullus de discipulis, neque Petrus, qui caput est Ecclesiæ , quia & ipse negauit : nullus de hominibus, quia totus mundus ad inferiorem partem declinauerat, præter vnum hominem , qui est Christus.

Idem ad cap. 16. Matthæi : Sicut ipse lumen Apostolis donauit , vt lumen mundi appellarentur , cæteraque ex Domino sortiti sunt vocabula : ita & Simoni , qui credebat in petram Christum, Petri largitus est nomen . Ac secundùm metaphoram petræ rectè dicitur ei : Ædificabo Ecclesiam meam super te, &c. Prudens Lector inquirat, quomodo post tantam beatitudinem : Beatus es Simon Bariona, &c. nunc audiat : Vade retro me Satana, scandalum mihi es : aut quæ sit tam repentina conuersio, vt post tanta præmia Satanas appelletur . Sed si considerer , qui hoc quærit, Petro illam benedictionem , ac beatitudinem, ac potestatem, & ædificationem super eum Ecclesiæ in futuro promissam , non in præsenti datam, intelliget : Ædificabo, inquit, super te Ecclesiam meam , & portæ inferi non præualebunt aduersùs eam , & dabo tibi claues Regni cœlorum: omnia in futuro. Quæ si statim dedisset ei, numquam in eo prauæ confessionis error inuenisset locum .

Idem ad cap. 2. epist. ad Galat. Et quomodo cum etiam de minimis fratribus hoc faciendum iusserit, ausus est Apostolorum maximum Petrum in publica facie tam procaciter, tam constanter arguere , nisi & Petro sic placuisset argui , & Paulus non ei faceret iniuriam , de quo ante dixerat : Veni Hierosolymam videre Petrum .

Idem lib. 1. aduersùs Iouinianum c. 14. At dicis : Super Petrum fundatur Ecclesia : licèt idipsum alio in loco super omnes Apostolos fiat , & cuncti claues Regni cœlorum accipiant, & ex æquo super eos Ecclesiæ fortitudo solidetur : tamen propterea inter duodecim vnus eligitur , vt capite constituto schismatis tollatur occasio .

Idem lib. 1. Dial. aduersùs Pelagianos cap. 4. Vt Plato princeps Philosophorum, sic Petrus Apostolorum fuit , super quem Ecclesia Domini stabili mole fundata est , quæ nec impetu fluminis, nec vlla tempestate concutitur.

Idem epist. 54. ad Marcellum : Si Apostolus Petrus, super quem Dominus fundauit Ecclesiam , & prophetiam , & promissionem Domini illo tempore compleram memorauit, quomodo possumus nobis aliud tempus vindicare ?

Idem epist. 89. ad Augustinum , cap. 2. Tantæ auctoritatis Petrus fuit , vt Paulus in epistola sua scripserit: Deinde post annos tres veni Hierosolymam videre Petrum , & mansi apud eum diebus quindecim .

XXXIII. S. Augustinus Episcopus Hipponensis, S. R. E. Doctor ; quæstionum veteris, & noui Testamenti quæst. 75. Dicunt Exactores didrachmæ ad Petrum Apostolum : Magister vester non soluit didrachma ? &c. Quo dicto, magistrum, vt pro omnibus solueret, conuenerunt . Saluator autem cùm pro se, & Petro dare iubet, pro omnibus exoluisse videtur : quia sicut in Saluatore erant omnes causæ Magisterij , ita & post Saluatorem in Petro omnes continentur . Ipsum enim constituit caput eorum , vt Pastor esset gregis Dominici . Nam inter cætera dicit discipulis : Vigilate & orate , ne intretis in tentationem . Et Petro dicit : Ecce Satanas expostulauit , ve vos ventilet sicut triticum : ego autem rogaui pro te , vt non deficiat fides tua , & tu tandem conuersus confirma fratres tuos. Quid ambigitur ? Pro Petro rogabat , & pro Iacobo, & pro Ioanne non rogabat, vt cæteros taceam ? Manifestum est in Petro omnes contineri : Rogans enim pro Petro, pro omnibus rogasse dignoscitur . Semper enim in Præposito populus, aut corripitur, aut laudatur .] Ann. Christi 400.

Idem tract. 56. in Ioannem : Quis nesciat primum omnium Apostolorum esse beatissimum Petrum ?

Idem tract. 124. in Ioannem : Hoc agit Ecclesia spe beata in hac vita ærumnosa , cuius Ecclesiæ beatus Petrus Apostolus, propter Apostolatus sui primatum gerebat figurata generalitate personam . Quod enim ad ipsum propriè pertinet , natura vnus homo erat, gratia vnus Christianus , abundantiore gratia vnus , idemque primus Apostolus : sed quando ei dictum est : Tibi dabo claues regni cœlorum , & quodcumque solueris super terram , erit solutum & in cœlis : & quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis : Vniuersam significabat Ecclesiam, quæ in hoc sæculo diuersis tentationibus , velut imbribus, fluminibus, tempestatibusque quatitur, & non cadit.

Idem de Baptismo contra Donatistas lib. 2. cap. 1. Puto quod sine vlla sui contumelia Cyprianus Episcopus Petro Apostolo comparatur, quantum attinet ad martyrij coronam : cæterùm magis vereri debeo, ne in Petrum contumeliosus existam . Quis enim nescit illum Apostolatus Principatum cuilibet Episcopatui præferendum ? Sed etsi distat Cathedrarum gratia , vna est tamen Martyrum gloria , &c. In Apostolo Petro primatus Apostolorum excellenti gratia præeminet .

Idem serm. 5. in festo Petri, & Pauli: Solus inter Apostolos meruit audire : Amen dico tibi, quia tu es Petrus , & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam . Dignus certè , qui ædificandis in domo Domini populis lapis esset ad fundamentum , columna ad sustentaculum: clauis ad Regnum .

Idem, lib. 1. Retract. capit. 21. In libro contra epistolam Donati dixi in quodam loco de Apostolo Petro , quod in illo tamquam in petra fundata sit Ecclesia : qui sensus etiam cantatur ore multorum in versibus

bus beatissimi Ambrosij, vbi de gallo gallinaceo ait:

Hoc ipsa petra Ecclesiæ Canente culpam diluit.

Sed scio me postea sæpissimè sic exposuisse, quod à Domino dictum est: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: vt super hunc intelligeretur, quem confessus est Petrus dicens: Tu es Christus Filius Dei viui, ac si Petrus ab hac petra appellatus personam Ecclesiæ figuraret, quæ super hanc petram ædificatur, & accepit claues Regni cœlorum. Non enim dictum est illi: Tu es petra, sed: Tu es Petrus: petra autem erat Christus, quem confessus Simon, sicut eum tota Ecclesia confitetur, dictus est Petrus. Harum autem duarum sententiarum, quæ probabilior sit, eligat lector.

XXXIV. S. Ioannes Chrysostomus, Episcopus Constantinopolitanus, oratione 5. in Iudæos: Petrus itaque, qui post nefariam illam abiurationem, quoniam celeriter suum ipsius peccatum recordatus est, nulloque accusante dixit peccatum, fleuitque amarè: ideò abluit illam negarionem, vt etiam primus Apostolorum fuerit factus, ac terrarum orbem totum subiecerit. Ann. Christi 400.

Idem, oratione encomiastica in Petrum, & Paulum: Petrus orthodoxæ fidei principium, magnus, atque illustris Dei sacerdos, necessarius Christianorum consiliarius, supernarum potestatum thesaurus, honoratus à Domino Apostolus, &c. Dulce spectaculum est Ecclesiæ, splendor totius mundi, columba castissima, Apostolorum Doctor: Apostolus ardens, spiritu feruens, Angelus & homo, gratia plenus, firma fidei petra, senilis Ecclesiæ sapientia, qui ob puritatem beatus, & filius columbæ ex Dominico ore audiuit: qui claues Regni cœlorum ab ipso Domino accepit.

Idem, homil. in Petrum Apostolum, & Heliam Prophetam: Petro Apostolo Orbis terrarum Ecclesiæ, & populorum multitudines eius fidei committendæ erant, vel potiùs creditæ sunt illi claues Regni cœlorum: quid enim ait illi Dominus? Quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis. Sed vide cuiusmodi peccato permisit subijci Petrum, illum talem ac tantum virum, Apostolorum verticem, fundamentum immobile, & petram stabilem, & quæ non posset concuti. Petrus, inquam, ille Ecclesiæ columna, & propugnaculum, puellæ vnius, non minas, sed vnicum verbum non sustinuit: verbum puellæ processit, & columna concutiebatur: illa locuta est, & propugnaculum fluctuauit. Permissus est peccare is, cui Ecclesia credenda erat: illa videlicet Ecclesiarum columna, & portus fidei: Petrus Orbis terrarum Magister peccare permissus fuit, ob eam maximè causam, quod populorum multitudo illi credenda erat, ne seuerus, & innocens à venia proprijs fratribus impartienda esset alienus.

Idem homil. 33. in Matth. Indicat nobis Marcus Petrum esse omnibus prælatum.

Idem homil. 83. in Matth. Qui super Petri confessionem Ecclesiam ita fundauit, atque muniuit, vt nullum periculum, neque mors ipsa posset eum superare, qui claues Regni cœlorum ei concessit, & tantam potestatem ei commisit, nec vnquam pro illis omnibus oratione indiguerit, quantò minus hac in re indiguisset? Maxima quippe auctoritate illa dixit: Ædificabo super te Ecclesiam meam, & dabo tibi claues Regni cœlorum.

Idem homil. 87. in Ioannem: Simon Ioannis diligis me plus his? Quid tandem alijs omissis, de his Petrum affatur? os erat Apostolorum, & princeps, & vertex ipsius cœtus: propterea cùm Paulus præter alios visurus ascendit Hierosolymam, simul vt ei ostenderet iam sibi fiduciam habendam, &c. Cùm magna Christus Petro communicasset, Orbis terrarum curam demandasset, martyrium prædixisset, & maiorem erga eum dilectionem testatus esset, &c.

Idem, homil. 80. ad populum Antiochenum: Post illum grauem casum rursùs Petrum ad priorem reduxit honorem pœnitentia, & ei per totum terrarum Orbem Ecclesiæ præsideoriam tradidit: & quod omnibus maius est, illum nobis maiorem omnibus Apostolis in Dominum habere charitatem ostendit.

Idem, homil. 9. de pœnitentia: Petrus ille Apostolorum Princeps, in Ecclesia prior amicus Christi, qui reuelationem ab hominibus non accepit, sed à Patre, sicut sibi Dominus testimonium reddit: Beatus es Simon Bariona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater mens qui in cœlis est. Hic idem Petrus. Petrum cùm dico, petram nomino indelebilem, non se: crepidinem immobilem, Apostolum magnum, primum discipulorum, primum vocatum, & primum obedientem.

Idem, ad Psalmum 50. Atque vt intelligas, iustos misericordiæ præsidio muniti, audi quid Christus dicat Petro, columnæ inquam illi & basi, ac propterea Petro appellato: quia saxea fide præditus erat: Simon Simon, sæpè expetiuit te satanas, vt cribraret, sicut triticum: Ego autem oraui pro te, &c. Columna illa Ecclesiæ, illa fidei basis, illud Apostolici Chori caput Petrus, an non semel & iterum, ac tertiò Dominum abiurauit?

XXXV. S. Innocentius Papa primus, epist. ad Victricium: Incipiamus ergo adiuuante Deo, & sancto Dei Apostolo Petro, per quem & Apostolatus & Episcopatus in Christo cœpit exordium. Ann. Christi 406.

XXXVI. S. Paulinus Episcopus Nolanus, Natali 4. S. Felicis. Ann. Christi 410.

Bisseno Princeps super agmine discipulorũ Petrus.

XXXVII. S. Maximus Episcopus Taurinensis, Homil. 1. in Natali Petri, & Pauli Apostolorum: Hic est Petrus, cui Christus Dominus communionem sui nominis libenter indulsit. Vt enim, sicut Paulus Apostolus edocuit, petra erat Christus: ita per Christum Petrus factus est petra, dicente ei Domino: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Nam sicut in deserto iussu Dominico sitienti populo aqua flu-

xit è petra : ita vniuerso mundo perfidiæ ariditate lassato, de ore Petri fons salutiferæ confessionis emersit. Hic est Petrus, cui Christus ascensurus ad Patrem pascendas ouiculas suas, agnosque commendat, vt quos ille pietate, miserationeque redemerat, hic fidei suæ virtute seruaret. Et rectè sanè ei arbiter occultorum Dei filius pascendas oues suas, tuendasque commisit, cui nouerat in nutriendo grege Dominico, nec studium deesse, nec fidem. Ann. Christi 430.

Idem, homil. 3. de iisdem : Quanti ergo meriti apud Deum suum Petrus erat, vt ei post naniculæ paruę remigium totius Ecclesiæ gubernacula traderentur?

XXXVIII. Philippus presbyter, in Concilio Ephesino tom. 2. cap. 16. Nulli dubium, immo sæculis omnibus notum est, sanctum, beatissimumque Petrum Apostolorum principem, & caput, fideique columnam, Ecclesiæ Catholicæ fundamentum, à Domino Iesu Christo Saluatore nostro, humanique generis Redemptore, cęlestis Regni claues accepisse, soluendique, atque ligandi potestate, quam acceperat, vsum fuisse, necnon per successores suos hucusque semper viuere. An. Christi 430.

XXXIX. S. Sixtus Papa tertius, de malis Doctoribus, & operibus fidei : Sed si hæc dicere voluerimus, illicò ille Apostolorum princeps Petrus, supra cuius firmitatem fidei spiritalis fabricæ ædificata constructio est, & ecclesiasticæ domus collocata fundamina : quique cęlestis regni ianitor dignus inuentus est, & cuius super terram gesta iudicia confirmantur in cęlis, è contrario respondebit, & dicet, &c. Ann. Christi 433.

XL. Ioannes Cassianus S. Ioannis Chrysostomi Diaconus, de Incarnatione Domini lib. 3. cap. 12. Interrogemus non insipientem aliquem puerulum, cuius institutio rudis : sed summum illum, & inter discipulos discipulum, & inter magistros magistrum, qui Romanæ Ecclesiæ gubernaculum regens sicut fidei habuit, ita & Sacerdotij principatum. Dic nobis ergo, dic nobis Princeps Apostolorum Petre, dic quemadmodum Ecclesiæ credere Deum debeant. Æquum est enim, vt doceas nos doctus à Domino, & aperies nobis ianuam, cuius clauem accepisti. Interroganti ergo Domino, quem eum crederent discipuli; respondit primus Apostolorum. Vnus vtique pro omnibus. Idem enim vnius habuit responsio, quod habebat omnium fides : sed primum decuit respondere, vt idem esset ordo responsionis, qui erat honoris, & ipse antecederet confessione, qui antecedebat ætate. Ann. Christi 430.

XLI. S. Cyrillus Episcopus Alexandrinus lib. 2. in Ioan. cap. 17. Christus hac te Petrum instituit, eum se esse, qui cuncta antequam fiant nouit: nec Simon fore iam sibi nomen, sed Petrus prædicit: Vocabulo ipso commodè significans, quod in eo tanquam in petra, lapideque firmissimo suam esset ædificaturus Ecclesiam. Ann. Christi 430.

Idem lib. 5. cap. 28. ad illud Ioannis: Domine ad quem ibimus? Per vnum qui præerat, omnes respondent, Sanctam profectò, sanctisque congruentem disciplinam optimè conseruantes : & posterioribus prudentiæ, & modestiæ laudabilia præbentes exempla. Decet enim, non omnes confusè, nec prosilientes impudenter, quasi rapta vtri ratione, sed cedere iis, qui & consilio, & ordine præpositi sunt. Opus erat igitur Diuinitus comprobatæ prudentiæ soli responsionem committere illi, qui ordine maior erat.

Idem lib. 10. cap. 41. Beatus Petrus, discipulorum omnium princeps, narranti, quæ passurus erat Saluatori resistebat clamans. Propitius tibi esto Domine. ne fiat hoc.

Idem lib. 12. cap. 64. Cùm Saluator à discipulis quæreret: Vos autem, quem me esse dicitis? Petrus, vt princeps, caputque cæterorum, primus exclamauit: Tu es Christus filius Dei viui.

Idem, lib. 14. Thesauri ca. 2. Petrus Apostolorum apex.

XLII. Theodoretus, Episcopus Cyri, ad cap. 1. ad Galatas : Veni Hierosolymam, vt Petrum viderem. Et hòc rursus ostendit eius animæ virtutem. Etenim cùm humana doctrina non indigeret, vt qui ab vniuersorum Deo eam accepisset, Apostolorum Principi quem par est, honorem tribuit. Ea autem de causa ad eum venit, non vt ab eo aliquid disceret, sed vt solùm videret. Ann. Christi 430.

XLIII. Maximus, Patriarcha Constantinopolitanus, Epistola ad Orientales: Decebat tantę dignitatis, & sapientiæ virum non ab alio cælestis misterij arcana requirere, nisi ab eo peritissimum, quem non potuit caro, & sanguis instruere : sed cui Dominus ipse sua secreta dignatus est aperire: Beatus es, inquit, Simon Bariona, quia caro, & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus qui in cælis est. Hunc enim ex ceteris mortalibus de toto Orbe conditor Orbis elegit, cui cathedrā magisterij principaliter tenere perpetuò priuilegij iure concessit, vt quisquis Diuinum aliquod profundum nosse desiderat, ad huius præceptionis oraculum, doctrinamque recurrat, nec illi humiliter offerre quod soluendum est erubescat, etiamsi ipse, quod quæritur non ignoret. Numquid Angelus de cælo veniens erat nescius docere Cornelium, quem videlicet, vt id, quod sibi agendum esset ediscerer, destinauit ad Petrum? Poterat planè Sanctus Angelus docere hominem gentilem quid sibi opus esset ad salutem, sed eius nolebat vsurpare officium, cui docendi magisterium fuerat commissum. Ann. Christi 430.

XLIV. Paulus Emisenus, homilia habita Alexandriæ de Christi natiuitate, deque B. Cyrilli, qui ibi præstò erat, præstantia, & fide: Vbi autem: Quem me esse dicitis? inquit Christus, nonne Petrus Apostolorum Coryphęus, eorumdemque os respondit : Tu es filius Dei viui. Ann. Christi 430.

XLV. Basilius Diaconus, & Archimandrita, epist. ad Theodosium, & Valentinianum AA. Haurimus hanc fidei notitiam primò quidem ab Apostolorum principe Petro, secundùm cognitionem, quam Diuinitùs acceperat. Ann. Christi 430.

XLVI. Isidorus Pelusiota, lib. 1. Epist. 142. Fecit hoc Christus, cùm Petrum Apostolici sodalitij coryphæum non solùm corporeis, sed etiam spiritualibus peccatis, ac morbis liberauit. Ann. Christi 740.

Idem, epist. 235. Non ea de causa Christus,

stus, qui pectus ipsum penetrat, ex discipulis suis percunctabatur: Quem me dicunt esse homines? quod variam hominum de se opinionem ignoraret, sed vt hac ratione certam omnibus confessionem traderet, quam ab eo inspiratus Petrus tanquam basin ac fundamentum iecit, super quod Dominus Ecclesiam suam extruxit.

Idem lib. 5. Epist. 58. Id etiam Apostolorum antesignanus Petrus his verbis confirmat. Hanc promissionem impleuit Deus ipsorum filijs, hoc est nobis, suscitato Iesu.

Idem Epist. 99. Ac quidem Apostoli ca, quæ fecerunt, literis complexi sunt, velut Petrus Apostolici chori Præsul, in quo res suas gestas narrat, apertè pronunciauit.

XLVI. S. Petrus Chrisologus, Episcopus Rauennas, serm. 78. Petrus misit se in mare, vt esset primus in reditu, qui acceperat in ordine principatum. Ann. Christi 440.

Idem serm. 107. Petrus est custos fidei, petra Ecclesiæ, ianitorque cælorum ipse est Apostolus piscator electus, qui ad se turbas errorum fluctibus mersas hamo sanctitatis inuitat.

Idem serm. 154. Petrus Apostolici chori vetustum teneat principatum, aperiat intrantibus regnum cælorum, reos potestate vinciat, penitentes clementer absoluat.

XLVIII. Sozomenus, lib. 7. cap. 4. hoc autem declarabat (Imperator Theodosius) se velle, vt vniuersi subditi eam religionem amplecterentur, quam Apostolorum princeps Romanis ab initio tradidisset. Ann. Christi 440.

XLIX. Arnobius iunior Romanus, ad psalm. 138. Ecce Apostolo (Petro) pænitenti succurritur, qui est Episcopus Episcoporum, & maior gradus redditur ploranti, quàm sublatus est deneganti. Quod vt doceam illud ostendo, quod nullus Apostolorum nomen pastoris accepit. Solus enim Dominus Iesus Christus dicebat: Ego sum pastor bonus: me, inquit sequuntur oues meæ. Hoc ergo nomen sanctum, & ipsius nominis potestatem, post resurrectionem suam Petro pænitenti concessit, & ter negatus, negatori suo, hanc, quam solus habuit, tribuit potestatem, vt non solùm recuperasse, quod amiserat, probaretur: verùm etiam, & multò amplius pænitendo, quàm negando perdiderat acquisisse. Ann. Christi 440.

L. S. Eucherius Lugdunensis, & in vigilia S. Petri: Dicit ei: Pasce oues meas. Prius agnos, deinde oues commisit ei: quia non solùm pastorem, sed pastorum pastorem cum constituit. Pascit igitur Petrus agnos, pascit filios, pascit, & matres: regit, & subditos, & Prelatos. Omnium igitur pastor est: quia præter agnos, & oues in Ecclesia nihil est. Ann. Christi 450.

LI. Galla Placida Aug. ad Theodosium filium Imperatorem: Dum in ipso ingressu ciuitatis antiquæ hanc curam habuissemus, vt cultum B. Petro Apostolo redderemus, in ipso adorando Altari Martyris Reuerendissimus Leo Episcopus, paululum se post orationem retinens, propter Catholicam fidem apud nos defleuit, ipsum similiter summum Apostolorum, scilicet Petrum, quem nuper adieramus, testem obijciens, Episcoporum multitudine circumseptus, quos ex innumerabilibus ciuitatibus Italiæ pro principatu proprij loci, seu dignitate collegit, & verbis permiscens lacrymas, ad communionem sui fletus nostros quoque gemitus prouocauit. Ann. Christi 450.

LII. S. Leo magnus PP. primus, Sermone 2. in anniuersario die assumptionis suæ ad Pontificatum: Manet ergo dispositio veritatis, & B. Petrus in accepta fortitudine petræ perseuerans susceptа Ecclesiæ gubernacula non reliquit. Sic enim præ cæteris est ordinatus, vt dum petra dicitur, dum regni cœlorum ianitor constituitur, dum ligandorum soluendorumque arbiter, mansura etiam in cœlis iudiciorum suorum definitione, præficitur, qualis ipsi cum Christo esset societas, per ipsa appellationum eius mysteria nosceremus. Ann. Christi 450.

Idem, serm. 3. de anniuersario die assumptionis suæ ad Pontificatum. Vnus de toto mundo Petrus eligitur, qui & vniuersarum gentium vocationi, & omnibus Apostolis, cunctisque Ecclesiæ Patribus præponatur: vt quamuis in populo Dei multi Sacerdotes sint, multiq. Pastores, omnes tamen propriè regat Petrus, quos principaliter regit, & Christus. Magnum, & mirabile huic viro consortium suæ potentiæ tribuit Diuina dignatio: & si quid cum eo commune cæteris voluit esse Principibus, numquam nisi per ipsum dedit, quicquid alijs non negauit. Omnes denique Apostolos Dominus quid de se opinentur homines interrogat: & sermo respondentium communis est quamdiu humanæ intelligentiæ ambiguitas explicatur. At vbi quid habeat sensus discipulorum exigitur, primus est in Domini confessione, qui primus est in Apostolica dignitate. Qui cum dixisset, Tu es Christus filius Dei viui, respondit ei Iesus: Beatus, & Simon Bariona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus qui, in cœlis est. Id est, ideo beatus es, quia Pater meus te docuit, nec terrena opinio te fefellit, sed inspiratio cælestis instruxit: & non caro, & sanguis, sed ille me tibi, cuius sum vnigenitus Filius, indicauit. Et ego, inquit, dico tibi: hoc est, sicut meus Pater tibi manifestauit Diuinitatem meam: ita, & ego tibi notam facio excellentiam tuam, Quia tu es Petrus, id est, cùm ego sim inuiolabilis petra, ego lapis angularis, qui facio vtraque vnum, ego fundamentum, præter quod nemo potest aliud ponere: tamen tu quoque petra es, quia mea virtute solidaris, vt quę mihi potestate sunt propria sint tibi mecum participatione communia. Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersùs eam. Super hanc, inquit, fortitudinem æternum extruam templum: & Ecclesiæ meæ cœlo inferenda sublimitas in huius fidei firmitate consurget. Hanc Confessionem portæ inferi non tenebunt, mortis vincula non ligabunt. Propter, quod dicit beatissimo Petro: Tibi dabo claues &c. Transiuit quidem etiam in alios Apostolos vis potestatis illius, & ad omnes Ecclesiæ principes decreti huius constitutio cómeauit: sed non frustra vni commendatur, quod omnibus intimatur. Petro enim ideo hoc singulariter creditur, quia cunctis Ecclesiæ Rectoribus Petri forma præpoui-

ponitur. Manet ergo Petri priuilegium, vbicumque ex ipsius fertur æquitate iudicium. Nec minima est vel remissio, vbi nihil solutum, nisi quod B. Petrus aut soluerit, aut ligauerit.

Idem homil. de Transfiguratione Domini, cap. 1. Interrogauit Dominus discipulos suos, inter diuersas aliorum opiniones, quid ipsi de eo crederent, quidne sentirent: vbi Petrus Apostolus, per reuelationem summi Patris corporea superans, & humana transcendens, vidit mentis oculis Filium Dei viui, & confessus est gloriam Deitatis: quia non ad solam respexit carnis substantiam, & sanguinis, tamtumque in hac fidei sublimitate complacuit, vt beatitudinis felicitate donatus, sacram inuiolabilis petræ acciperet firmitatem, super quam fundata Ecclesia, portis inferi, & mortis legibus præualeret: nec in soluendis, aut ligandis quorumque causis, aliud ratum esset in cœlis, quàm quod Petri sedisset arbitrio.

Idem, Epist. 81. ad Dioscorum Alexandrinum: Beatissimus Petrus Apostolicum à Domino accepit principatum, & Romana Ecclesia in eius permanet institutis.

Idem, Epist. 89. cap. 1. Sed huius muneris, Sacramentum ita Dominus ad omnium Apostolorum officium pertinere voluit, vt in beatissimo Petro Apostolorum omnium summo principaliter collocaret: vt ab ipso quasi quodam capite dona sua velut in corpus omne diffunderet, vt exortem se mysterij Diuini intelligeret esse, qui ausus fuisset à Petri soliditate recedere. Hunc enim in consortium indiuiduæ vnitatis assumptum, id quod ipse erat voluit nominari, dicendo: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificatio templi mirabili munere gratiæ Dei in Petri soliditate consisteret, hac Ecclesiam sua firmitate corroborans, vt illam nec humana temeritas posset appetere, nec portæ contra illam inferi præualerent.

LIII. Basilius Seluciæ apud Isauros Episcopus, sermone 1. in Dauidem: His concurrens Petrus, Apostolorum Coriphæus clamat: Iurauit Dauidi Deus &c. Ann. Christi 450.

Idem, serm. 4. in Dauidem: Petrus Apostolorum coryphæus, Christi discipulorum Præses, eorum, quæ à Patre reuelantur interpres diligentissimus in maris fluctibus ambulans.

LIV. Quarta Synodus generalis Chalcedonensis, Patrum 630. Actione 3. Ter beatissimus, & omni laude dignus B. Petrus Apostolus, qui est Petra, & crepido Catholicæ Ecclesiæ, & rectæ fidei fundamentum. Ann. Christi 451.

LV. Victor Antiochenus, ad Marci cap. 3. Ne quis casu, aut temerè Apostolos electos putet, Euangelista singulorum nomina ordine recenset. Dicit autem, Simoni imposuisse nomen Petri, quo nimirum nomen rem ipsam anticipet: quia enim Christus Dominus supra petram, hoc est, supra infractam, sanamque Petri doctrinam, inconcussamque eius fidem Ecclesiam ædificaturus erat, ob id Prophetico spiritu Petrum illum appellat. Ann. Christi 460.

Idem, ad Marc. cap. 8. Vos verò quem me esse dicitis? Quid ad hoc quæsitum Apostolorum os Petrus, qui nusquam non feruidum se declarat? omnibus interrogatis solus ipse: Tu es filius Dei viui, respondit, &c.

LVI. S. Prosper Aquitanus, Episcopus Regiensis in Italia, de Vocatione Gentium, lib. 2. cap. 28. Quis ergo ambigat, quis ignorat; hanc fortissimam petram, quæ ab illa principali petra communionem, & virtutis sumpsit, & nominis, hoc desiderium semper habuisse, vt ei moriendi pro Christo constantia donaretur. Ann. Christi 460.

LVII. Iuuenalis Episcopus Hierosolymitanus, epistola ad Presbyteros Palæstinos: Cùm summus, & Princeps Apostolorum beatus Petrus dixisset: Tu es Christus filius Dei viui, &c. Ann. Christi 470.

LVIII. S. Felix Papa tertius, epist. 1. ad Petrum Episcopum Antiochenum: Nunc igitur sum exorsus aduersùs te proferre sententiam: magis autem summus Princeps Apostolorum Petrus, qui inter sanctorum Apostolorum præconia veridicus est. Ann. Christi 483.

LIX. S. Gelasius Papa I. epist. 11. ad Episcopos Dardaniæ: Nullus veraciter Christianus ignorat, vniuscuiusque Synodi constitutum, quod vniuersalis Ecclesiæ probauit assensus, nullam magis exequi Sedem quàm primam, quæ & vnamquamque Synodum sua auctoritate confirmat, & continuata moderatione custodit, pro suo scilicet principatu, quem B. Petrus Apostolus Domini voce perceptum, Ecclesia nihilominus subsequente, & tenuit semper, & retinet. Ann. Christi 490.

LX. Episcopi Orientales, in epist. ad Symmachum Papam: Sicut docuit gloriosus Apostolorum Princeps Petrus, cuius Cathedram Beatitudini tuæ credidit Christus. Ann. Christi 500.

LXI. Andreas Episcopus Cæsareæ Cappadociæ, ad Apoc. cap. 13. Simon Magus in B. Petri Apostolorum Coryphæi, multorumque Romanorum præsentia mortuum per imposturam excitauit.

Idem ad cap. 21. Per Iaspidem probabile sit Diuum Petrum Coryphæum significari, vt qui Christi mortificationem in corpore suo portarit, vegetamque, & vernantem charitatem erga illum semper ostenderit: qui etiam per feruentem fidem ad loca pascua dux nobis extitit. Ann. Christi 500.

LXII. Anastasius Imperator, epistola ad Hormisdam; Deus ac Saluator noster Sanctos Apostolos Diuino sermone docuit, ac maximè B. Petrum, in quo fortitudinem Ecclesiæ suæ constituit. Ann. Christi 516.

LXIII Procopius Gazæus, ad cap. 62. Esaiæ: Atque inde est quod Saluator Petro cœli claues tradidit, adiuncta ligandi soluendique potestate, cùm pulchram fidei confessionem edidisset. Ann. Christi 528.

LXIV. Possessor Episcopus, epist. ad Hormisdam PP. Quis maiorem circa subditos sollicitudinem gerit, aut à quo magis est nutantis fidei stabilitas expetenda, quam ab eius Sedis Præside, cuius primus à Christo rector audiuit: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Ann. Christi 520.

LXV. Aurelius Cassiodorus, lib. de amicitia, capite: quali discretione benefaciendi sunt

sunt amici: Sanè Dominus Ioanni prætulit Petrum, nec affectum subtraxit discipulo, quem diligebat, Petro conferens Principatum. Claues regni Cœlorum Petro contulit, vt cœlum aperiret, & clauderet: Ioanni verò nobis aperiendi sua arcana pectoris facilitatem reseravit. Petro commisit curam, & regimen Ecclesiæ suæ: Ioanni verò curam, & custodiam matris suæ. Petrus ergo sublimior, sed Ioannes certior. Non autem Petrus inquireret à Domino, quis eum traderet: Ioannes autem, innuente Petro (quod princeps Apostolorum inquirere videbatur) confidenter interrogat. Ann. Christi 530.

LXVI. Arator, S. R. E. Subdiaconus, Historiæ Apost. lib. 1. Ann. Christi 540.

Primus Apostolico parua de puppe vocatus
Agmine Petrus erat, quo piscatore solebat
Squammea turba capi, subitò de littore visus
Dum trahit, ipse trahi meruit: piscatio Christi
Discipulum dignata rapit, quia retia laxet
Humanum captura genus: quæ gesserat hamum
Ad clauim translata manus, quique æquoris imi
Ardebat madidas ad littora vertere prædas,
Et spolijs implere ratem, melioribus vndis
Nunc alia de parte leuat, nec deserit artem
Per latices sua lucra sequens, cui tradidit Agnus
Quas passus saluauit oues, totumque per Orbem
Hoc auget pastore gregem, quo munere summus
Surgit, & insinuans Diuina negotia, coram
Sic venerandus ait, &c.
Ferrea quid mirum si cedunt ostia Petro,
Quem Deus ætheræ custodem deputat aulæ?
Ecclesiaque sua faciens retinere cacumen,
Infernum superare iubet?

Idem libro 2.

——————Sic claudus vterque
Cum properat, genus omne leuat, gentisque salutem
Personæ signauit iter, qua gloria rerum
Contulit, vt Petro Paulum gerat ordo secundum,
Qui fundamentum manet architectus in illis.

LXVII. Pelagius Papa I. epist. 1. ad Vigilium Episcopum: Memor sum, me sub illius nomine Ecclesiæ præsidere, cuius à Domino nostro Iesu Christo est glorificata confessio, & cuius fides omnes quidem hæreses destruit, sed maximè impietatem præsentis erroris expugnat. Ann. Christi 555.

LXVIII. Ioannes Papa tertius, in epist. ad Episcopos Germaniæ, & Galliæ: Sic Petrus princeps Apostolorum adiutores sibi asciuit Linum, & Cletum, non tamen potestatem Pontificij, aut ligandi, aut soluendi eis normam tradidit, sed successori suo sancto Clementi, qui Sedem Apostolicam post eum, & potestatem Pontificalem tradente sibi beato Petro tenere promeruit: Linus verò, & Cletus ministrabant exteriora: Princeps autem Apostolorum Petrus verbo, & orationi instabat. Ann. Christi 560.

LXIX. Andreas Cretensis, orat. de Transfiguratione Domini: Petrus supra petram, id est Christum stabiliter fundatus est, & fidei fundamentum, & quæ fit per virtutes Ecclesiæ dispensationem in se suscepit. A. Christi 560.

LXX. Gildas Sapiens, in Correptione in Ecclesiasticum ordinem: Audiamus ergo quid princeps Apostolorum B. Petrus de tali negotio signauerat: Benedictus, inquit, Deus. Ann. Christi 560.

LXXI. Venantius Fortunatus, Episcopus Pictauiensis, lib. 3. Carminum in honorem Petri, & Pauli Apostolorum. Ann. Christi 570.

Cælorum portæ, lati duo lumina mundi,
Ore tonat Paulus, fulgurat arce Petrus.
Inter Apostolicas radianti luce coronas
Doctior hic monitis, celsior ille gradu.
Hunc per corda hominum reserantur, & astra per illum:
Quos docet iste stylo, suscipit ille polo.
Pandit iter cœli hic dogmate, clauibus alter,
Est via cui Paulus, ianua fida Petrus.

Idem lib. 11. ad Chilpericum Regem.

Princeps claue Petrus, primus quoque dogmate Paulus,
Quamuis celsa animæ, corpora terra tegit.

LXXII. Euagrius Scholasticus, lib. 2. c. 4. Beatissimus, & omni laude celebrandus Apostolus Petrus, qui est petra, & basis, Catholicæ & orthodoxæ fidei fundamentum. Ann. Christi 596.

LXXIII. S. Gregorius Magnus Papa I. & Ecclesiæ Doctor, lib. 1. epist. 24. Petrus auctore Deo Ecclesiæ sanctæ principatum tenens, à bene agente Cornelio, & sese humiliter ei prosternente immoderatiùs venerari recusauit, seque illi similem recognouit, dicens: Surge, ne feceris, & ego homo sum. Sed cùm Ananiæ, & Saphiræ culpam reperit, mox quanta potentia supra cæteros excreuisset, ostendit; verbo namque eorum vitam perculit, quam spiritu perscrutante deprehendit, & summum se intra Ecclesiam contra peccata recoluit, quod honore sibi vehementer impenso coram bene agentibus fratribus non agnouit. Hic communionem æqualitatis meruit sanctitas actionis: illic zelus vltionis vim aperuit potestatis. Ann. Christi 600.

Idem, lib. 3. epist. 33. ad Theodolindam Reginam: Cum itaque integritatem nostram ex aperta mea traditione, seu professione cognoscitis, dignum est, vt de Ecclesia B. Petri Apostolorum principis nullum vlteriùs scrupulum dubietatis habeatis: sed in vera fide persistite, & vitam vestram in petra Ecclesiæ, hoc est, in confessione B. Petri Apostolorum principis solidate.

Idem lib. 4. epist. 32. ad Mauritium Augustum: Cunctis Euangelium scientibus liquet, quod voce Dominica sancto, & omnium Apostolorum principi Petro Apostolo

totius Ecclesiæ cura commissa est. Ipsi quippe dicitur: Petre amas me, pasce oues meas, &c. Ecce claues Regni cœlestis accipit, potestas ei ligandi, & soluendi tribuitur; cura ei totius Ecclesiæ, & principatus committitur.

Idem lib. 6. epist. 37. Quis enim nesciat, sanctam Ecclesiam in Apostolorum principis soliditate firmatam; quia firmitatem mentis traxit in nomine, vt Petrus à petra vocaretur? cui veritatis voce dicitur; Tibi dabo claues Regni cœlorum.

Idem homil. 21. super 16. cap. Marci: Qua in re considerandum nobis est, cur Omnipotens Deus, eum, quem cunctæ Ecclesiæ præferre disponat, ancillæ vocem pertimescere, & seipsum negare permisit. Quod nimirum magnæ esse actum pietatis dispensatione cognoscimus, vt is, qui futurus erat pastor Ecclesiæ, in sua culpa disceret, qualiter alijs misereri debuisset. Prius itaque eum ostendit sibi: & tum præposuit cæteris, vt ex sua infirmitate cognosceret, quàm misericorditer aliena infirma toleraret.

LXXIV. Cæsarius V. C. lib. 4. Dial. circa finem: Pro se autem, & Petro staterem præbens, pro Ecclesia voluntarius patitur. Dicit enim ei: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, per semetipsum autem docet ipsum. Ædificatio enim animarum rerum Diuinarum institutio est, lapidem habens in caput anguli primarium magistrum omnium, nempe Christum. Ann. Christi 600.

LXXV. S. Isidorus Episcopus Hispalensis, de vita & morte Sanctorum, cap. 69. Simon Petrus filius Ioannis, frater Andreæ, Apostolorum princeps est, & confessor primus Filij Dei, & discipulus, pastor humani gregis, petra Ecclesiæ, clauicularius Regni, amator Domini, atque negator: confitendo laudatus, negando lapsus, lacrymando purificatus, confessione probatur, passione coronatus: cuius omnium ex opere datur titulus, ex merito potestas imponitur. Ann. Christi 620.

Idem de Officijs Ecclesiasticis lib. 2. c. 5. In nouo Testamento post Christum Sacerdotalis ordo à Petro Apostolo cœpit. Ipsi enim primus Pontificatus datus est in Ecclesia Christi. Sic enim loquitur ad eum Dominus Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, &c. Hic ergo ligandi, soluendique potestatem primus accepit, primusque ad fidem populum virtute suæ prædicationis adduxit. Siquidem & cæteri Apostoli cum Petro par consortium honoris, & potestatis acceperunt, qui etiam in toto Orbe dispersi Euangelium prædicauerunt; quibusque decedentibus iocesserunt Episcopi, qui sunt constituti per totum mundum in sedibus Apostolorum.

LXXVI. S. Sophronius Episcopus Hierosolymitanus, de laboribus, ac peregrinationibus Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli. A Christo Petrus ob mentis firmitudinem appellatur, super fluctus maris tanquam incorporeus ambulat, Transfigurationis Domini inspector vocem primam audiuit: Non exasperari contra peccatores eruditur, & mundi procuratio committitur, & traduntur cœlestium thesaurorum claues, super cætum Apostolorum constitutus est, Matthiam suffecit in Apostolatum. Ann. Christi 630.

LXXVII. S. Maximus Monachus Constantinopolitanus, & Martyr, Dialogo de Incarnatione Verbi: Ad hanc luctam summus quoque Apostolorum Petrus discipulos excitans, Sobrij, inquit, estote, &c. Ann. Christi 650.

LXXVIII. Stephanus Dorensis, epistola ad Martinum Papam: Magnus secundùm veritatem, & princeps Apostolorum Petrus pascere primus oues iussus est Catholicæ Ecclesiæ. Ann. Christi 653.

LXXIX. S. Hildephonsus Episcopus Toletanus, serm. 5. de Assumptione Mariæ; Beatissimo etenim Petro Apostolorum principi cæterisque Apostolis non incognita fuit eius purissima vita, & actio. Ann. Christi 660.

LXXX. S. Agatho Papa epistola ad Constantinum Imp. Heraclium, & Tiberium AA. Quod, & B. Petrus Apostolorum princeps commonet: Pascite qui in vobis est gregem Christi, &c. Hanc doctrinam B. Petrus tradidit; quia eius vera confessio à Patre de cælis est reuelata, pro qua à Domino omnium beatus esse pronunciatus est Petrus; qui & spirituales oues Ecclesiæ ab ipso Redemptore omnium terna commendatione pascendas suscepit: cuius adnitente præsidio hæc Apostolica eius Ecclesia nunquam à via veritatis in qualibet erroris parte deflexa est: cuius auctoritatem, vtpote Apostolorum principis semper omnis Catholica Christi Ecclesia secuta est. Ann. Christi 679.

LXXXI. Constantinus IV. Imperator, in Edicto pro sexta vniuersali Synodo: Hæc Petrus, qui & petra fidei est, & princeps Apostolorum. Ann. Christi 680.

LXXXII. S. Aldhelmus Episcopus Schirebunensis in Anglia, de laudibus Virginitatis ad sacras Virgines cap. 28. Pastor gregis Dominici, & ianitor cœlestis aulæ, de quo Poeta. Ann. Christi 680.

Claniger æthereus, portam, qui pandit ad æthra;

Ita auctore principali, & authentico Pontificatu promulgat.

Idem, epist. ad Geruntium: Si ergo Petro claues cœlestis Regni à Christo collatæ sunt, de quo Poeta:

Claniger æthereus, portam qui pandit ad æthra;

quis Ecclesiæ eius statuta principalia spernens, & doctrinæ mandata contemnens, per cœlestis paradisi portam gratulantibus ingreditur? etsi ipse potestatem ligandi, atque monarchiam in cœlo, & terra felici sorte, & peculiari priuilegio accipere promeruit, quis Paschalis festi regulam; & tonsuræ Romanæ ritum refutans, non potiùs se strictis nexibus inextricabiliter obligandum, quàm clementer absoluendum vllatenus arbitretur? &c. Fundamentum Ecclesiæ, & firmamentum fidei principaliter in Christo, & sequenter in Petro collocatum nequaquam ingruentibus tempestatum turbinibus nutabundum vacillabit, ita Apostolo promulgante: Fundamentum aliud nemo

nemo potest ponere, &c. Petro autem veritas ita priuilegium Ecclesiæ sanxit: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.

LXXXIII. S.Iulianus Episcopus Toletanus, cognomento Pomerius contra Iudæos lib.4. Sic Petrus ipse, discipulorum omnium primus, nullis calculationum obijcibus prædicationem suam obnoxiam cernens, inquit, &c. Ann.Christi 680.

LXXXIV. S.Germanus Episcopus Constantinopolitanus, in Theoria rerum Ecclesiasticarum: Vertex enim ornatus, & corona duodecim Lapillorum, Apostoli sunt: petra verò Sanctissimus Apostolus, primus hierarcharum fuit. Ann.Christi 720.

LXXXV. S.Venerabilis Beda, Presbyter, & Monachus noster, ad cap.22. Lucæ: Sicut ipse tuam fidem, ne Satana tentante deficiat, orando protexi: ita & tu infirmiores quosque fratres exemplo tuæ pœnitentiæ, ne de venia fortè dispereant, erigere, & confortare memento. Ann.Christi 731.

Idem ad cap.13. Ioannis: Venit quoque ad Simonem Petrum. Quasi aliquibus iam lauasset, & post eos venisset ad primum. Quis enim nesciat primum Apostolum esse beatissimum Petrum? Sed non ita intelligendum est, quòd post aliquos ad illum venerit, sed quod ab illo cæperit.

Idem, homil. in Vigilia Apostolorum Petri, & Pauli: Quod Petro dictum est: Pasce oues meas, omnibus vtique dictum est. Hoc namquè erant cęteri Apostoli, quod fuit Petrus: sed primatus Petro datur, vt vnitas Ecclesiæ commendetur.

Idem, in Homil. diei Apostolorum Petri, & Pauli: Ideò B.Petrus, qui Christum vera fide confessus, vero est amore secutus, specialiter claues Regni cęlorum, & principatum iudiciariæ potestatis accepit, vt omnes per Orbem credentes intelligant, quia quicumque ab vnitate fidei, vel societatis illius quolibet modo semetipsos segregant, tales, nec vinculis peccatorum absolui, nec ianuam possint regni cęlestis ingredi.

LXXXVI. S.Ioannes Damascenus, Oratione de Transfiguratione Domini: Hoc, inquam, Petre à Christo supplex contende, ab eo, inquam, qui Ecclesiæ immaculatus sponsus est, qui te cęlestis regni clauicularium instituit, qui tibi viuciendorum, & soluendorum peccatorum potestatem concessit, quem tu Diuino ore Dei viuentis Filium prędicasti, &c. Assumpsit Dominus Petrum, vt Antistitem, qui totius Ecclesiæ gubernacula suscepisset. Ann.Christi 731.

Idem, Historiæ Barlaam cap. 11. Princeps discipulorum Petrus, fidei petra, salutifera passionis tempore, certò quodam consilio, aliquantis per à Deo desertus eo peccati prolapsus est, vt Dominum abnegaret, non tamen salutis spem abiecit: sed acerbissimas ab oppresso pectore lacrymas profudit, principem locum rursus tenuit: quemadmodum totius Orbis magister institutus fuerat, ita etiam pœnitentiæ exemplar effectus.

LXXXVII. S. Zacharias Papa, Epist. ad Vittam: Pro quo, & nos ardenti animo, & Diuino iuuamine, ac auctoritate B.Petri Apostolorum Principis, cui data est à Deo, & Saluatore nostro Iesu Christo ligandi soluendique potestas, peccata hominum in cęlo, & in terra, &c. Ann.Christi 743.

LXXXVIII. Beatus Stephanus Papa 3. in epistola ad Carolum, & Carolomannum Reges Francorum: Quapropter, & B.Petrus princeps Apostolorum, cui regni cælorum claues à Domino traditæ sunt, ac in cælo, & in terra ligandi soluendique concessa est potestas, firmiter excellentiam vestram, per nostram infelicitatem obtestatur, &c. Ann.Christi 755.

LXXXIX. S. Albinus Alcuinus Abbas noster, Caroli Magni Magister, ad cap. 21. Ioan. Trinæ negationi redditur Trina confessio, ne minus amori lingua seruiat, quàm timori: & sicut fuit iudicium timoris negare pastorem, sic officium amoris pascere Domini gregem, &c. Pascere oues, est credentes ne deficiant confortare: terrena subsidia, si necesse est, subditis prouidere; exempla virtutum præbere, aduersarijs obsistere, peccantes corrigere. Ann.Christi 770.

XC. B.Adrianus PP. 1. Epist.3. Euangelium scientibus liquet, quod voce Dominica sancto, & omnium Apostolorum Principi Petro claues Regni cęlorum, & totius Ecclesiæ cura commissa est. Ipsi quoque dicitur: Petre amas me, pasce oues meas. Ipsi dicitur: Ecce Satanas expetiuit, vt cribaret vos, sicut triticum: sed ego rogaui pro te. Ipsi dicitur: Tu es Petrus, &c. Ecce cura ei totius Ecclesiæ, & principatus committitur. Ann. Christi 779.

XCI. Elias Cretensis, in Orationem primam Nazianzeni: Quòd si etiam principem illum Petrum à sancto hoc viro legislatorem dictum fuisse existimemus, ne sic quidem malè accipiemus. Nam cum ipse pastoralem curam, & præfecturam primus à vero pastore acceperit, haud quaquam absurdè ipse, & omnis pastoralis disciplinæ legislator (dumtaxat post primum, & verum pastorem) & lex ipsius constitutiones dici queunt. Ann. Christi 780.

XCII. Constantinus, & Irenes Imperatores Constantinopolitani, Epistola ad Episcopos in Synodo 2. Nicęna: Petrus Apostolicæ Sedis primus Dux seruilem, & temerariam insaniam verberans, Iudaici auditus instrumentum gladio amputauit. Ann.Christi 780.

XCIII. Synodus Nicęna secunda Patrum 350. Canone 4. Præcepti enim, & Petrus Apostolus summus: Pascite gregem Domini, Episcopatum gerentes non per vim, sed sponte, ac voluntate secundùm Deum. Ann.Christi 781.

XCIV. D.Aponius, lib. 2. in Cantica: Manifesta est autem omni terræ, vbi patrua sanæ doctrinæ Apostolorum Principi reuelata est Petro, dum interrogante Christo respondet: Tu es Christus Filius Dei viui, qui in hunc mundum venisti, &c. Ista pascua non videt Iudæus, neque Gentilis, neque omnino hæreticus, qui non sequuntur pastorem, quem princeps Pastorum Christus mundo Vicarium dereliquit, dicendo: Si amas me, pasce oues meas. Ann. Christi 812.

XCV. Theophanes Cerameus, Serm. de SS.Apostolis: Ego verò dico tibi, quòd tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Tu, inquit, Petrus es, petra

fides fidei, verbi, & Ecclesiæ firmatæ fundamentum, ac spiritualis ædificationis primus aditus. Super hanc enim confessionem fundamentum Ecclesiæ stabit. Tali namque petra, & rupe collocata reliqua dogmata, firmè, ac tutè ædificabuntur. Ann. Christi 820.

XCVI. Smaragdus, Abbas S. Michaelis ad Mosam, ad cap. vlt. Marci: Omnipotens Deus, quam cunctis præferre disposuerat, ancillæ vocem pertimescere, & seipsum negare permisit. Ann. Christi 820.

XCVII. S. Theodorus Studites, Epist. ad Paschalem PP. Audi Apostolicum caput, à Deo electe clauiger Regni cœlorum, petra fidei, super quam ædificata est Ecclesia Catholica. Ann. Christi 820.

Idem, Epist. de Imaginibus: Proindè intelligo asseruari Romæ claues Petri Apostolici Senatus Principis honoris gratia, etiamsi claues nullas sensibiles Dominus Petro dederit, sed oretenus in hoc, vt penès illum esset potestas ligandi, atque soluendi.

XCVIII. S. Methodius Syracusanus, Patriarcha Constantinopolitanus, in Martyrio Dionysij Areopagitæ: Petrus Apostolus Romæ prædicauit, vt tamquam Coryphæus sanctorum Apostolorum, in ordine Apostolatus factus primus, in Vrbe Roma fieret particeps passionum Christi. Ann. Christi 830.

XCIX. Claudius Altissiodorensis Episcopus in cap. 5. Epist. ad Galat. super illud: In faciem restiti: Sed nec Paulus tam procaci maledicto de Ecclesiæ Principe loqueretur: nec Petrus dignus, qui conturbatæ Ecclesiæ reus fieret. Ann. Christi 820.

Idem: in cap. 2. Petrum solùm nominat, & sibi comparat, quia Primatum ipse accepit ad fundandam Ecclesiam: se quoque pari modò electum, vt Primatum habeat in fundandis Gentium Ecclesijs.

C. D. Aponius lib. 1. in Cantica Canticorum, Introduxit me Rex in Cellaria sua: De quibus Cellarijs in B. Petro suscepit claues, in quibus summam rerum adeptus est potestatem, ligandi, soluendique meruit principatum. Ann. Christi 830.

CI. Haymo Episcopus Halberstadiensis, Domin. 2. post Pascha: Vndè primus Pastor Ecclesiæ reliquos pastores admonet, dicens: Seniores, qui in vobis sunt, obsecro. Ann. Christi 830.

CII. Michael Syngellus, in Dionysio Areopagita: Hic magno illi, & summo omnium Petro comparandus est, cui æternam Filij generationem Pater reuelauit: super quem, tamquam Petram, & inconcussum fidei fundamentum: Christus, veræ fidei petra, qui omnia fecit, & continet, propriam Ecclesiam fabricauit: quemque cęlestis habitationis, ac hæreditatis clauigerum, ac hæredem declarauit, ac potestatem illi Diuinam ligandi, atque soluendi funes peccatorum præbuit. Ann. Christi 830.

CIII. Dungalius, contra Claud. Taurin. pag. 925. edit. Paris. 1610. Hunc indè inoleuisse errorem, quod imperitum hominum genus non intelligens Domini verba; quibus ait Petro: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersùs eam, & tibi dabo claues Regni cęlorum, &c. consuetudinem assumpsit adire Romam, quasi ibi plusquam alibi possit proficere; cùm Petrus nihil indè sciat, nec valeat succurrere, nec adimere. Et quia non dixerit Dominus Petro: Quodcumque solueris in cęlo, erit solutum, & in terra: & quodcumque ligaueris in cęlo, erit ligatum super terram. Ob hoc Petrus de terra migrans ad cælum, reliquit ministerium; quod ei, quamdiù in terra habitauerat, concessum est, & alijs succedentibus est traditum. Ann. Christi 830.

Idem, pag. 932. Super hanc petram. Quia dixerat Petrus: Tu es Christus Filius Dei viui, super hanc ego, inquit, petram, quam confessus es, ædificabo Ecclesiam meam. Petra enim Christus, super quod fundamentum etiam ipse ædificatus est Petrus: Fundamentum quippe aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Iesus. Ecclesia ergo, quæ fundatur in Christo, claues ab eo Regni cęlorum accepit in Petro, idest, potestatem ligandi, soluendique peccata, quod est enim per proprietatem in Christo Ecclesia, hoc est per significationem Petrus in petra: Qua significatione intelligitur Christus Petra, Petrus Ecclesia.

CIV. S. Rabanus Archiepiscopus Moguntinus, ad Matth. cap. 16. Habent quidem eamdem iudiciariam potestatem Apostoli, quibus post resurrectionem ait: Accipite Spiritum sanctum, &c. Habet & omnis Ecclesia in Episcopis, & Presbyteris: sed ideò specialiter Petrus accepit, vt omnes intelligant, quod quicumque ab vnitate fidei, & societate eius se separauerit, nec à peccatis solui, nec cælum potest ingredi. Ann. Christi 835.

Idem ad cap. vlt. Ioannis: Simon, idest obediens, qui propter primatum Apostolici ordinis vocatur Petrus, idest firmus.

CV. Vualfridus Strabo, Monachus Fuldensis, de rebus Ecclesiasticis cap. 22. Et Romani quidem vsum obseruationum à B. Petro Apostolorum Principe accipientes, suis quique temporibus, quæ congrua iudicata sunt, addiderunt. Quorum morem ideò in sacris rebus tam multæ gentes imitantur, quia & tanti magisterij ex apice Apostolico primordijs clarent, & nulla per Orbem Ecclesia æquè, vt Romana ab omni fæce hæresum cunctis retro temporibus pura permansit. Ann. Christi 845.

CVI. Lupus, Abbas Ferrariensis in Gallia, Epist. 84. In eo læsisti Apostolos, quorum princeps est Petrus: læsisti Episcopos, qui iam cum Deo regnant in cælis. Ann. Christi 850.

CVII. S. Eulogius Episcopus Toletanus, & Martyr, in Memoriali Sanctorum: Nam & B. Petrus Princeps Apostolorum, firmissimum Ecclesiasticæ catholicæ fundamentum, vtpotè cui ab ipso Redemptore dictum est: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Ita in suis epistolis ait, &c. Ann. Christi 850.

CVIII. Nicolaus PP. I. Epist. 6. Postquam B. Petro Principi Apostolorum Dominus, & Redemptor noster Iesus Christus, ligandi, atque soluendi in cœlo, & in terra potestatem tribuit, & ianuas Regni cęlestis reserandas concessit, supra soliditatem fidei suam sanctam dignatus est stabilire Ecclesiam, secundùm

cundnm illius veridicam vocem: Tu es Petrus, &c. Ad quam promissionem S. Apostolicæ institutionis cæmento cæperunt huius fundamenta ex pretiosis succrescere lapidibus, & annuente Diuina clementia, per studium structorum, & Apostolicæ auctoritatis sollicitudinem, vsque ad culmen insolubiliter perducta perpetualiter mansura; sine sinistræ auræ impulsu consistere: cuius primatum B. Petrus princeps regni cęlorum, & ianitor Regni cęlestis meritò promeruit. Ann. Christi 860.

Idem, Epistola ad Mediolanenses: Ecclesiam Romanam solus ipse fundauit, & super petram fidei mox nascentis erexit, qui B. Petro æternæ vitæ clauigero terreni simul, & cęlestis imperij iura commisit. Non ergo quælibet terrena sententia, sed illud verbum, quo constructum est cęlum, & terra, per quod denique omnia condita sunt elementa, Romanam fundauit Ecclesiam. Illius certè priuilegio fungitur, cuius auctoritate fulcitur.

CIX. Ignatius Constantinopolitanus, Epist. ad Adrianum 2. Omnium Magister dicit Petro magno, & summo Apostolorum: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: Tales beatas voces non secundùm quamdam vtique sortem Apostolorum Principi Petro solùm circumscripsit, & definiuit, sed ad successores quoque deriuari voluit, Ann Christi 870.

CX. Ioannes PP. 8. Epist. 75. Conuertimini igitur ad B. Petrum Apostolorum Principem, qui primus cognouit, & confessus est Filium Dei: qui oues Dominicas regendas accepit, & vt has ad æternæ pascua vitæ introducere posset, & hic ligandi, soluendique potestatem, & illic reserandi eis claues cęlestis regni promeruit. Ann. Christi 875.

CXI. Concilium vniuersale Gallicanum ab Ioanne Papa VIII. eiusque Regni Episcopis, apud Tricassinam Vrbem, præsente Ludouico II. Rege celebratum mense Augusto, & Septembri Ann. Christ. 878. Pontificatus 65. Ex responsione eorumdem Episcoporum ad eumdem Pontificem. Extat tom. 3. Conc. Gall. Domine Sanctissime, & Reuerentissime Pater Patrum Ioannes Catholicæ, atque Apostolicæ Ecclesiæ Romanę videlicet, primæ Sedis Papa, nos famuli, ac discipuli vestræ auctoritatis, Galliarum, & Belgicarum Episcopi, his, quæ super vulnera dolorum vestrorum maligni homines, & ministri diaboli addentes in sanctam Matrem nostram, ac magistram omnium Ecclesiarum commiserunt, compatimur, & dolori vestro consentes condolemus, atque indicium vestræ auctoritatis, quod priuilegio B. Petri, & Sedis Apostolicæ in eos, & complices eorum, iuxta sacros Canones Spiritu Dei conditos, & totius mundi reuerentia consecratos, & secundùm eiusdem Romanæ Sedis Pontificum decessorum vestrorum decreta protulistis, voto, voce, & vnanimitate nostra, atque auctoritate sancti Spiritus, cuius gratia in Episcopali ordine sumus consecrati, gladio Spiritus, quod est Verbum Dei, eos interimentes persequimur.

CXII. Leo Sextus Imperator, in sermone de Petro: Post resurrectionem ter Petrum Dominus percontatus, an ab eo diligeretur, principem pastorem constituit, deditque ei pascendi potestatem, petens ab eo pascendi curam, tamquam vicem redamandi. Idcirco enim aiebat: Amas me, pasce agnos meos. Petrus verò cum intelligeret principatum eum magnum esse, & magnis indigentem viribus, videretque Ioannem sequentem, illum dico, quem Iesus vehementer amabat: Hic, inquit, quid? quod perinde erat quasi diceret: Mene præfici vis caput discipulis? hunc verò à te dilectum, qui voluit sedere ad dexteram, hunc, inquam, quid facere iubes? Ne igitur occasionem erroris aliqui conciperent, quod omnibus discipulis communiter dixisset: Quęcumque solueritis in terra, &c. respondit Dominus, quasi increpans Petrum: Sic eum volo manere donec veniam, quid ad te? Tu me sequere, id est, sequere me hoc baculo pastorali: & sicut ego, eum eram vobiscum, seruabam vos, vt Pater, & caput, ac Magister, vigilans pro vobis: sic tu esto mei loco, & sequere me principatu, ac potestate tua, fratres tuos confirmans. Te enim volo esse meo loco. Vnde manet in hodiernum vsq; diem Petrus sequens Christum in successore suo. Ann. Christi 880.

CXIII. Annales Caroli Magni Imp. scripti anno 890. lib. 5.

Proque locis sanctis alijs specialiter eius
Menti Romanæ Sedis inhæsit amor.
Nam sanctum venerans Petrum, qui Claniger extat
Cœli, quique chori primus Apostolici:
Eius ad Ecclesiam donaria maxima sæpe
Mittens, thesauros contulit innumeros.

CXIV. Altercatio Synagogæ, & Ecclesiæ, cap. 19. Romanæ Sedis numquam intermorituram esse fidem Christus pronunciasse videtur, quando concredidit, atque collatis Petro cœlestis regni clauibus, id est, totius Ecclesiæ suprema potestate commissa: Ego, inquit, rogaui pro te, vt non deficiat fides tua. Et alibi: Tu es Petrus, &c. Petrum quippè Romanæ Ecclesiæ pręsulem fore, ibique martyrio consummandum præuidit, cuius fidem non defecturam promittit. Quid quæso nobis insinuasse censendus est, quàm quod ea potissimùm Ecclesia, cuius Petrus velut è vicino, cum esset aliàs omnium post Christum Ecclesiarum caput, & summus Antistes, Præsul erat futurus, in vnius, ac veræ fidei confessione perpeti consensu semper esset permansura? Ann. Christi 890.

CXV. Luitprandus Ticinensis Diaconus lib. 6. cap. 8. Princeps Apostolorum B. Petrus verbo cœlum indignis claudit, iustis aperit. Ann. Christ. 950.

Idem, de vitis Romanor. Pontificum, cap. 1. B. Petrus Apostolus, & Princeps Apostolorum, filius Ioannis, Prouinciæ Galileę, vico Bethsaida, frater Andreæ, primùm sedit in Episcopali Cathedra Antiochiæ annos septem, & post ad expugnandum Simonem Magum, vt Hieronymus dicit, Romam ingressus secundo Claudij anno, in Episcopali Cathedra sedit annos 25. mens. 2. dieb. 3.

CXVI. Albo Floriacensis Abbas, & Martyr, de vitis Roman. Pontificum: B. princeps Apostolorum, filius Ioannis, prouinciæ Galilææ

lileæ, vico Bethsaidæ, frater Andreæ primùm tenuit Cathedram Episcopatus in Antiochia annis septem, & post in Vrbe Roma annis 25. mens. 2, dieb. 3. Ann. Christi 970.

CXVII. B. Simeon Metaphrastes, in vita Iacobi Apostoli: Cùm verò quæ Hierosolymis erat Ecclesia, ad hoc esset congregata, vt Petrus primus Apostolorum præesset fidei, & deijceret semina impietatis: Viri fratres, inquit Iacobus, &c. Ann. Christi 970.

Idem in Eucomio Ioannis: Petrus non audebat Dominum interrogare, quamuis inter Apostolos primatum teneret.

CXVIII. Oecumenius, ad cap. 1. Act. Surgit Petrus, non Iacobus, tanquam feruentior, & velut is, cui discipulorum præsidentia commissa erat. Ann. Christi 1040.

Idem, ad cap. 1. epist. ad Galatas: Redij Hierosolymam, vt Petrum viderem. Considera animi modestiam. Post tot, tantaque certamina abijt, vt videret Petrum, tanquam maiorem. Vt autem etiam maneret, causa honoris, quem Petro deferebat, actum est.

CXIX. S. Leo Papa IX. ad Michaelem Imp. & Leonem Acridanum cap. 7. Taliter sancta Ecclesia super petram, idest Christum, & super Petrum, vel Cepham filium Ioannis, qui priùs Simon dicebatur, ædificata, quia inferi portis, disputationibus scilicet hæreticorum, quæ vanos ad interitum introducunt, nullatenus foret superanda, sic pollicetur ipsa veritas, per quam sunt vera quæcumque vera sunt: Portę inferi non præualebunt aduersùs eam: cuius promissionis effectum se precibus impetrasse à Patre idem filius protestatur, dicendo ad Petrum: Simon, ecce Satanas expetiuit vos, vt cribraret, sicut triticum: ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. Erit ergo quisquam tantæ dementiæ, qui orationem illius, cuius velle est posse, audeat in aliquo vacuam putare? Ann. Christi 1050.

Idem epist. ad Petrum Episcopum Antiochenum, cùm multa dixisset de dignitate Petri & Romanæ Sedis prærogatiua, subiungit: Nimirum solus est ille, pro quo, ne deficeret fides eius, Dominus, & Saluator asseruit se rogasse dicens: Simon, ecce Satanas expetiuit vos, vt cribraret sicut triticum: ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos: quæ venerabilis, & efficax oratio obtinuit, quod hactenus fides Petri non defecit, nec defectura creditur in Throno illius vsque in sæculum sęculi, sed confirmabit corda fratrum varijs concutienda fidei periclitationibus, sicut vsque nunc confirmare non cessauit.

CXX. Ioannes Psellus, in Cantica, ad illud: Crura illius sunt columnæ marmoreæ: Per crura Petrum intellige Apostolorum principem, super quem Dominus in Euangelio Ecclesiam se ędificaturum promisit. Ann. Christi 1050.

CXXI. S. Petrus Damiani Card. Episcopus Ostiensis: serm. 1. de B. Andrea Apostolo: Et vt magis stupeas, non molestè tulit Andreas, quod in fide primus, factus est ordinis dignitate secundus: nec zelo ductus est, quod Petrus, qui eius ducatu posterior credidit, cuiusque ad fidem ipse præuius fuit, prioratus tamen inter Apostolos iura suscepit. Ann. Christi 1060.

CXXII. B. Alexander Pp. II. in Concilio Romæ celebrato: Cùm omnibus discipulis parem ligandi, atque soluendi potestatem Dominus daret, Petro præ omnibus claues Regni cœlestis se daturum promisit. Quicumque ergo ab vnitate Ecclesiæ, quæ per Petrum intelligitur, fuerit alienus execrare potest, consecrare non potest. Ann. Christi 1063.

CXXIII. Theophylactus Archiepiscopus Bulgarorum, ad cap. 16. Matth. Remuuerat Petrum Dominus, mercedem ei dans magnam, quod super eum ædificauit Ecclesiam. Ann. Christi 1065.

Idem, ad cap. 22. Lucæ: Tu conuersus. Planus huius intellectus est: quia te habeo vt principem discipulorum, postquam me negato fleueris, & ad pœnitentiam veneris, confirma cæteros. Hoc enim te decet, qui post me Ecclesiæ petra es, & firmamentum.

Idem, ad cap. 21. Ioannis: Totius Orbis ouium præfecturam Petro committit: non autem alij, sed huic tradit, primùm quidem, quia omnes præcellebat, & totiùs cætus os erat, &c.

Idem, ad cap. 1. epist. ad Galat. Et hoc insignis humilitatis animi signum, si qui tanta transegerat, ad Petrum abijt, non vtilitatis gratia, sed solo visendi studio, honorans eum, ceu maiorem se. Propterea neque dixit *idein*, id est vt cernerem Petrum: sed *historisai*, id est, vt viderem, & cum obseruatione intuerer: quod magnas, & præclaras vrbes addiscentes dicunt, perinde ac nos abimus ad sanctos viros: sed nos potiùs vtilitatis causa, ille verò solius honoris gratia.

CXXIV. S. Gregorius Papa VII. lib. 8. epist. 21. Quis ignorat vocem Domini nostri Iesu Christi dicentis in Euangelio: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: & portæ inferi non præualebunt aduersùs eam. Et tibi dabo claues Regni cœlorum. &c. Numquid hic Reges excepti? aut non sunt de ouibus, quas Filius Dei Petro commisit? Quis rogo in hac vniuersali concessione ligandi, atque soluendi à potestate Petri se exclusum esse existimet? Nisi fortè infelix illi, qui iugũ Domini portare nolens, diaboli se subijcit oneri, & in numero ouium Christi esse recusat? Cui tamen hoc ad miseram libertatem minimè proficit, quod potestatem Petri diuinitus sibi concessam à superba ceruice excutit. Quoniam quantò eam quisque per elationem ferre abnegat, tantò durius ad damnationem suam in iudicio portat. Hanc itaque diuinæ voluntatis institutionem, hoc firmamentum dispensationis Ecclesiæ, hoc priuilegium B. Petro Apostolorum principi cęlesti decreto principaliter traditum, atque firmatum, Sancti Patres cum magna veneratione suscipientes, sanctam Romanam Ecclesiam vniuersalem Matrem appellarunt. Ann. Christi 1075.

CXXV. Georgius Cedrenus, in Compendio historiar. fol. 375. Gregorius Apostolicus vir, & Petri Apostolorum Coryphęi confessor. Ann. Christi 1080.

CXXVI. S. Anselmus Archiepiscopus

Cantuariensis, ad cap. 16. Matthæi: Quorum remiseritis peccata. Eam potestatem ideò quasi vni Petro concessit specialiter, vt ad vnitatem nos inuitaret. Ideò enim eum principem Apostolorum instituit, vt Ecclesia quasi vnum principalem Vicarium Christi haberet, ad quem diuersa Ecclesiæ membra recurrerent, si fortè inter se dissentirent: quoniam si diuersa essent capita in Ecclesia, vnitatis vinculum rumperetur per diuersa schismata. Ann. Christi 1080.

CXXVII. Iuo Episcopus Carnotensis, epist. 54. Petrus postquam Christum cum periurio negauit, culpam lacrymis diluens, non solùm Apostolus, sed etiam Apostolorum princeps mansit. Ann. Christi 1100.

CXXVIII. Euthymius Rigabenus Monachus, ad cap. 6. Matthæi. Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: Tu es Petrus, vt qui post abnegationem fidei petra futurus es, vel tamquam iam prudentia firmus. Itaque super hanc firmitatem ædificabo Ecclesiam meam, siue te ponam fundamentum credentium. Et dabo tibi claues Regni Cœlorum. Cumque confessus esset ipsum esse Filium Dei legitimum, iam ei demonstrat suæ Diuinitatis dignitatem, dicens: Ædificabo super te Ecclesiam meam, & dabo tibi claues Regni cœlorum, videlicet, vt ad illud introducas: siquidem clauigeri est introducere. Ann. Christi 1118.

Idem ad cap. 21. Ioannis: Petro pascendi curam, & gubernationem committit, vt qui & priùs amaris illis lacrymis negationis maculam abluerit, & nunc rursùm pro trina negatione trinam offerat confessionem. Et post: Et cum hæc dixisset, dicit illi: Sequere me. Hinc rursùm ostendit, quod præ cæteris sibi cum familiarem faciat, ac ampliori dignetur honore vt etiam promptior fiat. Quod si quis dicat: quomodo ergo Iacobus Hierosolymitanam accepit Sedem? dicemus quod Petrus orbis constitutus est præceptor.

Idem ad cap. 16. Marci: Primùm apparuit Christus Magdalenæ, & alteri Mariæ; deinde his duobus; postmodum Petro; demum verò illis duobus. Sanè his non habita est fides: Petro verò tamquam summo, & cæterorum principi, creditum est: & ita duo, qui apud Lucam ab Emaus reuersi sunt, inuenerunt Apostolos dicentes: Surrexit Dominus verè, & visus est à Simone.

CXXIX. B. Rupertus Abbas Tuitiensis, de Trinitate & operibus eius, in volumen quatuor Euangeliorum lib. 1. cap. 25. Potestas quidem communis est omnium Apostolorum, sed vnum & singulare vuius est Petri priuilegiũ, cui priùs & singulariter dictũ est: Tibi dabo claues Regni Cœlorum. A.C. 1120.

Idem, de processione Spiritus sancti, lib. 9. cap. 18. Rectè Petrus hic intelligitur vnus de Seraphim. Ipse enim est Apostolorum primus, & ipsi præ cæteris dictum est: Quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis.

CXXX. Honorius Abbas Augustodunensis sermone de Petro, & Paulo: Petrum Dominus pisces insequentem de naui vocauit, claues ei Regni cœlorum donauit, principem Ecclesiæ exaltauit. Ann. Christi 1120.

Idem, serm. de decollatione Ioannis Baptistæ: Petrus, qui à Deo princeps Ecclesiæ, ianitorque cęli constituitur, versis pedibus, vt canis suspenditur.

CXXXI. Hugo de sancto Victore, serm. 64. de Apostolis Petro & Paulo: Petrus cæteris eminet excellentia potestatis: Paulus excellentia prędicationis. Petrus Sol, Paulus Luna. Petrus Sol per collatam sibi cælitus sapientiam. Luminare maius fecit Deus, dum dixit Petro: Caro & sanguis, fidei sacramentum, tibi non reuelauit, sed Pater meus, qui est in cælis: & illum tunc lucere in cęlo præcepit, dum illi claues Regni cęlorum contradidit. Luminare minus fecit, dum Saulum strauit, & Paulum erexit, &c. Petrum Soli comparo, cùm Petro soli dictum esse constet: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, &c. Petroque soli inter cæteros, & præ cæteris à Domino cura pastoralis principaliter, & specialiter iniuncta est, vbi dicit: Pasce agnos meos. Ann. Christi 1130.

CXXXII. S. Bernardus Abbas Claraualleusis, sermon. 3. de 7. misericordiarum fragmentis: Testis est Paulus Gentium Doctor, qui plus omnibus Diuina gratia laborauit: Testis est Matthæus de telonio in Apostolum electus, cui etiam noui Testamenti primùm scriptorem esse donatum est: Testis & Petrus, cui post trinam negationem totius Ecclesiæ cura pastoralis commissa est. Ann. C. 1130.

Idem, de consideratione ad Eugenium lib. 2. cap. 9. Cui enim non dico Episcoporum, sed etiam Apostolorum, sic absolutè & indiscretè totæ commissæ sunt oues? Si me amas Petre, pasce oues meas. Quas? illius, vel illius populos ciuitatis, aut regionis, aut certè Regni? Oues meas, inquit, cui nõ planum, non designasse aliquas, sed assignasse omnes. Nihil excipit, vbi distinguitur nihil. Et fortè præsentes cæteri condiscipuli erant, cùm committens vni, vnitatem omnibus commendaret, in vno grege, & vno pastore, secundùm illud: Vna est columba mea, formosa mea, perfecta mea. Vbi vnitas, ibi perfectio: reliqui numeri perfectionem non habent, sed diuisionem, recedentes ab vnitate. Cant. 6. Inde est, quod alij singulis singulas sortiti sunt plebes, scientes Sacramentum. Denique Iacobus, qui videbatur columna Ecclesiæ, vna contentus est Hierosolyma, Petro Galat. 2. vniuersitatem cedens. Pulchrè verò ibi positus est, suscitare semen defuncti fratris, vbi occisus est ille: nam ille dictus est frater Domini. Porrò cedente Domini fratre, quis se alter ingeret Petri prærogatiuæ? &c. Discipuli nauigabant, & Dominus apparebat in Galat. 1. littore: quodque iucundius erat, in corpore rediuiuo: sciens Petrus quia Dominus est, in mare se misit, & sic venit ad ipsum, alijs nauigio peruenientibus. Quid istud? Nempè signum singularis Pontificij Petri, per quod non nauem vnam, vt cæteri quique suam, sed sæculum ipsum susceperit gubernandum: mare enim sæculum est: naues, Ecclesiæ. Inde est quod altera vice, instar Domini gradiens super aquas, vnicum se Christi Vicarium designauit, qui non vni populo, sed cunctis præesse deberet. Siquidem aquæ multæ, populi multi. Ita cùm quisque cæterorum habeat suam, tibi vni commissa est grandissima nauis,

nauis, facta ex omnibus; ipsa vniuersalis Ecclesia, toto orbe diffusa.

Idem, serm. 1. in die Petri & Pauli: quid Petro potentius, cui & terra obediuit, cùm mortuos reddidit, & mare sub pedibus eius se calcabile præbuit, qui Simonem Magum spiritu oris sui in aere attigit: qui claues Regni cœlorum tam singulariter accepit, vt præcedat sententia Petri sententiam cęli?

Idem Epist. 237. ad Eugenium Papam: Locus in quo stas, terra sancta est. Locus Petri, locus Principis Apostolorum, vbi steterunt pedes eius. Locus illius est, quē constituit Christus dominum domus suæ, & Principem omnis possessionis suæ. Meritò tali pastori, tali nutritio commissa est Ecclesia, cùm adhuc tenera, adhuc in incunabilis, esset, cuius docta magisterio, & exemplo educata omnia terrena calcaret.

CXXXIII. Otho Episcopus Frisingensis, lib. 3. Chronic. cap. 15. Petrus aliorum princeps, totius Orbis Dominam sortitus Romam. Ann. Christi 1145.

CXXXIV. Nilo Thessalonicensis, de Primatu Papæ: Petrus quidem, & Apostolus, & Apostolorum princeps, &c. Et Petrus quidem præceptor vniuersi orbis. A.C. 1150.

CXXXV. Poto Prumiensis Presbyter, de statu Domus Dei, lib. 1. In hac tota domo B. Petrus cum suis successoribus plenitudinem potestatis accepit. Vnde quicumque in partem sollicitudinis vocati sunt, vt ea, quæ in partem regenda susceperunt, prouida dispensatione gubernent, eius auctoritate roborandi, eius exemplis informandi sunt, qui in plenitudine potestatis toti Ecclesiæ præesse dignoscitur. Ann. Christi 1153.

CXXXVI. Eckebertus Abbas S. Florini Diœcesis Treuerensis, & aduersùs Catharos hæret. serm. 3. Petrus Antiochia profectus est Romam, itemque in ea fidem Catholicam docuit, ac maximam partem ciuitatis ad Christum conuertit, & per 25. annos Ecclesiam Christi ibi gubernauit. Ann. Christi 1160.

Idem, serm. 80. Audi insensate, quod Princeps Apostolorum, Petrus, non ignem, sed aquam ad baptizandum homines illos fecit exhiberi.

CXXXVII. Hugo Etherianus, de processione Spiritus sancti lib. 3. cap. 17. Quibus ex rebus liquidò claret, quod Petrum, eiusque successorem Christus principem, & caput, non modò Latinorum, & Græcorum, Occidentis & Septemtrionis voiuersi, verùm etiam Armenorum, Arabum, Iudæorum, Madianitarum, & totius orientis, & Meridiani climatis, in perpetuum constituit. Ann. Christi 1177.

CXXXVIII. Guaricus Abbas Igniacensis in Gallia, de Assumptione Mariæ serm. 4. Sic inter Petrum, qui plus diligebat, & Ioannem, qui plus diligebatur, hereditatem suam Christus diuisit, vt Petrus sortiretur Ecclesiam, Ioannes Mariam. Ann. Christi 1180.

Idem, sermone ad excitandam deuotionem in psalmodiam: Propterea non ego, sed magis Ecclesiæ princeps, & pastor vos admonet: Quasi modò geniti infantes, rationabiles, & sine dolo lac concupiscite. Pet. 2.

CXXXIX. Adam Victorinus, Prosa de Petro, & Paulo: Ann. Christi 1180.

Petrus præit Principatu,
Paulus pollet Magistratu
Totius Ecclesiæ,
Principatus vni datur,
Vnitasque commendatur
Fidei Catholicæ.
Vnus cortex est granorum
Sed vna vis multorum
Sub eodem cortice.
Prosa de S. Petro.
Petro sunt oues credita,
Clauesque cęli tradita:
Petri præit sententia,
Ligans ac soluens omnia.

CXL. Gothefridus Viterbiensis, Notarius Conradi 3. & Friderici Primi Imp. parte 14. Chronicorum, de Simone Petro: Petrus firmamentum petræ in Ecclesia est: Cephas caput Ecclesiæ est: Petrus Apostolorum Princeps est: primus Confessor Dei, & discipulus est: Pastor humani generis, Clauiger æthereus. Ann. Christi 1186.

CXLI. Theodotus Balsamon Patriarcha Antiochenus, ad Canonem 16. Synodi Carthaginensis: Portæ inferi aduersùs Ecclesiam non præualebunt, quæ à Domino supra Dei præconem Petrum ædificata est. A.C. 1191.

CXLII. Innocentius Papa Tertius serm. 1. in festo Gregorij Papæ: Licèt communiter omnes Apostoli claues Regni cælorum acceperint, ac per hoc omnes Episcopi, vt quicquid adhibitis clauibus ligauerint super terram, sit ligatum, & in cœlis: & quicquid soluerint super terram, & sit solutum: & in cęlis, principaliter, tamen B. Petrus claues Regni cęlorum accepit, & per hoc successor eius, vt ipse possit ligare cæteros, sed ligari non possit à cæteris. Ei namque singulariter dictum est. Tu vocaberis Cephas, id est, Caput. Sicut enim in humano corpore solum caput habet plenitudinem sensuū, cętera verò membra partem recipiunt plenitudinis: sic & in Ecclesiastico corpore cæteri Episcopi vocati sunt in partem sollicitudinis, sed supremus Pontifex assumptus est in plenitudinem potestatis. Ann. Christi 1200.

Idem, lib. 1. mysteriorum Missæ cap. 8. Omnibus Apostolis Christus vnum præposuit, videlicet Petrum, cui totius Ecclesiæ Principatum, & ante passionem, & circa passionem, & post passionem commisit. Ante passionem, cum dixit: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, &c. licèt enim vniuersis Apostolis communiter dixerit: Quorum remiseritis peccata, remittuntur ijs: principaliter tamen Petro concessit cum dixit: Quodcumque ligaueris super terram, &c. Circa passionem autem, cum pluraliter dixisset de omnibus: Simon, ecce Sathanas expetiuit vos, vt cribraret sicut triticum, singulariter tamen pro Petro subiunxit: Ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua; statimque subiunxit: Et tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos. Ad Petrum igitur, tamquam ad magistrum, pertinet cæteros confirmare, cuius fides in nulla tentatione defecit, etc. Post passionem autem, cùm tertiò quæsisset à Petro: Simon Ioannis diligis me plus his? & ille tertiò respondisset: Domine tu scis quia amo te: tertiò-

tióque præcepit: Pasce oues meas: statimque subiunxit. Sequere me; Petrus enim secutus est Christum, non solùm genere martyrij, sed & in ordine Magisterij.

CXLIII. Iacobus à Vitriaco Card. Episcopus Tusculanus, Hist. Orientalis cap. 75. Cephas, qui simpliciter Caput interpretatur, dicente Domino absque aliquorum exceptione: Quodcumque ligaueris super terram erit ligatum, & in celis. Et iterum: Pasce oues meas. Non dixit, tantùm Latinos, vel Occidentales, sed simpliciter, oues meas, vt esset vnum ouile, & vnus pastor. A.C. 1240.

CXLIV. Albertus Magnus Ord. Prædicatorum, ad cap. 10. Matth. Petrus primus dignitate, non vocatione: propter quod vertex dicitur Apostolorum &c. Attende, quod licèt Petrus vertex dicatur primus non tamen Andreas secundus dicitur, nec Philippus tertius, & sic deinceps: sed omnes secũdi sunt à Petro, ad iurisdictionem: quia non vnus sub alio, sed omnes sub Petro. Ann. Christi 1240.

Item ad cap. 16. Matth. Dico autem tibi singulariter: Non quod singulariter acceperit claues Petrus, sed quia in vnitate ordinis Ecclesiæ vnus est, qui accipit plenitudinem potestatis, qui est successor Petri, & Petrus in potestate.

CXLV. S. Thomas Aquinas Angelicus Doctor S. R. E. lib. 1. contra errores Græcorum cap. 32. Habetur ex Græcorum Doctorum auctoritatibus, quod Romanus Pontifex habeat in Ecclesia plenitudinem potestatis. Dicit Cyrillus Patriarcha Alexandrinus, in libro Thesaurorum: Sicut Christus accepit à Patre sceptrum Ecclesiæ gentium, ex Israel egrediens, super omnem principatum, & potestatem, super omne quodcumque est, vt ei cuncta curuentur: sic & Petro, & eius successoribus, plenissimam potestatem plenissimè commisit, vt etiam nulli alij, quàm Petro Christus, quod suum est plenum ipsi soli dedit, &c. Hoc etiam traditur auctoritate scripturę. Nam Dominus Matth. 16. vniuersaliter Petro dixit: Quodcumque solueris super terram, &c. Ostenditur etiam, quod Petrus sit Christi Vicarius, & Romanus Pontifex Petri successor in eadem potestate ei à Christo collata. Ann. Christi 1250.

CXLVI. Guibertus de Tornaco Ord. Minorum, de Officijs Ecclesiasticis cap. 35. Cæteris Apostolis singulæ nauiculæ, singulæ, scilicèt Ecclesiæ commissæ sunt: Petro verò maris vniuersitas est commissa. Iacobus, qui columna esse videbatur Ecclesiæ, sola Hierosolymitana contentus est, & singuli singulis: Petro verò vniuersalis Ecclesia in toto Orbe diffusa, in quo terminatur omnis perfectio hierarchica. Ann. Christi 1260.

CXLVII. Iacobus de Voragine, Episcopus Genuensis, serm. vlt. de Petro, & Paulo: Petrus fuit cæteris Apostolis sublimior in prælatione: Christus enim eum Summum Pontificem fecit, & suum Vicarium constituit, & dereliquit, quando ei dixit: Petre pasce oues meas. Ann. Christi 1280.

CXLVIII. Nicolaus Liranus, ex Iudaismo conuersus ad fidem, ad cap. 10. Math. Primus Simon. Non propter primitatem temporis, sed dignitatis: quia tãquam principali Apostolo Christus commisit sibi Ecclesiam regendam, vt patet Ioannis vltimo: Andreas autem frater eius fuit primus Christi discipulus ordine temporis, vt patet Ioan. 1. Ann. Christi 1320.

Idem, ad cap. 16. Matth. Potestas Clauium data Petro, intelligitur dati alijs, licèt Petro principaliùs, in quantum erat aliorum Capitaneus.

CXLIX. Landulphus Saxo, Ord. Carthusianorum, Vitæ Christi par. 2. cap. 1. Respondit Petrus pro omnibus, scilicet pro se, & pro alijs: quia õmnes vnum sciebant, & idem sentiebant. Licèt alij Apostoli etiam scirent, iste tamen eamquam senior, & Princeps, & caput aliorum, sit os totius Collegij, ac pro omnibus respondit, qui omnibus præesse, ac prodesse debuit, &c. Hic Petrus eligitur Ecclesiæ Prælatus, sed post cum alijs Apostolis hanc promissam potestatem accepit, vbi Apostoli Episcopi sūt ordinati, quando post resurrectionẽ Dominus insufflans in eos dixit: Accipite Spiritum sanctum, &c. Sed pastorem omnium fidelium, & Apostolorum Principem, ac suum Vicarium in tota Ecclesia præfecit, cùm ei dixit. Pasce oues meas. A.C. 1330.

CL. Nicephorus Callistus, libr. 2. hist. cap. 14. Sub Claudij Imperio, quæ omnia sapienter propter summum in genus humanum amorem dirigit prouidentia, quasi antesignanum, & insuperabilem, atque inuictum fidei propugnatorem, qui virtutis, ardorisque gratia primas inter Apostolos Diuinitus est consecutus, Petrum, perinde atque contra feram agrestem atque perniciosam, excitauit. Ann. Christi 1335.

Idem, cap. 44. Coryphæus, & princeps eius chori est Petrus.

CLI. Augustinus Triumphus de Ancona, de potestate Ecclesiastica quæst. 7. art. 2. Paulus fuit minor Petro, & maior, & æqualis. Minor quidem fuit potestate prælationis, quia solus Petrus fuit Cephas, id est, caput totius Ecclesiæ: Maior autem prærogatiua electionis; quia electus fuit à Christo post resurrectionem, & post glorificationem: Vnde in bulla Papę Paulus ponitur à dextris, Petrus verò à sinistris: sed æqualis fuit officio prædicationis. Ann. Christi 1337.

Idem quæst. 8. ar. 3. Christus instituit Petrum suum Vicarium, cui totum, quod suum erat, plenè commisit, vt loco eius regeret totam Ecclesiam.

CLII. Guido Carmelita, Episcopus Maioricensis, contra Waldenses errore primo: Constat quod Dominus Petrum, & in Petro Petri successores posuit omnium fidelium caput. Ann. Christi 1339.

CLIII. Petrus Bertandus Card. Episcopus Ostiensis, Tract. de origine, & vsu iurisdictionum, quæst. 4. Etsi Andreas priùs venit ad fidem quàm Petrus, prælatus, est tamen Petrus Andreæ, cum in Apostolorum catalogo semper Petrus quasi præcipuus præmittatur: non quod Petrus sit prior, siue potior dignitate. Ann. Christi 1355.

CLIV. Ioannes Bocatius de Certaldo: de casibus virorum Illustrium cap. 9. Christus ascensurus Petro Simoni postquam vices suas commiserat, eum, qua pio gregi præfecerat, claues concessit, afferens aduersùs eum nec Ditis ianuas præualere. Ann. Christi 1360.

CLV. S. Catherina Senensis Ord. Prædica-

eatorum, Tract. 3. cap. 119. Petrus princeps cæterorum Apostolorum claues ab vnigenito Filio Dei Regni cælorum accepit. Ann. Christi 1370.

CLVI. Honoratus de Haga Comes Hollandos, Monacus Benedictinus Specuensis, in libro Orationario de suffragijs Sanctorum, cap. 10. Deinde aliquos specialiter, ad quos specialem geris deuotionem, rogare poteris, vtpote B. Petrum principem Apostolorum, cogitando aliquas eius prærogatiuas, quia omnes cogitare non potes. Meditare ergo: Quod inter Apostolos à Domino Cephas, idest Caput vocatus est, & ordinatus: primus omnium Christum Filium Dei nominauit, & super eius fidei firmitatem Dei Filius suam ædificauit Ecclesiam: nominatim, & specialiter eidem Claues Regni cælorum tradidit, vt quodcunque solueret super terram, esset solutum & in cęlis: quod non deficeret fides eius, Christus pro ea specialiter rogauit, & quod suos fratres Apostolos confirmaret eum admonuit: prę magnitudine fidei super aquas maris pedibus ambulauit: quod totus mundus, & purus esset, Christus ei nominatim dixit: quod Resurrectio Christi eidem nominatim onnciaretur, Angelus mulieribus præcepit: Dei Filius post suę carnis resurrectionem oues suas, non distinguendo has vel illas, Orientem, vel Occidentem, Septentrionem ab Austro, ei pascendas commisit; erubescant ergo qui dicunt, ipsum non fuisse Vniuersalem, & specialem Pastorem omnium fidelium vbique terrarum existentium, & sub capite Christi vniuersalis Ecclesiæ; qui enim, & vt ex verbis Domini clarè patet, non vult pasci à B. Petro, negat se esse de ouibus Christi: Vmbra sua infirmos curauit: de carcere ab Angelo liberatus fuit. multis alijs super alios Apostolos priuilegijs refulget. Humiliter ergo ipsum deprecare, dicens, &c. Ann. Christi 1385.

CLVII. Petrus de Alliaco S.R.E. Cardinalis, sermone in synodo: Sic docuit nos Apostolorum, Prælatorumque omnium princeps, dicens: Obsecro pascite, qui in vobis est, gregem Christi. Ann. Christi 1411.

CLVIII. Thomas Waldensis Ordinis Carmelitarum, Doctrinalis fidei lib. 2. art. 1. c. 1. Iam audisti de primatu Petri, vt cognominatus à petra. Petrus eo ipso claruit principatu Apostolatus, & ipso in ordine Apostolorum primus, non quidem tempore, quem Andreas frater eius præcessit vocatione. Non ergo primus, nisi auctoritatis prælatione. Quod etiam manifestauit, quando appellatur princeps: sic enim sancti Patres Ecclesiæ singulos Apostolos Ecclesiarum principes, solum autem Petrum principem Apostolorum, vel Prælatum appellant. Ann. Christi 1420.

CLIX. B. Laurentius Iustinianus, Patriarcha Venetiarum, de Obedientia, cap. 12. Huius siquidem Apostolicæ Sedis arcem, huiusque Catholicæ Ecclesiæ Monarchiam Apostolus Petrus primus accepit, quando Dei Filium esse Dominum nostrum Iesum Christum confessus est, dicens: Tu es Christus Filius Dei viui. Quamobrem ab eodem Domino audire promeruit: Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Ann. Christi 1440.

CLX. B. Ioannes de Capistrano, Ord. Minorum, de Papæ & Conciliorum auctoritate fol. 114. Nec obstat, quod dicunt nonnulli Schismatici, quod potestas data fuit à Christo omnibus Apostolis, quia licèt omnibus data fuerit potestas clauium, tamen cum suo ordine, vt à Christo principaliter in Petrum, & à Petro in cæteros condescendat: sicut vnguentum in capite, scilicet Christo; quod descendit in barbam Aaron, scilicet summi Pontificis: quod descendit in oram vestimenti eius, scilicet in alios Episcopos, & ab Episcopis in alios sacerdotes. Hinc etiam dixit Dominus Petro: Confirma fratres tuos. Luc. 22. Ann. Christi 1440.

CLXI. Gennadius Scholarius Patriarcha Constantinopolitanus, de primatu Papæ, sect. 2. Si mundanæ potestates, quando disiunctæ sunt, intereunt, ac dilabuntur, quomodo debuit Christus Ecclesiam suam omittere sine capite? vt confusio sequeretur, & ex confusione destrueretur? sed vti supra omnem ordinem positus, & vti existens is, qui ordinem constituit, voluit & ordine suam societatem, videlicet ecclesiasticam, contineri: & vt ipse in terris erat Caput, Dominus & Magister discipulorum, & pater & pastor: sic cùm decreuisset ad paternum thronum ascendere, Petrum pręfectum ipsis constituit, patrem, & magistrum, &, vt vno verbo dicam, suum Vicarium, & Successorem. Ann. Christi 1440.

CLXII. Georgius Trapezuntinus, ad illud Ioannis: Sic eum volo manere. Petrus etiam antea, quando ipsi claues Regni cœlorum commendatæ fuerunt, totius Ecclesiæ princeps constitutus, apertiùs tunc vel restituitur, vel confirmatur. Ann. Christi 1445.

CLXIII. Pius Papa Secundus, in Bulla retractationum suarum: Non duos aut plures instituit Dominus, qui suum locum tamquam capita tenerent, sed vnum constituit, & verticem & pastorem vniuersi gregis, Simonem Petrum dicens: Tu es Petrus, &c. Ann. Christi 1460.

Idem, de Aulicorum miserijs: Petrus Apostolorum princeps, & caput Ecclesiæ dicit: Subiecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum.

CLXIV. Gabriel Biel, Germanus, lect. 35. in Canonem: Petrus fuit summus, ac caput Apostolorum, cui claues Regni cœlorum collatæ sunt, qui & cæterorum confirmator fuit, postquam à negatione Domini conuersus surrexit: cuius adhuc successor totius Ecclesiæ obtinet principatum. Ann. Christi 1480.

CLXV. Hartmannus Schydel Nosimbergensis, in Chronico Chronicorum Mundi, p. 102. In his per insufflationem Domini infunditur Apostolis omnibus Spiritus sanctus; & beato Apostolo Petro super cæteros post Regni claues, Ouilis Dominici cura mandatur. Et paulò post: Petrus Papa primus, Apostolorum princeps, Et pag. 104. Cùm autem separarentur ab inuicem, inquit Paulus: Pax tecum, Fundamentum Ecclesiarum, & Pastor omnium Agnorum Christi. Petrus respondit: Vade in pace prædicator bonorum, mediator & Dux salutis iustorum. Ann. Christi 1483.

CLXVI. Albertus Cranzius, Germanus, in Metropoli lib. 2. cap. 1. Petrus, ante Simon Ioannis vocatus, à petra Christo, super quem fun-

fundata est Ecclesia, princeps Apostolorum, cui tradidit excellenter Christus claues Regni cœlorum. Omnibus quidem Apostolis generaliter contribuit; sed ordo deposcebat Hierarchicus, vt esset in vno super omnes plenitudo potestatis. Primus in terris Christi Vicarius Cephas inde dictus, sedit Antiochiæ annis septem. Sed quoniam Caput Ecclesiæ congruenter ad Caput Imperij erat transferendum, venit Romam secundo Claudij anno. Ann. Christi 1500.

CLXVII. Baptista Mantuanus Carmelita, lib. 6. Fastorum in martyrio Petri, & Pauli. Ann. Christi 1510.

Nomen erat Petro Simon ab origine; sed cum
Vellet eum Deus esse basin templo ædificando,
Fecit ei solidæ nomen de nomine petræ:
Posteritas, quia Rector erat, clauumque tenebat,
Appellare Cepham voluit, quæ nomina Graio
A sermone trahunt, sicut sonus indicat ortum.

CLXVIII. Zaga Zabo Episcopus Æthiopiæ, in confessione fidei Æthiopicæ: Credo sanctum Petrum petram esse legis, quæ lex ædificata est super sanctos Prophetas, fundamentum & caput Ecclesiæ Catholicæ, & Apostolicæ, Orientalis, & Occidentalis, vbi est nomen Domini nostri Iesu Christi: cuius Ecclesiæ potestatem Petrus Apostolus habet, ac claues Regni cœlorum, quibus claudere, & aperire: soluere & ligare potest. Ann. Christi 1540.

CLXIX. Hieremias Patriarcha Constantinopolitanus, Responso 2. capite de iustitia fidei, & bonis operibus: Age igitur tu venerandorum Apostolorum Coryphæe Petre, dic testimonium, &c. Ann. Christi 1580.

Idem Responso tertio: Ex Apostolis autem Coryphæus inquit: Accipietis donum Spiritus sancti.

Hactenus Patres & Concilia, quos inter etiam Pontifices inseruimus, sed tamquam ex sacro Gymnasio Doctores: Nam tamquam è Throno Christi Vicarios, Petrique successores, distincto inferiùs ordine disponemus. Cæterùm tum ex his, tum ex illis, qui plures desiderat in rem præsentem sententias, non vereor quin ex voto sit reperturus: Non enim omnibus, quæ in nostra Aniciana Bibliotheca, & quidem selectissima asseruamus, autographis, vel apographis euoluendis lassas manus addicere consilium fuit: nedum vt quisquam valeat innumera Pontificum Rescripta, Bullas, Motus proprios, variaque vetustissima monumenta Archiuijs condita, vel per Orbem dispersa, reperire. Quæ tamen fideliter, ac diligenter adnotauimus, satis, superque sufficient ad manifestissimum contestandum, quo loco & titulo sanctus Paulus apud maximos Petri Successores Pontifices perpetuò fuerit, longè, inquam, à Petro differenti, atque inferiori, vt par est; immo quod magis mirandum videatur, sæpissimè quoque prateritus apparebit, vel etiam cum alijs Sanctis inuocatus, & præsertim cum Patriarcha meo Benedicto; ob eius præclara in Ecclesiam Catholicam, Sedemque Apostolicam merita, non inuidendo, sed generaliter, ac de more vti Intercessor legetur aduocatus, non vti auctoritatiua potestate, qua Petrus, contestatus, quemadmodum res ipsa loquetur.

Et ecce ex summorum Pontificum Rescriptis exempla, quæ casus, & temporis angustia ad manus obtulit.

CAPVT III.

S. Petrum Apostolorum Principem, Iesu Christi Domini Vicarium, Ecclesiæ Vniuersalis Pontificem singularem fuisse, Pontifices Maximi ipsius Successores testium reliquere.

I. EX Diplomate S. Damasi Papæ I. in Registro Sublacensi. In nomine Domini nostri Iesu Christi, anno Deo propitio Pontificatus Domni Damasi Summi Pontificis, & vniuersalis primi Papæ in sacratissima Sede B. Petri Apostoli anno 3. 2. non. Aug. &c. Atque in fine; Sedente in sella B. Apostoli Petri Damaso Lusitano Hispano, &c. Instrumentum hoc continet donationem Narrij Patritij Romani factam Basilio Archipresbytero Ecclesiæ S. Laurentij de Sublaco. Ann. Christi 369.

II. Ex literis Apostolicis S. Gelasij Papæ I. Extant in Bullario Romano, tom. 1. Gelasius Episcopus Vrbis Romæ ad Dardanos. Valde mirati sumus. Et infra; Quibus conuenienter, vt dictum est, ex paterna traditione perpensis, confidimus, quod nullus iam veraciter Christianus ignoret vniuscuiusque Synodi constitutum, quod vniuersalis Ecclesiæ probauit assensus, non aliquam magis exequi Sedem præ cæteris oportere, quàm primam, quæ & vnamquamque Synodum sua auctoritate confirmat, & continuata moderatione custodit, pro suo scilicet principatu, quem B. Petrus Apostolus Domini voce perceptum, Ecclesia nihilominus subsequente, & tenuit semper, & retinet. Ann. Christi 495.

III. Ex Ioanne Papa III. in priuilegio concesso Danieli Abbati eiusque Monasterio S. Medardi in Gallijs. Habet illud Renatus Choppinus lib. 1. tit. 2. Monasticon. Diuina inspirante gratia, & præcellentissimi Regis Clotharij suadente clementia, Monasterio S. Mariæ, & S. Petri, quod est extra Suessorum ciuitatem situm, vbi Dominus Medardus requiescit, & Daniel Abbas præesse videtur, hoc priuilegium indulgemus, vt terras, quas filius noster Clotharius ob salutem animæ suæ dedit, Croniacum scilicet &c. hoc quoque auctoritate SS. Trinitatis, & inseparabilis vnitatis, vice B. Petri Apostoli coram Rege Clothario, &c. Statuimus etiam, vt velut hæc Sedes B. Petri libera constat ab omni seruitio Regum, & potentatuum, ita remota omni consuetudine pessima Monachi Deo vacent liberi, & omnia Regulæ S. Benedicti actibus obediant sine vlla inquietudine; huius Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Antistitum authoritate

tate aduocationem Beati Petri habeat, &c. Anno 562. Indict. 10.

IV. Ex literis Apostolicis Pelagij Papę II. datis vniuersis Episcopis, qui ad Synodum Constantinopolitanam vocati sunt à Ioanne Constantinopolitano Episcopo. Extat in tom. 1. Romani Bullarij. Data A. D. 589. Manifesto, sicut optauimus gratiam Dei lumine, &c. paulòque post: Vnde fratres reiecta penitus audacia, quæ contra Apostolicam Sedem, & contra ipsam Domini Saluatoris vocem, qua dictum est: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, sumpta est disputandi contra Domini præcepta, varia errantium corda conquiescant, nec liceat defendi, quod non licet agere. Relatum est ergo ad Apostolicam Sedem, Ioannem Constantinopolitanum Episcopum, Vniuersalem se scribere, vosque ex sua præsumptione ad Synodum vocare generalem, cùm generalem Synodum conuocandi auctoritas Apostolicę Sedi B. Petri singulari priuilegio sit tradita, & nulla vnquam Synodus rata legatur, quæ Apostolica auctoritate non fuerit fulta. Quapropter quicquid in prædicto vestro conuenticulo (quia Synodus taliter pręsumpta esse non potuit) statuistis, ex auctoritate S. Petri Apostolorum principis, & Domini Saluatoris voce, qua B. Petro potestatem ligandi, atque soluendi ipse Saluator dedit, quæ etiam potestas in Successoribus eius indubitanter transiuit, præcipio omnia, quæ ibi statuistis, & vana, & cassata esse, ita vt deinceps nunquam appareant, nec ventilentur. Etenim ipso Saluator Beato Apostolo Petro, tanquam ipsa per se veritas loquitur dicens: Quæcumque ligaueris super terram, erunt ligata & in cœlo, & quæcumque solueris super terram, erunt soluta, & in cœlis, multis denuo Apostolicis, & Canonicis, atque Ecclesiasticis instruimur regulis, non debere absque sententia Romani Pontificis Concilia celebrari. Quapropter, vt iam dictum est, rectè non Concilium, sed vestrum conuenticulum, vel Conciliabulum cassatur; & quicquid in eo actum est, irritum habetur & vacuum.

V. Ex priuilegio S. Gregorij Papæ concesso Honorato Abbati, eiusque Monasterio Sublacensi. Ex eius Archiuo. Si semper sunt concedenda, &c. Dat. 4. Kal. Iulij, per manus Ioannis Episcopi sanctæ Albanensis Ecclesiæ, Bibliothecarij Summæ Apostolicę Sedis, Deo propitio Pontificatus Domni nostri Gregorij Summi Pontificis, & Vniuersalis primi Papæ, in sacratissima Sede Beati Petri Apostoli anno 4. Ann. Christi 594.

VI. Ex literis Apostolicis Ioannis Papæ Quarti. Extant in Archiuo nostri Collegij Gregoriani de propaganda fide. Dilectissimis fratribus vniuersis Episcopis per Galliam constitutis. Ioannes Episcopus seruus seruorum Dei. Quamquam priscæ regulæ, &c. Quoniam igitur Clotharius excellentissimus filius noster Rex Francorum pia, & religiosa deuotione perspicuus suis nos scriptis postulasse dignoscitur, vt Apostolicæ Sedis priuilegium impertiremur B. Petri principis Apostolorum, in loco, qui dicitur Montis Romarici, &c. dum profectò cuncta vsque ad fines terræ, & Oceani terminum sub B. Petri principis Apostolorum ditione consistunt: & oportet omnes omninò medullitus obedire, quæ per authoritatem B. Petri Apostolica Sedes postulata dignoscit indulgere. Et infra: Primùm quidem sui ordinis gradu, & dignitate priuabitur, & ex B. Petri Apostoli auctore, qui ligandi, soluendique in cœlo, & in terra meruit potestatem, &c. Ann. Christi 640.

VII. Ex priuilegio Adeodati Papæ concesso Ægerico Abbati, eiusque Monasterio Turonensi. Ex Archiuo eiusdem Monasterij. Dilectissimis Fratribus, vniuersis Episcopis in Galliæ partibus commorantibus, Adeodatus &c. Æquitatis nos admonet norma, quam apptimè custodire præcipimus, vt Canonica SS. Patrum consulta, præsertim à Beatissimis Apostolicæ Sedis Præsulibus, & prædecessoribus scilicet nostris, qui authoritatem successionis, ac vicem sacratissimi Apostolorum principis Petri per diligentem solertiam nacti sunt, quemadmodum statuta reperimus, intemerata, atque illibata custodia conseruemus. Ann. Christi 674.

VIII. S. Leo Papa II. in Epistola ad Constantinum Quartum Imper. de approbatione sextæ Synodi Constantinopolitanę, quæ extat edita Romæ 1612. Tom. 3. Concil. General. pag. 286. Regi Regum, &c. Sancta igitur vniuersalis, & magna sexta Synodus, quam nutu Dei vestra Clementia, & sedulè conuocauit, & cui pro Dei ministerio præfuit, Apostolicam in omnibus Regulam, & probabilium Patrum doctrinam secuta est, & quia definitionem rectæ fidei (vt dictum est) plenissimè prædicauit, quam & Apostolica Sedes B. Petri Apostoli (cuius licèt impares ministerio fungimur) veneranter suscepit; idcirco & nos, & per nostrum officium hæc veneranda Sedes Apostolica concorditer, ac vnanimiter his, quæ definita sunt ab ea, consentit, & B. Petri auctoritate confirmat, sicut supra solidam petram, qui Christus est, ab ipso Domino adeptis firmitatem. Ann. Christi 682.

IX. Ex priuilegio S. Benedicti Papæ II. Extat apud Garziam Laoisam, in Concilijs Hispaniæ. Benedictus gratia Dei presbyter, & electus Sanctæ Sedis Apostolicæ, Domino excellentissimo filio Eruigio. Cùm vnus extet Rex omnium Deus, &c. Hoc etiam, & in sanctis suis discipulis Saluator mundi, Dei Filius esse constituit, qui beatum Petrum sui vice Discipulorum suorum constituit principem; cuius salutari prædicatione, atque traditione ab hac sancta Apostolica Christi Ecclesia velut à fonte prędicationis progrediente, cunctæ Regiones, quibus etiam vestrum fastigium præsidet, ad cognitionem veritatis, & viam vitæ perducta fuerunt. Ann. Christi 685.

X. Ioannes Papa VII. in priuilegio concesso Stephano Abbati, eiusque Monasterio Sublacensi, quo Regalia & bona confirmat, atque inter alia: Si aliqua potestas causa odij, vel falsæ accusationis, aut qualicumque modo te cum grege tuo perturbare, aut iniustè à pastorali officio remouere voluerit, sine dubio nouerit se iram Omnipotentis Dei promereri, & Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli sibi infensos, aut Monasticæ Legisla-

torem sanctissimum Benedictum per omnia contrarium, &c. Dat. 12. Cal. Aug. per manum Gregorij Episcopi Ostiensis Ecclesiæ, & Bibliothecarij S. Sedis Apostolicæ, anno Deo propitio pontificatus Domini Ioannis Summi Pontificis, & vniuersalis Papæ in sacratissima Sede beati Petri Apostoli secundo. Ann. Christi 706.

XI. Zacharias Papa in priuilegio Confirmationis bonorum Monasterij Casinensis. Petronaci eius Abbati concesso. Ex eius Archiuo circa medium: Promulgantes quippe, & hoc auctore beati Petri Apostolorum principis, coram Deo, & terribili examine per hoc Apostolicum priuilegium constituimus, &c. At verò qui pio intuitu huius nostri Apostolici constituti obseruator extiterit, benedictionis gratiam à misericordissimo Domino Deo nostro, per intercessionem Beatissimi P. N. Benedicti consequatur, & vitæ æternæ præmia adipisci mereatur. Datum 12. Kal. Febr. per manum Benedicti Episcopi Sanctæ Syluæ Candidæ Ecclesiæ, & Bibliothecarij S. Sedis Apostolicæ, anno Deo propitio Pontificatus Domini nostri Zacharię Summi Pontificis, & vniuersalis Papæ in sacratissima Sede B. Petri Apostoli anno secundo. Ann. Christi 743.

XII. Ex priuilegio Zacharię Papę, Abbati & Monasterio S. Dionysij Parisiensis concesso. Habetur Tom. 2. Centur. 2. apud Iepium. Zacharias, &c. Priuilegium verò pro reuerentia Sanctissimi Dionysij, & pro tua petitione illi Ecclesiæ facientes auctoritate Patris Omnipotentis, & Filij, & Spiritus sancti, cum inuocatione cœlestium virtutum, & B. Petri Apostoli, & omnium Sanctorum Dei, auctoritate, & nostra statuimus, &c. Scriptum per manum Ioannis Scriniarij, anno 8. Domini nostri Zachariæ. Ann. Christi 749.

XIII. Ex literis Apostolicis Zacharię Papę datis omnibus Episcopis, ac Presbyteris Ecclesiæ Francorum. Hab. tom. 2. Iepij: Zacharias Episcopus, ser. seru. Dei, sanctæ Sedis principis Apostolorum B. Petri præsidens, &c. Ann. Christi 749.

XIV. Ex priuilegio Stephani Papę tertij, concesso, Abbati Fulrado, eiusque Monasterio S. Dionysij Parisijs. Habetur vbi supra. Stephanus Episcopus, vbi supra. Hoc autem Christi Dei, & Domini nostri, & Beati Petri Apostolorum principis, & nostra, qua præualemus auctoritate promulgantes sancimus, &c. Ann. Christi 754.

XV. Ex priuilegio Benedicti PP. III. quo Interamnensibus ciuibus donat ciuitatem ipsam. Ex eius Archiuio. In nomine Domini, & Saluatoris Iesu Christi, anno ab Incarnatione eiusdem Domini Nostri Iesu Christi DCCLVIII. mensis Martij Indictione 6. Honestum nimis, &c. Diuinum namque præceptum est, vt sequantur vota fidelium fructum laborum, ac præmium. Quare authoritate Domini Nostri Iesu Christi Saluatoris, atque B. Mariæ semper Virginis, sanctorumque Apostolorum principis Petri, ac Pauli, omniumque simul Sanctorum, ego Domnus Benedictus 3. Papa, & gubernator Sanctæ Apostolicæ Sedis, totiusque Ecclesiastici cunctum per Orbem à præsenti die, Domini concedente gratia, atquo eius Diuina auspicante clementia, simulque suggerente gratuita pietate, damus, & concedimus auctoritate Domini Saluatoris, vobis habitatoribus ciuitatis Interamnensis, &c. Ad honorem Domini Nostri Iesu Christi, & B. Mariæ semper Virginis, ac beati Apostolorum principis, &c. In Sigillo: Dextra Domni Pontificis Benedicti consignauit. Ann. Christi 758.

XVI. Paulus PP. I. in Epistolis suis Apostolicis, præsertim ad Pipinum Regem Francorum scribens, sæpissimè vtitur solius S. Petri principis Apostolorum auctoritate, & nomine, tamquam Ecclesiæ Romanæ conditoris. Vndè & Epist. 8. ait: Dominus Deus noster in vestra christianissima complacuit Excellentia, atque in vtero matris vos sanctificans, ad tam magnum Regale prouexit culmen, mittens Apostolum suum B. Petrum, per eius nempè Vicarium, & Oleo sancto vos, vestrumque præcellentissimum genitorem vngens, cœlestibus repleuit benedictionibus. Epistolæ extant apud Card. Baronium in Annal. & in Concilijs Galliæ. Ann. Christi 765.

XVII. Stephanus PP. III. ea in Epistola, quam scripsit ad Carolum, & Carolomannum Francorum Reges, inquit: Nam, & illud Excellentiam vestram oportet meminisse, ita vos B. Petro, & præfato Vicario eius (Domno Stephano) vel eius successoribus spopondisse, amicis nostris amicos esse, & inimicis inimicos. Paulòque post: Promittens in vestris animabus Deo, & B. Petro, atque eius Vicario, (antefato Domno Stephano Papæ,) firmiter debere vos permanere erga Sanctę Ecclesię fidelitatem. Epistola extat apud Card. Baronium in Annal. & in Concilijs Galliæ. Ann. Christi 769.

XVIII. Ex literis Adriani I. ad Carolum Regem Francorum, & Longobardorum, atque Patritium Romanorum. Hab. in tom. suarum literarum Ingolstadij, & Parisijs editarum. Destinauit nobis per vestros apices à Deo constituta Regalis potentia, quia Deo sibi contrario, Agarenorum gens cupiunt ad debellandum vestros introire fines. Hoc verò cognito, in magna exindè tribulatione, atque afflictione positi sumus; sed nequaquam Dominus Deus noster talia fieri permittat, nec Beatus Apostolorum Princeps Petrus. Et infra: Dreximus apud vestram à Deo protectam Excellentiam Andream, & Philippum sanctissimos Episcopos, atque Theodorum eminentissimum nostrum nepotem, pro consolatione, atque visitationis causa, & prosperitatis vestræ lætitiam agnoscere: & hoc petimus te, amantissime Fili, vt pro amore fautoris nostri Beati Apostolorum Principis Petri benignè eos solito suscipere iubeatis. Ann. Christi 775.

XIX. Adrianus Papa. I. in Epist. ad Carolum Francorum Regem: Et hoc deprecamur, ait, vestram Excellentiam, amantissime Fili, & præclare Rex, pro Dei amore, & ipsius Clauigeri Regni cęlorũ, qui Soliũ Regni patris vestri vobis largiri dignatus est: vt secundum promissionem, quam polliciti estis eidem Dei Apostolo, pro animæ vestræ mercede, & stabilitate Regni vestri, omnia nostris temporibus implere iubeatis: Vt Ecclesiæ Dei Omnipotentis, idest B. Petri Apostoli, cui claues Regni cęlorum ab omnium Opifice fa-

clnorum nexus soluendi, simúlque ligandi attributa est facultas, in omnibus amplius, atque amplius sancta Dei Ecclesia exaltata permaneat. Extat in Tom. epistolarum Carolinarum. Ann.Christi 775.

XX. Idem Papa in sequenti epistola ad eumdem Carolum Regem: Vestris feliciſſimis temporibus, vt sancta Vniuersali Dei Ecclesia exaltata permaneat, & ex hoc in præsenti vita, suffragijs Apostolorum Beati Petri, & Pauli, Regni gubernacula longo senio cum immensis victorijs poſsidere, &c. Ann. Christi 775.

XXI. Idem, Epist. 7. ad eumdem Regem scripta anno 784. Quanta enim, ait, auctoritas B.Petro Apostolorum Principi eiusque sacratiſſimæ Sedi concessa est, cuiquam non ambegimus ignotari. Extat, vbi supra. Ann. Christi 784.

XXII. Adrianus PP.I. Maginario Abbati, & Monachis Monasterij Sancti Dionysij Parisijs constituti, vt proprium eis liceat eligere, & habere Episcopum. Ex eius Archiuo. Tùm summæ Apostolicæ dignitatis apex, &c. Et infra: Auctoritate B. Petri Apostolorum Principis fulti, in iam dicto Venerabili Monasterio statuentes promulgamus, vt penitus liceat ibidem habere Episcopum: sicut à priscis temporibus, & vsque hactenus fuit. Et in fine: Dat.Kal. Iulij per manum Anastasij Primicerij, anno, Deo propitio, Pontificatus D.N. in Apostolica sacratiſſima Beati Petri Sede quintodecimo, Indictione 9. Ann. Christi 786.

XXIII. Paschalis PP.I. Ingoaldo Abbati Monasterij Sanctæ Mariæ Farfensis in Sabinis, confirmat bona eiusdem Monasterij. Ex eius Archiuo. Cum magna sollicitudine, &c. Ex auctoritate Beati Petri Apostolorum Principis sub Diuinis obtestationibus, &c. Dat. Kal. Februarij per manus Theodori Nomenclatoris Sedis Apostolicæ anno 3. Ludouici Imperatoris. Ann.Christi 817.

XXIV. Gregorius Papa IV. Abbati Petro eiusque Monasterio Sublacensi, confirmat omnia bona. Ex eiusdem Registro. In fine: Bene valete. Dat. 4. Cal. Iulij per manus Ioannis Episcopi Sanctæ Albanensis Ecclesiæ, & Bibliothecarij summæ, & Apostolicæ Sedis, anno Deo propitio Pontificatus Domni Gregorij Summi Pontif. & vniuersalis IV. Papæ in sacratiſſima Sede Beati Petri Apostoli anno primo. Ann.Christi 828.

XXV. Ex diplomate Gregorij Papę IV. Rabano Abbati Fuldensi. Ex nostro Archiuo. Pontificij nostri cura, &c. Concedimus etiam tibi, quem benè eruditum, & benè eloquentem esse virum nouimus, dulciſſime Fili, prædicare Verbum Dei auctoritate Sancti Petri Apostoli, & nostra, eius indigni Vicarij. Tandemque: Qui autem, quod absit, hanc nostram præceptionem violare præsumpserit, nisi resipiscat, indiuiduæ Trinitatis iram incurrat, & à cętu omnium Sanctorum extorris existat, Sancti Petri Apostolorum Principis maledictione redundet, CCCX. & VIII. Patrum sacrosancto Concilio damnetur, &c. Datum per manum Benedicti Notarij, & Scriniarij Romanę Ecclesiæ, Idib. Maij, indict. 14. Ann.Christi 831.

XXVI. Gregorius Papa Quartus, omnibus Episcopis, & Principibus. Ebonem Episcopum Rhemensem depositum restituit. Epistola extat tom. 1. Concil. Galliæ. Cum Diuina instigatione, &c. Et de ipso Ebone: Nam & Summus Apostolorum, cuius vicem indigni gerimus, si discipulatum in periculis negauit, non tamen abiectus, sed piè reuocatus, pristinam dignitatem obtinuit. Ann.Christi 843.

XXVII. Leo Papa IV. Epist. ad Pudentium Episcopum Tricasinum. Extat inter Epistolas Carolinas. Cognoscat prudentia sanctitatis tuæ, qualiter hic Religiosus Monachus, Adremarus nomine, cum Monachis suis, cum summa deuotione, ad laudem, & gloriam Sanctæ Trinitatis, & remedium animæ suæ, suorumque omnium, in honorem Beati Petri Apostolorum Principis, seu etiam Sancti Leonis eiusdem Vicarij Papæ, Monasterium desiderat consecrare, &c. Ann.Christi 849.

XXVIII. Ex Nicolao Papa primo in Priuilegio Trasulpho Abbati, eiusque Monasterio Corbiensi in Gallijs. Hab. tom. 2. Centur. 2. apud Iepium eumdem. Nicolaus Episcopus, &c. Quòd Beatus Apostolorum Petrus eximius per attributam, & reuelatam, sibi diuinitus gratiam, licèt suis longè imparibus meritis, nobis tamen singulari prærogatiua, vt in totius christianæ Religionis vniuersitate principaliter excelleremus, contulit; quatenus sicut dignitate, & auctoritate per ipsius singulare priuilegium omnibus præeminemus, ita vniuersarum Ecclesiarum Dei sollicitudinem habeamus, &c. Datum anno Imperij Ludouici Augusti iunioris. Ann. Christi 860.

XXIX. Adrianus Papa II. ad proceres Regni Lotharij Regis Gallorum. Extat epistola, hæc inter alias Carolinas. Quamobrem filij chariſſimi Apostolicæ Sedis magisterio plurimum debentes, nos qui per supernam gratiam Apostolorum Principis fungimur vice, omniumque Ecclesiarum Dei curam, & sollicitudinem nobis à Domino præ cæteris delegatam habentes, &c. Ann. Christi 869.

XXX. Ex priuilegio Ioannis Papę VIII. Theoberto Abbati Monasterij Flotiacensis in Gallia, eiusque Monachis concesso. Quoniam ex Apostolica succeſſione, &c. atque in fine: Dat. 9. Sept. per manum Vualberi Episcopi sanctæ Portuensis Ecclesiæ, anno Deo propitio, Pontificatus Domini Nostri Ioannis Summi Pontificis, & vniuersalis Papæ in sacratiſſima Sede Beati Petri Apostoli sexto, Indictione 11. Ann.Christi 878.

XXXI. Agapitus 2. iunior in priuilegio, quo omnia bona confirmat Leoni Abbati, & Monachis Romani Monasterij Sancti Syluestri. Ex eius Archiuo. Circà finem. Vndè & sub terribili, atque tremendi futuri examinis die, & maximis sub anathematis interdictionibus Domini Nostri, & Beati Petri principis Apostolorum authoritate decernimus, &c. Paulòque post: Sciat se Domini Nostri, & B.Petri principis Apostolorum authoritate insolubilis anathematis innodatū, &c. Dat. 8. Kal. Aprilis per manus Marini Episcopi Sanctæ Ecclesiæ Polimarciensis, & Bibliothecarij summæ Sedis Apostolicæ, anno Deo propitio, Pontificatus Domini Nostri Agapiti Summi Pontificis, & vniuersalis iunioris Papę

in sacratissima Sede B. Petri Apostoli Indictione 13. Ann. Christi 950.

XXXII. Idem, in Epistola ad Landulfum principem Capuanum pro Monachis Monasterij Casinensis. Apud nos; ex Archiuo Casinensi. Audiuimus quod &c. Qui de rebus Monasterij inuadere præsumpserit, & hanc nostram Apostolicam iussionem in aliquibus frangere tentauerit, sciat se, nisi resipuerit, auctoritate Dei, & Beati Petri Apostolorum principis, atque nostra, qui eius fungimur, interdictione esse excommunicatum. Anno Christi 950.

XXXIII. Ioanes Papa X. in suis Bullis concessis Leoni Abbati Sublacensi, eiusque Monachis. Ex eius Registro. Ioannes Episcopus ser. seru. Dei. Dilecto Filio nostro Leoni Reuerendissimo Abbati Monasterij Sancti Benedicti Confessoris Christi, &c. Dat. &c. 15. Kal. Februarij per manum Demetrij Dei prouidentia Areatij Sanctæ Sedis Apostolicæ anno Pontificatus Domini Ioannis Summi Pontificis, & vniuersalis Papæ in sacratissima Sede Beati Petri Apostoli XII. Ann. Christi 954.

XXXIV. Ex eodem, vbi supra. Dat. 6. idus Maij per manum Marini Episcopi sanctæ Polimarciensis Ecclesię, & Bibliothecarij Summę Apostolicę Sedis anno Pontificatus eiusdem Domini Ioannis Papæ X. in sacratissima Sede Beati Petri Apostoli III. Anno Christi 954.

XXXV. Ex Placito quodam publico: In Nomine Domini Dei, & Saluatoris Iesu Christi, anno Deo propitio Pontificatus Domini Ioannis tertijdecimi Papæ in sacratissima Sede beati Petri Apostoli III. Indictione 10. die 6. Februarij Dominus ad discipulos suos, &c. Extat apud nos. Anno Christi 968.

XXXVI. Benedictus Papa VI. Petro Abbati Sublacensi eiusque Monachis, bona cōfirmat. Ex registro Gregorij Papæ IV. Et in fine: Bene valete. Dat. 6. Kal. Decemb. per manum Ioannis Deo amabilis Primicerij Summæ Apostolicæ Sedis, anno Deo propitio Pontificatus Domni Benedicti Summi Pontificis, & vniuersalis VI. Papæ in sacratissima Sede beati Petri Apostoli primo. Ann. Christi 972.

XXXVII. Ex quodam Placito publico: In nomine Domini nostri Iesu Christi. Anno Deo propitio Pontificatus Domni Ioannis Summi Pontificis & vniuersalis quinti decimi Papæ, in sacratissima Sede B. Petri Apostoli 4. Indict. 2. die 15. Octobr. Salubri & fine dubitatione, &c. Extat ap. nos. Ann. Christi 989.

XXXVIII. Idem Ioannes Papa XV. in literis Apostolicis Canonizationis S. Vdalrici Episcopi ciuitatis Augustanæ in Suenia, datis 3. Kal. Febr. Anno Incarn. Domin. 993. Pontificatus octauo. Ioannes Episcopus seruus seruorum Dei, omnibus Archiepiscopis Episcopis, & Abbatibus in Gallia, & Germania commorantibus. Salutem in Domino & Apostolicam benedictionem. Cùm conuentus esset factus in Palatio Lateranensi, &c. Si quis interea, quod non credimus, temerario ausu contra ea, quæ hac nostra auctoritate piè ac firmiter per hoc priuilegium constituta sunt, contraire tentauerit: vel hæc, quæ à nobis in laudem Dei, & pro reuerentia dicti Episcopi statuta sunt, refragari, aut in quoquam transgredi, sciat se auctoritate B. Petri principis Apostolorum, cuius, immeriti vicem agimus, anathematis vinculo innodatum.] Extant literæ tom. 1. Romani Bullarij. Ann. Christi 993.

XXXIX. Ex instrumento nobilis viri Crescentij filij Ildimundi bon. mem. ad fauorem Monasterij S. Benedicti Sublacensis, quod sic incipit: Anno Deo propitio Pontificatus Domni Benedicti Summi Pontificis, & vniuersalis Papæ Octaui, in sacratissima Sede B. Petri Apostoli anno 11. Ex Registro Gregorij Papæ Quarti. Ann. Christi 1023.

XXXX. Benedictus Papa. Octauus Richerio Abbati Monasterij Casinensis. Ex eius Archiuo. Circa finem: Qui pro intuitu conseruator, & in omnibus custodiens extiterit huius Apostolici Instituti, & ad coltum Dei recipientibus benedictionis, gratiam à misericordissimo Domino Deo nostro, per intercessionem B. Petri Apostolorum principis, & beati Confessoris Christi Benedicti, multipliciter consequatur, &c. Ann. Christi 1023.

XLI. Idem Benedictus Papa Theobaldo eiusdem Monasterij Casinensis Abbati. Ex eodem Archiuio. Benedictionis gratiam à misericordissimo Domino Deo Nostro per intercessionem B. Petri Apostolorum principis, & beati Christi confessoris Benedicti misericordiam consequatur. Ann. Christi 1029.

XLII. Instrumentum Domini Crescentij nobilis, & inclyti præfecti Vrbis Romæ, & aliorum nobilium eiusdem Vrbis, quo multa dona offerunt Monasterio Sublacensi. Incipit: Anno Deo propitio Pontificatus D. Benedicti summi, & vniuersalis Noni Papæ in sacratissima Sede B. Petri anno 5. mense Iun. die 7. Ex eodem Registro. Ann. Christi 1037.

XLIII. Ex priuilegio Clementis Papa II. De cessione Archiepiscopi Remensis ad dexteram Papæ. Ex Archiuo nostro. Clemens Episcopus seruus seruorum Dei, omnibus S. Ecclesiæ filijs perpetuam in Christo salutem. Quod propulsis ab Apostolica Sede his, qui in ouile sacratissimo Apostolorum principi Petro à Christo Domino commendatum, non ingressi fuere per ostium, sed aliunde surrepsere, vtpote fures & latrones, &c. Quod si forte fuerit præsumptum, pro temeritate interdicti nostri non modò Bannum S. Petri nostræ Sedi persoluat, verùm etiam nostræ quoque excommunicationis, & anathematis laqueos incurrat, &c. Ann. Christi 1048.

XLIV. Ex priuilegio S. Leonis Papa IX. Monasterio Sublacensi concesso. Ex eius Archiuo. Leo Episcopus seruus seruorum Dei, Ecclesiæ beati, sanctique Patris Monachorum Benedicti, quæ ponitur in Sublaco, & per te in tuo venerabili Monasterio, religioso Abbati Hemberto, eiusque successoribus in perpetuum, &c. Ergo quæcumque vobis vnquam à Christi fidelibus concessa sunt, vel possident, vel in posterum possidebunt, sub obtentu summi Iudicis, & auctoritate B. Petri Apostolorum principis, per priuilegium sanctæ Romanæ Sedis confirmamus. Datum 11. Kal. Nouemb. per manus Friderici Diaconi,

toni, & S. Apostolicæ Sedis Cancellarij, vice Domni Herimanni Archicancellarij, & Coloniensis Archiepiscopi, Anno Dom. Leonis Papę Tertio. Ann. Christi 1025.

XLV. Idem Leo Papa confirmat bona Bernardo Abbati S. Mariæ Farfensis in Sabinis, eiusque successoribus. Ex eius Archiuo. Initium sapientiæ timor Domini, &c. Et in fine: Exaltata super choros Angelorum Maria exaltet conseruantem bona sua, pro Dominæ suæ reuerentia princeps Apostolorum Petrus ditet illum semper benedictione Apostolica. Dat. 3. id. Dec. pontificatus 3. Ann. Christi 1052.

XLVI. Ex priuilegio eiusdem S. Leonis Papę IX. Monasterio Casinensi concesso. Hab. ex eius archiuo. Leo Episcopus Seruus seruorum Dei, Ecclesiæ seu Monasterio præclarissimi Christi confessoris Benedicti in Monte Casino ædificato, & per eam Richerio Abbati, cunctisque eius successoribus canonice illic intrantibus, in perpetuum. Diuinæ pietatis respectu attacti, eiusdemque Ecclesiæ Egumeni præfati Richerij nostri dilecti precibus pulsati dignum duximus ob amorem Sanctiss. Benedicti iam dicti sæpissimeque dicendi, aliquid ex rebus Beatiss. Petri Apostolorum principis, eiusdem Monasterio in vsum Fratrum ibidem degentium, Deoque seruientium largiri, & in perpetuum conferre. Et infra: Qui verò quippe salutis amator Apostolicæ largitionis, atque oblationis, siue decreti fuerit conseruator, intercessionis auxilio ipsius Sanctiss. Benedicti portum salutis adeptus à Deo omnipotente misericordiam, & benedictionem in æternum consequatur, datum 4. kal. Iun. per manus Friderici, &c. vt supra, anno Domni Leonis IX. Papæ Quinto Ind. 6. Ann. Christi 1054.

XLVII. Leo Nonus Papa. Cùm ex venerabilium canonum auctoritate, tom. 1. Romani Bullarij. Quamuis enim omnibus generaliter Apostolis dictum sit à Domino: Quæcumque ligaueritis in terra, ligata erunt & in cœlo: & quæcumque solueritis in terra, soluta erunt, & in cœlis; tamen non sine causa specialiter, & nominatim dictum est beato Apostolorum principi: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: & tibi dabo claues Regni cœlorum, & in alio loco: Confirma fratres tuos, scilicet, quia omnium Ecclesiarum maiores, & difficiliores causæ per sanctam, & principalem beati Petri Sedem à Successoribus eius sunt definiendæ. Ann. Christi 1054.

XLVIII. Ex priuilegio Nicolai Papæ II. Monasterio West in Anglia concesso. Habetur vbi supra apud Iepium. Nicolaus Episcopus Seruus seruorum Dei, gloriosissimo, ac piissimo, omnique honore dignissimo; speciali quoque filio nostro Eduardo, Anglorum Regi, visitationem omnimodam, salutem mellifluam, & benedictionem Apostolicam. Omnipotenti Deo referimus gratias, qui vestram prudētissimam excellētiam in omnibus ornauit, & decorauit erga B. Petrum Apost. principem nobiscum habere dilectionem, &c. Præterea illi loco, quem sub nomine sanctæ pœnitentiæ construendum, & meliorandum suscepisti, quoniam, vt fertur, primam antiquitus consecrationem à beato Petro accepit, cuius licet indigni, Vicarij sumus, &c. Ann. Christi 1060.

XLIX. Ex Diplomate Alexandri Pp. II. concesso Monasterio Montis Casini. Ex eius archiuo. Alexander Episcopus Seruus seruorum Dei, &c. Pastoralis sollicitudinis, &c. Si quis verò, quod non optamus, possessiones, & Ecclesias, villas, ciuitates, & castra Sanctiss. Benedicti inuaserit, & bis, vel ter admonitus non emendauerit, sciat se authoritate Dei omnipotentis, & Beatæ Mariæ semper Virginis & beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, & beati Benedicti, & omnium Sanctorum esse excommunicatum, &c. At verò qui huius apostolici instituti obseruator extiterit, benedictionis gratiam à Deo Domino nostro, per intercessionem beati Benedicti consequatur. Ann. Christi 1062.

L. Idem Alexander Papa in literis suis apostolicis scriptis Ecclesię catholicę filijs de consecratione Ecclesiæ Monasterij Casinensis, dum præfati Monasterij bona confirmat, ita ait: Si quis verò, quod non optamus, possessiones, Ecclesias, villas, ciuitates, & castra Sanctiss. Benedicti inuaserit, & bis vel ter admonitus non emendauerit, sciat se auctoritate Dei Omnipotentis, & B. Mariæ semper Virginis, & beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, & beati Benedicti, & omnium Sanctorum esse excommunicatum, &c. dat. in Castro Casino, kal. Octob. anno Incar. 1071. Pont. 10. Extat apud nos ex archiuo Casinensi. Ann. Christi 1071.

LI. Idem Alexander Papa Rustico priori, & cunctæ eius congregationi. Extat tom. 1. Bullarij. Nulli fidelium, &c. Si quis autem temerario ausu, quod fieri non credimus, contra huius nostræ apostolicæ auctoritatis confirmationis seriem agere tentauerit, sciat se esse excommunicatum à beato Petro Apostolorum principe, & nostra apostolica auctoritate. Ann. Christi 1073.

LII. Gregorius Papa VII. excommunicat Henricum IV. Imp. Extat tom. 1. Bullarij Beate Petre Apostolorum princeps, inclina quæsumus pias aures tuas nobis, & audi me seruum tuum, quem ab infantia nutristi, & vsque ad hunc diem de manu iniquorum liberasti, qui me pro tua fidelitate oderunt, & odiunt. Tu mihi testis es, & Domina mea Mater Dei, & beatus Paulus frater tuus inter omnes Sanctos, quod tua sancta Romana Ecclesia me inuitum ad sua gubernacula traxit. & ego non rapinam arbitratus sum ad sedem tuam ascendere, &c. Ann. Christi 1073.

LIII. Idem Gregorius Papa VII. in literis apostolicis, quibus iterum excommunicauit eumdem Imp. Henricum. Extat vbi suprà beate Petre princeps Apostolorum, & tu beate Paule Doctor Gentium, dignamini quæso aures vestras ad me inclinare, meque clementer exaudire. Quia veritatis estis discipuli, &c. Ann. Christi 1080.

LIV. Ex priuilegio Vrbani Papæ II. concesso Abbatiæ S. Aurelij de Hirsangia. Extat apud Iep. tom. 3. Vrbanus Episcopus Seruus seruorum Dei. Omnibus Teuthonicæ regionis fidelibus, hanc chartam, &c. Quo præmisso noluerunt quoque, vt de reliquo alius es-

S. Mariæ Magdal. Virziliacen. in quo Diuino estis mancipati obsequio, ab Illustriss. mem. Gerardo Comite ipsius loci fundatore, & vxore eius Bertha, Beato Petro Apostolorum Principi propria deuotione oblatum Apostolicæ Sedis patrocinio communimus, &c. Datum Romæ anno Incar. D. 1198. anno Pontificatus 1. Ann. Christi 1198.

LXXIV. Ex Bullis eiusdem Innocentij Papæ Abbati & Monachis Monasterij S. Germani Antisiodorensis concessis, anno Incarnationis Domini 1198. Pontificatus primo: Apud Iep. tom. 4. Effectum iusta postulantibus, &c. Eapropter dilecti in Domino filij iustis postulationibus clementer annuimus, & præfatum Monasterium, in quo diuino estis mancipati obsequio, ad exemplar prædecessorum nostrorum fel. mem. Eugenij, Adriani, Clementis,& Cælestini Romanorum Pontificum, sub beati Petri, & nostra protectione suscipimus, &c.

LXXV. Idem Innocentius Papa Gregorio Catholico Armenorum. Eius literæ extant tom. 1. Rom. Bullarij. Dat. Laterani 9. Kal. Dec. 1199. Pontificatus secundo. Ex eo te radicatum, &c. Nosti etenim priuilegium Petri, quod sibi Dominus vniuersas oues suas pascendas vocabulo tertiò repetito, commisit: Pasce, inquiens, oues meas, & super vniuersas ei ligandi, & soluendi contulit potestatem, dicens ad eum: Quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis: & quodcumque solueris super terram, erit solutum & in cœlis. Nosti etiam prærogatiuam Apostolicæ Sedis, quæ per merita beati Petri, etsi non tempore, authoritate tamen inter Apostolos primi, non Constitutione synodica, sed diuina, inter omnes Ecclesias magisterium obtinuit, & primatus fundamenta super immobili fundamento, de quo Paulus inquit Apostolus: Fundamentum positum est, præter quod aliud poni non potest, quod est Christus Iesus: & de quo veritas in Euangelio inquit ad Petrum: Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam. Petrus siquidem post Christum potest intelligi pastor vous, & Ecclesia vniuersalis ouile vnum, de quibus Dominus in Euangelio protestatur: Alias, dicens, oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet vnum ouile, & vnus pastor. Sanè lapis ille angularis, quem reprobauerunt ædificantes, factus postmodum in caput anguli, faciens, vtraque vnum, Iudæorum populos, & Gentium nationes in vnitate Christianæ fidei coniunxit, Ecclesiam ex vtrisque constituens, non habentem maculam, neque rugam; quæ ne post Ascensionem eius secaretur in partes, & ne vnitum in eius fide diuideretur ouile, vni commisit Apostolorum Principi gubernandam, quem solum sibi Dominus, & in officio Vicarium, & in magisterio constituit successorem.

LXXVI. Idem Papa Innocentius literis datis ad Regem Armenorum Laterani 8. Kal. Dec. eodē anno Pontif. 2. vbi sup. Is Ecclesiam suam &c. In Petro enim Apostolorū Principe, cui excellentius alijs Dominus ligandi, & soluendi contulit potestatem, dicens ad eum: Quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum, & in cœlis: & quodcumque solueris super terram, erit solutum, & in cœlis: Ecclesia Romana Sedes eius, & Seniores ipsius Romani Pontifices Successores Petri, & Vicarij Iesu Christi sibi inuicem per successiuas varietates temporum singulariter succedentes supra Ecclesijs omnibus, & cunctis Ecclesiarum Prælatis, immò etiam fidelibus vniuersis à Domino Primatum, & Magisterium acceperunt. Ann. Christi 1199.

LXXVII. Ex diplomate eiusdem Papæ Innocentij Petro Compostellano Episcopo scripto. Licèt vnum sit corpus Ecclesiæ, in quo Christus est caput, & vniuersi fideles sint membra, ille tamen, qui à Christo Petra dictus est Petrus, & à Christo capite vocatus est Caput, ipso testante qui ait: Tu vocaberis Cephas. Quod secundum vnam interpretationem exponitur Caput. Quia sicut plenitudo sensuum abundat in capite, ad cætera verò membra pars aliqua plenitudinis deriuatur; ita cæteri vocati sunt in partem sollicitudinis; solus autem Petrus assumptus est in plenitudine potestatis: ad quem velut ad caput maiores Ecclesiæ causæ tam Constitutione Canonica, quàm institutione Diuina meritò referantur. Ann. Christi 1200.

LXXVIII. Ex Priuilegio eiusdem concesso Hugoni Abbati S. Dionysij eiusque Monasterio Parisijs. Extat vbi supra. Effectum iusta postulantibus indulgere, &c. Ea propter dilecti in Domino filij, vestris iustis postulationibus clementer annuimus, & præfatum Monasterium Sancti Dionisij, quod specialiter beati Petri existit, in quo Diuino estis obsequio mancipati, ad exemplar fel. rec. Zachariæ Stephani, Leonis, Alexandri, Paschalis Calixti, Innocentij, Eugenij, & Lucij, Romanorum Pontificum, prædecessorum nostrorum, sub beati Petri, nostra protectione suscipimus &c. Ann. Christi 1203.

LXXIX. Ex priuilegio eiusdem Papæ Roffrido Abbati Monasterij Casinensis. Ex eius Archiuo. Omnipotenti Deo, &c. Quoniam igitur dignum est, vt tam celebre, ac solemne Monasterium, Apostolorum Sedes specialiùs amplectatur, Monasterium ipsum ad exemplar fel. mem. Clementis Papæ, ac prædecessoris nostri sub beati Petri, ac nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti priuilegio munimus, &c. Datum apud S. Germanum, per manum Ioannis S. Mariæ in Cosmedin Diac. Cardinalis S. R. E. Cancellarij, 8. Kal. Augusti, Indictione 11, Incarnat. Dom. anno 1208. Pontificatus verò D. Innocentij Papæ III. anno 11. Ann. Christi 1208.

LXXX. Ex priuilegio Honorij Papæ III. dato Perusij Ann. Incarnat. 1216. & concesso Stephano Abbati, & Monachis Monasterij Casinensis: Omnipotenti Deo, &c. Quoniam igitur dignum est, vt tam celebre, ac solemne Monasterium Apostolica Sedes specialiùs amplectatur, Monasterium ipsum ad exemplar fel. mem. Clementis, & Innocentij Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum sub beati Petri, & nostra protectione, suscipimus, & præsentis scripti priuilegio communimus.

LXXXI. Ex priuilegio eiusdem Papæ Ioanni

Ioanni Abbati Sublacensi, eiusque Monasterij Monachis concesso. Ex eius Archiuo. Ea propter dilecti in Deo Filij vestris iustis postulationibus clementer annuimus, & prædictum Sublacense Monasterium, quod ad Romanam Ecclesiam nullo pertinet mediante, in quo Diuino estis mancipati obsequio, ad exemplar fel.rec. Clementis Papæ prędecessoris nostri. sub beati Petri, & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti priuilegio communimus. Datum Anagniæ 12. kal.Iulij Indictione 5. anno Incarnat.Dom.1217. Pontificatus I. Ann.Christi 1217.

LXXXII. Ex priuilegio eiusdem Papę, Basilicæ, & Monasterio S.Pauli concesso. Ex eius Archiuo. Domino sancto, meritòque beato Prædicatori, præcipuo, egregio Doctori Paulo Apostolo. Honorius indignus Episcopus seruus seruorum Dei, reuerentiæ votum cum deuotione perenni. Cùm aliqua tibi, beatissime Paule, vas electionis, & gratiæ prædicator, per priuilegij paginam conferre videmur, non nostra concedimus, sed tua potiùs confirmamus, &c. Sacratissimum itaque Monasterium, in quo tuum venerabile corpus celebri memoria requiescit, ad ius, & proprietatem Apostolicæ Sedis iure pertinens speciali, ad exemplar fel. rec. Innocentij Papæ III. sub beati Petri, & nostra protectione suscipimus, &c. Datum Romæ apud S.Petrum per manum Rainerij S. R. E. Vicecancellarij Id.Maij, Indictione 8. Anno Incarnat.Domin. 1218. Pontificatus Domini Honorij Papæ anno II. Ann.Christi 1218.

LXXXIII. Ex priuilegio eiusdem Papa Abbati, & Monasterio S.Petri de Arlanza in Hispaniis concesso. Habetur tom.1.Centur.1. in Chronico Benedict. Ant. Iepij in Appendice. Ea propter dilecti in Domino filij, vestris iustis postularionibus clementer annuimus, & Monasterium vestrum, in quo Diuino estis obsequio mancipati, sub beati Petri, & nostra protectione suscipimus, &c. Anno Christi 1218.

LXXXIV. Idem Papa in priuilegio concesso Rainutio Abbati Monasterij maioris S.Saluatoris eiusque fratribus Reatinæ Diœcesis. Confirmat bona. Extat apud nos. Ea propter dilecti in Domino Filij vestris iustis postulationibus clementer annuimus, & prædictum Monasterium, quod ad nos pertinet nullo mediante, cum omnibus bonis, quæ in præsentiarum Canonicè possidet, aut in futurum præstante Domino poterit adipisci, sub beati Petri, & nostra protectione suscipimus, &c. Dat. 4. Kal.Iulij Pontificatus VI. Ann.Christi 1222.

LXXXV. Ex Bullis Innocentij Papæ IV. ad fauorem Monasterij de Ripa Sillis datis Lugduni 12. Kal. Octobris, indictione 2. Incarnatione Dom. anno 1247. Pontificatus V. Innocentius Episcopi S.S. Dei. Ea propter, &c. Dilecti in Domino filij, vestris iustis postulationibus clementer annuimus, & Monasterium S.Stephani de Ripa Sillis, Aur.Diœc. in quo Diuino estis obsequio mancipati, sub beati Petri, & nostra protectione suscipimus. Ann.Christi 1247.

LXXXVI. Idem Papæ priori Eremi de Montefano, eiusque Fratribus confirmat bona sui Eremi. Datum Lugduni 5. Kal. Iulij anno 1248. Pontificatus V. Extat Apost. nos ex eius Archiuo. Ea propter dilecti in Domino Filij, vestris iustis postulationibus clementer annuimus, & Eremum S. Benedicti de Montefano Camerinensis Diœcesis, in qua Diuino estis obsequio mancipati, sub beati Petri, & nostra protectione, suscipimus, &c. Ann.Christi 1248.

LXXXVII. Vrbanus Papa IV. Dilectis in Christo filiabus Abbatissæ, & sororibus Monasterij sancti Iacobi, & Margaritæ de Aspello. Gratias, & iura confirmat. Dat. apud Vrbem Veterem, 12. Cal. Martij, Incar.Dom. anno 1262. Pontificatus II. Ea propter dilectæ in Christo filiæ, vestris iustis postulationibus clementer annuimus, & Monasterium sancti Iacobi, & Margaritæ extra muros Castri de Spello Spoletanæ Diœcesis, in quo Diuino estis obsequio mancipatæ, sub beati Petri, & nostra protectione suscipimus. Anno Christi 1262.

LXXXVIII. Clemens Papa IV. in diplomate concesso Abbati, & Monachis Monasterij Fontelaureato Florensis Ordinis. Datum Viterbij 6. id. Febr. Incarnat. Dom. 1267. Extat apud nos ex eius Archiuo. Ea propter dilecti in Domino filij, vestris iustis postulationibus clementer annuimus, & præscriptum Monasterium S. Dei genitricis, & Virginis Mariæ de Fontelaureato, Tropensis Diœcesis, in quo Diuino estis mancipati obsequio, ad instar fel.rec. Gregorij Papæ 9. prædecessoris nostri sub beati Petri, & nostra protectione suscipimus. Ann.Christi 1267.

LXXXIX. Nicolaus Papa III. Mattheo Sanctæ Mariæ in Porticu Diacono Cardinali Archipresbytero, & Capitulo Basilicæ principis Apostolorum de Vrbe statuit quædam Capitula pro regimine Canonicorum, & Clericorum eiusdem Basilicæ. Extant apud nos. Incipit Nicolai eiusdem epistola: Ille, qui solus suam fundauit Ecclesiam, & super petram fidei mox nascentis erexit beato Petro æternæ vitæ Clauigero cœlestis, & terreni simul Imperij iura committens insignem eius Basilicam ad honorem ipsius in Vrbe constructam, vt sui nominis titulo insignitam tantò veneratione maiori construit digniorem, quantò ipsam inter cæteras Orbis Ecclesias dignitate præcellere voluit. Datum Romæ, 6. Kal. Martij Pontificatus II. Ann. Christi 1279.

XC. Nicolaus Papa Quartus Magistro Sancti Spiritus in Saxia de Vrbe, & illius fratribus. Confirmat bona. Extat in Bull. Rom. Inter opera pietatis, &c. Ad exemplar fel. record. Innoc.III. Honorij, Gregorij, Alexandri, Clementis IV. Gregorij X. & Nicolai III. prædecessorum nostrorum Rommanorum Pontificum sub beati Petri, & nostra protectione suscipimus, &c. Ann.Christi 1291.

XCI. Cœlestinus Papa V. Honufrio Abbati Monasterij Sancti Spiritus de Sulmona Valuen. Diœc. eiusque Coabbatibus, & Prioribus. Extat in Bull. Rom. Etsi cunctos Ordines, &c. Nos volentes vos, & bona vestra paternis fauoribus confouere, personas vestras, & loca, in quibus estis Diuino obsequio mancipati, cum bonis vestris omnibus, sub bea-

beati Petri, & nostra protectione suscipimus, &c. Ann.Christi 1294.

XCII. Benedictus Papa II. Betardo Abbati Monasterij sancti Spiritus de Salmona Valuensis Diœcesis, eiusque Coabbatibus, & Conuentibus bona confirmat. Extat in Bull. Rom. Religiosam vitam eligentibus, &c. Ea propter dilecti in Domino filij, vestris iustis postulationibus clementer annuimus, & Monasterium sancti Spiritus, & alia Monasteria, Prioratus, Ecclesias, membra, & loca eidem Monasterio sancti Spiritus subiecta, sub beati Petri, & nostra protectione suscipimus. Ann. Christi 1304.

XCIII. Ioannes Papa XXII. Abbati, & Conuentui S. Mariæ Montis Oliueti, Aretensis Diœcesis. Confirmat bona. Extat in Bullar. Rom. Cùm à nobis petitur, &c. Ea propter dilecti in Domino Filij, vestris iustis postulationibus grato concurrentes assensu, personas vestras, & locum, in quo Diuino estis mancipati obsequio, cum omnibus bonis quæ in præsentiarum rationabiliter possidetis, sub beati Petri, & nostra protectione suscipimus. Ann.Christi 1324.

XCIV. Vrbanus V. ad perpetuam rei memoriam. Extat in nostro Archiuio: Romanus Pontifex beati Petri cęlestis Clauigeri successor, & Vicarius Iesu Christi, ex supernę prouidentia maiestatis, in supremę specula dignitatis constitutus, circa Ecclesiarum, & locorum Ecclesiasticorum commodum, prout ex debito eidem incumbit, Pastoralis officij diligenter prospicit, & intendit, ac Ecclesiarum, ac locorum Ecclesiasticorum huiusmodi statum mutat, prout ipsis Ecclesijs, atque locis conspicit expedire. Et in fine. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & beati Petri, & Pauli Apostolorũ eius se nouerit incursurum. Datum apud Montem Pessulanum Magalonensis Diœcesis in Gallia 2. Kal. Aprilis Pontificatus anno V. Ann.Christi 1367.

XCV. Bonifacius Papa IX. Priori Generali, & Fratribus Ordinis Cartusiensis. Eorum bona confirmat. Extat in Bull. Romano. Sacrosancta Romana Ecclesia, &c. Illaque in ius, & proprietatem beati Petri, ac Sedis Apostolicæ, ac sub eorum, & nostra speciali, & immediata protectione, præsentium tenore, suscipimus. Ann.Christi 1391.

XCVI. Ex priuilegio Iulij Papę secundi, de Vnione Cœnobij Casinensis cum Congregatione S.Iustinæ. Iulius Episcopus seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Super Cathedra Pastoralis præeminentiæ, &c. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, atque beati Benedicti se nouerit incursurum. Datum Romæ apud S.Petrum, Anno Incarnationis Domini 154. in Kal. Decembris Pontificatus nostri anno primo. Ann.Christi 1504.

XCVII. Eugenius Papa IV. Ad perpetuam rei memoriam. Consentiente ad infrascripta charissimo in Christo filio nostro Ioanne Palæologo Romanorum Imperatore, & Locumtenentibus Venerabilium Fratrum nostrum Patriarcharum, & cæteris Orientalium Ecclesiarum repræsentantibus. Extat in Bull. Romano tom. 1. Lætentur cæli. Et in fine: Item definimus, Sanctam Apostolicam Sedem, & Romanum Pontificem successorem esse beati Petri principis Apostolorum, & verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiæ caput, & omnium Christianorum Patrum, ac Doctorem existere, & ipsi in beato Petro pascendi, regendi, ac gubernandi vniuersalem Ecclesiam à Domino Nostro Iesu Christo plenam potestatem traditam esse; quemadmodum etiam in gestis Oecumenicorum Conciliorum, & in sacris Canonibus continetur. Dat. Florentiæ in sessione publica Synodali, solemniter in Ecclesia maiori celebrata anno Incarnatione Dom. 1439. pridem 9. Iulij, Pontificatus eius IX. Ann.Christi 1439.

Respondetur ad obiecta Anonymi Galli.

Sed nostram hanc ab vsu, rituque Pontificio pro Petri primatu attestationem, & cur cachinnis stomachati rumpiris? adeone plana sunt vobis hic omnia, vt quia Petrum in Pontificem vltra recipitis, conctas prætera auctoritates floccifaciatis, quæ Pauli Pontificatum expressè non condemnent? at vbi pacta fides? Si communis Ecclesiæ sensus tot Patrum testimonijs receptus loquendi vsu manifestissimè Paulum à Pontificatu excludens: si consuetus Papalis characteris stylus vniformi tot Summorum Pontificum exemplo recoguitus, & expensus, non vobis videntur historicum argumentum instruere ad vestram sententiam de facto diruendam; cedo, quam maiorem comprobationem adducitis pro cęterorum Apostolorum minoritate sub Petro? Nullus siquidem ex sacris Doctoribus expressa enunciatione promulgauit, illos vnà cum Petro in summos Compontifices non fuisse cooptatos; quin plurimi etiam sancti Patres non reliquos Apostolos tantùm, sed & alios inferioris ordinis Sanctos ijsdem ipsis, & præconijs, quibus vos Papam constituitis Paulum, celebrarunt, qui tamen nō proinde Pontifices reputantur. Portò si tanti ab auctoritate negatiua isthæc apud vos valet illatio: ergo opulentissimum Regnum cum inclyto Rege vestro ex æquo partiamini vos, quibus regalia iura non pertinere nemo conceptis verbis hactenus ausus est scribere.

Nec minor prorsus ineptia est, ab Auctoribus priscis, quibus Pauli primatus, nec quidem in mentem venit, expectare definitiuam pro Petro sententiam, quando communis eorumdem loquendi modus rem ipsam citra vllam controuersiam expressè satis determinauit.

Quòd ne gratis à nobis dictum contemnatis, conferte, quæso, magnam Diui Augustini circumspectionem, post exactas Manichæorum, & Pelagianorum quæstiones, cùm suomet præteriti temporis liberiori loquendi vsu: & consequenter intelligetis quantam futuris Scholasticis, ac Doctoribus cautionem posthac imposueritis ex huius recrudescentis mali perfricatione, si modò curare volent apertam Sophistarum peruicaciam, qui nodum in scirpo quærere noscuntur, dum

Enco-

Encomiasticas Patrum de Paulo sententias, vel improprio, latissimoque sensu ad incogitata torqueris, vel exactè nimis verborum proprietatem concipitis; vt mitiùs agere cum Chrysostomo iam videamini, si nimias eius de Paulo eodem hyperboles protinus in ius vocare differatis, quasi in nullo ille sit inferior Archangelis, omniaque simul Sanctorum merita solus excedat, ac cœlum denique sit indignum Paulo; & his similia, quę nemo non sano sensu intelligenda, somniauit.

His nihilominus non obstantibus vrgetis interim, & plausabilia Patrum testimonia pro Pauli Pontificatu identidem objicientes, pulueris ad instar iactu, nostris luminibus obstruere non desistitis, quod is Gubernator Orbis, Pastor, & Episcopus Romę, Collega, & Consors dignitatis Petri vocetur à Sanctis; in cuius etiam Cathedra sederit, quem reprehenderit, cui ęqualem se fecerit, & quidem secundùm potestatem sibi traditam à Deo; quod sollicitudinem omnium Ecclesiarum habere se prędicarit: quod Pontifices, qui sese Pauli hęredes, ac filios appellant, eiusdem pariter nomine omnia pręstent: & quàm plurima talia, quę omitto.

Verumtamen vti leuem pulverem, leuis item aura dissipet, vel tenuis scopula vertit: sic obiectiones vestras illa præcipuè considератio penitus eneruat, quod omnes à vobis citati Scriptores alibi, vbi Paulinæ laudationi minùs incumbentes, demonstratiui styli elogijs pepercerunt, clatiùs ac dilucidiùs sese contrarium sentire profitentur.

Secundò pręterea dicimus: Elogia SS. Patrum de Paulo non esse verè, & propriè Pontificatus attributa, sed vt maximè, Apostolatus tantùm, & consequenter non inferri ex illis qualitatem vllam Papalem in Paulo, sed Apostolicam, quam vltro concedimus.

Tertiò, non negamus Paulum fuisse Petri Coadiutorem in doctrina, & prædicatione, vnde collega, & consors eius dignitatis nuncupari meruerit, quasi sedens in eadem Cathedra; quo pacto nempe super Cathedram Moysi Scribas consedisse Christus commemorat; quos non propterea eidem dignitate æquiparauit.

Quartò, quidquid fuerit de Pauli reprehensione, hæc etiam subdito licet in superiorem, iuxta Patrum, & Theologorum sententiam; quare non valet illatio Petro Paulum adæquans in dignitate. Hac de re vide Card. Baron. tom. 1. Annal. A. C. 51.

Quintò, Pontifices non solùm Pauli cum Petro sese filios, hæredes & successores appellant, sed etiam reliquorum Apostolorum, à quibus pariter Apostolicam auctoritatem, qua passim vtuntur, hæreditarunt; quæ quidem qualitas maximè obseruanda est in Pontificibus, qui ob illam præcipuè peculiari quodam modo Pauli successores appellari possunt, quo Paulus ipse Apostolus antonomasticè vocatur.

Sextò, quod autem Pontifices nomine quoque Pauli plurima exequantur, si istud Pontificium prærogatiuam importat, certè pluribus illam Sanctis communicare cogemini, imò & omnibus, ac maximè Beatissimo Patriarchæ meo Benedicto, qui frequentissimè legitur interpellatus cum Petro, omissa non rarò Pauli mentione.

Septimò addite, quod sæpiùs quoque valde diu so modo Petrus, Paulusque solent inuocari, nempe sub hac forma: Auctoritate Petri, & precibus S. Pauli; quare si quando absque vlla differentia, ob superiùs deductas causas, ex æquo vsurpantur vterque, intelligitur nihilominus semper Paulus, quà Apostolus, Socius, Consors, Commilito, non absimilis doctrina, vel meritis, Petro.

Si quis enim duorum Imperatorum beneficio, exempli gratia, Antonini Veri, & Aurelij Commodi fratrum (qui vnà Imperium indiuisum tenuerunt) Proconsulatum, aliumue Magistratum obtinuisset, & alteri tantùm sese gratiam habere professus, eius solius nomine munus illud exercuisset, alterius auctoritati derogans, ac si hunc pro intercessore, illum verò pro Imperatore cognouisset: nonne ingratus, imò & fatuus habitus fuisset ab omnibus, cui simul vterque meritò succenseri, & neutrum demereri debuisset?

Quod si notam istam ingratæ, fatuæque mentis in virum Ethnicum historiæ profanæ non regerunt, cur illam Anonymus tot Sanctis Pontificibus inurat, qui quidem non minori culpæ fuissent obnoxij, dum Pauli mentionem passim prætereunt, vel Petro tamquam inferiorem postponunt, scribentes: In Cathedra S. Petri: auctoritate S. Petri: sub protectione S. Petri, & precibus S. Pauli, S. Benedicti, vel aliorum Sanctorum. Si igitur constans Pontificum vsus eam inter vtrumque ferè semper retinuit discrepantiam, certissimo nobis argumento debet esse, quod alteri præstet alter dignitate.

Nec in nos argumentum potest intorqueri illorum Pontificum exemplo, qui suis Diplomatum formulis Paulum videntur Petro æquiparare, quasi non leuiùs errent hi, qui superiori inferiorem adæquant, quàm illi, qui parem pari supponunt. Dicimus enim, longè tolerabilius, nec extra consuetudinem vrbanam esse, vt, alijs suadentibus meritis, suppar honoris gratia aliquatenus comparetur maiori, quàm vt par immeritò debitis prærogatiuis defraudetur.

Excessus itaque Pauli encomiorum habet rationem, sed alijs titulis quàm Pontificali, nempe Coadiutoris ad summum, Apostolatus, Episcopatus, Sanctimoniæ, Prædicationis, Doctrinæ, Zeli, Meritorum, Martyrij, Martyrijque circumstantiarum, & his simillium. At verò si Paulus Compontifex fuisset, iniuriosè nimis eius sancti successores nomen opportuno loco, & tempore reticuissent, vel infra dignitatem interpellassent; quod item in omnes Pontificum Chronologos, aliosque Scriptores dictum volumus, quos quidem in Sanctissimi Pauli merita dignitatemque conspirasse vniuersos, tam iniquum est cogitare, quàm suo Sanctissimum Antistitem primatu deturbare. Nulla enim Paulus Pontificalia munera exercuit Romæ, quæ Petro incubuisse est in confessis apud omnes. Is namque è suis socijs discipulis Domini numero ferè triginta, totidemque propemodum discipulos suos, quos Antiochia deduxerat, Romæ à se ordinatos Episcopos per

Orbem misit ad propagandam fidem, vt infra altero opusculo pluribus dicemus. Qua de re Pauli mentio nulla, qui tamen alioqui credendus est quamplurimos ibidem prædicatione ad fidem perduxisse, vti præsertim de Domo Cesaris constat; sed si istud Pontificem constitueret, nimium profectò cresceret eorum Catalogus, cum dubitare non liceat, quin idem quoque præstiterint Romæ commorantes, Marcus, Barnabas, Apollinaris, Martialis, & cæteri, quos Romanos Pontifices appellare nefas est. Non inficiamur tamen, extra Romam nonnullos ab ipso Paulo ordinatos Episcopos, quos Claudius Dausquius commemorat, siue cœlitus collata, nempe Apostolica, siue delata à Petro, auctoritate; sed Romæ nullos.

Octauò denique, sollicitudo illa omnium Ecclesiarum, ad Apostolicum, non ad Pontificium Pauli zelum, & charitatem debet referri.

Quibus distinctionibus quælibet oppositionum vincula solui possunt, vt nemo in posterum S. Paulum Apostolum S. Petro Apostolorum principi audeat in primatu ex æquo comparare. Hanc enim primatus societatem (vt hoc etiam non aspernandum argumentum adijciam) in sua Christus Ecclesia catenus exhorruisse visus est, vt Petrum eundem, quem inter mortales agens iamdudum per verba de futuro Pontificem designarat, non nisi iamiam in cœlum ascensurus Pontificem per verba de præsenti constituerit. Cui namque priùs dixerat: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & tibi dabo claues Regni cœlorum; Ecclesiam denique sua præsentia priuaturus pergens ad patrem, ne orbatam quoque pastore videretur relinquere: Dixit, tanquam illum in Pontificatus possessionem immittens: Pasce Agnos meos: Pasce Oues meas.





EIVSDEM AVCTORIS.

De Romano S. Petri Principis Apostolorum Domicilio, & Pontificatu, Aduersùs Nouatorum Impudentiam.

COMMENTARIVS ALTER.

CAPVT I.

De S. Petri Domicilio, & Pontificatu.



Æretici, qui in suarum animarum detrimentum Ecclesiam Romanam obstinato persequuntur odio, negant Petrum Apostolorum principem Romæ fuisse, neque id alia de causa, nisi vt etiam negare possint, Petrum eumdem Romanæ ipsius Ecclesiæ fundamenta iecisse. Quibus cum nequaquam satisfiat (qua sunt inscitia, vel potiùs stultitia) quod Concilia sanctique Patres, ac docti plerique viri ad hæc, vsque tempora idipsum testatum reliquerint: alijs etiam argumentis, nisi demonstrationes appellemus, quæ fermè iuris Diuini loco haberi possunt] eorum peruicaciam compescendam decreuimus, quibus tamdem fateri cogantur, Petrum Romæ fuisse, Sedem Romanam instituisse, eius Vrbis Episcopum extitisse, eamdemque dignitatem, atque auctoritatem successoribus suis Romanis Pontificibus reliquisse.

Extat adhuc ipsa Petri Cathedra, super quam ille sedens sedit, quæ in sua Basilica Vaticana venerationi habetur. Extant aquarum fontes Petri quondam precibus miraculosè exciti, hactenus scaturientes. Prostant silices durissimi Petri iamdudum genibus miraculosè molliti. Catenæ supersunt, carceres palam visuntur, vnde Petri Romæ viuentis, & crucifixi fides intemerata patefiat. Imminet Vrbi Basilica toto terrarum Orbe celeberrima, quæ Sacrum Petri Corpus venerabunda conseruat. Sed vt verba omittamus, in primis nullo pacto reuocari potest in dubium, quod certissimum demonstratur, Petrum Antiochia Romam venisse, socijs concomitatum Iesu Christi discipulis, suisque quam plurimis, trans Tyberim se recepisse ad Hebræos contribules suos. Cuius rei testimonia iam perpendamus.

Acta Consularia S. Apollinaris Episcopi Rauennatis, & Martyris, atque eiusdem Sancti Petri Discipuli hoc ipsum testatum reliquerunt: In diebus Claudij Cæsaris, veniente Petro, Apostolo Iesu Christi Nazareni, ab Antiochia in Vrbem Romam, multi cum eo Christiani administrantes ei, Romam venerunt. Qui statim ad Synagogam Hebræorum descendens, dedit eis notitiam dicens: Quod Hebræus esset, & à Iudæa propter fratrum charitatem aduenisset. Cum verò per multos dies sermocinaretur Iudæis, introducebat eis de nomine Iesu: Quod verus esset Dei Filius, qui saluum fecisset omne genus hominum: indicans, quantas operationes, & virtutes in Israel fecisset, secundùm Propheticas voces: Multi verò ex Iudæis agentes pœnitentiam pro ignorantia sua credebant in Iesum, prædicante Petro. Non solùm autem Iudæi, sed etiam Romani suscipientes verbum gauisi sunt, quod visitatione visitasset Deus genus humanum, mittens Filium suum renouare mundum: Et credentes in Iesum baptizabantur.] Hucusque ibi.

Accedit veritati huic confirmandæ Simeon Metaphrastes, Scriptor antiquissimus Græcus, literis quoque, & sanctitate clarus, qui sic ait de Petri appulsu Romam: Romam appellit: in qua cùm quotidie Synaxes celebraret, & vnum Deum Patrem Omnipotentem, & vnum Dominum Iesum Christum, Filium verum de Deo vero, & vnum Spiritum sanctum Dominum & viuificum, in Synagogis, & Domi doceret, attraxit multos ad fidem in Christum, & per sanctum Baptisma liberauit ab errore Idolorum: adeò vt breui tempore ad sanctum Baptismum omnes ferè accurrerint, & Deo per Apostoli doctrinam crediderint.] Ita Simeon Metaphrastes. Tandemque præter alios, Eminentissimus Card. Baronius veritati huic suffragatus est suis hisce verbis: Cum verò Romam peruenisset Petrus, antequam Gentilibus Euangelium prædicaret, ad Contribules suos diuertisse Iudæos existimamus: Incolebant illi regionem Transtyberinam.] Hucusque Card. Baronius.

Præ-

Præterea post Transtyberinam Petri habitationem pro eadem re nostra confirmanda sequitur memoranda eius statio in Synagoga. Solemne quippe fuit Iudæis ritum, & ordinem seruare in Synagogis. Synagoga enim eam Hebraicè, quàm Græcè idipsum significat, quod latinè Congregatio, siue Cœtus. Quod verò spectat ad Ritum (morem & consuetudinem) in Synagogis seruandum. is est: (vt constat ex act. Apost. cap. 13.) Libros sanctos, & voces Prophetarum per omne Sabbatum ibidem legere. Vnde Christus Sabbatis ingressus in Synagogam docebat eos, quasi potestatem habens, & non sicut Scribæ: & venit Nazareth, vbi erat nutritus, & intrauit secundùm consuetudinem suam die Sabbati in Synagogam, & surrexit legere. Et traditus est ei liber Isaiæ, &c. Erat ergo ea consuetudo, & Christi, & Scribarum: ne quis eam recentem esse dicat. Iacobus in Concilio Apostolorum: Moyses, inquit, à temporibus antiquis habet in singulis ciuitatibus, qui eum prædicent in Synagogis, vbi per omne Sabbatum legitur. Quæ phrasis non dubium est, quin multa sæcula comprehendat. Tradunt enim Hebræi, legem, siue scripturam Pentateuchi, pro numero ferè hebdomadarum anni distributam fuisse in sectiones quinquaginta tres, quas vocant Persoth, quarum singulæ constarent centum, & triginta sex versibus. Verùm postquam Antiochus combusisset, earum partium loco, totidem de Propheticis libris decerpsisse, ve priori lectioni sensu congruerent. Sed ab ipso Moyse lectionem eam introductam satis ex cap. 31. Deuteronomij colligitur: vbi Dominus iubet septimo quoque anno solemniter cum omni populo, in festo Tabernaculorum legi verba Legis.]

Ex modò dictis colligimus aliud argumentum, quo vtique probare possumus, Petrum Apostolum Romæ trans Tyberim in Synagogam se recepisse, in qua veteris Testamenti lectio Diuina legebatur; vt nacta eius lectionis occasione posset ex nouo Testamento, quod omnino concordat cum veteri, Christum Iesum Euangelizare. Quid enim aliud sunt voces Prophetarum, & Legis. nisi testimonia de Christo Filio Dei, & Christum venisse in terris in similitudinem carnis peccati: quæ veritas sicut prædicitur in vetere, ita manifestiùs explicatur in Nouo.

Præterea, quod spectat ad ordinem, Synagoga accipitur etiam pro loco, vbi conueniebant Legisperiti, & populi ad audiendam Legis doctrinam, & cæremonias, maximè diebus Sabbatorum, quibus Diuinis vacandum erat. Ad hæc, habuit quoque Synagoga ordines quatuor ad eruditionem suorum, scilicet, Principes Sacerdotum, Seniores populi, (dignitates quidem per se notas) Scribas & Pharisæos: qui Pharisæi Legis Doctores vocari sunt. Scribæ verò, qui de moribus, vel actibus præcepta dabant.

In cuius rei gratiam animaduertendum est, (vt optimè tradit S. Ambrosius) in Synagogis Iudæorum morem fuisse, vt talis ordo inter eos seruaretur, nimirum: Vt sedentes disputarent, Seniores dignitate sederent in Cathedris, quæ ordine erant dispositæ, erant hæ illæ Cathedræ, de quibus Dominus in Pharisæos ait, Amant primas Cathedras in Synagogis) cæteri minoris ordinis in subsellijs, nouissimi omnium in pauimento super mattas, quibus & dabatur dicendi locus, cùm eis quid reuelatum esset: Quæ omnia Maiores dijudicabant.] Hæc S. Ambrosius.

Quibus nos non absurdè forsan affirmare possumus, vnam nempè ex ipsis principibus Synagogæ Transtyberinæ Cathedris, & sine dubio cæteris omnibus superiorem ab ijsdem Iudæis vltro concessam fuisse Petro Apostolorum Principi, tum ob Diuinum à Christo illi concessum magisterium, tum ob Diuinam eius doctrinam, cum ob Diuinas eius virtutes, quas iugiter in dies miraculis reddebat illustriores. Et hęc Cathedra cùm Iudęorum more fuerit lignea, diruta mox illorum Synagoga, ijsdemque dispersis, imò expulsis, à Christianis facile fuit, vt maioris reuerentię titulo, transferretur in Basilicam Vaticanam, in qua cum eiusdem S. Petri corpore, digno etiam honore seruaretur, ac veneraretur.

De Cathedra igitur Petri Romę posita adeò notissima, & Orbi conspicua res est, vt nec hęreticus homo possit dissimulare. Qua de re grauissimus Auctor Optatus Mileuitanus Parmenianum Donatistam compellat his verbis: Negare non potes, scire in Vrbe Roma à Petro primò Cathedram Episcopalem esse collatam.] Hęc ille. Omittimus hic omnium tam Latinorum, quàm Gręcorum Patrum eeserre testimonia, quorum quamplurima refert Eminentiss. Card. Baronius primo suo Tomo Annalium sub anno Christi quadragesimoquinto.

Fauet his iamnum à nobis assertis de Cathedra S. Petri, illud quod, primi illi Romani Pontifices, vti Petri Apostoli successores Pontificatus possessionem in eadem sedentes Cathedra suscipiebant. Quamobrem, & Sedes postea Apostolica inde vocitata est, vt existimatissimis Ecclesię Romanę monumentis refert Onuphrius Panuinius de rebus antiquis memorabilibus Ecclesię Vaticanę S. Petri, atque etiam in libris antiquis Ritualibus ab eodem in pristinum nitorem restitutis. Auctorem habeo Ioannem Pinadellum Taruisium, qui in libro à se inscripto, Inuicti Numeri Quinarij series, Sixto Papę V. dicato, de Ioanne Papa V. loquens ita inquit: Ioannes verò inter cętera sua instituta, voluit etiam Romanum Pontificem ab Ostiensi, Portuensi, & Veliterno Episcopis consecrari: qui quidem mos nunc etiam perdurat, cùm antea nouus Pontifex solùm ad Cathedram S. Petri deduceretur, cui insidens possessionem acciperet.] Hęc Pinadellus.

Cęterùm hęc ipsa prima Pontificia Sedes Petri Cathedra, inquam, lignea, dignum planè tantę rei, eximiumque monumentum, quàmplurimis semper miraculis illustrata, à Maioribus asseruata in eiusdem Petri Basilica Vaticana recondita hactenus custoditur, & certis diebus populis visenda exponitur. Quapropter pię memorię Vrbanus Papa octauus proprium, & perelegans Oratorium posita ibidem Cathedra eadem in eius honorem erexit.

Veniamus iam ad alia non minoris ponderis argumenta, quibus indubiam etiam de-

demonstremus Diuini Petri sessionem Romæ Apostolicam. Sumpsimus iam argumentum de aduentu, & sessione Petri in hac Romana Vrbe ab eius Cathedra: huic verò argumento aliud annectere facillimum erit, à principe nempe Sacramento salutis nostræ, à sacro, inquam, Iesu Christi baptismatis lauacro. Petrus enim Romæ degens, in flumine Tyberi fideles baptizasse, certum est quod testatum reliquerit Tertullianus illis Apostolorum temporibus vicinus, verbis istis: Nulla distinctio est, mare quis, an stagno, flumine an fonte, lacu an alueo: Nec quidquam refert inter eos, quos Ioannes in Iordane, & quos Petrus in Tiberi tinxit.] Hæc Tertullianus. Cuius verba ad literam intelligenda esse tradit Iacobus Pamelius. Quin etiam Pamelio suffragatur Iosephus Vicecomes Doctor Ambrosianus verbis illis: Tertullianus enim reconditissimæ eruditionis vir, libro de Baptismo cap.4. Cum probare in animum induxisset, parum, vel nihil etiam referre, vt diuini numinis charismata accipere, qua quis aqua tingatur, Apostolorum principem in Tyberi baptizasse, meminit his verbis: Neque quidquam refert inter eos, quos Ioannes in Iordane, & Petrus in Tyberi tinxit.] Constat enim, primis illis temporibus, cùm res Christiana informis, & inchoata esset: atque etiam vt Christum Dominum in Iordane, vel alibi in Iudæa baptizantem imitarentur, Baptisteria in vsu non fuisse, sed in fluuijs, fontibus, puteis, vijs, & carceribus Christianæ fidei proceres baptismi Sacramentum administrasse, docti quique sciunt, quod sacra antiquitas memoriæ tradidit.

Prętereà quod etiam ad Petrum spectat, baptizauit ipse quoque Romę in Cæmeterijs, atque in locis alijs Romanis. Et quidem extat etiamnum cæmeterium licèt ruderibus oppletum, omnium vetustissimum, Ostrianum, via Salaria ad tertium ad vrbe lapidem, in quo idem Apostolus baptizasse affirmatur. De quo Prothonotarius S. R. E. in Actis S. Liberij Papæ sic ait: Erat non longè à cæmeterio Nouellæ ad tertium miliiarium ab Vrbe in via Salaria, Cæmeterium Ostrianum, vbi Petrus Apostolus baptizauit.] Eiusdem meminit Card. Baronius tom. 2. Annal. sub anno 226. atque alij.

Ostriano accedit cæmeterium ad Nymphas, in quo etiam S. Petrus baptizauit. Codices alij habent ad Lymphas, id est, ad aquas. Et hoc ipsum cæmeterium extat in prædio Seueræ, via Numentana, lapide ab vrbe inter septimum & octauum. De eodem acta SS. Martyrum Papiæ & Mauri, vbi de ipsorum corporibus sic agitur: Quorũ corpora collegit Ioannes presbyter noctu, & sepeliuit in via Numentana, die 4. Kal. Febr. ad Nymphas, vbi Petrus habitabat, & baptizabat.] His etiam suffragantur acta S. Marcelli Papæ, & Martyris, quæ refert Laurentius Surius de ijsdem martyribus verba faciens, hisce verbis: Quorum corpora collegit noctu Ioannes presbyter, & sepeliuit in via Numentana sub die 4. kal. Febr. ad Lymphas B. Petri, vbi baptizabat.] Ijsdem verbis id explicat Petrus de Natalibus in Catalogo 55. lib.3. cap. 40. nec non alij.

Præter hæc à nobis hic agendum esset de Ecclesijs S. Priscę & S. Pudentianæ, in quarum locis S. Petrum pariter baptizasse certum est: At cum de vtraque inferiùs iam tractauerimus, illuc Lectorem amandamus.

Præter hæc, in eo Vaticani loco, in quo S. Anacletus S. Petri discipulus, eiusdem Apostoli corpus sepeliuit, atque Oratorium condidit, etiam extabat cæmeterium: atque in hoc ipsum Apostolum prædicare & baptizare consueuisse, vetustissima Basilicæ Vaticanæ monumenta traditione itidem confirmata, nec non Scriptores antiqui demonstrant. Tiberius Alferanus in sua Topographia Basilicæ Vaticanæ: Cæmeterium, inquit, antiquissimum Fontis S. Petri post absidem Basilicæ cum paruula Ædicula.] Et Aurelianus Episcopus Lemouicensis de S. Martiale S. Petri discipulo, eiusque socijs ita scribit: Ingredientes verò Romam, inuenerunt Apolum Petrum in loco, qui dicitur Vaticanus, docentem multas populorum turbas.] Prætereà Cæmeterij fontis S. Petri meminerunt etiam Cencius Camerarius Card. in principio libri censuum Sedis Apostolicæ: Et Petrus Malleus eiusdem Basilicæ Vaticanæ Canonicus, Alexandri Papæ Tertij familiaris. Extat itidem Codex in archiuo ipsius Basilicæ manu exaratus de præcedentia, in cuius pagina 870. ita legimus: Petrus habitauit in Vaticano, constat ex Oratorio, quod magnum erat ad caput Basilicæ, dirutum à Nicolao V. vt alterum ibi ædificatum, vocabatur habitatio S. Petri.] Ioannes Henricus: Sub ea angusta Ædicula est, vbi loci D. Petrum celebrasse sacrum Missæ Officium, vulgò ferunt.] Sicut & alia plura loca Romę, & in Suburbijs, in quibus etiam baptizauit Petrus, quæ nos in libro de Transtyberina Sede cum referamus, hoc autem loco asserta sint satis, vt transeamus ad alia.

Verùmenim verò præter adducta superiùs à nobis irrefragabile aliud itendidem accedit argumentum, Petrum videlicet comitantibus quoque aliquot socijs, Iesu Christi discipulis, atque etiam suis quampluri mis, Antiochia Romam venisse, Cathedram Apostolicam erexisse, ac munia Episcopalia exercuisse. Negant Hæretici, sed sola opinione, non ratione ducti; affirmant populi fideles ferè omnes, ab Oriente, Occidente, Meridie, ac Septentrione, qui eosdem socios, ac discipulos in Vrbe Episcopos à Petro ordinatos, ac fidei Christianæ propagatoribus adscriptos in suas Regiones receperunt, atque ab ijsdem Euangelij semina sunt amplexi.

Quoniam verò mirabilis est Deus in omnibus operibus suis, mirabilior tamen voluit apparere in consulendo Ecclesiæ suæ Romanæ, eiusque primatui super omnem terram. Cum enim Petrus antequam Romam veniret, plures in Oriente Episcopos ordinasset, Romæ nihilominus, præter præcipuos alios, tres sibi ordinandos reseruauit Episcopos, qui mox in Orientem Patriarchæ dirigendi essent: quippe sicut reliqui omnes Romano Pontifici obedire quoque deberent, Antiochenus videlicet, Alexandrinus, & Byzantinus, vel Constantinopolitanus. Ita ergo Euodium in primis præfecit Episcopum Ecclesiæ Antiochenę; Hic autem genere Iu-

deus,

deus, ex septuaginta duobus Christi discipulis vnus fuit, mox Petro familiaris, Antiochia Romam venit, à quo post annum, Claudij videlicet tertio, & Christi Domini quadragesimo quinto, ordinatus Episcopus Antiochiam missus est, præfuitque ad annum vsque Christi septuagesimum, & apud eamdem sub persecutione Neronis gloriosam martyrij palmam promeruit pridie kal. Maij, ibidem sepultus. Hęc nos ex Eusebij hist. & Chron. Petro etiam in Catalogo 55. lib. 4. cap. 137. & lib. 6. cap. 100.

Romę quoque Episcopus ordinatus est à Petro Marcus, Leuiticus genere, & Sacerdos legalis, & ipse ex septuaginta duobus Christi discipulis, Petri interpres, quo dictante Romæ scripsit Euangelium, atque eodem anno, quò Euodius, Episcopus, & ipse Alexandrinus ordinatus, in eamdem Ægypti vrbem directus est, in qua nobili martyrio Spiritum Deo reddidit, septimo kal. Maij, octauo Neronis anno. Plurimis mox annis elapsis Christianissima Venetorum Respublica sacrum eius corpus obtinuit, cuius cœlesti patrocinio felicissimè gaudet. Hęc etiam nos ex iisdem citatis supra Scriptoribus, & presertim Cardinali Baronio. Denique Romę itidem existens Petrus Byzantium ordinauit Episcopum Stachym, virum sanè Apostolicum, cuius meminit Paulus: Salutate (inquit Apostolus ad Romanos cap. 16.) Vrbanum adiutorem nostrum in Christo Iesu, & Stachym dilectum meum.) Verumtamen Nicephorus dum scribit Stachym ordinatum ab Andrea Apostolo, sine dubio id ab Apocryphis accepit, ob alia, quę ibidem refert aperta mendacia, vt eruditissimus etiam animaduertit Card. Baronius, qui identidem subdit: Nec prętermittimus dicere, eumdem Petrum Apostolum Byzantijs etiam, & alijs eiusdem Prouincię locis primos dedisse Episcopos. Id enim egregiè profitetur Agapetus Papa illis literis, quas de Menna à se ordinato Episcopo Constantinopolitano scripsit ad Petrum, quę postea fuerunt in quinta Synodo recitata, in quibus hęc leguntur: Et hoc dignitati suę (Mennę scil.) addere credimus, quod à temporibus Petri Apostoli, nullum alium vnquam Orientalis Ecclesia suscepit Episcopum manibus nostrę Sedis ordinatum. forsitan ad demonstrationem laudis ipsius, vel ad destructionem inimicorum, ista res tanta prouenit, vt illis ipse similis esse videatur, quos in his quandoque partibus Apostolorum primi electio ordinauit.) Hęc Agapetus: cuius auctoritatem, in Synodo prętertim Oecumenica recitatam, maioris esse ponderis existimamus, quàm recentiorum Grecorum, vt Nicephori, vel aliorum, qui dixerunt, eas Ecclesias ab Andrea Apostolo institutas, ab eodemque Episcopos illi datos. Hęc doctissimus Baronius.

Non solus itaque Petrus erexit Ecclesiam Byzantinam, dum Stachym eiusdem ordinauit Episcopum, verùm etiam successores eius Summi quique Pontifices in Ecclesia Romana reliquos eidem Stachy successores instituerunt Episcopos, & Patriarchas Constantinopolitanos deinceps appellatos à Magno Constantino, qui eamdem ibidem Vrbem magnificauit, atque Imperium condidit.

Cæterum alij, qui per eumdem Petrum Romæ fuerunt Episcopi ordinati, & per omnem terrarum Orbem missi Euangelij prædicatores, & fidei Christianæ conditores, tum Christi discipuli, Petrique socij, tum Petri eiusdem discipuli, infrascripti à nobis magno studio collecti ad sexaginta numerari possunt, quorum nihilominus nomina tantum hic exprimere consilium fuit, omissis singulorum elogijs, quos in nostro alio libro, quem post hunc edituri sumus, de principe loco Sedis Apostolicæ Transtyberino, fusiùs recensemus. Et sunt.

- S. Apollinaris Episcopus Rauennæ, & martyr.
- S. Anatalonus Episcopus Mediolanensis, & martyr.
- S. Andronicus Episcopus Syrmij in Pannonia, confessor.
- S. Altinus Episcopus Aurelianensis, & martyr.
- S. Asprenus Episcopus Neapolitanus, confessor.
- S. Beryllus Episcopus Catanensis, & confessor.
- S. Barnabas Apostolus, Episcopus Galliæ Cisalpinæ, & martyr.
- S. Cæcilius Episcopus Illiberi, nunc Granata, & confessor, in Hispania.
- S. Clemens Episcopus Metensis.
- S. Crescens Episcopus Moguntinus, Confessor.
- S. Clesiphon Episcopus Vergi, & confessor in Hispania.
- S. Domnus Salonensis in Dalmatia Episcopus, & martyr.
- S. Eucharius Episcopus Treuirensis, Confessor.
- S. Euphrasius Episcopus Illiurgi, & Confessor, in Hispania.
- S. Euprepius Episcopus Veronæ, Confessor.
- S. Fronto Episcopus Petragoricensis, confessor.
- S. Georgius Episcopus Aniciensis, confessor.
- S. Hermagoras Episcopus Aquileiæ, & martyr.
- S. Iulianus Episcopus Cenomannensis, confessor.
- S. Iudalecius Episcopus Vici, & confessor, in Hispania.
- S. Hetychius, Episcopus Carteia, & confessor, in Hispania.
- S. Leucius Episcopus Brundusinus, & martyr.
- S. Libertinus Episcopus Agrigentinus, & martyr.
- S. Lucianus Episcopus Bituricensis, & martyr.
- S. Laurentius Episcopus Laureacensis.
- S. Mansuetus Episcopus Tullensis, & confessor.
- S. Marcus Episcopus Atinæ, & martyr.
- S. Marcianus Episcopus Vrbis Syracusarum, Metropolita Siciliæ, & martyr.
- S. Marmialis Episcopus Lerouicensis, & confessor.
- S. Maternus Episcopus Treuirensis confessor.

S. Mem.

S. Memmius Episcopus Catalaunensis & confessor.

S. Pancratius Episcopus Tauromenitanus, & martyr.

S. Philippus Episcopus secundus Syracusarum Vrbis, Metropolita Siciliæ.

S. Paulinus Episcopus Lucensis, & martyr.

S. Perinus Episcopus Pisanus.

S. Potentianus Episcopus Senonensis, & martyr.

S. Priscus Episcopus Capuæ, & martyr.

S. Prosdocimus Episcopus Patauij, & confessor.

S. Ptolomæus Episcopus ciuitatis Pentapolis, siue Nepesinus in Tuscia, & martyr.

S. Romanus Episcopus ciuitatis Pentapolis, siue Nepesinus, & martyr.

S. Rufus Episcopus Thebarum, & martyr.

S. Romulus Episcopus Fesulanus, & martyr.

S. Sauinianus Episcopus Senonensis, & martyr.

S. Secundus Episcopus Abulæ, & confessor in Hispania.

S. Sixtus Episcopus Rhemensis, & martyr.

S. Sinicius Episcopus Rhemensis, & martyr.

S. Syrus Episcopus Ticinensis, & confessor.

S. Torquatus Episcopus Accitanus, & confessor in Hispania.

S. Valerius Episcopus Treuirensis, & confessor.

S. Vrsinus Episcopus Bituricensis, & confessor.

Et hi quidem sunt, quos nostra diligentia inuenire potuimus Viros Apostolicos Christi, & Petri discipulos, Romæ ab eodem Petro Episcopos ordinatos, atque amandatos per orbem ad fidem Christianam propagandam; haud sanè dubitantes, quin his plures extiterint, quàm nos explicauimus, qui tamen diligentioribus veterum historiarum indagatoribus occurrent.

Cæterùm quod nos in præallegato libro nostro fusiùs tractauimus de Apostolicis prædictorum Episcoporum Missionibus ad Romanum Petri Primatum, & Episcopatum adstruendum, hoc loco, quia breuitati studemus, idipsum tamquam probatum insinuasse fas sit; cùm ibidem illi ipsi sanctissimi Episcopi huiusce veritatis testes appareant omni exceptione maiores, dum in suisinet historijs sese missos, & ordinatos à Petro protestantur; sicut eorumdem Alumni scriptis tradiderunt, quos adhuc probatissimis monumentis legere est. Quorum quidem exploratissimæ fidei proculdubiò aduersatur, quisquis, Petrum Romæ deguisse, ibidemque suam Apostolicam Sedem erexisse, proterua temeritate inficias ierit.

Essent quoque hoc loco à nobis recensenda dua alia, non minoris ponderis argumenta, quibus etiam probari facilè posset, Petrum Romam fuisse, ac Sedem Apostolicam instituisse, in eaque sedisse. Primùm ex sacris locis, quibus idem Petrus conuersatus est Romæ, vel ex sacris monumentis, sacrisque ministerijs, quæ ibidem mirabiliter operatus est, vt patebit inferiùs. Secundùm ex nobilissimis, & Inuictis Iesu Christi Martyribus, quos idem Petrus doctrina sua Apostolica fidei conciliauit & cœlo, quæ nos cùm latè pertractauerimus in præfato libro nostro de Sede Apostolica Transtyberina, hìc innuisse satis erit: Atque ad eumdem Petrum reuertamur, qui vnà cum Iudæis Transtyberinis à Claudio Cæsare Roma expulsus est. Cum enim eodem Auctore magna incrementa sumpsisset fides Christiana, assiduè tumultuabantur Iudæi aduersùs Christianos, & Petrum ipsum, qui tum ex Iudæis non paucos, tum ex Gentilibus adhuc plures conuerterat; ita vt grauiter, ac iniquo ferrent animo tum perfidi Iudæi tam multos aggregari Euangelio, tum ex Iudæis Christiani, adeò facilem Gentilibus aditum patefieri ad Euangelium absque onere Legis scriptæ. Quare Claudius Imperator Christiani pariter, ac Iudaici ritus cultores, Iudæorum numero censens, vnico edicto vniuersos comprehendit, quo solum vertere compellerentur. Sed eius rei antiquum, & grauem Auctorem Orosium audiamus: Edicto Claudij, ait, Iudæi Roma pulsi sunt. Id enim Iosephi testimonio se scribere testatur, dum ait: Anno eiusdem nono expulsos per Claudium Vrbe Iudæos, Iosephus refert: additque: Sed me magis Suetonius mouet, qui ait hoc modo: Claudius Iudæos impulsore Christo assiduè tumultuantes Ro- Chresto.
ma expulit. Sed vtrùm contra Christum tumultuantes Iudæos coerceri, & comprimi iusserit: an etiam Christianos simul, velut cognatæ religionis homines, voluerit expelli, nequaquam discernitur.] Hæc Orosius Suetonium interpretatus.

Expulsum igitur cum cæteris Iudæis Romæ trans Tyberim commorantibus etiam Petrum Apostolum: nulla est dubitatio; quem hoc ipso anno Domini quinquagesimo primo Hierosolymorum interfuisse Concilio, Lucæ testimonio exploratum habetur. Roma igitur excedens Petrus, sicut ex Metaphraste partim, partim verò, ex Baronij in eumdem Metaphrastem animaduersione colligitur, in Africam nauiganit, vbi Carthaginensem Crescenti discipulo commendatam erexit Ecclesiam: inde Alexandriam concessit, quò iam Roma præmiserat Marcum institutum Episcopum; demum verò Hierosolymam appulit, vt orbem peragraret vniuersum, quo post septemdecim annos, nempe Christi 68. lustrato, Romam iterum venit. Per quos annos Petrus Romanæ Sedis Episcopus Paulum Romæ videre non potuit, nec Petrum vicissim Paulus, nisi per menses tantùm ante vtriusque Martyrium; tantum abest, vt Paulus cum ipso fuerit Romanæ eiusdem Sedis Episcopus.

Præterea ad confirmandam institutæ à nobis disputationis veritatem alterum proponimus argumentorum genus, quo identidem demonstretur, S. Petrum Apostolorum Principem, Iesu Christi Domini nostri Vicarium extitisse, Romanam Ecclesiam fundasse, gubernasse, suoque sanguine consecrasse, au-

ctoritate videlicet nixi, necnon assertione Summorum Pontificum, Conciliorum, Patrum, ac Doctorum, tam latinorum, quàm Græcorum. Sunt enim.

Prædixit Sybilla in Prophetia, quæ ex Chaldæo sermone in Græcum, & ex Greco in Latinum translata extat: Eliegit sibi ex Piscatoribus,& delectis numerum duodenarium, vnumq; diabolum,Iudam scilicet:non in gladio,belloue Æneadem Vrbē,Romam, Regesq; subijciet:sed in hamo piscantis, scilicet Petri. Citatur hęc Prophetia,à Francisco Petrarcha de Otio Religiosorum lib.1.& subiungit:Quæ Erythrææ procul dubio Sibyllæ sunt, vt quæ ex illius libro ad contextum elicui. Citantur eadem à Bernardino Senensi 6. parte Sermone. 1. de festiuitate S. Mariæ, & ab Antonino in Chronicis parte 1. tit.3. cap.9. §.14.

CAPVT II.

B. Lini Pontificis Maximi de Passione Sanctorum Principum Apostolorum Petri, & Pauli ad Ecclesias Orientales, Martyrologium Romanum sub Nono Kalendas Octobris, Romæ sancti Lini Papæ, & Martyris, qui primus post B. Petrum Apostolum Romanam Ecclesiam gubernauit: & Martyrio coronatus, sepultus est in Vaticano propè eumdem Apostolum.

ANtequam Acta passionis sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli referamus, operæ pretium censuimus de Lini illorum Auctoris vita priùs aliquid adnorare, ac de iisdem hæreticorum imposturis aspersis censuram aliquam afferre. Itaque Linus natione Italus, patria Volaterranus, cuius meminit Paulus epist. 2. ad Timot.cap.4. Hunc Petrus, dum vniuersalis Ecclesiæ sollicitudine, ab Vrbe in diuersas Christiani Orbis Prouincias euocaretur, ordinauit coadiutorem Episcopum, vnà cum Cleto, qui simul loco ipsius Petri absentis, ecclesiasticas functiones, & munia episcopalia obirent: Linus quidem intra Vrbem, Cletus autem extra in Suburbijs. Demùm Romæ ab Ethnicis idolorum cultoribus martyrio affectus est 9. Kal. Octobris, ann. Dom. 79. cuius corpus in Vaticano iuxta B.Petrum sepultum fuit. Plura Card. Baronius in Annalibus tom. 1. sub A. C. 69. ex fide dignis peruetustis Scriptoribus.

Fuit vnus ex 72. Christi discipulis.

Scripsisse fertur Linus Historiam de altercatione S. Petri cum Simone Mago, quæ tamen non extat: extant verò ab eodem Grçcè scripti libri duo de passione sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli, tradita Ecclesijs Orientalibus, & deinde in Latinum conuersi. Sigebertus Gemblacensis noster: Linus primus post Petrum Papa, scripsit Græco sermone martyrium Petri, & Pauli, vno die passorum, & Ecclesijs Orientalibus destinauit.] Gemblacēsi,qui ante annos quingentos quinquaginta vixit, antiquiores testes de istis Lini libris, etsi non habeamus; nihilominus Card. Bellarminus de illorum veritate eidem ita suffragatur: Fateor quidem à S.Lino conscripta fuisse Acta sancti Petri, vel potiùs Acta sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli, quod aliqui dicunt: & de Actis sancti Petri in Romano Breuiario legitur.] Hæc Card. Bellarminus. Et Ioannes Cuspinianus Maximiliani Imperatoris à consilijs in Commentarijs Consulum Romanorum: Anno Christi, ait, 69. V.C. 820. Siluano, & Othone Coss. vetustissimi Scriptores omnes in hoc conueniunt, Petrum crucifixum, Paulum decollatum, & Neronem seipsum occidisse. Sed & Linus libellum scripsit Græcè, qui nunc Latinè versus est, de passione sanctorum Petri, & Pauli, qui à studiosis legendus est, licèt nostra ætate hunc quasi confictum coarguant.] Hæc ille. Cardinalis verò Baronius ampliorem de iisdem Actis sermonem instituens: Hæc ipse, inquit, de Petro fugam arripiente, & Domino illi occurrente, pariter & admonente, habentur etiam in Actis passionis eius, quæ feruntur à Lino conscripta; quæ quidem fuere aliquando fortasse sincera; quæ autem modò extant, Manichæorum repetiuntur tincta fuligine, sicut & de Actis illis Andreæ quæritur Augustinus: nam sicut in illis Andream, ita & in istis Petrum habes,non tantùm castitatem rectè suadentem, & concubinas ab hominibus diuellentem, sed malè docentem etiam,ne viris suis vxores debitum redderent: quæ quidem à sincera Apostolica prædicatione procul abhorrent. Germana illa quidem olim extitisse noscuntur, ex quibus ea, quæ scribit,idem qui supra, est mutuatus sanctus Ambrosius, qui ait, Petrum tantùm castimoniam prædicasse: sed ea, quæ diximus, vel adiecta, vel diuersa, quod veriùs putamus, ab illis fuisse, nulli dubium esse posse videtur.] Ista Card. Baronius de Actis sancti Petri Apostoli Manichæorum hæreticorum malignitate corruptis. Verumtamen quàm verum sit, quod eiusmodi impostores ea sancti Petri Acta corruperint, immo eumdem Apostolorum principem magna affecerint iniuria, euidentissimè demonstratur, primò Euangelij auctoritate; ibi enim Christus Dominus constantissimè docuit: Non legistis, quia qui fecit hominem ab initio, masculum,& fœminam fecit eos? & dixit: Propter hoc dimittet homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori suæ: & erunt duo in carne vna. Itaque iam non sunt duo, sed vna caro. Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet.] Hæc apud Matthæum Christus. Quæ omnia apud Marcum eiusdem Petri interpretem idem Christus Dominus totidem verbis confirmauit: Ab initio autem creaturæ masculum, & fœminam fecit eos Deus. Propter hoc relinquet homo patrem suum,& matrem, & adhærebit ad vxorem suam: & erunt duo in carne vna. Itaque iam non sunt duo, sed vna caro. Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet.] Hæc Marcus ex doctrina Petri.

Præterea Petrum prædicasse, vxorem amore castitatis, & amore Christi repudiare debere thorum viri sui, inuito & reclamante marito,summa quoque impostura est, & mendacium pudentissimum, cùm repugnet non tantùm doctrinæ Christi sibi traditæ, verùm etiam

etiam Coapostoli eius Pauli, suæque ipsius propriæ. Qua de re Paulus: Viri diligite vxores vestras, & nolite amari esse ad illas.] Atque etiam: Viri diligite vxores vestras, sicut, & Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea.] Et omissis alijs, idem ait: Propter fornicationem autem vnusquisque suam vxorem habeat, & vnaquæque suum virum habeat. Vxori vir debitum reddat: similiter autem, & vxor viro.] Tandemque ipsissimus Petrus Apostolus testimonium hoc de se reddidit verbis illis contra eum impium impostorem: Similiter, & mulieres subditæ sint viris suis. Vt etsi qui non credunt verbo, per mulierum conuersationem sine verbo lucrifiant.] Et paulò post: Viri similiter cohabitantes secundùm scientiam, quasi infirmiori vasculo muliebri impertientes honorem, tamquam, & cohæredibus gratiæ vitæ.] Hæc Petrus.

Verùm enim verò impostor ille, qui seminauit zizaniam contra matrimonij Sacramentum in his Petri Apostoli passionis Actis à sancto Lino scriptis, falsò etiam immiscuit hæc ementita alia, ait doctissimus quidam vir: Card. Bellar. vbi sup. Agrippam scilicet fuisse præfectum vrbis tempore passionis S. Petri: atque ab ipso Agrippa fuisse eumdem Apostolum occisum, sine consensu Neronis Imp. à quo etiam id factum postea fuisse improbatum; cùm neque constet præfectum vrbis hunc fuisse Agrippam: & necem S. Petri Neroni displicuisse, repugnet omnibus veteribus, sanctisque Patribus.] Hæc ille.

Sed hæreseos blasphemiam Petro Apostolorum Principi falsissimè fuisse irrogatam, ipso vetustatis Auctore, ijsque veritatis assertoribus, cum iam demonstrauerimus, pace tanti viri, quamquam errores ijs, si tamen errores sunt, eum nullius videantur momenti, amanuensis socordiæ potiùs tribui debent, quàm eorumdem Actorum corruptelæ: Atque ideo scripsisse illa Linum negauerimus. Quandoquidem citatum Agrippam eo Neronis tempore fuisse Præfectum Vrbis, nemo certè nisi diuinauerit, negare poterit.

Immò eumdem fuisse Præfectum, eruditissimus ille vir, Paulus Æmilius Sanctorius Archiepiscopus Vrbinas, antecedenti sæculo, vitam sancti Petri Apostoli describens, atque à sacris, & profanis Scriptoribus perantiquis, vt ipse testatur, exceptam, Agrippæ quoque istius tunc Vrbis Præfecti meminit.

Præterea non displicuit Neroni beatum Petrum ab Agrippa fuisse interfectum, displicuit tamen absque sua sententia morti traditum, vt ex eiusdem Passionis verbis manifestum fit, quia illum per varia, & maiora supplicia punire disponebat: atque adeò longioribus, & acrioribus pœnis ad mortem protrahere.

Præterquam quod solùm illud vnum maximè probat hæc Acta Passionis S. Petri Apostoli fuisse scripta à Lino ipsius Alumno, & præter falsò in ijs immista, perinde vera æstimari debere, quia ea posteriorum, & antiquorum Scriptorum testimonio probata, vel traditione firmata esse noscuntur. Quamobrem nos potiùs lolium à tritico separare debemus, vt panem triticeum conficere possimus candidissimum, quàm vniuersam rei historiam eradicare. Prudentissimè, vt solet, in rem hanc de Actis S. Dionysij Areopagitæ loquens Card. Baronius, aiebat: Quibus etsi aliquis error inhæsit, vt de Dionysij martyrio, perperam recensito sub Domitiano Imp. vel quid aliud eiusmodi, non tamen idcirco cętera, quę in eis narrantur, sunt reijcienda cū præsertim tot, tantosque habeat adstipulatores. Quod si ob vnū errorem, vel alterum in vitis Sanctorum inuentum, cætera quæ remanēt, in fide carere dixerimus: profectò omnes ferè Sanctorum vitas in maximum discrimen inducimus: eum penè in omnibus aliquid notari possit, quod corrigendum videatur; sitq; Canonicarum tantummodò Scripturarum singularis prærogatiua, vt in eis cuncta vera, inconcussa, certaque narrentur.] Hucusque Card. Baronius. Quibus omnibus iamnum à nobis assertis iure optimo statuendum, non esse ita de facili damnanda eiusmodi Passionis Acta, sed potiùs ad hic pauca illa verba eradenda, quæ nimis audacter inserta fuere: quæque certissimè scimus nequaquam excogitasse, non tantùm exarasse Linum, virum vtrique spiritus gratia repletum, & vnum ex septuaginta duobus Christi discipulis, atque ipsius Apostoli Petri etiam Alumnum, & In Pontificatu ab eodem electum successorem.

Quandoquidem Romæ, cùm eo Apostolorum tempore præter Ethnicismum, diuersa essent, eaque innumera vitiorum genera, præsertim carnis lasciuia, adeò vt Nero ipse Imperator non verecundaretur, se solùm virginibus, vxoratis, & pueris inconcinentissimū præferre, quin etiam ludos iuueniles instituisse histrionicamq; exhibuisse, qua, & viri, & feminę apud nemus prostituebātur. Quamobrem Petrus, & Paulus cùm ea crimina Neroni, & populo forti animo obijcerent, eosque redarguerent; ea de causa Nero in carcerem coniectos mox necauit. Hæc est igitur causa Martyrij Apostolorum, quam petsanctè dum referre debuisset Scriptor hæreticus, falsò tamen adiecit: Interea vxor Albini, Cæsaris amicissimi, nomine Xantippe, cum alijs pluribus nobilissimis matronis, venit ad Petrum: à quo percipiens verbum castæ vitæ, repudiauit non modò vtile connubium, quin etiam, & omne vitæ huius delectamentum, Qua de re Albinus nimio mærore confectus, comminabatur multa se Petro illaturum tormenta Xantippem verò vxorem suam, verbis iniurijs plenis, indeque delinimentis, ac toto conamine refragari tentabat. Mittensque ad Agrippam Præfectum sibi amicitia copulatum, mandauit ei omnia, quæ agente Petro de sua vxore patiebatur; deprecans, vt si ei secundùm suam fiduciam amicus esset, vindicaretur eum de Petro, alioqui ipse se vindicaturus esset. Agrippa quoque reddidit ei responsum: se eadem, adhuc etiam, & duriora his, per eum pati. Vnde factum est, vt cum Albinus cubitum iret, & Xantippem sibi adduci fecisset, suæque delectationis commixtionem apud eam, nec blandirijs, nec terroribus obtinere potuisset, consiliaretur, quatenus vnà: cum Agrippæ manu, velut auem laqueo Petrum caperet, & vt maleficum perfumdaret. Xantippe autem Albini vxor hæc au-

audiens, misit ouncium fidelissimum ad Petrum, vt Roma exiret, & iosidias penè ineuitabiles declinaret. Marcello oihilominus Marci præfecti filio, qui postquam Simonis Magi pestiferam doctrinam aufugerat, Apostolo fideliter, & vtiliter io cunctis adhæsit. atque etiam fratribus conspirationem viri sui, & Præfecti Agrippæ ipsa innocescere fecit. In crastino quoque surrexerunt quidam ex senatoribus in consessu, & dixerunt: Suggerimus amplitudini vestræ nobiles viri, quod ad perversionem Vrbis æternæ Petrus connubia diuortijs emancipat, vxores nostras à nobis disiungit: &, nescimus quam, nobis nouam, & inauditam legem inducit. Et hæc dicentes coneitabant etiam alios ad tumultum, & appellationem.] Hucusque Impostoris verba in Actis Passionis S. Petri Apost. contra veritatem omnem perperam inserta. Qua de re Paulus Æmilius Sanctorius laudatus Auctor, tanta in Christi Vicarium blasphemia identidem offensus, ementita illa in verba hæc consona veritati transferenda curauit. Scripsit enim postquam Apostoli Petrus, & Paulus perempto Simone Mago Neronis familiari, Dei verbum euangelizantes eidem Neroni, & suis. His de causis Nero acriter Apostolorum imminebat exitio, atrox ipse, & assentatores, perpetuum Aulæ malum, grauiùs inhumanam illa feritatem, ingeniumque etiam io voluptatibus, ac Venere præceps in cædem, stragemque inflammantes, præcipuè Agrippa, Vrbis Præfectus, diuitijs potens, dicendi artifex, astutus, & apud Principem gratiosus, cùm ignominiæ, ac repulsæ dolere cruciatus infestissimè in Apostolos inueheretur: nam nonnullæ illius pellices Petri cohortationibus illius amplexus respuerant; nec minis aut promissis, aut blanditijs, lacrymisue, quibus maximè muliebris animus tunditur, frangiturque, flecti potuerant: simul multorum scelera patefacta, & reprehensi lasciuientis ciuitatis mores, magnam equitum manum in Apostolos armauerant, sociatisque arrogantia cum prurigine armis, infensissimè, crudelissimèque aduersùs Apostolos dimicare: nam tota ferè nobilitas, selecta ex pube Romana, assueta Neronis illecebris à pristina integritate degenerans, & in omnem prouoluta libidinem, abduci à complexu scorta, pellicesque peracerbè ferebat. Enimuerò Petrus, etsi antea vxoratus castimoniam tamen præcipuè amplexandam, colendamq; assiduis concionibus persuasetat, laudaueratque] Hęc doctissimus Sanctorius.

Quibus omnibus iure à nobis assertis, certò concludendum: Linum Papam sanctitate, & doctrina clarum, scripsisse Acta Passionis S. Petri Apost. atque etiam sancti Pauli: eoque magis id asseruisse verum est, quod Iacobus Faber Stabulensis doctissimus etiam vir, nobis optimè concinuit verbis illis ad Guillermum Brieconnettum Episcopum Lodouensem in Gallijs: Exandato, vt Deus indulsit, Sacratissime Præsul, in Beatiss. Paulum Commentarij labore, nihil alienum ab officio visum est, si Lini Episcopi, vt maiorum memoria seruauit: de Passione duorum Deo dignorum Apostolorum Petri, atque Pauli ad Orientales Ecclesias transmissa subnectere monumenta: vt eorum conuersationis exitum intueotes, fidem quoque imitemur. Accessit prætetea, vt idem facerem, quod nonnumquam in Commentarijs hosce Lini Episcopi citaui libellos, quos nisi subnexuissem, eorum fortè desiderium legentibus remaneret; quo quidem existeute, vt quamdiu res desiderata abest, absentia torquet, ita præsens copia leuat. Qui igitur desiderassent, ex eorum præsentia leuabuntur, suoque factum satis arbitrabuntur animo. Hæ siquidem Apostolorum passiones raræ sunt iunentu, præsertim ea quæ Petri est. Nam, pluribus lustratis Bibliothecis etiam vetustissimis, vna, & altera vix vnquam nobis occurrit legenda. Et primùm eam comperi In peruetusto codice Bibliothecæ Cænobij Maioris monasterij, cui aliquando præfuit Martinus Sabariensis, toto orbe sanctimonia vitæ, & miraculorum claritudine nominatissimus. Ea quæ est Pauli, crebrior est, sed plurimis in locis admodum mendis scatens, vitiata, ac sine vllo Auctoris præfixo titulo passim occurrens.

Vtramq; igitur ad castigatoria exempla recognoui, & vtramque recognitā, eo, quo solet Ecclesia Apostolos celebrare ordine subiunxi: Priorem Petri, quod prior vocatus fuerit, prior Christum viderit, filium Dei viui confessus, quod Princeps Ecclesiæ à Christo Domino, cùm adhuc visibilis versaretur in terris, constitutus, sit, quodque prior passus, vt maiorum tenet auctoritas: Posteriorem Pauli, quod ipse per illa omnia posterior fuit, & in die anoue reuolutionis passionis Petri, gloriosè consummarit Martyrium. Vt ob idipsum de eia canat Ecclesia: Gloriosi Principes terræ, quomodo in vita sua dilexerunt se, ita & in morte non sunt separati; quod eodem videlicet die, naturalium eorum coniuncta sit celebri. Et cùm nostrum institutum esset, hic potiùs celebrare Paulum, quomodo oihilominus separassemus Petrum, solam Pauli ponentes Passionem, & eam, quæ Petri est omittentes, cum nusquam vnum sine altero celebrare soleat Ecclesia? Nequaquam id sanè par nobis, rationabileq; visum est. Habes itaque, sapientissime Pater rationes, quæ me ad vtramque Passionem, & minimè vnam absque altera emittendam, &, vt puto, haud irrationabiliter, compulerunt. Nunc autem pollicita exsoluentes, subnectimus ipsum Linum.

CAPVT III.

B. Lini Papæ de Passione S. Petri Apostoli tradita Ecclesijs Orientalibus, & deinde in Latinum conuersa.

POst multimoda, & multifaria viæ, vitæque salutaris documenta, & eximia, atque celeberrima miracula ostensa, & diuersa cum Simone Mago, alijsque complurimis Antichristi præconibus pro nomine veri Christi certamina: post passionem quoque multiplicem, & flagellorum acerbitatem, & carcerum squallorem horrificam, cum esset exultans in Do-

Domino beatus Petrus, & gratias agens nocte, ac die cum fratribus, in turba venientium ad fidem Dei, & Domini nostri Iesu Christi intentus orationibus, ac doctrinæ, cæterisque pietatis officijs, præcipuè charitatis, & castitatis, gratiam audientium pectoribus inferebat, adhortans credentes in Christum, vt pudicè, & continenter se gererent. Nimis enim abundanter, & supreminenter Vrbs Orbi prælata se in fastum elationis extulerat: & idcirco vt solet in opulentia, & inerti securitate indecenti luxu dominabatur. Persępè namque vbi est elatio mentis sequitur contumelia carnis. Vnde factum est, vt Beati Petri sermonibus, magnum pudicitiæ apud multas diuersæ ætatis, & potestatis, seu nobilitatis fæminas amor exarserit, ita vt pleræque etiam Romanorum Matronæ à commixtione virilia thori seruare munda corda simul, & corpora, quantum ex ipsis erat, deligerent.

Sed cum iam tempus appropinquaret, quo fides beati Apostoli, & labores remunerari deberent, præueniens, perditionis caput scilicet; & Antichristus Nero, consummata iniquitas arctari eum, & in custodia squallidissima compedibus vinciri iussit, vbi cæperunt frequentare illum quatuor concubinæ prædicti Agrippæ, quarum nomina erant: Agrippina, Eucharia, Euphemia, & Dione. Quæ audientes ab eo castitatis sermonem, & omnia Domini Nostri Iesu Christi mandata, tabescebant, & molestabantur sub thoro Agrippæ. Vndè castitati se deuouentes, pactum consilij adinuicem inierunt: & confortatæ à Domino Nostro Iesu Christo, nullo modo ei obsequio concubitus acquiescere vlteriùs decreuerunt. Subtrahentibus autem se ijsdem non solùm à complexu, verùm etiam ab omnimoda coniunctione Agrippæ, cæpit idem super hoc valde tædere, & mæstus esse, mittensque sollicitos, ac solertes exploratores didicit, eas studiosissimè ad B. Petrum se proripere. Quibus ad se reductis, dixit vehementissima amoris captus insania: Scio vnde venitis; ille christianus vos docuit mecum non conuenire, & à debito thoro subtrahere; sed certus sum, quia suis magicis artibus amorem erga me vestrum non poterit infirmare. Quæ multis blanditija delinitæ, nec verbo amatorio compellarunt, nec intento oculo, libidinis fomitem respexerunt, quia Apostolico Sermone fundatæ erant. Videns autem Agrippa præfectus, quòd Petri doctrinam sequentes, libidinem eius vnanimiter spernerent, & eius blandicijs minimè acquiescerent, cæpit eis minùs intentare horrificas, iurans quod, & viuas incendio cremaret, & Petrum grauissimè afflictum supplicijs, ab hominum de sub cœlo memoria perderet. Sed numquam potuit eas ad inquinamentum flectere, dicens: amabilius sibi esse omnibus tormentis pro castitate succumbere, quàm Christum (cui deuouerant castimoniam) recusare. Indignabatur itaque Agrippa præfectus maximè in Apostolum, & fremebat super cum dentibus, quærens occasionem, vt eum quasi rationabiliter posset occidere.

Tunc Agrippa gratulatus est, quia quod de Petro optauit, sub occasione in Senatum venit. Sed, & hoc Petrum, & fratres non latuit. Innotescere siquidem hoc eis celeri nuncio fecerant ij, qui fuerant ex Senatoribus per Petrum illuminati à Domino. Quapropter Marcellus, & fratres deprecabantur Petrum, vt secederet. Petrus verò ait: Non oportet fratres, & filij fugere propter Christum Dominum passiones, cùm ipse vltro se pro nostra salute morti obtulerit. Marcellus autem, & fratres nimio cum fletu aiunt: Miserere pater misericors iuuenum, & eorum, qui sunt in fide rudes, nec nos, nec illos inter infidelium turbines destitutos relinquas. Tunc Petrus rogantibus se ait: Fugiendum suadetis, & iuuenum, atque infirmorum cordibus, exemplo nostro metum passionis incutere, cùm Verbum Dei constanter debeamus asserere, & sanctæ castimoniæ fundamenta, quæ iecimus, conseruare. Fugiendum putatis, vt mortem declinemus, quam multis suspirijs, & gemitibus diuturnis, vt ingressum vitæ expetimus, quia etiam secundùm illius reuelationem, Dominum clarificare debeamus. Fratres verò hæc audientes leuauerunt vocem dicentes: O Pater veracissime, vbi sunt verba, quibus dicebas, quoniam pro vita nostra morti paratus esses succumbere, & nunc impetrare non possumus, vt pro salute nostra, donec corroboremur, patiaris te aliquantulum viuere. Adolescentes quoque, quos ipse sollicitè custodiens, in fide, & castitate sedulo educabas, manus protendentes in cœlum, & porrecti in faciem illius, velut subitò mortui procidentes in terram vociferabantur nimio eiulatu dicentes: O bone Petre, Pater, & Pastor, post tuum Dominum clementia singularis, cur quos affectu materno recenter per sacrum Fontem Domino peperisti, tam immaturo solatio, & animo crudeli, qui te antea numquam attigerat, nos immanissimorum morsibus luporum exponit? Clamabant autem, & matronæ, puluere conspersis capitibus. Hæccine est misericordia, quam de Saluatore tuo prædicare solebas? qui tuis lacrymis, quem ad tempus negaueras in ęternum pietate motus indulserat, & nunc tantis lacrymarum fluminibus, te, vel paruo tempore nobis non concedis; præsertim, & cum Domino possis ministrare in carne, & tibi reseruaram coronam adipisci perpetuam. Sed & custodes carceris Processus, & Martinianus, cum reliquis magistratibus, & ex officio iniunctis, postulabant eum dicentes: Domine quò vis abscede, quia Imperatorem oblitum tui iam credimus; sed iste iniquissimus Agrippa pellicum amore, & intemperantia suæ libidinis inflammatus, perdere te festinat. Si enim te Regia iussione impeteret; Plautini viri clarissimi, cui te commendatum nos custodiendum suscepimus, de tua nece sententiam haberemus: nam postquam nos credentes, in hac vicina custodia, fonte, precibus, & admirabili signo Crucis de rupe producto in S. Trinitatis nomine baptizati, liberè, quo libuerat perrexisti, & nemo fuit tibi molestus: nec modò esset, nisi incendium demoniale, quod Vrbem stimulat, Agrippam acriùs persuasisset. Quapropter oramus te salutis nostræ minister, hanc nobis digneris recompensare vicissitudinem, vt qui nos à peccatorum, & dæmonum vinculis absoluisti, à carcerali, ac compedum nexibus, quorum nobis est commissa immanitas, nostra non

tam

tam permissione, quàm etiam deprecatione liber in salutationem tantæ plebis abscedas. Viduæ quoque, & orphani, ac senio valde confecti, capillos sibi trahentes, genasque vellentes, & pectora denudantes, dicebant: Alios quorum ministerio souebantur, à diuersis languoribus sanasti, & de ipsa etiam morte resuscitasti, & te nobis Pater pijssimè subtrahis? vel ante te omnes nos præmitte, ne tuæ institutionis doctrina destitutæ animæ pereant, & corpora ministrationis tuæ solatio desolata intereant; & sic quò desideras accelerare festina, ne vitam nostram post Dominum mori videntes, & remanentes in vita miseri moriamur.

Tunc Petrus, hæc vndique audiens, qui vltra modum misericors lacrymas afflictorum sine lacrymis numquam præterire poterat, deuictus tantis fletibus ait: Nemo vestrum veniat mecum, ego solus mutato schemate pergam. Proxima namque nocte, celebrata oratione valedicens fratribus, & tum benedictione illos Deo commendans, profectus est solus. Et dum pergeret, ceciderunt ei fasciamenta ex crure demolita à compede. Vt autem portam ciuitatis voluit egredi, vidit sibi Christum occurrere, & adorans eum ait: Domine, quo vadis? Respondit ei Christus: Romam venio iterum crucifigi. Et ait ad eum Petrus: Domine iterum crucifigeris? Et dixit ad eum Dominus. Etiam, iterum crucifigar. Petrus autem dixit: Domine reuertar, & sequar te. Et his dictis Dominus ascendit in Cælum. Petrus autem prosecutus est eum multo intuitu, atque dulcissimis lacrymis. Et posthæc rediens in seipsum, intellexit de sua dictum passione, quod in eo Dominus esset passurus, qui patitur in electis misericordiæ compassione, & glorificationis celebritate. Conuersusque in Vrbem rediit cum gaudio, glorificans Deum, & narrans fratribus, quod ei obuius fuisset Dominus, & declarasset ei quod iterum in ipso esset crucifigendus. Quibus cum manifestasset passionem suam, fletum omnes, & vlulatum emiserunt: dolebant vniuersi, & lacrymas profundebant, dicentes: Considera oues tuas Pastor bone, considera eos quorum fides infirmior tuo expedit roborari sermone: considera corda titubantium, quæ per te stabilienda noscuntur. Quibus Petrus ait: Facile est Domino, vt seruorum suorum corda etiam sine meæ humilitatis sermone corroboret; Quos enim plantanit, ad hoc faciet adolescere, vt illos possint plantare. Ego autem tamquam seruus necesse est, vt Domini exequar voluntatem. Quapropter si me adhuc morari in carne disponit propter vos, non contradico: & si me pati pro nomine suo decreuerit, & per passionem dignatur suscipere, exulto, & lætor in gratia ipsius.

Cùm his igitur, & alijs multis verbis fratrum animos consolaretur, & illi lacrymas tenere non possent, superuenit Heros cum quatuor appariitoribus, & alijs decem viris, qui eum comprehendentes rapuerunt de fratrum medio, & statuerunt vinctum Agrippæ præfecti Vrbis obtutibus. Cui ait Agrippa: Multa est tibi audacia, ó scelerate in plebibus quas circumuenis, atque in fœminis, quæ tua persuasione à maritali thoro discedunt. Ausus es etiam in Iudæorum iniuriam; nescio quem Christum inducere, & contra sanctum Ritum Romanum, & contra Vrbis æternæ deuotionem, nescio quæ inepta, & vana docere. Tunc facta est facies Apostoli, sicut sol splendida; & aperiens Petrus os suum dixit ad eum: Video, quò tendis, lux libidinum, amator pollutionis, atrocitatis inuentor, innocentium persecutor, decipientium fautor, fallaciæ conditor, habitaculum Sathanæ; ignoras namque gloriam, in qua glorior, & ideo dicis, quod in viris, & mulieribus sit mihi fiducia. Et ait ad eum Agrippa: Quia scis me ignorare, in quo glorieris, facias me nosse. Et ait ad eum Petrus: Nulla sit mihi gloria, nisi Crux Domini mei Iesu Christi, cuius ego sum seruus. Et ait ad eum Agrippa: Vis ergo, vt crucifigaris sicut Dominus Deus tuus est crucifixus? Petrus respondit: Non sum dignus recta cruce mundum testem facere passionis meæ, sed per quælibet supplicia opto, & desidero sequi vestigia passionis eius.

Tunc Præfectus, morbo incontinentiæ suæ prætendens superstitionis accusationem, crucifigi fecit Apostolum. Et ecce concursus ingens subitò factus est diuersæ ætatis, & sexus, diuitum, pauperum, viduarum, pupillorum, imbecillium, atque potentum, qui summa voce clamabant: Vt quid occiditur Petrus? Quid admisit criminis? in quo læsit Vrbem? nec innocentem damnare fas est. Nonne timendum est, ne tanti, ac talis viri necem Deus vindicet, & nos omnes perire præcipiat? Et cæperunt in Agrippam sæuire populi, molientes illæsum rapere, & conseruare Petrum, & tumultuantibus vocibus plebis adinuicem, confundebatur Roma. Tunc Petrus restitit modicum, & ascendens editiorem locum, vtcunque ad silentium prouocans populum, ait: O viri, & fideles Dei, qui Christo militatis: O omnes, qui in Christo speratis, si charitas vestra in me vera est, & viscera integra in me pietatis ostenditis, nolite reuocare euntem ad Dominum, nolite impedire properantem ad Christum. State ergo quieti, gaudentes, & læti, vt hostiam meam cum hilaritate Domino offeram: Hilarem enim datorem diligit Deus. Et his dictis vix est sedata seditio, & Præfecti discerptio. Poterant enim, & inhianter optabant multi populi præfectum euertere, sed timebant Apostolum contristare, qui magistri sui sequebatur exemplum, dicentis: Possem rogare Patrem, & exhibebit mihi modò (si volo) plusquam duodecim legiones Angelorum. Peruenit denique vnà cum Apostolo, & apparitoribus, populus infinitus ad locum, qui appellatur Naumachia, iuxta Obeliscum Neronis in monte; illic enim crux posita erat. Et, respiciens flentem populum, & iterum seditionem excitare volentem, ait clara voce: Nolite obsecro vos, fratres, oblationem meam impedire: Nolite versùs Agrippam sæuire, & amaro animo in eum esse; ille enim minister est alienæ operationis. Nam damnationis meæ secundùm corporis qualitatem diabolus auctor est, Dominica abutens permissione; quia dolet vasa contumeliæ per me sibi sublata esse, & facta esse diuersoria continentiæ, templa Christi, domicilia honoris,

& gra-

& gratiæ. Itaque fratres mei, & filij, obedientes estote, quia per reuelationem à Domino Iesu Christo proditum est mihi, quòd ita esset euenturum. Non ergo est discipulus super magistrum, nec seruus super Dominum meum. Festinate itaque, vt carne exutus assignet Domino. Nunc enim tempus est, in quo meam offeram hostiam. Mementote signorum, & prodigiorum, atque sanitatum, quæ Christo operante, & me ministrante, vidistis, & sensistis. Ideò enim plurimorum infirmitates curatæ sunt, vt omnium animæ saluarentur: Ideò mortua corpora suscitata sunt, vt animæ mortuæ reuiuiscerent. Sed quid iam moras patior, & non appropinquo cruci? Valete fratres, & patientes estote, & seruate, quæ audistis, commendo vos Domino Iesu Christo. Accedens autem, & astans Cruci dixit: O nomen Crucis occultum mysterium! O gratia ineffabilis, in nomine enim Crucis, pax! O Crux, quæ Deo hominem coniunxisti, & à dominio diaboli captiuantis magnificè segregasti! O Crux, quæ humano generi passionem saluatoris mundi, & redemptionem captiuitatis humanæ vera comitante fide semper repræsentas incolumem! O Crux, quæ quotidiè carnes immaculati agni fidelibus diuidis populis, & dira serpentis venena à populo salutariter depellis, atque rhomphæam Paradisi ignitam, credenti sine intermissione restinguis! O Crux, quæ pacem quotidiè terrenis cum cœlestibus operaris, & mediatoris mortem, qui à mortuis resurrexit, & iam non moritur, æterno Patri (Ecclesia pro filijs agente) sedulò reparas, & legatione fœlicissima renouas, & reformas! Vim patior tui causa, & iam nunc in finitima absolutione existens, non quiescam manifestare de Cruce occultum Dei mysterium, quod olim clamauit anima mea. O qui in Christum creditis, non istud sit vobis crux, quod apparet: aliud est enim quiddam mysticum in hoc, quod apparet vobis. Et nunc maximè, qui potestis audire in hora nouissima vitæ huius existente me, omnes sensus segregate, & animas vestras ab omni, quod apparet, ad illud quod inuisibile est, auocate, & scietis quod in Christo per crucem factum est salutis mysterium. Debitum est tibi, Petre, reddere terræ corpus acceptum, per eos quibus est corpus occidere proprium. Ait autem ad Magistros carnificum: Quid est quod tempus arteritis? Quid apparitores iuncti mihi, moras patimini? Implete quod vobis est iussum, exuite me mortali tunica, vt spirituali adhæream Domino. Petijt sanè, & ita alloquens ministros carnificum, exorauit: Precor vos bonæ salutis meæ ministros, vt crucifigentes me, caput deorsum ponatis, pedes verò sursum: Non enim decet me seruum vltimum, ita crucifigi, vt Dominus Vniuersitatis pro salute totius mundi est crucifixus, quem passione mea constat glorificari: Et etiam, vt mysterium Crucis intento vultu semper possim conspicere, quò facilius quid indè dixero circumstantibus, possit audiri. Quòd cùm factum fuisset, adorsus est Petrus flentem populum de cruce consolari, & alloqui mysterialiter, dicens: Grande, & profundum mysterium crucis, & ineffabile, atque inseparabile vinculum charitatis. Per crucem enim ad se omnia traxit Deus. Hoc est lignum vitæ, quo destructum est mortis imperium. Hoc mihi tu aperuisti Domine; aperiet omnium istorum oculos, vt videant consolationem vitæ æternæ. Et his dictis, aperuit Deus oculos eorum, qui lugebant, & lacrymas fundebant in passione Petri; & viderunt Angelos stantes cum coronis de floribus rosarum, & liliorum, & in vertice crucis erectę stantem Petrum, & librum à Christo accipientem, & ea verba, quæ loquebatur, inde legentem. Quod videntes, ita cœperunt lætari, & gaudere in Domino, vt illi increduli, & carnifices videntes eos exultare, & lætari, quos priùs tristes viderant, & plangentes, subitò contabescerent animo, & veluti fumus vanescerent. Videns autem Petrus, quòd demonstrata esset multis antè flentibus gloria eius, gratias egit Domino Iesu Christo, dicens: Dignè tu solus Domine in altum porrecto vertice crucifixus es, qui totum mundum à peccato redemisti: te imitari, etiam in passione, optaui, sed rectus crucifigi non vsurpaui; Quia ex Adam puri homines, & peccatores nati sumus: tu verò ex Deo Deus, & lux vera ex vero lumine ante omnia sæcula in fine sæculorum pro omnibus sine contagione hominis homo fieri dignatus, redemptor hominis gloriosus existens. Tu semper rectus, tu semper excelsus, tu semper altus: Nos secundùm carnem primi hominis filij sumus, qui principale demersit in terram; cuius lapsus significat speciem generationis humanæ. Sic enim nascimur, vt proni in terram videamur effundi, & quod ad dexteram est, hoc ad sinistram fit, & quod ad sinistram, hoc ad dextram fiat, eo quòd in Authoribus huius vitæ mutata conditio est. Hoc enim putat mundus iste dextrum, quòd est sinistrum: in quo tu Domine, quos sicut Niniuitas inuenisti perditos, tua sancta prædicatione liberasti. Vos verò fratres, quibus est audire promptum, aures cordis apponite, & nunc, quæ annuncianda vobis sunt, agnoscite, scilicet omnis naturæ mysterium, & omnis sacræ constitutionis initium: Nam primus homo, cuius genus in specie ego habeo, misso deorsum capite, ostendit olim perditam generationem, mortua enim erat generatio eius, & nec vitalem habebat motum; sed tractum misericordia sua principium, venit in mundum per corporalem substantiam ad eum, quem iusta sententia in terram proiecerat, & suspensum in cruce per speciem huius honorandæ vocationis, scilicet crucis, restituit, & constituit nobis ea, quæ anteà hominum iniquo errore immutata fuerunt, præsentia videlicèt, vt æterna, & æterna ducebantur, vt præsentia, & dextera sinistra. Siquidem ille, dexteram glorificans, omnia signa mutauit ad propriam naturam: sicut bona intelligens, quæ non putabantur bona, & reuera benigna, quæ maligna æstimabantur. Vndè Dominus in mysterio dixerat: Si non feceritis dexteram, sicut sinistram, & sinistram sicut dexteram, & quæ sursum sicut, quæ deorsum, & quæ ante sicut, quæ retro, non cognoscetis Regnum Dei. Istam ergo scientiam in me produxi fratres, & hæc est figura, qua me pendentem oculi carnales conspiciunt. Schema est enim primi hominis.

nis. Vos ergo dilecti mei, hæc audientes, & quæ auditis perfectionem conuertendo, & conuersando ducentes: sicut de vestro primo errore ad certissimam fidei stationem redijstis, ita perseuerare currentes,& ad quietem superna vocationis tendite, benè conuersando, via enim, qua illuc iter agere debetis, Christus est: Oportet igitur cum Iesu Christo Deo vero superascendere crucem, qui est constitutus nobis sermo solidus, & viuus. Vndè & Spiritus dicit: Christus est verbum, & vox Dei. Cæterùm verbum significat istud rectum lignum, in quo crucifigor. Et quia vox propriè corporis est, quod lineamenta recipit, quæ Diuinitati non imputantur naturalia crucis, humanam prætendere noscuntur creaturam, quæ immutationis errorem in primo homine passa est, sed per Deum, & hominem, veram intelligentiam recuperauit. Ipsa namque disciplinæ clauis in medio astricta est, conuersione videlicet, & conuersatione, atque cum fide pœnitentia hominis.

Et hæc dicens, alacri vultu, & facie serena sic exclamauit, in orationem erumpens: Ista mihi tu Domine Iesu Christe verba vitæ nota fecisti, & reuelanti tibi, quæ dixeram de ligno à me prædicato, gratias ago: Non corde, cui sæpè indecens quidquam subripit, non labijs istis carni affixis, nec lingua per quam verum, vel falsum præcedit, neque verbo articulata, & materiali natura producto, sed illa voce gratias tibi ago, Rex bone, quæ per silentium intelligitur, quæ non in manifesto auditur, quæ non per organa corruptibilis oris percipitur, quæ neque est è terra, nec in terra dimittitur, quæ in libris materialibus non scribitur, nec quemquam materialiter mouet, neque materialis existit. Illo, inquam, spiritu, Domine Iesu Christe, Domine & Magister meus, gratias ago tibi, quo te credo, quo te intelligo, quo te diligo, quo te teneo, & voce, qua te alloquor, qua te interpello, qua tu tono, & modesto tantùm spiritu intelligibilis es. Tu mihi Domine, Pater, & amicabilis auctor, & perfector salutis. Tu desiderium, tu refrigerium, tu satietas. Tu mihi omnia es, & omnia mihi in te sunt: mihi totum es, & totum quod est, tu mihi es. Tu es mihi omnia. In te viuimus, mouemur, & sumus. Et ideo te vt omnia habere debemus,vt tu des nobis illa,quæ promisisti, quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt, quæ præparasti his, qui diligunt te. Hæc custodi seruis tuis, hæc tribue, atque largire; quia tu es Pastor æternus, & summe bonus, verus filius Dei. Tibi commendo oues, quas tradidisti mihi. Tu eas in ouile tuum aggrega, & conserua, quia tu ostium, ouile, & ostiarius. Tu pascua, & æterna refectio. Tibi gloria cum Patre, & Spiritu sancto, nunc, & in omnia sæcula sæculorum. Et mox, vt omnis plebs magna voce, Amen reddidit, Petrus spiritum tradidit.

Statimque Marcellus nullius expectauit sententiam, sed videns quia Beatus expirauit Apostolus, proprijs manibus deposuit sanctum corpus de cruce, & lauit illud lacte, & vino optimo; terensque masticheS, & aloes minas mille quingentas, condiuit eum diligentissimè; melle quoque Attico nouum repleuit sarcophagum, & in eo corpus aromatibus perlitum collocauit.

In ipsa autem nocte, cùm Marcellus ad sepulchrum eius vigilaret, & ardenti ejus desiderio fleret, (statuerat enim in vita sua non separari à Doctoris sui amantissimi sepulchro) venit ad eum Petrus. Quem videns Marcellus, & contremiscens, illi velociter assurrexit, stetitque ante eum. Cui ait B. Apostolus: Frater Marcelle, non audisti vocem Domini dicentis: Relinque mortuos sepelire mortuos suos? Et Marcellus ait: Chare Magister, audiui. Tunc Petrus ad eum: Noli ergo, quasi mortuus mortuum videaris sepelisse, flere, sed tamquam viuus viuenti, & gaudenti meliùs conlætare. Relinque mortuos sepelire mortuos suos; tu autem, vt per me didicisti, vade annuncia Regnum Dei. Quod cum gratia multa cunctis fratribus Marcellus indicauit, & suffragijs S. Petri ex omni parte fides credentium à Deo Patre confirmata est, in nomine Domini nostri Iesu Christi, & in sanctificatione sancti Spiritus.

Nero autem, comperiens B. Petrum obijsse, quem arctare, non interficere iusserat, misit, vt comprehenderetur Agrippa Præfectus,quoniam non cum sua sententia Petrum interfecerat, quem disponebat per varia punire supplicia. Querebatur enim, se ipsius præstigijs desolatum à Simone suæ salutis præsule, & dolebat pro tanti casu amici, qui sibi & Reipublicæ, vt fatebatur, commoda præstabat innumera. Agrippa verò, interuenientibus amicis, obtinuit, vt Præfectura carens, priuatus & contemptus in domo propria degeret; sicque furorem Cæsaris declinauit: Sed vltionem Diuini iudicij non euasit, quam mox terribiliter expertus, interijt.

Denique conuertit crudelissimus Nero animum ad persecutionem eorum, quos didicit B. Petro familiariùs adhæsisse, vt vel eorum pœnis de Petro satiaretur. Beatus verò Apostolus fratribus hoc per reuelationem innotuit, & qualiter feram bestiam declinarent, insinuauit. Nero siquidem per visum vidit sibi Sanctum astare Petrum,& dirissimè à quodam iussu ipsius flagellatus, audiuit: Contine manus impijssimè à seruis Domini nostri Iesu Christi, quos nunc tenere non poterit. Vndè parùm pauefactus quieuit. Erant quoque fratres simul lætantes, & exultantes in Domino, confortati sæpe visione Beati Petri Apostoli, glorificantes Deum Patrem Omnipotentem, & Dominum Iesum Christum cum sancto Spiritu. Cui est gloria, virtus & adoratio in sæcula sæculorum. Amen.

CAPVT IV.

B. Lini Papæ de Passione S. Pauli Apostoli tradita Ecclesijs Orientalibus, & deinde in Latinum conuersa.

LIcèt hæc Acta de Passione S. Pauli Apostoli inscribantur, verùm etiam Acta eo tempore gesta, quando is primùm venerat Romam catena vinctus ad Neronem Imperatorem,

torem, vt ex eisdem ipsis apparet. Apparet etiam nullo errore aspersa fuisse ea; quòd facilè colligitur ex Card. Baronio, dum is affirmat acta passionis S. Petri Apostoli Manichæismo errore reperiri infecta, nulla facta mentione de actis S. Pauli Apostoli ab eodem Lino scriptis. Apparet præterea ex iisdem actis, nullum colligi posse argumentum, quod idem Paulus Romæ Romani Pontificatus exercuit, vel dignitatem, vel potestatem, neque cum Petro, neque absente Petro: vt etiam ex hoc intelligant (quod gratis affirmant huius centesimi Nouatores) Paulum minimè extitisse Papam, simul iunctum cum Petro, neque in dignitate parem Petro. Denique hanc de Paulo passionis historiam esse consonam veritati, facilè colligitur ex Patrum, ac Scriptorum testimonijs ab eadem historia desumptis.

Incipit Libellus B. Lini de Passione S. Pauli.

CVm venisset Romam Lucas à Galatia, & & Titus à Dalmatia, exspectauerunt Paulum in Vrbe. Quos cùm adueniens Paulus vidisset, lætatus est valde, & conduxit sibi extra Vrbem horreum publicum, vbi cum his & alijs fratribus de Verbo vitæ tractaret. Cœpit interea colligere multitudinem, adijciebanturque per eum fidei multę animę operante Dei gratia, ita vt per totam Vrbem sonus prædicationis, & sanctitatis ipsius fieret, & exiret fama per vniuersam regionem de illo. Iam enim admodum innotuerat Orbi Romano signis & prodigijs, & doctrina multa, atque mirabili sanctitate. Concursus quoque multus de domo Cæsaris fiebat ad eum, credentium in Dominum Iesum Christum, & augmentabatur quotidie fidelibus gaudium magnum, & exultatio. Sed & Institutor, Senecam intelligo, Neronis adeò est illi amicitia copulatus, videns in eo Diuinam scientiam, vt se à colloquio ipsius temperare vix posset, quominus si ore ad os illum alloqui non valeret, frequentioribus datis & acceptis epistolis, ipsius dulcedine & amicabili colloquio, atque consilio frueretur. Et sic eius doctrina augente Spiritu sancto multiplicabatur, & diligebatur, vt licitè iam doceret, & à multis libentissimè audiretur. Disputabat siquidem cum Ethnicorum Philosophis, & reuincebat eos; vnde & plurimi eius magisterio manus dabant. Nam & scripta illius quidam Magister Cęsaris eoram illo relegit, & in cunctis admirabilem reddidit. Senatus etiam de illo alta non mediocriter sentiebat.

Quadam denique die, cùm Paulus doctrinæ insistens circa vesperam in cęnaculo editiori turbas alloqueretur, quidam Patroclus deliciosus & Pincerna Regis, ipsius se subducens aspectibus, abijt ad horreum, vbi Paulus hospitabatur, vt audiret documenta vitæ perpetuæ; inuitatus enim ad hoc, & animo inductus iam fuerat à consodalibus suis, & Cæsaris amicissimis, qui ex eius familiari obsequio Pauli monita sectabantur. Sed cum præ multitudine populi ad eum introire non posset, ascendit ad fenestram excelsiorem, & secus eam sedit, vt verbum Dei commodiùs posset audire. Desiderabat enim feruenti animo Pauli sermonibus refici. Sed cùm Paulus in longum protraxisset sermonem, & iuuenis somno grauaretur, diaboli inuidia dolentis super dilectione Dei, & ipsius Apostoli, quam studiosus adolescens habebat, fecit iuuenem paulisper dormitare, cadensque de fenestra valde excelsa cœnaculi, spiritum exhalauit. Quod cum mox Neroni reuertenti è balneo fuisset nunciatum, cum multa frequentia dilectum sibi iuuenem requirebat, contristatusque est vsque ad animam super morte Patrocli, statuitque alium pro eo ad vini officium, vt ei porrigeret poculum. Paulus verò non multò post cognoscens per Spiritum, quod gestum erat, dixit ad plebem: Viri fratres, inuenit malignus locum, vt nos tentaret, sed Dominus Iesus Christus more solito nequitiam conuertet ad suam gloriam. Ite igitur foras, & inuenietis iuuenem Cæsaris delicatum ex alto cecidisse, & iam iacere exanimem: quem leuanres ad me huc deferre satagite. Illi ergo cito gradu pergentes, confestim iuuenem mortuum detulerunt. Mirabantur autem turbæ, quomodo Paulus rem gestam ex ordine cognouisset, sibi nemine nunciante. Dixit itaque Paulus ad turbas: Nunc fides vera apparebit erga Dominum nostrum Iesum Christum. Tempus est enim, vt semen vitæ æternæ in bonam terram deueniens, centuplicata satione fructificet. Accedite ergo plena fide ad Dominum Deum nostrum, & deprecemur illum, vt restituatur anima eius in istud iuuenile cadauer, viuatque melius quàm vixisset. Et cum ingemuissent vniuersi, procumbentes orationi, ait Paulus: Adolescens Patrocle, surge, & narra, quanta fecerit tibi Deus. Ad quam vocem mox Patroclus, tanquam de somno, surrexit, & cœpit glorificare Deum, qui dedit potestatem talem hominibus. Dimisitque illum Paulus cum cæteris, qui erant ex Domo Cæsaris, & ibant lætantes, & gaudentes omnes in Domino, qui facit voluntatem timentium se, & deprecationes eorum exaudit.

Cumque lamentaretur Nero Patroclum, & immensitate absorberetur tristitiæ, dixerunt circumstantes ad Cæsarem: Non Domine magnanimitas tua grauetur molestia super morte adolescentis; nam viuit, & adest præ foribus. Cæsar verò, cum audisset Patroclum viuere, quem paulò ante didicerat mortuum, expauit corde, & recusabat eum introire, & astare eum suo conspectui: Sed cùm persuasum ei fuisset ab amicis quàm plurimis, iussit eum introire. Et videns eum sanum, nullaque signa mortis habentem, obstupuit, & ait ad eum: Patrocle viuis? At ille respondit: Cæsar viuo. Nero dixit: Quis te fecit viuere? Cui Patroclus exhilaratus corde, & accensus calore fidei, dixit: Dominus meus Iesus Christus, Rex omnium sæculorum. Et Nero conturbatus de nomine virtutis Dei, dixit ad iuuenem: Ille ergo debet regnare in sęcula, & resoluere omnia Regna mundi? Et Patroclus ait: Etiam Cæsar, destruet omnia Regna, quæ sub cœlo sunt, & vniuersa, quæ sub cęlo sunt, seruient ei: quia ipse est solus Rex regum, & Dominus dominantium. Nero autem dedit ei alapam, dicens: Ergo militas illi

illi Regi? Et Patrocius exultans, ait: Etiam; nam excitauit me à mortuis. Tunc Barnabas & Iustus, & quidam Paulus, & Arion Cappadox, & Festus Galata, qui erant ministri Cæsaris, & ei iugiter assistebant, dixerunt Neroni: Cur Cæsar rectè sapientem, & prudentissimè respondentem percutis iuuenem? Nam & nos illi militamus Regi inuicto Iesu Christo Domino nostro. Nero autem cum audisset, vno sensu, eodemque sermone dicere illos inuictum Regem Christum Iesum, reclusit eos in carcere, vt nimiùm illos torqueret, quos antea nimiùm amauerat: Et iussit inquiri Regis illius famulos, posuitque edictum, vt sicubi fuissent inuenti, sine interrogatione omnes Christi milites, per tormenta varia punirentur. Vnde multa scrutatione à ministris Reipublicæ, & apothecæ malignitatis fautoribus, serui Dei quæsiti, & inuenti quàm plurimi, perducti sunt ad præsentiam Cæsaris. Inter quos, & Paulus, consuerudinarias sibi pro Christi nomine gestans catenas, ductus est vinctus. In quem omnes simul vincti à Deo intendebant, vt sine alicuius indicio facilè potuerit Nero cognoscere ipsum Paulum magni Regis militibus præsidere. Intelligensque ipsum ducem seruorum Christi magistrum, ait ad eum: O homo, nescio cuius Regis seruus, mihi autem vinctus, quid visum est introire latenter regnum Romanorum, & mihi subtrahere, illi autem colligere de meæ militiæ Principatu? Paulus verò repletus Spiritu sancto, constanter in auribus omnium, qui poterant adesse, dixit ad Cæsarem: Nero, non solùm de tuo angulo colligimus milites, sed etiam de toto Orbe terrarum. Hoc enim præceptum mihi est, vt neminem ex omni gente militare volentem æterno Regi meo, repellam: potens est Dominus cunctis larga manu secundùm cuiusque meritum, dona potissima dispensare. Si enim, & tibi visum fuerit in illum credere, & ei fideliter obtemperare, non te pœnitebit. Cæterum noli putare, quod diuitiæ huius sæculi, splendor, aut gloria, saluare te debeant; sed si subiectus illi fueris, in perpetuum saluus eris. Cum autem venerit iudicare viuos & mortuos, dissoluet mundi huius figuram per ignem, & ante mundi constitutionem parata, & à sæculis abscondita militibus suis dona, quæ nunquam deficient, & quæ omnem excludent indigentiam, largietur.

Hæc audiens Nero, & ira succensus, quia mundi figuram per ignem Apostolus dixerat resoluendam, iussit omnes Christi milites igne concremari: Paulum autem Senatusconsulto tanquam maiestatis reum, capite secundùm Romanas leges truncari. Tradiditque eum Longino, & Megistro præfectis, atque Acesto Centurioni, vt illum extra Vrbem ducentes, & populo spectaculum de eius occasione præbentes, decollari præciperent, Quibus Paulus sine intermissione verbum prædicabat salutis. Ministros etiam, & apparitores per omnem ciuitatem, & circa regionem cum velocitate Nero, diaboli exagitatus operatione, direxerat, qui summa diligentia perscrutarentur latitantes, & manifestatos simul interficerent Christianos. Vnde tam multiplex occisa est turba Christianorum, vt populus Romanus Palatium vi irrumperet,

Euseb. lib. 2. cap 24. Niceph. lib. 2. c. 27. Aegesipp. lib. 3. cap. 2.

& seditionem contra Cæsarem excitare moliens, proclamaret: Pone modum Cæsar iniustissimæ iussioni, tempera irrationabilem furorem, sufficiat sæuitiæ quod crudelitatis meras transcendis. Nostrates homines sunt quos perdis, Romanum tuentur Imperium. Aufers Cæsar Romanam virtutem, quę militum tantorum frequentia, terribilis cunctis gentibus existebat. Tunc Nero clamorem populi expauescens, aliud edictum proposuit, vt nemo auderet contingere Christianos, nec quicquam eis molestię inferre, donec relatio plenissimę cognitionis ex delatione cuiusque referretur ad Cęsarem.

Quapropter Paulus iterum eius aspectibus oblatus est. Nero autem vt eum vidit, vehementissimè exclamauit, dicens: Tollite maleficum, decollate impostorem, nolite sinere viuere criminatorem, perdite sensuum alienatorem, auferte de superficie terrę mentium immutatorem. Ad quem Paulus ait: Nero, tempore modico patiar, sed viuam in perpetuum cum Deo meo, & Rege ęterno Iesu Christo, qui venturus est iudicare orbem terrę in flagratione ignis. Nero itaque dixit Megisto, Longino, Acesto: Auferte ab illo celeriùs caput, & sic sibi de vita ęterna blandiatur, sentiatque me Regem inuictum, qui eum vinxi, & occidendo deuici. Paulus verò ait: Vt scias, Nero, post decollationem meo Regi inuicto ęternaliter viuere, te autem victum, qui putas te vincere; cùm mihi abscissum fuerit caput, viuus tibi apparebo, & cognoscere poteris, quia mors & vita famulantur Domino meo Iesu Christo, cuius est omne regnum, & cui voluerit dabit illi, & omnis victor est illius, & quem vult vincere, facit magnificè triumphare, & ipse solus inuictus est Rex in ęternum.

Et his dictis, ductus est ad supplicium. Cum autem duceretur, Longinus & Megistus, atque Acestus dixerunt ad eum: Dic nobis Paule, vbi est Rex ille, & vbi apparuerit vobis, & qualiter cognouistis, & quid vobis contulit, aut quid vobis conferet boni, quòd sic ardentissimè eum diligitis vos Christiani, vt nullo pacto religioni nostræ velitis commodare assensum, ac viuatis, ac bonis huius vitæ fruamini, sed potiùs omni delectamento iucundius, pro illo mori varijs tormentis ducatis? Magnus enim iste videtur esse error, iucundam odisse hanc vitam, & toto desiderio pænas amplecti, & mortem. Paulus verò ait: O viri cordati, atque sensu bono vigentes, relinquite tenebras ignorantiæ, & erroris, quarum caligine obnubilatur intelligentię vestrę nobilitas, ne verum, quod in vobis latet videre possitis, conuertite mentis oculos ad æternam, & veram lucem, vt valeatis priùs vos ipsos cognoscere, & sic ad cognitionem Regis illius, cum lætitia peruenire, atque ab igne, vniuerso orbi superuenturo, salui & illæsi permanere. Non enim, sicut vos putatis, alicui terreno Regi militamus, sed Deo viuo, Regi cœlorum, & omnium sæculorum, qui propter iniquitates, quæ fiunt in hoc mundo, veniet iudex, & iudicabit illum per ignem. Fœlix autem erit homo, qui crediderit in eum; habebit enim vitam æternam, & viuet in omnia sæcula sæculorum; & infœlicissimus ille, quo

non

non infælicior vllus, qui contemnens diuitias bonitatis, & longanimitatis eius non conuertetur ad eum, nam peribit in æternum. Propter hoc namque de cœlo in terram descendit, qui cœlum, & terram fecit: & ad hoc factus ipse est homo, qui fecit hominem, vt homo conuersus ab iniquitate sua, relinquens vana, & simulacra muta, quæ nefandissimè pro Deo colit, seruiat ei, qui fecit illum, & adoret eum, quem tremunt Angeli, & omnes cœlorum potestates adorant. Quod cùm factum fuerit, faciat illum verum adoratorem, atque cultorem suum, consortem & socium suorum Angelorum, spirituum videlicet sanctorum, & beatorum. Nec immeritò, quia Spiritus est Deus, & eum, qui illum in Spiritu & veritate colit & adorat, sancti Spiritus socium faciet: illum verò qui in eum credere recusauerit, socium & complicem reddet iniquorum dæmoniorum, in tormento æterni incendij, ad concremationem, atque ignem perpetuum transmittet illum refugam: hic est ignis venturus, per quem Deus est iudicaturus orbem. Quapropter viri sapientes, apud se prudentia vestra dijudicet, quis fecit mundum, quoniam sine factore non prodijt: perpendite qui fecit hominem, quia, vt Diuina testantur Oracula, non ipse se fecit: Attendite, quia simulachra vana non sunt Dij, sed hominum factura, & dœmonia in eisdem facturis latentia: quæ licèt in hoc concordari videantur, quia vnanimiter perditionem humani generis cupiunt, sibi tamen inuicem varijs modis indubitatissimè dissident: Non est enim impijs pax, dicit Dominus. In causa namque est cur homines festinant perdere, & sibi socios in pœnis habere, quia sciunt in cœlestem habitationem homines ascensuros per Dei gratiam, vnde ipsi spiritus ceciderunt per superbiam suam. Viri Vrbani, sensu, cognoscite, quià Diuinitatis nomen per plures nequaquam diuiditur; quoniam vnus Deus, à quo sunt omnia, & vnus Dominus Iesus Christus, per quem sunt omnia, & vnus Spiritus sanctus, in quo consistunt vniuersa; cui fideliter obtemperant omnia, & non est schisma in Diuinitate, quia caret pluralitate. Attendite, ciues Romani, vnde discordia nata fuerit, & qua ratione accrescens sic longè, latèque miserabiliter adoleuerit, & cur tam multiplicia, non numina, sed miserabilia emeserunt Deorum portenta; videlicet quia multi cœperunt velle fieri principes, ac tyranni, & dominatores non vitiorum, sed hominum suæ naturæ consortium. Vndè in ignorantiæ tempestate demersi, & in barathrum elationis suæ, vnusquisque potestatis suæ Deum, aut mutuauit, aut statuit. Nam ad tantam miseri homines peruenerunt dementiam, vt sic miserrimos homines sibi Deos constituerent, quibus similes fieri vellent, vt mortem pessimam deuitarent. Sed & quidam eorum, quoniam non probauerunt habere Deum in notitia, traditi sunt in voluptates suas, vt exercerent illa opera, quæ leges Romanæ puniunt cum execratione; & implerum est in illis, quod dictum est verbis sanctissimis: Similes eis, inquit, fiant qui faciunt ea: fecerunt enim sibi deos miseros, & facti sunt ipsi miseri, atque ad tantam sunt insaniam deuoluti, vt trunco ligneo dicant: Deus noster tu es, & lapidi, adiuua nos, stipitemque fabrefactum adorant, qui eius sunt astutijs calefacti.

Ad hæc, multæ audientium turbæ eleuantes vocem cum planctu, dixerunt: Errauimus, peccauimus, iniquè egimus, Doctor salutis, & æternę vitæ, ac veritatis ostensor, propitiare nobis, vt eruamur à laqueis peccatorum, & possimus euadere ignem, quo exuretur mundus, & quisque cruciabitur infœlix, & pessimus. Tunc Paulus ait: O viri fratres, quorum Dominus cor suo Spiritu tetigit, state fideliter in fide: nam ministri æternæ salutis aderunt, à quibus baptizabimini, & benè perseuerantes in charitate Domini nostri Iesu Christi, salui eritis in æternum.

Longiùs quoque, & Megistus, & Acestus, secretiùs alloquentes Apostolum dixerunt: Rogamus te Domine, fac nos ascribi in militia Regis ęterni, vt possimus venturum ignem euadere, & Regni perpetui participes fieri, & dimittemus te: vt possis quòcumque decreueris pergere, & erimus tui itineris comites, & vsque ad mortem tibi parentes. Quibus Paulus ait: Fratres mei, non sum profugus, sed miles legitimus Regis mei: Si enim scirem, quod morerer, & non potiùs ad vitam, & gloriam per hanc mortem peruenirem, non solùm facerem, quæ rogatis, sed ego hoc à vobis deposcerem: nunc autem non in vacuum per multas tribulationes cucurri, nec sine causa pati cupio; nam restat mihi corona victoriæ, quam reddet mihi, cui credidi, & de qua certus existo: quoniam ad ipsum vado, & cum ipso veniam, cum veniet in claritate tua, & Patris & Sanctorum Angelorum iudicare orbem terrarum. Propterea mortem istam contemno, & vestram petitionem, vt abscedam, non audiam, neque faciam. Illi verò flentes dixerunt ei: Quid ergo acturi sumus? quomodo te punito viuemus? & ad illum, in quem nos credere persuades, peruenire iam vltra valebimus?

Et cùm hæc inter se loquerentur, & populus multus vocem in altum tolleret, misit Nero Parthenium quendam, & Pheretam, milites, vt viderent si iam Paulus esset occisus. Qui aduenientes repererant eum adhuc viuentem, & diutissimè populum alloquentem. Quos Paulus ad se aduocans, ait illis: Viri fratres credite in Deum viuum, qui me & omnes, qui in eum credunt, à mortuis suscitabit. At illi respondentes dixerunt: Ad Cæsarem priùs ibimus, omnia renunciantes; & cum peractum fuerit, pro quo missi sumus, & cum mortuus fuerit & resurrexeris, vt dicis, tunc credemus tuo Regi. Tu autem explica moras quibus iussionem differs, & vade ad destinatum locum, vbi sententiam meritò dictatam excipias. Paulus quoque dixit eis: Commoratione mea in carne plus vos indigetis, si credere vultis, quàm ego, qui ad vitam per mortem vado. Sed & iam pergamus exultantes in nomine Domini Iesu Christi.

Cumque ad locum pergeret passionis, comitantibus populorum turbis innumeris, venit ad portam Vrbis Romæ, vbi habuit obuiam nobilissimam matronam, nomine Plautillam, Apostolorum feruentissimam dile-

ctricem, & religionis Diuinæ cultricem, quæ flens, eius se cœpit orationibus commendare. Ad quam Paulus ait: Vade Plautilla, æternæ salutis filia, commoda mihi pannum, quo caput tegis, & secede paululum in partem propter plebis impedimenta, me hic exspectans donec reuertar ad te, & tibi restituam beneficium: ligabo enim mihi oculos vice sudarij, & tuæ dilectioni amoris mei pro Christi nomine pignus, ad illum pergens, relinquam. Quæ festinatò pannum porrexit, & ei, vt ipse Apostolus iusserat, obediuit. Insultabant autem Parthenius, & Pheretas dicentes: Quid credis impostori, & mago? cur perdis pannum optimum, non tantùm per eum in sæculo lucratura? Paulus verò dixit ad eam: Etiam filia, præstolare aduentum meum, & signa mortis meæ in panniculo tibi afferam cum Christo victurus.

Interea Longinus Megistus, & Acestus, dum instarent obnixiùs pro salute sua, inquirentes modum qualiter ad veram vitam possent pertingere, audierunt à beato Apostolo: Fratres & filij mei, mox vt ego fuero decollatus, vos, & cæteri ministri interfectionis meæ à loco, in quo me Dominus vocare dignabitur, recesseritis, viri fideles rapient, & sepeliet corpus meum: vos autem notat locum sepulchri mei, & cras valde diluculo illuc venietis, ibique inuenietis duos viros orantes, Titum & Lucam: quibus dicetis, qua de causa vos misi, & illi vobis dabunt signa salutis in Domino. Nolite igitur dubitare exequi, quod vobis est imperatum: quoniam statim vt credentes sacro fonte fueritis intincti, & Diuinorum mysteriorum viuificatione sacrati, ab omnibus peccatorum contagijs, & ab hoc etiam, quod reformidatis, in me scelere perpetrato, incunctanter purgati eritis, ac super niuem dealbati, ac in serie Christi militum ascripti, & cœlestis regni efficiemini cohæredes.

Et his dictis, peruenit ad Passionis locum; vbi ad Orientem versus, tensis in cœlum manibus, diutissimè cum lacrymis Hebraicè orauit, & gratias egit Deo. Cumque patrio sermone consummasset orationem, valedicens fratribus benedixit eas; & ligans sibi de Plautillę maphorte oculos, in terra vtrumque genu fixit, & collum tetendit. Spiculator verò in altum brachia eleuans, cum tota vi percussit, & caput eius abscidit. Quod postquam à corpore præcisum fuit, nomen Domini nostri Iesu Christi Hebraicè clara voce personuit. Statimque de corpore eius vnda lactis in vestimenta militis exiliuit, & postea sanguis defluxit. Vitta verò, qua sibi ligauerat oculos, cùm eam quidam rapere vellent, non comparuit. Tanta enim odoris suauitatis fragrauit, & lucis immensitas in momento illius decollationis cælitus ibi emicuit, vt mortalium oculi splendorem illum sufferre, & humana lingua narrare nequiuerit odorem. Videntes autem omnes qui aderant gratiam Dei in B. Apostolo, admirati sunt valde, laudantes & confitentes per multam moram Dominum Iesum Christum æternum, & inuictum Regem, quem prædicauerat magnificus Doctor, & Magister gentium Paulus.

Reuertentes verò, qui iussi fuerant accelerare interfectionem eius, peruenerunt ad portam ciuitatis, vbi inuenerunt Plautillam, laudantem, & glorificantem Dominum in omnibus, quæ audiuit, & vidit per sanctum eius Apostolum. Et interrogauerunt eam cum irrisione cur caput suum non operiret de maphorte, quam præstiterat Paulo? Quæ accensa calore fidei, cum magnanimitate respondit: O vani & miseri, qui credere nescitis, quæ oculis videtis, & manibus attrectatis. Verè enim habeo eumdem, quem illi porrexeram pannum, de infusione sanguinis sui pretiosum. Nam de cœlo veniens, innumerabilium candidatorum caterua comitatus, illum mihi veracissimus restituit: & rependens gratiam pro benignitate in eum habita, dixit: Tu mihi Plautilla in terris obsequium præstitisti, ego tibi quamprimùm ad regna pergenti officiosissimè obsequar. In proximo namque pro te reuertar, & tibi Regis inuicti gloriam demõstrabo. Et extrahens Plautilla pannum à sinu, roseo perfusum sanguine eis ostendit. Qui nimio pauore correpti, gressu concito perrexerunt ad Cæsarem, quæ viderant & audierant, nunciantes. At ille cum audisset, miratus est valde, & ingenti stupore attonitus, cœpit de his, quæ nunciata sunt ei, cum Philosophis & amicis, atque ministris Reipublicæ, seu & cum his quos habere poterat ex Senatu, conquirere, atque confabulationis sermonem cum timore, atque confusione sensus habere.

Dum hæc inuicem mirarentur, & secum quærerent, venit Paulus, circa horam nonam ianuis clausis, stetitque ante Cæsarem, & ait: O Cæsar Nero, ecce ego Paulus Regis æterni; & inuicti miles; vel nunc crede miser, quia non sum mortuus, sed viuo Deo meo. Tibi autem, non post multum temporis, mala inenarrabilia imminent, & supplicium maximum, teque æternus manet interitus, eò quod inter cætera flagitia tua pessima, multum sanguinis iustorum effudisti iniustè. Et hæc dicens, repentè disparuit. Nero autem his auditis, vltra quàm diei possit timore perculsus, & veluti amens effectus, ignorabat quid agendum illi esset. Suadentibus ergo amicis, iussit Patrochum, & Barnabam, & eos qui vincti erant cum illis, solui, atque quò vellent liberos abire.

Longinus denique, Megistus, atque Acestus, sicut eis constituerat Apostolus, primo mane venientes ad sepulchrum eius, viderunt duos viros orantes, & in medio eorum stantem Paulum. Qui permiscentes in visu admirabili, horruerunt, & reformidauerunt accedere propiùs. Titus autem, & Lucas ab extasi orationis ad se reuersi, videntes Præfectos, atque Centurionem, qui ministri necis Pauli fuerant, ad se properantes, humano terrore correpti in fugam conuersi sunt, & Paulus euanuit ex oculis eorum. Illi verò post eos clamauerunt, dicentes: Non, vt suspicamini beati Dei homines, ideò venimus, vt vos persequamur ad mortem, sed vt credentes, nos per aquam baptismatis ad vitam transferatis æternam, sicut nobis verus Doctor promisit Paulus, quem paulò ante in medio vestri stantem, & orantem conspeximus. Hæc autem audientes ab eis Titus, & Lucas, steterunt cum multa lætitia, & spirituali

tuali gaudio, imponentes eis mox manus, & dantes signaculum sanctificationis perpetuę, sicque ieiunio vsque ad vesperam præcurrente baptizati sunt in nomine Domini nostri Iesu Christi. Cui cum Patre in vnitate Spiritus sancti, est honor, & gloria, virtus, & imperium in omnia sæcula sęculorum. Amen.

CAPVT V.

Libellus, seu potiùs Fragmentum Libelli de Conflictu S. Petri Apostoli, & Simonis Magi, à S. Marcello Presbytero, eiusdem S. Petri Discipulo compositum. Martyrologium Romanum sub Nonis Octobris. Romæ, sanctorum Martyrum Marcelli, & Apulei; qui primo quidem Simoni Mago adhæserunt, sed videntes mirabilia, quæ per Apostolum Petrum Dominus operabatur, relicto Simone, Apostolicæ doctrinæ se tradiderunt, ac postmodum sub Aureliano Consulari coronam Martyrij reportarunt, sepulti non longè ab Vrbe.

ANIMADVERSIO.

HIc est Marcellus presbyter Marci Vrbis Romæ Præfecti filius, Simonis Magi quondam discipulus, literis sæcularibus instructus, prædicatione sancti Petri Apostoli ad fidem Iesu Christi conuersus: qui, vt Auctor est beatus Linus, dum idem Apostolus per Crucis affixionem martyrium consummasset, illius corpus curatum, aromatibusque conditum, magnificentissimè more Regio, nedum Iudaico, tradidit sepulturæ, & ipse postmodum martyrio ibidem clarus. Eius meminit inter alios Sigebertus noster Gemblacensis hisce verbis: Marcellus Marci Præfecti Vrbis Romæ filius, ex discipulo Simonis Magi, discipulus beati Petri Apostoli, Conflictum Apostolorum Petri, & Pauli cum Simone Mago, cui assiduus interfuit, rogatu Christianorum, qui non interfuerant, fideliter conscripsit, & Ecclesijs Dei propè, vel procul positis, legendum concessit. Ad sanctos Nereum, & Achilleum pro Christo in Pontiana Insula relegatos, scripsit de mirificis actibus beatorum Petri, & Pauli, & de magicis artibus Simonis Magi. Scripsit de obitu sanctæ Petrouillæ virginis, filiæ beati Petri Apostoli. Scripsit de passione sanctæ Feliculæ virginis, & martyris. Scripsit de passione sancti Nicomedis presbyteri, & martyris. Alia quoque, subdit Ioannes Teithemius Abbas, (Li. de Scrip. Eccl.) de Sanctorum gestis edidit, quæ ad notitiam nostram non venerunt.] Subsequens porrò Libelli fragmentum de Conflictu sancti Petri Apostoli, & Simonis Magi habuimus ex peruetusto Breuiario Flauiniacensis Monasterij Ordinis nostri sancti Benedicti in Gallijs. Verumtamen, an hic Libellus sit eiusdem S. Marcelli, eruditis relinquo Lectoribus examinandum, cùm contineat aliqua, quæ non videntur satis consona ijs, quæ S. Paulus Apostolus tradidit in epistola ad Galatas, & ad Romanos: in his enim duabus epistolis apparet sanctum Petrum multa permisisse Iudæis, quę apertè à sancto Paulo condemnabantur: in illo verò Libello, qui dicitur sancti Marcelli, contrarium habetur. Sed primis illis Ecclesiæ temporibus sacra sanctorum Virorum Scripta, vel à falsi nominis Christianis, vel ab hæreticis fuisse deprauata, quis non intelligit?

CAPVT VI.

S. Marcelli Romani Presbyteri, de Conflictu S. Petri Apostoli, & Simonis Magi, Libellus.

MArcellus seruus Christi, sanctis Confessoribus Nereo, & Achilleo. Lectis literis vestris, gaudio sum repletus: cognoui enim vos constantes esse, & fide, & corpore, & sollicitè pro veritate pugnate. Vnquam memorastis obiectum vobis hoc, quòd Simon innocens fuerit? retexam vobis ex aliqua parte vitam eius, vt ex paucis cuncta noscantur. Ego enim cùm eius essem discipulus, malignum, & infanticidam, & maleficum illum, & effractorem cognoscerem, deserui eum, & adhæsi Domino meo sancto Petro Apostolo. Quem cùm Simon, Magum diceret, & populum Romanum in eius odium excitaret; subitò in eo loco, in quo Petrum Simon arguebat, transibat vidua cum ingenti populo, clamosisque vocibus cum luctu efferens mortuum vnicum filium suum. Tunc Petrus ait ad populum, qui credebat Simoni: Accedite ad feretrum, & deponite eum, qui mortuus dicitur; & qui eum suscitauerit, huius vera fides esse credatur. Quod cùm fecisset populus, dixit Simon: Modò si eum resuscitauero, interficietis Petrum. Respònditque omnis turba: Viuum incendemus.

Tunc Simon inuocatis dæmonijs ministerio eorum cœpit agere, vt moueretur corpus. Quod populi videntes, cœperunt clamare in laudem Simonis, & in perniciem Petri. Tunc Petrus vix impetrato silentio, ait ad populum: Si viuit, ambulet, loquatur, accipiat cibum, reuertatur in domum suam. Quòd si hoc non fecerit, sciatis vos falli à Simone. Ad hæc populus vna voce clamabat, dicens: Si hoc non fecerit Simon, pœnam, quam Petro proposuit, ipse patiatur. Simon verò fingens se iratum, fugam petebat. Populus verò, cum ingenti exprobratione tenebant, & custodiebant eum. Tunc Petrus expandens manus suas ad cælum, dixit: Domine Iesu Christe, qui nobis discipulis tuis dixisti: Ite, in nomine meo dæmonia eijcite, infirmos curate, mortuos suscitate; excita puerum istum, vt omnis hæc turba cognoscat, quia tu es Deus, & non est alius præter te, qui cum Patre, & Spiritu sancto viuis, & regnas in sæcula

ja sæculorum. Amen. Exurgens autem puer, adorabat Petrum dicens: Vidi Dominum Iesum iubentem Angelis, & dicentem; Ad petitionem amici mei Petri, restituatur orphanus vnicus viduæ matri suæ. Ad hæc populus vna voce clamabat: Vnus Deus, quem prædicat Petrus. Simon verò transfigurauit se in caput caninum, & cœpit fugere. Populus autem tenuit eum, & dum vellent eum in ignem mittere, misit se Petrus, & liberauit eum, dicens: Magister noster hoc nos docuit, vt pro malis bona reddamus. Cùm ergo euasisset Simon, venit ad me, & putans me nescire quid factum fuisset, canem immanem, quem vix catena ferrea vinctum tenebat ligauit in ingressu dicens: Videamus, si Petrus qui solet venire ad te, poterit ingredi. Sed post vnam horam veniens Petrus soluit canem, & dixit ei: Vade & loquere Simoni: Desine ministerio sathanæ decipere populum, pro quo Christus sanguinem suum fudit. Videns autem tanta mirabilia, cucurri ad Petrum, & genibus eius prouolutus excepi eum in domo mea: Simonem verò expuli cum dedecore. Canis autem blandus omnibus effectus, solum Simonem persequebatur: quem cùm misisset subtus se, cucurrit Petrus clamans, & dicens: Præcipio tibi in nomine Christi Iesu, vt non figas morsus in aliqua parte corporis eius. Canis autem nullum quidem eius potuit contingere membrum; sed vestimenta eius ita morsibus attrectauit, vt nulla pars eius corporis intacta remaneret. Populus autem omnis, & præcipuè pueri, simul cum cane, post eum tamdiù cucurrerunt, quamdiù illum cum vlulatu, quasi lupum, extra muros eijcerent. Post hæc autem opprobrij huius pudorem non ferens, per annum vnum nusquam comparuit. Postea verò inuenit quemdam, qui eum Neroni Cæsari insinuaret. Sicque factum est, vt homo malignus, malignum peiorem se suis amicitijs copularet. Post hæc etiam apparuit Dominus Apostolo Petro in visione dicens: Simon, & Nero pleni dæmonijs, aduersùm te cogitant. Noli timere, quia ego tecum sum, & dabo tibi serui mei Apostoli Pauli solatium, qui cras Romam ingredietur. Cum quo post septem menses simul habebitis contra Simonem bellum. Et postquam viceritis, & deieceritis eum, & deposueritis in Inferno, simul ad me venietis victores; quod & factum est. Nam altera die cùm venisset Paulus in Vrbem Romam, conuenerunt ad eum omnes Iudæi dicentes: Nostram fidem, in qua natus es, ipse defende. Non est enim iustum, vt tu, cùm sis hebræus ex hebræis veniens, Gentium te Magistrum iudices, & incircumcisorum defensor factus, tu cùm sis circumcisus fidem circumcisionis euacues.

Cùm ergo videris Petrum, suscipe contra eius doctrinam; quia omnē obseruationem nostræ legis euacuauit: excludit Sabbatum, & Neomenias, & legitimas ferias exinaniuit. Quibus Paulus respondit: Me Iudæum, & verum esse Iudeum hinc poteritis probare, cùm, & Sabbatum obseruare, & circumcisionem veram poteritis aduertere. Nam, & Sabbato die requieuit ab omnibus Deus, & nos habemus Patres, & Patriarchas, & Legem, qui ita prædicant. Petrus in regno gentium sedet, si fortè aliquam vult introducere nouam doctrinam, sine conturbatione, & sine inuidia, nunciate ei, vt nos videamus, & in vestro conspectu ego illum conuincam. Quod si fortè doctrina eius fuerit veraci testimonio ex Hebræorum libris munita, decet nos ei omnes obedire. Audiens interea Petrus Romam Paulum aduenisse, gaudio gauisus magno, perexit ad eum. Videntes autem se, præ gaudio fleuerunt; & in amplexibus suis diutissimè morati, inuicem se lacrymis infuderunt. Cumque Paulus omnem textum suorum casuum Petro indicasset; & qualiter naufragij fatigationibus aduenisset, & Petrus dixisset illi quantas à Simone Mago pateretur insidias, abscessit ad vesperum, manè die altero reuersurus. Cumque aurora diei daret initium: Ecce Petrus adueniens inuenit multitudinem Iudæorum ante fores Pauli. Erat autem inter Iudæos, & Gentiles infinita contentio. Iudæi enim dicebant: Nos genus electum, & regale, amicorum Dei Abrahæ, Isaac, Iacob, & omnium Prophetarum, cum quibus locutus est Deus, quibus ostendit secreta sua: Vos autem ex gentibus nihil in semine vestro magnum, nisi in Idolis, & sculptilibus inquinati, & execrabiles extitistis. Hęc, & his similia dicentibus Iudæis, gentes respondebant dicentes: Nos, vt audiuimus veritatem, reliquimus errores nostros, & secuti eam sumus: Vos autem, & Paternas leges, & virtutes scitis, & Prophetarum signa vidistis, & Legem accepistis, & mare siccis pedibus transijstis, & columna nubis vobis viam demonstrauit, manna de cælo, & de petra aqua fluxerunt. Et post omnia hæc, Idolum vobis fabricastis, & adorastis sculptile. Nos autem nulla signa videntes, Deum hunc esse credimus, quem vos non credentes, dereliquistis. Illis sic contendentibus dixit Apostolus Paulus: Non debere eos has contentiones inter se suscipere, sed hoc magis attendere, quia complesset Deus promissa sua, quæ iurauit ad Abraham patrem nostrum, quod in semine eius hæreditarentur omnes gentes. Non est enim personarum acceptio apud Deum. Quicumque enim in legem peccassent, secundùm legem iudicarentur: Qui verò sine lege deliquissent, sine lege perirent. Etenim in humanis sensibus tanta est sanctitas, vt bona naturaliter laudet, & puniat mala, quæ inter se inuicem cogitant; aut accusationes puniat, aut excusationes remuneret. Hæc, & his similia Paulo dicente, factum est, vt mitigati essent Iudæi, & Gentes, sed Principes Iudæorum insistebant. Petrus verò, his, qui eum arguebant, quod Synagogis eorum interdiceret, dixit: Audite fratres Spiritum sanctum promittentem Patriarchæ Dauid, quod de fructu ventris eius poneret super Sedem suam. Hunc ergo, cui dixit Pater de cælis, filius meus es tu, ego hodie genui te. hunc crucifixerunt per inuidiam Principes Sacerdotum. Vt impleret autem redemptionem sæculo necessariam, permisit se hæc omnia sustinere, vt sicut ex costa Adæ fabricata est Eua, sic est latere Christi in Cruce positi fabricaretur Ecclesia, quæ maculam non haberet, neque rugam. Hunc Deus aditum aperuit omnibus filijs Abrahæ, Isaac, & Iacob; vt sint in fide Ecclesiæ, & non in infidelitate Synagogæ. Conuertimini ergo, & intrate

in

in gaudium Abrahæ Patris vestri, quia quod ei promisit Dominus, adimplenit. Vnde, & Propheta canit: Iuranit Dominus,& non pænitebit eum,tu es Sacerdos in æternum secundum Ordinem Melchisedech. Si quæ sunt cætera, desiderantur in Codice Manuscripto. Explicit Libellus S. Marcelli presbyteri, & Martyris.

CAPVT VII.

Romanum Petri Domicilium confirmatur auctoritate sanctorum Patrum.

Relatis hisce duobus sacris de visu testibus Lino, & Marcello, ipsius Petri principis Apostolorum Discipulis,& qui fidem suam Martyrio consignarunt, iam ad æquè sacros Patres alios, necnon Concilia, grauesque Doctores,qui etiam eiusdem Petri Romanum Domicilium, & Pontificatum confirmauere, deueniamus: quorum tamen testimonia breuioribus, sed magni ponderis verbis nos referre voluimus: sunt verò sequentes.

5. S. Clemens Romanus Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli discipulus, post sanctum Linum, & Cletum eiusdem sancti Petri in Pontificatu Rom. Successor, & martyr. Epistola 1. ad Iacobum: Petrus pro immensa Charitate, quam erga omnes gerebat, palam cum omni fiducia, aduersante etiam tyranno totius mundi bona prædicare non destitit: & Regem omnium sæculorum per orbem terræ, vsque ad ipsius Romanę Vrbis notitiam, vt etiam ipsa saluaretur, inuexit. Ann. Christi 80.

6. Sanctus Anacletus Papa, & martyr. Epist. 3. Paulus vno die, vno quoque tempore cum Petro gloriosa morte sub Principe Nerone agonizans coronatus est, & ambo sanctam Romanam Ecclesiam consecrarunt, &c. Prima Sedes est cælesti beneficio Romanæ Ecclesiæ,quam beatissimi Petrus,& Paulus suo martyrio consecrarunt. Sic Roma, quæ priùs erat cacodæmoni artifici omnium errorum mater, & altrix, excussis tenebris, & vanis superstitionibus abiectis, filiorum Dei, exorto sole iustitiæ, facta est copiosa propagatrix. A.C. 84.

7. Sanctus Papias, Sancti Ioannis Apostoli, & Euangelistæ discipulus, Episcopus Hierosolymitanus in Asia In explanationibus sermonum Domini: Petrus in epistola sua, quam ex Vrbe Roma scripsit, meminit Marci cum dicit: Salutat vos Ecclesia quæ est in Babylone electa, & Marcus filius meus. Citant Eusebius lib. 2. cap. 14. Niceph. lib. 2. cap. 15. & Beda in prologo super Marcum. A.C. 120.

8. Sanctus Pius Papa I. Epistola ad Iustum Episcopum: Festina palmam perseuerabilem cum sanctis Apostolis tenere, quam per multas passiones Paulus suscepit, & Petrus, cui crux charitatem Christi tollere non potuit. A.C. 140.

9. Hegesippus, De Excidio Hierosolymit. lib. 3. c. 2. Erant tunc temporis Petrus,& Paulus Doctores Christianorum, sublimes operibus clari magisterio, qui virtute suorum operum Neronem aduersarium fecerant, captum Magi Simonis deliramentis, &c. Dato, vt Petrus, & Paulus comprehenderentur, præcepto, rogatur Petrus, vt aliò se conferret: prima nocte, salutatis fratribus, & celebrata oratione, proficisci solus cæpit; vbi ventum est ad portam, vidit sibi Christum occurrentē, & adorans eum dixit: Domine quo vadis? Dicit ei Christus: Iterum venio crucifigi. Intellexit Petrus de sua dictum passione, quod in ea Christus passurus videretur, qui patitur in singulis: non vtique corporis dolore, sed quadam misericordiæ compassione, aut gloriæ celebritate: & conuersus in Vrbem redijt, caputque à persecutoribus cruci adiudicatus poposcit, vt in inuersis vestigijs cruci affigeretur, quod indignus esset, qui simili modo cruci affigeretur, vt passus est Dei Filius. Quo impetrato, vel quia ita debebatur, vt Christus prædixerat, vel quia persecutor non inuitus indulget pœnarum incrementa; & ipse, & Paulus, alter cruce, alter gladio necati sunt. A.C. 150.

10. Sanctus Dionysius Corinthiorum Episcopus. Epistola ad Romanos: Petrum, & Paulum, qui Romanos,& Corinthios primùm Ecclesiam Christi inseruerunt, prudenti quadam admonitione impulsi, in vnū locum conclusistis. Nam ambo cum, & nostram Corinthi, & vestram Romæ Ecclesiam fundassent,& eiusdem doctrinæ præcepti tum nostros animos, tum vestros imbuissent, eodem tempore pariter mortem subierunt.

11. Sanctus Irenæus Episcopus Lugdunensis. Lib. 3. cap. 1. Matthęus in Hebręis ipsorum lingua scripturam edidit Euangelij, cùm Petrus, & Paulus Romæ euangelizarent, & fundarent Ecclesiam A.C. 180.

Idem, cap. 3. Maxima, & antiquissima, & omnibus cognita, à gloriosissimis duobus Apostolis Petro, & Paulo Romæ fundata est, & constituta Ecclesia.

12. Sanctus Clemens Alexandrinus Episcopus. Libro Hypotyposeon: Cùm Petrus Romæ publicè verbum Dei prædicaret,& Spiritus sancti instinctu Euangelium Christi exponeret, multos, qui præstò aderant, Marcum magnoperè obsecrasse ferant, vt ea quæ fuissent ab illo prædicata, scriptis mandaret. Citat Eusebius lib. 6. cap. 11. A.C. 200.

13. Tertullianus. De Præscriptionibus aduersùs Hæreticos cap. 36. Age iam qui voles curiositatem meliùs exercere in negotio salutis tuæ, percurre Ecclesias Apostolicas, apud quas ipsæ adhuc Cathedræ Apostolorum suis locis præsidentur. Si Italiæ adiaces; habes Romam, vnde nobis quoque auctoritas præstò est: Petrus passioni Dominicæ adequatur: vbi Paulus Ioannis exitu coronatur: vbi Apostolus Ioannes, postquam in oleum igneum demersus nihil passus est, in insulam relegatur. A.C. 200.

Idem contra Gnosticos ad Scorpiacum cap. 15. Vitas Cæsarum legimus orientem fidem Romæ primus Nero cruentauit: tunc Petrus ab altero cingitur, cum Cruci astringitur: tunc Paulus ciuitatis Romanæ consequitur natiuitatem, cum illic martyrij renascitur generositate.

Idem de Baptismo cap. 4. Ideoque nulla

est

est distinctio, mari quis an stagno: flumine an fonte: lacu an alueo diluatur. Nec quicquam refert inter eos,quos Ioannes in Iordane, & quos Petrus in Tyberi tinxit.

Idem contra Marcionem lib. 4. cap. 5. Romanis Euangelium Petrus, & Paulus sanguine quoque suo signatum reliquerunt.

Idem Carminibus contra Marcionem lib. 3. cap. 9.

Ex quibus electum magnum, plebique probatum.
Hac Cathedra, Petrus qua sederat ipse, locatum
Maxima Roma Linum primùm considere iussit.

14. Caius Theologus apud Euseb. Cæsar. lib. 2. cap. 24. Epistola ad Proclum Cataphrygam. Ego habeo trophæa Apostolorum, quæ ostendam: si enim procedas via regali, quæ ad Vaticanum ducit, aut via Ostiensi, inuenies trophæa defixa, quibus ex vtraque parte constitutis Romana custoditur Ecclesia. A.C. 218.

15. Origenes Adamantius. Lib. 3. in Genesim: Petrus circa finem vitæ Romæ constitutus capite demisso cruci est affixus: in eo quod ipse hunc passionis modum expetisset. A.C. 240.

16. Sanctus Cyprianus Episcopus Carthaginensis, & Martyr, Epist. 55. Post illa adhuc insuper Pseudo Episcopo, sibi ab hæreticis constituto, nauigare audent, & ad Petri Cathedram, atque ad Ecclesiam principalem, vndè vnitas sacerdotalis exorta est, à schismaticis, & profanis literas ferre, nec cogitare eos esse Romanos (quorum fides Apostolo prædicante laudata est) ad quos perfidia non possit habere accessum. A.C. 250.

Idem Epist. 52. Factus est autem Cornelius Episcopus de Dei, & Christi eius iudicio, de Clericorum penè omnium testimonio, de plebis, quæ tunc adfuit, suffragio, de sacerdotum antiquorum, & bonorum collegio, cùm nemo ante se factus esset, cùm Fabiani locus, idest, cùm locus Petri, & gradus Cathedræ Sacerdotalis vacaret.

Idem, lib. de vnitate Ecclesiæ catholicę, de Romana Ecclesia loquens: Qui cathedram Petri, super quam fundata est Ecclesia, deserit, in Ecclesia se esse non confidat.

17. Sanctus Petrus Alexandrinus Episcopus, & Martyr, De pœnitentia Canone 9. Petrus Apostolorum primus sæpè comprehensus, & custodiæ traditus, ignominiaque affectus, postremò Romæ crucifixus est. A.C. 300.

18. Arnobius Afer. Lib. 2. aduers. Gentes: Enumerari possunt, atque in vsum computationis venire ea, quæ in India gesta sunt apud Seras, Persas, & Medos: in Arabia, Ægypto, Asia, & Syria: apud Galatas, Parthos, Phrygas: in Achaia, Macedonia, Epiro: in insulis, ac prouincijs omnibus, quas Sol Oriens, atque Occidens lustrat: ipsam denique Dominam Romam, in qua cum homines sint Numæ Regis artibus, atque antiquis superstitionibus occupati, non distulerunt tamen res patrias linquere, & veritati coalescere christianæ. Viderant enim cursum Simonis Magi, & quadrigas igneas Petri ore diflatas, & nominato Christo euanuisse. Viderant, inquam, fidentem dijs falsis, & ab ijsdem metuentibus proditum, pondere præcipitatum suo, cruribus iacuisse præfractis. Post deinde perlatum Brundam, cruciatibus, & pudore defessum, ex altissimi culminis se rursum præcipitasse fastigio. A.C. 300.

19. Sanctus Marcellus I. & Martyr. Epist. ad Antiochenos: Petri sedes primitus apud vos fuit, quæ iubente Domino Romam translata est, cui adiuuante gratia Diuina hodierna die præsidemus. A.C. 304.

20. Sanctus Eusebius Papa. Epist. 3. Benedictus Dominus Deus noster, qui per misericordiam suam Romanam Ecclesiam beati Petri Apostolorum Principis sacerdotio ditauit. A.C. 309.

21. Lactantius Firmianus Diuinarum Institutionum lib. 4. cap. 21. Discipuli per prouincias dispersi, fundamenta Ecclesiæ vbique posuerunt, facientes & ipsi in nomine Magistri sui magna, & pene incredibilia miracula: quia discedens instruxerat eos virtute, ac potestate, qua posset nouæ annunciationis ratio fundari, & confirmari: sed & futura aperuit illis omnia, quæ Petrus, & Paulus Romæ prædicauerunt: & ea prædicatio in memoriam scripta permansit. A.C. 320.

22. Eusebius Cęsareensis Episcopus in Chronicis: Petrus natione Galilæus, christianorum Pontifex primus, cum primum Antiochenam fundasset Ecclesiam, Romam proficiscitur, vbi Euangelium prædicans, virgini quinque annis eiusdem Vrbis Episcopus perseuerat. A.C. 330.

Idem, Ecclesiasticæ hist. lib. cap. 13. Sub ipso Claudij Imperio benigna, ac propitia Dei erga humanum genus prouidentia fortem, ac præpotentem, & reliquorum omnium Apostolorum propter virtutis amplitudinem facilè principem, Romam versùs ad eiusmodi pestiferam vitæ humanæ corruptelam (Simonem Magum) delendum, quasi manu deduxit.

Idem, cap. 24. Paulum Romæ regnante Nerone securi percussum, & Petrum etiam suffixum cruci historiarum monumentis proditum est: quin etiam insignis, ac testata Petri, & Pauli inscriptio, quæ in cęmeterijs Romæ ad id, vsque tempus manet, huius rei gestæ fidem facit.

Idem, lib. 3. cap. 1. Petrus ad extremum cum Romæ versaretur, capite deorsum stat[illegible]o (sic enim perpeti cupiebat) cruci est suffixus.

23. Sanctus Athanasius Episcopus Alexandrinus. In Apologia de fuga sua: Petrus, & Paulus cum audissent, oportere se Romæ Martyrium subire, cum gaudio abierunt. A.C. 340.

24. Dorotheus Tyrius. In Synopsi: Petrus Apostolorum Coryphæus tandem Romæ prędicauit, ibique crucifixus est. A.C. 350.

25. Sanctus Cyrillus Hierosolymitanus Episcopus. Catechesi 6. Simon Magus ita seduxerat ciuitatem Romanam, vt Claudius illi statuam erexerit, eum ea inscriptione in lingua Romana: Simoni Deo sancto. Dilatato autem errore, par amicorum bonorum illam calamitatem correxit, Petrus, & Paulus, cùm

cum essent Præsides Ecclesiæ, & ostentantem se istum Simonem statim extinxit. Cùm enim prædicaret Simon in cœlos se ascensurum, & vehiculo dœmonum in aerem sublatus esset: flexis genibus serui Dei,& concordiam ostendentes, de qua dixit Iesus: Quòd si duo ex vobis concordauerint, de quacumqne re, quam petierint, fiet ipsis: concordiæ hoc telum per orationem emittentes in Magum, deiecerunt illum in terram. Nec mirum est: Petrus enim erat, qui claues Regni cœlorum portabat. Non est mirandum. Paulus enim erat, qui in tertium cœlum raptus fuerat. Ex aere in terram depresserunt eum, qui se Deum appellabat, deinceps ad inferos detrudendum. A.C. 360.

26. Sanctus Epiphanius Episcopus Salaminus Cypri. Hæresi 27. In Roma fuerunt primi Petrus, & Paulus Apostoli ijdem, ac Episcopi, deindè Linus, deindè Cletus, deindè Clemens, qui contemporaneus fuit Petri, & Pauli, &c. Et nemo miretur, quòd ante ipsum alij Episcopatum assumpserunt, cùm sub Apostolis hic fuerit contemporaneus Petri, & Pauli: nam & illi contemporanei Apostolorum fuerunt. Siuè adhuc ipsis superstitibus à Petro accepit impositionem manuum Episcopatus, & eo recusaro remoratus est (dicit enim in vna Epistola sua: Secedo, ab eo, erigatur populus Dei: hoc enim in quibusdam commentarijs reperimus) siuè post Apostolorum successionem à Cleto Episcopo hic constituitur, non ita clarè scimus. Verumtamen etiam hic potuit, superstitibus adhuc Apostolis, Petro videlicèt, ac Paulo, alios Episcopos constituere: propterea quod Apostoli sæpè ad alias terras ablegabantur propter Christi prædicationem: non potuit autem Vrbs Roma sine Episcopo esse. Paulus enim in Hispaniam profectus est: Petrus verò sæpe Pontum, & Bithyniam visitauit. Possibile est autem, postquam discessit, & recusauit Clemens, postea post obitum Lini, & Cleti, quorum vterque ad duodecim annos Episcopatum tenuit, post S.Petri, & S.Pauli obitum, qui contigit duodecimo anno Neronis, hunc rursus coactum esse ad suscipiendum Episcopatum. Attamen Episcoporum in Roma successio hanc consequentiam habuit: Petrus, & Paulus, Linus, Cletus, Clemens, Euaristus,&c. A.C. 370.

27. Valentinianus, Gratianus, & Theodosius A.A.A. Codice de summa Trinitate, & fide catholica: Cunctos populos, quos clementiæ nostræ regit Imperium, in tali volumus religione versari, quam Diuum Petrum Apostolum tradidisse Romanis religio adhuc ab ipso insinuata declarat, quamque Pontificem Damasum sequi claret. A.C. 370.

28. Sanctus Ambrosius Episcopus Ecclesiæ Doctor. Lib. 3. de Sacramentis cap. 5. Ad hoc Ecclesia Romana quid respondet? Vtique ipse auctor est nobis huius assertionis Petrus Apostolus, qui Sacerdos fuit Ecclesiæ Romanæ. A.C. 370.

Idem, lib.5. Epist.32. Idem Petrus postea victo Simone, cùm præcepta Dei populo seminaret; & doceret castimoniam, excitauit animos gentilium: quibus eum quærentibus, christianæ animæ deprecatæ sunt, vt paulisper cederet. Et quamuis esset cupidus passionis, tamen contemplatione populi precantis inflexus est. Rogabatur enim, vt ad instituendum, & confirmandum populum se reseruaret. Quid multa? Nocte muro egredi cœpit, & videns sibi in porta Christum occurrere, Vrbemque ingredi, ait: Domine quo vadis? Respondit Christus: Venio Romam iterum crucifigi. Intellexit Petrus ad suam Crucem Diuinum pertinere responsum(Christus enim non poterat iterum crucifigi, qui carnem passione susceptæ mortis exuerat) Intellexit ergo Petrus, quòd iterum Christus crucifigendus erat in seruulo. Itaque sponte remeauit. Interrogantibus christianis, responsum reddidit, statimque correptus, per crucem suam honorificauit Dominum Iesum.

29. Sanctus Optatus Mileuitanus Episcopus, Lib.2. contra Donatistas: Negare non potes, scire te in Vrbe Roma Petro primo Cathedram Episcopalem esse collatam, in qua sederit omnium Apostolorum caput Petrus, vndè & Cephas appellatus est. A. C. 370.

30. Sanctus Gregorius Nazianzenus Episcopus, Iambico 1. A.C.380.

Paulus Petrusque lanceam Roma ferunt:
Praambulonem dat neci vox libera.

31. Sanctus Damasus Papa I. In vita Diui Petri: Beatus Petrus Apostolus, & Princeps Apostolorum,filius Ioannis,prouinciæ Galilææ, ex vico Bethsaida, frater Andreæ, primò sedit in cathedra Episcopatus Antiochiæ annis septem. Hinc B. Petrus ingressus est Vrbem Romam sub Claudio Cœsare, ibique sedit in cathedra Episcopatus annis viginti quinque. A.C. 380.

32. Aurelius Prudentius, Hymno 12. de Passione Petri, & Pauli.

Plus solito coeunt ad gaudia, dic amice quid sit,
Romam per omnem cursitant, ouantque.
Festus Apostolici nobis redit hic dies triumphi.
Pauli, atque Petri nobis more.
Vnus vtrumque dies, pleno tamen innouatus anno
Vidit superba morte laureatum.
Scit Tyberina palus, qua flumine labitur propinquo,
Binis dicatum cespitem trophæis:
Et crucis, & gladij testis, quibus irrigans easdem
Bis fluxit imber sanguinis per herbas;
Prima Petrum rapuit sententia legibus Neronis
Pendere iussum præminente ligno.
Ille tamen veritus celsæ decus æmulando mortis
Ambire tanti gloriam Magistri.
Exigit vt pedibus versum caput imprimant supinis,
Quo spectet imum stipitem cerebro.
Figitur ergo manus subter, sola versus in cacumen,
Hoc mente maior, quo minor figura.

Hymno secundo, qui est de sancto Laurentio.

M *Hic*

Hic Roma iam regnant duo
Apostolorum Principes :
Alter vocatur gentium,
Alter cathedram possidens
Primam, recludit creditas
Æternitatis ianuas.
Discede adulter Iuppiter,
Stupro sororis oblite,
Relinque Romam liberam,
Plebemque iam Christi fuge.
Te Paulus hinc exterminat,
Te sanguis exturbat Petri,
Tibi id, quod ipse armaueras,
Factum Neronis officit.

33. Sanctus Hieronymus Presbyter Ecclesiæ Doctor. Ad cap. 52. Esaiæ: Christus credentibus dixit: Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde: de quo, & Clemens vir Apostolicus, qui post Petrum Romanam rexit Ecclesiam, scribit ad Corinthios, &c. A. C. 390.

Idem ad cap. 2. ad Galatas: Cùm venisset Petrus Antiochiam. Primum Episcopum Antiochenæ Ecclesiæ Petrum fuisse accepimus, & Romam deindè translatum, quod Lucas penitus omisit.

Idem, lib. de Viris Illustr. cap. 1. Simon Petrus Prouinciæ Galilææ, vico Bethsaida, frater Andreæ Apostoli, & Princeps Apostolorum, post Episcopatum Antiochensis Ecclesiæ, & prædicationem dispersionis eorum, qui de circumcisione crediderant, in Ponto, Galatia, Cappadocia, Asia, & Bithynia, secundo Claudij anno ad expugnandum Simonem Magum Romam pergit, ibique viginti quinque annis cathedram sacerdotalem tenuit, vsque ad vltimum Neronis annum, id est decimumquartum. A quo, & cruci affixus, martyrio est coronatus, capite ad terram verso, & in sublime pedibus elenatis: asserens se indignum, qui sic crucifigeretur, vt Dominus suus.

34. Ruffinus Presbyter Aquileiensis. Inuectiua secunda in Hieronymum. Petrus per vigintiquatuor annos Romanæ Ecclesiæ præfuit: dubitandum non est, quin sicut cætera, quæ ad institutionem pertinent, etiam librorum instrumenta Ecclesiæ ipse tradiderit. A. C. 390.

35. Sanctus Ioannes Chrysostomus Episcopus Constantinopolitanus Ecclesiæ Doctor, Homil. 32. in Epist. ad Romanos, in morali: Non ita cœlum splendescit, quando radios suos Sol ex se se dimittit, quemadmodum Romanorum Vrbs duas illas lampades vbique terrarum effundens. Hinc rapietur Paulus, hinc Petrus. Considerate, & horrete, quale spectaculum visura sit Roma, Paulum repente ex theca illa cum Petro resurgentem, in occursum Domini sursum ferri. Qualem Rosam Christo mittet Roma? Qualibus coronis duabus ornatur Vrbs ista? Qualibus catenis aureis cincta est? Quales habet fontes? Propterea celebro hanc Vrbem, non propter copiam auri, non propter columnas, neque propter aliam phantasiam, sed propter Columnas illas Ecclesiæ, &c. A. C. 400.

Idem, in Encomio 12. Apostolorum: Hinc Petrus Romam accipit in disciplinam: Paulus illinc mundo accipit Euangelium: Andreas corrigit Græciæ sapientes: Simon Barbaros docet.

Idem, in encomio Petri, & Pauli: Obdormierunt in magna Vrbe Roma mense Iunio die 29. à Nerone inquissimo sublati, & ad præceptorem, ac Dominum omnium profecti.

36. Sanctus Augustinus Episcopus Hipponensis, & Ecclesiæ Doctor contra literas Petiliani lib. 2. cap. 51. Cathedra tibi quid fecit Ecclesiæ Romanæ, in qua Petrus sedit, & in qua hodiè Anastasius sedet: vel Ecclesiæ Hierosolymitanæ, in qua Iacobus sedit, & in qua hodiè Ioannes sedet, quibus nos in catholica vnitate connectimur, & à quibus vos nefario furore separastis? A. C. 400.

Idem, contra Iulianum Pelagianum lib. 1. cap. 4. Puto tibi eam partem orbis sufficere debere, in qua primum Apostolorum suorum voluit Dominus gloriosissimo martyrio coronari. Cui Ecclesiæ præsidentem Beatum Innocentium si audire voluisses, iam tunc periculosam iuuentutem tuam Pelagianis laqueis exuisses.

Idem, ad Quoduultdeum hæresi 1. Iouem se credi volebat Simon Magus, Mineruam verò meretricem quandam Selenem, quam sibi sociam scelerum fecerat, imaginesque, & suam, & meretricis discipulis suis præbebat adorandas, quas & Romæ, tamquam Deorum simulacra, auctoritate publica constituerat. In qua Vrbe eum B. Petrus vera Omnipotentis Dei virtute extinxit.

Idem, Epist. 165. Si ordo Episcoporum, sibi succedentium considerandus est, quantò certiùs, & verè salubriter ab ipso Petro numeramus? Petro enim successit Linus, Lino Clemens, Clementi Anacletus, Anacleto Euaristus, &c.

37. Sanctus Innocentius Papa I. Epist. 1. ad Decentium Eugubinum: Quis enim nesciat, id quod à Principe Apostolorum Petro Rom. Ecclesiæ traditum est, ac nunc vsque custoditur, ab omnibus debere seruari? A. C. 406.

Idem, Epist. 14. ad Bonifacium Presbyterum: Ecclesia Antiochena, quam priusquam ad Vrbem perueniret Romam, B. Apostolus Petrus sua præsentia illustrauit, velut Germana Ecclesiæ Romanæ, diù ab eadem alienam esse non passa est.

38. Sanctus Paulinus Nolanus Episcopus: Natali 3. de S. Felice. A. C. 410.

Ipsaque cælestum sacris procerum monumentis.
Roma Petro, Pauloque potens, carescere gaudet.

39. Seuerus Sulpitius, Sacræ Historiæ lib. 2. Namque eo tempore Diuina apud Vrbem Religio inualuerat, Petro ibidem Episcopatum gerente, & Paulo, postquam ab iniusto Præsulis iudicio Cæsarem appellauerat, Romam deducto, &c. Etenim tunc illustris illa aduersùs Simonem, Petri, & Pauli congressio fuit: qui cum magicis artibus, vt se Deum probaret, duobus suffultus dæmonijs euolasset, orationibus Apostolorum fugatis dæmonibus, delapsus in terram, populo inspectante disruptus est, &c. Post etiam datis legibus religio vetabatur, palamque edictis propositis, christianum esse non licebat.

bat. Tunc Petrus, & Paulus capitis damnati: quorum vni ceruix gladio deiecta: Petrus in crucem sublatus est. Dum hęc Romæ geruntur, Iudæi, Præsidis sui Festi iniurias non ferentes, rebellare cęperunt. A.C. 410.

40. Paulus Orosius lib.7.cap.6. Claudius ab Augusto quartus Regnum adeptus est, mansitque in eo annis quatuordecim. Exordio Regni eius Petrus Apostolus Domini nostri Iesu Christi Romam venit; & salutarem cunctis credentibus fidem fideli verbo docuit, potentissimisque virtutibus approbauit. Atque exinde Christiani Romæ esse cęperunt. Sensit hoc collatum fidei suæ Roma beneficium. A.C. 420.

Idem cap. 7. Nero primus Romæ Christianos supplicijs, ac mortibus affecit, ac per omnes prouincias pari persecutione excruciari imperauit, ipsumque nomen extirpare conatus, beatissimos Christi Apostolos, Petrum cruce, Paulum gladio occidit. Mox aceruatim miseram ciuitatem vndique clades oppressere.

41. S. Maximus Taurinensis Episcopus, in natali Petri, & Pauli: Hi sunt ergo beatissimi Petrus, & Paulus, qui sacramentum cęlestis Regni vno spiritu prædicantes, sub vnius passione diei doctrinam suam pio sanguine, & morte fortissima consecrarunt: qui etiam tamquam Ecclesiarum omnium principes facti, dispensatione cęlesti Romam petentes, sacratissima sua corpora in illius Vrbis arce reconderent, quæ totius Orbis obtinuerat principatum: quatenus potentiam virtutis suæ Christus ostendens, vbi mundus caput habebat Imperij, ibi Regni sui principes collocaret. A.C. 430.

42. Arnobius Romanus Iunior, ad psalmum 106. Lætatus est Petrus, quia siluerunt, & deduxit eum in portum voluntatis suæ, in Ecclesia sine dubio, vbi exaltant eum in Ecclesia populi, & in Cathedra seniorum laudant eum, quia posuit flumina in deserto, idest, huius sæculi: perambulans quousque perueniret ad Romam. Prædicauit baptismum Iesu Christi, in quo vniuersa flumina benedicuntur vsque hodie à Petro. Ipse posuit exitus aquarum in sitim, ita vt qui exierit foras ab Ecclesia Petri, siti pereat. Posuit terram fructiferam in salsuginem. Sicut salsugo terram à fructu reuocat: ita litera mundi à fructu spirituali reuocat mentes, sed per Petrum in salsugine literarum positam Romam, fecit eam fructum afferre. A.C. 430.

43. Philippus presbyter, in Concilio Ephesino tom. 2. cap. 16. Nulli dubium est, Petrum per successores suos hucusque semper viuere, causasque decernere, semperque victurum esse. Huius itaque ordinarius successor, & Vicarius sanctus beatissimus Papa, & Episcopus noster Cœlestinus nos suos pro se quasi Vicarios ad hanc sanctam Synodum misit. A.C. 430.

44. Ioannes Cassianus, de Incarnatione Verbi, lib.3. cap. 12. Interrogemus summum illum, & inter discipulos discipulum, & inter magistros magistrum, qui Romanæ Ecclesiæ gubernaculum regens, sicut fidei habuit, ita & sacerdotij principatum. Dic nobis quæsumus Apostolorum princeps Petre, &c. Anno Christi 430.

45. Sozomenus lib.4. cap. 14. Haud ita diù post moritur Felix, solusque deinceps Liberius Ecclesiæ præest. Quod quidem non sine Diuina prouidentia factum est, ne Sedes Petri à duobus Præsulibus gubernata, & à sacrosanctis Ecclesiæ legibus aliena, vlla infamiæ macula aspergeretur. A.C. 440.

Idem lib.9. cap. 9. Alaricus Romam obsidione cinctam proditione cæpit, ac militibus suis vniuersis ac singulis permisit Romanorum opes diripere: nisi quod asylum esse voluerit ob reuerentiam Apostoli Diui Petri templum illud amplissimum, quod supra illius tumbam constructum est, & loci plurimum ambit.

46. Sanctus Petrus Chrysologus, Episcopus Rauennas Epistola ad Eutychem. Hortamur te frater honorabilis, vt his, quæ à beatissimo Papa Romanæ ciuitatis scripta sunt, obedienter attendas: quoniam B. Petrus, qui in propria sede, & viuit, & præsidet, quærentibus fidei veritatem præstat. A.C. 440.

47. Sanctus Leo Papa I. Serm.1. in natali Petri, & Pauli Apostolorum cap. 1. Isti sunt viri, per quos tibi Euangelium Christi Roma resplenduit, quæ eras magistra erroris, facta es discipula veritatis. Isti sunt Patres tui, verique pastores, qui te regnis cælestibus inserendam, multò meliùs, multòque feliciùs condiderunt, quàm illi, quorum studio prima tuorum mænium fundamenta locata sunt: ex quibus is, qui tibi nomen dedit, fraterna te cæde fœdauit. Isti sunt, qui te ad hanc gloriam prouexerunt, vt gens sancta, populus electus, ciuitas sacerdotalis, & regia, per sacram B. Petri sedem caput orbis effecta, latiùs præsideres religione Diuina, quàm dominatione terrena, &c. A.C. 445.

Idem, cap. 3. Cùm duodecim Apostoli, accepta per Spiritum sanctum omnium locutione linguarum, imbuendum Euangelio mundum, distributis sibi terrarum partibus, suscepissent, beatissimus Petrus, princeps Apostolici ordinis, ad arcem Romani destinatur Imperij, vt lux veritatis, quæ in omnium gentium reuelabatur salutem, efficaciùs se ab ipso capite per totum mundi corpus effunderet. Cuius autem nationis homines in hac tunc vrbe non essent? aut quę vsquam gentes ignorarent, quod Roma didicisset? Hìc conculcandæ Philosophiæ opiniones, hìc dissoluendæ erant terrenæ sapientiæ vanitates, hìc confutandi dæmonum cultus, hìc omnium sacrilegiorum impietas destruenda, vbi diligentissima superstitione habebatur collectum, quicquid vsquam fuerat varijs erroribus institutum.

Idem cap. 4. Ad hanc ergo Vrbem tu beatissime Apostole Petre venire non metuis, & consorte gloriæ tuæ Apostolo Paulo aliarum adhuc Ecclesiarum ordinationibus occupato, syluam istam frementium bestiarum, turbulentissimę profunditatis oceanum, cõstantior, quàm cùm supra mare gradereris, ingrederis: nec mundi Dominam times Romam, qui in Caiphæ domo expaueras Sacerdotis ancillam.

Idem, epist.62. ad Maximum Antiochen. Episcopum, cap.2. Et ideo, frater charissime, oportet dilectionem tuam toto corde perspicere, cuius Ecclesiæ gubernaculis voluerit te

Dominus præsidere, & eius meminisse doctrinæ, quam præcipuus Apostolorum omnium beatissimus Petrus per totum mundum quidem vniformi prædicatione, sed speciali magisterio in Antiochena, & Romana Vrbe fundauit.

48. Ad psalmum 116. Magnus Petrus ab Hierosolyma vsque ad Romanorum Vrbem percurrit, omnibus veritatis radios affetens. A.C. 450.

Idem, ad cap. 1. ad Romanos: Desidero, inquit, venire ad vos, vt communicem id, quod ego accepi. Et quia Petrus primus Euangelij doctrinam illis tradiderat subiungit, ad confirmandos vos: quòd perinde est si diceret: non aliam doctrinam vobis trado, sed traditam confirmare volo.

Idem, epistola ad Leonem Papam: Roma habet omnium Patrum, & veritatis Doctorum Petri, & Pauli sepulchra, quæ fidelium animas illuminant.

Idem, lib. 1. Hæreticar fabularum. Simon Magnus Romanos præstigijs tanta admiratione affecit, vt etiam ænea columna honoraretur: sed rursus veniens Diuinus Petrus, fraudis eum pennis nudauit, qui cùm eum tandem in miraculorum certamen prouocasset, & Diuinæ gratiæ, & præstigiarum discrimen ostendisset, omnibus Romanis videntibus eum ex magna altitudine deturbauit; cum orasset; et qui miraculum viderant, eos cepit ad salutem.

49. Galla Placidia Imperatrix epistola ad Pulcheriam Augustam: Omnibus integris permanentibus, ad Apostolicæ Sedis, in qua primus Apostolorum B Petrus: qui etiam claues regni cælestis suscipiens, Sacerdotij principatum tenuit, Episcopatus causa mittatur. A.C. 450.

50. S. Prosper Aquitanus Episcopus Regiensis in Italia. De promissionibus, & prædictionibus dimidij temporis cap. 5. in ipsa Hierusalem Iacobus, & Stephanus primus martyr, Ioannes apud Ephesum, Andreas, & cæteri per totam Asiam, Petrus, & Paulus Apostoli in Vrbe Roma gentium Ecclesiam pacatam, vnamq; posteris tradentes, sanguine, memorijsque suis ex Dominica passione sacrarunt. 460.

Idem, de ingratis cap. 2.

Sedes Roma Petri, quæ Pastoralis honoris:
Facta Caput mundo, quicquid non possidet armis,
Religione tenet.

Cap. 8.

Ergo Petri solium Romam, & Carthaginis alta
Concilium repetant humiles.

51. Victor Antiochenus in Euangelium D. Marci: post principium: Vbi Romam Marcus aduenisset, secutus est Petrum. Quare is in priori sua Canonica ad hunc modū de illo scribit: Salutat vos Ecclesia, quæ est in Babylone collecta, & Marcus filius meus. Ann. Christi 460.

52 Sanctus Gelasius Papa I. in Decreto de Apocryphis scripturæ locis: Petro etiam data est societas beatissimi Pauli Apostoli, vasis electionis, qui non diuerso, sicut hæreti garriunt, sed vno tempore, vno eodemque die gloriosa morte, cum Petro in Vrbe Roma sub Cæsare Nerone agonizans coronatus est, & pariter supradictam sanctam Romanam Ecclesiam Christo Domino consecrarunt, talemque omnibus Vrbibus in vniuerso mundo sua præsentia, atque venerando triumpho prętulerunt. Ego prima Petri Apostoli Sedes est Romana Ecclesia. A.C. 490.

53. Sanctus Fulgentius Episcopus Ruspensis De incarnat, & Gratia Iesu Christi cap. 11. Quod duorum magnorum luminarium, Petri scilicet, Paulique verbis, tanquam splendentibus radijs illustrata, eorumque decorata corporibus Romana, quæ mundi cacumen est, tenet, & docet Ecclesia. A.C. 500.

54. Elpis Massanensis vxor Boetij Hymno de Apostolis Petro, & Paulo: A.C. 500.

O felix Roma, quæ tantorum principum
Es purpurata pretioso sanguine:
Non laude tua, sed ipsorum meritis
Excellis omnem mundi plenitudinem.

55. Symmachus Apologet. ad Anastasium Imperat. Roma mihi testis est, & scrinia testimonium perhibent, vtrùm à fide Catholica, quam in Sede B. Petri Apostoli veniens ex paganitate suscepi, aliqua ex parte deuiauerim. A.C. 500.

56. Andreas Cæsariensis. Ad caput 37. Apocalypsis: Narrat Apollonius, & alij confirmant, dæmones incantationum, & præstigiarum vi per imagines, & statuas, per arbores rursùm, & aquas, perque alia eiusmodi sępenumero locutos. Arbitror & per mortuorum cadauera loqui quoque posse. Nam & Simon Magus in B. Petri Apostolorum Coryphæi, multorumque Romanorum præsentia, mortuum hactenus exsuscitauit, quatenus sese mouere palam videretur: etsi interim Apostolus imposturam, hoc est virtutem, qua falsò eum excitauerat, aperuerit, & vim, qua mortui verè resurgunt, publicè declarauerit. A.C. 500.

57. Synodus Romana 3. sub Symmacho Papa. Memorati Pontifices suggesserunt, ipsum, qui dicebatur Impetitus, debuisse synodum conuocare: scientes, quia eius Sedi primum Petri Apostoli meritum, vel principatus singularem in Ecclesijs tradidit potestatem. A.C. 501.

58. Possessor Africanus, epistola ad Hormisdam Papam: A quo magis est nutantis fidei stabilitas expetenda, quàm ab eius Sedis præside, cuius primus à Christo Rector audiuit: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam? A.C. 515.

59. Epiphanius Archiepiscopus Constantinopolitanus, epistola ad Hormisdam Papam: Est mihi oratio magnoperè, Beatissime, vniri me vobis, & diuina amplecti dogmata, quæ ex beatis, & sanctis discipulis, & Apostolis Dei, præcipuè summi Petri Apostolorum Sedi sanctæ vestræ sunt tradita, & nihil eis pretiosius existimare. A.C. 516.

60. Iustinianus Senior Imp. In Authentica, vt Ecclesia Romana centum annorum priuilegio gaudeat: Quod igitur nostra æternitas ad Omnipotentis Dei honorem, venerandæ Sedi summi Apostoli Petri dedicauit, hæc ha-

habeant omnes terræ, omnes insulæ totius Occidentis, quæ vsque ad ipsos Oceani recessus extenduntur, &c. A.C. 530.

61. Marianus Archimandrita, & cæteri, Supplicatione ad Iustinianum Impetatorem: Misit Deus huic ciuitati Agapetum, qui verè *agapitos*, Pontificem antiquæ Romæ, in depositione Anthimi, tamquam olim Petrum magnum Apostolum Romanis, in depositione Simonis Zoëtici. A.C. 530.

62. Iornandes, lib. de regnorum, & temporum successione: Nero ipsos Doctores fidei Petrum, & Paulum in Vrbe interemit, alterum Cruci affigens, alterum capite plectens. A.C. 530.

63. Marcellinus Comes in Chronico: Leone Pontifice Sedem B. Petri regente 630. Patrum sancta, & vniuersalis Synodus contra Eutychem firmata est. A.C. 530.

64. Arator in Acta Apostolorum ad finem. A.C. 540.

Venit ad excelsa sublimia culmina Romæ, &c.
Petrus, in Ecclesiæ sacrato corpore Princeps.

65. Aurelius Cassiodorus in Chronicis, in Claudio: Secundo, & Venusto Consulibus, Petrus Apostolus Romam mittitur: vbi Euangelium prædicans vigintiquinque annis eiusdem Vrbis Episcopus perseuerat. Ann. Christi 540.

Idem in Nerone: His Consulibus Romę sancti Petrus, & Paulus Apostoli trucidati sunt à Nerone.

66. Fortunatus vitæ sancti Martini lib. 3. A.C. 570.

Principibus geminis fidei sub Principe Roma
Carnis Apostolicæ, quo sunt duo celsa sepulchra
Prima tenent terris, & vtrique priora supernis
Dogmatis ore pares, & sedis honore curules.
Ambo triumphantes spargunt noua dona per orbem:
Vna nempè die quos passio sancta beauit, &c.

Idem, lib. 8. Carminum de Senatu Curiæ cælestis:

Iuriscunsalti Pauli comitante volatu
Princeps Romana currit ab arce Petrus.

67. Gregorius Turonensis, Hist. Francorum lib. 1. cap. 25. Beatus Petrus Apostolus sub Imperatore Claudio, quarto ab Augusto, Romam aggreditur, ibique prædicans in multis virtutibus manifestissimè Christum esse Dei Filium comprobauit. Ab illis enim diebus Christiani apud Ciuitatem Romanam esse cæperunt, &c. Nero Petrum Cruce, Paulum gladio iubet interfici. A.C. 580.

68. Gregorius Magnus, ad psalm. 4. pœnitentialem: Saulo persecutori dixit: Saule Saule quid me persequeris? Et Petro ait: Venio Romam iterum crucifigi: Qui enim in seipso iam pridem crucifixus erat, in Petro, Roma discessuro, se iterum crucifigendum dicebat. A.C. 590.

Idem, lib. 6. epist. 37. Petrus sublimauit Sedem, in qua etiam quiescere, & præsentem vitam finire dignatus est.

69. Procopius Chartophylax. In Encomio D. Marci: His armis vnà cum Petro ipso tu Petri Filius Italorum gentem subiecisti, ab oriente sole motus ad occidentem aduolans. A.C. 600.

70. Isidorus Hispalensis De vita, & morte Sanctorum cap. 69. Petrus postquam Antiochenam fundauit Ecclesiam, sub Claudio Cæsare, contra Simonem Magum Romam pergit, ibique prædicans Euangelium, viginti quinque annis eiusdem tenuit Pontificatum septimo autem atque trigesimo anno post passionem Domini à Nerone Cæsare in Vrbe Roma, deorsum verso capite, vt ipse voluit crucifixus est. Sepultus est Romæ in Vaticano, secus viam triumphalem, tertio lapide ab, Vrbe ab orientalem plagam. A.C. 620.

71. Maximus Monachus ad cap. 4. De diuinis nominibus Post Petrum Ignatius fuit Episcopus Antiochiæ translato Petro in Vrbem Romam. A.C. 640.

72. Beda de sex ętatibus mundi: Petrus Apostolus, cum prius Antiochenam fundasse Ecclesiam, Romam pergit, ibique 25. annis Cathedram tenet Episcopalem, id est vsque ad vltimum Neronis annum, &c. Nero primus super omnia scelera sua etiam Christianos persequitur: quorum eximios Romæ Petrum Cruce, Paulum occidit gladio. Ann. C. 700.

Idem, prologo super Marcum: Clemens in 6. dispositionum lib. hæc ita esse describit, cui simile dat testimonium etiam Hierapholeos Episcopus nomine Papias, qui, & hoc dicit, quod Petrus in prima epistola sua, quam de Vrbe Roma scripsit, meminit Marci, in qua tropicè Romam Babylonem nominat, cum dicit: Salutat vos Ecclesia, quæ est in Babylonem electa, & Marchus filius meus.

Idem, ad cap. 5. prioris epistolæ Petri Salutat vos Ecclesia quæ est in Babylone, Babilonem typicè Romam dicit, videlicet propter confusionem multiplicis idololatriæ, in cuius medio sancta Ecclesia fulgebat.

Idem, ad cap. 15. Actorum: Scimus enim, Petrum, & Paulum Apostolos, anno post resurrectionem Domini trigesimo octauo, id est vltimo Neronis anno, passos fuisse martyrium & B. Petrum Romæ 25. annis Episcopalem sedisse Cathedram. Vignti quinque autem & quatuordecim non triginta octo, sed triginta nouem faciunt. Sequitur ergo, vt B. Petrum eodem quartodecimo post Domini passionem anno, quo eum Hierosolymis alloquitur Paulus, quarto Claudij Cæsaris anno Romam, venisse credamus.

73. Ioannes Damascenus Epistola de Trisagio: Petrus ex vico Bethsaida originem duxit, patrem Ioannem habuit, ac Romæ sub Nerone martyrio functus est. A.C. 730.

74. Paulus Diaconus. De vita SS. Syri & Iuuentij: Quo tempore beatissimus Petrus Christi Apostolus fundata Antiochena Ecclesia, in qua primum nouellæ gentis Christianum nomen exortum est, ædificaturus Romanam Ecclesiam, ad Romanam Vrbem

tran-

transiuit, ibi prædicans Christum crucifixum, omnesque virtutes faciens & miracula, quæ coram conspectibus Iudæorum fecerunt fecerat, multos ad credulitatem sui conuerterat oraculi. A.C.760.

Idem, de gestis Longobardorum lib. 6. cap. 4.

Vt Petrum, sedemque Petri Rex cerneret hospes.
Cuius fonte sacras sumeret albus aquas, &c.

75. Paulinus Aquileiensis, libro 8. historiarum: Nero primùm Romæ Christianos supplicijs affecit; ipsum quoque nomen extirpare conatus, beatissimos Apostolos Petrum cruci affixit, Paulum capite gladio secuit. A.C.780.

76. Tarasius Constantinopolitanus. Epistola ad Adrianum Papam de non faciendis pecunia ordinationibus: Mundi sumus à sanguine eorum, qui transgrediuntur Canonicas Constitutiones, & multò magis eorum, qui pecunijs ordinauerunt, vel ordinati sunt, cùm Diuinus Petrus Apostolus, cuius Cathedram sortita est vestra Sanctitas, vt Simonem Magum eum deposuerit. A.C.780.

77. Elias Cretensis. In orationem 3. Nazianzeni: Petrus & Paulus Romæ à Nerone morte afficiuntur. A.C.780.

78. Nicephorus Constantinopolitan. In Chronologia: Expositio nominum Episcoporum Romanorum: Petrus Apostolus 25. annis: Linus 12. annis: Clemens nouem annis, &c. A.C.815.

79. Haymo. Homilia Dominicæ 3. in Quadragesima: Dominus discipulis suis partes mundi ad prædicandum distribuit, Petro & Paulo Romam, Andreæ Achaiam, Iacobo Iudæam, Ioanni Asiam, &c. A.C.820.

80. Methodius Constatinopol. In martyrio Dionysij Areopagitæ: Beatus Apostolus Petrus post aliquot annos prædicationis sublimem Romam assecutus est, & vt illic prædicaret cęlitus ei concreditum est, vt tamquam Coryphæus sanctorum Apostolorum in ordine Apostolatus factus, Romæ in certamine fieret consors Christi passionum. Vt enim illa Vrbs maximis ducebatur erroribus, maiore opus habebat correctione: vt cuius error erat grauissimus, illic & gratia summa contingeret. Postea, quemadmodum dicitur, impius tyrannus Nero, sperans se terras, & mare suæ tyrannidi subditurum, iræ crudelitatis suæ, & vi furoris sui insaniens aduersùs seruos Christi inflammatus est, & decimo quarto anno Imperij sui beatos Petrum & Paulum iniustæ morti adiudicauit. A.C.830.

81. Michael Syngellus. In martyrio Dionysij Areopagitæ: Petrus regiam Romam miraculis edidis, quæ à Christo vberrimè etiam manauerunt, illustrauit, & occiduam obscuritatem in splendorem clarissimum commutauit. A.C.830.

82. Freculphus Lexouiensis, tom. 2. lib. 1. cap. 12. In Claudij Tiberij Regni exordio Petrus Apostolus Domini nostri Iesu Christi Romam venit, ibique viginti quinque annis Cathedram tenuit Episcopalem, & salutarem cunctis credentibus fidem Christi fideli verbo docuit, potentissimisque virtutibus approbauit, atque ex hoc Christianorum plurimi Romæ esse cœperunt: sensit hoc fidei suæ Roma beneficium. A.C.840.

83. Drepanius Florus. Hymno ad Michaelem Archangelum. A.C.850.

Clarent Angelici sublimia festa diei
Allatatura pia dona beata anima:
Hunc etenim Michael, aula cælestis alumnus,
Conspicuo nobis consecrat ore diem:
Dignatur Petri, Paulique inuisere Sedem,
Imperiumque fouens inclyta Roma tuū.

84. Rabanus Maurus, ad caput 12. Iudith Claudius Imperator licèt Iudæos diuersis calamitatibus affligeret, Christianos non læsit. Vnde factum est, quod ipso regnaute Petrus Apostolus in Vrbe Romana prædicando, plurimos ad fidem Christi conuerteret. A.C.850.

85. Hincmarus. Epist. de Dionysio Areopagita: Procedente tempore Dionysius Magistri desiderio, beati Petri amore Romam venit, quos nequissimi Neronis crudelitate iam martyrio coronatos inuenit. A.C.850.

86. Nicolaus Primus. Epist. 7. Tunc conuocato multorum sanctissimorum Episcoporum cętu, & collecta sancta Synodo in Ecclesia Dei, vbi beatus Petrus Apostolorum princeps corpore floret, virtutibus emicat, &c. A.C.860.

Idem, epist. 32. Petri & Pauli glorioso agone sancta hæc Romana Ecclesia, cui diuina dispensatione præsumus, est Domino consecrata,

Idem, ad consulta Bulgarorum cap. 92. Romanam Ecclesiam sanctorum Apostolorum princeps Petrus, & Paulus, & prædicatione sua instituerunt, & pro Christi amore fuso proprio sanguine sacrauerunt.

87. Adrianus II. epist. 3. Hæc capitula synodicè in Ecclesia Dei, vbi sanctum corpus Apostolorum principis Petri quiescit, promulgauimus.

Idem, epist. 27. ad Episcopos synodi Duziacensis in Gallia, tom. 1. Concil. Gallię. Petrus namque sanctus Magister noster, & princeps Apostolorum de Antiochia vtilitatis causa translatus est Romam, vt ibidem potius proficere posset.

88. Ioannes Octauus, epist. 76. Pro hac purissima fide beatus Petrus Romæ moratus, in hoc stabiliuit Ecclesiam, & Sede Apostolica diutiùs gubernata, pro hac fide decus mortis assumpsit: sicque in hac fide sanctam Romanam Ecclesiam fundatam proprio sanguine cum Paulo Deo consecrauit. A.C.872.

89. Ado Viennensis ætate 6. de anno 45. Claudius regnauit annis 14. Exordio Regni eius Petrus ad superandum Simonem Magū, cùm prius Antiochenam fundasset Ecclesiam, Romam venit, & salutarem cunctis credentibus fidem fideli verbo docuit, ibique 25. annis Cathedram tenuit Episcopalem. A.C.880.

90. Thephylactus ad caput 1. epistolæ ad Romanos: Cùm Petrus Romæ Euangelium prædicasset, quæ illius erant sua reputans, pro fide Petri discipulorum Paulus gratias agit. A.C. 900.

91. Regino Prumiensis, lib. 1. Annalium: Sci-

Scimus Petrum, & Paulum anno post passionem Domini 38. id est vltimo Neronis anno passos fuisse, & beatum Petrum Romæ 25. annis Episcopalem sedisse Cathedram. Sequitur ergo, vt beatum Petrum eodem decimo quarto post passionem Domini anno, quo eum Herosolymis alloquitur Paulus, id est, quarto Claudij anno Romam venisse credamus. Anno Incarnat. Dominicæ 72. Romæ Petrus crucifigitur, Paulus decollatur. Ann. Christi 920.

92. Simeon Meraphrastes. In Commentario de certaminibus, laboribus, & peregrinationibus Petri & Pauli: quo in loco cùm Petrus quidem Maximum instituisset, & baptizasset, & Episcopum ordinasset, Romam appellit: in qua cum quotidie Synaxes celebraret, attraxit multos ad fidem Christi. Hęc videns Simon, non satis duxit tacere, & suam celare improbitatem: sed gloria & existimatione se superatum esse arbitratus, si fineret Apostolum totis viribus ijs, qui Romæ essent, veritatem annunciare, audacter simul & indoctè cępit liberè loqui in media ciuitate. A. C. 950.

Idem, vitæ S. Syluestri cap. 6. Cum sic fuisset dignatus Archiepiscopatu, & præfectus esset pascēdis ouibus zeli, ac ardoris fuit successor, eas ad Salutaria adducebat pascua, Dei, inquam, & Saluatoris nostri mandata.

93. Luitprandus Ticinensis, lib. 1. cap. 8. Romæ beati Petri Apostolorum principis beatum, pretiosumque corpus quiescit. Ann. Christi 960.

Idem lib. 4. cap. 3. Petrus Antiochena dimissa Ecclesia, ad Romanam Vrbem, quæ potentiæ magnitudine cunctis tunc nationibus imperabat, postmodum transmigrauit: vbi cum disponente Deo sanctam toto orbe venerandam fundaret Ecclesiam, discipulo suo Marco pristinam Antiochenam simul cōmendauit, &c. Venit Petrus Romam, non ambitione inflammatus, sed martyrin animatus: non quærens aurum, sed animarum lucrum.

94. Suidas. In Nerone: Tunc Simon quoque Magus florebat, & cùm Petrus & Simon præsente Nerone inter se disputarent, eductus est è carcere Pilatus. Hi tres cum obstarent, Nero Simonem interrogat, &c. A.C. 970.

95. Hugo Floriacensis in Chronicis ętate 6. Petrus Romæ sedit annis 25. menses 2. dies 7. qui ante finem vitæ fratribus connocatis post se Clementem Romanæ Ecclesiæ præfecit, qui à persecutoribus captus cruci adiudicatus est. A. C. 1050.

96. Petrus Damianus, sermone de S. Marco: Illud etiam, dilectissimi, ignorare vos non patiar, quoniam octauo Neroniani Imperij anno triumphalem martyrij palmam B. Marcus obtinuit, cui mox & Anianus in Alexandrinæ dignitatis sede successit, & beatus Petrus Romæ septennio superuixit. Ann. Christi 1050.

97. Hermannus Contractus, in Chronicis, de Nerone: Primus Nero super omnia scelera sua etiam Christianos persequitur, quorum eximius Romæ Petrum cruce, Paulum gladio occidit. A.C. 1050.

98. Oecumenius, de 17. Apostolis: Primus Simon Petrus, Apostolorum Coryphęus, in Ponto, Galatia, Capadocia, Bithynia, & Italia prædicans Euangelium, Romæ tandem sub Nerone crucifigitur, capite inuerso, ipso sic pati volente: sepelitur autem in ipsa Roma ad 3. Kal. Iulij. A. C. 1050.

99. Marianus Scotus ætate 6. de anno 72. Beatissimus Petrus Apostolus anno Dom. Incarnat. 47. Regni antem Claudij Cæsaris anno quarto, superna visione ordinante, Romam ingressus, salutarem cunctis credentibus fidem constantissima assertione prædicauit, & eiusdem Vrbis Pontificatum annis 25. strenuissime rexit. A. C. 1070.

100. Euthymius Prnęmio in Marcum: Marcus cum Petro Romæ conuersatus est, quemadmodum prior eius epistola demonstrat. A. C. 1080.

101. Ioannes Zonaras, tom 2. Petrus sub Claudio Romæ salutaris præconij semina sparsit, cui multi ex Romanis fidem habuerunt. A. C. 110.

102. Florentius Wigorniensis lib. 2. Chronicorum: Clemens Papa Primus post Petrum Romana Ecclesiam tenuit, vel cum Lino, & Cleto, sicut cum Petro fuit. Post Petrum, immo etiam cum Petro primus Papa S. Clemens Romanam rexit Ecclesiam, &c. S. Clemens beati Petri successor fuit, sed etiam viuente Iacobo, nouem annis ante passinnem Petri Romanam Cathedram tennit, deindè post Petrum &c. Petro in Vrbe Romana interfecto, & Christianis pęnarum diuersitate laniatis, de Hispania illicò Galba surrexit. A. C. 1100.

103. Georgius Cedronus in Nerone: Imperante Nerone Romam profectus Simon Magus, cùm artibus magicis multa edidisset prodigiosa, Dei nnmen sibi arrogauit. Quo tempore magnus ille Apostolus Petrus Romam cum venisset, statuit Simonem adire, &c. A. C. 1110.

104. Honorius Augustodunensis, sermone de Petro & Paulo: Petrus in circuitu Verbum Dei disseminans, Romam peruenit; ibique Pontificatus regimen totius Ecclesiæ à Christo sibi collatum suscepit. A. C. 1120.

105. Rupertus Tuitiensis, ad caput 3. Ionæ: Huius Sacramenti, & omnis Ecclesiæ religionis lex, & ordo multimodis Romæ munitur, ac roboratur decretis: eo quod beati principis Apostolorum Petri Sede facta est, eiusdem & consortis eius Pauli, sicut prædicatione illustrata, ita & martyrio coronata, cunctis Ecclesijs caput altiùs extulerit, latiùsque dominetur per omnes gentes sacra Pontificum eius lingua, quàm dominata fuerit Cęsarum, siue Augustorum purpura. A. C. 1120.

106. Michael Glycas, parte 3. Annalium. Nero impurissimus Princeps persequi Christianos cœpit, & duos summos viros Petrum, & Paulum intefecit. Vterque, vt Chrysostomus testatur, obdormiuit in Vrbe Roma. A. C. 1120.

107. Bernardus, epist. 237. ad Eugenium Papam: Locus in quo stas, terra sancta est, locus Petri est, locus Principis Apostolorum, locus illius, quem constituit Christus Dominum domus suæ, & principem omnis possessionis suæ. A. C. 1130.

Hugo

108. Hugo Victorinus, institutionis Monasticæ, de vanitate mundi lib. 4. Petrus Romæ throno veritatis constituto, crucem triumphans ascenderat, & Clemens successor Cathedræ infulam Pontificalem acceperat. A. C. 1140.

Idem, Instit. Monast. excerptorum priorum lib. cap. 6. Circa hos dies Simon Magus populum Romanum ita dementare cœpit, vt antemissis imaginibus suis adoraretur vt Deus. Sed cùm Petrus adolescentem propinquum Cæsaris, quem Simon magicis artibus suscitare non valebat, in nomine Iesu Christi suscitasset, confusus Simon offensum se dixit à Galilæis, relictúrumque se Vrbem minatur, & diem, quo supernis sedibus inueheretur, pollicetur. Cum volaret, orante Petro, corruit, & confractus mortuus est. Sed Nero Cæsar super hoc indignatus, iussit comprehendi Petrum, &c.

109. Nilus Thessalonicensis, de primatu Papæ: Romæ Petrus diem suum obijt. Anno Christi 1150.

110. Petrus Cluniacensis, epist. 1. Quid enim? numquid per 25. annos, quibus Romę Petrus Apostolus sedit, absque templo, vel Ecclesia, idest, orationis domo, vel paruo saltem oratorio fuit? Nonne vt gestorum veracium series narrat, primus ipse princeps Apostolorum Petrus in Vrbe Orbis capite templum Christo inter innumera gentilium templa construxit? Nonne & nos ipsi Romæ positi frequenter vidimus, in cryptis antiquissimis Oratoria & Altaria, qualia eo tempore fieri poterant, quæ ab eodem Apostolo constructa, sicut per successionem fama consentiens, ac celeberrima protestatur, in monumenta tantę sanctitatis fidelibus ostenduntur, ac deuotissimè exosculantur. A. C. 1150.

111. Otto Frisingensis, lib. 3. Chronicorum cap. 15. Petrus Romam veniens, Simonem Hæresiarcham, omnium in magica arte peritissimum, Vrbem subuertentem inuenit. A. C. 1150.

112. Egbertus Presbyter aduersùs Catharos ser. 3. Petrus Antiochia Romam profectus, in ea fidem Christianam docuit, ac maximam partem ciuitatis ad Christum conuertit, ac per 25. annos Ecclesiam Christi ibi gubernauit. A. C. 1160.

113. Petrus Comestor, in Histor. Scholastica lib. act. Apost. cap. 127. Petrus crucifixus est in Vaticano, in vico scilicèt, qui est extra ciuitatem, vbi fiebant dolia. A. C. 1160.

114. Petrus de Riga, ad finem Actuum Apostolorum. A. C. 1170.

Vltimus annus erat regni vitaque Neronis,
Cùm Petrus, & Paulus geminis nituere coronis
Qui fudere suum sub eadem luce cruorem:
Anno non alio fidei seruando vigorem
Ense sacrat Paulum par lux, Vrbs, Dux crucæ Petrum.

115. Gofridus Viterbiensis, parte 14. Chronicorum. A. C. 1170.

Roma priùs mundum totum vicisse videtur:
Solus eam verbo potuit deuincere Petrus.

116. Guntherus, lib. 4. Ligurini. Anno Christi 1180.

Iamque aderat veneranda dies, quæ clara triumpho
Fulget Apostolico, totum festiua per Orbem
Illa quidem, sed Romulea specialiter Vrbi,
Cuius sacra sua lustrarunt mania Patres
Martyrio, saui dum spernunt sceptra Neronis.

117. Adam Victorinus Prosa de SS. Apostolis Petro, & Paulo. A. C. 1180.

Roma Petro glorietur,
Roma Paulum veneretur
Pari reuerentia.
Hi sunt eius fundamenta,
Fundatores, fulcimenta
Bases, Epistylia, &c.
Romam conuenerant salutis nuncij,
Vbi plus nouerant inesse vitij,
Nihil disciplinæ.

118. Theodorus Balsamon in Commentarijs ad Synodum Carthaginensem: Apostolicam Sedem Romanam nominarunt, vtpote cùm Petrus Apostolorum Princeps in ea claruerit, & Linum primum Pontificem in ea constituerit. A. C. 1180.

119. Nicetas Choniates, Orthodoxę fidei lib. 4. cap. 1. Tandem cùm Romam omnium ciuitatum decus (Petrus, & Simon Magus) appulissent, ibi controuersis dogmatibus concertarunt. Iam autem apud Romanos Simon tantam nominis celebritatem consecutus erat, vt ærea statua donatus esset à Claudio Cæsare, cuius ea fuisse fertur inscriptio: Simoni Deo sancto. Cum itaque Simon Petro refragaretur, atque partim Spiritus sancti verbis, partim miraculis præstigiæ eius, & imposturæ patuissent, ille graui se affici ratus ignominia, in cœlos ad proprium patrem ascensurum se, pænasque de incredulis repetiturum, comminatus est. Et cum à dæmonibus in cœlos ferebatur, Petrus orando effecit, vt in caput ex alto Magus corrueret, pedibusque in aera protensis, miseram animam exhalans, effuso viam cerebro dispersit. Anno Christi 1200.

120. Innocentius Tertius, ser. 2. de festo SS. Petri, & Pauli: Dignum prouidit Deus, & congruum: sed & congruum prouidit, & dignum, vt ille, qui erat Princeps Ecclesiæ, Sedem constitueret apud Vrbem, quæ tenebat sæculi principatum. Et ideo Dominus inquit ad Petrum: Duc in altum, quasi diceret: Vade Romam, te cum tuis transfer ad Vrbem, & laxate ibi retia in capturam. Ecce liquidò patet, quantum Deus istam Vrbem dilexerit, vt eadem esset Sacerdoralis & Regia, Imperialis, & Apostolica, obtinens, & exercens non solùm dominium super corpora, verùm etiam magisterium super animas. A. C. 1200.

121. Conradus Abbas Vrspergensis, in Chronicis de anno 43. Petrum quarto Claudij anno Romam venisse ferè omnes sanctorum temporum Scriptores testantur: quidam autem Pontificatum in Vrbe Romana hoc anno illum suscepisse opinantur. Et hoc exinde

inde verum conijciunt, quia Petrus Sedem Romanam 25. annis tenuisse dicitur, & vltimus Neronis annus, quo Petrus passus esse narratur, vigesimus quintus à quarto Claudij numeratur. Vnde satis apparet, quòd eodem anno, quo Romam venit, etiam Sedem Pontificatus accepit. A.C.1220.

122. Iacobus Vitriacus, in Histor. Orientali cap.78. Spiritus promptus est, secundùm voluntatem rationis: caro autem infirma, secundùm sensualem voluntatem, secundùm quam alius cinxit Petrum, & duxit quò non voluit, qui tamen sponte reuersus Romam, voluit crucifigi voluntate rationis. A.C.1220.

123. Albertus Stadensis, in Chronicis: Petrus Apostolorum Princeps primùm sedit Antiochiæ annos 7. post ingressus Romam, pugnaturus contra Simonem Magum, in Episcopali Cathedra sedit annos 25. Anno Christi 1250.

124. Thomas Cantipratanus, lib. 2. miraculorum, cap. 53. Fuit Romana Ecclesia sanguine tincta, præcipuè Apostolorum Petri, & Pauli. A.C.1260.

125. Guilhelmus Durandus, in rationali Diuinorum lib. 7. cap. 43. Tres Apostoli leguntur tantùm viui fuisse Romæ, scilicet Petrus, & Paulus, & Ioannes: & tres Euangelistæ, scilicet Ioannes, Marcus, & Lucas. Ann. Christi 1270.

126. Nicolaus Tertius, de electione, & electi potestate cap.17. Petrus, & Paulus illi sunt, per quos Euangelium Romæ resplenduit. Isti sunt eius Patres, verique Pastores: isti sunt, qui vna die pro merito, vno loco pro gloria, sub vno persecutore pro parili virtute compassi, Vrbem ipsam glorioso cruore Martyrij Christo Domino consecrarunt. Isti sunt, qui illam in hanc gloriam prouexerunt, vt sit gens sancta, populus electus, ciuitas Sacerdotalis, & Regia, per sacram B. Petri Sedem caput totius Orbis effecta. A.C. 1280.

127. Nicephorus Callistus, lib.2. cap.15. Meminit Petrus Marci in priori epistola, quam Romæ agens composuisse fertur, in qua etiam figuratè Romam Babylonem nominat.

Idem, c. 35. Non minùs etenim Petrus orbe peragrato, & ijs, qui ex circumcisione erant, omnibus in Palæstina & Syria, & vbique ferè terrarum prædicatione promulgata, cum sub Neronis imperio Romam, propter detestandum illum, qui publicis inscriptionibus Deum se vocare, prædicationemque Christi euertere est ausus, venisset, factisque illum simul, & sermonum vi coarguisset, atque Romanorum Ecclesiæ primùm quidem Lino, deinde Anaclero, & post hos tertiò, ad mortem vadens, sapientissimo Clementi claues commisisset, ad Deum migrauit. A.C.1300.

128. Nicolaus Lyranus, ad cap. 1. posterioris Petri: Hanc epistolam scripsit Romæ, sicut & præcedentem. Nam sicut dicitur hic, propinquus erat passioni suæ, quam sustinuit Romæ. A.C.1300.

129. Martinus Polonus, in Chronicis, in Petro: Cum diuiderentur Apostoli, Petrus Romam venit: priùs tamen Pontum, Galatiam, Bithyniam circuit, &c. A.C.1320.

Idem, in Nerone: Nero etiam omnibus flagitijs suis hoc addidit, vt sanctos Dei Apostolos Petrum, & Paulum trucidaret.

130. Aluarus Pelagius, de planctu Ecclesiæ lib. 1. art. 68. Petrus post Ascensionem Christi primus rexit Antiochenam Ecclesiam, & tum erat illa caput: postmodum translata est eius Sedes Romam, iubente Domino. A.C.1330.

131. Matthæus Westmonasteriensis, in Chronicis, de anno 41. Claudij Regni exordio Petrus, cùm priùs Antiochenam rexisset Ecclesiam, Romam veniens, salutarem cunctis credentibus fidem fideli verbo docuit, ibique Cathedram Episcopalem 25. annis tenuit, vsque ad vltimum Neronis annum. A.C.1370.

132. Thomas Waldensis, doctrinalis fidei lib. 2. art. 2. cap. 7. Ex Scripturæ locis habes testimonium, quod Petrus Romæ fuerit, quando in epistola sua ipse se commemorat epistolam suam Romæ scripsisse, Ibi: Salutat vos, quæ in Babylone est Ecclesia; id est Roma, secundùm Papiam, & Bedam. A.C.1410.

133. Martinus Quintus, constit. 4. Vrbem nostram Romam princeps Apostolorum Petrus, & in similem sortem vocatus Paulus, fidei Orthodoxæ cardines, alijque victoriosi innumeri Martyres sui sanguinis aspersione inundarunt. A.C.1420.

134. Æneas Syluius, epist. 130. Quis locus electus à Domino nisi Roma? quam Beatorum Petri, & Pauli martyrium consecrauit, &c. A.C.1460.

135. Wernerus Roleuingius in Fasciculo temporum: Audiens Petrus Simonem Magum Romanos deludere, zelo fidei Romam adijt, anno quartò Claudij, &c. A.C.1470.

136. Petrus Apollonius Collatius, in Fastis, in Natalitijs Petri, & Pauli Apostolorum. A. C. 1480.

Quos docuit Paulus, firmant miracula Petri:
Vita duos habuit, mors quoque iuncta duos.
Hi tibi Cæsareos auxerunt Roma triumphos:
His ducibus semper tu caput Orbis eris.
Hostibus hi nullis tibi discutienda dederunt
Mœnia, quæ nunquam deseret alma fides.

137. M.Antonius Sabellicus, Ænneadis 7. lib. 2. Altero Claudij anno Petrus Bar-Iona Christi Apostolus ex Antiochia Italiam petijt, pluribus in Asia Ecclesijs constitutis, &c. Petrus Romam reuersus, Clementem Episcopum consecrauit, tradiditque illi sacram Sedem obtinendam: haud multò post cum Paulo, qui tum Romæ erat, Neronis iussu interfectus est, nec eodem supplicio: Petrus pedibus in sublime elatis crucifigitur, quod supplicij genus sibi optasse ferunt. Est & Paulus eodem die securi subiectus. Hic Hostiensi via est sepultus, Petrus in Vaticano via Aurelia secus hortos Neronis: quibus locis nobilissima est eius nomine procedente tempore Basilica constituta: præfuit Romanæ Ecclesiæ annos quinque, & viginti. A.C.1490.

138. Albertus Cranzius, in Metropoli lib. 2. cap. 1. Petrus primus in terris Christi Vicarius, Cephas dictus inde, sedit Antio-

108. Hugo Victorinus, institutionis Monasticæ, de vanitate mundi lib.4. Petrus Romæ throno veritatis constituto, crucem triumphans ascenderat, & Clemens successor Cathedræ infulam Pontificalem acceperat. A. C. 1140.

Idem, Instit. Monast. excerptorum priorum lib. cap. 6. Circa hos dies Simon Magus populum Romanum ita dementare cœpit, vt antemissis imaginibus suis adoraretur vt Deus. Sed cùm Petrus adolescentem propinquum Cæsaris, quem Simon magicis artibus suscitare non valebat, in nomine Iesu Christi suscitasset, confusus Simon offensum se dixit à Galilæis, relictúrumque se Vrbem minatur, & diem, quo supernis sedibus inueheretur, pollicetur. Cum volaret, orante Petro, corruit, & confractus mortuus est. Sed Nero Cæsar super hoc indignatus, iussit comprehendi Petrum, &c.

109. Nilus Thessalonicensis, de primatu Papæ: Romæ Petrus diem suum obijt. Anno Christi 1150.

110. Petrus Cluniacensis, epist. 1. Quid enim? numquid per 25. annos, quibus Romę Petrus Apostolus sedit, absque templo, vel Ecclesia, id est, orationis domo, vel paruo saltem oratorio fuit? Nonne vt gestorum veracium series narrat, primus ipse princeps Apostolorum Petrus in Vrbe Orbis capite templum Christo inter innumera gentilium templa construxit? Nonne & nos ipsi Romæ positi frequenter vidimus, in cryptis antiquissimis Oratoria & Altaria, qualia eo tempore fieri poterant, quæ ab eodem Apostolo constructa, sicut per successionem fama consentiens, ac celeberrima protestatur, in monumenta tantę sanctitatis fidelibus ostenduntur, ac deuotissimè exosculantur. A.C.1150.

111. Otto Frisingensis, lib. 3. Chronicorum cap. 15. Petrus Romam veniens, Simonem Hæresiarcham, omnium in magica arte peritissimum, Vrbem subuertentem inuenit. A. C. 1150.

112. Egbertus Presbyter aduersùs Catharos ser. 3. Petrus Antiochia Romam profectus, in ea fidem Christianam docuit, ac maximam partem ciuitatis ad Christum conuertit, ac per 25. annos Ecclesiam Christi ibi gubernauit. A. C. 1160.

113. Petrus Comestor, in Histor. Scholastica lib. act. Apost. cap. 127. Petrus crucifixus est in Vaticano, in vico scilicet, qui est extra ciuitatem, vbi fiebant dolia. A.C.1160.

114. Petrus de Riga, ad finem Actuum Apostolorum. A. C. 1170.

Vltimus annus erat regni vitaque Neronis,
Cùm Petrus, & Paulus geminis nituere coronis
Qui fudere suum sub eadem luce cruorem:
Anno non alio fidei seruando vigorem
Ense sacrat Paulum par lux, Vrbs, Dux cruce Petrum.

115. Gofridus Viterbiensis, parte 14. Chronicorum. A.C.1170.

Roma priùs mundum totum vicisse videtur:
Solus eam verbo potuit deuincere Petrus.

116. Guntherus, lib. 4. Ligurini. Anno Christi 1180.

Iamque aderat veneranda dies, quæ clara triumpho
Fulget Apostolico, totum festiua per Orbem
Illa quidem, sed Romuleæ specialiter Vrbi,
Cuius sacra suo lustrarunt mœnia Patres
Martyrio, saui dum spernunt sceptra Neronis.

117. Adam Victorinus Prosa de SS. Apostolis Petro, & Paulo. A.C.1180.

Roma Petro glorietur,
Roma Paulum veneretur
Pari reuerentia.
Hi sunt eius fundamenta,
Fundatores, fulcimenta
Bases, Epistylia, &c.
Romam conuenerant salutis nuncij,
Vbi plus nouerant inesse vitij,
Nihil disciplina.

118. Theodorus Balsamon in Commentarijs ad Synodum Carthaginensem: Apostolicam Sedem Romanam nominarunt, vtpote cùm Petrus Apostolorum Princeps in ea clarueris, & Linum primum Pontificem in ea constituerit. A.C.1180.

119. Nicetas Choniates, Orthodoxę fidei lib.4. cap. 1. Tamdem cùm Romam omnium ciuitatum decus (Petrus, & Simon Magus) appulissent, ibi controuersis dogmatibus concertarunt. Iam autem apud Romanos Simon tantam nominis celebritatem consecutus erat, vt ærea statua donatus esset à Claudio Cæsare, cuius ea fuisse fertur inscriptio: Simoni Deo sancto. Cum itaque Simon Petro refragaretur, atque partim Spiritus sancti verbis, partim miraculis præstigiæ eius, & imposturæ patuissent, ille graui se affici ratus ignominia, in cœlos ad proprium patrem ascensurum se, pœnasque de incredulis repetiturum, comminatus est. Et cum à dœmonibus in cœlos ferebatur, Petrus orando effecit, vt in caput ex alto Magus corrueret, pedibusque in aera protensis, miseram animam exhalans, effuso viam cerebro dispersit. Anno Christi 1200.

120. Innocentius Tertius, ser. 2. de festo SS. Petri, & Pauli: Dignum prouidit Deus, & congruum: sed & congruum prouidit, & dignum, vt ille, qui erat Princeps Ecclesiæ, Sedem constitueret apud Vrbem, quæ tenebat sæculi principatum. Et ideo Dominus inquit ad Petrum: Duc in altum, id est diceret: Vade Romam, te cum tuis transfer ad Vrbem, & laxate ibi retia in capturam. Ecce liquidò patet, quantum Deus istam Vrbem dilexerit, vt eadem esset Sacerdotalis & Regia, Imperialis, & Apostolica, obtinens, & exercens non solùm dominium super corpora, verùm etiam magisterium super animas. A. C. 1200.

121. Conradus Abbas Vrspergensis, in Chronicis de anno 43. Petrum quarto Claudij anno Romam venisse ferè omnes sanctorum temporum Scriptores testantur: quidam autem Pontificatum in Vrbe Romana hoc anno illum suscepisse opinantur. Et hoc exinde

inde verum conijciunt; quia Petrus Sedem Romanam 25. annis tenuisse dicitur, & vltimus Neronis annus, quo Petrus passus esse narratur, vigesimus quintus à quarto Claudij numeratur. Vnde satis apparet, quòd eodem anno, quo Romam venit, etiam Sedem Pontificatus accepit. A.C.1220.

122. Iacobus Vitriacus, in Histor. Orientali cap.78. Spiritus promptus est, secundùm voluntatem rationis: caro autem infirma, secundùm sensualem voluntatem, secundùm quam alius cinxit Petrum, & duxit quò non voluit, qui tamen sponte reuersus Romam, voluit crucifigi voluntate rationis. A.C.1220.

123. Albertus Stadensis, in Chronicis: Petrus Apostolorum Princeps primùm sedit Antiochiæ annos 7. post ingressus Romam, pugnaturus contra Simonem Magum, in Episcopali Cathedra sedit annos 25. Anno Christi 1250.

124. Thomas Cantipratanus, lib. 2. miraculorum, cap. 53. Fuit Romana Ecclesia sanguine tincta, præcipuè Apostolorum Petri, & Pauli. A.C.1260.

125. Guilhelmus Durandus, in rationali Diuinorum lib. 7. cap. 43. Tres Apostoli leguntur tantùm viui fuisse Romæ, scilicet Petrus, & Paulus, & Ioannes: & tres Euangelistæ, scilicet Ioannes, Marcus, & Lucas. Ann. Christi 1270.

126. Nicolaus Tertius, de electione, & electi potestate cap.17. Petrus, & Paulus illi sunt, per quos Euangelium Romæ resplenduit. Isti sunt eius Patres, verique Pastores: isti sunt, qui vna die pro merito, vno loco pro gloria, sub vno persecutore pro parili virtute compassi, Vrbem ipsam glorioso cruore Martyrij Christo Domino consecrarunt. Isti sunt, qui illam in hanc gloriam prouexerunt, vt sit gens sancta, populus electus, ciuitas Sacerdotalis, & Regia, per sacram B. Petri Sedem caput totius Orbis effecta. A.C. 1280.

127. Nicephorus Callistus, lib. 2. cap. 15. Meminit Petrus Marci in priori epistola, quam Romæ agens composuisse fertur, in qua etiam figuratè Romam Babylonem nominat.

Idem, c. 35. Non minùs etenim Petrus orbe peragrato, & ijs, qui ex circumcisione erant, omnibus in Palæstina & Syria, & vbique ferè terrarum prædicatione promulgata, cum sub Neronis imperio Romam, propter detestandum illum, qui publicis inscriptionibus Deum se vocare, prædicationemque Christi euertere est ausus, venisset, factisque illum simul, & sermonum vi coarguisset, atque Romanorum Ecclesiæ primùm quidem Lino, deinde Anacleto, & pòst hos tertiò, ad mortem vadens, sapientissimo Clementi claues commisisset, ad Deum migrauit. A.C.1300.

128. Nicolaus Lyranus, ad cap. 1. posterioris Petri: Hanc epistolam scripsit Romæ, sicut & præcedentem. Nam sicut dicitur hìc, propinquus erat passioni suæ, quam sustinuit Romæ. A.C.1300.

129. Martinus Polonus, in Chronicis, in Petro: Cum diuiderentur Apostoli, Petrus Romam venit: priùs tamen Pontum, Galatiam, Bithyniam circuit, &c. A.C.1320.

Idem, in Nerone: Nero etiam omnibus flagitijs suis hoc addidit, vt sanctos Dei Apostolos Petrum, & Paulum trucidaret.

130. Aluarus Pelagius, de planctu Ecclesiæ lib. 1. art. 68. Petrus post Ascensionem Christi primus rexit Antiochenam Ecclesiam, & tum erat illa caput: postmodum translata est eius Sedes Romam, iubente Domino. A.C.1330.

131. Matthæus Westmonasteriensis, in Chronicis, de anno 41. Claudij Regni exordio Petrus, cùm prius Antiochenam rexisset Ecclesiam, Romam veniens, salutarem cunctis credentibus fidem fideli verbo docuit, ibique Cathedram Episcopalem 25. annis tenuit, vsque ad vltimum Neronis annum. A.C.1370.

132. Thomas Waldensis, doctrinalis fidei lib. 2. art. 2. cap. 7. Ex Scripturæ locis habes testimonium, quod Petrus Romæ fuerit, quando in epistola sua ipse se commemorat epistolam suam Romæ scripsisse, Ibi: Salutat vos, quæ in Babylone est Ecclesia; id est Roma, secundùm Papiam, & Bedam. A.C.1410.

133. Martinus Quintus, constit. 4. Vrbem nostram Romam princeps Apostolorum Petrus, & in similem sortem vocatus Paulus, fidei Orthodoxæ cardines, alijque victoriosi innumeri Martyres sui sanguinis aspersione inundarunt. A.C.1420.

134. Æneas Syluius, epist. 130. Quis locus electus à Domino nisi Roma? quam Beatorum Petri, & Pauli martyrium consecrauit, &c. A.C.1460.

135. Wernerus Roleuingius in Fasciculo temporum: Audiens Petrus Simonem Magum Romanos deludere, zelo fidei Romam adijt, anno quarto Claudij, &c. A.C.1470.

136. Petrus Apollonius Collatius, in Fastis, in Natalitijs Petri, & Pauli Apostolorum. A. C. 1480.

Quos docuit Paulus, firmant miracula Petri;
Vita duos habuit, mors quoque iuncta duos.
Hi tibi Cæsareos auxerunt Roma triumphos;
His ducibus semper tu caput Orbis eris.
Hostibus hi nullis tibi discutienda dederunt
Mœnia, quæ nunquam deseret alma fides.

137. M. Antonius Sabellicus, Ænneadis 7. lib. 2. Altero Claudij anno Petrus Bar-Iona Christi Apostolus ex Antiochia Italiam petijt, pluribus in Asia Ecclesijs constitutis, &c. Petrus Romam reuersus, Clementem Episcopum consecrauit, tradiditque illi sacram Sedem obtinendam: haud multò post cum Paulo, qui tum Romæ erat, Neronis iussu interfectus est, nec eodem supplicio: Petrus pedibus in sublime elatis crucifigitur, quod supplicij genus sibi optasse ferunt. Est & Paulus eodem die securi subiectus. Hic Hostiensi via est sepultus, Petrus in Vaticano via Aurelia secus hortos Neronis: quibus locis nobilissima est eius nomine procedente tempore Basilica constituta: præfuit Romanæ Ecclesiæ annos quinque, & viginti. A.C.1490.

138. Albertus Cranzius, in Metropoli lib. 2. cap. 1. Petrus primus in terris Christi Vicarius, Cephas dictus inde, sedit Antio-

chiæ annis 7. sed quoniam caput Ecclesiæ congruenter ad caput Imperij erat transferendum, venit Romam anno 2. Claudij, & ibi consedit 25. annis: ad penultimum Neronis, qui Claudio successit sine medio, post Magistrum cruce finiuit, vt & testimonio sanguinis fidem firmaret, & merito passionis thesaurum Ecclesiæ cum cæteris augeret. A. C. 1500.

139. Baptista Mantuanus, lib. 6. Fastorum in Martyrio Petri, & Pauli. A.C.1500.

Multa mari, & terris discrimina passus ad Vrbem
Romuleam mundi Dominam, rerumque potentem
Venit, vbi æterni iaceret primordia Regni.
Tum Magus Æneadas Simon, ipsumque Neronem
Præstigijs ludens sese iactabat iturum
Aerium per iter, volucresque æquare volatu.
Petrus vt è terris sublatum in nubila vidit,
Submissis genibus multa prece numina flexit,
Vt rueret praeceps. Igitur quasi plumbea moles
Cum strigore ruit, fusisque attrita medullis
Ossa solo hæserunt, animam Vulcanus ad Vmbras
Traxit, & in tetri foricis sepeliuit Auerni.

Satis igitur superque per nos probatum credimus, Sanctum Petrum Apostolorum principem Romanam Ecclesiam fundasse, eique præsentia corporali, nedum auctoritate, præfuisse in singularem Pastorem. Quod si tot Summorum Pontificum, Conciliorum, Sanctorum Patrum, atque Doctorum testimonijs neutiquam, Hæretice, aut Incredule, acquiescis: at saltem miraculis crede, quæ per Petrum eumdem Romę perpetrata fuisse Auctores grauissimi, omnique exceptione maiores contestantur. Ibidem enim, & mortuos ad vitæ reuocauit vsuram, surdis auditum restituit, mutis loquelam impertijt, cęcis visum largitus est, ab energumenis immundos spiritus exturbauit, ac plurima Diuinæ assistentiæ signa præsens operatus est, quę vel nolens, sacrorum Scriptorum volumina si fortè reuolueris, incurres. Si verò nec auctoritatibus cedis, vide ne lapidibus durior, noua ab eisdem miracula in te perpetiaris. Illi enim, humano quasi sensu non caruerint, sæpius in obsequium Petri natiuæ duritiei renunciarunt, vt Romanis spectatoribus pietatis studium insinuarent efficaciùs. Extant adhuc ad S. Mariam Nouam in foro Boario parieti affixi silices illi, in quibus Sanctissimi Apostoli Petrus, & Paulus genibus flexi Simonem Magum Capitolinis ab arcibus sublime per aera volantem pręcipitem deiecerunt, ne fidelis populus diabolicorum vectorum astu delusus, magica vi deficeret à Christo. Tunc, inquam, ijdem silices beatis genibus mirandum in modum molliti vestigia miranda susceperunt, quæ hactenus ibidem visuntur, ferreis cratibus ob reuerentiam inclusa. Qua de re elegantissimè, vt solet, Arnobius ait: Viderunt (Romani) cursum Simonis Magi, & quadrigas igneas Petri ore diffractas, & nominato Christo euanuisse. Viderunt, inquam, fidentem Dijs falsis, & ab ijsdem metuentibus proditum pondere pręcipitatum suo, & cruribus iacuisse perfractis. (Prior enim ascendit ad Dominum (S. Maximi verba sunt) oratio, quàm volatus; & ante peruenit iusta petitio, quàm iniqua præsumptio: ante Petrus in terris positus obtinuit, quod petebat, quàm Simon perueniret in cęlestibus, quo tendebat. Tunc igitur Petrus velut vinctum illum de sublimi aere deposuit, & quodam præcipitio in saxo elidens eius crura confregit: & hoc in opprobrio facti illius, vt qui paulò ante volare tentauerat, ambulare non posset; & qui pennas assumpserat, plantas amitteret.) Hæc S. Maximus.

Interea, dum ista legis, nonne silicum voces obaudire videris, tuam tibi obstinatam incredulitatem exprobrantium? Sed audi adhuc ad illas è Mamertino carcere, tanquam è caua specu lapidum Tiburtinorum, echonis instar, resultantiam, dum enim miraculosam lympham adhuc scaturire non desinunt, vtique quo possunt eiulatu proclamant, vel mirentur potiùs durissimam quondam Petri, Paulique detentionem, quàm lethalis sententia terminauit. Quo tempore enim Petrus, & Paulus sub custodia Mamertini in monte Tarpeio tenebantur, duo Custodes Processus, & Martinianus cum alijs quadraginta Apostolorum prędicatione, miraculisq; commoti se ad Iesu Christi fidem conuerterunt; & cum repentè fons è saxo ortus esset, baptizati sunt, Vt habes in Breuiario Romano die 2. mensis Iulij. Ad cuius miraculi perennitatem spectat non solùm continuus ad hunc, vsque diem eiusdem aquæ defluxus, (lapides autem sunt nequaquam scopuli viui, opere cementario in camerato pauimento strati, & complanati) sed etiam ad varia morborum genera salubris vsus, vt inibi appensæ demonstrant votiuæ fidelium Tabellæ.

Hi verò nil tibi sufficiunt ad astruendam pro Romano Petri incolatu firmam fidem, tot adhuc suppetunt lapides venerandi, vt vel incredulo obruendo satis forent. Egredere ergo Vrbis portam, quæ ex Latio, quò ducit, Latina nuncupatur, & Sacellum ingressus, quod viæ crepidini ad sinistram imminet, tum ex titulo, tum ex pictura, tum ex inscriptione marmorea, tum denique ex Christi pedum vestigijs marmori mirum in modum impressis, historiam alioqui vulgatam inibi euenisse cognosces, vnde Petri præsentia Romam quoque honestatam fatearis. Cum enim prędicti carceris custodes Processus, & Martinianus post susceptam, vt supra, baptismi gratiam, Apostolorum Principi, vt fuga salutem quæreret, magnis precibus suasissent: ille prope Portam Appiam Christum Dominum obuiam habuit, quem protinus agnoscens sic interrogauit: Domine quo vadis? Cui respondens: Romam iterum crucifigi: interna suggestione Petrum monuit, instare iam tempus, quo pro commissi Gregis salute animam poneret. Quare Petrus Vrbem repetens, Neronis milites incurrit, à quibus iterum in carcerem detrusus, non multò post, & Cruci affixus fuit. Interea ad æternam facti memoriam marmor idem, vbi tum Christus hæsit, eiusdem vestigia sacrosancta Diuinitus insculpta seruauit, quæ fidelium hactenus venerationi, ædicula substructa, posteritas consignauit.

Certè

Certè cùm Iacob dinina visione cælitùs dignabatur, statim lapidem erigebat in titulum, vt Veteris Testamenti paginæ nos docent, ne quispiam scilicet lapideis testimonijs fidem abrogare præsumeret. Ergo non sine nnminis prouidentia contigisse dicendum est; vt Neoterici Romanæ gloriæ fraudatores in tot lapides titulatores impingerent, dum Petrum negant in Vrbe deguisse, sacris lapidibus apertè reclamantibus. De tribus iam diximus, si quartum desiderant, adeant Ecclesiam SS. Siluestri, & Dorotheæ propè Portam Septimianam, vbi religiosissimè asseruatur adhuc Marmor illud, vbi Angelorum vestigia impressa remanserunt, qui Petri eiusdem Martyrio leguntur adstitisse; cuius rei gratia, veteres christiani in eodem Aurei Montis, siuè Ianiculi Collis loco, vbi is crucifixus fuit, Oratorium construxerunt, quo temporis iniuria diruto, Iulianus Dathus Sancti Leonis in Calabria Episcopus, in prędictam sanctorum Syluestri, & Dorotheæ Ecclesiam, cuius tunc Rector erat, vestigiatum lapidem transtulit, apposita inscriptione hac: Lapis hic, super quo visi sunt Angeli stantes in Martyrio B. Petri, de ruinis sancti Angeli in Ianiculo erutus à Iuliano de Dathis loci huius Antistite pietati vestrę expositus Anno Iubilei 1050.

Sed cur famosas Columnas prætereo, quæ S. Mariæ, Transpontinæ nuncupatæ, Ecclesiam illustrant, ac celeberrimam reddunt? Binas illas Columnas dico, ad quas alligati sanctissimi Apostoli Petrus, & Paulus iam iam morituri (damnatos enim antequam morte plecterent, fustibus cædere consueuerunt antiqui) acriter flagellati sunt, vt ibidem expresfsè legitur, præter Auctores, quos superfluum est hic recensere.

Sint igitur lapideæ istæ Columnæ nostrarum probationum terminus supremus, ac velut Abyla, & Calpe, altera incredulitatis meta apud infidos. Si enim totidem ex inscriptis lapidibus in Criticos humaniores auctoritates protulissemus, vtique aduersa obstruxissemus ora; quandoquidem duorum, vel trium testimonium verum est. At qui non capiunt ex sacris monumentis literata saxa penè vocalia, vtiliùs profectò experirentur volantia, sed ex valida funda circumtempora.

Sed iam ex insensatis lapidibus, quos hæreticis credendos adduximus, ad Sanctissimos, Summosque Pontifices, sacraque Concilia, sacrosque Patres, & Doctores, testes, inquam exceptione maiores, deueniamus: vt Hæretici ipsi, Schismatici, & à catholica Petri Sede deuij, resipiscant ab errore, & veritatem, salutis propriæ trophæum, nanciscantur. Aio igitur.

Denique Petrum Apostolorum principem à Deo Nostro IesuChristo Pastorem creatum Ecclesiæ suæ vniuersalis, extitisse Romę, Romanam fundasse Ecclesiam, gubernasse, sanguine suo consecrasse. Successores eius in eadem Sede Apostolica Pontifices Maximi, numero quadraginta supra ducentos, adhuc apertè demonstrare possunt: Et ipsi quidem omnes, & eorum quilibet singularem in eadem Ecclesia dignitatis Primatum exercentes, proculdubio suum imitati sunt Pontificem primarium, Petrum nempè Christi Vicarium. Propterea cùm isti successores Petri, & non Pauli dicantur, consequens fit, vt idem Paulus nequaquam fuerit Petri socius in Pontificatu, neque sederit cum eodem Petro in vna cathedra, & in vno Throno, qua de causa Petri successores dici possent etiam Pauli: quòd tamen veritati omninò repugnare sole clarius est.

CAPVT VIII.

Ecce adhuc tertiò de eodem sancto Petro Apostolorum Principe, eiusque successoribus Pontificibus in vna Sede Apostolica, Catholica, Romana sedentibus Primatu, contestationes ipsorummet Pontificum, Conciliorum, Patrum, & Doctorum, sanctitate, auctoritate, & doctrina venerabilium.

1. SAnctus Ignatius, S. Ioannis Apost. & Euang. discipulus, Antiochenus Episcopus. In scriptione Epist. ad Romanos: Iguatius Ecclesiæ sanctificatæ, *itis procathitai en topo chorioy Romaium*, idest, quæ præsidet in loco regionis Romanorum. A. C. 100.

2. Sanctus Polycarpus: Hieronymus de Viris Illustr. in Polycarpo: Hic propter quasdam super die Paschæ Quæstiones, sub Imper. Antonino Pio, Ecclesiam in Vrbe regente Aniceto, Romam venit. A. C. 150.

3. Sanctus Dionysius Corynthicus, Epistola ad Soterem Papam Romanum: In hoc sacro die Dominico vestram Epistolam legimus, sicut etiam priorem nobis à Clemente missam ad nostram institutionem legere solemus.

4. Sanctus Irenæus lib. 3. cap. 3. Sed quoniam valde longum est, in hoc tali volumine omnium ecclesiarum enumerare successiones, maximæ, & antiquissimæ, & omnibus cognitę à gloriosissimis duobus Apostolis Petro, & Paulo Romæ fundatæ, & constitutæ Ecclesię, eam, quam habet ab Apostolis traditionem, & annunciatam hominibus fidem, per successiones Episcoporum peruenientem, vsque ad nos indicantes, confundimus omnes eos, qui quoquo modo, vel per sui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem, & malam sententiam, præterquam oportet, colligunt. Ad hanc enim Ecclesiam, propter potentiorem principalitatem, necesse est omnem conuenire Ecclesiam, hoc est, eos, qui sunt vndique fideles, in qua semper ab his, qui sunt vndique, conseruata est ea, quæ est ab Apostolis traditio.

5. Tertullianus de præscriptionibus aduersùs hæreticos cap. 36. Si Italiæ adiaces, habet Romam, vndè nobis quoque auctoritas præstò est: Statu felix Ecclesia, cui totam doctrinam Apostoli cùm sanguine suo profuderunt: vbi Petrus passioni Dominicæ adæquatur: vbi Paulus Ioannis exitu coronatur: vbi Apostolus Ioannes, posteaquam in igneum oleum demersus, nihil mali passus est, in insulam relegatur. A. C. 200.

Idem, Libro de pudicitia, quem edidit iam hæreticus, scribens aduersùs Romanum Pontificem, qui mæchos, & adulteros post pœnitentiam absoluebat, cap. 1. Audio esse edictum propositum, & quidem perempto-

rium : Pontifex ſcilicet maximus, Epiſcopus Epiſcoporum dicit : Ego & mæchiæ, & fornicationis delicta pęnitentia functis dimitto.

6. Origenes, Euſebius lib. 6. cap. 12. Origenes Adamantius, Zephyrino iiſdem temporibus Romanam Eccleſiam gubernante, ſcribit ſe propterea Romam iter ſuſcepiſſe, quòd ſibi admodum erat in optatis Eccleſiam Romanam planè antiquiſſimam viſere. A.C. 230.

Cùm Origenes in varios errores incidiſſet, ob eamque rem ſciret ſe debere Romano Pontifici ſuæ fidei rationem reddere, ad Fabianum Romanæ Vrbis Epiſcopum ſcribit, inque ea Epiſtola (teſte Hieronymo ad Pammachium,& Oceanum de erroribus Origenis) pęnitentiam agit, cur talia ſcripſerit, & cauſam temeritatis in Ambroſium (non Mediolanenſem illum) refert, quod ſecretò edita in publicum protulerit. Hinc perſpicitur, quanta olim ratio tam Romanæ Eccleſiæ, quàm Pontificis etiam in Græcia habita fuerit; vtpotè apud quem etiam doctiſſimi Viri pęnitentiam per epiſtolam agebant :

7. Cyprianus, Epiſtola 52. Nam quod Cornelium Papam chariſſimum noſtrum Deo, & Chriſto, & Eccleſiæ eius, item conſacerdotibus cunctis laudabili prædicatione commendat; non iſte ad Epiſcopatum ſubitò peruenit, ſed per omnia Eccleſiaſtica officia promotus, & in diuinis adminiſtrationibus Dominum ſæpe promeritus, ad Sacerdotij ſublime faſtigium cunctis religionis gradibus aſcendit. Tùm deindè Epiſcopatum ipſum, nec poſtulauit, nec voluit, nec vt ceteri, quos arrogantiæ, & ſuperbiæ ſuæ tumor inflat, inuaſit : ſed quietus, & modeſtus, & quales eſſe conſueuerunt, qui ad hunc locum diuinitus eliguntur, pro pudore virginalis conſcientiæ ſuæ, & pro humilitate ingenitæ, ſibi, & cuſtoditæ verecundiæ, non vt quidam, vim fecit, vt Epiſcopus fieret : ſed ipſe vim paſſus eſt, vt Epiſcopatum coactus exciperet. Et factus eſt Epiſcopus à plurimis collegis noſtris, qui tunc in Vrbe Roma aderant, qui ad nos literas honorificas, & laudabiles, & teſtimonio ſuæ prædicationis illuſtres, de eius ordinatione miſerunt. Factus eſt autem Cornelius Epiſcopus de Dei, & Chriſti eius iudicio, de clericorum penè omnium teſtimonio, de plebis, quæ tunc adfuit, ſuffragio, & de ſacerdotum antiquorum, & bonorum virorum Collegio : cùm nemo ante ſe factus eſſet, cùm Fabiani locus, ideſt, cùm locus Petri, & gradus Cathedræ Sacerdotalis vacaret, quo occupato de Dei voluntate, atque omnium noſtrum conſenſione firmato, quiſquis iam Epiſcopus fieri voluerit, foris fiat neceſſe eſt, nec habeat Eccleſiaſticam ordinationem, qui Eccleſiæ non tenet vnitatem, &c. Et cum poſt primum ſecundus eſſe non poſſit, quiſquis poſt vnum, qui ſolus eſſe debeat, factus eſt, non iam ſecundus ille: ſed nullus eſt. Tùm deindè poſt Epiſcopatum non exambitum, nec extortum, ſed de Dei, qui ſacerdotes facit, voluntate ſuſceptum, quanta in ipſo ſuſcepto Epiſcopatu ſuo virtus? quantum robur animi? qualis firmitas fidei? quòd nos ſimplici corde, & perſpicere penitus, & laudare debemus : ſediſſe intrepidum Romæ in ſacerdotali cathedra, eo tempore, cùm tyrannus infeſtus ſacerdotibus Dei fanda, atque infanda comminaretur, cùm multò patientiùs, & tolerabiliùs audiret laudari aduersùs ſe æmulum principem, quàm conſtitui Romæ æmulum ſacerdotem,

Idem, Epiſt. 55. Poſt iſta adhuc inſuper Pſeudo Epiſcopi, ſibi ab hæreticis conſtituto nauigare audent, & ad Petri cathedram, atque ad Eccleſiam principalem, vndè vnitas ſacerdotalis exorta eſt, à ſchiſmaticis, & profanis literas ferre, nec cogitare eos eſſe Romanos (quorum fides, Apoſtolo prædicante, laudata eſt) ad quos perfidia non poſſit habere acceſſum.

Idem, Epiſt. 45. Nos ſingulis nauigantibus, ne cum ſcandalo vllo nauigarent, rationem reddentes, ſcimus nos hortatos eſſe, vt Eccleſiæ catholicæ radicem, & matricem agnoſcerent, & tenerent.

Idem, Epiſt. 67. ad Stephanum Papam : Martianus Arelate conſiſtens Nouatiano ſe coniunxit, & à catholicæ Eccleſiæ vnitate, atque à corporis noſtri, & ſacerdotij conſenſione diſceſſit, tenens hæreticæ præſumptionis duriſſimam prauitatem, vt ſeruis Dei pęnitentiùs, & dolentiùs, & ad Eccleſiam lacrymis, & gemitu, & dolore pulſantibus, Diuinæ pietatis, & lenitatis paternæ ſolatia, & ſubſidia claudantur., &c. Quapropter facere te oportet pleniſſimas literas ad Coepiſcopos noſtros in Gallia conſtitutos, ne vltra Martianum peruicacem, & ſuperbum, & diuinæ pietatis, ac fraternæ ſalutis inimicum, collegio noſtro inſultare patiantur, quod necdum videtur à nobis abſtentus, qui iam pridem iactat, & prædicat, quòd Nouatiano ſtudens, & eius peruicaciam ſequens, à communione ſe noſtra ſegregauerit, &c. Dirigantur in Prouinciam, & ad plebem Arelate conſiſtentem à te literæ, quibus abſtento Martiano, alius in locum eius ſubſtituatur, & grex Chriſti, qui in hodiernum ab illo diſſipatus, & vulneratus contemnitur, colligatur &c. Martianus ſententiam non dicat, ſed accipiat; nec ſic agat quaſi ipſe iudicauerit de collegio ſacerdotum, quando ipſe ſit ab vniuerſis ſacerdotibus iudicatus, obſeruãdus eſt enim anteceſſorum noſtrorum beatorum Martyrum Cornelij, & Lucij honor glorioſus, quorum memoriam cùm nos honoremus, multò magis tu, Frater chariſſime honorificare, & ſeruare grauitate, & auctoritate tua debes, qui Vicarius, & ſucceſſor eorum factus es.

8. Synodus Romana ſub Sylueſtro. Cap. 20. Nemo iudicabit primam Sedem, quoniam omnis Sedes à prima Sede iuſtitiam deſiderant temperari. Neque ab Auguſto, neque ab omni Clero, neque à Regibus, neque à populo iudex iudicabitur. Et ſubſcripſerunt Epiſcopi 284. & 35. Presbyteri, & 5. Diacones, & duo Sequentes (ideſt Acolyti) & Auguſtus Conſtantinus, & mater eius Helena. Et fixit Canonem hunc Sylueſter Epiſcopus in Vrbe Roma, & omnibus Epiſcopis aſperſit. A.C. 320.

9. Euſebius Cęſarienſis, Eccleſiaſticæ hiſtor. lib. 7. cap. 24. Cùm Paulus Samoſatenus in Concilio Antiocheno de Epiſcopatu deiectus, ex Epiſcopi domo, quæ illius Eccle-

ſiæ

ſiæ, propria erat, exire uollet, Imperator Aurelianus rogatus ſententiam, ſanctiſſimè quid eſſet agendum decreuit. Præcepit enim; vt domus Eccleſiæ illis tribueretur, quibus Chriſtiani Italiæ, & Vrbis Romæ Epiſcopi per literas tribuendum præſcriberent. 320.

10. Concilium Nicænum primum. In Canonibus collectis ex epiſt. Iulij Papæ, Canone 5. Non debent præter ſententiam Romani Pontificis Concilia celebrari. A.C. 325.

Idem, Can. 2. vt omnes Epiſcopi, qui in quibuſdam grauioribus pulſantur, vel criminantur cauſis, quoties neceſſe fuerit liberè Apoſtolicam appellent Sedem, atque ad eam quaſi ad matrem confugiant: vt ab ea, ſicut ſemper fuit, piè fulciantur, defendantur, & liberentur: cuius diſpoſitioni omnes maiores Eccleſiaſticas cauſas, & Epiſcoporum iudicia antiqua Apoſtolorum, eorumue ſucceſſorum, Canonum auctoritas reſeruauit: quoniam culpantur Epiſcopi, qui aliter erga fratres egerint, quàm eiuſdem Sedis Papæ fieri placuit.

Idem in canonibus ex Arabico translatis Can. 39. Conſideret Patriarcha ea, quę Archiepiſcopi, & Epiſcopi in Prouincijs ſuis faciunt: & ſi quid reperiat ſecus quàm oporteat factum, mutet, & diſponat, prout ſibi videbitur. Siquidem, ipſe eſt Pater omnium, & illi filij eius. Et quamuis ſit Archiepiſcopus inter Epiſcopos, tanquàm frater maior, qui curam habet fratrum ſuorum, & ei debent obedientiã quia præeſt: eſt tamen Patriarcha ijs omnibus, qui ſub poteſtate eius ſunt, ſicut ille, qui tenet Sedem Romæ, caput, & princeps eſt omnium Patriarcharum. Quandoquidem ipſe eſt primus, ſicut Petrus, cui data eſt poteſtas in omnes Principes Chriſtianos, & omnes populos eorum, vt qui ſit Vicarius Chriſti Domini noſtri ſuper cunctos populos, & vniuerſam Eccleſiam Chriſtianam. Et quicumque contradixerit, à Synodo excommunicatur.

11. Athanaſius apologia 2. contra Arianos: Vt olim Phariſæi ſummoti, reiectique à iudicanda cauſa D. Pauli, & ſuam, & cæterorum Iudæorum contra ipſum coniurationem perfecerunt: vtque B. Dauidem præter meritum perſecutionibus agitari voce ipſius perſecutoris innotuit, ita peccatum ſuum confitentis: Peccaui, inquiens, fili mi Dauid ita quoque nunc Ariani victi à veritate, veniam ſcriptis literis à Iulio Romano Pontifice popoſcerunt, & ad nos pro pace epiſtolas miſere. A.C. 340.

Idem, epiſtola ad Marcum Papam: Domino ſancto, & Apoſtolici culminis venerando Marco Sanctæ Romanæ, & Apoſtolicæ Sedis, atque vniuerſalis Eccleſiæ Papæ, Athanaſius, & vniuerſi Ægyptiorum Epiſcopi ſalutem &c. Optamus, vt à veſtræ ſanctæ Sedis Eccleſiæ auctoritate, quæ eſt mater, & caput omnium Eccleſiarum, ea ad correptionem, & recreationem fidelium Orthodoxorum percipere per præſentes legatos mereamur. Verè nouimus Apoſtolatus veſtri cor gratia ſancti Spiritus in tantum eſſe accenſum, vt omnibus oppreſſis ſuccurratis, quantò magis nobis, qui licèt exigui ordinis, tamen veſtri ſumus, vobiſque obedientes cum omnibus nobis commiſſis, eſſe ſemper volumus. A.C. 340.

Idem Athanaſius, & vniuerſi Ægyptiorũ, Thebaidorum, & Libyorum Epiſcopi epiſtola ad Felicem 2. Papam: Ideo Pater Beatiſſime, quia ſemper anteceſſores noſtri, & nos, à veſtra Apoſtolica Sede auxilium hauſimus, & noſtri vos curam habere agnouimus, præfatam Apoſtolicam, & ſummam expetimus, iuxta Canonum decreta Sedem, vt inde auxilium capiamus, vnde prædeceſſores noſtri ordinationes, & dogmata, atque ſubleuationes ceperunt: ad eam quoque quaſi ad matrem recurrimus, vt eius vberibus nutriamur: quoniam non poteſt mater obliuiſci infantem ſuum, ſic & vos nolite oliuiſci nos vobis commiſſos: Quoniam non leuibus nos inimici noſtri implicauerunt afflictionibus, & quotidie facere moliuntur, & apprehendere, aut ferro nos cõſtringi minantur, niſi eorum conſentiamus erroribus: quod nequaquam, vobis inconſultis, agere præſumimus: Canonibus quippe iubentibus, abſque Romano nos de maioribus cauſis nihil debere decernere Pontifice. Ideoque ad propoſitum recurrentes, & ad brauium properantes; veſtræ Apoſtolicæ Sedis imploramus auxilium.

12. Conſtantinus Cæſar, epiſtola ad ſolitariam vitam agentes: Epiſcopus Romanus Iulius Synodum iuſſit fieri vbicumque vellemus, vt tutò, & crimina obijcerent aduerſarij, & inuicem ſibi obiecta refutarent. Id enim eorum legati cum ſcilicet vinci animaduerterent, poſtularunt. Athanaſius ea re cognita, prinſquam iſta fierent Romam profectus eſt, non ignarus hæretici furoris: Iulius verò presbyteros ſuos Elpidium, & Philoxenem cum literis ad Euſebianos miſit, certum diem definiens, vt aut præſentes ſe ſiſterent: aut cognoſcerent ſe omnibus modis ſuſpectos haberi. Cæterùm Euſebiani, vbi ſemel audiſſent Eccleſiaſticum conſeſſum fore, vbi nec Comes aſſuturus eſſet, neque ſatellites pro foribus excubarent, nec ex Cæſaris præſcriptis omnia fierent, quibus rationibus, & non alijs Epiſcopis vicerant, imò, qui ſine hoc præſidio ne loqui quidem auderent, ita inhoruerunt, & metu contracti ſunt, vt presbyteros detinerent vltra diem condictam, cauſificationem interim turpem fingentes, ob bella Perſarum venire non poſſe. Sed ea in re nihil veri. Quid enim negotij Epiſcopis cum bello? aut quid obſtaculi illis à Perſis oriebatur, quò minùs Romam; quamuis longinquam, & tranſmarinam Vrbem proficiſcerentur? &c. Vrſacius, & Valens Romam vltro profecti ſunt, & in Eccleſia, vbi nullius, niſi Dei metus, & vbi liberam quiſque ſententiam proferebat. ſponte pænitentiam ſuam profeſſi ſunt, & ſcripto ediderunt, &c. Ne Liberio quidem Romano Epiſcopo pepercerunt; nulla reuerentia ducti, vel quod Sedes illa Apoſtolica eſſet, vel quod Roma Metropolis eſſet Romanæ ditionis, vel quod eos Apoſtolicos viros in ſuis literis appellaſſent: ſed omnia ſimul miſcentes æquè omnium obliuiſcebantur. nec quicquam illis curæ, niſi ſola impietas fuit. Nam cùm Liberium vidiſſent orthodoxum, & oſorem quidem Arianæ ſectæ, ſtudioſum verò in hoc, vt cunctos ab ea hæreſi retraheret, iſta ſecum impij cogitarunt: Si Liberium in noſtram ſententiam traxerimus, omnes breui ſuperabimus. A.C. 350.

Epi-

13. Episcopi Ægyptij epist. ad Felicem II. Papã. Scimus in Nicæna Magna Synodo 318. Episcoporum ab omnibus concorditer esse roboratum, non debere absque Romani Pontificis sententia Concilia celebrari, nec Episcopos damnari, licèt hæc & alia quàm plurima necessaria ab hæreticis, qui nos quotidie infestant, & perdere nituntur, vt faciliùs nos capere possint, sint Synodica Capitula incensa, nobisque sublata, &c. Similiter, & à prædictis Patribus Nicænis, est definitum consonanter, vt si quisquam Episcoporum, aut Metropolitanorum comprouinciales, vel iudices suspectos habuerit, vestram Sanctam Romanam interpellet Sedem, cui ab ipso Domino potestas ligandi, & soluendi speciali est priuilegio super alios concessa. A.C. 350.

14. Concilium Sardicense cap. 4. Osius Episcopus dixit: Quod si aliquis Episcopus adiudicatus fuerit in aliqua causa, & putat se bonam causam habere, vt iterum iudicium renouetur, si vobis placet, S. Petri Apostoli memoriam honoremus, vt scribatur, vel ab his, qui examinauerunt, vel etiam ab alijs Episcopis, qui in propinquo morantur, Romano Episcopo. Et si iudicauerit renouandum esse iudicium, renouetur, & det iudices; Si autem probauerit talem causam, vt ea non refricentur, quæ acta sunt, quæ decreuerit Romanus Episcopus: confirmata erunt. Si ergo omnibus placet, statuatur. Synodus respondit. Placet. A.C.353.

Idem cap.7. Osius Episcopus dixit: Placuit autem, vt si Episcopus accusatus fuerit, & iudicauerint congregati Episcopi regionis ipsius, & de gradu suo eum deiecerint, si appellauerit, qui deiectus est, & confugerit ad Episcopum Romanæ Ecclesiæ, & voluerit se audiri, si iustum putauerit, vt renouetur iudicium, vel discussionis examen, scribere his Episcopis dignetur, qui in finitima, & propinqua Prouincia sunt, vt ipsi diligenter omninò requirant, & iuxta fidem veritatis definiant. Quod si is, qui rogat causam suam iterum audiri, deprecatione sua mouerit Episcopum Romanum, vt è latere suo presbyterũ mittat, erit in potestate Episcopi, quid velit, & quid æstimet. Et si decreuerit mittendos esse, qui præsentes cum Episcopis iudicent, habentes eius auctoritatem, à quo destinati sunt erit in suo arbitrio: Si verò crediderit Episcopos sufficere, vt negotio terminum imponant faciet, quod sapientissimo consilio suo iudicauerit.

15. Basilius Magnus epist.52. ad Athanasium: Visum autem est mihi consentaneum, vt scribatur Episcopo Romæ, vt quæ hic geruntur consideret, detque consilium: & quoniam difficile est, vt communi ac synodico decreto aliqui illinc mittantur, ipse sua auctoritate in ista causa vsus viros eligat, ad ferendas quidem itineris molestias idoneos, verùm iuxta ad hoc quoque accommodos, vt mansuetudine ac facilitate ingenij eos, qui distorti, & obliqui apud nos sunt, corrigant, aptè ac dispensatoriè sermonem attemperantes, omniaque secum habentes, quæ in Arimino ad necessariam solutionem gestorum illic facta sunt Et hoc nemine sciente absque strepitu tacitè per mare ad eos, qui hic sunt, vadant, ne qui pacis sunt inimici aduentum ipsorum præsentiant. Ann. Christi 370.

Idem epistola data Sabino Diacono ad Pontificem Romanum: Reuera dignum est illa excellentissima voce, qua te beatum prædicauit, quod pietati tuæ donatum à Domino est, scilicet, vt quod adulterinum est, à legitimo, & puro discernas, ac fidem Patrum sine subtractione vlla prædices. Ann. Christi 370.

16. Ambrosius oratione funebri de excessu fratris sui Satyri: Aduocauit ad se Satyrum Episcopum, nec vllam veram putauit, nisi veræ fidei gratiam, percontatusque est ex eo vtrùmnam cum Episcopis Catholicis, hoc est cum Romana Ecclesia conueniret? A.C. 370.

Idem, ad cap.3. prioris ad Timotheum: Ecclesia est Domus Dei, cuius hodie rector est Damasus.

Idem epist.78. ad Theophilum Alexandrinum: Sanè referendum arbitramur ad reuerendum fratrem nostrum Romanæ sacerdotem Ecclesiæ: quoniam præsumimus ea te iudicaturum, quæ etiam illi displicere nequeant, &c. Vt nos quoque, cùm id gestum esse cognouimus, quod Ecclesia Romana haud dubiè comprobauerit, læti huiusmodi fructum examinis adipiscamur.

Idem epist.81. ad Syricium: Recognouimus literis sanctitatis tuæ boni Pastoris excubias, qui fideliter commissam tibi ianuam serues, & pia sollicitudine Christi ouile custodias, dignus, quem oues Domini audiant, & sequantur. Et ideò quia nosti ouiculas Christi, lupos facilè deprehendes, & occurres quasi prouidus pastor, ne isti morsibus perfidiæ suæ, feralique vlulatu Dominicum ouile dispergant.

17. Optatus Mileuitanus, lib. 2. aduers. Parmenianum: Negare non potes, scire te in Vrbe Roma Petro primò Cathedram Episcopalem esse collatam, in qua sederit omnium Apostolorum caput Petrus, vnde & Cephas appellatus est: in qua vna Cathedra vnitas ab omnibus seruaretur, ne cæteri Apostoli singulas sibi quisque defenderent, vt iam schismaticus & peccator esset, qui contra singularem Cathedram alteram collocaret. Ergo Cathedra vnica, quæ est prima de dotibus, sedit prior Petrus, cui successit Linus &c. Iulio successit Liberius, Liberio Damasus, Damaso Syricius hodie, qui noster est socius, cum quo nobis totus orbis commercio formatarum in vna communionis societate concordat. A.C.370.

18. Prudentius de sancto Hippolyto: Ann. Christi. 380.

Respondit: fugite ô miseri execranda Nouati
Schismata, Catholicis reddite vos populis.
Vna Sedes vigeat, prisco quæ condita sæclo est,
Quam Paulus retinet, quamque Cathedra Petri.

19. Stephanus, Mauritaniæ in Africa Episcopus, epistola ad Damasum: Beatissimo Domino, & Apostolico culmine sublimato, sancto Patri Patrum Damaso Papæ, & summo omnium Præsulum Pontifici. Notum ve-

vestræ facimus Beatitudini, quod quidam fratres in confinio nobis positi, quosdam fratres nostros venerabiles, videlicet Episcopos, vobis inconsultis, à proprio deijciunt gradu, vel deijcere moliuntur, cùm vestræ Sedi Episcoporum iudicia, & summorum finem ecclesiasticorum negotiorum, in honore beatissimi Petri, Patrum decreta omnium cunctam reseruauere sententiam, inquirendi reuerentia de Dei rebus, quas omni cura, & sollicitudine obseruare debemus. Maximè verò instè debent ab ipso præsulum examinari vertice Apostolico, cuius vetusta sollicitudo est, tam mala damnare, quàm reuelare laudanda. Antiquis enim regulis sancitum est, vt quicquid horum quamuis in remotis, vel in longinquo positis ageretur Prouincijs, non prius tractandum, vel accipiendum sit, nisi ad notitiam almæ Sedis vestræ fuerit deductum, vt eius auctoritate, iuxtà quod fuisset pronunciatum firmaretur, & reliqua multoties talia, & his similia, quæ super his constituta sunt: quibus si illicitè factum est, vt semper vestræ Sedis consuetudo fuit, festinanter occurrite, & pro his viriliter, vt pater pro filijs certantes, stare. A.C.380.

20. Hieronymus epist. 57. ad Damasum Papam: Quoniam vetusto Oriens inter se populorum furore collisus indiscissam Domini tunicam, & desuper contextam, minutatim per frusta discerpit: & Christi vineam exterminant vulpes: vt inter lacus contritos, qui aquam non habent, difficilè vbi fons signatus, & hortus ille conclusus sit, possit intelligi: ideò mihi Cathedram Petri, & fidem Apostolico ore laudatam censui consulendam, inde nunc meæ animæ postulans cibum, vnde olim Christi vestimenta suscepi. Neque verò tanta vastitas elementi liquentis, & interiacens longitudo terrarum me à pretiosæ margaritæ potuit inquisitione prohibere. Vbicumque fuerit corpus, illuc congregabantur & aquilæ. Profligato à sobole mala patrimonio, apud vos solos incorrupta Patrum seruatur hæreditas: Ibi cespite terra fœcundo, Dominici seminis puritatem centeno fructu refert: hic obruta sulcis frumenta in lolium, auenasque degenerant. Nunc in Occidente Sol iustitiæ oritur: in Oriente autem lucifer ille, qui ceciderat, supra sydera posuit thronum suum. Vos estis lux mundi, vos sal terræ, vos aurea vasa, & argentea: hic testacea vasa, vel lignea, virgam ferream, & æternum operiuntur incendium. Quamquam igitur tui me terreat magnitudo, inuitat tamen humanitas. A sacerdote victimam salutis, à pastore præsidium ouis efflagito. Facessat inuidia: Romani culminis, recedat ambitio: cum successore Piscatoris, & discipulo Crucis loquor. Ego nullum primum, nisi Christum sequens, Beatitudini tuæ, idest, Cathedræ Petri communione consocior: super illam petram ædificatam Ecclesiam scio. Quicumque extra hanc domum agnum comederit, profanus est. Si quis in Arca Noe non fuerit, peribit regnante diluuio. Et quia pro meis facinoribus, ad eam solitudinem commigraui, quæ Syriam iuncto Barbariæ fine disterminat; nec possum sanctum Domini, tot interiacentibus spatijs à sanctimonia tua semper expetere, ideò hic collegas tuos Ægyptios confessores sequor, & sub onerarijs nauibus parua nauicula delitesco. Non noui Vitalem, Meletium respuo, ignoro Paulinum. Quicumque tecum non colligit, spargit: hoc est, qui Christi non est, Antichristi est. Ann. Christi 380.

Idem, epist. 8. ad Demetriadem cap. 9. Dum esses paruula, & sanctæ, ac beatæ memoriæ Anastasius Episcopus Romanam Ecclesiam regeret, de Orientis partibus hæreticorum sæua tempestas simplicitatem fidei, quæ Apostoli voce laudata est, polluere, & labefactare conata est. Sed vir ditissimæ paupertatis, & Apostolicæ sollicitudinis, statim noxium percussit caput, & sibilantia hydræ ora compescuit. Et quia vereor, immo rumore cognoui, in quibusdam adhuc viuere, & pullulare venenata plantaria, illud te pio charitatis affectu præmonendum puto, vt sancti Innocentij, qui Apostolicæ Cathedræ, & supradicti viri successor & filius est, teneas fidem: nec peregrinam, quamuis tibi prudens, callidaque videaris, doctrinam recipias.

Idem, epist. 16. ad Principiam capit. 6. Denique cùm me Romam, cum sanctis Pontificibus Paulino, & Epiphanio, ecclesiastica traxisset necessitas, quorum alter Antiochenam Syriæ, alter Salaminiam Cypri texit Ecclesiam, &c.

Idem, aduersùs Ruffinum lib. 3. cap. 5. Confessionem tuam ab omnibus Italiæ Episcopis asseris esse susceptam. Crederem dicenti, nisi me dubitare de te iste liber, non Pamphili faceret. Et tamen miror quomodo probauerit Italia, quod Roma contempsit: Episcopi susceperint, quod Sedes Apostolica condemnauit. Si Papæ Theophili sententijs delectaris, & nefas putas Pontificum decreta conuelli, quid de cæteris dicis, quos ipse damnauit? Quid de Papa Anastasio, de quo nulli, vt ais, verum videtur, vt tantæ Vrbis Romæ sacerdos, vel innocenti tibi iniuriam facere potuerit, vel absenti?

Idem, cap. 6. Non leue est, quod tibi impingit tantæ Vrbis Romæ Pontifex, vel ab alio obiectum temerè suscepit Syricij, iam in Domino dormientis, profers epistolam, & viuentis Anastasij dicta contemnis. Quid enim tibi, vt ais, officere potest, quod te ignorante, aut scripsit, aut fortè non scripsit? Et si scripsit, sufficit tibi totius Orbis testimonium: quod nulli verum videtur, vt tantæ Vrbis Romæ Sacerdos, vel innocenti iniuriam facere potuerit, vel absenti. Innocentem te vocas; ad eius interpretationem Roma contremuit: absentem, qui accusatus respondere non audes, & tantum Romanæ Vrbis iudicium fugis, vt magis obsidionem barbaricam, quàm pacatæ Vrbis velis sententiam sustinere.

21. Gregorius Nazianzenus, orat. 35. quæ est oratio in laudem Heronis Alexandrini in exilium missi: Nam pro cadaueribus cruentas vestes Ecclesiæ Romanæ protulit, Petrus Alexandrinus Episcopus, ac per taciteam accusationem omnibus lacrymis mouit, vt calamitatis magnitudinem in oculis, & aspectu defigeret, atque auxilium nanciscetur: quemadmodum etiam nactum esse scimus. Fit enim ferè, vt qui opibus, ac potentia præcellit, ad infirmi, afflictique miseriam sub-

subleuandam maximè inflectatur, ac spontaneo beneuolentiæ affectu ad eum, qui dignitate imminutus est, se adiungat.

Pro cadaueribus.) Petrus enim ex Arianorum manibus elapsus,ad Damasum Romanum Pontificem fugit, vt est apud Socratem. lib.4. cap.22. & Niceph. lib.11. c.26.

Idem, oratione 52. quæ est epist. 2. ad Cledonium: Quod etiam in causa fuisse reor, cur ipse quoque Damasus Papa, cur postea rectius edoctus fuisset, simulque in pristinis eos expositionibus perstare audijsset, eos ab Ecclesiæ cœtu abdicarit, fideique libellum eum anathematismo deleuerit: tum etiam quod fraudem eam, in quam per simplicitatem inciderat, permolestè ferret.

22. Gratianus, Valentinianus, & Theodos. A.A.A. Edicto ad populum Vrbis Constantinopolitanæ: Cunctos populos, quos clementiæ nostræ regit Imperium, in tali volumus religione versari, quam D. Petrum Apostolum tradidisse Romanis religio vsque adhuc ab ipso insinuata declarat, quamque Pontificem Damasum sequi claret,& Petrum Alexandriæ Episcopum, virum Apostolicæ sanctitatis. Extat Codice de Summa Trinitate, & Fide Catholica, & apud Sozomenum lib.7. c.4. A.C. 380.

23. Concilium Constantinopolitanum I. Canone 3. Constantinopolitanus Episcopus habeat priores honoris partes post Romanum Episcopum,eo quod sit ipsa noua Roma. A.C. 381.

24. Ruffinus in explicatione Symboli: Nulla hæresis in Ecclesia Vrbis Romæ sumpsit exordium. A.C. 390.

Idem, apud Hieronymum in Symboli explanatione ad Damasum: Si quid parum cautè positum est, emendari cupimus à te, qui Petri & fidem tenes, & Sedem.

25. Augustinus, contra Iulianum Pelagianum lib.1. cap.4. Puto eam Orbis partem sufficere debere, in qua primum Apostolorum suorum voluit Dominus gloriosissimo martyrio coronari. Cui Ecclesiæ præsidentem si beatum Innocentium audire voluisses; iam tum periculosam iuuentutem tuam Pelagianis laqueis exuisses. Quid enim potuit vir ille sanctis Africanis respondere Concilijs, nisi quod antiquitus Apostolica Sedes, & Romana cum cæteris tenet perseueranter Ecclesia? &c. A.C. 400.

Idem, lib.2. contra Pelagium, & Cælestium cap.7. Cælestius beati Papæ Innocentij literis non est ausus obsistere, imò se omnia, quæ Sedes illa damnaret, damnaturum esse promisit.

Idem,epist.157. Iniuncta nobis à Venerabili Papa Zozimo Apostolicæ Sedis Episcopo ecclesiastica necessitas, ad Cæsaream in Mauritania nos traxerat, &c. Pelagius, & Cælestius Conciliorum Episcopalium vigilantia, etiam à duobus venerabilibus Antistitibus, Apostolicæ Sedis Papa Innocentio, & Papa Zozimo, nisi correcti etiam egerint pœnitentiam, toto Christiano Orbe damnati sunt, &c. Vt iam verbis vtar beatissimi Antistitis Zozimi: Illud propagatione contractum chirographum rumpitur, in quo nullus omninò natorum antequam per baptismum liberetur, non tenetur obnoxius. In his etiam verbis Apostolicæ Sedis tam antiqua, atque fundata, certa & clara est Catholica Fides; vt nefas sit de illa dubitare Christiano.

Idem, epist.162. Erat transmarinis vicina regionibus, & fama celeberrima nobilis Carthago, vnde non mediocris auctoritatis habebat Episcopum Cæcilianum, qui posset non curare conspirantem inimicorum multitudinem, cùm se videret & Romanæ Ecclesiæ, in qua semper Apostolicæ Cathedræ viguit Principatus, & cæteris terris, vnde Euangelium ad ipsam Africam venit, per communicatorias literas esse coniunctum, vbi paratus esset causam suam dicere, si aduersarij eius ab eo illas Ecclesias alienare conarentur.

Idem, epist. 106. Missæ sunt de hac re à duobus Concilijs, Carthaginensi, & Mileuitano relationes ad Apostolicam Sedem, &c. Ad omnia nobis Innocentius Papa rescripsit eodem modo, quo fas erat, atque oportebat Apostolicæ Sedis Antistitem.

Idem, epist.165. Si ordo Episcoporum sibi succedentium considerandus est, quantò certiùs & vere salubriter ab ipso Petro numeramus, cui totius Ecclesiæ figuram gerenti Dominus ait: Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: Petro enim successit Linus, &c. Liberio Damasus, Damaso Syricius, Syricio Anastasius. In hoc ordine successionis nullus Donatista inuenitur.

26. Concilium Toletanum primum. Sub finem assertionis fidei: Si quis in errore Priscilliani sectam sequitur, vel profitetur, vt aliud in salubri baptismo contra Sedem S.Petri faciat, anathema sit. A.C. 400.

27. Concilium Africanum, cap. 35. Placuit vt literæ mittantur ad fratres, & Coepiscopos nostros, & maximè ad Sedem Apostolicam, in qua præsidet venerabilis frater, & collega noster Anastasius, quò nouerit habete Africam magnam necessitatem, propter Ecclesiæ pacem, & vtilitatem, vt ex ipsis Donatistis, quicumque Clerici correcto consilio ad Catholicam vnitatem transire voluerint, secundùm vniuscuiusque Episcopi Catholici voluntatem, atque consilium, qui in eodem loco gubernat Ecclesiam, in suis honoribus suscipiantur, A.C. 400.

28. Ioannes Chrysostomus, epist. ad Innocentium Papam: Obsecro vt scribas, quod hæc tam iniquè facta, & absentibus nobis, & non declinantibus iudicium, non habeant robur: sicut neque sua natura habent: illi autem, qui iniquè egerunt, pœnæ ecclesiasticarum legum subiaceant: Nos autem insontes, neque conuictos, neque deprehensos, neque vllius criminis reos comprobatos Ecclesijs nostris iubete restitui,vt charitate frui,ac pace cum fratribus nostris consueta possimus. A.C. 400.

29. Concilium Mileuitanum, epist.ad Innocentium Papam, est apud August. epist. 92. Quia te Dominus gratiæ suæ præcipuo munere in Sede Apostolica collocauit, talemque nostris temporibus præstitit, vt nobis potiùs ad culpam negligentiæ valeat, si apud tuam venerationem, quæ pro Ecclesia sunt suggerenda tacuerimus, quàm ea tu possis, vel fastidiosè, vel negligenter accipere magnis periculis infirmorum membrorum Christi, pastoralem diligentiam adhibere quæsumus digne-

digneris, &c. Multò plures, qui Pelagij sensus diligentiùs indagare potuerunt, aduersùs eum pro Christi gratia, & Catholicæ fidei veritate confligunt; præcipuè sanctus filius tuus frater, & compresbyter noster Hieronymus. Sed arbitramur, adiuuante misericordia Domini Iesu nostri Christi, qui te regere consulentem, & orantem exaudire dignatur, auctoritati sanctitatis tuæ, de sanctarum scripturarum auctoritate deprompte, faciliùs eos, qui tam peruersa, & perniciosa sentiunt, esse cessuros. A.C.402.

30. Concilium Carthaginense epistola ad Innocentium Papam: (est inter epistolas Augustini 90.) Hoc itaque gestum, Domine frater sancte, charitati tuæ intimandum duximus, vt statutis nostræ mediocritatis, etiam Apostolicæ Sedis adhibeatur auctoritas, pro tuenda salute multorum, & quorumdam etiam peruersitate corrigenda. A.C.410.

31. Seuerus Sulpitius, sacræ hist. lib. 2. Instantius, Saluianus, & Priscillianus, in synodo apud Cæsaraugustam damnati, Romam profecti sunt, vt apud Damasum, Vrbis ea tempestate Episcopum, obiecta purgarent. Hi vbi Romam peruenere, Damaso se purgare cupientes, ne in conspectum quidem eius admissi sunt. A.C.410.

32. Palladius Helenopolitanus, in vita D. Chrysostomi: Primus omnium profectus est ad nos Alexandrinæ Ecclesiæ lector cùm Papæ Theophili literis, quibus indicabat Ioannem à se fuisse depositum. Eas literas cum legisset beatissimus Innocentius Romanæ Sedis Antistes, exhorruit temeritatem, fastumque Theophili, ægrè ferens, & quod solus scripserat, & quod rei totius seriem referre omiserat, cuius scilicet rei gratia, quibusue adiunctis sibi socijs illum deponere ausus fuisset. Inter hæc mansit admirans, nihilque rescribere voluit, rei indignitate commotus. Dum Eusebius quidam Diaconus Constantinopolitanæ Ecclesiæ, qui tunc Romæ erat, Ecclesiasticæ vtilitatis gratia Innocentium adijt, libellisque traditis adiurauit, sustineret vt modicum temporis: fore enim breui, vt sibi totius scenæ facies patesceret. Post triduum aduenerunt Episcopi quatuor à Ioanne missi, reuerendissimi profectò viri, Pansophus Pisidiæ, Pappus Syriæ, Demetrius Galatiæ secundæ, Eugenius Phrygiæ, tres Innocentio epistolas deferentes, vnam quidem Ioannis Episcopi, secundam verò Episcoporum quadraginta de communione Ioannis, reliquam scripserat Ioannis Clerus; omnes indisciplinatum tumultum, & seditionem pariter significantes. Erat autem epistola Ioannis huiusmodi, &c. vt supra in Chrysostomo. Ad hæc rescripsit beatissimus Papa Innocentius, communioque vtriusque partis admissa, Theophili iudicium cassum atque irritum esse decreuit, dicens: oportere conflari aliam irreprehensibilem synodum Occidentalium, & Orientalium Sacerdotum.

33. Possidius vitæ S. Augustini cap. 14. literæ Sedis Apostolicæ compulerunt Augustinum ad Cæsareensem Mauritaniæ ciuitatem venire, vnà cum alijs Episcopis, ob terminandas videlicet aliquas Ecclesiæ necessitates. A.C.420.

Item cap. 18. Innocentius, & Zozimus Apostolicæ Sedis Antistites suis diuersis temporibus Pelagianistas notantes, atque à membris Ecclesiæ præcidentes, datis literis ad Africanas, Orientis, & Occidentis Ecclesias, eos anathematizandos, & deuitandos ab omnibus Catholicis censuerunt. Et hoc tale de illis Ecclesiæ Catholicæ prolatum iudicium, etiam pijssimus Imperator Honorius audiens ac sequens, suis eos legibus damnatos, inter hæreticos haberi debere constituit.

34. Philippus Presbyter, in Concilio Ephesino tom. 1. cap. 16. Diui Petri ordinarius successor & Vicarius sanctus, beatissimusque Papa, & Episcopus noster Cœlestinus, nos suos pro se quasi Vicarios ad hanc synodum misit. A.C.430.

35. Maximus Taurinensis, Homil. 2. de natali S. Laurentij: Sixtum Papam ante omnes summum Domini Sacerdotem furor gentilis aggreditur, vt Ecclesiastica membra, tam valido truncato capite, velut munimine præsidij cælestis amoto, cruentus persecutor inuaderet. A.C.430.

36. Synodus Ephesina, epist. ad Cœlestinum Papam: Quia verò necessitas exigebat, vt omnia, quæ in hac sacra Synodo acciderunt, Sanctitati tuæ declararentur, non potuimus hisce literis nostris ad Sanctitatem tuam non perscribere, secundùm seruatoris nostri omnium voluntatem, pijssimorum, ac Christi amantium Imperatorum nostrorum sanctionem, ex multis, varijsque prouincijs Episcopos supra ducentos in Ephesiorum ciuitate conuenisse, &c. Fuerunt in consessu nostro, & illi quoque, qui à sanctitate tua missi fuerant, videl. pientissimi Episcopi Archadius & Proiectus, vnàque cum illis religiosissimus presbyter Philippus, qui sua præsentia tuam nobis præsentiam exhibuerunt, Apostolicæque Sedis locum tenuerunt. Iustam proinde sanctitas tua propter isthæc indignationem concipiat. Nam si quibuscumque volentibus potestas fiat maioribus sedibus contumeliam inferre, & in illos, in quos nihil potestatis habent, sententias, vel contumelias veriùs, vsque adeò iniquas & iniustas pronunciare: maximè verò in eos, qui tanta pro pietate certamina sustinuerunt, per quos quoque pietas, accedentibus sanctitatis tuæ precibus, plurimum splendoris accepit, in extremam confusionem res Ecclesiasticæ mox dilaberentur. Vt autem omnia, quæ hîc gesta sunt cognoscas; integros actorum misimus, & synodi subscriptiones. Ann. Christi 430.

37. Cyrillus Alexandrinus, epist. ad Cælestinum Papam: Quoniam verò Deus hisce in rebus prudentiam à nobis exigit, longaque Ecclesiarum consuetudo suadet, vt istiusmodi sanctitati tuæ communicentur, non possum equidem id, quod apertum est, ad pietatem tuam non perscribere, &c. Quamuis hæc ita se habeant, non priùs tamen Nestorij communionem confidenter deserere ausi fuimus, quàm hæc ipsa pietati tuæ indicaremus. Digneris proinde quid hîc sentias, declarare: quo liquidò nobis constet, communicarene nos cum Nestorio oporteat, an verò liberè eidem denuuciare, neminem cum eo communicare, qui eiusmodi erroneam doctrinam fouet, ac prædicat. Porrò tuæ integri-

gritatis mens, ac super hac re sententia, non modò pijssimis, Deoque deuotissimis Macedoniæ Episcopis, sed totius quoque Orientis Antistiribus perspicuè per literas exponi debet. A.C. 430.

38. Maximianus Constantinop. Episcop. epist. ad Orientales: Omnes fines terræ, quæ Dominum sincerè receperunt, & vbique terrarum Catholici veram fidem confitentes, in potestatum Romanorum Pontificum, eamquam in solem respiciunt, & ex ipsa lumen Catholicæ, & Apostolicæ fidei recipiunt. Nec immeritò, quia Petrus legitur primò perfectam fidem esse confessus, Domino reuelante, cum dixit: Tu es Christus Filius Dei viui, &c. Decebat tantæ dignitatis, & sapientiæ virum non ab alio cœlestis mysterij arcana requirere, nisi ab eo potissimùm, quem non potuit caro, & sanguis instruere, sed cui Dominus ipse sua secreta dignatus est aperire: Beatus es, inquit, Simon Bariona, &c. Hunc enim de cæteris mortalibus ex toto terrarum Orbe Conditor Orbis elegit, cui Cathedram magisterij principaliter possidendam tenere perpetuo priuilegij iure concessit, vt quisquis diuinum aliquid, aut profundum nosse desiderat, ad huius præceptionis oraculum, doctrinamque recurrat: nec illi humiliter referre, quod soluendum est, erubescat, etiamsi ipse quod quæritur non ignoraret. A.C. 430.

39. Vincentius Lyrinensis, contra hæreses cap. 42. Lectæ sunt quoque in Concilio Ephesino epistolę S. Felicis martyris, & S. Iulij Vrbis Romę Episcoporum. Et vt non solum caput Orbis, verùm etiam latera illi iudicio testimonium perhiberent, adhibitus est à meridie beatissimus Cyprianus, à Septentrione S. Ambrosius, &c. A. C. 435.

40. Socrates Eccles. hist. lib. 2. cap. 5. Nec Iulius Romæ Episcopus in Concilio adfuit; neque quemquam, qui eius locum suppleret, eò misit, cum vtique Ecclesiasticus Canon iubeat, non oportere absque Pontificis Romani sententia decreta Ecclesijs sancire. Ann. Christi 440.

Idem cap. 11. Quoniam Ecclesia Romana priuilegium pręter cęteras obtinebat, literis suis ad Episcopos Orientis Liberius perscriptis, illorum partes tueri studet: in Orientem literas mittit, quò & suus cuique locus restitueretur, & eos, qui illos temerè abdicauerant, grauiter reprehendit.

Idem lib. 4. cap. 30 Per idem tempus, simul, atque Valens Imperator Antiochia decesserat, omnes, qui vbique persecutionis tempestate iactabantur, & Alexandriæ potissimùm, magnopere recreati fuerunt, propterea quod Petrus Roma, cum literis Damasi Episcopi Romani eò reuersus erat: quæ quidem, & Moysis fidem confirmabant; & Petri creationem. Populus igitur illis confisus, expellit Lucium, Petrum autem in eius locum introducit.

Idem lib. 5. cap. 8. Tunc etiam in Concilio Constantinopolitano decernunt Patres, Constantinopolitanum honoris prærogatiuas post Romanum Episcopum habere debere, eo quod Constantinopolis noua esset Roma.

41. Sozomenus lib. 3. cap. 7. Athanasius fugiens Alexandria Romam aduentauit. Eodem etiam tempore Paulus Constantinopolitanus Episcopus fortè illò accessit, &c. quorum criminationes, cùm Romanus Episcopus intellexisset, & omnes fidei Concilij Nicæni consentientes reperisset, in communionem recepit. Ac cùm propter Sedis dignitatem cura omnium ad ipsum spectaret, singulis suam Ecclesiam restituit, scripsitque ad Episcopos Orientis; eosque incusauit, quod inconsultò de hisce viris iudicassent, Ecclesiasque perturbassent. A.C. 440.

Idem cap. 9. Iulius ab Episcopis Ægypti certior factus, non tutum esse Athanasio in Ægypto vitam agere, eum ad se accersiuit. Ad illos autem, qui Antiochię in vnum conuenerant, nam fortè fortuna id temporis eorum acceperat epistolam, scripsit, atque adeò incusauit, quod clam contra fidem Concilij Nicęni nouas res moliti fuerant, quodque contra leges Ecclesię, ipsum ad Concilium non vocarant. Nam legem esse ad Sacerdotij dignitatem spectantem, quę pronunciat acta illa irrita esse, quę pręter sententiam Episcopi Romani constituuntur: ea autem, quę Tyri, & in Mareote aduersùs Athanasium decernebantur, iniqua esse.

Idem libr. 6. cap. 22. Quę controuersia contendendi studio cùm in dies magis magisque cresceret, Episcopus Romanus certior factus scripsit ad Ecclesias Orientis literas, vt vnà cum Sacerdotibus, & Episcopis Trinitatem, & consubstantialem esse, & gloria ęqualem existimarent. Quo facto singuli rebus ab Ecclesia Romana semel iudicatis acquieuerunt, hęcque controuersia finem habere visa est.

42. Petrus Chrysologus, epistola ad Eutychem: In omnibus hortamur te, frater honorabilis, vt his, quę à beatissimo Papa Romanę ciuitatis pręscripta sunt, obedienter attendas: quoniam B. Petrus, qui in propria Sede & viuit, & pręsidet, pręstat quęrentibus fidei veritatem. Nos enim pro studio pacis & fidei extra consensum Romanę ciuitatis Episcopi causas audire non possumus. A. C. 440.

Idem sermone 175. Edicto Cęsaris, & pagani Dominus obtemperaturus accurrit, & decreto B. Petri Principis Christiani seruus aliquis irreuerenter obsistit?

43. Theodoretus epist. ad Leonem Papam: Si Paulus, prędicator veritatis, & Spiritus sancti buccina, ad Petrum accurrit, vt ijs, qui Antiochię de viuendo secundùm legem Moysis disceptabant, quęstionem expeditam, ac solutam ab eo ferret; multò magis nos, qui pusilli sumus, ad solium Apostolicum accurremus, vt à vobis medicinam vlceribus nostris feramus. Siquidem vobis conuenit in omnibus rebus primas tenere. Vestra enim Sedes multis prerogatiuis ornata est. Nam cęteras ciuitates, vel amplitudo, vel pulchritudo, vel ciuium frequentia decorat: aliaque verò, quę his carent, ex quibusdam gratijs spiritualibus splendorem, ac dignitatem habent: Vestrę verò ciuitati vberrimam copiam bonorum ipse dator largitus est: Est enim ipsa omnium amplissima, splendidissima, & Orbi pręsidet. Pręterea ipsa principatum Imperatorium profudit, ac nomen suum, id est Romanum, cum ijs, qui in ditione eius

sunt,

sunt, communicauit. Fides verò præcipuè meam ornat: Testis est Paulus, qui clarissima voce ait: Fides vestra annunciatur in vniuerso mundo &c. Ego verò suffragium Sedis Apostolicæ expecto, & supplex oro, atque obsecro sanctitatem vestram, vt ea me, tribunal vestrum, ac rectum appellantem, defendat, ac protegat, iubeatque, vt ad vos accurram, & doctrinam meam vestigijs apostolicis insistentem ostendam &c. Vestram sententiam expecto: quod si sententię eorum, qui condemnarunt, acquiescere iusseritis, acquiescam, nulli deinceps futurus molestus. Quin potiùs expectabo incorruptum Dei, & Saluatoris nostri tribunal.

Idem epist. ad Renatum presbyterum: Nudarunt me Sacerdotio, eijciuntque ex ciuitatibus; nec senectutem reueriti, neque caniciem in religione, & pietate nutritam. Quamobrem deprecor te, vt sanctissimo Archiepiscopo, Leoni Papæ suadeas, vt Apostolica auctoritate vtatur, iubeatque ad vestrum adire Concilium. Tenet enim sancta ista Sedes gubernacula regendarum cunctis Orbis Ecclesiarum, cùm propter alia, tum quia semper hæretici fœtoris expers mansit, nec vllus vnquam, qui contrarium sentiret, in ea sedit: quin potiùs Apostolicam gratiam putam conseruauit. Quare quæ ab isto vestro tribunali proficiscentur, qualiacumque erunt, iudicij vestri integritati confisi, amplectemur: oramusque vt ex ijs, quæ hactenus scripsimus, iudicemur. Scripsi enim libros ampliùs triginta.

Idem Ecclesiast. hist. lib. 2. cap. 22. Numerus Episcoporum, qui erant Arimini congregati, præiudicij vim habere non debet: præsertim cùm formula composita sit, neque Episcopo Romano, cuius sententia præ cæteris omnibus exspectanda erat, neque Vincentio, qui tot annis Episcopatum integrè gesserat, neque alijs eidem consentientibus placuerit.

Idem, lib. 5. cap. 10. Damasus Papa, vir omni genere laudis florentissimus, simul vt hanc sectam exortam intellexit, non Apollinarem solum, verùm etiam Timotheum eius discipulum abdicauit.

44. Ceretius, Salonius, & Veranius Episcopi Galliæ, epist. ad Leonem Papam: (extat inter epistolas Leonis Coloniæ impressa) Domine sancte Pater, Apostolica Sede dignissime Papa, magna tui gratulatione succrescimus, quod illa specialis doctrinæ vestræ pagina, ita per omnium Ecclesiarum conuenticula celebratur, vt verè consona omnium sententia declaretur, meritò illic principatum Sedis Apostolicæ constitutum, vnde adhuc Apostolici spiritus oracula referantur. A.C.450.

45. Episcopi Metropolis Arelatensis, ep. ad Leonem Papam: Memores, quantum honoris, & reuerentiæ beatissimæ Sedi Apostolicæ, cui vos Dominus noster Iesus Christus pro meritis sanctitatis voluit præsidere, semper debitum fuerit, semperque debeatur: ordinationem, qua sanctus frater, & Coepiscopus noster Rauennius in ciuitate Arelate, post transitum beatæ recordationis Hilarij Episcopi, concordantibus omnium votis, ad summum Pontificium, Domino fauente prouectus est, missis continuò literis Apostolatui vestro indicare curauimus, &c. Sicut per beatissimum Petrum Apostolorum principem sacrosancta Ecclesia Romana tenet supra omnes totius mundi Ecclesias principatum: ita etiam intra Gallias Arelatensis Ecclesia, quæ sanctum Trophimum ab Apostolis missum Sacerdotem habere meruit, ordinandi Pontificium vendicat. Extat apud Baron. tom.7. fol.713. A.C.450.

46. Concilium Chalcedonense, actione 1. Et post hæc residentibus magnificentissimis, & gloriosissimis iudicibus, & amplissimo Senatu in medio, ante cancellos sanctissimi Altaris, & ex læua quidem parte sedentibus sanctissimis, reuerendissimis Episcopis, & Vicarijs Deo amicissimis, sanctissimis, & reuerendissimi Leonis Antistitis priscæ Vrbis Romæ, & Anatolio religiosissimo Archiepiscopo Constantinopolitano, & Maximo Episcopo Antiochiæ, & Thalassio Episcopo Cęsareensi, & Stephano Episcopo Ephesi, &c. Paschasinus verò Vicarius Sedis Apostolicæ, cùm in medio, vnà cum his viris reuerendissimis collegis suis stetisset, dixit: Beatissimi, atque Apostolici viri Papæ Vrbis Romæ, quę est caput omnium Ecclesiarum, præcepta habemus præ manibus, quibus præcipere dignatus est eius Apostolatus, vt Dioscorus Alexandrinorum Episcopus non sedeat in Concilio, sed audiendus intromittatur. Hæc nos obseruare necesse est. Si ergo præcipit vestra magnificentia, aut ille egrediatur, aut nos eximus, &c. Lucentius collega ipsius dixit: Iudicij sui necesse est eum dare rationem, quia cùm personam iudicandi non haberet, præsumpsit, & synodum ausus est facere sine auctoritate Sedis Apostolicæ, quod nunquam licuit, nunquam factum est. A.C.453.

Actione 3. Legati Romani Pontificis primi subscribunt: Paschasius Episcopus Ecclesiæ Lilybetanæ vice beatissimi, atque Apostolici vniuersalis Papæ Vrbis Romæ Leonis in Dioscori damnatione consensu vniuersalis Concilij subscripsi: Anatolius Episcopus Constantinopolis nouæ Romæ, definiens pariter cum sancta synodo subscripsi, &c. Maximus Antiochenus Episcopus similiter.

Actione 16. Relatione ad B. Papam Leonem de omnibus gestis generaliter: Et post hæc omnia, insuper & contra ipsum, cui vineę custodia à Saluatore commissa est, Dioscorus extendit insaniam, id est, contra tuam Apostolicam Sanctitatem, & excommunicationem meditatus est contra te, qui corpus Ecclesiæ vnire festinas, &c. Indicamus verò, quia & alia quædam pro rerum ipsarum ordinata quiete, & propter Ecclesiasticorum statutorum definiuimus firmitatem, scientes quia & vestra Sanctitas addiscens, & probatura, & confirmatura est eadem, &c. Rogamus igitur, & tuis decretis nostrum honora iudicium, & sicut nos capiti in bonis adieciimus consonantiam, sic & summitas tua filijs, quod decet adimpleat.

Canone 28. Sanctorum Patrum decreta, vbique sequentes, & Canonem, qui nuper lectus est, centum & quinquaginta Dei amantissimorum Episcoporum agnoscentes, eadem quoque, & nos decernimus, ac statuimus de priuilegijs sanctissimæ Ecclesiæ Con-

ſtantinopolis nouæ Romæ. Etenim antiquæ Romæ throno, quod vrbs illa imperaret, iure Patres priuilegia tribuere: & eadem conſideratione moti 150. Dei amantiſſimi Epiſcopi ſanctiſſimo nouæ Romę throno ęqualia priuilegia tribuere, rectè iudicantes, vrbem, quæ & Imperio, & Senatu honorata ſit, & æqualibus cum antiquiſſima regina Roma priuilegijs fruatur, etiam in rebus Eccleſiaſticis, non ſecus ac illam, extolli & magni fieri, ſecundam poſt illam exiſtentem, *deyteray met' ecenin ypercheyſan*.

Canon hic à Leone Papa vt ex multis eius literis conſtat, reiectus eſt, & Anatolius ipſe Conſtantinopolis Antiſtes, qui eum callidè à Patribus Chalcedonenſis ſynodi, reclamantibus Leonis Papæ Legatis, & Vicarijs, impetrarat, coactus eſt intra priſtinos ſe limites tenere, & ab infauſtis ambitionis conſilijs animum reuocare.

47. Proſper de ingratis cap. 2. A.C.460.

——Peſtem ſubeuntem prima recidit
Sedes Roma Petri, quæ Paſtoralis honoris
Facta caput mundo, quicquid non poſſidet armis
Religione tenet.

Idem, contra Collatorem cap. 41. Africanorum Conciliorum decretis beatæ record. Papa Zozimus ſententiæ ſuæ robur adnexuit, & ad impiorum detruncationem gladio Petri dextras omnium armauit Antiſtitum, quando ſanctæ mem. Papa Bonifacius pijſſimorum Imperatorum Catholica deuotione gaudebat, & contra inimicos gratiæ Dei, non ſolùm Apoſtolicis, ſed etiam Regijs vtebatur edictis. Venerabilis mem. Pontifex Cœleſtinus, cui ad Catholicæ Eccleſiæ præſidium multa Dominus gratiæ ſuæ dona largitus eſt, ſciens damnatis non examen iudicij, ſed ſolum pœnitentiæ remedium eſſe præſtandum, Cœleſtium, quaſi non diſcuſſo negotio audientiam poſtulantem, totius Italiæ finibus iuſſit extrudi: adeò, & prædeceſſorum ſuorum ſtatuta, & decreta Synodalia inuiolabiliter ſeruanda cenſebat: vt quod ſemel meruerat abſcindi, nequaquam admitteret retractari. Nec verò ſegniore cura ab hoc eodem morbo Britannias liberauit, quando quoſdam inimicos gratiæ, ſolum ſuæ originis occupantes, etiam ab illo ſecreto excluſit Oceani, & ordinato Scotis Epiſcopo, dum Romanam inſulam ſtudet ſeruare Catholicam, fecit etiam barbaram Chriſtianam.

Idem, de vocatione Gentium lib. 2. c. 16. Ad cuius rei effectum credimus prouidentia Dei Romani Regni latitudinem præparatam, vt nationes vocandæ ad vnitatem Corporis Chriſti, priùs iure vnius conſociarentur Imperij, quamuis gratia Chriſtiana non contenta ſit eoſdem limites habere, quos Roma, multoſque iam populorum ſceptro Crucis Chriſti illa ſubdiderit, quos armis ſuis iſta non domuit. Quæ tamen per Apoſtolici ſacerdotij principatum amplior facta eſt arce religionis, quam ſolio poteſtatis.

Idem in Chronicis: Concilio apud Carthaginem habito 217. Epiſcoporum ad Pontificem Zozimum Synodalia decreta perlata, quibus probatis, per totum mundum hæreſis Pelagiana damnata eſt.

48. Aſcaſius, & cæteri Epiſcopi Tarraconenſes, epiſtola ad Hilarium Papam: (extat inter epiſtolas Pontif. Rom.) Ad fidem recurrimus Apoſtolico ore laudatam, inde reſponſa quærentes, vnde nihil errore, nihil præſumptione, ſed Pontificali totum deliberatione præcipitur. A.C.460.

49. Anaſtaſius Hieroſolymitanus Patriarcha, epiſt. ad Felicem Papam: Fuit ſemper Apoſtolicæ Sedis veſtræ licentia, iniuſtè damnatos, vel excommunicatos poteſtatis ſuæ auctoritate reſtituere, & ſua omnia ijs reddere, & eos, qui eos condemnarunt, aut excommunicaruht, Apoſtolico punire priuilegio: ſicut etiam noſtris, & anterioribus nouimus factum temporibus &c. Antiquis regulis ſancitum eſt, vt quicquid, quamuis in remotis Prouincijs, ſuper eorum querelis, aut accuſationibus ageretur, non priùs tractandum, vel accipiendum eſſet, quàm ad notitiam almæ Sedis veſtræ eſſet deductum, vt huius auctoritate, iuxta quod fuiſſet faciendum, infirmaretur, aut firmaretur. A.C.470.

50. Acatius Conſtantinopolitanus, epiſt. ad Simplicium Papam. Sollicitudinem omnium Eccleſiarum ſecundùm Apoſtolum circumferentes, nos indeſinenter hortamini, quamuis ſponte vigilantes, ac præcurrentes: ſed vos Diuinum zelum ſolitò demonſtratis, ſtatum Alexandrinæ Eccleſiæ certiùs requirentes, vt pro paternis Canonibus ſuſcipiatis laborem pijſſimo ſtillantes ſudore pro his, ſicut ſemper eſt approbatum. A.C.470.

51. Victor Vticenſis, de perſecutione Wandalica lib. 2. Quod rationem non habet, inquit Eugenius, dici non debuit. Sic eſt hoc quomodo diceatur homini, vt per aera feratur, & volitet, quod moris non eſt humanæ naturæ. Dixi enim, ſi noſtram fidem, quæ vna, & vera eſt, poteſtas Regis cognoſcere deſiderat, mittat ad amicos ſuos: ſcribam, & ego fratribus meis, vt veniant Coepiſcopi mei, qui vobis nobiſcum communem fidem noſtram valeant demonſtrare, & præcipuè Eccleſia Romana, quæ caput eſt omnium Eccleſiarum. A.C.480.

52. Epiſcopi Dardaniæ, epiſt. ad Gelaſium Papam, (extat inter epiſtolas Gelaſij) Domino ſancto Apoſtolico, & beatiſſimo Patri Patrum Gelaſio Papæ Vrbis Romæ. Saluberrima Apoſtolatus veſtri præcepta Tryphone deferente, qua oportet deuotione ſuſcepimus, & maximas Deo Omnipotenti, & Beatitudini veſtræ referimus gratias, quod nos paſtorali admonitione, & Euangelica doctrina viſitare dignatus es, Domine ſancte Apoſtolice, & beatiſſime Pater Patrum. Deſiderij enim, & voti noſtri eſt, iuſſionibus veſtris in omnibus obedire, & quemadmodum à Patribus noſtris accepimus, Sedi Apoſtolicæ, quæ vitæ, & meritis veſtris delata eſt, intemerata ſeruare, atque religionem orthodoxam, cuius eſtis prædicatores, fideli, & inculpata deuotione, prout ruſticitatis ſenſus patitur cuſtodire, &c. Si qui fortè praua intentione, (quod neque arbitramur, neque optamus) à Sede Apoſtolica ſe crediderint ſegregandos, ab eorum nos alienos eſſe conſortio profitemur: quoniam, vt dictum eſt, Patrum in omnibus cuſtodientes præcepta, & inuiolabilia ſancto-

rum

rum Canonum instituta sectantes, Apostolicæ, & singulari illi Sedi vestræ communi fide, & deuotione parere contendimus. A.C.492.

53. Fulgentius, de Incarnatione, & gratia Iesu Christi, cap. 11. Quod duorum magnorum luminarium, Petri scilicet, Paulique verbis, tanquam splendentibus radijs illustrata, eorumque decorata corporibus Romana (quæ mundi cacumen est) tenet, & docet Ecclesia, totusque cum ea Christianus Orbis, & ad iustitiam nihil hæsitans credit, & ad salutem non dubitat confiteri. A.C. 500.

54. Synodus Romana tertia sub Symmacho, memorati Pontifices suggesserunt, ipsum, qui dicebatur Imperitus, debuisse Synodum conuocare: scientes, quia eius Sedi primùm Petri Apostoli meritum, vel principatus, deinde secuta iussione Domini Conciliorum venerandorum auctoritas, singularem in Ecclesijs tradidit potestatem, nec antedictæ Sedis Antistitem minorum subiacuisse iudicio, in propositione simili, facilè forma aliqua testatetur. A.C.501.

55. Synodus Romana quarta sub Symmacho, cap. 3. Laurentius Episcopus Mediolanensis Ecclesiæ dixit: Ista scriptura nullum Romanæ ciuitatis potuit obligare Pontificem; quia non licuit laico statuendi in Ecclesia, præter Papam Romanum, habere aliquam potestatem, cui obsequendi manet necessitas, non auctoritas imperandi, maximè, cum nec Papa Romanus subscripserit, nec alicuius secundùm Canones Metropolitani legatur assensus, &c. Eulalius Episcopus Syracusanæ Ecclesiæ dixit: Scriptura, quæ recitata est, euidentissimis documentis constat inualida, quia nullius Præsulis Apostolicæ Sedis subscriptione firmata docetur. Quod si cuiuslibet Prouinciæ Sacerdotes intra terminos suos Concilio habito, quicquam sine Metropolitani, suiue Antistitis auctoritate tentauerint, irritum esse debere Patres sancti sanxerunt: quantò magis, quod in Apostolica Sede non existente Præsule, qui prærogatiua B. Petri Apostoli meritis per vniuersum Orbem primatum obtinens Sacerdotij, statutis Synodalibus consueuit tribuere firmitatem: à laicis, licèt consentientibus aliquantis Episcopis (qui tamen Pontifici, à quo consecrari probantur; præiudicium inferre non potuerunt) præsumptum fuisse cognoscitur, viribus carere non dubium est, nec posse inter Ecclesiastica vllo modo statuta censeri. A.C.502.

56. Ennodius Diaconus, libro de Synodis sub Symmacho habitis: Sanctorum voce patet Pontificum dignitatem Sedis Apostolicæ factam toto Orbe venerabilem, dum illi quicquid fidelium est vbique submittitur, dum totius corporis caput esse designatur, de qua mihi videtur dictum per Prophetam: Si hæc humiliatur, ad cuius confugietis auxilium, & vbi relinquetis gloriam vestram? A.C.510.

57. Ioannes Constantinopolitanus Patriarcha, epist. ad Hormisdam Papam: Redditis literis vestræ Sanctitatis, in Christo charissime frater, per Gratum clarissimum Comitem, lætatus sum de spirituali charitate vestræ sanctitatis, quod vnitatem sanctissimarum Dei Ecclesiarum secundùm veterum Patrum requiris traditionem, & laceratores rationabilis gregis Christi amore propulsare festinas. Certus igitur scito per omnia sanctissime, quia secundùm quod vobis scripsi, vnà tecum eum veritate sentiens, omnes à te repudiatos hæreticos renuo, & ego pacem diligens sanctissimas Dei Ecclesias, id est superioris vestræ, & nouellæ istius Romæ vnam esse accipio illam Sedem Apostoli Petri, & istius augustæ ciuitatis vnam esse definio &c. Tuis verbis euidenter vtens per præsentia scripta hæc dico: Quia prima salus est rectæ fidei regulam custodire, & à Patrum traditione nullatenus deuiare: quia non potest Domini nostri prætermitti sententia dicentis: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Hæc quæ dicta sunt, rerum probantur effectibus: quia in Sede Apostolica inuiolabilis semper Catholica custoditur religio. A.C.510.

58. Archimandritæ, & Monachi secundæ Syriæ, epist. ad Hormisdam: Sanctissimo & beatissimo vniuersi Orbis terræ Patriarchæ Hormisdæ, continenti Sedem Principis Apostolorum Petri, &c. Deprecamur ergo Beatissime, supplicantes & rogantes, vt exurgatis cum feruore, & zelo, & condoleatis iustè pro corpore laniato: nam Caput estis omnium: & vindiceris fidem contemptam, Canones conculcatos, Patres blasphematos, & talem Synodum anathemate impetitam. Vobis à Deo data est potestas, & auctoritas ligate, & soluere. A.C.514.

59. Theodorus Lector, lib. 1. Collat. Martianus, & Pulcheria Leoni Papæ Romano scripserunt, eique eunctam auctoritatem tribuerunt. Constituta autem ea de re mandata, scripsitque Imperator singulorum locorum Episcopis: Leo verò Episcopus Nicænæ Synodo, quæ futura spectabatur, præclaram epistolam scripsit, quæ etiam in actis Chalcedonensis Synodi habetur, & ab illius historico scriptore inserta est. A.C.520.

Idem lib. 2. Imperator Anastasius Macedonium Patriarcham Constantinopolitanum vehementer vrsit, vt Synodum Chalcedonensem damnaret anathemate: ille verò sine vniuersali Synodo, cui magnæ Romę Episcopus præsideret, nihil se facturum dixit.

60. Possessor Episcopus, epist. ad Hormisdam Papam: Decet & expedit ad capitis recurrere medicamentum, quoties agitur de sanitate membrorum. Quis enim maiorem circa subiectos sollicitudinem gerit, aut à quo magis est nutantis fidei stabilitas expetenda, quàm ab eius Sedis Præside, cuius primus à Christo Rector audiuit: Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam? A.C.520.

61. Concilium habitum in Epiro, epist. ad Hormisdam Papam: Domino nostro per cuncta sanctissimo, & beatissimo Patri Patrum comministro, & Principi Episcoporum Hormisdæ Papæ: Si dignis præmijs &c. Ann. Christi 520.

62. Eulalius Chartaginensis, epistola ad Bonifacium II. In Sede Apostolica extra maculam semper est Catholica seruata religio: de qua spe, & fide minimè separari cupientes, & Patrum sequentes constituta, anathematizamus omnes, qui contra sanctam Romanam & Apo-

& Apostolicam Ecclesiam superbiendo suas erigunt ceruices: sequentes in omnibus Apostolicam Sedem, & prædicantes eius omnia constituta, & per omnia speto, vt in vna communione vobiscum, quam Sedes Apostolica prædicat, esse merear, in qua est integra, & vera Christianæ religionis, & perfecta soliditas. A.C.530.

63. Cassiodorus, lib.11. epist.2. ad Ioannem Papam: Nolite in me tantam reijcere ciuitatis illius curam, quæ potiùs vestra laude secura est. Vos enim speculatores Christiano populo præsideris: vos Patris nomine vniuersa dirigitis. Securitas ergo plebis ad vestram respicit famam, cui Diuinitus est commissa custodia. Quapropter nos decet custodire aliqua, sed vos omnia. Pascitis quidem spiritualiter commissum vobis gregem: tamen nec illa potestis negligere, quæ corporis videntur substantiam continere. Nam sicut homo constat ex dualitate: ita boni patris est, vtraque refouere. Primum penuriam temporis, quam delicta promerentur, orationibus sanctis amouete: monete me, quæ sunt gerenda sollicitè: benè agere vel correptus exopto. Quia difficiliùs errat ouis, quæ voces desiderat audire pastoris: nec facilè efficitur vitiosus, cui admonitor adsistit assiduus. Sum quidem Iudex Palatinus, sed vester non desinam esse discipulus. Nam tum ista rectè gerimus, si à vestris regulis minimè discedamus. Sed cum me à vobis desiderem, & moneri consilijs, & orationibus adiuuari, iam vobis est applicandum, si quid in me fuit alitet, quàm optabatur, inuentum. Sedes illa toto Orbe mirabilis proprios tegat affectione cultores: quæ licèt generalis mundo sit præstita, vobis etiam cognoscitur, & localiter attributa. A.C.530.

64. Martianus Monachus, & cæteri Archimandritæ Orientales, supplicatione ad Iustinianum Imp. (extat in Synodo 2. Constantin. act.1.) Quia Catholicæ Ecclesiæ omnes alumni, & de Anthimi iniquitate, & violenta promotione aliorum iniquorum virorum, qui Deo & nobis molesti esse non cessauerunt, vos pijssimi valentes ipsos extra ponere, tamen Canonicum iudicium à Romano Pontifice in ipsum Anthimum, & in prædictos hæreticos benefaciendo audire voluistis, illo persuasi, qui dicit: Interroga patrem tuum, & annunciabit tibi: seniores tuos, & dicent tibi. Et Apostolo dicente: Obedite ducibus vestris, & subditi estote. Misit itaque Deus huic ciuitati Agapetum, qui verè *Agapitos*, id est, dilectus à Deo, & hominibus, Pontificem antiquæ Romæ in depositione Anthimi, & prædictorum hæreticorum, tanquam olim Petrum magnum Apostolum Romanis in depositione Simonis Creteciani. Iste ergo venerabilis vir sciens per libellos plurimorum nostrorum ea, quæ iniquè contra Ecclesiam præsumpta fuere, eo ipso visu semel accipiendo, neque ad visum suscipere voluit Anthimum furentem aduersùs Canones, sed nunc iustè eiecit de sacerdotali sede ciuitatis suæ, & coopitulante, & coadunato Catholicæ fidei, & Diuinis Canonibus, vestro imperio præfecit ipsi Ecclesiæ sanctissimum Mennam, rectæ fidei, & vitæ pudicæ, ac honestę conuersationis. A.C.534.

Ijdem, epist. ad Agapetum: Domino nostro sanctissimo, ac beatissimo Archiepiscopo antiquæ Romę, & Oecumenico Patriarchæ Agapeto, Martianus, &c. Hæc quidem duntaxat portamus, licèt incredibilia, & à doloribus incuruati, spem habentes ad clementissimum Deum, qui in tempore opportuno vestrum aduentum nobis ostendit, quod sicut Petrum magnum Apostolum Principem his, qui Romæ erant in depositionem Simonis misit, sic & vos misit in depositione, & expulsione Seueri, Petri, & Zoaræ, & eorum, qui similia ijs sapiunt, dabit vobis potestatem, coopitulante vobis pijssimo, & à Deo custodito Imperatore nostro istos expellere de omni Ecclesia, tamquam insidiatores, & violatores non solùm sanctissimarum Ecclesiarum, sed & politiæ ipsius, &c.

65. Amator Episcopus, epist. ad Siluerium Papam: Beatissimo Siluerio, Amator Episcopus. A quibusdam, Pater dilectissime, illis à partibus aduentantibus audiuimus, vos à Sede S. Petri iniustè pulsum, exilio destinatum. Quod nimis graue ferentes, misimus argenti libras triginta, ad vestram, vestrorumque sustentationem. Quid putas de nobis fieri, Pater summe, cùm de Summo Pastore, & Vicario S.Petri talia fiunt? A.C.535.

66. Mennas Patr. Constantinopolitanus, de 4. Concilijs Oecumenicis: In quibus iuxta tempora sua prædecessores Sanctitatis vestræ beatissimi Papæ senioris Romæ ipsis Synodis præsederunt. A.C.540.

57. Procopius Cæsareensis, lib.1. de bello Gothorum cap.2. Hæc Theodoto animo voluntate, & Bizantio ad Romanum Antistitem legati venerunt. Christianorum altercationis sedandæ causa, sententium varia inter se, & disceptantium, &c. Christianæ fidei disciplinam, si alij vnquam, Romani præcipuè sunt venerati. A.C.540.

68. Iustinianus Imp. C. de Summa Trinitate, & fide Catholica, epistola ad Ioannem Papam. Reddentes honorem Apostolicę Sedi, & vestræ Sanctitati (quod semper nobis in voto fuit, & est) & vt decet Patrem honorantes vestram Beatitudinem, omnia, quę ad Ecclesiarum statum pertinent, festinauimus ad notitiam vestrę deferre Sanctitatis. Anno Christi 540.

69. Atator, cum Acta Apostolorum heroico carmine celebrasset, opus suum Vigilio Papę his verbis dedicauit: Domino SS. Beatissimo, Apostolico, & in toto Orbe primo omnium Sacerdotum Papę Vigilio. A.C.540.

70. Liberatus Archidiaconus Carthaginensis, in Breuiario cap.20. Dum hęc Alexandrię aguntur, defuncto Bonifacio Papa Romano, Ioannes cognomento Mercurius Sedis Apostolicę suscepit Pręsulatum. Ad quem missi sunt ab Imperatore Iustiniano Hypatius Ephesiorum Episcopus, & Demetrius à Philippis, consulere Sedem Apostolicam contra legatos Acumicorum Cyrum, & Eulogium, negantes esse confitendum, Beatam Mariam verè, & propriè Dei genitricem, & vnum de Trinitate incarnatum, & carne passum. Sed Papa Ioannes nobis ibi positis, hoc confitendum epistola sua firmauit, & Imperatori direxit. A.C.540.

Idem cap.21. Mortuo Ioanne Mercurio, Aga-

Agapetus Archidiaconus Romanæ Ecclesiæ Papa ordinatur, in regulis Ecclesiasticis apprimè eruditus. Cum esset Constantinopoli, petentibus principibus, vt Anthimum (qui abhorrebat à Synodo Chalcedonensi) Papa in salutatione, & communicatione susciperet, ille: Fieri, inquit, posse, si libello se probaret orthodoxum, & ad Cathedram suam reuerteretur. Impossibile esse aiebat, transiatitium hominem in illa Sede permanere. Augusta verò clam promittente munera multa, & rursus Papæ minas intentante, in hoc Papa perstitit, ne eius audiret petitionem. Anthimus verò videns se Sede pulsum, Pallium, quod habuit Imperatoribus reddidit, & discessit, vbi eum Augusta suo patrocinio tueretur. Tunc Papa principis fauore Mennam pro eo ordinauit Antistitem, consecrans eum manu sua in Basilica S. Mariæ.

Idem cap.22. Siluerius Papa in exilium missus est, in ciuitatem Prouinciæ Lyciæ, quæ Patara dicitur. Siluerio veniente Pataram, venerabilis Episcopus ciuitatis illius venit ad Imperatorem,& iudicium Dei contestatus est, de tantæ Sedis Episcopi expulsione, multos esse dicens in hoc mundo Reges, & non esse vnum, sicut ille Papa est super Ecclesiam mundi totius, à sua Sede expulsus. Quem audiens Imperator, reuocari Romam Siluerium iussit.

71. Eutychius Patr. Constantinopolitanus,Epist.ad Vigilium Papam,scientes quantorum bonorum causa est pax Dei, ideò festinantes vnitatem conseruare, ad Apostolicam Sedem vestræ beatitudinis manifestum facimus,quòd seruamus fidem à Christo Apostolis traditam, & ab illis in toto mundo prædicatam, & à sanctis Patribus, maximis in sanctis 4. synodis explicatam: suscipimus; & Epistolas Præsulum Romanæ Sedis Apostolicæ. Et ideò petimus, præsidente nobis vestra beatitudine, sub tranquillitate, & sacerdotali mansuetudine propositis sanctis Euangelijs communi tractatu eadem capitula in medio proponenda quæri,& conferri,& finem quæstioni imponi Deo placitum, & conuenientem his, quæ à sanctis Quatuor Concilijs definita sunt. A.C. 545.

72. Synodus Mopsuestena, Epist. ad Vigilium Papa. Decebat, cùm primam sacerdotis dignitatem sortiti estis, ea, quæ ad sanctarum Ecclesiarum statum respiciunt: manifesta vestræ diuinitus honoratæ beatitudini fieri. A.C. 545.

73. Gildas Badonicus. Corruptione in Ecclesiasticum ordinem: Britannia habet sacerdotes, sed nonnullos insipientes,præcepta Christi spernentes, suas libidines votis omnibus implere curantes, Sedem Petri Apostoli immundis pedibus aliquos vsurpantes, sed meritò cupiditatis in Iudæ traditoris pestilentem cathedram desidentes. A.C. 550.

74. Concilium Quartum Aurelianense. Cap.1. Quoties aliquid de solemnitate Paschatis dubitatur,inquisita,vel agnita per Metropolitanos à Sede Apostolica sacra constitutio teneatur. A.C. 550.

75. Concilium Secundum Turonense. Cap.21. post decretum Innocentij Papæ recitatum: Quis, inquit sacerdotum contra decreta talia, quæ à Sede Apostolica processerunt, agere præsumat? Et quorum Auctorum valere possit prædicatio,nisi quos Sedes Apostolica semper intromisit? Et Patres nostri hoc semper custodierunt, quod eorum præcepit auctoritas. A.C.570.

76. Concilium Primum Bracharense. Cap.22. Placuit, vt eodem ordine Missæ celebrentur ab omnibus, quo modo Profuturus quondam huius Metropolitanæ Ecclesiæ Episcopus ab ipsa Apostolicæ Sedis auctoritate suscepie scriptum. A.C. 572.

Idem, cap.23. Nullus ordinem baptizandi prætermittat, quem pro amputanda aliquorum dubietate prædictus Profuturus Episcopus, sibi directum à Sede beatissimi Petri Apostoli suscepit.

77. Ioannes Episcopus Rauennatensis, Epist. ad Gregorium Magnum (est inter Epistolas Gregorij lib.2. indict.11. Epist.5) Recolo me in sinu, & gremio sacrosanctæ Ecclesiæ vestræ Romæ enutritum, & Deo auxiliante prouectum. Et quibus ausibus ego sanctissimæ illi Sedi, quæ vniuersali Ecclesiæ iura sua transmittit, præsumpserim obuiare, propter cuius conseruandam auctoritatem: sicut Deo manifestum est, multorum contra me grauiter excitaui inuidiam? A.C. 600.

78. Eustathius in vita S.Eutychij: Cùm multa diuersis locis, atque temporibus sancta Concilia sunt celebrata, ex quo religio Christiana constituta est, nemo vnquam, nisi magni huius, atque Diuini Viri tempore, quatuor simul Patriarchas conuenisse meminit. Quatuor autem Patriarchæ sunt hi: Vigilius veteris Romæ, Euthychius hic nouæ Romæ, Apollinaris magnæ Alexandriæ, Domnus Antiochiæ: qui tanquam vnum in corpus ex quatuor elementis conflati, vnanimes manus inter se coniunxerunt. Anno Christi 600.

79. Isidorus Hispalensis. Præfatione in opus Conciliorum: Subiecimus reliqua Præsulum Romanorum decreta, vsque ad S.Gregorium, & quasdam ipsius epistolas, in quibus pro culmine Sedis Apostolicæ non impar Conciliorum extat auctoritas, &c. Nullam Synodum ratam esse legimus, quæ non fuerit Apostolicæ Sedis auctoritate congregata, vel fulta. A.C.620.

80. Maximus Monachus. Disputatione cum Theodosio Cæsareensi Episcopo: Non audeo hac de re à vobis capere assensionem, cùm sim simplex Monachus: sed quoniam pupugit vos Deus, vt excusseretis sanctorum Patrum voces, vt Canon docet, Romam hac de re scribite, vel Imperator, vel Patriarcha imitari Dei humilitatem, inter seseque concorditer constituere, Synodali petitione ad Romanum Pontificem transmissa: & omnino si reperiatur ratio Ecclesiastica, quæ id concedat, ob rectam fidei confessionem, conuenite super hoc inter vos. A.C.630.

81. Anastasius, discipulus S. Maximi. Apud Gennadium Scholarium de primatu Papæ sect.8. Cùm fides concordissimè ab omnibus exagiraretur, nisi speciali gratia opem tulerit, qui semper succurrit, semine religionis apud veterem Romam nobis relicto, ad confirmandam promissionem mentiri nesciam, quæ facta est Principi Apostolorum, &c. A.C. 630.

82. So-

82. Sophronins Hierosolymitanus, Epist. ad Stephanum Episcopum: De finibus terræ, vsque ad terminos eius ambula, donec ad Apostolicam Sedem, vbi Orthodoxorum dogmatum fundamenta existunt, peruenias. A.C. 630.

83. Victor Carthaginensis, Epist. ad Theodorum Papam (extat in Concilio Lateran.) Vestrum est, Frater charissime, canonica discretione sollicitè contrarijs catholicę fidei obuiare, nec permittere nouiter dici, quod Patrum venerabilium auctoritas omnino non censuit. Nos enim vno vinculo charitatis vobiscum sumus constricti. A.C. 640.

84. Columbus, & cæteri primates, & Episcopi Prouinciarum Africæ, Numidiæ, Bizaceni, & Mauritaniæ; Epist. ad Theodorum Papam. Eum salutant Patrum, & Summum omnium Præsulum Pontificem, & addunt (extat in Concilio Lateran. consult. 2.) Magnum, & indeficientem, omnibus christianis fluenta redundantem, apud Apostolicam Sedem consistere fontem, nullus ambigere possit, de quo riuuli prodeunt affluenter vniuersum largissimè irrigantes orbem christianorum; cui etiam in honorem beatissimi Petri, Patrum decreta peculiarem omnem decreuere reuerentiam in requirendis Dei rebus, quæ omninò, & sollicite debent, maximè verò, iustèque ab ipso Præsulum examinari vertice Apostolico, cuius vetusta sollicitudo est, tam mala damnare, quàm probare laudanda. Antiquis enim regulis sancitum est, vt quicquid quamuis in remotis, vel in longinquo positis ageretur prouincijs, non priùs tractandum, vel accipiendum sit, nisi ad notitiam Almæ Sedis vestræ fuisset deductum, vt huius auctoritate, iuxta quæ fuisset pronunciatio firmaretur, indeque sumerent cæteræ Ecclesiæ (velut de natali suo fonte) prædicationis exordium, & per diuersas totius mundi regiones puritatis incorruptæ maneant fidei sacramenta salutis. A.C. 640.

85. Stephanus Dorensis. Libello ad Martinum Papam: Annunciamus hæc omnia omnium præpositæ Sedi: dico autem summæ vestræ, & principali, ad medicinale consultum emersi vulneris: quippe quoniam hoc potestatiuè olim, & ab antiquitus facere per Apostolicam, siuè Canonicam consueuerit auctoritatem, dum aperta lucubratione non solùm claues Regni cęlorum sunt ei creditæ, atque ipse tantummodo ad aperiendum eas fidelibus quidem dignè, minimè autem Euangelio gratiæ credentibus iustè claudere magnus secundùm veritatem, & princeps Apostolorum meruit Petrus: sed etiam, & pascere primus iussus est oues totius catholicæ Ecclesiæ, cùm Dominus dicit: Petre amas me? Pasce oues meas. Et iterum ipse præcipuè, ac specialiter firmam præ omnibus habens in Dominum Deum nostrum fidem, conuertere aliquando, & confirmare exagitatos consortes suos, & spirituales meruit fratres, vtpotè dispensatiuè super omnes ab ipso, qui propter nos incarnatus est Deus, potestatem accipiens, & sacerdotalem auctoritatem, quòd sciens Patriarcha Sophronius me ad hanc Apostolicam, magnamque direxit sedem. A.C. 650.

86. Sergius Cyprius, Epist. ad Thodorum Papam: Sanctissimo, & beatissimo, à Deo honorabili Domino meo, Patri Patrum, Archiepiscopo, & vniuersali Papæ Domino Theodoro Sergius humilis in Domino salutem. Firmamentum à Deo fixum, firmum & immobile, atque tituli formam lucidissimam fidei vestram Apostolicam Sedem constituit, ò sacer vertex, Christus Deus noster. Tu es enim: sicut Diuinum veraciter pronunciat Verbum, Petrus, & super fundamentum tuum Ecclesiæ confirmatæ sunt: tibi & claues Regni cęlorum commisit, atque ligare, & soluere potestatiuè, quæ in terra, & quæ in cœlis sunt promulgauit: tu prophanarum hæreseon depositor existis, vt princeps, & Doctor Orthodoxæ, & immaculatæ fidei. Igitur non despicias Patrum tuorum Pater fidem æstuantem, & ab aliquibus hæreticis ventis violentatam, necnon periclitantem: resolue nebulam insipientium lumine tuæ sapientiæ Diuinæ, ò Sanctissime &c. A.C. 650.

87. Maurus Episcopus Rauennatensis, Epist. ad Martinum Papam (extat in Synodo Lateran. sub Martino Papa) Domino sancto; & meritis beatissimo, totoque Orbe Apostolico, & vniuersali Pontifici Martino Papæ, Maurus Seruus seruorum Dei Episcopus. Et subscriptio: ora pro me Domine sancte, & meritis beatissime, totoque Orbe Apostolicę Papa. A.C. 650.

88. Ionas Monachus. Vitæ S. Eustachij cap. 5. Aquileienses, tum desciuerant à communione Sedis Apostolicæ, de qua Dominus in Euangelio ad B. Petrum Apostolorum Principem loquitur: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: & portæ inferi non præualebunt aduersùs eam. Desciuerant autem ob trium capitulorum dissensionem, vndè discordiæ incrementa diuturna manarunt, quod præsenti operi non est necesse inserere. A.C. 650.

89. Aldhelmus, Epist. ad Geruntium: Si ergo Petro claues regni cęlestis à Christo collatæ sunt, de quo ait Poeta: A.C. 670.

Clauiger æthereus, portam qui pandit in æthra,

Quis Ecclesiæ eius statuta principalia spernens, & doctrinæ mandata contemnens, per cęlestis paradisi portam gratulantibus ingreditur? Et si ipse potestatem ligandi, atque monarchiam soluendi in cœlo, & in terra felici sorte, & peculiari priuilegio accipere promeruit, quis Paschalis festi regulam, & tonsuræ Romanæ ritum refutans, non potiùs se strictis nexibus inextricabiliter obligandum, quàm clementer absoluendum vllatenus arbitretur?

90. Synodus sexta Constantinopolitana. Actione 17. Subscriptiones: Theodorus humilis presbyter Sanctæ Romanæ Ecclesiæ locum gerens Agathonis ter beatissimi vniuersalis Papæ Vrbis Romæ subscripsi. Georgius misericordia Dei Episcopus Constantinopoleos nouæ Romæ definiens subscripsi. A.C. 680.

Eadem, act. 18. Proindè inspiratione sancti Spiritus conspirantes, & ad inuicem, omnes consonantes, atque consentientes, & Agathonis sanctissimi Patris nostri, & Sum-

nii

mi Papæ dogmaticis literis ad vestram fortitudinem missis, consentientes, vnum de sancta Trinitate Dominum Nostrum Iesum Christum etiam incarnatum prædicamus in duabus perfectis naturis indiuisè, &c. Summus autem nobiscum concertabat Apostolorum Princeps: illius enim imitatorem, & sedis successorem habuimus fautorem, & Diuini Sacramenti mysterium illustrantem per literas: confessionem tibi à Deo inscriptam illa Romana antiqua ciuitas obtulit, & dogmatum diem à vespertinis partibus extulit: charta, & atramentum videbatur, & per Agathonem Petrus loquebatur.

91. Constantinus Imp. Epist. ad Synodum Apostolicæ Sedis antiquæ Romæ: Idcircò, & omnes consonanter mente, & lingua concredimus, & similiter confessi sumus, & tanquam ipsius Diuini Petri vocem Agathonis relationem supermitati sumus. A.C. 680.

92. Beda, Histor. Anglicanæ lib. 2. cap. 1. B. Papa Gregorius, cùm primum in toto Orbe gereret Pontificatum, & conuersis iam dudum ad fidem veritatis esset prælatus Ecclesijs, Anglorum gentem eatenus idolis mancipatum Christi fecit Ecclesiam. A.C. 700.

Idem, lib. 3. cap. 25. Contendentibus de obseruatione Paschæ hinc Colmanno cum Clericis suis de Scotia, indè Wilfrido, & Agathone Presbyteris: illo traditionem Ioannis, hoc autem beati Petri, & Pauli doctrinam vrgente, tandem Wilfridus dixit: Si tu Colmanne, & socij tui audita decreta Sedis Apostolicæ, imò vniuersalis Ecclesiæ, & hæc sacris literis confirmata sequi contemnitis, absque vlla dubietate peccatis. Et si sanctus erat Columba vester, imò & noster, & Christi erat, nam præferri potuit beatissimo Apostolorum Principi, cui Dominus ait: Tu es Petrus, &c. Hęc perorante Wilfrido, dixit Oswi Rex Saxonum: An vtrique vestrum in hoc consentiunt, quòd hæc principaliter Petro dicta, & ei claues Regni cœlorum sint datæ à Domino? responderunt, etiam, vtrique. At ille ita conclusit: Et ego vobis dico, quia hic est ostiarius ille, cui ego contradicere nolo, sed in quantum noui, vel valeo, huius cupio in omnibus obedire statutis, ne fortè me adueniente ad fores Regni cœlorum, non sit, qui referat, auerso illo, qui claues tenere probatur. A.C. 700.

Idem, cap. 29. Oswi, quamuis educatus à Scotis, intellexerat veraciter, quia Romana esset Catholica, & Apostolica Ecclesia; vndè tam ipse, quàm Ægbertus Cantuariorum Rex Wigardum Romam miserunt, vt accepto gradu Archiepiscopatus Catholicis Anglorum Ecclesijs ordinare posset Antistites.

Idem, Homil. in natali Benedicti: Roma per summos Christi Apostolos totius Ecclesię caput eminet eximium.

Idem, de ratione temporum; Iustinianus II. Imp. de peccatis suis pœnitentiam agens, Constantinum Romanum Pontificem in Nicomediam ad se vocans, honorificè suscepit, ac remisit: quem prostratus humi pro suis peccatis intercedere rogans, absolutionem, & communionem consecutus est.

93. Ioannes Patriarcha Constantinopolitanus, Epist. ad Constantinum Papam. Cùm his vestrum Apostolicum præsidendi munus possumus comparare, & qui vos caput sacerdotij secundùm Christum reputamus, meritò damus operam, vt à nobis corpori Ecclesiæ nostræ alleuationem offensionis, quam ex pestifera animarum tyrannide accepit, feramus. Sanè quidem vos, vt capitis proprium est, non despicietis nos, qui præter voluntatem nostram in morbum incidimus, nec à vestra coniunctione alienabitis: quin potiùs tristitia de nostris vulneribus affecti (si quid enim vnum membrum patitur, cętera compatiuntur, vt Apostolus ait) recuperata valetudine, ac restituta sanitate, meritissimè congaudebitis. A.C. 710.

94. Bonifacius, Moguntinus Episcopus, Epist. ad Zachariam Papam. Deo gratias agimus, quòd clementem Paternitatem vestram altissimus arbiter canonica cura regere, & Apostolicę Sedis gubernacula gubernare concessit. Ergo non aliter, quàm vt ante vestigia vestra geniculantes intimis subnixè flagitamus precibus, vt sicut prædecessorum vestrorum pro auctoritate S. Petri pietatis serui deuoti, & subditi discipuli fuimus, sic & vestrę pietatis serui obedientes, subditi sub iure Canonico fieri mereamur, optantes catholicam fidem, & vnitatem Romanę Ecclesię seruando dilatare, & quantoscumque audientes, vel discipulos in ista legatione mihi donauerit Dominus, ad obedientiam Apostolicę Sedis inuitare, & inclinare non cesso. Necesse quoque habemus indicare Paternitati vestræ, quia per Dei gratiam Germanię populis tres ordinauimus Episcopos, & Prouinciam in tres parochias discreuimus, & illa tria oppida, siue Vrbes, in quibus, & ordinati sunt, scriptis auctoritatis vestræ confirmari, & stabiliri precantes desideramus. A.C. 740.

Idem, Epist. ad Stephanum 2. Domino Excellentissimo Stephano Papę Bonifacius exiguus Episcopus, discipulus Romanę Ecclesię in Christo charitatis salutem sanctitatis vestræ clementiam intimis obnixè flagito precibus, vt familiaritatem, & vnitatem sanctę Sedis Apostolicę à vestra clementia habere merear, & in disciplinatu Paternitatis vestrę Sedi Apostolicę seruiendo, seruus vester fidelis, ac deuotus permanere possim &c. Si minùs peritè aliquid, aut iniustè à me factum, vel dictum reperitur, indicio Romanę Ecclesię prompta voluntate, & humilitate emendaturum me spondeo.

95. Alcuinus, lib. de Diuinis Officijs cap. 19. Religionis cultum sic Dominus instituit, vt in beatissimo Petro Apostolorum summo principaliter collocaret, atque ab ipso quasi quodam capite dona sua vellet in corpus omne manare; Vndè constat, ab vniuersi Orbis communione separatos esse, sicut docet B. Pelagius, qui qualibet dissensione inter sacra mysteria Apostolici Pontificis memoriam secundùm consuetudinem non frequentant. A.C. 750.

96. Paulus Diaconus. De gestis Longobardorum lib. 6. cap. 4. alleg. 15. Cedoaldus Rex Anglorum ad Christum conuersus, Romam properauit, vbi à Papa Sergio baptizatus, ad cœlum transijt, hoc Epitaphio tumulo inscripto: A.C. 770.

Culmen, opes, sobolem, pollentia regna, triumphos,
Armipotens Cedoal liquit amore Dei.
Vt Petrum, sedemque Petri, Rex cerneret hospes,
Cuius fonte sacras sumeret albus aquas.

Idem, lib. 6. cap. 10. alleg. 28. Aribertus Rex Longobardorum donationem patrimonij Alpium Cottiarum, quę quondam ad ius pertinuerant Apostolicę Sedis, sed à Longobardis multo tempore fuerant ablatę, restituit, & hanc donationem aureis literis exaratam Romam direxit. Tunc quoque venit Benedictus Archiepiscopus Mediolanēsis Romam, & causam egit pro Ecclesia Ticinensi, sed victus est, eo quòd à priscis temporibus Ticinenses Episcopi à Romana Ecclesia fuerant consecrati.

97. Paulinus Aquileiensis aduersùs Felicem Vrgelitanum: Eos etiam, qui post hanc tam saluberrimam definitionem, quam plenaria Synodus sancto afflatu Spiritu concorditer subtili sinceritate terminauit, falsissimis eorum assertionibus, siuè clam, siuè in publica voce prohibuerint assensum, similī eos sententię vindictā sancimus esse plectendos: reseruato per omnia iuris priuilegio Summi Pontificis Domini, & Patris nostri Adriani primę Sedis beatissimi Papę. A.C. 780.

98. Ambrosius Ansbertus, Epist. ad Stephanum Papam, præfixa Commentarijs in Apocalypsim: Sanctorum Ecclesia, quę corpus Redemptoris sui est, cuius tu quoque Pontificalis ordinis primarum sortitus es. A.C. 780.

Idem, in fine Commentariorum: Temporibus Pauli Pontificis Romani, & Desiderij Regis Longobardorum hoc opus confeci: atque compleui.

99. Tarasius Patr. Constantinopolitanus in Synodo Nicœna actione 2. Adrianus veteris Romę Primas, & testatorum principum successor clatè, & verè tùm ad Imperatores nostros, tum ad nostram mediocritatem scripsisse mihi videtur, constabiliuitque, & rectum esse declarauit Catholicę Ecclesię antiquam traditionem. A.C. 790.

Idem, Epist. ad Adrianum Papam. Itaque prerogatiua quadā literas sanctitatis tuæ primo loco legi iussimus, & eramus quidem tunc omnes veluti in regio conuiuio epulis spiritus intenti, quod & tali conuiuio animi nostri recrearentur. Post illas literas, legimus quoque eas, quę ex dięcesibus nobis missę fuerant.

100. Concilium Nicęnum secundum actione 2. Ecclesia Romana est caput omnium Ecclesiarum, A.C. 790.

Idem, act. 6. execrabilis est, & profana, & adulterina Septima Synodus Constantinopolitana, non enim habuit cooperatium vt hæc, quæ nunc celebratur, Romanum Pontificem: neque illius Sacerdotes, neque per Vicarios, neque per Prouinciales literas, quemadmodum fieri in Synodis debet, &c.

Idem act. 7. Legati Romani Pontificis primi subscribunt: miseratione Diuina Protopresbyter sanctissimæ Ecclesię Romanæ beati Petri, & locum retines Adriani Papæ veteris Romæ definiens subscripsi. Tarasius miseratione Diuina Episcopus Constantinopolitanus nouæ Romæ definiendo subscripsi, &c.

101. Concilium Caroli Imperatoris apud Gratianum dist. 19. In memoriam B. Petri Apostoli honoremus Sanctam Romanam Ecclesiam, & Apost. Sedem, vt quæ nobis Sacerdotalis mater est dignitatis, Ecclesiasticæ esse debeat magistra rationis: quare seruanda est cum mansuetudine humilitas. Et licèt vix ferendum ab illa sancta Sede imponatur iugum, tamen feramus, & pia deuotione toleremus. A.C. 800.

102. Nicephorus Pat. Constantinopolitanus epist ad Leonem Tertium Papam, si qua autem à nobis sunt prætermissa, ea amico, paternoque affectu per vos metipsos explete, quò nimirum vestra abundantia nostram suppleat inopiam. Quodcumq; inquā, vel in verbis, vel in rebus nobis deest, id venerabilis, Sacerdoteque digna auctoritate vitæ nostræ adijcite, & superædificate. Vestra Diuina virtute nos veluti inferiores fulcite, pedesque nostros ad currendam Euangelij semitam perficite, neque vlla omnino, quæ salutaria, aut vtilia videbuntur, suggerere prętermittir, &c. Quod iusto serius per ea, quæ hactenus exposuimus, occurrerimus id nemo miretur, neque nostram ob id existimationē in accusationem adducat: quin potiùs Deo dilecta vestra fraternitas certo sibi persuasum habeat, Sacerdotem consuetudinem nequaquam hic exoleuisse, aut per contemptum, vel per ignauiam quippiam eorum, quæ Ecclesiasticis viris conueniuet: neglectui habuisse: verùm duram, implacabilemque præpotentis potestatis sententiam, quo minùs decretis vteremur obstitisse. Ignoscat proinde beata vestra anima, si quam noxam cunctatione mea promerui, cogitetque haudquaquam facile esse potentibus propria voluntate elatis & quodcumque animo libitum fuerit adimplere satagentibus, sese opponere, A.C. 815.

103. Theodorus Studites epist. ad Paschalem Papam: Audi Apostolicum caput, Pastor ouium Christi à Deo electe, Clauiger Regni cælorum, petra fidei, super quam est ædificata Ecclesia Catholica, &c. Huc ades, ab Occidente exurge, & ne repellas in finem. Tibi namque dixit Christus Deus noster: Tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. A. C. 820.

Idem, epist ad Michaelem Imp. cùm nos in vnum conuenissemus venerabilis Imperij vestris iussu minimi Episcopi, & Præpositi, &c. nos diluimus omnes dubitationes vestras: si verò aliquid dubitare, vel non credere videtur vestra diuina magnificentia, eius rei explicatio à Pontifice piè est postulanda, magna, & à Deo firmata manus vestra, vt publicæ cupida vtilitatis, iubeat à veteri Roma capere declarationem, vt à principio à Patribus nostris est traditum. Ea, ò Christi imitator Imperator, Inter omnes EcclesiasDei summum, & supremum obtinet locum, cuius Petrus tenuit primam Sedem, ad quem dicit Dominus: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersùs eum.

Idem epist ad Naucratium: Testor nunc coram Deo, & hominibus, diuisi sunt à corpore Christi, & à suprema Sede, apud quam Christus deposuit claues fidei, aduersùs quam portæ inferi à sæculo non pręualuerunt, nec præ-

prævalebunt vsque ad consummationem eius, hæreticorum videlicet effrenata ora, secundùm promissionem veracis Domini.

104. Aimoinus Histor. Francorum lib. 2. cap. 1. Sanctissimus Papa Ioannes, qui Hormisdæ successerat, Constantinopolim ad Iustinum Imp: profectus est, occurrit autem ei Augustus, & omnis ciuitatis Clerus, gaudente Principe se in Regia ciuitate Pontificem Sedis Apostolicæ. Peroratis igitur, pro quibus ierat, ipsi Iustino Augusto, vt Vicarius Beati Petri, Imperialem imposuit coronam, Ann. Christi 825.

105. Walafridus Strabo. De rebus Ecclesiasticis cap. 22. Romanorum morem ideo in rebus sacris tam multæ gentes imitantur, quia, & tanti magisterij, & ex apice Apostolico primordijs clarent, & nulla per Orbem Ecclesia æquè, vt Romana ab omni fęce hæreseos cunctis retro temporibus pura permansit. A.C. 830.

Idem cap. 31. sicut gens Romanorum, totius orbis monarchiam tenuisse fertur: ita Summus Pontifex in Sede Romana, vicem B. Petri gerens, totius Ecclesiæ apice sublimatur: deque Sardicensi Concilio statuitur, cunctorum statuta ad eum referri debere, idque obseruandum quod ipse statueret.

106. Ionas Aurelianensis lib. 1. de cultu Imaginum: Iussu Caroli magni in vnum coacti milites Christi, adhibita etiam S. R. Ecclesiæ auctoritate, Felicem damnarunt. AC. 840. Idem lib. 3. Quid enim si, vt supra dictum est, Claues Regni cælorum, quasi eminentissimo sanctæ Ecclesiæ membro intelligo traditas, beato videlicet Petro, vt per illud ad cæteros, hæc dignitas transeat: num idcirco mens mea ab eius amore tepescet, quem pluris videam à Domino honorari? Potior namque in eius deuotione amoris coalescet ignis, vt quod omnium est commune, ipse quodammodo accepisse videatur singularis.

107. Strabus Fuldensis. In glossa ordinaria 2. Paral. 17. Spiritualis iudicat omnia, & ipse à nemine iudicatur. Et hoc Papæ conuenit in vniuersali Ecclesia, Archiepiscopis autem in suis Prouincijs, & Episcopis in suis Diœcesibus. Ann. Christi 840.

108. Rabanus Maurus ad Matt. c. 17. Hæc ligandi, atque soluendi potestas quamuis soli Petro data videatur à Domino, tamen, & cæteris Apostolis datur, necnon etiam nunc Episcopis: & Presbyteris Ecclesiæ. Sed ideo Petrus specialiter claues Regni cælorum & principatum iudiciariæ potestatis accepit, vt omnes per Orbem credentes intelligant, quod quicumque ab vnitate fidei, vel societatis illius quolibet modo seipsos segregaut tales nec vinculis peccatorum solui, nec ianuam posse ingredi Regni cælestis. A.C. 840.

Idem de laude S. Crucis ad Gregorium Quartum Papam.

Sedis Apostolicæ Princeps, lux aurea Romæ,
Et decus, & Doctor plebis, & almus amor:
Tu caput Ecclesię es, primus Patriarcha per Orbem,
Præclarus meritis, & pietate potens.
Sal terræ, mundi lux, atque Vrbs inclyta Christi,
Perpetua præbens lucis iter populo.
Vestra valet cælum reserare, ac claudere lingua,
In terra positus claniger æthereus.
Tu renouator ades patriæ, spes, Rector, honorque,
Dulcis amor cunctis, dignus amore Dei.

109. Methodius Patr. Constantinopolitanus in martyrio Dionysij Areopagitæ: Dionysius ingressus Romam, inuenit S. Clementem, Apostolicæ habentem Cathedræ potestatem, cum consequente honore.

110. Hincmarus in synodo apud S. Medardum: Ego Hincmarus eligo mihi iudices in hac dumtaxat causa, quę ventilatur, Weniloneni Archiepiscopum, Amalricum Turonensem Archiepiscopum, &c. salua etiam reuerentia Apostolicæ Sedis, cui in omnibus causis debet reuerentia exhiberi, sicut Innocentius Papa ad Victoricium Rotomagensem scribit Episcopum, & sancti etiam Canones præfigere dignoscuntur, &c. Porrexit etiam idem Hincmarus epistolam totius Gallię Episcoporum manibus subscriptam, ad Apostolicam Sedem pro confirmatione ipsius ordinationis, quoniam Sedes Apostolica per Sergium Papam Ebbonum Episcopum damnauit, adeò vt inter laicos tãtùm communionem habere mereretur. Ostendit etiam ipsi Christianissimo Principi diploma sacrum, ipsius venerandi Principis manibus insignitum, & sigillo subter signatum, ex approbatione suæ ordinationis, ad eandem sanctam, & Apostolicam, omnium scilicet Ecclesiarum matrem, Romanam Ecclesiam. Ann. Christi 850.

Idem, epistola ad Adrianum 2. scribens, vocat eum Patrem Patrum, primariæ Sedis Apostolicæ, & vniuersalis Ecclesiæ Papam, & subdit: Hanc meæ subiectionis humilimam suggestionem in benignitate suscipite, quã primus Apostolorum, non solùm minoris sui redargutionem pro simulatione suscepit, verùm & minorum suorum quæstionem, cur ad præputiatos intrauerit, lenire curauit.

111. Hildoinus in Areopaticis: Extant apud nos Epistolæ Innocentij, & post eum Gelasij: necnon, & moderniùs B. Papæ Gregorij, aliorumque Pontificum ad Episcopos vrbium Galliarum, & Antistitum nostrorum ad ipsos, de more Romano in cunctis Ecclesiasticæ auctoritatis munijs imitando. Ann. Christi 850.

112. Landramus Turonensis epist. ad Nomenium Priorem Gentis Britannicæ: Hæc ad tuam perditionem sufficiebant, sed ad cumulum malorum auxisti temeritatem, & omnem læsisti Christianitatem, dum Vicarium B. Petri Leonem Apostolicum, cui dedit Deus Primatum in Orbe terrarum, spreuisti, &c. Maximum reatum te contraxisse scimus, quod epistolam Sedis Apostolicæ respuisti, existimans aliqua in ea tibi noxia contineri, sed quod exemplar eius Venerabilis Papa nobis dignatus est dirigere, notum tibi facimus, nihil in ea contineri, quod ad tuam pertineat læsionem. Est apud Lupum Ferrarien-

sem epistola 84. Ann. Christi 850.

113. Photius Patriarcha Constantinopolitanus epist. ad Nicolaum Papam: Qui locum Sanctitatis vestræ tenebunt, sermonem nobiscum habuerũt de ijs, qui ordinationes à seipsis iampridem acceperunt oportere eos reuertere, & ad matricem recurrere. Verùm si penes nos esset in hac re potestas voluntatis: & non esset factus huius operis particeps Imperator, licèt excusatione vti necesse esset, ostẽderemus tamen præstare facere quod petitur: quàm excusare. Sed quia Ecclesiastica, & præsertim iura de territorij simul cum ciuili dominatu, & gubernatione mutari solent, sapiens æquitas Sanctitatis vestræ amplectens voluntatem meam, ad consentiendum, & tribuendum, quod petit propensam, quod non accipiat ordinationes, potestatis ciuilis crimen esse reputet, non meum. Ego enim, quæ præteritis temporibus iustè, & amicè, & pacificè sub aliorum potestate erant, non habeo in animo renocare: quin potius si quis posset, & vellet procurare, quæ à principio ad hanc Sedem pertinent, promptè cederem ei, qui magis posset plura retinere, pluribusque implicari. Siquidem, qui mihi aliquid ex ijs, quæ non habebam, addidisset, maius ille quidem onus imposuisset: qui verò aliquid ex ijs, quæ habebam priùs, vt cum charitate accipiat, operam dat, magis mihi danti gratiam, & beneficium tribuit, quàm sibi accipienti lucrum acquirit: onus enim præfecturæ mihi leuius efficit. Si igitur, qui mea accipit amicè, & beneuolè, hunc fateor benè de me mereri: ei qui ea, quæ ad se pertinent, quærit, quis non libens dabit, si nullus impediat? Tanto præsertim Patri, & qui per tales, tam Deo charos, & studiosos viros petit. A.C. 860.

114. Ignatius Constantinopolitanus epistola ad Nicolaum Papam actione 3. octauæ Synodi: Eorum vulnerum atque liuorum, qui in membris humanis consistunt, multos medicos protulit ars. Hanc quidem passionem alio accipiente, & alteram altero, & per experientiam amputante, & medente: eorum verò, quæ in membris sunt Christi, & Dei Saluatoris, omnium nostrorum capitis; & sponsę Catholicæ, & Apostolicæ Ecclesiæ, vnum, & singularem præcellentem, atque Catholicissimum Medicum ipse princeps summus, & fortissimus Sermo, & ordinator, & curator, & solus ex toto magister Deus omnium produxit: videlicet tuam fraternam Sanctitatem, & Paternam almitatem: propter quæ dixit Petro, magno, & summo Apostolorum: Tu es Petrus, & super hanc Petram &c. Tales enim beatas voces non secundùm quandam vtique sortem Apostolorum Principi solùm circumscripsit, & definiuit: sed per eum ad omnes qui post illum, secundùm ipsum efficiendi erant summi Pastores, & Diuinissimi sacrique Pontifices senioris Romæ transmisit, Et ideo ab olim, & à prisco tempore in exortis hæresibus, & præuaricationibus eradicatores, & interemptores malorum zizaniorum, & tabefactorum, & penitus insatiabiliter ægrotantium membrorum, multi multoties facti sunt eorum, qui Sanctitatem, & summam Paternitatem tuam illic præcesserunt, successores videlicet Principis Apostolorum, & illius zelum in fide, quæ secundùm Christum est, imitantes, & nunc nostris temporibus Beatitudo tua dignè tractauit, datam sibi à Christo potestatem, &c. A.C. 860.

115. Anastasius Bibliothecarius, præfatione ad P.M. in vitam Ioannis Elemosynarij à se versam: Non fas est, vt absque Vicario Dei, absque Clauigero cæli, absque curru, & auriga spiritualis Israelis, absque vniuersali Pontifice, absque vnico Papa, absque singulari Pastore, absque speciali Patre, absque te omnium arbitro aliquid consummetur, aut diuulgetur. Tu enim tenes claues Dauid, tu accepisti claues scientiæ. In arca quippe pectoris tui tabula Testamenti, & manna cælestis saporis requiescunt. Tu enim quod ligas, nemo soluit: quod aperis nemo claudit: quod claudis, nemo aperit. Vicem namque in terris possides Dei, &c. A.C. 860.

Salue Præsul amate Deo per sæcula, salue
Totius, atque Orbis Papa beate vale.

116. Constantinopolitana octaua generalis Synodus, Canone 21. Definimus, neminem prorsùs mundi potentium quemquam eorum, qui Patriarchalibus Sedibus præsunt, inhonorare, aut mouere à proprio throno tentare, sed omni reuerentia, & honore dignos iudicare. Præcipuè quidem sanctissimum Papam senioris Romæ: deinceps etiam Constantinopoleos Patriarcham: deinde verò Alexandriæ, & Antiochiæ, atque Hierosolymorum. Sed nec alium quemquam conscriptiones contra sanctissimum Papam senioris Romæ, ac verba complicare, vel componere liceat, sub occasione quasi diffamator quorundam criminum. Quod & nuper Photius fecit, & multò ante Dioscorus. Quisquis autem tale facinus contra Sedem Petri Principis Apostolorum ausus fuerit intentare, æqualem, & eamdem, quam ille, condemnationem recipiat. A.C. 867.

Præsederunt in hac Synodo Donatus, ac Stephanus Episcopi Adriani Pontificis Romani, & subscripserunt hac forma: Ego Donatus Episcopus Ostiensis Ecclesiæ, locum tenens Domini mei Adriani Pontificis, & vniuersalis Papæ, omnia, quæ superiùs leguntur, huic sanctæ, & vniuersali Synodo præsidens, ad voluntatem eximij Præsulis promulgaui, & manu propria subscripsi. Qua forma subscribendi, & eius duo collegæ vsi sunt. Post illos Ignatius Constantinopolitanus Patriarcha subscripsit hac forma: Ignatius Episcopus Constantinopolitanus sanctam hanc, & vniuersalem Synodum suscipiens, & omnibus quæ ab ea iudicata, & scripta sunt, concordans, & definiens subscripsi.

117. Rothaldus Suessionensis, Appellatione ad Nicolaum Papam. Dum ad Synodum conuocatam Episcopi conuenissemus, & ipse Hincmarus, quasi omnium dominus, præsidens & præualens, sententiam in me damnationis violenter, ac præcipitanter iaculari accelerarer, hanc ego Apostolicam Sedem, atque Apostolicum Præsulem, vniuersalis Ecclesiæ prouisorem appellare maturani. Tunc tres Hincmarus ad me Episcopos misit, mandans ad synodum ipsam vt sine mora venirem. Quibus ego respondi, quod non mihi

mihi ita liceret, neque ego hoc vllatenus auderem, vt in præiudicio S. R. E. omnium Ecclesiarum matris, eiusque excellentissimi Rectoris circa posito, cuicumque præbeam aliquo modo assensum. Ad illam summam auctoritatem sine intermissione appello, cui nullus potest contradicere, quæ à Domino Iesu Christo per beatum Petrum Apostolum tantum meruit Principatum. A.C.868.

118. Leo Imp. cognomento Sapiens, in quodam sermone: Vnde manens vsque in hodiernum diem Petrum sequens Christum in successore suo. A.C.880.

119. Synodus Triburiensis, cap. 30. In memoriam beati Petri Apostoli honoremus sanctam Romanam, & Apostolicam Sedem, vt quæ nobis sacerdotalis mater est dignitatis, esse debeat magistra ecclesiasticæ rationis. A.C.895.

120. Regino Prumiensis, in Chron. de anno 842. Romana Vrbs ab omni sancta Ecclesia, propter præsentiam Apostolorum Petri, & Pauli quodam speciali priuilegio honoratur. A.C.910.

Idem, de anno 865. Stultitiæ quodam elogio notandi sunt, qui illam Petri Sedem aliquo prauo dogmate fallere posse arbitrati sunt, quæ nec se fefellit, nec ab aliqua hæresi falli vnquam potuit.

Idem, de anno 866. Arsenius Episcopus Apocrisarius, & consiliarius Nicolai Papæ, vice ipsius directus est in Franciam, quò perueniens, tanta auctoritate, & potestate vsus est, ac si idem summus Præsul aduenisset. Conuocato denique Episcoporum conuentu, Lotharium Regem alloquitur, vt vnum è duobus eligat, aut propriæ reconcilietur vxori, abdicato Waldradæ pellicis consortio, aut protinus anathematis gladio feriretur ipse, omnesque ei in hoc scelere fauorem præstantes. Hac necessitate compulsus, vel constrictus, vellet nollet, Tithbergam Reginam in matrimonium recepit.

121. Luitprandus Ticinensis, lib.1. c. 8. Formosus Papa religiosissimus à Romanis vehementer affligebatur, cuius & hortatu Rex Arnulphus Romam aduenerat, in cuius ingressu, vlciscendo Papæ iniuriam, multos Romanorum Principes obuiam sibi properantes decollari præcepit. A.C.950.

Idem, lib.2. cap.13. Ioanne Rauennate Apostolorum Vicario constituto, Pæni Romanas Vrbes miserè laniabant.

Idem, lib.6. cap.6. Ioannes summus Pontifex, & vniuersalis Papa, &c. Otho à summo Pontifice, & vniuersali Papa Ioanne vnctionem suscepit Imperij: cui non solùm propria restituit, verùm etiam ingentibus gemmarum auri, & argenti muneribus ipsum honorauit.

122. Notgerus Leodiensis, in vita sancti Landoaldi: B. Amandus Romam deliberauit iteratò ire: Romanum vniuersalem Pontificatum Martinus Papa tum administrabat: cui B. Amandus vnum, cuius obtentu venerat, exprompsit. A.C.950.

123. Simeon Metaphrastes; Vitæ Gregorij Agrigentini Episcopi cap. 27. Theodoro Episcopo Agrigenti vita functo, alij alium in Sede collocare studebant, cumque vnusquisque vellet designatum à se auctoritate Pontificis firmari, ratumque fieri vellet, Romam ire perrexerunt, rem, vt moris est, Pontificis Maximi arbitrio permissuri. Pontifex verò ex diuina reuelatione Gregorium, qui fuerat à nullo nominatus, Agrigentinis præfecit, eumdemque apud eos falsi criminis accusatum, absoluit. A.C.950.

Idem, Vitæ Pauli Constantinop. Patriarchæ c. 4. Sanctus Iulius Papa cùm intellexisset, esse calumniam, quæ facta fuerat aduersùs Pontifices, eos literis munitos mittit ad Orientem, suam vnicuique reddens Sedem, & eos simul reprehendens, qui ipsos deposuerant. Atque suas quidem Ecclesias ij rursùm accipiunt, & mittunt literas ad eos, ad quos scriptæ fuerant. Cùm Eusebius itaque interijsset, Paulus in Sedem suam restituitur.

Idem, Vitæ sancti Stephani iunioris capit.30. Quonam pacto, qui sancta profecti estis, sanctum Concilium coegistis? O singularem absurditatem. Iam qui Oecumenicum Concilium istud vocari queat, quod nec Romanus Antistes, citra cuius auctoritatem nullo modo fieri potest, vt res ecclesiasticæ ad normam dirigantur, gratum habuit, nec Alexandrinus comprobauit, nec Antiochenus, nec denique Hierosolymitanus? Vbi nam eorum libelli sunt? aut quinam per diuersa loca missi sunt, in quibus falsum vestrum Concilium confirmaretur, vt hac ratione Oecumenicum censeri possit?

124. Burchardus Wormatiensis, libr. 1. c. 42. Auctoritas congregandarum Synodorum Sedi Apostolicæ priuata auctoritate commissa est. A.C.1020.

125. Berno Augiensis, libello de quibusdam ad Missam spectantibus c. 2. Cùm Romanorum Presbyteri ab Henrico Imp. interrogarentur, cur post Euangelium, vt in alijs Ecclesijs fiebat, Symbolum non canerent, me coram assistente, audiui eos huiusmodi responsum reddere: videlicet: Quod Romana Ecclesia non fuisset aliquando vlla hæreseos fæce infecta, sed secundùm sancti Petri doctrinam in soliditate Catholicæ Fidei permaneret inconcussa: & ideò magis his necessarium esse illud Symbolum sæpiùs cantando frequentare, qui aliquando vlla hæresi potuerunt maculari. A.C.1020.

126. S. Petrus Damianus, in vita S. Barbatiani: Roma absq; dubio caput est, & principalis Sedes totius Ecclesiæ. A.C.1050.

Idem, in vita S. Vitalis: Roma per summos Apostolos Petrum, & Paulum totius Orbis sibi vendicat principatum.

Idem, epist. 11. ad Nicolaum Papam c.5. Tu autem, dilectissime venerabilis Papa, qui Christi vice fungeris, qui summo Pastorum in Apostolica dignitate succedis, noli pestem hanc per ignauiam ad incrementa perducere, noli conniuendo, & dissimulando grassanti luxuriæ frena laxare.

127. Lanfrancus Cantuariensis, de Eucharistia contra Berengarium: Quotquot à primordio Christianæ religionis Christiani nominis dignitate gloriati sunt, etsi aliqui relicto veritatis tramite per deuia erroris incedere maluerunt, Sedem tamen sancti Petri Apostoli magnificè honorauerunt, nullamque aduersùs eam huiusmodi blasphemiam, vel dicere, vel scribere præsumpserunt, &c. Beati

Doctores, si non iisdem verbis, tamen sententijs multis in locis concorditer adstruxerunt, hæreticum esse omnem hominem, qui à Romana, & vniuersali Ecclesia in fidei doctrina discordat. A.C.1060.

128. Guitmundus Auersanus, de Sacramento Altaris: Berengarius defunctum sanctum LeonemPapam maledicis verbis,& scriptis lacessebat, sanctissimum illud, & reuerendissimum Ecclesiæ speculum,non Pontificem, sed Pompificem, eumque insatuatione Lanfranci infatuarum Concilium vanitatis adiuuasse blasphemans, &c. A.C.1060.

129. Anselmus Cantuariensis, de Incarnatione Verbi, cap. 1. Domino & Patri vniuersæ Ecclesiæ in terra peregrinanti summo Pontifici Vrbano: Quoniam diuina prouidentia vestram elegit sanctitatem, cui vitam & fidem Christianam custodiendam, & Ecclesiam suam regendam committeret:ad nullum alium rectiùs refertur, si quid contra Catholicam fidem oritur in Ecclesia, vt eius auctoritate corrigatur; nec vlli alij tutiùs, si quid contra errorem respondetur, ostenditur, vt eius prudentia examinetur. A.C.1080.

Idem, ad cap.1. ad Romanos: Ago gratias pro omnibus fidelibus, & primùm quidem pro omnibus vobis,scilicet quia vos primi estis: quoniam Romana Ecclesia primatum habet inter omnes Ecclesias.

Idem, Præfat. in epistolam ad Romanos: Magis credendum est, quod illi, qui in membra epistolarum in vno corpore collegerunt, hanc epistolam iudicauerunt sedere in capite, quæ ad Vrbem directa est, quæ illo tempore caput totius extitit Orbis, & quia vsque hodie Romana Ecclesia omnium Ecclesiarum obtinet principatum.

130. Hildebertus Cenomanensis, epistola 19. Magnum arbitramur remedium, si Romanus Pontifex,& consilio subuenerit nobis & auxilio. A.C.1100.

131. Edinenus Anglus, Vitæ S. Anselmi lib.2. Cùm veniret Romam, nunciatur Pontifici eius aduentus: adducitur cum reuerentia in medium, & in qua coram Papa decenter sedeat sella profertur. Ingressus, humiliat se pro more ad pedes summi Pontificis, sed statim ab ipso erigitur ad osculum eius. Sedet, ac pro aduentu illius lætari se Apostolicus cum Romana Curia dicit. Ann. Christi 1100.

132. Iuo Carnotensis,epist.48.ad Paschalem summum Pontificem: Sicut Romana Ecclesia omnium Ecclesiarum mater est, & magistra:sic eam decet filiorum iniurias propulsare, & contemptorum inobedientiam vindicare: vt & filius fuisse se subditum gaudeat,& contemptores inobedientes se fuisse pœniteat. A.C. 1100.

Idem, epist.71. Domino & Patri suo Paschali summo Pontifici, Iuo humilis Ecclesiæ Carnotensis minister, quicquid obedientiæ, quicquid famulatus ferre potest eius humilitas. Nouerit vestra Paternitas, me Guidonem Puteacensem fefugam, & Clericalis militiæ desertorem, propter sacrilegia sua, propter lamentationem, & oppressionem pupillorum, & viduarum, tamquam putridum membrum, à corpore Ecclesiæ præcidisse, & satanæ, cui penè per omnia famulatur, cum suis sequentibus tradidisse. Vnde flexis genibus cordis Paternitati vestræ supplico, vt sententiam anathematis, iustè in eum factam, Apostolica auctoritate confirmetis, & Archiepiscopo Senonensi, Episcopo Aurelianensi, Episcopo etiam Parisiensi, vt idem anathema in eum faciant, vestra auctoritate Apostolica iniungatis. Nisi enim rebellium filiorum prauitatem paterna seueritate feriatis, nisi tribulatos materna consolatione foueatis, nisi auxiliatricem manum laborantibus, & penè labentibus porrigatis, meritò conquerendo clamabit Ecclesia: Caput meum plenum est rore, & cincinni mei pleni guttis noctium.

Idem, epist. 183. Quoniam iudicia Romanæ Ecclesiæ à nemine foris retractari possc, eadem Romana Ecclesia doceure didicimus: si qui aliquando se prægrauatos ipsius Ecclesiæ auctoritate conqueruntur, hoc eis consilium damus,vt non descendant in Ægyptum propter auxilium, sed ab ipsa ad ipsam confugiant, & inde expetant leuamen, vnde se conqueruntur accepisse grauamen: quia quæ aliquando corripit paterna seueritate, eadem frequenter colligit materna pietate.

133. Leodienses Clerici, epistola ad Paschalem Papam: Romanus Præsul Pater omnium Ecclesiarum, &c. Non infirmamus, aut reprehendimus verbum Episcoporum Episcopi, non inuehimur in Christum Domini, ad quem pertinet sollicitudo omnium Ecclesiarum. A.C.1100.

134. Otho Bambergensis Episcopus, epistola ad Paschalem Papam: Domino & Patri suo Paschali, sanctæ & Apostolicæ Sedis vniuersali Episcopo, Otho Bambergensis Ecclesiæ id quod est: tam deuotæ, quàm debitæ subiectionis orationes, & seruitium. Quia totius ecclesiasticæ dignitatis, & religionis firmamentum in Christo petra est, & in Petro eius discipulo, & eius successoribus, idcircò ab hac linea directionis virga Regnorum, Pontificatuum, & omnium potestatum in Ecclesia, insanum duxi aberrare. Vobis igitur, Pater sanctissime, & matri meæ Romanæ Ecclesiæ collum submitto, & deuotæ sublimitatis auxilium, & consilium de rebus meis flagito. In obsequio enim Domini mei Imperatoris per annos aliquos degens, & gratiam in oculis eius inueniens, suspectam habens de manu Principis inuestituram, semel & iterùm cùm dare vellet renui Episcopatum. Nunc verò iam tertiò in Bambergensem Episcopum me ordinauit: in quo tamen minimè permanebo, nisi vestræ complaceat Sanctitati per vos me inuestire, & consecrare. Quicquid ergo placeat discretioni vestræ de me, per nuncios meos significate mihi de seruo vestro, ne fortè in vacuum curram, si ad vos non currere incipiam. A.C.1100.

135. Ioannes Zonaras in Constantino: Multis igitur alijs ornamentis Vrbem decorauit Magnus Constantinus; & cùm priùs Episcopatus esset Byzantium Heracleæ Traciæ, quippe à Seuero subiectum Perinthijs, posteaquam ab eo captum esset, quemadmodum in historia Seueri scriptum est, ad Patriarchatus honorem eam extulit, seruato vetustæ Romæ Primatu: tum propter antiquitatem, tum ob eam causam, quod illinc

Impe-

Imperium huc esset translatum. Ann. Christi 1100.

136. Hugo Victorinus, lib. 1. eruditionis Theolog. de Sacramentis Ecclesiæ c. 43. Papa dicitur, quia Pater Patrum. Hinc vniuersalis dicitur, quia vniuersæ Ecclesiæ præest: hic quoque Apostolicus vocatur, quia Principis Apostolorum vice fungitur: hic etiam summus Pontifex nuncupatur, quia caput est omnium Episcoporum. A.C. 1120.

137. S. Bernardus, Abbas Claræuallensis, de considerat. ad Eugenium Papam lib. 3. c. 8. Age indagemus adhuc diligentiùs quis sis, quam geras videlicet pro tempore personam in Ecclesia Dei. Quis es? Sacerdos magnus, summus Pontifex. Tu princeps Episcoporum, tu heres Apostolorum, tu primatu Abel, gubernatu Noe, Patriarchatu Abraham, ordine Melchisedech, dignitate Aaron, auctoritate Moyses, iudicatu Samuel, potestate Petrus, vnctione Christus. Tu es, cui claues traditæ, cui oues creditæ sunt. Sunt quidem & alij cæli ianitores, & gregum pastores, sed tu tantò gloriosiùs, quantò & differentiùs vtrumque præ cæteris nomen hereditasti. Habent illi sibi assignatos greges, singuli singulos, tibi vniuersi crediti, vni vnus. Nec modò ouium, sed & pastorum tu vnus omnium Pastor. Vnde id probem quæris? ex verbo Domini. Cui enim non dico Episcoporum, sed etiam Apostolorum sic absolutè, & indiscretè totæ commissæ sunt oues? Si me amas Petre, pasce oues meas. Quas? illius, vel illius populos ciuitatis, regionis, aut certi regni? oues, inquit, meas. Cui non planum non designasse aliquas, sed assignasse omnes? Nihil excipitur, vbi distinguitur nihil. Et fortè præsentes cęteri condiscipuli erant, cùm committens vni vnitatem omnibus commendaret in vno grege, & vno pastore, secundùm illud: Vna est columba mea, formosa mea, perfecta mea. Vbi vnitas, ibi perfectio, reliqui numeri perfectionem non habent, sed diuisionem, recedentes ab vnitate: inde est, quod alij singuli singulas sortiti sunt plebes, scientes Sacramentum. Denique Iacobus, qui videbatur columna Ecclesiæ, vna contentus est Hierosolyma, Petro vniuersitatem cedens. Cedente Domini fratre, quis se alter ingerat Petri prærogatiuæ? Ergo iuxta canones tuos alij in partem sollicitudinis, tu in plenitudinem potestatis vocatus es. Aliorum potestas certis arctatur limitibus: tua extenditur & in ipsos, qui potestatem super alios acceperunt. Nonne si causa extiterit, tu Episcopo cælum claudere, tu ipsum ab Episcopatu deponere, etiam & tradere satanæ potes? Stat ergo inconcussum priuilegium tuum, tibi tam in datis clauibus, quàm in ouibus commendatis. A.C. 1130.

Idem, epist. 125. Nec infructuosè Alemaniç, Franciç, Angliæ, Scotiç, Hispaniarum, & Hierosolymorum Reges, cum vniuerso Clero, & populis fauent, & adhærent Domino Innocentio Papç, tamquam filij Patri, tamquam capiti membra, solliciti seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis. Meritò autem illum recipit Ecclesia, cuius & opinio clarior, & electio sanior inuenta est, nimirum & eligentium & numero vincens & merito.

Idem, epist. 131. Plenitudo potestatis super vniuersas orbis Ecclesias singulari prerogatiua Apostolicæ Sedi donata est. Qui igitur huic potestati resistit, Dei ordinationi resistit. Potest, si vtile iudicauerit, nouos ordinare Episcopatus, vbi hactenus non fuerunt: potest eos, qui sunt, alios deprimere, alios sublimare, prout ratio sibi dictauerit, ita vt de Episcopis creare Archiepiscopos liceat, & è conuerso, si necesse visum fuerit. Potest à finibus terrę sublimes, quascumque personas Ecclesiasticas euocare, & cogere ad suam præsentiam, non semel aut bis, sed quoties expedire videbit.

Idem, epist. 183. ad Conradum Regem Romanorum: Regis dedecus, regni diminutionem numquam volui: violentos odit anima mea. Legi quippe: Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: & qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit: Quam tamen sententiam cupio vos, & omnimodis moneo custodire in exhibenda summæ, & Apostolicę Sedi, & B. Petri Vicario, sicut ipsam vobis vultis ab vniuerso seruari Imperio.

Idem, epist. 190. ad Innocentium Papam. Oportet ad vestrum referri Apostolatum pericula quæque, & scandala emergentia in Regno Dei, ea præsertim, quæ de fide contingunt. Dignum namque arbitror, ibi potissimùm resarciri damna fidei, vbi non possit fides sentire defectum. Hæc quippe huius prærogatiua Sedis. Cui enim alteri aliquando dictum est: Ego pro te rogaui Petre, vt non deficiat fides tua. Ergo quod sequitur, à Petri successore exigitur: Et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. Id quidem omnino necessarium. Tempus est, vt vestrum agnoscatis, Pater amantissimè, principatum, probetis zelum, ministerium honoretis. In eo planè Petri impletis vicem, cuius tenetis & sedem, si vestra admonitione corda in fide fluctuantia confirmatis, si vestra auctoritate conteritis fidei corruptores.

Idem, epist. 237. ad Eugenium Papam. Altiorem locum sortitus es, sed non tutiorem: sublimiorem, non securiorem. Terribilis prorsus terribilis est locus iste: Locus, inquam, in quo stas, terra sancta est, locus Petri est, locus principis Apostolorum, vbi steterunt pedes eius. Locus illius est, quem constituit Dominus dominum domus suę, & principem omnis possessionis suę.

Idem, sermone de priuilegijs B. Ioan. Baptistę: Hinc enim mater, & magistra omnium Ecclesiarum Ecclesię Romana, cui dictum est: Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua, in honorem Ioannis Baptistę post Saluatoris nomen consecrata est & signata. Dignum namque erat, vt sententiam sponsi sponsę sequeretur auctoritas, & singularem amicum eius illuc proueheret, vbi principatum ipsa conscendit. Electio proculdubiò hęc singularis est in illa ipsa Vrbe Ioannem vendicare primatum Ecclesię, quam duo cęli luminaria morte clarissima consecrarunt. Crucifigitur Petrus, gladiatur Paulus, & dignitas remanet pręcursori. Purpuratur Roma multitudine martyrum, totaque sublimitas beato refunditur Patriarchę.

138. Guigo Carthusianus. Prologo in vit.

vit. S. Hugonis Episcopi ad Innocentium II. Domino in Patri charissimo, ac reuerendissimo Sedis Apostolicę Pontifici Innocentio, Carthusiensium pauperum seruus inutilis Guigo perpetuam salutem, & pacem in Domino. Non pepercit nostrę, vel verecundię, vel imperitię Apostolatus vestri imperiosa dignatio. Sicut enim huic opusculo pręfixę vestrę serenitatis indicant literæ, B. Petri auctoritate & vestra mandastis, vt vitam B. Hugonis Gratianopoli Episcopi noscendam posteris scripto commendaremus, &c. Ad tantę pondus auctoritatis, ne mutire quidem præsumpsimus, ne dum ei non obedimus, cui totus commissus est mundus, eum offenderemus, à quo factus est mundus. A.C. 1130.

139. Petrus Lombardus, lib. 4. dist. 24. Ordo Episcoporum quadripartitus est, scilicet in Patriarchis, Archiepiscopis Metropolitanis, & Episcopis. Patriarcha Græcè Summus Patrum interpretatur, quia primum, id est Apostolicum tenet locum, vt Romanus, Antiochenus, Alexandrinus; sed omnium summus est Romanus Archiepiscopus, princeps Episcoporum. A.C. 1140.

140. Ioannes Gratianus, dist. 93. Obedientiam inferiores ex ordine superioribus debent. Summo enim Pontifici ea debetur ab omnibus obedictia, vt nulli liceat ei communicare, cui pro actibus suis inimicus ipse extiterit, nec in Ecclesia esse poterit, qui eius Cathedram deserit. A.C. 1150.

141. Petrus Cluniacensis, lib. 6. epist. 14. ad Eugenium Papam: Vestrum est totius Ecclesiæ Dei in hac valle lacrymarum peregrinantis causa audire, auditas discutere, discussas iudicio Apostolico definire. Et licèt persona vestra constituta sit super gentes, & regna, vt euellat & destruat, & disperdat, & dissipet, & ædificet, & plantet: tamen quia nec Deus, nec Hieremias Propheta, cui hoc dictum est, estis, potestis falli, potestis ab his, qui ea, quæ non Iesu Christi, sed quæ sua sunt quærunt, decipi. A.C. 1150.

Idem, epist. 44. Videat hæc omnia, & discutiat Pater vniuersalis, & qui curam paternam vniuersalis Ecclesię filijs debet, animę nec de inferioribus, nec de vilioribus sibi commissæ prouideat.

142. Hildegardis, epist. ad Eugenium Papam. Tu qui es vice Christi sedens in cura Ecclesiasticæ Cathedræ, meliorem partem tibi elige, &c. De summo Iudice dirigitur ad te, vt graues & impios tyrannos eradices, & à te eijcias, ne stent in magna irrisione in tua societate. A.C. 1150.

Eadem epist. ad Alexandrum Tertium. O summa & gloriosa persona, quæ primùm constituta es per Verbum Dei, per quod omnis creatura rationalis, & irrationalis in genere suo facta est: tibi specialiter idem Verbum claues regni cœlestis per indumentum humanitatis suæ, scilicet ligandi, & soluendi potestatem concessit. Tu quoque, excellentissime Pater, materia omnium spiritualium personarum existis, quæ tuba iustitiæ Dei sonant in Ecclesia.

143. Otto Frisingensis, in Chron. lib. 7. cap. 32. Ea tempestate legati Armeniorum Episcoporum, eorumque Metropolitani, quem ipsi Catholicon vocant, Legati ab vltimo penè Oriente Summum Pontificem Viterbij, laboriosum iter per annum, & sex menses complentes, adeunt, eique ex parte illius Ecclesiæ subiectionem omnimodam, eum consalutando afferentes, causas vlæ, nobis cum alijs multis præsentibus, apud veterem aulam aperiunt, &c. Pro his & alijs, dum inter se dissentirent, Romanam Ecclesiam iudicem eligentes, consultum veniunt, formamque sacrificij iuxta consuetudinem eius sibi tradi deposcunt. A.C. 1150.

144. Potho Prumiensis, de statu domus Dei lib. 3. Nonne Romani Pontifices, qui in plenitudine potestatis Ecclesiæ præfuerunt, quorum videlicet auctoritate vniuersalia Canonum decreta conscripta sunt, & corroborata, illis præferendi sunt, qui in partem sollicitudinis vocati, particularia quædam quibusdam instituta in suis regulis ediderunt? &c. Hoc namque priuilegium, B. Petro Apostolorùm principi cœlesti decreto principaliter traditum, atque firmatum, sancti Patres, cum magna veneratione suscipientes, atque sanctam Romanam Ecclesiam seruantes, tam in generalibus Concilijs, quàm in cæteris scripturis, & gestis suis, vniuersalem matrem appellauerunt, & sicut eius documenta in confirmatione fidei, & eruditione sacræ Religionis, ita etiam iudicia susceperunt, in hoc consentientes, & quasi vno spiritu, & vna voce concordantes omnes maiores res, & præcipua negotia, nec non omnium Ecclesiarum iudicia, ad eam quasi ad matrem, & caput debere referri, ab ea nusquam appellari, iudicia eius à nemine retractari, aut refelli debere, vel posse. Anno Christi 1160.

Idem lib. 4. Ab ipsa Apostolica Sede, quæ est omnium Pontificalium Sedium prima, mittitur Legatus aliquis, cui potestas datur auctoritate Sedis Apostolicæ per omnia vti in eos, ad quos missus est.

145. Petrus Blesensis, epist. 41. ad Pontificem Romanum: Domus Dei, quæ in lapide adiutorij super fundamentum Apostolorum, & Prophetarum stabilita est, à petro & successoribus suis formam eruditionis, & statum sublimitatis accepit. Quod enim stipiti rami, quod capiti membra, quod soli radij, quod fonti riuuli, hoc Apostolicæ Sedis eminentiæ debent omnes Ecclesiæ, quas vbique terrarum religio Christiana fundauit. A.C. 1160.

146. Arnulphus Lexouiensis, epist. ad Alexandrum Papam de promotione sua: Interim ego minor licèt omnibus, non minore tamen gaudio, quàm cæteri, gloriam vestræ promotionis amplector, & vos Apostolum Christi, Petri Vicarium, Pastorem & Episcopum omnium, qui Christiano nomine censentur, agnosco, & vobiscum Catholicam profiteor vnitatem. A.C. 1160.

147. Hugo Etherianus, de Spiritus sancti processione lib. 3. cap. 17. Æquum est ratum habere, quod tanta Ecclesia decernit, quod tantus Pontifex enunciat: sine quo vigor calami omnis Ecclesiasticæ traditionis arescit, vt memorandus inter sanctos B. Iunior Stephanus asserit, &c. Christus Petrum, eiusque successorem principem, & càput, non modò Latinorum, Græcorum, Occidentis, & Septen-

Septentrionis vniuersi: verùm Armeniorum, Arabum, Indorum, Madianitarum, Amalechitarum, & totius Orientis, & Meridiani climatis in perpetuum constituit. Ob quam rem occidui solis limites vniuersi Petri successorem ex tunc sibi dominum recognoscunt, & sub illo præsule diriguntur, quod omnem ab vtero matris errantem facere opportunum est. A.C.1160.

148. Ioannes Salisberiensis, Policratic. lib.8. cap.17. Ecclesiam Romanam, quæ parens, auctore Deo, & nutricula fidei, & morum est, & non potest ab homine iudicari & argui, cælesti priuilegio munita, relinquo intactam. A.C.1160.

Idem, cap. 23. Quis præsumet summum iudicare Pontificem, cuius causa Dei solius reseruatur examini? Vtique quisquis hoc attentauerit, laborare quidem, sed proficere nequaquam potest, &c. quid ponderosius est sollicitudine omnium Ecclesiarum? Apostolicum priuilegium transit ad successores. Et plana pars priuilegij est, quod Apostolus Corinthijs loquitur: Quis, inquit, infirmatur, & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non vror? Si totum non vultis reuoluere, vel istud vendicet, qui de primatu contendit, & vt puto citò faciet locum. Præterea qui Romanus Pontifex est, eumdem pro conditione Ecclesiæ, quæ nunc est, esse seruum seruorum necesse est.

149. Gotfridus Viterbiensis, in proęmio histor. vniuersalis ad Vrbanum Tertium. Summo, & vniuersali Papæ Vrbano Tertio, Domino, & Patri suo reuerendissimo, Gotfridus Viterbiensis Sacerdos indignus, se ipsum in omni obsequio, & obedientia subiectissimum: Dum sacrosanctæ Matris nostræ Romanę Ecclesiæ culmen inspicio, & eius eminentiæ considero maiestatem, illud ante omnia necessarium esse intueor, vt sicut ipsa omnibus noscitur præesse principibus: ita omnes Reges & Principes, & vniuersę orbis Ecclesiæ doctrina eius, & regimine adornentur, & ab ea, tamquam à fronte iustitię, totius sapientiæ regulis instruantur. Quia nullum Scripturarum elogium noscitur esse authenticum, nisi ab eius sapientię fluminibus sitientibus propinetur. Quare, si quod historiarum opus, noua per aliquem institutione conficitur, ratio suggerit, vt antequam in publicum deueniat, Apostolico examini pręsentetur: quatenus, si acceptione dignum esse perpenditur, eius mandato & iudicio approbetur, & ab eo vires, auctoritatemque recipiat, cui terrena, & cœlestia diuinitus sunt commissa. A.C.1176.

150. Gulielmus Tyrius, Belli sacri lib. 11. cap. 28. Balduinus Rex Hierosolymorum secundus missis nuncijs ad Romanam Ecclesiam, petijt vt quascumque prouincias sua sollicitudine de potestate hostium eriperet, omnes regimini Romanę Ecclesię subiaceret. A.C.1180.

Idem, lib. 15. cap. 15. Legatus Ecclesiæ Romanę Petrus nomine, missus à D. Innocentio Papa, venit in Syriam, vt Patriarchę Antiocheni causę debitum finem imponeret. Qui Dominum Patriarcham, & vniuersos Regni Pontifices apud Antiochiam Pridie kalendas Decembris, ad synodum conuocans, illuc cum omni celeritate contendit.

152. Guntherus, lib.1. Ann. Christi 180.

Sedis Apostolicæ Præsul, summusque Sacerdos
Tunc Adrianus erat.

152. Dodechinus, de anno 1099. Paschalis Pontifex in specula totius Ecclesię constitutus, iuxta tenorem antecessorum suorum, Alexandri, Gregorij, Vtbaui, contra inuasores spiritualium charismatum decretum promulgauit, ac demum Henricum Regem cum omnibus fautoribus suis excommunicatum pronunciauit. A.C.1190.

153. Ioachim Abbas Florēsis, Prologo 1ᵒ in Apocalypsim: Rogo ex parte omnipotentis Dei Coabbates meos, & Priores, & cæteros fratres metuens Dominum, & ea, qua posse videor auctoritate pręcipio, quatenus pręsens scriptum, & exemplar habentes secum, ac si pro testamento opuscula, quę hactenus confecisse videor: & si quid me de nouo vsque ad diem obitus mei contigerit scriptitare, quàm citiùs poterint, collecta omnia, relictis in salua custodia exemplaribus, Apostolico examini repręsentent, recipientes ab eadem Sede vice mea correptionem, & exponentes ei meam circa ipsam deuotionem & fidem, & quod ea semper tenere paratus sim, quę ipsa statuit, vel statuerit, nullamq; meam opinionem contra eius defendere sanctam fidem, credens ad integrum, quę ipsa credit, & tam in moribus, quàm in doctrina eius suscipiens correptionem, abijciens quos ipsa abijcit, suscipiens quos ipsa suscipit, credensque firmiter non posse portas inferi pręualere aduersùs eam: & si eam ad horam turbari, & procellis agitari contingat, non deficere fidem eius, vsque ad consummationem sęculi. A.C.1190.

154. Ioannes Belethus, de Diuinis Officijs cap. 13. Ecclesiasticarum personarum aliæ sunt dignitatis, alię ordinis: Dignitatis sunt, vt Papa, Patriarcha, Cardinalis, Primas, A.C.1200.

Idem cap. 14. Dominus Papa, id est Pater Patrum, Summi Pontificis, qui in lege fuit, personam gerit.

155. Saxo Grammaticus, Historię Danicę lib. 13. Quo cognito Romanus Antistes acerbissima aduersùs Olaum execratione vsus, cęteris per Europam Pontificibus similiter in ipsum pronunciandi detulit potestatem. A.C.1200.

156. Concilium Lateranense, cap.5. Antiqua Patriarchalium Sedium priuilegia renouantes, sancta vniuersali synodo approbante, sancimus, vt post Romanam Ecclesiam, quę disponente Deo, super omnes alias ordinarię potestatis obtinet principatum, vtpote mater vniuersorum Christi fidelium, & magistra, Constantinopolitana primum, Alexandrina secundùm, Antiochena tertium, Hierosolymitana quartum locum obtineant, seruata cuilibet propria dignitate, iuxta quod, postquam eorum Antistites a Romano Pontifice receperint Pallium, quod est plenitudinis officij Pontificalis insigne, pręstito sibi fidelitatis, & obedientię iuramento. Ann. Christi 1215.

157. Conradus Abbas Vspergensis in Chron. de anno 1107. Paschalis Papa indè secedens, ab vniuersis finium illorum Ecclesijs, vt verè Christi discipulus, & Apostolorum Vicarius, ingenti honore suscipitur, digna reuerentia tractatur, non aliter quàm Legifer de cœlo missus auditur. Sic itaque per menses aliquot, vt fidelis dispensator, & prudens, quotidianam sollicitudinem omnium Ecclesiarum gerens, tandem circa ascensionem Domini Concilium non modicum apud Trecas habuit, vbi inter alia multa, quæ pro tempore, & necessitate corrigenda correxit: sententiam de liberà Pastorum electione, & de coercenda Laicorum in Ecclesiasticas dignitates præsumptione, iuxta prædecessorum suorum decreta promulgauit. A.C. 1225.

158. Iacobus Vitriacus, Histor. Oriental. cap. 75. Græci in multis sanctæ, & Summæ Romanæ Ecclesiæ, à qua propria auctoritate recesserunt, ipsi Schismatici contradicunt, contra Dei dispositionem, qui Romanam Ciuitatem, totius mundi Metropolim, & Capitaneam, sicut in temporalibus omnibus præerat, ita in spiritualibus vniuersis voluit præesse, &c. Pater ergo eum super hanc petram; pro qua Dominus rogauit, vt non deficeret fides eius, post Christum ædificata sit, & fundata Christi Ecclesia, quòd omnes qui ab Ecclesia Romana recedunt, absque fundamento ædificant, in vanum laborantes, & ab eo, qui à Domino Cephas appellatus est, separati, accephali, & monstrosi homines meritò sunt reputandi. A.C. 1226.

159. Alexander Alensis part. 3. quæst. 40. mem. 2. In ordine potestatum sæcularium nullus est maior Rege, vel Imperatore, quemadmodum in ordine potestatum spiritualium nullus est maior Papa: tamen collatione facta potestatis spiritualis ad sæcularem, potestas spiritualis est super sæcularem, sicut spiritus est supra corpus; vndè Hieremiæ 1. dicitur: Ecce constitui te super gentes, & Regna. A.C. 1230.

160. Rodericus Toletanus. Rerum Hispan. lib. 6. cap. 26. Gregorius VII. Papa ad petitionem Regis Aldefonsi, misit quemdam Richardum Abbatem S. Victoris Massiliensis, vt Ecclesias Hispàniæ, tot persecutionibus perturbatas, Ecclesiastico moderamine ordinaret. Qui minùs religiosè officium peragens, cœpit irregulariùs se habere, Quod attendens Toletanus electus, per maris, & terræ pericula se Rom. Pontificis conspectui præsentauit, & Gregorio VII. viam vniuersæ carnis ingresso, inuenit Vrbanum II. in Sede Apostolica substitutum, à quo gratanter, & benignè susceptus, consecrationem, Pallium, & priuilegium obtinuit, & Primas institutus Hispaniarum, Apostolicæ Sedis benedictionem suscepit. A.C. 1240.

161. Vincentius Burgundus. Prologo in 4. speculi Doctrinal. cap. 13. Sancta Romana Ecclesia nullis Synodicis institutis cæteris Ecclesijs Prælata, sed Euangelica voce Domini, & Saluatoris nostri primatum obtinens, dicentis: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Anno Christi 1240.

Idem, lib. 30. cap. 65. Cùm B. Dominicus Papam Innocentium ob sui Ordinis confirmationem adijsset; Papa difficilem se non, nisi nutu Diuino exhibuit: vt nimirum ex reuelatione Diuinæ Vicarius Iesu Christi cognosceret, quàm necessarium esset vniuersali, cui præsidebat, Ecclesiæ, id, ad quod vir Dei Dominicus inspiratus diuinitùs aspirabat.

162. Hugo Cardinalis, ad cap. 17. Deuteronomij: Si difficile iudicium esse perspexeris, ascende ad locum, quem elegerit Dominus, ex hoc loco inoleuit consuetudo appellandi ad Summum Pontificem. A.C. 1240.

163. Henricus Ostiensis Cardinalis in summa §. Vndè, in fine proœmij: Sed nunquid Papa est maior Imperatore? Quicquid autem dicatur, hæc veritas est, quod distinctæ sunt iurisdictiones, quamuis vna maior sit altera: & quilibet secundùm legem suam iudicabit, sed vtraque tamen Ecclesiasticos Canones sequi debet. A.C. 1240.

Idem, de auctoritate, & vsu Pallij, §. Et quo loco: Speciale est in Papa, quod semper, & vbique Pallio vti potest: item, quia vniuersa christianitas prouincia sua intelligitur: item & respectus ipsius vnius est Episcopatus, nedum quoad hoc, vt intelligatur sponsus vnus Ecclesiæ (quia hoc commune est sibi, & omnibus Episcopis) quinimmò etiam, quoad administrationem: item & respectu huius generalis administrationis potest dici, quòd alas habet latas, & largas, quia nulli subest, & vbique dominatur: sed alij habent ipsas alligatas nexibus præceptorum.

164. Albertus Magnus ad cap. 16. Matthæi: Dico tibi) Singulariter: non quòd Petrus singulariter acceperit claues, sed quia in vnitate Ordinis Ecclesiæ vnus est, qui accipit in plenitudine potestatis, qui est successor Petri, & Petrus in potestate: alij autem in eadem vnitate accipiunt in parte potestatis, eo quòd vocantur in partem sollicitudinis. A.C. 1250.

Idem, ad caput 22. Lucæ: Ego rogaui pro te) Hoc argumentum efficax est pro Sede Petri, & successore ipsius, quòd fides eius non finaliter deficiet.

165. Sanctus Thomas Aquinas de regimine Principum cap. 14. Quia finem fruitionis Diuinæ non consequitur homo per virtutem humanam, sed virtute Diuina (iuxta illud Apostoli Rom. 6. Gratia Dei vita æterna) perducere ad illum finem non humani erit, sed Diuini regiminis. Ad illum igitur Regem huiusmodi regimen pertinet, qui non est solùm homo, sed Deus scilicet ad Dominum Iesum Christum, qui homines filios Dei facientes, in cœlestem gloriam introduxit, &c. Vndè omnes Christi fideles, inquantum sunt membra eius, Reges, & Sacerdotes dicuntur. Huius ergo Regni ministerium, vt à terrenis essent spiritualia distincta, non terrenis Regibus, sed Sacerdotibus est commissum, & præcipuè Summo Sacerdoti, Successori Petri, Christi Vicario, Romano Pontifici, cui omnes Reges populi christiani oportet esse subditos, sicut ipsi Domino Iesu Christo, &c. Et quia in veteri lege promittebantur bona terrena non à dæmonibus, sed à Deo vero, religioso populo exhibenda, indè, & in lege Veteri Sacerdotes Regibus leguntur fuisse subiecti: sed in noua Lege est Sacerdotium altius, per

quod homines traduntur ad bona cęlestia. Vnde in lege Christi Reges debent Sacerdotibus esse subiecti. Propter quod mirabiliter ex Diuina prouidentia factum est, vt in Romana Vrbe, quam Deus prouiderat Christiani populi principalem Sedem futuram, hic mos paulatim inolesceret, vt ciuitatum rectores sacerdotibus subiacerent. A.C. 1250.

Idem, secunda 2. quæst. 39. art. 1. Caput Ecclesiæ est ipse Christus, cuius vicem in Ecclesia gerit Summus Pontifex: & ideò Schismatici dicuntur, qui subesse renuunt Summo Pontifici, & qui membris Ecclesiæ ei subiectis communicare recusant.

Idem, contra impugnantes Religionem c. 3. Hoc priuilegium Christus Romanæ Ecclesiæ contulit, vt omnia ei sicut Christo obediant.

166. Albertus Stadiensis in Chron. vbi agit de Petro: Romana Ecclesia prima Sedes est, quia Petrus, & Paulus Apostolorum Principes eam suo Martyrio cæteris omnibus prætulerunt. A.C. 1260.

167. Sanctus Bonauentura parte 6. Breuiloquij cap. 12. Quia excellentia, quantò magis descendit, tantò magis dilatatur; & quantò magis ascendit, tantò magis vnitur: hinc est, quòd plures sunt Episcopi, pauciores Archiepiscopi, paucissimi Patriarchæ, & vnus Pater Patrum, qui Papa meritò appellatur, tamquam vnus primus, & summus Pater spiritualis omnium Patrum, immò omnium fidelium, & Hierarcha præcipuus, sponsus vnicus, caput indiuisum, Pontifex summus, Christi Vicarius, fons & origo, regula cunctorũ principatuum Ecclesiasticorũ, à quo tamquam à summo deriuatur ordinata potestas, vsq; ad infima Ecclesię membra, secundùm quod exigit præcellens dignitas Ecclesię in Ecclesiastica Hierarchia. A.C. 1260

168. Guilhelmus Tornacus de Officio Episcopi cap. 35. Sola Romana Ecclesia, cuius fides in nulla tentatione deficit, vtpotè supra petram stabilem solidata, nullis hæresibus, nullis erroribus potest, vel potuit, vel potuerit inquinari. Licèt enim prora vacillet in mari, licet carina elidatur fluctibus: puppis tamen permanet immobilis, &c. Papa typum tenet indiuidualiter Domini Nostri Iesu Christi, de cuius potestate magis est reuerentialiter subticendũ, quàm temere discutiendum. A.C. 1270.

169. Prælati Græciæ, Epist. ad Greg. 10. Sanctissimo, reuerendissimo, & beatissimo Papæ antiquæ Romæ, Gregorio Magno Pontifici excellentissimæ Apostolicæ Sedis, & venerabilissimo Domino, & Patri nostræ humanitatis. Nos qui Ecclesiasticam compleuimus ordinationem, vestræ Romanæ sanctissimæ Ecclesiæ salutem, & spiritualis subiectionis affectionem, vbique &c. scitote, quòd nos volumus, quòd Pontificalis Sedis tota plenitudo cum toto venerabili Clero, & omnibus Officiarijs, Sacerdotibus, Diaconis, & Lectoribus sanctissimæ Ecclesiæ Dei conueniat in vnum, vt attribuat promptæ vestræ Sanctitati, & Apostolicæ Sedi, quod ad honorem pertinet, nec alium primum, & Summum Pontificem nominaturi. A. C. 1270.

170. Richardus de Mediauilla ad lib. 4. Sent. dist. 24. art. 5. quæst. 3. Cùm Ecclesia sit vnum corpus Christi mysticum, ex diuersis statibus, & membris constitutum, ob obseruationem huius veritatis, oportet esse vnum caput omnium statuum Ecclesię, & membrorum vniuersali regimine regitiuum, sub quo diuersi, tot Ecclesiæ, & membra diuersa conueniant, secundùm debitam proportionem in vnum: vt sic conformetur Ecclesia militans suo exemplari in cęlo. Ille autem Episcopus, qui præest toti Ecclesiæ, est Episcopus Romanus. A.C. 1280.

171. Guilhelmus Durandus in rationali diuinorum lib. 6. cap. 53. Huius floris baiulus est Romanus Pontifex, successor vtique Petri, & Vicarius Iesu Christi. A.C. 1280.

172. Henricus Gandauus. Quodlibeto 6. quæst. 23. in Ecclesia militante sub Deo Christus (secundùm quod homo) caput est, & Monarcha, Hierarcha primus post Christum Petrus erat, cui ambas claues tradidit, & duos gladios commisit. Vndè Papa habet vtrumque gladium, spiritualem, & temporalem, in auctoritate quadam prima, & superiore. A.C. 1290.

173. Robertus Domiuicanus In sua visione: Ego. Domine, fidem sanctam Catholicam, quam docet, credit, ac prædicat sancta mater Ecclesia Catholica Romana, credo firmiter, confiteor simpliciter: pro qua sustinenda paratus sum semper cum tuo adiutorio ponere vitam, anathematizans omnem hæresim, aduersùm sanctam Ecclesiam Romanam se extollentem. Abnego, & reprobo omnes schismaticos, & diuisos ab vnitate sanctæ matris Ecclesię Romanę Catholicę. A.C. 1290.

174. Georgius Pachymerius lib. 5. historiarum hęc recenset capita pacis Gręcorum, & Latinorum: Principatus sit Romanę Sedis: ad eam appellare liceat Gręcis: & memoria Romani Pontificis, vnà cum Patriarchis celebretur. A.C. 1290.

175. Engelbertus Abbas Admontensis de ortu, & fine Romani Imperij cap. 18. Appropinquante tempore aduentus Antichristi, veniet discessio primùm Regnorum omnium ab Imperio, deindè Ecclesiarum ab obedientia Sedis Apostolicę, & vltimò fidelium à fide. A. C. 1297.

Idem, cap. 21. Stante adhuc capite Ecclesiæ in spiritualibus, scilicet Apostolica Sede: & capite in temporalibus, scilicet Imperio Romano: & stantibus adhuc fidelibus in fide, locum, & commoditatem non habebit deceptio, & dominatio Antichristi, capitibus prędictis, & membris ipsorum ei resistentibus. Cum verò corpus Ecclesię factum fuerit acephalum, & per consequens membra singula sine motu, & sensu, quantum ad vnitatem, & firmitatem fidei, tunc locum, & effectum habebit aduentus Antichristi.

176. Reinerus Pisanus in Pantheologio de ordine, cap. 31. Supra potestatem Episcopalem debet esse in Ecclesia potestas Papalis. Primò, quia optimum regimen multitudinis est, vt regatur per vnum. Quòd patet ex parte finis regentis, qui ex pax: nam pax, & vnitas subditorum, est finis regentis, &c. Ergo cùm regimen Ecclesiæ sit optimum, vtpotè per eum dispositum, & ordinatum, per quem Reges regnant, & legum conditores iusta decernunt, oportet, quòd vnus toti Ecclesię pręsit, scilicet Papa. Secundò, quia in triumphante

phante Ecclesia vnus præsidet in toto vniuerso, scilicet Deus: ergò etiam in Ecclesia militante vnus est, qui præsidet vniuersis. Hinc est quod dicitur Oseę 1. Congregabuntur filij Iuda, & filij Israel pariter, & ponent sibimet caput vnum, scilicet Papam, &c. Sic igitur patet, quòd Papa est super omnes Episcopos, vel Archiepiscopos, & super omnes gradus aliarum dignitatum. A.C. 1300.

177. Nicephorus Callistus, lib. 6. cap. 29. Cùm Paulus contra niteretur, Ecclesiæque Samosatenæ administrationem retinere conaretur, & in Synodi decreto acquiescere nollet, audacia eius ad Aurelianum Imp. est delata. Is sanctissimè ea de re constituit, eius scilicet Episcopatum mandari iubens, quos Italici, & Romani Episcopi literis suis comprobassent. Etiamsi enim dæmonum cultui deditus esset, tum tamen quod iustum esset iudicauit. A.C. 1300.

Idem, lib. 9. c. 8. Athanasius Romæ agebat, venit eò Constantinopolitanus quoque Paulus, & Marcellus Ancyranus, Lucius quoque Adrianopolitanus Romam confugit. Horum causa Iulius Antistes Romanus cognita, pro amplitudine Sedis suæ, ex veteri priuilegio, & prærogatiua persuasum habens, omnium vbique Episcoporum curam, & iudicium ad se pertinere, datis cuique liberrimè scriptis literis, suas eis Ecclesias reddidit, eosque in Orientem remisit, eos, qui temerè illos exauctorassent, perstringens.

Idem lib. 17. cap. 9. Ioannes Papa ad parem inuitatus sessionem, vt scilicet Constantinopolitano Antistiti assideret, non priùs Apostolicæ Sedis prærogatiuam deserere sustinuit, quàm supra Epiphanium Episcopum Constantinopolitanum in throno collocaretur.

178. Durandus à S. Portiano, in lib. 4. sent. dist. 24. qu. 5. Potestas, quæ tota data est vni in suo fonte, non est in alijs, nisi deriuata, & limitata pro illius voluntate; sed potestas iurisdictionis, quæ est ad regendum populum, tota in suo fonte data fuit Petro, & successoribus eius, quando cura Ecclesiæ ipsi fuit commissa, dicente Domino Ioan. vlt. Pasce oues meas. Hoc enim nulli aliorum Apostolorum dictum est, nec tunc, nec ante, nec post. Ergo talem potestatem plenam, & perfectam habet solus successor Petri, qui ob hoc Papa dicitur, quasi Pater Patrum, &c. Supra simplices Sacerdotes sunt Episcopi, qui habent iurisdictionem ordinariam super totam Diœcesin: super hos sunt Archiepiscopi: super omnes denique Papa collocatur, penes quem residet plenitudo huius potestatis, & primitas huius potestatis. Et hoc est rationabile. Quia optimum regimen vnius multitudinis est, quando regitur per vnum supremum, à quo descendit auctoritas regendi in medios, & vsque ad infimos. Sed regimen sanctæ Ecclesiæ est optimè à Christo institutum. Ergo in tota Ecclesia debet esse vnus vniuersalis rector, à quo descendat auctoritas regendi in medios, vsque ad rectores infimos: & hic est Papa, & propter hoc stat vnitas Ecclesiæ, quod omnia membra sunt sub vno capite: qua de causa illi, qui hanc potestatem negant, Schismatici dicuntur, quasi vnitatis Ecclesiæ diuisores. A.C. 1320.

179. Augustinus Triumphus Anconitanus, in proœmio libri de potestate Ecclesiastica: Error est, pertinaci mente non credere, Romanum Pontificem vniuersalis Ecclesiæ pastorem, Petri successorem, & Christi legitimum Vicarium supra spiritualia, & temporalia vniuersalem non habere primatum. A.C. 1320.

Idem, quæst. 6. art. 1. Solus Papa dicitur esse Vicarius Dei, quia solùm quod ligatur, & soluitur per eum, habetur solutum, & ligatum per ipsum Deum. Sententia igitur Papę, & sententia Dei, vna sententia est: sicut vna sententia est Papæ, & auditoris eius. Cùm igitur appellatio semper fiat à minori iudice ad superiorem, sicut nullus est maior seipso, ita nulla appellatio tenet facta à Papa ad Deum, &c. Nullus potest appellare à Papa ad Deum: sicut nullus potest intrare ad Consistorium Dei, nisi mediante Papa, qui est æternæ vitæ consistorij clauiger, & ostiarius. Et sicut nullus potest appellare ad seipsum, ita nullus potest appellare à Papa ad Deum, quia vna sententia est, & vna curia Dei, & Papæ.

180. Petrus Paludanus, in lib. sent. dist. 24. quæst. 6. Potestas iurisdictionis, quæ ad regendum populum tota in suo fonte data fuit soli Petro, & in eo successoribus eius, quando cura Ecclesiæ sibi soli commissa fuit, dicente Domino, Ioan. 21. Pasce oues meas. Hoc nulli aliorum dictum fuit, nec nunc, nec ante, nec post. Ergo talem potestatem plenam, ac perfectam habet solus successor Petri, qui ob hoc Papa dicitur, quasi Pater Patrum. A.C. 1320.

181. Nicephorus Gregoras, lib. 5. Histor. cap. 1. Proinde difficultatibus circumuentus Imper. (Michael Palæologus) ac penè ad desperationem compulsus, legatos ad Papam mittit, de ineunda veteris, ac nouæ Romæ Ecclesiarum concordia, modò Caroli expeditionem auerteret. Ea legatio à Pontifice benignè audita est: ea se facilè, quæ Imperator petiuisset, confecturum esse pollicito, statimque suos legatos illis adiungit, qui concordiam conciliarent, atque amplecterentur: cuius hæc tria fuerunt capita. Primò, vt in sacrorum voluminum hymnodijs Papæ cum quatuor Patriarchis mentio fieret. Alterum, vt liceret cuiuis Romam veterem, quæ Curia maior, & perfectior esset, appellare. Tertium, vt illi principatus in omnibus deferretur. A.C. 1330.

182. Ludolphus Saxo, Carthusianus, vitæ Christi parte 2. cap. 1. Ex quo patet, quod præcipuè ad Petri successorem pertinet certificatio dubitationum de fide, & pertinentibus ad eamdem, A.C. 1330.

183. Guido Rocherius, in Manipulo Curatorum parte 3. cap. 1. Errant Græci, & omnes Schismatici, qui negant, sacrosanctam Romanam Ecclesiam esse caput, & magistram omnium Ecclesiarum. A.C. 1330.

184. Aluarus Pelagius, de planctu Ecclesiæ lib. 1. art. 58. Sciendum est, quod potentia Summi Pontificis, & Christi Vicarij plena dicitur. Primò, quod ab hac potentia nullus ad Ecclesiam militantem, qualitercumque pertinens, excipitur, sed omnis homo in præsenti Ecclesia existens ei subijcitur. Secundò, quia omnis potestas ad gubernationem fidelium

lium à Deo ordinata, & hominibus data, fiue spiritualis, fiue temporalis, in hac parte comprehenditur. Tertiò, quia omnis poteſtas in Eccleſia ab hac poteſtate deriuatur. Quartò, quia à nulla poteſtate humana exceditur. A.C.1330.

185. Guido Carmelita, de Waldenſibus, errore primo: Conſtat, quod Dominus Petrum, & in Petro Petri ſucceſſores, poſuit omnium fidelium caput, cui ait Dominus Luc.22. Rogaui pro te, vt non deficiat fides tua, tu autem aliquando conuerſus confirma fratres tuos: ita quod in directione, & confirmatione fidei Petro, & Petri ſucceſſoribus eſt ſtandum, & obediendum, &c. Manifeſtum eſt, quod in Petro omnes continentur, vt in capite poſt Chriſtum, & ouium Chriſti paſtore. Sic quod Petri fides non deficiet à Sede Apoſtolica, nec à Romana Eccleſia Chriſti ſponſa, quæ tota pulchra eſt, & labes hæreſis ſeu macula non eſt in ea, &c. Item nolentes obedire Romano Pontifici paſtori ouium Chriſti, cui in Petro Dominus ait: Paſce oues meas, deſinunt eſſe oues Chriſti: quia oues Chriſti vocem eius audiunt, Ioan.10. Et Chriſtus cum Petri ſucceſſoribus adeſt, per ſuam gratiam eos dirigens, & confirmans in fide, vt eorum doctrina, & regimine perſeueret Sedes Apoſtolica, & Romana Eccleſia, ſine ruga, aut macula hæreticæ prauitatis. A.C.1330.

In Harmonia 4. Euangeliſtarum, præfat. ad Ioannem 22. Sanctiſſimo, ac Beatiſſimo Patri in Chriſto, ac Domino, Domino Ioanni Diuina prouidentia Papæ 22. ac totius vniuerſalis Eccleſiæ Summo Pontifici ſuus humillimus filius Guido cum debita reuerentia, & pedum oſculo beatorum.

186. Ioſeph Patriarcha Conſtantinop. in Concilio Florentino ſeſſ. vlt. Quoniam ad extremum vitæ meæ perueni, idcirco pro meo munere dilectis filijs benignitate Dei meam ſententiam his literis palam facio. Nam quæ Domini Ieſu Chriſti Catholica, & Apoſtolica Eccleſia Romæ veteris ſentiat, ac celebret, omnia me quoque ſentire, credereque profiteor, ac ipſis plurimùm acquieſco. Beatiſſimum autem Patrum Patrem, ac Summum Pontificem, Romæque veteris Papam, Domini noſtri Ieſu Chriſti Vicarium eſſe concedere non inficior. A. C. 1439.

187. Lupoldus Babenburgius, de veterum principum zelo cap.4. Cùm ſacroſanctæ Romanę Eccleſię Pontifex ſit in terris Vicarius Chriſti Ieſu, vt ipſa quoque Romana Eccleſia, mater, & magiſtra omnium fidelium, cunctarumque Eccleſiarum caput exiſtat: tantò maiorem quis zelum Chriſtianæ religionis habere perpenditur, quantò eamdem Eccleſiam, ac Romanum Pontificem potioribus attollit beneficijs, & maioribus honoribus veneratur. Veteres igitur Germani principes moti conſideratione prędicta, Eccleſiam Romanam, eiuſque rectores Summos Pontifices, grandibus & varijs beneficijs, & honoribus extulerunt. A.C.1340.

188. Nicolaus Gorranus, ad c. 16. Matthęi: Petrus & ſucceſſor eius ſoli vocantur in plenitudine poteſtatis, cęteri in partem ſollicitudinis. A.C.1340.

189. Thomas Argentinenſis, lib. 4. ſent. diſt.24. art.4. Ratione officij ſuper presbyteralem dignitatem inueniuntur in Eccleſia quinque gradus ſingularis dignitatis: quorum primum tenent Epiſcopi, ſecundum Archiepiſcopi, tertium Primates, quartum Patriarchę, quintum Papa, ſiue Romanus Pontifex, à quo tota monarchia fidelium, tamquam ab vno principe, vniuerſaliter, & cum hoc immediatam habente poteſtatem ſuper omnes, & ſingulos fideles, cuiuſcumque conditionis exiſtant, conuenientiſſimè gubernatur. A.C.1350.

190. Ioannes Hildeshemenſis Carmelita, epiſt. ad Notarium Solotienſis oppidi: Ego fidenter aſtruo, quod ſuperuacuè nominis Chriſtiani culmen ſibi vendicat, qui à Chriſti Vicarij pręceptis, & monitis deuiando declinat. A. C. 1350.

191. Sancta Catharina Senenſis, tract. 3. capit. 115. Clauem huius pretioſi ſanguinis Apoſtolo Petro reliquit, cęteriſque ſucceſſoribus eius pręteritis, & qui ſuccedent in futurum, vſque ad vltimum iudicij diem, habent, & habebunt eamdem auctoritatem, quę Petro data fuit. Nec ex aliquo defectu commiſſo per eos hęc auctoritas vllo modo minuitur. A. C. 1360.

192. Matthæus Weſtmonaſterienſis, in Chronic. Anno gratię 1096. conceſſa eſt à Papa, cui conceſſa eſt poteſtas à Domino vice B. Petri ligandi, atque ſoluendi ſuper terram generalis indulgentia peccatorum ſe cruce iam ſignaturis, & ſignatis. A.C.1370.

193. Baldus de Vbaldis, in procemio Decretalium num. 7. Papa eſt ſeruus ſeruorum Dei, quantum ad humilitatem: Nam quantum ad poteſtatem, eſt Dominus Dominorum, & quęcumque poteſtas eſt ſub cœlo, eſt in Summo Pontifice. A.C.1380.

194. Ioannes Bromiardus, in ſumma prędicantium cap. 17. de Cruce: Cùm Domini ſit terra, & plenitudo eius, in qua vniuerſaliter conſtituit Vicarium ſuum proprium, non ſolùm ſupra Chriſtianos, ſed vt corrigat Saracenos, ſi contra legem faciunt naturæ: & Iudęos, ſi contra legem faciant Moyſi: mandare poteſt Papa, quod admittant prędicatores ſalutis ſuę in terris ſuis: ſi verò prędictis non obediant, ſunt compellendi bello, & brachio ſeculari. A.C.1380.

195. Thomas Waldenſis, Doctrinalis fidei lib. 2. art. 3. cap. 32. Cur contra Romanum Primatum inſurgis? Cur ſic iraſceris, audiens, quod Epiſcopus Romanę Eccleſię pręemineat capitaliter ſuper omnes alios Epiſcopos? Sanctiſſimi Chriſti Pontifices hunc primatum in vniuerſa Eccleſia confeſſi ſunt. B. Auguſtinus Epiſcopus fuit, & huic primatui non inuidit, ſed eum humillimè recognouit. A.C.1410.

196. Petrus Alliacus, in ſpeculo conſiderationis, ſermone habito in Concilio Conſtantienſi: Epiſcopali auctoritati nimis detrahunt, qui deſinire pręſumunt Epiſcopos non poſſe in ſuis Diœceſibus errores in fide, & moribus notoriè ſcandaloſos cum peritorum conſilio condemnare. Sicut enim hoc poteſt generaliter in vniuerſali Eccleſia ſummus ille Epiſcopus, qui habere dicitur plenitudinem poteſtatis: ſic inferior Epiſcopus, vocatus ab eo in partem ſollicitudinis, hoc vtique po-

poterit particulariter in sua diœcesi, seu particulari Ecclesia. A.C.1410.

197. Laurentius Iustinianus lib. de obedientia ca.12. Hanc Petro datam potestatem quotquot post illum electi canonicè in ipsa residerunt, sortiti sunt, qui respectu cæterorum summi sunt nuncupati Pontifices: Illis vtique, tanquam Christi Vicarijs, totius Ecclesiæ est attributa facultas, conferendi videl. beneficia, peccata soluendi, præstandi gratias Ecclesiæ, spirituales thesauros diuidendi, instituendi per ciuitates Episcopos, & per Prouincias Metropolitas ordinandi, congregandi Concilia decreta faciendi, infringendi, atque modificandi. Ipsis profectò Summis Pontificibus omnis deferendus est honor: singularis reuerentia, obedientia summa. Quicquid indixerint, peragendum, quicquid prohibuerint, cauendum, pro lege suscipiendum est. Cæteri Præsules certis deputati sunt præesse in locis, istis verò vniuersalis Ecclesiæ incumbit regimen. Magnus procul dubio honor est iste, præcelsa dignitas, auctoritas veneranda, priuilegium præcipuum, vni tantùm ex omni hominum numerositate prærogatum, sed onus quàm maximum, officium laboriosum, ministerium vigiliarum plenum, & sarcina penè intolerabilis. A.C. 1430.

Idem, epistola ad Eugenium Quartum. sanctissime, ac beatissime Pater, omnium Christi Domini nostri vniuersalis Pastor, quanto mærore sit oppressum cor meum ex hoc, quod vilitatem meam Ecclesiæ Castellanensi præficere intendit Sanctitas vestra, nouit ille testis & index, cui notissima sunt omnia. Ad quod quidem onus portandum cùm me prorsus sciam impotentem, & indignum coram Sanctitatis vestræ prostratus pedibus, tamquam filius licèt immeritus, à clementissimo Patre postulo, &c.

Ioseph Patriarcham Constantinopol. vide supra post an. 1330.

198. Armenorum Oratores in Concilio Florentino in decreto Eugenij quarti: Armenorum Oratores nomine suo, & sui Patriarchæ, & omnium Armenorum, hoc saluberrimum Synodale decretum, cum omnibus suis capitulis, & declarationibus, definitionibus, traditionibus, præceptis, & statutis, omnemque doctrinam in ipsa decreta, necnon quicquid tenet, ac docet sancta Sedes Apostolica, & Romana Ecclesia, cum omni deuotione, & obedientia acceptant, suscipiunt, & amplectuntur. Illos quoque Doctores, & sanctos Patres, quos Ecclesia Romana approbat, ipsi reuerenter suscipiunt: quascumque verò personas, & quicquid ipsa Romana Ecclesia damnat, & reprobat, ipsi pro reprobatis, & damnatis habent: profitentes tanquam veræ obedientiæ filij, nomine, quo supra, ipsius Sedis Apostolicæ ordinationibus, & iussionibus fideliter obtemperare. A. C. 1439.

199. Esaias, Archiepiscopus Hierosolymitanus epist. ad Eugenium IV. Sanctissimo, & beatissimo Domino nostro Eugenio Papæ, Beatitudinis vestræ filius Esaias Episcopus Hierosolymit: Beatissime in Christo Pater, & sanctissime Domine, post debitam, deuotam, & humilem recommendationem, ad deuota pedum oscula beatorum, &c. A.C.1439.

200. Ioannes Capistranus de auctoritate Papa, & Conciliorum fol. 38. Papa vocatus est in plenitudinem potestatis, cæteri autem Episcopi in sollicitudinis partem. Ann.Christi 1440.

Idem, fol. 93. Auctoritas Papæ protenditur ad omne bonum, & ad nullum malum: est etenim quasi Deus in terris, maior homine, & minor Deo, plenitudinem obtinens potestatis 2. quæst. 6. Decreto nostro ipse est successor Petri, cui beato æternæ vitæ clauigero terreni simul, & cælestis Imperij iura commisit Christus Dominus: ipse est vigilantissimus Vicarius Christi: ipse Summus Pontifex, Princeps Sacerdotum est, quasi pons, & via sequentium: ipse Summus Sacerdos, ipse & Pontifex Maximus nuncupatur. Ipse enim efficit Sacerdotes, & Leuitas: ipse quid vnusquisque facere debeat, ostendit. Vnde, & summus Princeps, scil. Imperator, cæterique Reges sæculi eidem Romano Pontifici, quod ad approbationē personæ ad Imperialis celsitudinis apicem assumendæ, necnon vnctionem, consecrationem, & imperij coronam accipiunt, sua submittere capita non reputarunt indignum. Ipse tanquam columna, & saxum immobile totius Christianitatis compagem molemque continet vniuersi.

201. Ioannes Patriarcha Alexandrinus Iacob Nauarchus in epist. Asiatica; cùm Eugenius ad Orientis, & Æthiopum Patriarchas scripsisset, illis in suis epistolis de Latina Ecclesia, & Pontificis auctoritate honorificè, Catholicè, & disertè scripserunt. Ioannes Alexandrinus Patriarcha Pontificem Romanum Sacerdotij Principem, peregrinantium, qui cæteris viam ostendat, ducem, & languentium medicum: ipsius verò Vicarius Hierosolymitanus Andreas Abbas Syrus, Caput, & vniuersalis Ecclesiæ Doctorem eum appellat An. Christi 1440.

202. Nicodemus, Abbas Æthiops epist. ad Eugenium missa. Palam est: inquit, eos, qui à Romana Ecclesia defecere, corruisse: & dum quisque suam fidem veriorem prædicat, relicta Apostolorum sententia, in vias sui sensus abijsse omnes: Æthiopiam tamen integram & liberam perdurasse, quia nequaquam perfidia, & voluntaria defectione, vt aliæ Ecclesiæ, peccasset, ac propterea in seruitutem, & exterminium non incidisse, sed locorum distantia, itinerum periculis seiunctam fuisse, necnon Pontificum negligentia accidisse, vt nulla visitationis memoria aut literarum ratio à quingentis annis apud eos extaret. Nihilominus, Ethiopes tanta veneratione Sedem Romanam colere, vt pedes eorum osculentur, qui Romam veniunt in Æthiopiam, vestimenque eorum partes rapere, & reliquiarum loco seruare. Nec mirum, si enim Regina Saba adijt Hierosolymam, vt audiret sapientiam Salomonis, plus quàm Salomon, inquit Summus Pontifex est. Regem item Æthiopum tantum facere Romanum nomen, & Latinorum fidem, vt nihil æquè in votis habeat, atque vt cum Romanis iungantur Æthiopes, & se Pontificis subdat pedibus, auidissimèque amplexurum esse, quæ de concordia ineunda statuerentur in Synodo: Pontificem autem omnium Ecclesiarum caput fatetur, suoque splendore orbem illustrare, cui

omnes

omnes Patriarchæ, Episcopi, Imperatores, & Reges inclinantur. Nec se legatos disputandi gratia mittere, sed vt Summi Pontificis sententiam de fidei rebus sequantur. Quis enim soli lumen inferat? Ingens est, inquit, & vetusta Latinorum scientia, & orbi nota; nec oportet discipulum esse super magistrum. An. Christi 1441.

203. Gennadius Scholarius De Primatu cap. 9. Quomodo Athanasius ad Iulium, Chrysostomus ad Innocentium, Ignatius tertius ad Nicolaum, Theodoretus ad Leonem, Maximus ad Martinum, & cæteri Orientis Sacerdotes eiecti, ac suis sedibus pulsi, vel ipsi venientes confugerunt, vel literas dantes significauerunt, vnde literis acceptis suas sedes receperunt, nisi ij Summum Pontificem ac Petri successorem agnouissent, vt qui poterat ijs esse præsidio? Quomodo Reges ac Principes inspectis Papæ literis tacuissent, ac illis permisissent suas recipere sedes, si Petri tantùm potestas fuisset, ac non eius successorum? A. C. 1450.

Idem cap. 16. Pontifex Romanus est Petri successor, & Vicarius Saluatoris nostri Iesu Christi, isque solus obtinet omnem potestatem ligandi, atque soluendi, vel arguendi, benedicendi, maledicendi corrigendi, & medendi: solus habet facultatem de fide, & Sacerdotio exquirendi.

204. Æneas Syluius. epist. 288. Cum necesse sit ad perfectum regimen vnum præesse, quo cæteri dependeant, minimè dubitandum est, quin ex ordinatione Christi vnus Ecclesiæ præsit. Dixit enim Petro: Pasce oues meas: nec fas est dicere, hanc dignitatem Petro datam ad successores eius non deriuari, Matth. 28. Ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi. Itaque post Christum Petrus fuit Pontifex vnus, qui Ecclesiæ præfuit: Petro autem vita functo successores eius vsque ad Calixtum 3. Christi Vicariatum tenuere. Nam Christus eùm Vicarium suum Petrum elegit, ei loco hanc dignitatem concessit, quem Petrus ipse suo sanguine consecraret: Romana igitur Ecclesia, vt sacri Canones dicunt, Caput omnium est. A. C. 1450.

205. Antoninus Florentinus par. 3. Summæ tit. 22. c. 16. §. 4. Eugenius IV. Concilium Basileæ congregatum auctoritate Apostolica dissoluebat. Illi tamen obturauerũt aures suas & ceperunt Eugenium citare, sollicitati ad hoc à Duce Mediolani ægrè eius Pontificatum ferente. Sigismundus verò Imp. & Veneti dissuadebant ijs, qui Basileæ erant congregati, ne pergerent. At illi deposito Eugenio, Ducem Sabaudiæ Amedæum in idolum sibi erigentes, Felicem Quintum nuncupauerunt, cui tantùm intra territorium suum obeditum fuit. A. C. 1450.

206. Franciscus Philelphus epist. ad Poggium, & Laurentium Vallam: Quid insanius queat excogitari, quàm viros doctos, ac senes maledicendi intemperantia gloriari? & id quidem Romana in Curia, in oculis Summi, Sanctissimique Pontificis Nicolai Quinti, qui non minùs mirabili virtute, & sapientia quàm suprema dignitatis præstantia vices Christi in terris gerit? A. C. 1450.

207. Georgius Trapezuntius Epist. ad Cretenses: Est vna Ecclesia Catholica, vnius Ecclesię Romanæ coniunctione, quæ ipsa cum Pontifice vno vnitur: ita fit, vt omnes Ecclesiæ Catholicæ cum Romana vniantur. & Romana cum Pontifice, ac proinde omnes cum Pontifice. A. C. 1460.

Idem opusc. de dicto Christi: Sic eum volo manere &c. ad Nicolaum V. Papam: Ad Sanctitatem tuam, & quæ nunc hac in re perfacili quæstione, auxilio eius, cuius tu in terris Vicarius es, & postea quæ dictabimus, meritò mittenda putauimus: ne, dum volumus & nobis, & alijs prodesse, in laqueum dilabamur. Id enim & fuit, & est, ac diuina præsente gratia erit semper mihi insitum, & propositum, mortem optare potiùs, & exitum huius vitæ, quàm aliquid non dico scribere, aut dicere, sed ne cogitare quidem, quod Apostolicæ doctrinæ, ac Ecclesiæ Dei, cuius tu Princeps es, repugnare videatur &c. Commendatio militantis Ecclesiæ Petro tunc, quando ter interrogatus est, an Christum amaret, facta, successoribus etiam suis facta cognoscitur. Oportet enim sicut oues, agnique, veteres videlicet in fide, atque nouelli ad diem vsque aduentus in gloria Domini per successionem duraturi sunt, eodem vtique modo illum permanere, cui commendatio facta est.

208. Leonardus Chiensis Mithylenæus Episcopus, de vrbis Constantinopoleos iactura, ad Nicolaum V. Papam: Hæc præcogita Pater Beatissime, qui vices Christi geris in terris, cuius interest tantas Christi iniurias, & fidelium vlcisci. Igitur moueat te diuina Pietas, & miserere Christianitatis tuæ, qui scis & potes, cui ad nutum omnes Christiani Principes, vindicaturi Christianorum iniurias, facilè obtemperabunt: moueat te, Pater Beatissime, fides Petri: moueat te Christi inconsutilis amictus, spongia & muero perditi, dilaceratæ Sanctorum Reliquiæ, ædes sacræ euersæ, & profanata sterquilinijs templa Dei. A. C. 1460.

209. Ioannes de Turrecremata, in Summa de Ecclesia lib. 2. cap. 93. Romanus Pontifex, verus & indubitatus extra casum hæresis, pro sublimitate principatus sui, iudicem non habet superiorem in terris. Nam ille, qui est omnibus superior in terris, non habet iudicem superiorem in terris: quoniam idem non potest respectu eiusdem, vel eorumdem, esse superior, & inferior. Sed Papa est omnibus Catholicis superior, cùm sit princeps, & caput eorum. Ergo Romanus Pontifex non habet iudicem superiorem in terris. Ann. Christi 1460.

Idem, lib. 3. cap. 28. Sicut in superioribus ostensum est, Romano Pontifici cura totius Ecclesiæ commissa est, & non alteri personæ, aut congregationi; cùm dictum sit soli beato Petro, pro se & suis successoribus: Petre pasce oues meas. Ioann. 21. Super quo dicit Theophilus: Finito prandio commissionem onium mundi Petro commendat. Igitur ad solius Romani Pontificis auctoritatem spectat, prouidere & dare pabulum toti Ecclesiæ, quod fit in vniuersalibus Concilijs, disponendo, ordinando, constituendo, corrigendo, definiendo, interpretando, &c. Ergo tota potestas vniuersalis Concilij pendet à Ro-

Romano Pontifice, sicut à capite, & pastore totius Ecclesiæ.

210. Platina in Bonifacio Tertio: Petrus Apostolus princeps Apostolorum successoribus suis Pontificibus Romanis regni cælorum claues, potestatemque sibi à Deo concessam reliquit, non Constantinopoli, sed Romæ. A.C. 1460.

211. Ioannes Annius Viterbiensis, ad cap. 14. Apocalyp. In medio Ecclesiæ est posita Sedes Sancta Romana Ecclesia, caput omnium Ecclesiarum, in qua residet Agnus, & eius Vicarius Pontifex Maximus. Ann. Christi 1460.

212. Nicolaus Cusanus, epist. 2. ad Bohemos de vsu Communionis: Si scire velis, an in Ecclesia existas, hac vestiges ratione: Si Cathedræ Romani Pontificis adhæreas, quæ per continuas successiones bonorum, malorumque in Petrum principem continuatur. Credendum est, hanc Sedem sacratissimam, quoad locum, etiam inexterminabilem: Et tamen si casu Roma deficeret, ibi veritas Ecclesiæ remanebit, vbi erit principatus, & Petri Sedes modo prædicto. Cùm enim Episcopi succedant Apostolis, primo Apostolo rectè primus succedit Episcopus, ad quemcumque particularem locum alium à Romana Vrbe fuerit Sedes contracta. A.C. 1460.

213. Hieronymus Sauonarola, de veritate fidei lib. 4. cap. 6. Vnum militantis Ecclesiæ Principem esse oportet. Videmus vbicumque in naturalibus regimen apparet, ad vnum redigi: quemadmodum omnes motus ad vnum primum motorem, apes ad vnum Regem, omnia animalis membra ad cor diriguntur. Ergo in Ecclesia Dei tantò magis necessarium est caput vnum ad totius populi Christiani gubernationem, quantò omnia regimina sua dignitate excellit, &c. Singulariter Christus Petro iniunxit: Pasce oues meas. Et iterum: Petre rogaui pro te, vt non deficiat fides tua: & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. Quapropter Petrum Vicarium suum ostendebat. Quod etiam apertiùs expressit, cùm dixit: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, &c. Non autem dicendum est, hanc dignitatem vni Petro, & non eius posteris esse concessam, cùm Ecclesiam pari ordine vsque in finem sæculi duraturam Christus instituerit, &c. Sequitur ergo, vt ministerium hoc perpetua successione, vsque ad consummationem sæculi, tamquam ipsi Ecclesiæ perutile, omninòque necessarium sit confirmatum. Cùm ita Petrus fuerit à Christo Vicarius, totiusque Ecclesiæ Pastor subrogatus, consequens est, vt omnes Petri successores eamdem habeant potestatem. Cùmque Episcopi Romanæ Sedis locum Petri teneant, manifestum est, Romanam Ecclesiam omnium Ecclesiarum esse ducem, & magistram, omniumque fidelium congregationem Romano esse Pontifici vniendam. Qui ergo ab vnitate Romanę Ecclesiæ in doctrina dissentit, procul dubio per deuia oberrans, à Christo recedit. A.C. 1470.

214. Ioannes Nauclerus, Generatione 21. Petrus Apostolorum Princeps successoribus suis Romanis Regni cælorum claues à Deo sibi concessas reliquit. A.C. 1500.

215. Ioannes Franciscus Picus Mirandula, Theoremate 3. Ad Romanam Ecclesiam, caput, & magistram Ecclesiarum, mentis acies dirigenda est: atque huic ipsi Ecclesiæ, hoc est Apostolicæ Sedi Petri Christi Vicarij, sanctissimi viri adhæserunt semper, & dictis, scriptisque fauerunt. A.C. 1500.

216. Petrus Galatinus, de arcanis Catholicæ veritatis lib. 12. cap. 8. Quæcumque in hoc opere dixi, omnia Sedis Apostolicæ, ac Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ iudicio corrigenda, ac determinanda relinquo, ac subijcio. A.C. 1510.

217. Baptista Mantuanus, in martyrio Dionysij Areopagitæ lib. 1. A.C. 1510.

Roma caput rerum est, Romam Deus esse suorum
Pontificum Sedem statuit, quibus omnia pedant
Regna, quibus Reges ipsi quoque sceptra Latini
Submittant, quorum accliues vestigia adorent.

Idem, exhortatione ad capienda arma contra infideles, ad Pontificem Maximum.

Surge, age, tu in primis animum, Romane Sacerdos
Pontificum Princeps, Christi omnipotentis imago
Viua, Dei sortita vices, terra, æquore, & orco.
Huc appelle tuum, populos in bella ciere.
Quicquid habent armorum, & opum nostra omnia Regna
In fidei commanem hostem te cogere oportet.
Incipe, & exemplo veniant in fœdera Reges
Sancta tuo: Tu namque Pater, tu prima potestas,
Tu magnæ reges, tu clauum in puppe gubernas.

218. Petrus Patriarcha Maronitarum, epistola ad Leonem X. Gratias Deo reuerenter agimus, sub mundissimis pedibus Patris nostri sanctissimi Christi Vicarij, & Domini nostri Leonis X. qui vices B. Petri veritatis petræ gerit in terris, sedetque super Sedem Apostolicam ipsius sanctissimæ benedictionis super nos. Amen. A.C. 1515.

219. Ioannes Reuchlin, seu Capnion, de arte Cabalistica ad Leonem X. ad finem libri: Totum hunc librum tuæ subijcio auctoritati, cuius in arbitrium collata est totius mundi censura, vt quæ displicent reijcias, & tunc lætabor cætera placuisse. A.C. 1517.

220. Erasmus Roterodamus, de ratione concionandi, lib. 1. Quemadmodum expedit ad accenda schismata vnum esse Pontificem Romanum, qui præsideat Ecclesijs omnibus: ita eadem ratione expedit, vt multæ ciuitates vni pareant Episcopo. A.C. 1530.

Idem, in Spongia aduersus Huttenum: Non indixi bellum Romano Pontifici, non professus sum me protectorem Lutheranæ factionis. Constat Græciam in Romani Pontificis potestatem concessisse. Et si Principatus Pontificis non esset à Christo, tamen expediret vnum esse, qui cæteris auctoritate præemi-

præemineret: Christum agnosco, Lutherum non agnosco, Ecclesiam Romanam cognosco.

Idem, in Commentarijs in epistolam Hieronymi ad Damasum, quæ incipit: quoniam vetusto Oriens, &c. Cum successore Piscatoris. Ostendit Romanum Pontificem oportere ab omni fastu alienissimum esse, qui piscatori successerit, & qui Crucifixi vices gerat, idest, humillimi.

Idem, Extra hanc domum. Hic Hieronymus omnino videtur sentire, omnes Ecclesias debere subesse Romanæ Sedi, aut certè ab hac non alienas, quæ peculiariter Apostolo gloriatur, qui inter Apostolos primas tenuit, & sicest Orthodoxa, vt sit Orthodoxarum prima dignitate.

Idem, Responsione ad exhortationem Alberti Pij Carporum principis: Tot scriptis tribuo Romano Pontifici totius Ecclesiæ primatum, frementibus cunctis, qui Romano Pontifici malè volunt. Ego apud Lutherum non alio nomine peius audio, quàm quod vbique sartam tectam volo Pontificis auctoritatem, &c. Nos toto pectore agnoscimus Episcopi Romani Primatum, præsertim in spiritualibus.

Idem, Præfat. ad Arnoblj Commentarios in Psalterium, ad Adrianum VI. Orbi Christiano gratulabor, si, quod fore confidimus, ita tractaris munus istud Apostolicum, vt mundus intelligat, randem Romæ contigisse Pontificem, qui Christi Vicarium sic gerat, vt Orbis sentiat Christi spiritum in illo versantem. Neque grauatim agnoscet populus Apostolicam potestatem, si senserit Apostolicam pietatem.

221. Zaga Zabo Episcopus Æthiops, in confessione fidei Æthiopicæ: Nostri certè ab exordio primitiuæ Ecclesiæ Romanum Pontificem, vt primum Episcopum agnouerunt, cui etiam hodierno die, vt Christi Vicario, paremus: in cuius Curia frequentissimè essemus, nisi obstarent magna itinerum interualla, ac multorum Mahumetanorum Regna interiecta, quæ transitum impediunt, ita vt susceptis maximis periculis, nihil tamen efficias. A.C.1540.

222. Petrus Abbas Æthiops, epist. ad Paulum III. Pp. Hoc munus hilari fronte suscipe, sciens nos, etsi Æthiopes simus, tuas tamen oues esse, teque vt summum venerari Pastorem. Quapropter nos ab Imperatorum calumnijs vindicatos, vt Ecclesiæ filios recipe, sciantque per te omnes, nos ab Ecclesia Romana non abhorrere: quinimmo illam, vt matrem omnium Ecclesiarum amplecti, ac venerari: quod facilè ex multis epistolis, quę ad hanc sanctam Sedem à Regibus nostris missæ sunt, videri potest. A.C.1548.

223. Stanislaus Hosius, in confessione Catholicæ fidei cap. 28. Sola Romana Ecclesia, quam ab exordio fidei Christianæ normam accepit, in ea semper illibata permansit. Defecit Hierosolymitana Ecclesia, cui præsedit Iacobus: defecit Achaia, vbi Andreas: defecit Asia, vbi Ioannes: defecit India, vbi Thomas: deficit Persis, vbi Iudas: defecit Æthiopia, vbi Matthæus: defecit Phrygia, vbi Philippus: defecit Græcia, vbi Paulus. Sola fuit, & est Romana Ecclesia, ad quam, sicut præclarè scribit Cyprianus, numquam accessum habere potuit perfidia: quæ mille iam quingentis, & ampliùs annis ita est Catholica semper, & Apostolica habita, numquam vt vlla fuerit hæreseos labe maculata. In qua videre etiamnum licet viros, & vitæ sanctimonia, & doctrina præstantissimos. Neque enim existimandum est, si quando ad Petri Cathedram de causis maioribus refertur, solum esse Paulum, aut Iulium Pontificem, qui de illis iudicet. Habet ille lateri suo assidentes totius orbis viros doctissimos, quibus ipse minimè doctrina secundus præsidet, de quorum consilio de rebus grauioribus pronunciat. Quamobrem ferendi nou sunt, qui Pontifici se dicto audientes fore profitentur, non autem Paulo, aut Iulio, sibique hoc arrogant, suum vt esse velint iudicium, quando vt Pontifex, quando vt Iulius decernat. Quæ si semel admissæ fuerint captiones, omnis erit è terris obedientia sublata. A.C.1550.

224. Moyses Mardenus Antiochenus, in fidei professione: Ego Moyses Mardenus recipio pastores veros, qui instituerunt sanctam Ecclesiam Romanam, ac Patres omnes, qui in ea habentur, ab initio Christianæ religionis vsque in hunc diem. Obtestor Patrem Patrum, & Pastorem pastorum, benedictionem vniuersæ Reipublicæ Christianæ, portantem claues Regni; fontem, ex quo profluit suauitas, Pontificem Iulium Tertium, qui accepit signaculum nominis Trinitatis, vt dignetur acceptare meam hanc professionem, meo nomine, atque etiam nomine Patriarchæ nostri, &c. A.C.1552.

225. Nestoriani in Seleucia Parthorum, epist. ad Pontificem Roman. pro Patriarcha initiando: Patri Patrum, & Pastori maximo, concinnanti mitras, vngentique Sacerdotes, & cingenti Zonis, Petro temporis nostri, & Paulo dierum nostrorum, & cingulo comprehendenti vniuersum cœtum Christianorum, qui es loco Christi Domini nostri: tu sedes in Sede alta, & sublimi principis Apostolorum, tenentis claues Regni cœlorum, cui ore suo salutari Dominus dixit: quicquid ligaueris in terra, erit ligatum in cœlis: quicquid solueris in terra, erit solutum in cœlis. Et super eam fundauit Ecclesiam suam, aduersùs quam portæ inferi nihil valebunt, in generationem. Nunc porro eam tibi dedit Christus Deus noster & Seruator noster, vt sedeas super eam. Tu item es fons, cuius aquæ non deficiunt, & quisquis sitiuerit, æquum est, vt ex te bibat aquas vitales, vt sedet sitim suam. Tu es lucerna, quæ non extinguitur, sed illustrat omnes creaturas, vt candela, quæ est super candelabrum. A.C.1552.

226. Sirtd, siue Sulaxa, Patriarcha Nestorianus, in professione fidei: Synodus scripsit de Ecclesia Sancta Romana, quæ est Sedes Petri, quod sit caput omnium Ecclesiarium, quod donum dedit illi Christus per illa verba, quæ dixit ad Petrum plantatorem illius, nimirum: Tu es Petrus, & super istam petram ædificabo ipsam Ecclesiam meam. Habetur apud nos illa fides, &c. Recipimus omnia illa Concilia, quæ recipit Ec-

clesia Romana, excommunicamus quos excommunicat Ecclesia Romana. Veneramur quoque, exaltamus, atque laudamus Ecclesiam Romanam, & Caput eius Papam sanctum, atque omnes proles ipsius benedictas. A.C.1553.

227. Abdysus, Patriarcha Assyriorum, in sua fidei professione: Ego abdysus iuro, quod ita credo, & ore confiteor, sanctæque Romanæ Ecclesiæ fidem, approbatis omnibus, & singulis illis, quæ ipsa approbat: & damnatis similiter omnibus, quæ ipsa damnat, amplector, & perpetuo me amplexurum & retenturum esse profiteor & promitto, & omnes fratres meos Metropolitas, siue Episcopos, ac Diocæsanos quouis modo meæ iurisdictioni subiectos ita credendum, & tenendum esse, & modis omnibus quibus potero, persuadere conabor, ita me Deus adiuuet, & hæc sancta Dei Euangelia. A.C.1562.

228. Gabriel Patriarcha Alexandrinus, epist. ad Clementem VIII. Homilis Gabriel Dei gratia famulus sedis S. Marci Vrbe Alexandrina Ægyptia, &c. Salutem impartitus, atque osculum offeru spirituale Patri Domino, Patrum Patri, Patriarcharum principi, tertiodecimo Apostolorum, gloriosi Domini Iesu Christi, & quinto SS. Euangeliorum, & S. Petri Apostoli successori, Petræ fidei, super eius Cathedra in magna Roma sedenti, cui data est à Deo potestas ligandi atque soluendi, cuius mentis fit in sacro Euangelio, cum dicit: Tibi, ò Petre, dedi claues Regni cœlorum, &c. Tu enim loco eius constitutus, & successor es super terram, Pater noster, & Dominus noster, atque corona capitis nostri, Dominus Papa Clemens Octauus. Gratias agimus Deo altissimo, eumque sanctificamus, & magnificamus, quod te constituit Christus Catholicæ fidei habenas tenentem, & sanctæ Catholicæ & Apostolicæ Romanæ Dei Ecclesiæ fundamenta seruantem, miserdem & pium super vniuersum populum Christianum, ac diligentem omnes in Christum credentes, instar beatissimi Petri, qui te fecit succedere in eius Cathedram. Tu qui effectus es caput, & maximus Patriarcham, & magister & prædicator totius populi Dei. A.C. 1595.

Idem, in confessione fidei: Teneo & confiteor sanctam Apostolicam Sedem, & Romanum Pontificem in vniuersum orbem tenere primatum, & ipsum Roman. Pontificem successorem esse B. Petri principis Apostolorum, & verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiæ esse caput, & omnium Christianorum Patrem, ac Doctorem existere, & ipsi in B. Petro pascendi, regendi, & gubernandi vniuersalem Ecclesiam à Domino nostro Iesu Christo plenam potestatem traditam esse. Itaque promitto, me tamquam obedientiæ filium, ordinationibus, præceptis, censuris, & iussionibus Sanctissimi Domini nostri D. Clementis diuina prouidentia Papæ Octaui, & successorum suorum Romanorum Pontificum canonicè intrantium, & Sedi Apostolicæ semper & fideliter obtemperaturum.

229. Michael Metropolita Kiouiensis, Iparion Episcopus Vulodimiriensis, Cyrillus Episcopus Leuceoriensis, & cæteri Russorum Episcopi, epist. ad Clementem VIII. Sanctissime Pater, Domine ac Pastor supreme Ecclesiæ Christi, Domine clementissime. Repetentes memoria consensum in omnibus, atque vnionem Orientalis, & Occidentalis Ecclesiæ, quam maiores nostri sub obedientia & regimine sanctæ Sedis Apostolicæ Romanæ coluerunt: ex altera verò parte perpendentes animis dissenssiones, & schismata, quæ hodie inualuerunt, non potuimus propterea non maximo dolore affici: deprecabamusque assidue Dominum, vt nos aliquando in vnitatem fidei aggregaret: exspectanter si fortè superiores, & pastores nostri Orientalis Ecclesiæ, sub quorum obedientia hucusque fuimus, de ineunda vnitate, & concordia, quam in Liturgijs à Deo quotidie efflagitant, cogitare seriò atque diligenter in eam rem, & curam incumbere vellent. Sed cum videremus frustra tale quippiam sperari ab illis, non tam maleuolentia, & temeritate fortasse eorum, quamquod sub grauissimo seruitutis iugo crudelissimi tyranni, & à religione Christiana alieni gemant, tentare id, quod maximè vellent, nullo modo possunt: nos nihilominus, qui in his partibus sub dominio Serenissimi Poloniæ, & Sueciæ Regis, & Magni Ducis Lithuania constituti sumus, liberisque nobis propterea esse licet, attendentes officium nostrum, neque nobis ipsis, & ouibus Christi, quarum cura ad nos spectat gregis obesse, conscientiasque in hac parte nostras tot animarum interitu, qui ex dissentionibus his prouenit, grauare volentes, adiuuante Domino, ad vnionem, quæ antea inter Orientalem, & Occidentalem Ecclesiam viguit, inque Florentina synodo ab antecessoribus nostris constitura est, accedere decreuimus, vt vinculo huius vnionis adstricti, sub obedientia atque regimine Sanctitatis vestræ, vno ore, ac corde glorificemus, & laudemus omnes Diuinissimum, & Sanctissimum Nomen Patris, & Filij, & Spiritus sancti. A.C.1595.

Ac proindè, sciente, volenteque Domino nostro Sigismundo tertio Dei gratia Poloniæ, ac Sueciæ Rege, magnoque Duce Lituaniæ, mittimus ad sanctitatem vestram charissimos fratres nostros Reuerendos in Christo Hypatium Pociei Protothronium, atque Episcopum, &c. quibus mandauimus, vt sanctitatem vestram adeant, ac (siquidem sanctitas vestra administrationem Sacramentorum, ritusque, & cærimonias Orientalis Ecclesiæ integrè inuiolabiliterque, atque eodem modo, quo tempore vnionis illis vtebamur, nobis conseruare confirmareque pro se, & successoribus suis, nihil in hac parte innouaturis vnquam, dignetur) suo & omnium nostrorum Archiepiscopi, & Episcoporum, totiusque Ecclesiastici nostri status, & ouium commissarum nobis diuinitus nomine Sedi S.Petri, & sanctitati vestræ, vti Summo Pastori Ecclesiæ Christi debitam obedientiam deferant. Quæ omnia petita à nobis, si obtinuerimus, Sanctitati vestræ, cùm omnibus successoribus suis, nos & successores nostri dicto audientes, subque regimine Sanctitatis vestræ semper esse volumus. In quorum maiorem fidem literas præsentes manibus nostris sub-

subscripsimus, atque muniuimus sigillis.

230. Hypatius Protothronius Wlodimitiensis Episcopus. In fidei professione: Sanctissime, ac beatissime Pater. Ego humilis Hypatius Pociei Dei gratia Protothronius Wlodimiriensis, & Brestensis Episcopus in Russia, nationis Rursorum, vnus ex Procuratoribus Prælatorum eiusdem nationis, vnà cum Domino Cyrillo Episcopo Luceoriensi collega meo specialiter constitutus ad ineundam, & suscipiendam vnionem Sanctitatis vestræ, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, atque ad deferendam debitam obedientiam ipsorum omnium, & totius Ecclesiastici eorum status, & ouium eis commissarum nomine, huic sanctæ Sedi B.Petri, & Sanctitati vestræ, vti Summo Pastori vniuersalis Ecclesiæ, ad pedes eiusdem Sanctitatis vestræ positus, & sanctæ Orthodoxæ fidei professionem facturus, & emissurus, polliceor, & promitto, &c. Credo sanctam Apostolicam Sedem, & Romanum Pontificem in vniuersum Orbem tenere primatum: & ipsum Romanum Pontificem successorem esse B.Petri Principis Apostolorum, & verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiæ caput, & omnium Christianorum Patrem, & Doctorem existere, & ipsi in B.Petro pascendi, regendi, & gubernandi vniuersalem Ecclesiam à Domino nostro Iesu Christo plenam potestatem traditam esse. A.C. 1595.

Sanctam Catholicam, & Apostolicam Romanam Ecclesiam, omnium Ecclesiarum Matrem, & Magistram agnosco, Romanoque Pontifici beati Petri Apostolorum Principis successori, ac Iesu Christi Vicario, veram obedientiam spondeo, ac iuro.

Et quidem, Lector, Veritas vim magnam habet. Hinc illud Prophetæ oraculum: Fortè est Vinum, fortior est Rex, fortiores sunt mulieres: super omnia autem vincit veritas.] Veritas enim in terris ab hominibus expressa, est effectus Diuinæ illius veritatis] creatæ ex cœlo prodeuntis. Vincuntur igitur Hæretici, ac Schismatici (velint, nolint,) veritate, eamdemque asserunt, aliquando, & publicè confitentur: Quòd maius est argumentum Catholicæ nostræ Fidei in Diuina illa veritate fundatæ. Verùm audias iam Hæreticos ipsos Catholicæ eiusdem fidei nostræ assertores, & sacros nostros Antesignanos profitentes, reuerentesque.

231. Ioannes Wiclephus, Epistola ad Vrbanum VI.(est apud Foxum lib.1.Comment.) Gaudeo planè detegere cuicumque fidem meam, & specialiter Romano Pontifici: quia suppono, quòd sit Orthodoxa, ipse fidem meam humiliter confirmabit; etsi sit erronea, emendabit, &c. Suppono iterum, quòd Romanus Pontifex, cùm Summus Christi Vicarius in terris sit, ad illam legem Euangelij inter viantes maximè obligatur,&c.Si in istis errauero, volo humiliter etiam post mortem, si oporteat, emendari: etsi in persona propria ad votum potero laborare, vellem præsentiam Romani Pontificis humiliter visitare. A.C. 1390.

232. Ioannes de Pezibram, Hussita. In professione fidei: Profiteor fideli corde, & ore, quia omni voluntate, & desiderio sum in spe, esse cupio in re, ex integro, inuiolabiliter, & inseparabiliter membrum sanctæ matris Ecclesiæ Catholicæ, vniuersalis, & Romanæ, per totum Orbem diffusæ, in Apostolicis sedibus à B.Petro Apostolorum Principe fundatæ, & vsque modò continuatæ, & supra firmam petram tam firmiter roboratæ, quòd portæ inferi non possint aduersùs eam quomodolibet præualere. A.C. 1450.

233. Martinus Lutherus in resolutionibus priorum disputationum ad Leonem 10. Quare, Beatissime Pater, prostratum me pedibus Beatitudinis tuæ offero cum omnibus, quæ sum, & habeo: viuifica, occide: voca, reuoca: approba, reproba: vocem tuam vocem Christi in te præsidentis, & loquentis agnoscam. A.C. 1519.

In resolutionibus aliarum propositionum: Primùm, quòd me mouet Romanum Pontificem esse alijs omnibus (quos saltem nouerimus se Pontifices gerere) superiorem, est ipsa voluntas Dei, quam in ipso facto videmus. Neque enim sine voluntate Dei in hanc monarchiam venire vnquam potuisset Romanus Pontifex. At voluntas Dei quoquo modo fuerit nota:cum reuerentia suscipienda est: ideòque non licet temerè Romano Pontifici in suo Primatu resistere. Hæc autem ratio tanta est, vt, etiamsi nulla alia causa esset, hæc tamen satis esset, ad compescendam temeritatem resistentium.

Idem, in declaratione quorumdam articulorum: Quòd Romana Ecclesia à Deo sit præ alijs omnibus honorata, non est dubium. Ibi enim sancti Petrus, & Paulus, quadraginta sex Romani Pontifices, & tot centena millia Martyrum sanguinem suum fuderunt, infernum, & mortem vicerunt, vt vel palpari queat, quàm singularem habent ad illam Ecclesiam respectum. Quòd si nunc, proh dolor, res habeat Romæ, vt expediret habere melius, attamen neque hæc, neque vlla alia causa tàm grandis est, nec esse potest, vt ab ea Ecclesia separatio, aut discessio vlla fieri debeat. Imò quò peius ibi res habet, tantò magis accurrendum, & adhærendum est. Per separationem enim, & contemptum non fit melius.

Idem Lutherus Augustam citatus,coram Legato Caietano suam protestationem in hæc verba scriptam reliquit: Ego frater Martinus Lutherus Augustinianus, protestor me colere, & sequi Sanctam Romanam Ecclesiam in omnibus meis dictis, & factis, præsentibus, præteritis, & futuris. Quòd si quid contra, vel aliter dictum fuit, vel fuerit, pro non dicto habere, & haberi volo.

234. Martinus Bucerus in præparatorijs ad Concilium: Ingenuè confitemur, apud Veteris Ecclesiæ Patres Romanam Ecclesiam præ cæteris Primatum obtinuisse, vt quæ Cathedram Diui Petri habeat, cuiusque Episcopi successores Petri ferè semper habiti sunt. A.C. 1530.

Si non credideritis Hæretici, Schismatici, Deuij ab Ecclesia Catholica Romana, peribitis. Nam qui non credit, iam iudicatus est, imò adiudicatus inferno;

Ego quidem credidi, propter quod locutus sum.

Quibus omnibus à nobis iure, meritòque assertis, & probatis de singulari Primatu sancti Petri Principis Apostolorum in Ecclesia sancta Dei, profectò nequaquam erit, qui sanctum Paulum Apostolum in eodem Primatu Petro ipsi, comparem faciat. Hanc enim Societatem (vt hoc validissimum etiam argumentum adijciam) in sua Ecclesia Christus adeò exhoruisse visus est, vt Petrum eumdem (antequam ipse in cęlum esset ascensurus) noluerit constituere Vicarium suum, ne videret &c. in Ecclesia sua bicipitem fecisse Pastorem, cùm Princeps ipse Pastor in terris adhuc viueret; qua de re non nisi per verba de futuro eam dignitatem eidem promisit: Inquit enim: Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam: & tibi dabo claues Regni cęlorum. At postquam in cęlum breui esset ascensurus, ne videretur Ecclesiam suam Pastore orbatam relinquere, per verba de præsenti dixit: Simon Ioannis diligis me plus his? Dicit ei: etiam Domine, Tu scis, quia amo Te. Dicit ei: Pasce Agnos meos, Pasce oues meas.



PRO



PRO SS. ROMANO

ET

CATHOLICÆ ECCLESIÆ

EPISCOPO.

Sacri veritatis testes, rationes, & Ecclesiæ progressus fidelis obseruatio.

ADVERSVS

Vitiosa, & corrupta, aut falsò interpretata à Matthia Flacco Illyrico præcipuo Centuriarum Auctore Testimonia.

LIBER PRIMVS M. S.

Extat in Bibliotheca Vaticana inter volumina Manuscripta Serenissimæ olim Suetiarum Reginæ liber iste, sine vllo nomine Auctoris confutans Matthiam Flaccum Illyricum. Ex ipsius tamen verbis, & Scriptione duo deducuntur, vnum ferè certum, nempè fuisse ex Illustrissima Dominicanorum familia, alterum opinabile, nempè fuisse Camillum Campegium eiusdem Sacræ familiæ. Primum perspicuum apparet, & quasi in medio positum, ex eo, quod Auctor iste nominans Romanos Pontifices nulli affigit titulum aliquem, nisi cùm nominat Pontifices Dominicanos, subscribens,ex Dominicana familia,& præcipuè etiam ex eo, quod fatetur se in Concilio Tridentino fuisse in societate Bartolomæi Carranzæ Auctoris summæ Conciliorum, ibique cum multis alijs Patribus librum quemdam in Tridentina Bibliotheca vidisse. Alterum, quod sub Iudice adhuc remanet est fuisse Camillum Campegium, qui scripsit contra Lutherum, & interfuit Concilio Tridentino, in quo orationem, siue concionem habuit coram Patribus. Cæterum quia alij sunt ex Dominicana familia, qui & scripsere contra Lutherum,& simul interfuere Conc. Trid. nam illi Concilio interfuere ex illa celeberrima familia Archiepiscopi sex, Episcopi supra quadraginta; quadraginta item Theologi constipantes Vincentium Iustinianum Generalem Ordinis. Inter eos autem, qui & interfuere Concilio Tridentino, & scripsere contra Lutherum, eiusque asseclas, inter quos primus fuit Matthias Flaccus Illyricus, sunt Iacobus Naclantus Episcopus Clugiensis, Felicianus Ninguarda de Morbinio, Ambrosius Pelargus Procurator, & Orator Electorum Treuerensis, & Coloniensis, CamillusCampegius, & alij in Bibliotheca Dominicana, in qua cum inter

Anonymos liber iste non reperiatur relinquimus pio Lectori dignoſcendum, cuius nam ſit ex ſupradictis, vel alterius ex ſtylo, & circumſtantijs ponderatis. Interim Liber iſte aeriter confutat hæreticum illum, demonſtrans teſtes, quos adducit vel falsò allatos, vel vitiatos, vel mutilos, quod obuium eſt hæreticis vnde etiam in litera B poſuimus librum Balthaſſaris Nardij contra M. Antonium de Dominis, hæreticos in hoc ad vnguem imitantem. Matthias ergo Fracovvitzius cognomento Flaccus, natus eſt Albonæ Illyrici (hodie Sclauonia dictæ prouinciæ) oppido Anno 1520. 3. Martij è familia veteri, & numeroſa. Puer parente, qui filio prima Grammaticæ rudimenta inſtillauit, mortuo, Franciſco Aſcerio Mediolanenſi viro doctiſſimo operam aliquamdiù dedit. Venetias deinde miſſus Ioannem Baptiſtam Egnatium iuxta forum S. Marci literas humaniores celebri fama profitentem audiuit. Pietate deinde, & Theologici ſtudij deſiderio incenſus Monachiſmum ſuſcipere cogitauit, communicato conſilio cum Baldo Lupatino Franciſcanorum Prouinciali, poſtea poſt 20. annorum carcerem, quod de hæreſi eſſet ſuſpectus, in mare demerſo, qui cùm Monachatum ipſi diſſuaſiſſet; & Theologiæ diſcendæ gratia in Germaniam conſuleret proficiſci, huius conſilium ſecutus omni penè viatico deſtitutus Baſileam venit, ibi à Simone Gryneo, & hoſpitio receptus eſt, & ſchola. Inde Tubingam venit, hoſpitio vſus Matthiæ Garbitij Popularis ſui linguæ Græcæ profeſſore. Deinde Vvitembergam profectus Lutherum, & Melanctonem audiuit, vixitque in hoſpitio Friderici Bachouij Miniſtri Eccleſiæ linguam Hebræam, & Græcam priuatim docendo. Magiſter deinde ſalutatus ibi, & vxore ducta Profeſſor Publicus ibi ſalutatus eſt anno 1544. Vvitembergæ Melancthoni ſingulariter acceptus fuit, quem tamen poſtea ſcriptis ſuis exagitauit, ad iſtamque ciuitatem redijt, poſtquam Brunſuigam à Medlero inuitatus abijt, vbi doctrinam ſuam latè diſſeminaurat, & Vvitembergæ diuulgato libro Intermiſtico, cum alijs Theologis ſe illi oppoſuit. A Vvitemberga Magdeburgum abijt, vbi officinæ typographicæ præfectus Hiſtoriam Eccleſiaſticam, Centurias vulgò Magdeburgenſes adornare incœpit, vnà cum Nicolao Amſdorffio, Nicolao Gallo, Martino Copo Medicinæ Doctore, Ioanne Vvigando, Ebelingo Alemanno, & Matthæo Iudice. Papatum, inſuper ibi Oſiandri etiam, & Schvverchsfeldij dogmata oppugnauit, quos libros verè vocare potes officinam mendaciorum, certarunt enim inter ſe Auctores iſti quiſnam plus mentiretur. Anno 1557. Ienam ad ſcholam nouam excolendam vocatus venit, ſed quinquennio ibi exacto cùm inter ipſum, & Victorinum Strigelium contentio de libero arbitrio eſſet orta, Ratiſbonam conceſſit, vbi varia Scripta edidit. Anno 1567. Antuerpiam ad Eccleſias ibi conſtituendas cum Cyriaco Spangembergio venit, ſed paulò poſt inde dimiſſus Argentoratum, & randem Francofurtum ad Mænum venit. Anno 1568. in Colloquio Altenburgenſi, quod inter Theologos Miſnicos, ac Thuringicos inchoatum eſt die 21. Octobris, & finitum 9. Martij anni ſequentis, cùm de iuſtificatione diſputaretur, Flaccus contendit peccatum eſſe ſubſtantiam non accidens. Abinde flacceſcere, & ſuis fratribus ſordere cœpit, ac idem paſſus eſt à ſuis, quod Philippus Melancthon ab ipſo. Fatis tandem conceſſit Francofurti anno 1575. ætatis 55. Concionem funebrem ipſi habente Caſpare Steldelino Cronbergenſi. Quamquam verò Matthias cum alijs in paradoxo de peccati ſubſtantia irridentium ſalibus ſit expoſitus à ſuis, in alijs tamen habuit maximos ſectatores in hæreticis, & impugnatores magni nominis inter Catholicos. Opera autem illius ſunt Clauis Sacræ Scripturæ, ſiue de Sermone Sacrarum literarum, Centuriæ Eccleſiaſticæ hiſtoriæ, Martyrologium, Liber exponens cauſas cur ab Antichriſto diſcedere Chriſtiani omnes debeant, De Scriptura Sacra, einſque efficacia. Confeſſio Chriſtiana de peccato originali. Reſponſio ad Scripta Chriſtophori Laſij de peccato originis. De Libero Arbitrio. De Conuerſione hominis, & regeneratione; & Collactanea teſtium veritatis contra Papatum Romanum, vbi colligit teſtes deſtruentes Papatum. Noſter verò auctor ipſum confutat meliori ordine, quo poteſt, ſequendo tamen ordinem ipſius Matthiæ Flacei, demonſtrat Auctores vel pati exceptionem, vel ſi ſunt omni exceptione maiores, eſſe vitiatos, corruptos ab eodem Auctore. Circa tempus, quo floruit iſte Auctor ſatis ſe ipſum prodit floruiſſe nempe tempore Concilij Tridentini, in quo profitetur ſe fuiſſe. Circa ordinem cùm vix habeat capita, & ſectiones, vbi non adſunt, eas ſupplemus.

PRÆ-

PRÆFATIO PIO LECTORI.



Atthias Flaccius Illyricus præcipuus Auctor Centuriarum, priuſquam cum quibuſdam alijs libros, quos Centurias appellarunt aduersùs Chriſti Vicarium complura Chriſtiana dogmata, Apoſtolorum, & Romanæ Eccleſiæ traditiones, ritus, & inſtitura, in lucem ederet, vt principis partes ſe in illis obtinuiſſe, ac ab eo tanquam ab exemplari quodam depromendas, ac diſponendas Centurias oſtenderet, hunc librum prodit, titulumque ei impoſuit, Teſtes veritatis ſuperiorum temporum contra Papam. Ratus ſi ſolus, ac primus huiuſmodi impium, & mendax opus edidiſſet, ſe magnam apud ſui ſimiles laude conſecuturum. Nec exiſtimans, quod ficut tempore præceſſerit, ita ni plures, & deteriores errores, vt re ipſa incidit, incidere potuiſſet. Nos verò, & ſi ignoremus peritos, ac graues viros, iſthæc collectanea optimè noſſe, illaque deteſtari; ac ferè nihil docere, vt quæ Sanctiſſimi Epiſcopi Romani maieſtati nequidquam detrahere valeant; tamen quia etiam minùs peritis proſpicere debemus, Teſtes, quos ipſe veritaris appellat contra Papam, ſuis in locis examinabimus, & omnibus perſpectum erit, quæ falſa pro veris, quæ manca, & inutilia pro integris, quæ inuerſa rempora pro opportunis, quaſue controuerſias, aut vafrè, vel inuerſo ordine diſpoſitas afferat: Et quantum inferendo, approbando, deſpiciendo, vt plurimùm tota via aberret, ſuis in locis explicabimus. Sed quia cum prolixo auctore nobis negotium eſt, & qui parum ſeruara methodo ſæpius idem repetit, ac admodum digreditur, breuitati ſtudentes ipſius interdum omiſſis verbis illorum ſenſum ſuccinctè, fideliter tamen referre, ſat eſſe exiſtimauimus: & vt quiſque in fonte Auctoris verba, vel ſenſum perpendere poteſt, pagella primam, vel ſecundam maioris formæ imagine diſpoſuimus. Et quoniam iſte, dum ſuæ vt ait, veritatis teſtes afferre nititur, complura noſtræ veritatis fidiſſima teſtimonia prætermittit, & cùm rerum ſucceſſus enarrat, illos (vt ſua tueatur commenta) mutilos, & quaſi decurtatos affert, vel ſi eius obfuturi ſint intentioni, illos ſub ſilentio præterit; noſtri muneris erit; non ſolùm illis veritatem oponere, verùm etiam teſtes, dicta, & maiorum noſtrorum facta, quæ ei contraria ſunt ſuo loco diſponere, & in medium afferre. Si verò in his præſtandis eadem interdum repetere cogimur; pie Lector boni conſule, tum quia res ita, temporumque neceſſitas expoſtulat, tum quia harum rerum repetitio, quibus totius Chriſtianæ doctrinæ moles innititur, & aduerſariorum fallaciæ deteguntur, vtilitatis, & iucunditatis plurimum afferre videtur. Tu verò, in cuius gratiam hunc ſubiuimus laborem, omnia perpende, quoniam facilè verum à falsò diſcernes, & iſtius malè affecti induſtria eadem facilitate hæc noſtra perlegendo vitare poteris.

CAPVT PRIMVM.

Quod D. Petrus fuerit Anteceſſor Papæ, & quod regimen Eccleſiæ ſit Monarchicum.



Vas Auctor iſte præfationes ſuo operi præmittit, quibus ſuam, quam vocant Eccleſiam, atque doctrinam non modò Eccleſiæ Romanæ, ac eius doctrinæ longè præfert, ſed illi etiam iniuriam inferre nititur; aſſerens quoque primitiuæ Eccleſiæ doctrinam, ac inſtitura prorsùs eorum doctrinæ conformia in religione fuiſſe, ac ex diametro à noſtra Romana diſſenſiſſe, ſententiaſque Auguſtini, Ambroſij, Hilárij, Hieronymi, Chryſoſtomi in pleriſque articulis cum eorum doctrina congruere. Nos verò, nolentes idem ſæpius repetere illis in locis de his agimus, in quibus iſte ſeriò putat ſe ſuum propoſitum demonſtrare.

Initium huius libri apertè oſtendit quantum fidei ſuo auctori, alijſque dictis in eo contentis adhibendum ſit. Nam ſi primum omnium Auctor Diuum Petrum contumelia afficere nititur, eique præterita, & dimiſſa errata, ac generis ignobilitatem exprobrat, auctoritati detrahit, Romanæ Eccleſiæ paſtorem fuiſſe negat, ac ſucceſſores inſectatur, quæ fides iſti adhibenda eſt? Nos verò vt congruo ordine agere poſſimus, & Petrum, ſuoſque ſucceſſores ab iſtius calumnijs vindicemus, ſimulque ſupremam auctoritatem demonſtremus verba ipſius Auctoris aſſeremus initio ſui libri conſcripta, quæ quidem hæc ſunt.

[Iniuriam fecero ſatis ſcio D. Petro, ſi eum vel Papam, vel horum Paparum anteceſſorem, præcipuè autem. Si eum iſtius peſtilentiæ Sedis, quaſi fundatorem, auctoremque fuiſſe dixero.] Multis quidem modis, non ſolùm Petro, ſed etiam Chriſto iniuriam feceris, ſi eum primum, & non Chriſtum etiam Romanæ, ac Catholicæ Eccleſiæ fundatorem fundamentum, atque auctorem dixeris. Quemadmodum etiam pertinaci animo negare; Petrum primum non fuiſſe Chriſti Vicarium, ac Romanæ Eccleſiæ ad mortem vſque præfuiſſe, hæreticum eſſe, rectè ſentientes iudicarunt. Sicuti etiam maximè impium eſt Romanam Apoſtolicam Sedem, peſtilentiæ Sedem appellare. Quę quidem, & ſi multis rationibus, diuinis teſtimonijs, Summorum Pontificum, ac ſacrorum

Cou-

Conciliorum decretis, præcipuorum Ecclesiæ Doctorum innumeris sententijs, ac perpetuo, & vniformi Ecclesiæ progressu demonstrare possemus; attamen breues omnes conantes nonnulla selegimus aptiora, quibus Petri Primatus, & suæ Romanæ Sedis auctoritas, adeò demonstratur, vt verba, quę primo loco iste suo operi proposuit, nulla ratione, sed suo dumtaxat arbitrio, eum disposuisse iudicatur. Nec alicui mirum esse debet si aliquantò prolixiùs, hac prima operis fronte propositum istud prosequimur; quando Matthias sui libri initio, iniuriam, & quidem maximam Christo Domino, Petro, Romanæ Ecclesiæ, & omnibus Christi fidelibus, suis virulentis verbis facere præsumpserit; Et minùs peritis vacillandi ansam præbuerit. Quas ob causas, & quoniam etiam fundamenta primo loco iacienda sunt, congruum fuit, illa præmittere, quibus istius maledicta deprimerentur, & de rudioribus, quæ suis verbis agitari potuissent, ratio haberetur, & se etiam pararent ad ea percipienda, quæ in libri progressu aduersùs istius commenta dicturi sumus,

Proposuimus, & primo loco ista, toti operi communia. Quoniam cùm iste multis in locis huius argumenti sententias sępius repetet, Sat erit hic semel, & fusiùs demonstrata, tunc innuendo citare, ac illorum dictis illa compendio opponere & tantùm sub illis titulis, seù capitibus contentis succintè respondere, quantum præter ista aliquid noui afferri videbitur.

Et quoniam primùm omnium, iste asseruit se coaceruasse cathalogum omnium veritatis testium, qui antè nostram ætatem Pontifici Romano reclamarunt; vt cognoscat se deceptum esse, & illorum testium sententias, vel non perpendisse, vel vafrè eis se vsum esse, eorumdem nos testium dicta (modò suspecti, & incogniti non sint) plerumque suis obiectis opponemus, præsertim illorum quinque Doctorum, religionis nostram fidissima testimonia; nempè B. Hilarij, Ambrosij, Hieronymi, Augustini, & Chrysostomi, quorum sententias, falsò iste asserit cum suis, & suæ Ecclesiæ sententijs conuenire: quibus etiam D. Cyprianus, cùm suo loco iste tantum tribuit, addi potest,

Ne autem pro arbitrio hinc indè negari videamur iuxta verborum istius dispositionem pollicita præstabimus, vt quisque intelligat non nisi acriter lacessitos hoc loco aliquantò fusiùs materiam pertractasse. Quibus omnibus, quantùm par erit absolutis, ad istius titulos, seù scripta suo ordine examinanda statim nostra se conuertet disputatio: hac tamen lege, ordine, etiam ratione ducti, vt quotiescumque ab eo eadem repetuntur, ne legentibus molesti simus, & ne liber etiam in maximum volumen redigatur, ad superiora iam disputata, & demonstrata, vti dictum est, Ipsos, & pios lectores remittemus.

Et primum omnium, cùm iste dicat se iniuriam facere Petro, si eum Papam fuisse dixerit, & cui alij Papæ successerint, non alia ratione dictum esse puto, nisi quòd cùm vnus Papa, seù caput, siuè primatus in Ecclesia, secundùm ipsius commentum, præter vnum Christum non extet, frustrà Petro, & alijs successoribus talis præeminentia tribueretur. Nos autem Diuino freti auxilio, afferemus illa, & eo ordine, vt quisque intelligere possit, quantùm istius dicta à veritate aliena sint. Et quamuis, Diuina, testimonia, quibusuis rationibus præstent, illisque præponi debeant, ab istis tamen exordiri maluimus, vt quisque intelligat, mirum non esse, si Diuina facta, ac testimonia non intelligit, qui omnino se rationis expertem esse demonstrat, Præmisimus etiam huius differendi ordinem, vt minùs peritis consuleremus, quibus magis insitus est rationis vsus, quàm Diuina speculari mysteria; Et vt etiam eorum, prædicaturi sumus, perceptis rationibus, tantò fortiùs illorum mentibus veritas inhæreat, quantò diuina dicta, ac Patrum testimonia viderint cum illis rationibus conuenire.

Et primùm omnium ambigendùm non est, Christum, regimen suæ Ecclesiæ, omnium aliorum nobilissimum, atque pręstantissimum esse voluisse, sed illud ratio ipsa, ac illustriores Philosophi, monarchicum esse censuerunt; Igitur Ecclesiasticum regimen tale esse debere, minimè dubitandum est.

Quòd quidem ex duobus maximè demonstratur, nimirum, ex fine regiminis, & ex primi, atque secundi exemplaris similitudine, Ex fine quidem, quoniam cùm regiminis finis sit pax, quæ in vnitate consistit, faciliùs ex vno, quàm ex pluribus deriuari potest. De illa, inquam, pace, quæ à ratione, & virtute, præsertim Christiana proficiscitur; & quam Christus Discipulis frequenter seruandam præcepit, & quasi, instar testamenti, illis, seruandam, reuersurus ad Patrem, reliquit (Pacem meam, inquit, do vobis, Pacem meam relinquo vobis) Et ex primi archetypi, in mente Dei existentis similitudine; quòd quidem vnum est, à quo cuncta suum exordium, & progressum sumunt; & secundi exemplaris, idest cœlestis Hierarchię supernæ triumphantis Hierusalem, similitudine militantis Ecclesijs Hierarchiam, Christus ab vno Monarcha regi, ac gubernari voluit; Itaque cùm Aristocratia, & Democratia, monarchico regimini, longè inferioris ordinis sint; monarchico iure, suam Ecclesiam administrari voluisse, censendus est.

Vt autem, quòd compendio diximus, aliquantò explicatiùs demonstremus, scire oportet, Deum Optimum maximum, suis operibus ità sui similitudinem impartiri, vt illa perfecta essent, & per ea ipse cognosci posset, non modò ea ratione, qua est, verùm etiam, qua alijs influit; Et cùm Diuinæ sapientiæ in omnibus gerendis mos sit, vt postrema medijs perficiat, media verò primis, ne huiusmodi perfectionis, & pulchritudinis opus, Ecclesiæ deesset, Deum ita eam instituere congruit, vt decreto ordine, alij alijs influerent, sacramenta cæteris administranda; vt sic Deo similes facti, illi cooperatores dici possent; Quibus infertur in Ecclesia graduum discrimen esse, & quemadmodum postremus, ità etiam eo primus existere debuit. Rursùs si in rerum natura, ordo primi, medij, atque postremi inuenitur, eisque perfectionis, & pulchritudinis tantum tribuat, vt inter perfecta reluceant; cur in his, quæ gratiæ, & religio-

ligionis sunt, talis ordo adhibendus non erat, quo non modò statum illum perficeret, sed etiam quantùm gratia præstat naturæ, demonstraretur.

Præterea, cùm Ecclesia ex clericis, & laicis constet, si inter laicos ordo regiminis distributus est, cur clericis eadem, quinimmò maiori ratione idem factum non credamus? Sed propiùs accedentes; Ciuitas illa sancta Hierusalem quam à Deo paratam, & ornatam Ioannes de cœlo descendentem vidit, si hæc nostra militans Ecclesia est, nonne exemplum, quòd à cęlesti exemplari sumptum, in terris attulit, perpetuò retinere debet? Et cùm cęlestis illa ciuitas, seu Hierarchia, ordo, scientia, & actus sit, Diuina scientia, & actione, talis ordo in hac terrena Hierarchia disponi debuit, vt quemadmodum supremè, exacto quodam ordine, vnus Princeps præest, nostræ Ecclesiæ gradibus, vnus etiam omnium supremus inueniri debet: vt quemadmodum etiam in illa cęlesti ordines ità distributi sunt, vt vnus ab altero, nempè Angelus ab Archangelo ad Seraphin vsque principis influxum, & actiones recipiunt, ità etiam in Ecclesię gradibus, iuxta primi exemplaris formam, ordo esse debet, quoad vnum caput referantur, à quo motum, & regimen accipere debeant.

Rursùs si D. Paulus ad Corinthios scribens, docet idipsum dicere omnes, & non esse debere inter nos schismata, Quinimò, & Dominus ipse rogauit Patrem, vt vnum cum suis ouibus esset, cùm ortæ fuerint de doctrina, aut traditione quæstiones, quis iudex illarum erit? Nisi enim aliquis in Ecclesia supremus Iudex, & interpres fuerit, Ecclesia omnes, erroribus, sectisque varijs fluctuet necesse est.

Præterea ipsa corporeorum compositio membrorum oos docet, quonam pacto Ecclesia sit, & quibus ministris administranda. Quod quidem probè noscens D. Paulus, ipsam esse Christi corpus prius declarat, vt indè congruente, ne dicam necessaria consequentia deduci posset, vno, ac supremo capite visibili in Ecclesia omninò esse opus? Inquit enim Paulus, *vos estis corpus, & membra de membris, & sicut in vno corpore multa membra sunt, omnia tamen non habent eundem actum, ita vnum corpus sumus in Christo singulariter alter alterius membra*. Et infra, *si totum corpus, oculus, vbi auditus, & alij sensus?* Sed cùm Deus corporis membra suo arbitrio disposuerit, ac singula suo officio apta constituerit, si ex membris aliquod, alterius officium turbare, vel auferre præsumpserit, non ne corpus totum deturparetur, & fortasse illud in præceps iret? Eique in *Ecclesia decreuit quosdam Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Euangelistas, alios Doctores, & pastores ad consummationem sanctorum, in opus ministerij in ædificationem Corporis Christi, numquid* corpus hoc, idest Ecclesia, mutilum, absque capite, vel alterius generis illud esse voluit? Nunc verò cùm Ecclesia visibilis sit, necnon supramemorati ministri etiam visibiles sint, Et Christus suam Ecclesiam in terris visibilem statuerit, necnon visibilis etiam ipse fuerit, eo postmodum de terris sublato, numquid abstrahendo à materia mathematicum egit, vt se visibili capite sublato, corpus eius mysticum hoc est Ecclesia solo mathematico capite potiretur, & Pauli comparationem inanem reddere, ac extrà omne propositum allata, si corpus visibile perpetuo capite visibili carere debuisset?

Nec prætermittendum est, quod si in veteri lege Deus pręstantissimum monarchicum regimen constituit; cùm Aaron summum Pontificem fieri præcepit, cui sub pæna mortis omnes parere tenerentur: Cur in lege gratiæ, cuius figura altera erat, & Sacerdotium nostrum longè præstantius, istum gubernandi modum in Ecclesia constitutum non esse, credi debet?

Sed quid vlteriùs digredimur si Christum apertissimis verbis hoc declarasse, immò expressè voluisse legimus inquit enim ipse. *alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili, illas oportet me adducere, vt fiat vnum ouile, & vnus Pastor*?

CAPVT II.

Quod detur Caput visibile præter Christum.

SEd iste, cæterique centuriarum auctores, his auditis fortasse responderent; cur inani labore consumeris? Quæ enim attulisti, & quæ vlterius afferri possent, non inficiamur, sed tantummodo in hoc diffidemus quoniam, quod vni Papæ in terris constituto perperàm tribuis, nos Christo dumtaxat meritò tribuimus, cùm ipse solus sit Episcopus animarum nostrarum, & ipse etiam caput omnis principatus dicitur, vt cæteras scripturarum sententias omittamus, quas suo loco opportunè afferemus.

Nos verò, vt cunctis pateat quanta modestia, de visibili capite locuti simus, primò his, quæ obijciuntur facilè satisfaciemus, deindè verò vlterius, quid Papæ, eiusque successoribus debeatur, demonstrabimus. Et ne benignos lectores, præsertim minùs peritos prolixis disputationibus detineamus Christi postremis dictis potissimum innixi, hoc pacto respondemus.

Relata eiusdem rationis, & temporis esse, nemo ambigit, cum igitur Dominus dicat futurum esse vnum ouile, & vnum pastorem, eius generis, & temporis pastor esse debet, quorum est ouile. Sed cùm ouile visibile, & hoc tempore extet, vnum esse, & nunc visibilem pastorem confiteri necesse est.

Sed non desunt, qui perspicui genus hoc argumenti, vitare volentes, ouile istud, Ecclesiam scilicet, visibilem esse negant, variéque de ea sentiunt. Nos autem, non aliunde, quàm christo, & D. Paulo causas omnes, quibus constat, recensebimus, quibus deinde quæ, qualisque illa sit facilè apparebit.

Qui quidem inuestigandi modus, quemadmodum istis inuisus, iustificationis rectam rationem intelligere nequeunt, ità etiam in cognoscenda, vel ignoranda Ecclesia, illis accidit.

Verba autē D. Pauli, & Christi, quibus causę Ecclesiam consitentibus demonstrantur inter cætera potissimùm illa sunt: *Christus dilexit*

Ecclesiam, & tradidit semetipsam pro ea, vt illam sanctificaret, mundans eam lauacro aquæ, & verbo vitæ, vt exhiberet eam ipse, sibi gloriosam Ecclesiam; Christus verò eam nunc aream, granum, & paleas continentem, aliquando sagenæ bonorum, malorumque piscium continenti, interdum verò decem virginibus prudentibus, scillcet, & fatuis comparauit.

Christus igitur causa efficiens est, quòd, ob nimiam ergà homines charitatem, Petro dixit, *Et super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* Causam verò meritoriam, 2. loco explicauit, cùm Christum se met ipsum pro ea oblatum asserit, sua enim passione, & morte, iustitia illa parta est, eius singulis applicauda, alteramque intimam, singulis propriam, illius virtute procreandam. Instrumentalis verò tertio loco demonstratur, cùm pro ea mundanda, ac sanctificanda aquæ lauacrum, & vitæ verbum institutum esse affirmat, vt verbo ad elementum accedente, fieret sacramentum. Finalem verò ostendit, cum dixit, Christum illam sibi gloriam exhibere, nam finis Ecclesiæ is est; Christi scilicet honor, & gloria, Ecclesiæ etiam gloria, & beatitudo. Formalem verò paulò inferius monstrat, cùm indissolubile coniugij Sacramentum indiuisibili Christi cum Ecclesia nexui illud inniti declaret. Materialem verò causam, hoc est, ex qua Ecclesia fiat, Christus supra memoratis comparationibus explicauit; quibus, cùm de bonis, & malis mentio fiat, omnibus, quę quoquo modo de Ecclesia dicuntur, suis modis correspondeut. Ac verò his causis productis Ouile, aut inuisibile comprobetur, qui ingenio, & pietate pollet diudicet, præsertim cùm omnia, quæ exaduerso adduci solent, his paucis refelluntur animumque tranquillu n reddunt, nempe, quòd cùm Ecclesia hæc terrena Christianos in fide conuenientes contineat, inter quos sunt etiam, qui præter communem fidē, vlterius charitate, & merito pręstant, quicquid ab his dici solet, vel vtrisque, vel alteri rectè comparatum: correspondet. Sed de his infrà fusiùs, aptiori loco.

Quo verò sensu pręter Christum primum caput, & sponsum Ecclesiæ alium supremum visibilem Pastorem, qui Ecclesiæ præsit, esse debere affirmamus.

Dicimus, quoniam filius Dei non decebat perpetuò se visibilem in terris ostendere, ac cum hominibus in forma serui, quam assumpserat, vt pro nobis pœnas daret, conuersari, sicuti sacramentorum visibilem administrationem terrenis ministris demandauit, ita etiam, immo longè magis suæ Ecclesiæ necessarium fuit, supremas suas vices visibili ministro demandare, qui suo nomine, in sua Ecclesia, necessaria faceret omnia, quæ ipse præsens corpore fecisset. Nec ob id Christus definit Ecclesiæ esse caput, nam si ratum fore habiturum dixit in Cœlo, quidquid Petrus in terris fecisset; iurisdictio illi illæsa manet; Et tamen etiam interest, quod ipse interius opus, nomenque ostij, eiusdemque significati, clauesque excellentiæ sibi soli seruauit. Exteriùs verò, Ecclesiæ necessarium, in terris viuenti Vicario commisit. Et, vt dici solet, & quidem rectè Christus sponsus, & caput est, eius verò Vicarius supremus minister, ad ministerium sibi demandatum exequendum constitutus.

Christum igitur, cui omnes fideles tam, quam membra, fide, spe, & charitate connectuntur, primum, & potissimum, propriaque auctoritate caput Ecclesiæ esse profitemur, quemadmodum ejus Vicarium visibile caput de capite visibili, dici posse, incongruum non erit, qui exteriora Christi membra suæ Ecclesiæ necessaria administrare debeat. Et vt aptioribus, & paucioribus fortasse verbis compendio discrimen horum capitum assignemus, confidenter dicimus, vnitatem in Ecclesia militante ad vnum principem, & caput Christi Vicarium referri, tamquam demonstratiuam, & conseruatiuam interioris vnitatis Ecclesiæ, in supremum, & primum caput relatum, à quo ipsa vnitas, & visibile caput, & princeps, omnem vim, facultatemque habet. Ad quam vnitatem conseruandam, vnum principem in Ecclesia, vt infrà dicemus, constituit, & vnum caput, per quod ad cætera membra virtus deflueret, nam si plura sine supremo capite instituisset, facilè Ecclesiæ vnitatis vincula dissentiendo rumperentur; ac ob id meritò vnà cum sapientibus accommodatè hæc adijcimus, nimirum, quod qui hanc supremam potestatem negant in Ecclesia, schismatici sunt, diuisores ecclesiasticæ vnitatis; atque ità fides nostra quacumque secta deterior esset, si emergentibus rebus dubijs, vel discordijs, non haberemus primum, ad quem tutò possemus accedere, qui in rebus fidei certam, & veritati consentaneam sententiam proferret; Quomodo etiam optimus legislator Christus, suam Ecclesiam ita reliquisset truncam, & capite mutilatam, cui tamen se nihil omisisse per Propheram Isaiam docet, cùm ait. *Quid vltra debui facere vineæ meæ, & non feci?* Quare ad schismata vitanda, ad errores abscindendos oportet vt in Ecclesia supremus quispiam rector, & doctor existat, apud quem etiam sit summa auctoritas in rebus dubijs fidei definiendis. Et quamuis Iesus sit verus Sponsus Ecclesiæ, & omnium fidelium caput, atque in cœlis existens Ecclesiam suam tegere possit, tamen voluit, eam viuentis, præsentisque homini nutu, & auctoritate gubernari, qui eius ministeriale caput esset, quod nobiscum versaretur, ad quod possemus accedere, & nostras ei necessitates exponere. Cùm igitur in Ecclesia capite opus esset, & Christo in terris perpetuò forma visibili conuersari non liceret, reuersurus ad Patrem, suas vices visibiles alicui committere credendum est. Et cùm de eo dicatur, *cuius Imperium super humerum eius*, & ipse etiam de se dicat, *datam sibi esse omnem potestatem in cælo, & in terra*; *ac in femore eius scriptum esse, Rex regum, & Dominus dominantium*, satis eius Vicarius instruitur, qualem, & quantum in tota Christi Ecclesia habeat facultatem, scilicet non modò docendi, & regendi, quæ spiritus sunt, verùm etiam in his, quæ quoquo modo ad Ecclesiæ vnitatem conseruandam, atque tuendam pertinerent, super omnes cuiussuis status, & gradus fuerint, qui Christiano se censeri volunt nomine, plenumque ius, summamque potestatem eum assecutum fuisse. Et cum caput in ministerio visibile, & primum esse in Ecclesia ce-

deberet, qui vices in terris supremi capitis cæli,& terræ gereret, compendio, & quantum par fuit ostenderimus. Superest illud esse Petrum demonstrare, vt hic sciat immeritò se illi iniuriam principio sui libri intulisse: Sed quoniam de Petri primatu, & Ecclesiæ vnitate, ac dignitate plerumque simul agitur; ideò ea,quæ de Ecclesia hactenus, ne eadem sæpiùs repeteremus, consultò distulimus, à Christo, & demum à Patribus vnà cum Petro, sæpiùs demonstrata deinceps intelliges.

CAPVT III.

Probatur Primatus S. Petri ex Euangelio.

DE isto igitur in terris supremo; visibili ministeriali, vt aiunt, Sacerdote, Præsule, ac Principe tractaturi, nemini ambiguo laborare contingat, de eiusdem nominis ratione prius aliquid præsandum est; vt scilicet ex aduentitio nomine, quid ei demandatum sit præsagiri possit, vt deinde, cùm ad rem ipsam ventum fuerit, faciliùs, & aptiùs; quæ dicenda sunt, illi tribuantur, cui nomen rei congruū impositum fuisse deprehendamus.

Inter alia igitur nomina Christo debita, suamque virtutem, quatenus caput fidelium est, exprimentia, illum lapidem angularem, in caput anguli positum vocamus. Præterea fundamentum illud, inquam, primum, super quod cætera secunda suo ordine iaciuntur; Rursùs Petra, non omnis tamen, sed illa spiritualis, quæ progredientes Iudæos consequebatur. Cùm igitur hæc nomina, quæ eodem propemodùm rendunt ad Christum Ecclesiæ summum Sacerdotem, Pastorem, & Principem referantur, quem his omnibus nominibus Christus primò cohonestauit, illum suum Vicarium fore dubio procul innuit; sed cùm Simoni dumtaxat filio Ioannis, memorata nomina à Christo imposita fuisse legamus; ambigendum non est, quòd cùm Christus Simoni reuersurus ad Patrem pascendarum ouium, ter indistinctè curam demandauit, supremam illam esse, quam Christus, vt Ecclesiæ caput, exercuisset, si in terris perpetuò degisset; Quod verò supramemorata nomina Christi propria, Petro tributa sint, ex Euangelio etiam satis constat, legimus enim absque vlla controuersia, Christum dixisse Simoni filio Ioannis, vocaberis cephas, quod Petrus interpretatur, inquit Euangelista. Alio verò loco cùm Simonem Christus Petrum factum, iam Petram esse declarat, super quàm se fundaturum suam Ecclesiam pollicetur, ac lapidem illum super caput anguli positum, idest super omnes, qui sub lege gratiæ sub Christo militaturi erant. Et vt tandem singula quæque paulatim discutere incipiamus, illa colligamus, quæ nostro proposito inseruient, & res perspicua magis, ac magis reddetur.

Nonne apud Matth. c. 16. satis constat Simoni Petræ iam facto, promissam supremam, & quamcumque clauium potestatem, eique apud Ioannem opportuno tempore traditam? Iouit.

Quod si Petram eo loco positam aliud, quàm Petrum esse dixeris, vt nonnulli suspicantur, præter quam extra omne positum, summa veritas bis Simonem, Petrum fecisset, & applasset, etiam verba Christi, eorum,quæ sensus nihil perspicui explicarent, nullamque haberent efficaciam, parumque etiam gratiæ Petro, ob eius singularem confessionem collatum fuisset. Si verò omnibus discipulis, vel Ecclesiæ tantùm potestatem illam promissam dixeris, præterquamquod, Christus eam perspicuam reddit, cùm aduentitio Simonis nomine, hoc est Petro res significata correspondere fecit, necnon eum dumtaxat beatum dicat, & cui soli Pater cælestis eius Diuinitatem reuelauerit, necnon digrediens à Petro ad Ecclesiam, cùm de clauibus agere vellet, ad Petrum redierit, dicens, *Et tibi dabo claues regni cælorum*, & quæ sequuntur. Etiam vlteriùs quid sentiendum esset, rei probauit euentus; nam neque Ecclesiæ, neque discipulis huius generis, auctoritatis, & vsus aliquid traditum esse, inuenitur; sed Christus cùm pollicitas Claues, earumdemque vsum Ecclesiæ suæ inseruituras, reuersurus ad Patrem committere voluisset, tantùm Petro; tunc commisisse meritò iudicamus, cùm ouium suarum curam ter demandatam illis verbis, Pasce oues meas, conspicimus, Quinimò, vt cunctis pateret commemoratam curam à Christo illi impositam fuisse non modò agnorum etiam ouium agnos patientium, hoc est Episcoporum, & Parochorum supremam, ac plenissimam curam Petro demandatam; necnon ter Domini verba repetita legimus, *Pasce, Pasce, Pasce*, vt supremam, ac firmissimam Petro, ac successoribus prouinciam iniunctam esse demonstraretur. Neque etiam seruilem tantùm curam illis verbis Petro, ac successoribus, Matthia,commissam esse putes, cuius causa sæpius Episcopis Romanis obgannis, ac Tyrannidis eos reprehendis, propterea quòd imperant, & supremos se ostendunt, nam probè nosti, quod, & si verbum *pasco* seruile officium Pastoris significet, verbum tamen *poimaine* quo Ioannes vtitur, sensum Christi explicans, etiam ad oues, hoc est ad cæteros prælatos, & superiores relatum, non modò pascere sed etiam regere, & præcipere insinuat, vt in græcis Codicibus obseruatur,ac ob id Romanus Pontifex ad verbum *pasco* relatus, se seruum seruorum Dei appellat, atque in Cæna Domini pauperum pedes lauat, & exosculatur, ad verbum *poimaine* si spectes, omnes prærogatiuæ,iurisdiriones, insignia, præcepta, titus, quæ tu Matthia infestaris hac explicata, quam à Christo habuit, suprema facultate istius verbi significatu etiā innuuntur.

Neque etiam omninò communem ac parem Petro, & Apostolis Clauium potestatem datam esse asserere licet,propterea quod vtrisque eadem clauium potestas promissa esse videatur. Nam cum ipsemet Christus, multiplicem clauium vsum esse, ac gubernandi munus demonstrasset, scientiæ scilicet, & potestatis, vel si mauis ordinis,& iurisdictionis, interioris, & exterioris fori, cum dispari ratione, diuersisque verbis ac tempore, clauium vsum Apostolis demandatum esse videamus, iam clare liquet, quid Petro soli, quid

simul cum socijs demandatum sit.

Quòd autem Christus huiusmodi clauium discrimen, scilicet scientiæ, & potestatis, vel ordinis, & iurisdictionis declarauerit, ex illis patet, nempe cùm Pharisæis exprobat, dicens. *Veh vobi legis peritis, qui tulistiis clauem scientiæ, ipsi tamen non introistis, & eos, qui introibant prohibuistis.*

De alia verò clauium potestate, & vsu ait *super Cathedram Moysi sederunt scribæ, & Pharisei, omnia quæcumque dixerint vobis seruate, & facite, secundùm autem opera eorum nolite facere.* Quod si vlteriùs harum clauium discrimen in Petro, & Apostolis quæris, perpende qua ratione factum est, vt Christus Apostolis vnà cum Petro iuteriorem, & exteriorem potestatem dederit, dicens. *Quodcū aque ligaueritis super terram, erit ligatum, & in cælis, Et quodcumque solueritis super terram erit solutum, & in cælis.* Et postremò, *quorum retinueritis peccata detenta sunt, & quorum remiseritis remissa sunt.* Petro verò soli seorsum, & præ alijs dictu legimus, *Et tibi dabo claues regni calorum, quodcumque solueris super terram erit solutum, & in calis*; hoc enim etiam mysterio profectò Christus innuere voluit, quod discipulis ligare, & soluere concessum est, Petrum autem seorsum, eadem posse, & maiora præ illis, ideft aperire, & claudere regnum cælorum. Exhibitio igitur complera clauium, & fūdationis Ecclesiæ promissioPetro soli facta; Et promissio etiam Christi orandi, ne deficeret fides Petri, ac commissio, & facultas confirmandi fratres suos; Et postremò omnium ouium cura, ei ter demandata, nos instruunt, inter Petrum, & Apostolos suprамemoratum discrimen consultò factum esse, quemadmodum inferiùs alijs perspicuis etiam Christi dictis, idem fusiùs ostenderur, Et quamuis hęc sat esse deberent, nihilominus iu tyronum gratiam, & vt calumnijs locus facilè adimi possit, quæ sequuntur supradictis addi, duximus opportunum: Opportunum quidem, quoniam nisi sincero animo diuersa clauium ratio expendatur, perpetuò malè affecti homines Dei Ecclesiam turbare non desinent.

CAPVT IV.

Quod Petrus potior sit Apostolis omnibus in clauibus.

Cum igitur in Ecclesia Dei duplicem spiritualem potestatem esse notum sit; ordinis scilicèt, & iurisdictionis, & vtraque à Christò in Ecclesia instituta sit explicandum adhuc superest, quid Ecclesiæ, quid Petro, Apostolis, cæterisque Euangelicæ Ecclesiæ Sacerdotibus demonstratum sit.

Et vt ab illa, quæ supramemoratis omnibus communis est exordiamur, ordinis scilicet potestate, minùs peritis animaduertendum est, quod ad Corpus Christi verum relati, omnibus pari ratione similis est quilibet enim illorum, cadem ratione, facultate, & verbis sacrum Christi corpus conficiunt. At verò si ordinis facultas ad CorpusChristi mysticum retuleris, longè dispari ratione Episcopi suo munere vtuntur, Conficiunt enim Sacrum Chrisma, eoque in confirmandis vtuntur, spiritum sanctum danr, & omnes Ecclesiæ ordines, præserim Sacerdotalem, diuina institutione conferunt, quemadmodum ex actis Apostolorum, & Pauli dictis cognoscimus.

Quod quidem etiam antea in Episcopis antiquæ legis præfiguratum est, illi enim Dei iussu peculiari consecratione præcæteris Sacerdotibus consecrabant, ac sancta sanctorum semel in anno introibant.

Commune est etiam, suprà memoratis omnibus Corpus Christi conficere, & ad illius susceptionem populum aptum, dignumque reddere, cùm satis constet eiusdem esse virtutis aliquid alicui tribuere, & ad susceptionem illius, illum præparare, vt patet de igne disponente lignum, & suam formam iutroducente; sed cùm suscepturi Christi Corpus, tunc parati dicuntur, cùm illis per illorum Sacramentorum vsum, qui ad remissionem peccatorum ordinatus est, illis errata dimittuntur, rectè infertur iu exercendis Baptismi, & pænitentię Sacramentis, modò aliàs adsit iurisdictio, parē habere facultatē.

Prima autem facultas, post Domini cęnam Apostolis committitur, nempè; *Hoc facite in meam commemorationem*, Secunda verò eisdem data, cùm Christus dixit. *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.*

Claues etiam ordinis, & quidem rectè, duę dicuntur, scientia scilicet discernendi peccata, & virtus dignos recipiendi, indignosque excludendi, & hæc potestas, quæ ad interiorem forum pertinet, omnibus Apostolis commissa fuit.

Præter has verò duas claues, duæ etiam aliæ in Ecclesia sunt, quæ iurisdictionis potestatem distinguunt, secundùm quod duplex forum est, nempe conscientiæ, & externarum causarum. Primam autem omnes, qui curam animarum obtinent, assecuti sunt. Alia verò est, quæ ad populum Christianum regendum, & secundum diuinam legem ad vitam æternam dirigendum pertinet; necnon correctionis causa, delinquentes, per excommunicationem potest ab Ecclesia communione rebelles separare. Prima autem, scilicèt regendi, Petro, cæterisque Apostolis, alia tamen, & alia ratione data est. Alia verò est cùm à Christo dicitur, *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus, & publicanus. Amen dico vobis, quodcumque alligaueritis super terram, erit ligatum, & in cælis.*

Præter hæc etiam, superest minùs peritis memorare, quod neque Ecclesia, neque quæuis in ea vniuersitas disposita, claues ordinis habere potest: nam cùm clauium potestas, per consecrationem consecrandis detur, qui Sacerdotij non capax est, illius potestatis expertem esse oportet. His etiam addi potest, quod cùm vniuersitas anima careat, quę illius characteris, seù potestatis subiectum est, omuinò illam minimè capaces esse concedēdum est. Adde etiam, quod cùm harum clauium ministri ad sacramentum pænitentię exercendum constituantur communitati conuenire non potest. Et postremò cùm talis minister inter Deum, & populum constitutus sit, vt offerat dona, & sacrificia pro peccatis.

catis, tale munus communitati nullo pacto conuenire potest. Et quamuis Ecclesiæ non sit sacramenta conferre, neq; ipsa Iudicem,& reum agere,& sui ipsius gubernationi præesse, vel subesse, tamen ipsa longè præstantiora obtinet. Illa enim est cuius causa Deus factus est homo, hoc est humana natura assumpta est à diuina persona, & pro ea ChristusDominus pœnas dedit, ac cruci affixus mortem subijt, resurrexitque propter ipsius iustificationem, & eius captiuitatem captiuam ducens cœlos penetrauit, sed priusquam visibilem formam suam Ecclesiæ suæ subtraxisset, supremum in terris spectabile caput loco suo constituit, cæterosque Apostolos creauit, sacramenta instituit, claues disposuit, illasque congruo ordine exercendas demandauit, eaque omnia in suæ Ecclesiæ gratiam facta, disposita, creata, & præcepta sunt. Et demum ad eius vnitatem conseruandam, & tuendam, illamque ad vitam æternam dirigendam hunc Vicarium instituit; Cumque ea auctoritate, quæ his omnibus præstandis congrua, aut necessaria foret.

His itaque compendio quodam in tyronum gratiam, veluti quædam principia, demonstratis, quibus facilior aditus ad singula, quæ dicturi sumus patebit; iam deinceps recto ordine totius argumenti propositum aggredimur explicandū, vt omnibus pateat, an vera sint, quæ iste malè affectus contra Petrum, Ecclesiamque Romanam, temerè principio sui libri scribere ausus est. Et vera etiam, an sint omnia, quæ superiori compendio instar argumenti, seu lemmę proposuimus; inferiùs tamen fusiùs, dilucidiusque, ac sigillatim explicanda, ac luce clariùs, non proteruientibus demonstranda.

Et quamuis Christi sententiæ dignitatis ordine præmittendæ sint, attamen, quemadmodum superiùs in tyronum gratiam ea,quæ rationis erant præmisimus, vt à notioribus, & facilioribus inciperemus, ità hoc loco Petri actus præmittemus, vt ipse primùm exterioribus verbis, & factis ostendat, verùm ne sit id, quod de eius primatu diximus, & latiùs dicturi sumus; Et cùm genus hoc disserendi certissimum sit, ideo quod hac ratione Petrus præstat, omnibus maximo documento meritò esse debet.

Et primo loco illa duo præcipua maxima obseruatione digna comperimus, nimirum præ alijs supremam docendi verbum Euangelij facultatem, ac ex gentibus Christifidelium à legis oneribus liberationem. Cum igitur conuenissent Apostoli, & seniores deliberaturi aduersùs quosdam de hæresi Pharisæorum, qui crediderant de legalibus abrogandis, Petrus duo prædicta præstare volens in concilio, & in medio Apostolorum, & seniorum primus alloquitur. Addam ego, & in aliena Diœcesi, & de re illis notissima, vnde ait; *Viri fratres vos scitis, quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit per os meum audire gentes verbum Euangelij, & credere.* Hoc est de re vobis nota locuturus sum. Itaq; duo hic perpendere licet, quorum alterum est, quod si Petrus iure suo primus in concilio, & in Iacobi Diœcesi loqui non potuisset, temeritatis vitio reprehendendus erat. Alterum verò, cum inquit, quod ab antiquis diebus non solùm scitis id, quod modò dicturus sum, sed illud etiam ab antiquis diebus definitum scitis, hoc est in Dei æternitate, qua nihil antiquius, vel in veteri lege exemplo Moysi, & Aaron, cæterorumque Summorum Pontificum præmonstratum esse, in lege gratiæ vnum futurum esse, qui Christi supremas vices gereret, se illius Vicarium esse significans, quem Moyses priscis diebus prædixit, cùm ait, Prophetam, idest Christus, Deus suscitabit de medio vestri, quem qui non audirent, pœnæ mortis subiacerent. Sed quid sit illud, quod Petrus innuebat ab antiquis diebus definitum esse, subiungit; Audire, inquit, per os suum gentes Euangelium, & credere, non solùm ait audire, sed credere, vt omnibus compertum esset, non modò exteriorum, sed interiorum etiam actuum interdum ministrum esse constitutum. Et eùm alijs etiam Apostolis præceptum fuerit *prædicare Euangeliū omni creaturæ,* eùm Petrum audis, nulla aliorum habita ratione, per os suum gentes audire debere Euangelium, & credere, discrimen illud inter Apostolos, & Petrum, quod supra demonstrauimus his verbis explicare non dubites, perindè ac si Petrus diceret. Ego quidem iure meæ supremę potestatis, verbum Euangelij prædicare possum, ac illud audituri credere tenentur; Cæteri verò quicumque fuerint, vel speciali priuilegio Christi donati, vel à me parte sollicitudinis suscepta, hęc pręstare poterunt.

Quod verò ad aliud, nempe facultatem abrogandi legalia ijs, quæ statim sequuntur verbis explicauit, dicens, *Et qui nouit corda Deus testimonium perhibuit illis (de gentibus loquens,) dans illis Spiritum sanctum, sicut & nobis &c.* Nunc ergo quid tentatis Deum, vt imponatur iugum super ceruices discipulorum, quod neque patres nostri, neque nos portare potuimus? sed gratia Domini nostri Iesu Christi credimus nos saluos futuros, quemadmodum et illi. Si qui tamen sint, qui Petri auctoritati derogare voluerint, propterea quod Iacobi sententia non omninò fideles à legis obseruatione liberauerit, ex rerum successu tu dijudicare poteris, an Iacobi, & illius concilij, an verò vnius Petri per orbem terrarum obtinuerit sententia, quamuis Iacobus quid ad tempus tolerandum esset indicabat. Petrus verò quod iure faciendum, demonstrauit. Cui Paulus gentium prædicator ijs verbis scribens ad Corinthios, ita se subscripsit, *Omne quod in macello venditur edite, nihil interrogantes propter conscientiam. Porrò conscientiam dico non tuam, sed alterius, cur enim libertas mea iudicatur ab aliena conscientia?* Et rursus Tito suo; *Omnia munda mundis; coinquinatis autem, & infidelibus nihil est mundum.* Et ad Romanos; *scio, & confido in Domino Iesu, quia nihil est commune per ipsum, nisi ei, qui & æstimat quid commune esse.* & ad Coloss. *Nemo vos iudicet in cibo, & potu, aut parte diei festi, aut Neomeniæ, aut Sabbatorum,* hoc est, nemo vos veluti Iudęos in his discernat ab his, inter quos habitatis. Igitur non modò Petri sententia temporis successu preualuit, ac duo commemorata præstitit, sed etiam suprà Iacobi, & concilij potestatem se esse ostendit, Et cum audis

audis nemine contradicente, & in concilio Petri sententiam definitam, ac in materia necessaria prolatam, meritò ipsi Petro iure suo suprema, ac generalis facultas deberi infertur.

Alterum verò est, quòd cùm numero duodenario loco Iudæ vnus deesset; animaduertens Petrus suarum partium esse, ac sibi ex officio incumbere in locum Iudæ alium sufficere, exurgens in medio Fratrum, longa habita oratione, postremò hoc pacto deliberat. *Oportet*, inquit, *ergò ex his viris, qui nobiscum sunt congregati, in omni tempore, quo intrauit, & exiuit inter nos Dominus Iesus, incipiens à baptismate Ioannis, vsque in diem, qua assumptus est à nobis, testem resurrectionis eius nobiscum fieri vnum, & statutis duobus, Barsaba scilicet, & Matthia, expleta oratione, cecidit sors super Matthiam.*

Alius etiam extat locus; quòd cùm Petrus tumultùantes homines videret, ac Apostolos esse musto plenos, irrisores assereret; stans ipse cum vndecim, & eleuans vocem suam, ita locutus est. *Viri Iudæi, & qui habitatis Hierusalem vniuersi, hoc vobis notum sit, & auribus percipite verba mea, &c.* quæ sequuntur. Quibus verbis manifestum quidem est, quòd cura illa tuendi discipulos, ac ab iniurijs vindicandi, Petrum cæteros antecellere insinuat, & manifestat, idemque etiam confirmatum infrà comperimus. Quoniam cum peracta Petri concione, qui stultè priùs Apostolos irridebant, commoti animo quid facturi essent, Petrum, & Apostolos interrogarent, vnus Petrus tanquam supremus Doctor, & Pastor, quid eos facere oporteret docuit his verbis, *Pænitentiam*, inquit, *agite, & baptizetur vnusquisque vestrum in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum vestrorum, & accipietis donum Spiritus sancti.* Et vt nihil quod ad pastoris, & doctoris officium pertineret, omitteret, subiunxit: *Vobis enim est repromissio, & filijs vestris, & omnibus, qui longè sunt quoscumque aduocauerit Dominus. Deus noster*, alijsque etiam verbis plurimis, testificatus est, & exhortabatur eos, &c.

Illud etiam insigne argumentum supremam Petri facultatem ostendens, minimè prætereundum est; Quod cùm de Christo ageretur, an verè Messias esset, solus Petrus prouinciam huius prophetici dogmatis declarandi assumpsit. Nam illud scripturæ propheticum dictum, primum Moysi ore promulgatum produxit, vt ille, cuius ipse erat Vicarius verè Messias fuisset demonstraretur. Prophetam, inquit, Petrus Moysen loquentem inducens. *Suscitabit vobis Dominus Deus vester de fratribus vestris, tamquam me ipsum audietis iuxtà omnia quæcumque locutus fuerit vobis*, & prosequens sermonem, ac de veteri ad nouum testamentum transferens prophetiarum intellectum, postquam plurima contulit, & explicata reliquit, solus ipse, quasi sua tuendo, dum varius sermo de cuiusdam infirmi salute circumferretur, ac complurimi sibi timentes Christi potentiam subiacerent, solus ipse intrepidè, hæc eo animo, & verbis protulit, vt nihil, quod ad suum officium, ac principis Christi dignitatem spectaret, prætermitteret. *Principes*, inquit, *Populi, & seniores, si nos hodie dijudicamur in benefacto hominis infirmi, in quo iste saluus factus est, notum sit omnibus vobis, & omni plebi Israel, quod in nomine Domini Iesu Christi Nazareni, quem vos crucifixistis, quem Deus suscitauit à mortuis, in hoc astat coram vobis sanus.* Et quoniam Petrus erat petra, super quam se ædificaturum Ecclesiam Christus pollicitus fuerat, vt ostenderet se esse Petrum de petra, ac lapidem de Christo lapide productum, adiecit, Christum innuens; *Hic est lapis, qui reprobatus est à vobis ædificantibus, qui factus est in caput anguli, & non est in aliquo alio salus.* Et vt omnibus omnem supremam virtutem, ac potestatem sui Christi, cuius vices gerebat, demonstraret, suum perpetuum propositum obsignans, ait; *Nec enim aliud nomen est sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri.* Aliud verò est, hoc eodem loco omni animaduersione dignum, quod Petri auctoritatem apertè demonstrat. Mors scilicet ad simplex illius verbum, Ananiæ, & Zaphiræ, hoc enim facto, non solùm in his, quæ ad spiritualem curam pertinent, Petrum cæteros præcelluisse, verùm etiam errantium hominum vitam, & mortem, causa exigente, suo imperio etiam subiectam fuisse, Quinimò vt ostenderet se à Christo etiam regalem potestatem obtinuisse, non repentino motu, sed ordine Iudicibus, & Regibus congruo, eam exercuit; Nam primùm eos de patrato delicto interrogat, deinde verbis illos corripit, postremo verò vti ratio noxæ exigebat, maximo omnium cum timore, & stupore, ambos vita priuat. Extat & aliud præ omnibus admirandum, quod neque inter Christi Domini nostri mirabilia facta, sic eo volente, legimus, se offert considerandum, Petri potestatem, atque virtutem obsignans, nempè vmbram tantùm ipsius in primis, qui magnam in illa fidem habent, sanitatem contulisse.

Nec omittendum puto linteum illud Petro in mentis excessu reuelatum, ac immundis animantibus refertum, nam cùm primùm ipse Pastor Iudæorum diceretur, sicut Christus missus ad oues, quæ perierant Domus Israel, post lintei apparitionem, ac illius occisionem, & esum præceptionem, se etiam Gentium Doctorem constitutum esse cunctis demonstrare voluit.

Nec illud omittendum est, quod cùm Apostoli omniũ linguas intelligerent, & vicissim ab omnibus intelligerẽtur, alij hoc admirantes, alij verò irridentes, & musto plenos esse asserentes, vnus Petrus doctoris, & principis officium exercuit Doctoris quidem, Prophetiam interpretans, & illius interpretatione, eos non vino, sed Spiritu sancto repletos esse intulit. Principis autem cùm solus omnium subditorum suorum iniuriam his verbis vindicauit; *Viri Iudæi*, inquit, *& qui habitatis Ierusalem vniuersi, hoc vobis notum sit, & auribus percipite verba mea, non enim sicut vos existimatis, hi ebrij sunt, cum sit hora diei tertia, sed hoc est, quod dictum est per Prophetam Ioel. Et erit in nouissimis diebus, dicit Dominus, effundam de spiritu meo super omnem carnem, & prophetabunt filij vestri, & filiæ vestræ, & reliqua.* Et conuertens deindè sermonem ad Christum eadem auctoritate, tamquam ouium magister, inquit, *Viri Israel*

audi-

audite verba mea; & sermonem prosequens magnam de Christo habuit concionem, multisque rationibus, & scripturæ testimonijs suadens fidem Iesu Christi amplectendam esse. Cuius concionis, Deo iuuante, ea fuit vis, vt affecti corde auditores, cùm ab Apostolis petijssent quid illis faciendum esset. Vnus Petrus, vt eorum præcipuus Pastor, & Doctor respondit. Vt pastor quidem cum inquit; *Agite pœnitentiam, & baptizetur vnusquisque vestrum in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum vestrorum, & accipietis Spiritum sanctum.* Vt Doctor verò cum subiungit. Vobis enim est repromissio, & filijs vestris, & omnibus, qui longè absunt, quoscumque aduocauerit Deus vester, & reliqua.

Et Simonem Magum Apostolis pecuniam offerentem, vt dandi Spiritum sanctum facultatem assequeretur. Petrus condemnationis sententiam protulit, dicens. *Pecunia tua tecum sit in perditione, qui donum Dei existimasti pecunia possideri.*

Et cum similiter esset Petrus, & Ioannes, & illis claudus occurreret, petens aliquid ab eis, solus Petrus in gratiarum dispensatione primas tum ostendens illi dixit: *Argentum, & aurum non est mihi, quod autem habeo hoc tibi do: In nomine Iesu Christi Nazareni surge, & ambula.* Et cùm factum circumstantes Hæbrei admirarentur, vt peruigil Pastor Petrus occasionem nactus, populo ait; *Viri Israelitæ quid miramini in hoc?* & prosequens, quàm multa de Christo verba fecit, suadens illis eius religionem tamquam veri Messiæ amplexandam, eumque illum esse, de quo Moyses dixerat: *Prophetam suscitabit vobis Dominus Deus vester de fratribus vestris, tamquam me ipsum audietis, iuxta omnia quæcumque locutus fuerit vobis: omnis autem anima, quæ non audierit Prophetam illum exterminabitur de plebe.*

Et cùm Apostoli à principibus Sacerdotum interrogarentur, in qua potestate supradictum admirandum factum esset, solum Petrum Spiritu sancto repletum, legimus pro omnibus respondisse, nimirum. In nomine Iesu Nazareni illud factum fuisse, simulque oblata occasione, multa de Christo disseruit.

Ex his Petri gestis, ac dictis manifesta est, sua præ cæteris iurisdictionis auctoritas. Et cùm probè Petrus nosset Domini sui præceptum, illudque in memoria haberet de humilitate seruanda, quę commemorauimus non attentasset, si ei ex officio nō incubuisset.

Hactenus piè lector quasi compendio innuimus de Ecclesia, de vno visibili capite, de Petro, deque Apostolis, necnon de clauibus egimus; quæ quidem, etsi propositum nostrum prorsus fortasse principio perspectum non reddunt, sat tamen sunt ad pij lectoris animum excitandum, ad ea, quæ sequuntur perscrutanda, quibus non dubito adamussim pollicitis satisfactum esse. Et quoniam Christi, & Apostolorum sententiæ variè interpretantur, conueniens, ac opportunum esse duximus, præter illa Patrum testimonia, quæ seorsum allaturi sumus; si cùm Christi dicta afferemus, illorum quinque à Matthia probatorum sententias inseremus, vt Christi verborum intellectus illis interpretibus, illa communi consensu probari possint. Quibus absolutis, complurimum præsertim centuriarum auctorum commenta, ac diuersorum generum versutias, quæ tùm ex Christo, tùm etiam ex Paulo, aut Apostolorum actis, seù ex ratione ipsa se desumpsisse existimaut, facilè refellemus, ac sententiarum verum sensum, adeò explicatum relinquemus, vt nullus, nisi volens, istorum prauis documentis decipi possit, sed quoniam Christi pręcepta, cætereque eius sententię plerumque compluribus propositis fauere, ac consulere possunt. Et quia etiam singulatim de illis, quæ ad rem faciunt agendum est, earumdem repetitio nobis vitio non ascribatur: quandoquidem res feriæ, & quæ in maxima controuersia sunt, boni ducitur, minusque peritis meliùs prospicit, ac hæreticorum tenebras aptiùs detegit illarum grauis, exacta, & opportuna repetitio, præsertim cùm illæ etiam patrum sententijs relatæ fuerint.

CAPVT V.

Primatus Petri probatur ex Euangelio Matth. 16. & SS. Patribus.

ET primum omnium, ac potissimum illud insigne Christi dictum, omnium præstantissimum afferimus, nimirum cùm suam diuinitatem illius ore voluit explicari, super quem suam Ecclesiam se ædificaturum dispofuerat, & qui eam mundo in primis prædicaturus erat, eamque vsque ad mortem, uortem autem crucis tueri debebat. Quem, inquir, Christus Apostolis loquens, dicunt homines esse filium hominis? Et dum varia, quę tunc de eo circumferebantur retulisset, repetit Dominus, vos autem quem me esse dicitis: Quibus subticentibus, solus Simon Ioannis respondit, eum esse Christum filium Dei viui; Et cùm hæc responsio humana non fuerit, statim Christus hoc expressit, nempè, quod non carne, non sanguine, sed Patre cœlesti reuelante id responsum fuerit. Sed quia Simonem tali beneficio dignum priùs fecerat, effectus accepti beneficij, statim Christus subdit, illum esse beatum, & quasi tunc primum inuenisset, cui in regenda Ecclesia sua principis locum tribueret, illum Petram factum declararunt, super quam Ipse ædificaturus esset Ecclesiam suam, eique daturum claues regni cęlorum pollicetur, vt suo arbitrio eis vteretur, quoniam se ratùm habiturum pollicetur quiquid eis rectè vtendo in terris esset facturus.

Nec iam vides solum Petrum beatum, factumque petram, eique promissas claues, ac causam tanti facti etiam conspicis. Nil cæteris Apostolis hic dicitur, nil etiam Ecclesiæ, præterquam sub Petri cura, portas inferorum non præualituras aduersùs eam. Quòd quidem ex eo paret, quoniam cùm hæc dixisset Dominus, statim redijt ad Petrum, promittendo ei illas claues, quarum rectus vsus opportunè præcepturus esset, ne portæ inferi præualerent aduersùs suam Ecclesiam. Et quoniam non me latent varia, quæ in hoc loco dici solent, præterquamquod Christi sententia perspicua est, & non nisi vafrè alte-

alterari poteſt, tamen audi quid de ea præcipuè priſci, ac primiores Eccleſiæ Doctores dicant.

Et primus omnium B.Cyprianus loquatur, & de vno ſupremo capite Petro Eccleſiæque vnitate, cui præſtit congruas ſententias afferat. De vnitate Eccleſiæ.

[Manifeſtum eſt, inquit, vbi, per quos remiſſio peccatorum dari poſſit. Nam Dominus primùm Petro, ſuper quem ædificauit Eccleſiam ſuam, & vnitatis originem inſtituit,& oſtendit poteſtatem iſtam &c.& paulò poſt, Chriſtus Eccleſiam ſuam, quæ vna eſt fundauit.

Cùm verò deindè, Petram illam, fidem Petri eſſe expoſuerit, illud intelligi debet, quòd ſi qua ratio commiſſæ facultatis Petro potiùs, quàm alteri danda eſt, illam potiſſimum eſſe oportet, nempè egregiam, ac propemodum diuinam Petri de Chriſti diuinitate confeſſionem.

Optimè etiam Petrum Eccleſiæ typum geſſiſſe interpretatur, nam cum quidquid Petro demandatum eſt, propter Eccleſiam factum ſit, necnon poſt Petrum cum ipſo capite, & principe eiuſdem auctoritatis, qua Petrus ad finem vſque ſæculi illam opus eſſet habituram, rectè quidquid Petro dictum, aut demandatum eſt, Eccleſiæ etiam, quæ boni regiminis fructum receptura erat, tribui poteſt, vt intelligeretur, illud etiam, & eadem ratione, & cauſa, qua Petro demandatum eſt, Eccleſiæ etiam datum eſſe, potiſſimùm, vt ipſa quandiù, hæc ſexta mundi, ętas duratura ſit, clauibus à Chriſto Petro primùm,ac deindè alijs traditis, dirigi, ac gubernari, eiuſque vnitas conſeruari poſſet. Et cùm hęc non ſolùm his, hoc loco inſeruiant, verùm etiam alijs conſtituendis, ac declarandis, necnon etiam pluribus fallacibus argumentis diluendis, minùs periti illa memoria retinere non dedignentur. Diuus verò Hilarius antè D.Hieronymum,& Auguſtinum eadem Chriſti verba, hoc pacto expoſuit Editis itaque, quæ diuerſæ de eo erant opiniones hominum, vt quid ipſi de ſe ſentiant quærit. Petrus reſpondit: Tu es Chriſtus filius Dei viui &c. Et dignum planè confeſſio Petri præmium conſecuta eſt, quia Dei Filium vidiſſet in homine? Beatus hic eſt, & vltrà humanum modum oculos intendiſſe, & vidiſſe laudatus eſt, non id, quod ex carne, & ſanguine erat conijciens, ſed Dei Filium cęleſtis Patris reuelatione conſpiciens, dignuſque iudicatus, qui quod in Chriſto Dei eſſet, primus cognoſceret. O in nuncupatione noui nominis fęlix Eccleſiæ fundamentum, digna ædificatione illius Petra, quæ infernas leges, & tartari portas, & omnia mortis clauſtra diſſolueret. O beatus cęli Ianitor, cuius arbitrio claues regni æterni aditus traduntur, cuius terreſtre iudicium præiudicata auctoritas fit in cęlo, vt quæ ligata in terris ſint, aut ſoluta, ſtatuti etiam eiuſdem conditionem obtineant, & in cęlo.

Idem rurſus. O miſeræ inquit ſtultitiæ furor impius non intelligens beatę ſenectutis, fideique martyrem, & martyrem Petrum, pro quo pater rogatus eſt, ne fides eius in tentatione deficeret, qui iterum à ſe dilectionis in Deum poſtulata profeſſione, tentari ſe tamquam ambiguum, & incertum tertia interrogatione congemuit. Per id, quoque à Domino poſt tertiam tentationis infirmitatem? Paſce oues meas, ter meruit audire; Qui in cunctorum Apoſtolorum ſilentio, Dei Filium reuelatione Patris intelligens, vltra humanæ infirmitatis modum, ſupereminentem beatæ fidei confeſſione locum promeruit.]

Idem, cùm Ieſus quædam de Paſſione ſua locutus ad diſcipulos fuiſſet, & Petrus tamquam hoc indignum Dei Filio deteſtaretur, Petrum,cui ſuperni claues regni cęlorum dederat, ſuper quem Eccleſiam ædificaturus eſſet, aduerſus quam portæ inferi, nihil valerent, qui, quæ in terris, vel ſoluiſſet, vel ligaſſet, ea in cælis, vel ſoluta, vel ligata perſiſterent, hunc inquam detrectantem paſſionis Sacramentum, tali excepit conuicio, vade poſt me ſatana ſcandalum mihi es,tanta ei religio fuit pro humani generis ſalute patiendi, vt Petrum primum filij Dei confeſſorem Eccleſiæ fundamentum, cęleſtis regni Ianitorem, & in terreno iudicio iudicem cęli, Satanæ conuicio nuncuparit. Et infrà. Hęc Petri fides Eccleſiæ eſt fundamentum; Per hanc fidem infirmæ aduerſùs eam ſunt inferorum Portæ. Hæc D.Hilarius. Super Pſal. 131.

Diuus verò Chryſoſtomus inter innumera ſua dicta, & hæc ſcitis digna, & huic propoſito accomodata inſeruit. Petrus Apoſtolus à filio ſuper omnes, qui filij ſunt, poteſtatem accepit, non vt Moyſes in gente vna, ſed in vniuerſo Orbe. Super acta Apoſt.

Et ſuper illud,Simon Ioannis paſce oues meas, inquit inter has, & illas non diſtinguens, ſed vniuerſas eius curæ commendat. Et ſuper illud, Paſce oues meas, ait, ideſt loco mei præpoſitus, & caput eſto fratrum, vt ipſi te in loco mei aſſumentes, vbique terrarum te in throno tuo ſedentem prædicent, & confirment.

Idem Chryſoſtomus in Matth. Tibi dabo claues regni cęlorum, ait, vt quamuis homo eſſet mortalis cęleſti tamen poteſtate polleret, vt claues haberet regni cęlorum, ità Petrus Eccleſiam per vniuerſum orbem amplificatam, cęlo etiam ipſo validiorem monſtrauit. Hæc Chryſoſtomus.

Et cùm iſta Patrum teſtimonia, antememoratam, ac præcipuam Chriſti ſententiam ad Petri primatum retulerint, iſtique ſint, quibus tantùm tu Matthia tribuis, & quorum ſententias plerumque cum tua, & tuæ Eccleſiæ doctrina congruere affirmas, ſi tibi conſtare volueris, vtique reſipiſcere debeſ.

CAPVT VI.

Probatur Primatus Petri ex alijs Patribus, & Scriptura.

SVpereſt modò nonnullas alias Chriſti ſententias afferre, quibus etiam, quæ hactenus allata ſunt confirmentur, roborentur, ac dilucidiora efficiantur.

Et primò cum Matth. nomina Apoſtolorum recenſuit non modò Petrum primo loco poſuit, ſed primum eum appellauit, dicens. Duodecim nomina Apoſtolorum ſunt

sunt hæc. Primus Simon, qui dicitur Petrus, & cum non fuerit ipse vocatione primus, nam Andreas primus eo Christum secutus est, rectè vertex Apostolorum dicitur, ac dignitatis prælatio in eo ostenditur.

Illud etiam notatu dignum non te prætereat, nimirum eum inquit. Simon, qui dicitur Petrus, quòd alijs quidem Apostolis non accidit. Nam si eo in loco Simon tantùm dispositus fuisset, dignitatis ordinem fortasse turbare præsumi posset. Sed cùm additur Simoni aduentitium nomen, scilicet Petrus, additum est verbum illud, & primus, vt dignitatis culmen in eo significari intelligeremus.

Neque etiam hæc nominis mutatio noua videri debet, quandoquidem Deum in veteri lege non sine maximo mysterio idem fecisse obseruatum est. Nam Abram in Abraham mutauit, quia Patrem multarum gentium eum fecerat. Iacob verò postquam illi neruus emarcuit, & Deum vidit, & Israelem, & Sarai in Saram; Itá etiam, quinimmò longè præstantiùs Simonem in Cepham, hoc est Petrum mutatum obseruare debemus; Nam eùm Christus, primùm caput sit cœlestis, ac terrestris Ecclesiæ, ac firma petra, cùm audis Simonem Cepham, ac Petrum factum, supremi capitis, ac firmæ petræ Christi generalem Vicarium in terris factum esse non ambigas.

Quòd si Ioanni, & Iacobo additum nomen audis, hoc est Boanerges, hoc est filius Tonitrui, nulli mirum, quoniam non caret mysterio; nam ambos vnà cum Petro præcipuis rebus occultis Christus adesse voluit, præsertim suæ transfigurationi, & nonnullis alijs admirandis factis, in quibus alij Apostoli non fuerunt admissi. Non prætermittas etiam velim, quod in Ioannis Euangelio, ac peculiaribus Iacobi dictis, & factis, addita illis nomina respondere conspicimus.

Christus in solutione tributi, solum Petrum sibi sociauit, & cùm didrachmæ solutio, capitis solutio esset, vt inquit Ambrosius, rectè conijcitur, Petrum aliorum Apostolorum caput futurum. Quòd quidem D. Augustinus perpendens, admodum eleganter interpretatus est, dicens. [Saluator noster cùm pro se, & Petro dari iubet didrachma, pro omnibus soluisse videtur, quia sicut in Saluatore erant omnes causæ magisterij, ita & post Saluatorem, in Petro omnes continentur, ipsum enim constituit esse caput eorum, vt Pastor esset gregis Dominici. Hæc Augustinus.

Apparet etiam Petri primatus in ea discipulorum contentione, scilicet quis eorum maior videretur, Nam cùm Christus illam dirimeret, postremò intulit. Qui maior est in vobis, fiat sicut minor; per quod innuitur inter eos aliquem futurum esse maiorem. Et quamuis consultò tunc Christus eum subticuerit, tamen paulò explicans illum futurum esse Petrum demonstrauit, cùm dixit. Simon ecce Satanas expetiuit, vt cribaret vos sicut triticum: Ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. Quibus verbis duo potissimùm habemus. Et Christum rogaturum pro fide Petri, & vt de ea definiendo errare non possit: Quandoquidem munus non nisi præceptoris, & Pastoris summi est, & facultatem confirmandi fratres: Quod sanè in religione etiam, quod supremum extat, & iurisdictionis maiorem gradum in Petro futurum esse demonstrat, atque explicat.

Christus primùm Petro lauat pedes, atque eos inter disceptatur, ac postremò infertur, quod quemadmodum si pedes, & primùm non lauisset, secum partem non habuisset; ita etiam, quia lauit, & primum præ omnibus partem cum Christo consecuturus erat.

Præterea, nonne Petri primatus satis ostenditur, cùm in rebus agendis plerumque vides, vel Christum Petrum interrogantem, illumque respondentem, vel contra, Petrum quærentem, quinimò Christum omnes percunctantem, & Petrum solùm respondentem. Et primò cùm Christus ab omnibus discipulis petijsset, quem dicerent homines esse filium hominis, & deinde, quid ipsi sentirent explicarent, solus Petrus reddidit responsum. Tu es Christus filius Dei viui. Item rogante Christo an Apostoli vellent abire cum quibusdam alijs, qui recesserant, solus Petrus pro omnibus responsum dedit. [Domine ad quem ibimus? verba Dei habes.] Matth.16. Io.6.

Et cùm Christus omnibus Apostolis diceret. Et vos estote parati, quia qua hora non putatis filius hominis veniet, solus Petrus omnium nomine locutus est; [Domine ad nos dicis parabolam hanc, an ad omnes?] Lucæ 12.

Item Christo dicente, difficile fore diuitem intrare in regnum cœlorum, solus Petrus præ omnibus loquitur. [Ecce, inquiens, nos reliquimus omnia, quid ergo erit nobis?] Matth 9.

CAPVT VII.

Probatur etiam ex Scriptura, & Patribus Primatus Romanorum Pontificum.

NE verò quispiam, ignaros quosdam, ne dicam, perfidos imitatus suspicetur, quæ de Petro dicta sunt, de eiusdem in eadem sede successoribus etiam affirmata non esse: præter ea, quæ de his super innuimus, hæc quæ sequuntur fusiùs addi etiam iudicauimus.

Esaias de Christo, ac eiusdem solio loquens, inquit, super solium Dauid, & super regnum eius sedebit, Christus scilicet; vt confirmet illud, & corroboret in iudicio, & iustitia amodò vsque in sempiternum. Et cùm Christus nobis cum visibili forma, vsque in sempiternum commoratus non sit, quamuis se permansurum gratia, & sacramentis nobiscum, vsque ad sæculi consummationem non dubitemus, rectè infertur ministros suos, præsertim summum, vsque ad postremum illud tempus, eadem cum auctoritate, & forma duraturos. Et secundùm hanc loquendi rationem, rectè D. Augustinus dixit, quòd cùm Petrus claues accepit, etiam Ecclesiam significare voluit, hoc est, quamdiu duratura esset Ecclesia, clauibus illis, illarumque ministris in ea opus erit. Et quamuis futuri ministri omnium specialium donorum Petri

hæredes non fuerint, auctoritatem tamen illam, quæ Ecclesiæ regendæ necessaria erat, hac eadem ratione, & causa, quibus Petrus, & ipsi etiam assecuti sunt.

Præterea si teste D. Paulo, Petro, cæterisque ministris potestas data est ad Ecclesiæ ædificationem, tamdiù illa duratura est, quamdiù Ecclesia ædificatione eguerit, quæ cum permansura sit quousque fratrum nostrorum numerus adimpleatur; igitur eadem facultas, idemque ministerium cum Ecclesia perseueratura sunt. Quod quidem eleganter nimis D. Hieronymus explicauit, cùm verba illa Dauid exposuit, Hierusalem, quæ ædificatur vt Ciuitas. Ciuitas, inquit, in qua adhuc non est completum ædificium huius ciuitatis, sed continuò ædificatur de lapidibus viuis super fundamentum Apostolorum, & Prophetarum ab ipso summo angulari lapide Christo Iesu.

Ad hæc, si sacerdorio veteris legis, quod ad tempus erat, vmbra futurorum perpetuus summus sacerdos præpositus fuit, cur sempiterno Christi sacerdotio, vt Paulus inquit, tamdiù temporis successione, summus sacerdos præfici non debet, quamdiù in terris sacerdotium illud perseuerat.

Adde etiam, quod nihil ineptius excogitari potest, quàm suspicari Christum Ecclesiæ suæ, Petri dumtaxat tempore prospexisse; quasi in Petri gratiam Dominus suo tempore Ecclesiæ consuluerit. Verùm cùm omnia propter Ecclesiam facta sint, & Petrus, & claues, & omnia in eiusdem ministerium sint disposita, tamdiù hæc omnia congrua successione permansura sunt, quamdiu Ecclesia illis opus habuerit. Quod quidem B. Chrysostomus perpendens, super illa Matthæi: Cœlum, & terra transibunt, verba autem mea non præteribunt. Hæc adiecit, verba Christi in æternum permansura, illa sunt. Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Nec Chrysostomo hæc dixisse sufficit; sed aliud non minùs affirmauit. Ait enim. Sicut Christus accepit à Patre ducatum, & sceptrum Ecclesiæ gentium ex Israele egrediens, super omnem principatum, & potestatem, & super quodcumque, vt ei genuflecteretur, sic, & Petro, eiusque successoribus plenissimè commisit. Nec prætereunda erat Diuina illa Patriarchę Ignatij ad Adrianum Papam sententia, verba illa exponens. Tu es Petrus, & super hanc petram &c. Tales enim, inquit, beatas voces, non secundùm quamdam vtique sortem Apostolorum principi Petro solùm circumscripsit, & definiuit. sed per eum, & omnes, qui post illum secundùm ipsum efficiendi erant summi Pastores, & Diuini, sacrique Pontifices senioris Romę. Hæc pauca de successoribus, de quibus etiam longè fusiùs infrà opportunè agetur.

Sed siste gradum aliquantisper pie lector, & quæ difficiliora isti arbitrantur esse, considera, quoniam si ea, quæ suprà attulimus sanæ mentis oculo inspiciantur, nihil dubij, nihilque suspicionis superesse relinquitur. Sed in eorum gratiam iterum eos audiamus, & supradictis nonnulla addemus.

Aiunt enim, quamuis quæ de Petro, & eius successoribus affers ęgrè ferimus, attamen cùm nonnullis rationibus illa fulciantur, ac reliquorum præcipuorum Patrum dictis muniantur, silere interdum nos oportet; sed quis ferre poterit successores Petri ita necessariò Episcopos Romanos futuros, vt anathemati ducatur aliter sentire?

Sed si quæ supra diximus, & infra de Ecclesia Romana fusiùs dicturi sumus, isti perpenderint, admiratio planè ne dicam peruicacia omninò cessabit. Nam cùm homo ratione sit homo, & fide Christi renatus, cum rationibus, aut Christi factis, & dictis, nec non suorum ministrorum, ac suæ Ecclesiæ præcipuorum virorum Heroum, præsertim Martyrum aliquid declaratur, affirmatur, præcipitur, cur acquiescendum non est? diligenter enim animaduertendum est, quod sicut leuitatis est, facilè omnibus fidem adhibere, ità non benè disciplinati, rationi, & decentiæ se opponere. Neque etiam immemores naturæ nostræ, & ingenij imbecillitatis esse debemus, cui non omnia, præsertim religionis esse possunt, ita comperta, vt aliquid addiscendum, non autem proteruiendum non supersit. Cum his igitur loquens, eisque respondens, hæc supradictis, & hoc loco addere voluimus, vt his, alijsque allatis, anxijs saltem hominibus consulamus, postquam proteruis nullum est consilium; quamuis hæc explicatiùs agemus cùm infrà aduersariorum obiecta diluemus.

Nonne ratio suadet, quòd si oues Hæbreæ Euangelio paruissent, locus ille apud eas prælatus esset, qui illis decori magis fuisset, & religio Christiana faciliùs diuulgari potuisset? Sed eis, ac eorum culpa deperditis, & in eius locum gentilibus ouibus suffectis, cur alicui durum videri debet, si Roma caput gentium prima Sede digna facta est? Et cùm hæc Diuino numine, ac Sanctorum Patrum testimonijs fulcita sit, vti dictum est, cur illi detrahi debet? Et quod supra innuimus, hoc loco latiùs exprimendum, hoc idem maximè affirmare videtur. De Petro, inquam, Roma recedente, nonne, cùm illi Christus occurrit, eique exprobrauit recessum, seque iterùm Romam iterum crucifigi, nonne, inquam, apertè demonstrault, Romanam Sedem supremam futuram, quando vel Petrus, vel Christus inibi mortem esset oppetiturus? Aufugit per sportam demissus Paulus, quandoque etiam cæteri Apostoli, & Petrus ipse locum iræ dederunt, nusquam tamen legimus, Christum illis fuisse obuiam, ac se iterum moriturum illis exprobrasse, sed cùm Christus pro mundo daret pœnas, & Hierosolymam suo sanguine specialiter consecrasset, ac ei sedem fortasse supremam decreuisset, si Primogenitus suus Israel non rebellasset, iam etiam præcipuam gentiles apud oues, suam sedem futuram, nulla certiore coniectura demonstrari potuit, quàm quod Christi, vel Petri Vicarij sui sanguine consecrari deberet. Quod quidem factum, optimè consentire videtur illis Domini verbis supra allatis, ac examinatis, nempè cum dixit, alias oues se habere, quæ non erant ex hebræo ouili, quas dixit se oportere adducere, vt fieret vnum ouile, & vnus pastor. Sed cùm eius Vicarius Petrus suo nomine hoc esset præstaturus, videretque Dominus commissum officium ab eo differri, necessitatem operis ostendens,

Petro dixit se ire Romam iterùm crucifigi, ac vt etiam ostenderet, quod si id Petrus omitteret, cùm de summa sede consecranda ageretur, ipsimet Christo specialiter esset pręstandum. Quibus firmandis addi etiam vlteriùs potest, quid Concilium Chalcedonense de Romana Sede, eiusque Episcopo statuerit, quid etiam Athanasius vnà cum tota Ægypto.

Concilium igitur illud maximum Chalcedonense ita statuit. Si quis Episcopus prędicatur infamis liberam habeat licentiam appellandi ad Beatissimum Episcopum antiquæ Romæ, quem habemus Petrum, petram refugij, & ipsi soli libera potestate loco Dei, sit ius discernendi Episcopi criminati infamiam, secundùm claues sibi à Deo datas. An verò loco Pontificis, qui tunc Romanam regebat Ecclesiam nemine contradicente, hac vsus sit auctoritate, infrà suis admirandis factis, & dictis patebit.

Diuus verò Athanasius vnà cum Ægypti Episcopis in Alexandrina Synodo congregatis, ad Papam Felicem hæc scripserunt.

A Patribus Nicænæ Synodi est definitum consonanter, vt si quisquam Episcoporum, aut Metropolitanorum, aut comprouinciales, aut Iudices suspectos habuerit, vestram Romanam sanctam interpellet Sedem, cui ab ipso Domino potestas ligandi, ac soluendi speciali est priuilegio concessa. Ipsa est enim sacer vertex, in quo omnes vertuntur, sustentantur, leuanturque. Et iterum.

[Quia semper antecessores nostri, & nos à vestra Apostolica sancta Sede auxilium hausimus, & nostri, & vos curam habere cognoscimus, præfatam Apostolicam Sedem, & summam, iuxta canonum decreta expetimus, vt inde auxilium capiamus, vnde prædecessores nostri ordinationes, & dogmata acceperunt. Ad eam quoque, quasi ad matrem recurrimus, vt eius vberibus nutriamur. Quomodo non potest mater obliuisci infantem suum, sic & vos nolite obliuisci nos, vobis commissos; quoniam non leuibus nos inimici nostri implicauerunt, & quotidiè implicare moliuntur, nisi eorum consentiamus opinionibus; id quod nequaquam vobis inconsultis agere præsumimus, canonibus quippe iubentibus de maioribus causis nos absque Romano Pontifice nihil debere decernere. Et paulò post. Nam scimus in Nicæna magna Synodo ab omnibus concorditer esse roboratum, non debere absque Romani Pontificis sententia concilia celebrari, nec Episcopos damnari. Et infra: Vos ergo vt semper vestræ sanctæ sedi consuetudo fuit, periclitantibus subuenire, oppressos roborare, taliaque prohibere, & leges imponere, vt Apostolica doctrina, quæ in vobis est citò ad victoriam iudicem valeat perducere nostrum. Nosque suffragante principe Petro, ab imminentibus periculis liberare. Et post nonnulla: [Nam fuit semper vestræ Apostolicæ Sedi potestas iniustè damnatos, vel excommunicatos, potestate, vel auctoritate sua restituere, & eis sua omnia restituere, illosque, qui eos condemnauerunt, aut excommunicauerunt Apostolico punire priuilegio, sicut etiam nostris, & anterioribus cognouimus actum tēporibus:] Deinde post pauca: [O Sanctissime Pater Patrum, abscinde blasphemias, & iactantiam vaniloquiorum, & insidiantium infestationes, nos, & fratres nostros opprimentium, & perdere volentium, qui ad vos, quasi ad caput confugimus, vt vestro fulti auxilio liberemur &c. Et postremò. Antiquis enim regulis sancitum est, vt quidquid, quamuis in remotis, & longè positis prouincijs super Episcoporum querelis, & accusationibus ageretur, non priùs accipiendum esset, quàm ad notitiam almæ sedis nostræ fuisset pronunciatio prolata, quæ firmaret, aut infirmaret.

CAPVT VII.

Romana Ecclesia demonstratur fundamentum cæterarum à Scriptura, & SS. Patribus.

QVod si hæc, & complura supra allata, & inferiùs afferrenda illos non mouent, saltem, si saxeum cor illis non est, hæc quæ sequuntur maximo cum dolore animi eos mouere debent.

Inter alia igitur priuilegia, quæ Christus suæ Ecclesiæ reliquit, illud potissimum est, cùm dixit: Et portæ inferi non præualebunt aduersùs eam, nunc verò cùm Ecclesias omnes, quæ se à Romana disiunxerunt, inferorum portis suppressas; ac deglutitas esse videas, nonne certo certius esse deberet, Romanam Ecclesiam esse, cui, & suo Episcopo à Christo dictum legimus, confirma fratres tuos? Quod enim firmum non est, alios minimè confirmare potest. Sed audiant iterùm quæso, Hieronymum hoc illis suadentem. Ad Damasum enim scribens hæc habet ep. 2. [Ego, inquit, nullum primum, nisi Christum sequens, Beatitudini tuæ, idest Cathedræ Petri communione consocior, super illam petram ædificatam Ecclesiam scio. Qui fundauit super vnum &c. Et paulò infra. Hoc eo fit fratres dilectissimi, dum ad veritatis originem non reditur, nec caput quæritur, nec magistri cęlestis doctrina seruatur.] Idem de simplicitate Prælatorum.

[Loquitur Dominus ad Petrum. Ego, inquit, dico, quia tu es Petrus, & super istam petram ędificabo Ecclesiam meam, & portæ inferorum non vincent eam; & tibi dabo claues regni cœlorum, & quæ ligaueris super terram erunt ligata, & in cœlis. Et idem post resurrectionem suam dixit: Pasce oues meas. Super illum vnum ædificat Ecclesiam, & illi pascendas dat oues. Et quamuis Apostolis omnibus, post resurrectionem suam parem potestatem tribuat, & dicat. Sicut misit me Pater, ego mitto vos. Accipite Spiritum sanctum, si cui remiseritis peccata, remittentur illi, si cui tenueritis, tenebuntur, tamen vt vnitatem manifestaret, vnitatis eiusdem originem ab vno incipientem sua auctoritate disposuit. Hoc erant vtique & cęteri Apostoli, quod fuit Petrus pari consortio præditi, & honoris, & potestatis, sed exordium ab vnitate proficiscitur, & primatus Petro datur, vt Ecclesia vna Christi, & Cathedra vna monstraretur, & pastores sunt omnes, & grex vnus ostenditur, qui ab Apostolis

lis omnibus vnanimi consensione pascatur. Quam vnam Ecclesiam etiam in cantico canticorum Spiritus sanctus ex persona Domini designat, & dicit. Vna est columba mea, perfecta mea, vna est matri suæ, electa genitrici suæ. Hanc Petri vnitatem, qui non tenet, tenere se fidem credit? Qui cathedram Petri, super qua est Ecclesia fundata deserit, in Ecclesia se esse confidit? Quando, & Beatus Paulus Apostolus hoc doceat, & sacramentum vnitatis ostendat dicens; Vnum corpus, & vnus spiritus, vna spes vocationis vestræ, vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma, vnus Deus. Quam vnitatem firmiter tenere, & vendicare debemus; maximè Episcopi, qui in Ecclesia præsidemus, vt Episcopatum quoque ipsum vnum absque diuisione probemus. Nemo fraternitatem mendacio fallat, nemo fidei veritatem perfida præuaricatione corrumpat. Episcopatus vnus est, cuius singulis in solidum pars tenetur. Ecclesia vna est, quę in multitudinem, latiùs incremento fœcunditatis extenditur.]

Idem libro 1. epist. 3. ad Cornelium Papam. [Quales putas esse eos, qui sacerdotum hostes, & contra Ecclesiam catholicam rebelles, nec præmonentis Domini comminatione, nec futuri iudicij vltione tenentur, Neque enim aliunde hęreses obortę sunt, aut nata sunt schismata, quàm inde, quod Sacerdoti Dei non obtemperatur. Nec vnus in Ecclesia ad tempus Sacerdos, & ad tempus Iudex vice Christi cogitatur, cui si secundùm magisteria Diuina obtemperasset fraternitas vniuersa, nemo aduersùs Sacerdotum collegium quicquam moueret, nemo post Diuinum Iudicium, post populi suffragium, post Episcoporum consensum, iudicem te iam non Episcopi, sed Dei faceret, nemo dissidio vnitatis Christi Ecclesiam scinderet. Nemo sibi placens, ac tumens seorsum foris hęresim nouam conderet, nisi si ita est aliquis sacrilegæ temeritatis, ac perditę mentis, vt putet sine Dei iudicio fieri Sacerdotem, cùm Dominus in Euangelio suo dicat: *Nonne duo passeres asse veneunt neuter eorum cadit in terram sine patris voluntate*.]

Idem libro, eodem epist. 8. ad plebem: [Deus vnus est, & Christus vnus est, & vna Ecclesia, & cathedra vna, super Petrum Domini voce fundata; aliud altare constitui, aut Sacerdotium nouum fieri prçter vnum altare, & vnum Sacerdotium non potest. Quisquis alibi collegerit, spargit, adulterum est, impium est, sacrilegum est, quodcumque humano furore instituitur, dispositio Diuina violatur.]

Idem libro, eodem epist. 22. [Baptisma vnum est, Spiritus sanctus vnus, vna Ecclesia à Christo Domino super Petrum origine vnitatis, & ratione fundata.]

Et libro 1. epistolarum ad Cornelium Papam epistola 3. sic scribit. [Petrus autem super quem ędificanda ab eodem Domino fuerat Ecclesia vnus pro omnibus loquens, & Ecclesię suę voce respondens ait: Domine ad quem ibimus? verba vitę ęternę habes.]

Idem lib. 4. epist. 9. loquitur. [Ille inquit Petrus, super quem ędificanda fuerat Ecclesia, docens, quia & si contumax, ac superba obaudire nolentium multitudo discedebat; Ecclesia tamen Christianorum non recedebat, & illi sunt Ecclesię, ac plebs Sacerdoti adiuncta, ex pastore suo grex adhærens.]

Idem in serm. 3. de bono patientiæ ait. [Item Petrus super quem Domini dignatione Ecclesia fundata est, in epistola sua ponit, & dicit Christus passus est &c.]

Idem in tractatu ad Iubaianum, de hęreticis baptizandis. [Nam Petro, inquit, primùm Dominus, super quem ædificauit Ecclesiam, & vnde vnitatis originem instituit, & ostendit, potestatem istam dedit, vt id solueretur in cœlo, quod ille soluisset in terris.]

Idem tractatu 2. de habitu Virginum. [Petrus inquit, etiam, cui oues pascendas, tuendasque commendat, super quem posuit, & fundauit Ecclesiam, aurum quidem, & argentum sibi esse negat, sed esse se dicit gratia Christi diuitem.] Hæc Cyprianus.

Sed quoniam verba illa de vno Episcopatu perperam à nonnullis interpretata sunt, ideò hæc pauca subijcimus. Nempè cum audis ex Cypriano Episcopatum vnum esse, non de Christi Episcopatu, qui sanè est Episcopus animarum nostrarum. Sed de ordine Episcoporum in terra, qui est vnus, cuius à singulis, vt Cyprianus inquit, in solidum pars tenetur, non enim vnus magis est ordinis Episcoporum, quàm alius, imo omnes sunt, quod vnus, iuxta Episcopatus rationem, vnum tamen est in terris caput, & origo à Deo disposita, vndè cæteros, inquit, proficisci voluit, ita vt per hoc caput, cui per fontem, & lumen quoddam, ac radicem cæteros Episcopos tamquam riuos, radios, ac ramos quosdam, ille fons aquæ viuæ, luminum Pater, vitæ arbor, atque omnis boni principium emittat, deriuet, proferat, moderetur secundùm vniuscuiusque mensuram: Et causam assignat Cornelio hæresum, & schismatum esse, quæ supra memorata est, nempè, quod capiti non pareatur, quod Sacerdoti Dei non obtemperetur, neque vnus in Ecclesia ad tempus sacerdos, & ad tempus Iudex vice Christi cogitatur; cui si secundùm magisteria Diuina obtemperaret fraternitas vniuersa, nemo aduersùs sacerdotum collegium quicquam moueret. Quo loco etiam vides vniuersam Ecclesiam, idest catholicam, vniuersam fraternitatem vocasse. Et demum cum tot, & tanta Petro eiusque cathedræ meritò tribuat, ista Episcopatus vnitas, alterum sensum, qui alijs Cypriani sententijs contradicat, admittere non potest. Hæc B. Cyprianus, cuius doctrinam, ac vitæ sanctimoniam Matthias summis encomijs, & quidem merito extulit in titulo Cyprianus.

Secundò verò loco quid ex D. Hieronymo affero perpendatur. [Super Petrum, inquit, fundatur Ecclesia, licèt idipsum alio loco, super omnes Apostolos fiat, & cuncti claues regni cœlorum accipiant, & ex æquo super eos fortitudo Ecclesiæ solidatur, tamen propterea inter duodecim vnus intelligitur, quòd capite constituto, schismatis tollatur occasio. Sed cur non Ioannes electus est, virgo, ætati delatum est, quia Petrus senior erat, ne adhuc adolescens, & penè puer progressæ ætatis hominibus præferretur, & magister bonus, qui occasionem iurgij auferre di-

discipulis debuerat, & qui dixerat eis. Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis, & qui voluerit inter vos maior esse, minimus omnium sit, in adolescentem, quem dilexerat causam videretur præbere inuidiæ.]

Idem ad Damasum, inquit. [Ego nullum primum, nisi Christum sequens Beatitudini tuæ, idest Cathedræ Petri consocior, super illam petram fundatam Ecclesiam scio.]

Idem ad Damasum Papam. [Nunc, inquit, sol iustitiæ in Occidente oritur: Et in oriente lucifer ille, qui ceciderat super sydera posuit thronum suum. Vos estis lux mundi, vos sal terræ, vos vasa aurea, & argentea, hic testacea vasa, fient lignea, virgam ferream, & æternum operiuntur incendium: Quamquam me terreat magnitudo, inuitat tamen humanitas. A Sacerdote victimam salutis, à pastore præsidium ouis flagito, facessat inuidia Romani culminis recedat ambitio; cum successore piscatoris loquor. Ego nullum nisi Christum sequens Beatitudini tuæ, idest Cathedræ Petri communione consocior, super illam Petram ædificatam Ecclesiam scio. Quicumque extra hanc Domum agnum comederit, prophanus est, si quis in Arca Noe non fuerit, peribit regnante diluuio.]

Idem, vbi de numero Apostolorum loquitur, [Videnſque Iesus cogitationes eorum, & causas erroris intelligens, vult desiderium gloriæ, humilitatis contentione sanare. Ordinem, inquit, Apostolorum, & meritum vniuscuiusque illius fuit distribuere, qui cordis arcana rimatur. Cùm à Matthæo primus Apostolorum appellatur Petrus, id dignitate intelligendum est, nam vocatione, & ordine Andreas eo prior fuit.]

Idem, contra Pelagianos lib. 1. [Quid Platoni, & Petro? vt ille enim Princeps Philosophorum, ita & hic Apostolorum fuit, super quem Ecclesia Domini stabili mole fundata est, quæ nec impetu fluminis, nec vlla tempestate concutitur.] Idem refert in epistola ad Marcellum.

Item in Matth. cap. 18. Post inuentum staterem, post tributa reddita quid vult sibi Apostolorum repentina interrogatio? in illa hora accesserunt discipuli ad Iesum, dicentes? Quis putas maior est in regno cælorum? Quia viderant pro Petro, & Domino idem tributum reddi, ex æqualitate pretij arbitrati sunt, Petrum omnibus Apostolis esse prælatum, qui in redditione tributi Domino fuerat comparatus, ideò interrogant, quis maior sit in regno cælorum.

Quid verò eadem ferè tempestate Ambrosius dixit, serm. 47. [Audiamus, de Petri Apostoli fide agens. Instruximus, inquit, superiori sententia sanctum Petrum in Saluatoris passione, suis erroribus profecisse, & postquam negauit Dominum Deum, fuisse meliorem; fidelior enim factus, postquam fidem se deperdidisse fleuit, atque ideò maiorem gratiam reperit, quàm amisit. Tamquam enim bonus pastor tuendum gregem accepit, vt qui sibi ante infirmus fuerat, fieret omnibus firmamentum, & qui ipse interrogationis tentatione nutauerat, cæteros fidei stabilitate fundaret, denique pro soliditate deuotionis Ecclesiarum, Petra dicitur, sicut ait Dominus: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Petra enim dicitur eò quod primus in nationibus fundamenta fidei posuerit, & tamquam saxum immobile totius operis Christiani compagem, molemque contineat. Petra ergo pro deuotione Petrus dicitur, ac Petra pro virtute Dominus nuncupatur, sicut ait Apostolus: Bibebant autem de spiritali consequente eos Petra: Petra autem erat Christus, rectè consortium meretur nominis, qui consortium meretur & operis, in eadem enim Domo Petrus fundamentum posuit; Petrus plantat, Dominus incrementum dat. Dominus irriguum subministrat. Petrus tentationibus suis proficit, fletibus suis gaudet, periculis crescit.

[Quid enim, inquit, tam profundum, quàm quod ait Petrus ad Dominum. Tu es Christus filius Dei viui, quid tam terrenum, quàm quod de Domino dixerunt Iudæi. Nonne hic est filius Ioseph fabri? Ille altiori consilio natiuitatem Christi diuinitùs approbauit. Hi mente viperina cælestem, carnalem existimant: Vnde ait Saluator Petro, quia non caro, & sanguis tibi hoc reuelauit, sed Pater meus, qui in cælis est; Pharisæis autem dixit. Quomodo potestis bona loqui, cùm sitis nequam? Hanc igitur solam Ecclesiæ nauem ascendit Dominus, in qua Petrus magister est constitutus, dicente Domino, super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Quia nauis in altum sæculi istius ita natat, vt pereunte mundo, omnes, quos suscipit, seruet illæsos larius figuram iam in veteri videmus Testamento. Sicut enim Noe Arca naufragante mundo, cunctos, quos susceperat incolumes seruauit, ita & Petri Ecclesia, confragante sæculo, omnes, quos amplectitur, repræsentabit illæsos. Et sicut tunc transacto diluuio ad Arcam Noe columba signum pacis detulit, ita & transacto iudicio ad Ecclesiam Petri, Christus gaudium pacis refert, quia ipse columba, vel pax est, sicut promisit dicens. Iterùm autem videbo vos, & gaudebit cor vestrum. Et addit: Quis ignorat hanc firmissimam petram, quæ ab illa principali petra communionem, & virtutis assumpsit, & nominis, hoc desiderium semper habuisse, vt sibi moriendi pro Christo daretur constantia.

Idem, Petrus Apostolus, inquit, solus vidit Dominum; deuotione enim parata semper, & prompta credebat, & ideò studebat frequentiora fidei signa colligere. Alibi cum Ioanne, alibi solus, vbique tamen impiger currit, vbique, aut solus, aut primus non contentus vidisse, quæ viderat, repetit intuenda; & quærendi Domini amore succensus, non satiatur videndo: vidit enim solus, vidit cum vndecim, vidit cum septuaginta, vidit, & quando Thomas credidit, vidit eùm piscaretur, sed non vidisse contentus, impatiens desiderij, negligens captionis, immemor periculi, non tamen immemor reuerentiæ, vbi Dominum vidit in littore, veste se texit, ferum æstimans, si cum cæteris nauigio perueniret, si eùm in mari Dominus ambularet, super vndas maris naturæ suæ oblitus occurrit, hic cum à Iudæis Dominus teneretur, aduersùs turbas solus gladium exercuit: Sic & nunc cùm Dominus stetisset in littore periculoso, com-

lis omnibus vnanimi consensione pascatur. Quam vnam Ecclesiam etiam in cantico canticorum Spiritus sanctus ex persona Domini designat, & dicit. Vna est columba mea, perfecta mea, vna est matri suæ, electa genitrici suæ. Hanc Petri vnitatem, qui non tenet, tenere se fidem credit? Qui cathedram Petri, super qua est Ecclesia fundata deserit, in Ecclesia se esse confidit? Quando, & Beatus Paulus Apostolus hoc doceat, & sacramentum vnitaris ostendat dicens; Vnum corpus, & vnus spiritus, vna spes vocationis vestræ, vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma, vnus Deus. Quam vnitatem firmiter tenere, & vendicare debemus; maximè Episcopi, qui in Ecclesia præsidemus, vt Episcopatum quoque ipsum vnum absque diuisione probemus. Nemo fraternitatem mendacio fallat, nemo fidei veritatem perfida præuaricatione corrumpat. Episcopatus vnus est, cuius singulis in solidum pars tenetur, Ecclesia vna est, quę in multitudinem, latiùs incremento fęcunditaris extenditur.]

Idem libro 1. epist. 3. ad Cornelium Papam. [Quales putas esse eos, qui sacerdotum hostes, & contra Ecclesiam catholicam rebelles, nec pręmonentis Domini comminatione, nec futuri iudicij vltione tenentur. Neque enim aliunde hęreses obortę sunt, aut nata sunt schismata, quàm inde, quod Sacerdoti Dei non obtemperatur. Nec vnus in Ecclesia ad tempus Sacerdos, & ad tempus Iudex vice Christi cogitatur, cui si secundùm magisteria Diuina obtemperasset fraternitas vniuersa, nemo aduersùm Sacerdotum collegium quicquam moueret, nemo post Diuinum Iudicium, post populi suffragium, post Episcoporum consensum, iudicem te iam non Episcopi, sed Dei faceret, nemo dissidio vnitatis Christi Ecclesiam scinderet. Nemo sibi placens, ac tumens seorsum foris hęresim nouam conderet, nisi si ita est aliquis sacrilegę remeritatis, ac perditę mentis, vt putet sine Dei iudicio fieri Sacerdotem, cùm Dominus in Euangelio suo dicat: *Nonne duo passeres asse veneunt neuter eorum cadit in terram sine patris voluntate*.]

Idem libro, eodem epist. 8. ad plebem: [Deus vnus est, & Christus vnus est, & vna Ecclesia, & cathedra vna, super Petrum Domini voce fundata; aliud altare constituit, aue Sacerdotium nouum fieri preter vnum altare, & vnum Sacerdotium non potest. Quisquis alibi collegerit, spargit, adulterum est, impium est, sacrilegum est, quodcumque humano furore instituitur, dispositio Diuina violatur.]

Idem libro, eodem epist. 22. [Baptisma vnum est, Spiritus sanctus vnus, vna Ecclesia à Christo Domino super Petrum origine vnitatis, & ratione fundata.]

Et libro 1. epistolarum ad Cornelium Papam epistola 3. sic scribit. [Petrus autem super quem ędificanda ab eodem Domino fuerat Ecclesia vnus pro omnibus loquens, & Ecclesię suę voce respondens ait: Domine ad quem ibimus? verba vitę ęternę habes.]

Idem lib. 4. epist. 9. loquitur. [Ille inquit Petrus, super quem ędificanda fuerat Ecclesia, docens, quia & si contumax, ac superba obaudire nolentium multitudo discebat; Ecclesia tamen Christianorum non recedebat, & illi sunt Ecclesię, ac plebs Sacerdoti adiuncta, ex pastore suo grex adhærens.]

Idem in serm. 3. de bono patientiæ ait. [Item Petrus super quem Domini dignatione Ecclesia fundata est, in epistola sua ponit, & dicit Christus passus est &c.]

Idem in tractatu ad Iubaianum, de hęreticis baptizandis. [Nam Petro, inquit, primùm Dominus, super quem ædificauit Ecclesiam, & vnde vnitatis originem instituit, & ostendit, potestatem istam dedit, vt id solueretur in cœlo, quod ille soluisset in terris.]

Idem tractatu 2. de habitu Virginum. [Petrus inquit, etiam, cui oues pascendas, tuendasque commendat, super quem posuit, & fundauit Ecclesiam, aurum quidem, & argentum sibi esse negat, sed esse se dicit gratia Christi diuitem.] Hæc Cyprianus.

Sed quoniam verba illa de vno Episcopatu perperam à nonnullis interpretata sunt, ideò hæc panca subijcimus. Nempè cum audis ex Cypriano Episcoparum vnum esse, non de Christi Episcopatu, qui sanè est Episcopus animarum nostrarum. Sed de ordine Episcoporum in terra, qui est vnus, cuius à singulis, vt Cyprianus inquit, in solidnm pars tenetur, non enim vnus magis est ordinis Episcoporum, quàm alius, imo omnes sunt, quod vnus, iuxta Episcopatus rationem, vnum tamen est in terris caput, & origo à Deo disposita, vndè cæteros, inquit, proficisci voluit, ita vt per hoc caput, cui per fontem, & lumen quoddam, ac radicem cæteros Episcopos tamquam riuos, radios, ac ramos quosdam, ille fons aquæ viuæ, luminum Pater, vitæ arbor, atque omnis boni principium emittat, deriuet, proferat, moderetur secundùm vniuscuiusque mensuram: Et causam assignat Cornelio hæresnm, & schismatum esse, quæ supra memorata est, nempè, quod capiti non pareatur, quod Sacerdoti Dei non obtemperetur, neque vnus in Ecclesia ad tempus sacerdos, & ad tempus Iudex vice Christi cogitatur; cui si secundùm magisteria Diuina obtemperaret fraternitas vniuersa, nemo aduersùs sacerdotum collegium quicquam mouetet. Quo loco etiam vides vniuersam Ecclesiam, idest catholicam, vniuersam fraternitatem vocasse. Et demum cum tot, & tanta Petro eiusque cathedræ meritò tribuat, ista Episcopatus vnitas, alterum sensum, qui alijs Cypriani sententijs contradicat, admittere non potest. Hæc B. Cyprianus, cuius doctrinam, ac vitæ sanctimoniam Matthias summis encomijs, & quidem meritò extulit in titulo Cyprianus.

Secundò verò loco quid ex D. Hieronymo affero perpendatur. [Super Petrum, inquit, fundatur Ecclesia, licet idipsum alio loco, super omnes Apostolos fiat, & cuncti claues regni cœlorum accipiant, & ex æquo super eos fortitudo Ecclesiæ solidatur, tamen propterea inter duodecim vnus intelligitur, quòd capite constituto, schismatis tollatur occasio. Sed cur non Ioannes electus est, virgo, ætati delatum est, quia Petrus senior erat, ne adhuc adolescens, & penè puer prouectæ ætatis hominibus præferretur, & magister bonus, qui occasionem iurgij auferre di-

discipulis debuerat,& qui dixerat eis. Pacem meam do vobis,pacem meam relinquo vobis, & qui voluerit inter vos maior esse, minimus omnium sit, in adolescentem, quem dilexerat causam videretur præbere inuidiæ.]

Idem ad Damasum, inquit. [Ego nullum primum, nisi Christum sequens Beatitudini tuæ, idest Cathedræ Petri consocior, super illam petram fundatam Ecclesiam scio.]

Idem ad Damasum Papam. [Nunc, inquit, sol iustitiæ in Occidente oritur: Et in oriente lucifer ille, qui ceciderat super sydera posuit thronum suum. Vos estis lux mundi, vos sal terræ, vos vasa aurea, & argentea, hic testacea vasa, fient lignea, virgam ferream, & æternum operiuntur incendium: Quamquam me terreat magnitudo, inuitat tamen humanitas. A Sacerdote victimam salutis, à pastore præsidium ouis flagito, facessat inuidia Romani culminis recedat ambitio; cum successore piscatoris loquor. Ego nullum nisi Christum sequens Beatitudini tuæ, idest Cathedræ Petri communione consocior, super illam Petram ædificatam Ecclesiam scio. Quicumque extra hanc Domum agnum comederit, prophanus est, si quis in Arca Noe non fuerit, peribit regnante diluuio.]

Idem, vbi de numero Apostolorum loquitur, [Vidensque Iesus cogitationes eorum, & causas erroris intelligens, vult desiderium gloriæ, humilitatis contentione sanare. Ordinem, inquit, Apostolorum, & meritum vniuscuiusque illius fuit distribuere, qui cordis arcana rimatur. Cùm à Matthæo primus Apostolorum appellatur Petrus, id dignitate intelligendum est, nam vocatione, & ordine Andreas eo prior fuit.]

Idem, contra Pelagianos lib. 1. [Quid Platoni, & Petro? vt ille enim Princeps Philosophorum, ita & hic Apostolorum fuit, super quem Ecclesia Domini stabili mole fundata est, quæ nec impetu fluminis, nec vlla tempestate concutitur.] Idem refert in epistola ad Marcellum.

Item in Matth. cap. 18. Post inuentum staterem, post tributa reddita quid vult sibi Apostolorum repentina interrogatio? in illa hora accesserunt discipuli ad Iesum, dicentes? Quis putas maior est in regno cælorum? Quia viderant pro Petro, & Domino idem tributum reddi, ex æqualitate pretij arbitrati sunt, Petrum omnibus Apostolis esse prælatum, qui in redditione tributi Domino fuerat comparatus, ideò interrogant, quis maior sit in regno cælorum.

Quid verò eadem ferè tempestate Ambrosius dixit, serm. 47. [Audiamus, de Petri Apostoli fide agentem. Instruximus, inquit, superiori sententia sanctum Petrum in Saluatoris passione, suis erroribus profecisse, & postquam negauit Dominum Deum, fuisse meliorem; fidelior enim factus, postquam fidem se deperdidisse fleuit, atque ideò maiorem gratiam reperit, quàm amisit. Tamquam enim bonus pastor tuendum gregem accepit, vt qui sibi ante infirmus fuerat, fieret omnibus firmamentum, & qui ipse interrogationis tentatione nutauerat, cæteros fidei stabilitate fundaret, denique pro soliditate deuotionis Ecclesiarum, Petra dicitur, sicut ait Dominus: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Petra enim dicitur eò quod primus in nationibus fundamenta fidei posuerit, & tamquam saxum immobile totius operis Christiani compagem, molemque contineat. Petra ergo pro deuotione Petrus dicitur, ac Petra pro virtute Dominus nuncupatur, sicut ait Apostolus: Bibebant autem de spiritali consequente eos Petra: Petra autem erat Christus, rectè consortium meretur nominis, qui consortium meretur & operis, in eadem enim Domo Petrus fundamentum posuit; Petrus plantat, Dominus incrementum dat. Dominus irriguum subministrat. Petrus tentationibus suis proficit, fletibus suis gaudet, periculis crescit.

[Quid enim, inquit, tam profundum, quàm quod ait Petrus ad Dominum. Tu es Christus filius Dei viui, quid tam terrenum, quàm quod de Domino dixerunt Iudæi. Nonne hic est filius Ioseph fabri? Ille altiori consilio natiuitatem Christi diuinitùs approbauit. Hi mente viperina cælestem, carnalem existimant: Vnde ait Saluator Petro, quia non caro, & sanguis tibi hoc reuelauit, sed Pater meus, qui in cælis est; Pharisæis autem dixit. Quomodo potestis bona loqui, cùm sitis nequam? Hanc igitur solam Ecclesiæ nauem ascendit Dominus, in qua Petrus magister est constitutus, dicente Domino, super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Quia nauis in altum sæculi istius ita natat, vt pereunte mundo, omnes, quos suscipit, seruet illæsos latius figuram iam in veteri videmus Testamento. Sicut enim Noe Arca naufragante mundo, cunctos, quos susceperat incolumes seruauit, ita & Petri Ecclesia, conflagrante sæculo, omnes, quos amplectitur, repræsentabit illæsos. Et sicut tunc transacto diluuio ad Arcam Noe columba signum pacis detulit, ita & transacto iudicio ad Ecclesiam Petri, Christus gaudium pacis refert, quia ipse columba, vel pax est, sicut promisit dicens. Iterùm autem videbo vos, & gaudebit cor vestrum. Et addit: Quis ignorat hanc firmissimam petram, quæ ab illa principali petra communionem, & virtutis assumpsit, & nominis, hoc desiderium semper habuisse, vt sibi moriendi pro Christo daretur constantia.

Idem, Petrus Apostolus, inquit, solus vidit Dominum; deuotione enim parata semper, & prompta credebat, & ideò studebat frequentiora fidei signa colligere. Alibi cum Ioanne, alibi solus, vbique tamen impiger currit, vbique, aut solus, aut primus non contentus vidisse, quæ viderat, reperit intuenda; & quærendi Domini amore succensus, non satiatur videndo: vidit enim solus, vidit cum vndecim, vidit cum septuaginta, vidit, & quando Thomas credidit, vidit cùm piscaretur, sed non vidisse contentus, impatiens desiderij, negligens captionis, immemor periculi, non tamen immemor reuerentiæ, vbi Dominum vidit in littore, veste se texit, fretum æstimans, si cum cæteris naulgio perueniret, si cùm in mari Dominus ambularet, super vndas maris naturæ suæ oblitus occurrit, hic cum à Iudæis Dominus teneretur, aduersùs turbas solus gladium exercuit: Sic & nunc cùm Dominus stetisset in littore periculoso,

com-

compendio religiosum maturauit obsequiū. Non est igitur dubium credidisse Petrum, & credidisse, quia dilexit, dilexisse quia credidit, vnde & contristatur, quia & tertiò interrogatur. Amas me? Is enim interrogatur, de quo dubitatur, sed Dominus non dubitat, qui interrogabat, non vt disceret, sed vt doceret quem, eleuandus in cælum, amoris sui nobis velut Vicarium relinquebat. Sic enim habes; Simon Ioannis diligis me? Vtique, & tu scis Domine, quia amo te. Dicit ei Iesns. Pasce oues meas, benè conscius sui, non ad tempus assumptum, sed iamdudùm Deo cognitum. Petrus testificatur effectum. Quis est enim alius, qui de se hoc facilè profiteri possit? Et ideò quia solus profitetur ex omnibus, omnibus antefertur maior enim omnibus charitas. Illud quoque diligentiùs intuendum, cur cùm Dominus dixerit. Diligis me? Ille respondit: Tu scis Domine, quia amo te. In quo videtur mihi dilectio animi habere charitatem, amor quemdam actum conceptum corporis, ac mentis ardorem, & Petrum opinor non solùm animi, sed etiam corporis sui circa Dei cultum signare fragantiam. Denique tertiò Dominus, non iam diligis me, sed amas me? Interrogauit etiam non Agnos, vt primo quodam lacte pascendos, nec ouiculas, vt secundo, sed oues pascere videbitur perfectiores, vt perfectior gubernarit. Et ideò quasi perfecto in omnibus, quem caro iam reuocare non posset, à gloria passionis corona decernitur.

Idem, [Dignum fuit, de Paulo loquetus, vt cuperet videre Petrum, quia primus erat inter Apostolos, cui delegauerat Saluator curam Ecclesiarum. Et paulò post; Petrum Paulus solùm nominat, & sibi comparat, quia primatum ipse accepit ad fundandam Ecclesiam.]

Andreas, inqnit, prior sequutus est Saluatorem, quàm Petrus, & tamen primatum non accepit Andreas, sed Petrus. Hæc D. Ambrosius.

Sequitur D. Augustinus, qui inter cætera de eodem hæc nubis reliquit.

Super Ioanuem hæc habet, explicans illa Domini verba, sequere me. Petrus à Petra cognomine, Beatus Ecclesiæ figuram portans, Apostolatus principatum teneus.

Et paulò infrà hæc ait. Orando pro remissione peccatorum. Ecclesia spe beata, in hac vita ærumnosa, cuius Ecclesiæ Petrus præter Apostolatus sui primatum gerebat, figurata generalitate personam, quod enim ad ipsum propriè pertinet, natura vnus homo erat, gratia vnus Christianus: abundantiore gratia vnus, idemque primus Apostolus.

Idem. Ex piscatore fecit Dominus Apostolorum principem; ex persequutore fecit Apostolicum Confessorem. Veneremur ergo Principem Gregis, si volumus caulas intrare Pastoris.

Idem. Hic est quoque Beatus Petrus in illa cælestium Discipulorum schola præcipuus, ac primus, idoneus, qui verba vitæ ex Christi ore suscipiens per Euangelij potestatem, Iudæorum perditam gentem quærens, & abdicatos, ad hæreditatem vocaret, interpres legis, assertor gratiæ, destructor synagogæ, Ecclesiæ reparator; Et ideò solus inter Apostolos meruit audire; Amen dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Dignus certè, qui ædificandis in Domo Dei populis lapis esset, & fundamentum, columna ad sustentandum, clauis ad regnum. De hoc ait sermo diuinus. Et ponebant infirmos suos, vt vmbra saltem transeuntis Petri obumbraret eos, si tunc opem ferre poterat vmbra corporis, quantò magis nunc plenitudo virtutis? Si tunc supplicantibus proderat aura quædam pertranseuntis, quantò magis gratia nunc permanentis?]

Idem. Primum signum mirabile, quod beatus Apostolus Petrus fecit claudo pedum restituendo, vt diximus, vestigia, audistis frequenter ipsum Petrum à Domino petram nuncupatum, sicut ait; Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Si ergo Petrus est, super quam ædificatur Ecclesia; rectè priùs pedes sanat, vt sicut in Ecclesia fidei fundamentum continet, ita etiam in homine membrorum fundamenta confirmet. Rectè inquam, primum pedes Christiano curat, vt non iam trepidus quis, nec imbecillis possit supra petram Ecclesiæ stare, sed robustus, & fortis incedere.

Idem, credendæ erant Petro Apostolo claues Ecclesiæ, imò creditæ sunt ei claues regni cælorum, credenda ei erat quoque populorum innumera multitudo, quæ esset pro suę naturæ, vitijs, passionibus, culpis, inuoluta, atque peccatis. Denique sic ad eum Saluator dicit. Tibi, inquit, dedi claues regni cælorum. Deinde sequitur dicens. Quæcumque ligaueris super terram, erunt ligata & in cælis, videlicet vt in clauibus fidelis Ianitor, in sententijs esset clementissimus dispensator. Erat enim re vera hic Petrus paulò durior, & seuerior, sicut eius austeritatem, truncata ob Christi iniuriam serui Principis sacerdotum declarat auricula. Hic igitur tam durus, tamque seuerus, si donum non peccandi à Domino suisset adeptus, quæ venia communis populis donaretur. Sed idcircò diuinæ prouidentiæ secretum ita temperauit, atque permisit, vt primus ipse laberetur; ac rueret in peccatum, quo erga peccantes duriorem sententiam proprij casus intuitu temperaret.]

Idem. Institutio solemnitatis hodiernę à senioribus nostris Cathedræ nomen accepit, quod primus Apostolorum Petrus hodiè Episcopatus Cathedram suscepisse refertur. Rectè igitur natalem illius Sedis colunt, quam Apostolus pro Ecclesiarum salute recepit, dicente Domino: Tu es Petrus, &c. Petrum itaque Ecclesiæ fundamentum nominauit: & ideò dignè hoc fundamentum Ecclesia colit, super quo ecclesiastici ædificij altitudo assurgit, vnde conuenienter Psalmus, qui lectus est, dicit: Exaltent eum in Ecclesia Plebis, & Cathedra seniorum laudent eum. Benedictus Dominus, qui cùm in Ecclesia exaltari præcepit, quia dignum est, vt fundamentum hoc in Ecclesia honoretur, per quod in cælum ascenditur.]

Quod autem D. Augustinus, quibusdam alijs in locis suprammemoratis Christi verbis, alium sensum dederit, non ignoramus, quemadmodum liberum est nobis, ex illis, cum sensum seligere, quem Christi sententijs, & alio-

rum

rum præcipuorum Patrum dictis, magis congruere videtur. Et nihilominus diuersum illum verborum Christi intellectum, si congruè rebus aptemus, non modò non despicimus, verùm etiam optimum interpretem esse, ac alijs nostri propositi documentis, optimè consentire opinamur, & suo ioco demonstramus. Vt autem percipiatur quo sensu verba illius, recipi possint, illa paucis innuemus, ac deindè quoniam pacto aptari possint demonstrabimus.

Cum igitur verba illi Christi, nempe. Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & tibi dabo claues regni cælorum, & quæ sequuntur, multis in locis D. Augustinus interpretatur, sæpius Petram illam esse Christum. Quandoque etiam Petrum Ecclesiæ typum gessisse declarat. Interdum verò illam Petri confessionem appellauit; Quæ quidem omnia suum habent significatum, ad quod si referantur, nil discriminis superest, quominus omnia sibi consentiant. Et primùm cùm Simonem Petrum Petram esse dixit congruè quidem interpretatus est, quoniam non modò hoc in loco Simon Petrus, hoc est Petra, à Christo vocatur, verùm etiam cum primùm eum secutus est, illi aduenticium hoc nomen impositum fuit. vocaberis, inquit Dominus, Cephas, quod Petrus dicitur, subiungit Euangelista, ob idque rectè, ac genuino, potiorique sensu, Augustinus Petrum, Petram, plerumque interpretatus est.

Quod autem, Petram illam, super quam ædificaturus esset Ecclesiam suam, Christum esse dixerit, non admiramur, quamuis reddendæ pro confessione vices Petro hac interpretatione omittantur, necnon minùs aptè idem dicatur ædificator, & super quem ipsemet ædificaturus erat; Nam Petrus Petra nonnisi Christi viuæ, ac primæ petræ innixus Ecclesiæ magnum ædificium sustinere potuisset. Et cùm primum, ac potissimum, Ecclesiæ fundamentum, & Petra Christus sit, qua ratione, auctore Paulo, nemo alius esse potest illi totius ædificij prima, ac potissima ratio debetur; secundò verò Petro, ac cæteris iuxtà illis demandatum munus, congruo ordine, alia atque alia ratione, & fundata: & fundamenta, & sunt, & appellari possunt. Quicumque extra hanc Domum agnum comederit, prophanus est. si quis in arca Noe non fuerit peribit regnante diluuio (Hæc Hieronymus.

Quæ autem Ecclesiæ à diluuio, & portis inferorum absortæ sunt, nisi quæ agnum extra Romanam Ecclesiam comedere præsumpserunt? Ee quæ à Cathedra Petri se subtraxerunt, & rebellauerunt; non ne Cathedræ Mahumetis subditæ sunt? sed quoniam isti instar aspidis surdæ aures suas obturare solent, illarum Ecclesiarum statum illis opponamus. si fortè aliarum exemplo vel resipiscant, vel quid ilis futurum immineat periculum præuidere, ac conijcere possint.

Vbi illa Hierosolimitana Ecclesia, cui primæ partes fortasse exhibentur, hebræas oues sua culpa rebelles, ac perituras Christus non præuidisset, vbi illa noua Roma senioris Romæ auctoritatis æmula, vbi Antiochena, cui centum quinquanginta tres Cathedrales Ecclesias subditas fuisse legimus? vbi Alexandrina vnà cum Egyptia, vbi innumeræ Asiæ Cæsariæ, Palestinæ, Syriæ? vbi tot Apamearum, ac Damasci florentissimæ Ecclesiæ? vbi vtraque Arabia, Thebaidis, Lybiæque Ecclesiæ? vbi in Africa Carthaginensis illa cum toto Synodis (vbi Numidiæ Mauritaniæ Ecclesiæ? vbi Grecæ, hoc est Corinthiorum Thessalonicensium, Athenarum Ecclesiæ? in quibus tot Ecclesiæ Doctores floruerunt. Vbi inquam suut, iterum, atque iterum perquiro? sed quid quæso, respondendum, nisi quod portæ inferorum aduersùs eas preualerunt.

Aper de Sylua, fera pessima Mahumetus depastus est eas, sed quam ob causam, nisi quòd ab illa Ecclesia se subtraxerunt, quam super Petram ædificaturam Christus pollicitus est *rogabo pro te ne deficiat fides tua*, & reliqua, Cui soli dictum est. Iam ex his constare potest, quod portæ inferi non præualuerunt aduersùs eam.

Audiant, audiant ambo, non meam, sed D. Ambrosij verba, & cum supramemoratis D. Hieronymi illa conferant, vt Petra in terris, & nauis in mari, in quibus solùm secura salus esse potest, dignoscatur. Audierunt quid de Petro, & Petra, & Romana Ecclesia dixerit Hieronymus, audiant quæso Diuum Ambrosium quid de Petri nauicula dicat: & quiescant (Hanc, inquit: Ecclesiæ nauem ostendit Dominus, in qua Petrus magister est constitutus. Hæc semper supernatat in altum huius sæculi, itaut pereunte mundo, omnes quos suscepit seruet illæsos.) Illi siquidem promissum est, quod portæ inferorum non præualebunt aduersùs eam. Hæc ille. Quid autem vobis Occidentalibus Ecclesijs, quæ extra Petri nauim, & à forma Petræ abscissæ estis, futurum sit, nisi ad Petrum, ad nauem Petri Primo quoque tempore redieritis, supramemoratæ Ecclesiæ exitium, interitus, vobis exemplo esse possunt.)

Quæ hactenus attulimus potissimùm de vno capite, ac Principi visibili Ecclesiæ necessario, eumque fuisse Petrum pertractat. Sed quoniam fortasse Matthiæ, ac cæteris Centuriarum auctoribus satis non sunt, qui præter hæc etiam ex istius auctoritatis vsu, Petri primatum intelligere cupiunt, necnon quid vlteriùs de Petri successoribus credendum sit, cuius causa principio sui libri. iste Petro, & illis detrahens, dixit se iniuriam illaturum Petro, si eum Papam, vel hotum Paparum antecessorem fuisse firmauerit, Operæ pretium est, imò verò necessarium duximus de Primatu non compluta, & fusiùs afferre, quod tantò commodiùs, & vt vtilius fiet, quantò vix vnum, aut alterum verbum de vsu proferri potest; quin etiam iterum, atque iterum Petri primatus, ac Romanæ Sedis præeminentia, non declaretur demonstraretur, confirmetur.

Sed principio à Christo, istum vsum præcipiente exordiamur, deindè verò, qua ratione Petrus, cæterique successores, præsertim in primitiua illa Ecclesia exercuerit ostendemus.

Cùm Iesus Christus Dominus noster Ecclesiam suam suo sanguine partam, ad finem vsque sæculi perdurandam esse statuisset, & se eam nullo vnquam tempore derelicturum esse

esse pollicitus fuerit, cumque etiam filium Dei in forma serui, qui pro nobis pœnas dedit in terris commorari amplius non æquum esset, suæ Ecclesiæ primo exemplo, ac institutione perpetuò prospicere volens, postquam Simonem primum Petrum, ac Petram fecit, super quam suam Ecclesiam fundaturus esset, reuersurus ad patrem postremis suis verbis, quasi visibili officio suo in terris perfuncto, vsum primatus, præsertim promissarum clauium, præ cæteris longè præstantiori modo: & ordine Petro soli demandat.

Et ne vllo vnquam tempore anctoritati, eiusque vsui Petro demandatæ, quantumuis pertinet detrahere posset, nulla loquendi occasione data, ex profundo silentio, & post Corporis minimè necessariam refectionem Christus cæteris discipulis astantibus ad Petrum solum sua verba conuertit. Et quoniam, eiusque vsum gubernandi Ecclesiam veteris Ecclesiæ longè diuerso more ipse præcepturus erat, nempè non supplicio, aut formidine pœnæ, sed virtutis amore de amore erga se Petrum primùm interrogat, nempe si eum amaret plus illis, hoc est alijs Apostolis, cumque semel, iterùm de eodem Christus percunctaretur, & responsum ad vota succederet, ter etiam gubernandarum ouium curam, & vsum ei demandauit. Ter, inquam, de amore erga se Petrum intertogat, vt charitatis perfectæ suā futuram legem esse, ac gubernari debere demonstraret. Et cùm verba, quibus ter dicitur, amas me, & tet ouium pastura committitur, modus, & ordo, quibus talis vsus præceptus est, supra demonstrata sint, locum illum consulat, qui illa verba obliuioni mandauit.

His etiam, curam illam Petro demandatam, nempè confirmandi fratres intelligi oportet, quoniam veluti speciem generi comprehensa, sub cura, & vsu pascendi Petro demandata continetur. Et cùm ex his, quæ in actis Apostolorum Petrus dixit, & egit, probè nouerimus, an præceptum vsum executioni mandauerit, vt supra explicatum reliquimus, non est cur iu hac parte diutiùs moremur, & eò magis hic fateffe debet, quo iste sub titulo, & nomine Petri, plusquam satis nobis de his, & differendis occasionem dabit.

CAPVT IX.

Romanæ Ecclesiæ Primatus probatur ex Scriptura, & communi Ecclesiæ consensu.

SEd quoniā submurmuraturos Matthiam, eiusque socios præuidemus, propterea quòd non tantùm quantum ei satis esse videretur, de Petro ad Romanam Sedem relato, his allatis dictum esse, vt illis, cæterisque huius sectæ viris obmurmurandi, ac detrahendi tollatur occasio, primùm alia subiungemus, quibus istorum calumniam vitemus, nostrumque propositum verum, ac veritati consonum esse demonstretur, Deinde verò inceptum promamus vsum fusius demonstrandum aggrediemur, quia æquum non erat vlteriùs progredi, priùs quàm apertiùs Petrum, illosque verè Romanæ Ecclesiæ fuisse pastores ostenderemus. Nam quomodo Matthiam impietatis arguemus, Romanam Ecclesiam pestilentiæ Sedem vocantem? si super sedem illam Petrus, eiusque successores verè, & legitimè non sedissent? Et quamuis de re hac in titulo 15. sextæ Synodi Carthaginensis se disputaturum polliceatur, tamen cum eo in loco de Concilij Nicæni quodam decreto prolixissimùm agat, quo Episcopo Romano detrahit, noluimus hanc nacti occasionem, supramemoratam sicco pede pertransire, præsertim quod ea hic explicabuntur, quæ hic, & alibi etiam admodum profutura non ambigimus esse.

Et primum omnium Diuinam illam Christi sententiam nos iterum, atque iterum merito reassumimus, tùm quia summę veritatis ore, & prolata: cui contradicere nefas est, tum etiam quia rem adeò manifestam reddit, vt non nisi proteruientes ei contradicere poterunt. Alias oues, inquit Dominus, habeo nempè gentilem populum, quæ non sunt ex hoc ouili, iudaico scilicet illas oportet me adducere, ad id credendum, & faciendum, quod mea lege præcipitur. Perpende hic primùm quod Christus non quascumque, alias oues, hoc est gentiles, adducturus prędixit. Sed, inquit illa oportet me adducere, quinimò adiecit verbum oportet, vt duo potissimùm ostenderet, quod certè illæ oues adducendæ erant, & quod non alter, quàm ipse Christus. Et cùm ipse eas reuera visibiliter non adduxerit, rectè infertur, quod alter, in hanc saltèm parte, sui similis id præstaturus erat. Et quemadmodum Hierosolymis, ac alijs Indęorum Prouincijs Christus ipse Hebræis ouibus necessarium foret, vt in Christi ouile continerentur, ità etiam oportuit supremam Gentium Ciuitatem, idest Romam, vel ipsum, vel alterum eadem auctoritate pollentem contendere, ibique Sedem firmam ita statuere, vt facilè non solùm illius vrbis ouibus, de sana doctrina, optimoque regimine prospiceret, sed etiam alijs eiusdem generis ouibus, qui vel finitimi, vel remotiores Vrbem illam caput gentium frequenter conuenire solebant, vel ad illos reuerti, aut cum illis conuersari mos erat, adeò consuleretur, vt ad Domini ouile adduci, & conseruari possent, sed quis obsecro loco Christi, postquam ad Patrem ipse redijt, & se inuisibilem reddidit, Prouinciam ista subditurus erat, nisi ille, qui ijsdem nominibus, Christus, quantùm ad Ecclesiæ ministerium attinet, appellatus est? nam Petrus, Petra, fundamentum, lapis angularis, hoc est ille, qui, & his nominibus honestatus est, & rem significatam assecutus, vti supra demonstratum est. Quod quidem primum in actis Apostolorum, vti suprà in eisdem recensendis Petri dictis, in Concilio Hierosolymitano prolatis, ipse de se innuit, cum ait. [Fratres vos scitis, quod abantiquis diebus Deus in nobis elegit per os meum audire gentes verbum Euangelij, & credere.]

Ambarum igitur ouium reducendarum curam, quam susceperat Petrus nactus occasionem cæpit executioni mandare. Et constituto D. Iacobo Hierosolymæ Episcopo primùm Antiochiæ sedem sibi constituit, vbi, & genti-

gentilium ouium curam exercere posset, & Hebræas adhuc titubantes suis documentis proximus instruere, ac confirmare potuisset. Et cùm vtramque ouium curam, magno cum studio exercet, ad eius aures, peruenit, quod Romę Simon ille magnus suis commentis, ac Diabolicis præstigijs magnum illud futurum gentium supremum ouile turbabat: & sibi quàm plurimos vincebat, quamobrem Dei etiam monitis excitatus, vt Marcellinus Papa, & Martyr inquit: [Romam omnium gentium caput contendit, ibique supremam Sedem constituit. Et cùm Petrus non tantum vixerit, quantum in vtrisque adducendis, ac parandis ouibus erat, eadem ratione, & causa, qua Petrus, similique auctoritate, successoribus opus fuit, qui in ouile residuas oues reuocerent, reductasque perpetuò in officio continerent.

Vt autem propositum nostrum, quod his paucis, sed præcipuis quidem Christi verbis, & Petri factis innuimus perspicuum reddamus, nonnulla selegimus potiora, quibus semoto animi affectu facilè, veritas patebit.

Et illud in primis maximè mente retinendum est, nempè totius Christianæ religionis communis, & constans assensus, hoc est non modò Petrum fuisse Romæ, verùm etiam ibidem sibi Sedem constituisse, diemque suum extremum clausisse.

Neque vniuersalis iste totius religionis vniformis consensus spernendus est. Quando, à principio nascentis Ecclesiæ inceperit, & in conspectu totius orbis, & inter Heroes, toto orbe terrarum notissimos, ac ob eam causam locus fictioni esse non potuit. Adde etiam, quòd consensui Ecclesiastico Ecclesiasticis traditionibus prisci Patres, simulque Concilium Tridentinum, parem, atque sacris scripturis pietatis affectum deberi censuerunt. Et tamen præter plures Conciliorum Summorum Pontificum, ac Patrum sententias hoc probantes, non obscura scripturæ loca habentur, vnde illa, quæ scripto ab Apostolis tradita non sunt, eadem quasi reuerentia sumi debent, præsertim, quæ à primitiua Ecclesia, ad hæc vsque tempora perpetuo, vniformique progressu, & vsu retenta, & obseruata sunt. Quinimò quantum tribuendum esset traditionibus Ecclesiæ, ac eiusdem communi consensui, vel ex eo credi potest, quando Christus, neque in terris degens, neque reuersurus ad Patrem aliquid scripto reliquit, aut scribi mandauit, sed tantummodò Apostolis præcepisse legimus, vt docerent obseruari, quæcumque mandauerat illis.

Et Ioannes, præter ea Christi dicta, & facta, quæ in suo libro minimè scripta erant, asserit, tot, & tanta fuisse, quòd si conscriberentur, totum ferè mundum libros illos capere non posse. Qua hiperbole longè plura non scripta, quàm scripta fuisse innuit. Quo quidem documento docemur Ecclesiæ communis consensui, ac traditionibus non minùs credendum, ac parendum esse, quàm his, quę scripto ad nos peruenerunt. Sed propiùs accedens, & istis, alijsque memorandis, multos annos, absque scripto, & sola traditione sanctissimè vixit?

Et Matthæus, qui primus Euangelium scripto Hebræis, iturus ad gentes, in memoriam reliquit, nonne viginti ferè annis, teste Hieronymo, Irenæo, & Eusebio, anteà illud sine scripto hebræis prædicauerat? Matthæus, inquit Eusebius, ex Irenæo primò Hebræis prædicauerat, verùm cum pararet transitum ad gentes, patria lingua scriptutam composuit, & ea, quæ prædicauerat comprehendens, dereliquit his ad memoriam, à quibus proficiscebatur, vt gentibus prædicaret. Quando autem hoc factum est, idem Eusebius ex eodem Irenæo declarauit his verbis. Matthæus quidem Hebræis, cùm Petrus, & Paulus in Vrbe Roma Euangelizarent, atque Ecclesiæ inibi fundamenta solidarent: Ex quibus habemus, neque Hierosolymis, neque Romæ aliud prædicandi, aut regendi genus in Ecclesia, eo tempore vsitatum fuisse, quàm ex traditionibus, & communi Ecclesiæ consenso.

Idem, etiam legimus fecisse Marcum, idem Lucam, idemque postremò Ioannem, non enim Christi, aut Petri, aut Apostolorum iussu, sed alia, & alia moti occasione, quod corde, & ore retinendum esse, ac alijs prædicandum acceperant, scripto deinde notum esse voluerunt: Et quod de Euangelistis dictum est, idem de Petri, & Pauli Epistolis sentiendum est: nemo enim est, qui ignoret ambos, priusquam suas Epistolas scripserint, pluribus in locis longè antè Euangelium prędicasse. Cùm igitur videas quanto in pretio traditio Ecclesiæ communi consensu fuerit, ambigendum non est, verè, & summa ratione, Petrum Romam elegisse, ac ibi sedem constituisse. Quòd quidem cum Diui Anacleti Petri discipuli, necnon B. Marcellini martyris, & Pontificio testimonio etiam confirmatum habeas, vt infra dicemus, pro explorato id habere debes.

Cùm igitur detrahitur, quòd vel in Euangelio non legi à Christo Romæ Prælatum fuisse, aut Hierosolymis potiùs hanc præeminentiam deberi, rectè quidem respondetur, quod illud, quod in Euangelio scriptum non est, verbo, vel interiùs Christus suggerere, ac præcipere potuit.

Et cùm nihil iste, neque alij afferant præter suum sensum, rectè credendum potiùs est illis, qui præter vniformem Ecclesiæ sensum, præter supra memorata de vtraque oue, ad vnum ouile adducenda, necnon verba Petri per os suum verbum Euangelij omnibus gentibus potissimùm prędicandum, eique credendum, & denique pręter linteum, sibi oblatum animantibus immundis refertum, quo gentes instruendæ significantur, Complures etiam Sanctissimos habent restes, infra referendos, qui nostræ assertioni se subscripserunt, priusquam hæretici nascerentur. Et cùm hoc vnum sit ex præcipuis, à quo, & vigor, & disciplina, & vnitas in Ecclesia seruanda retinetur, Apostolis præsertim Petro indicatum esse credendum est.

De Hierosolyma verò, vt vno verbo satisfaciam, tantum abest, vt illi prima pręeminentia debeatur, vt Apostolica constitutione decretum, atque seruatum sit, Cęsariensi illam subditam Episcopo esse debere. Et quamuis in Niceno Concilio inter Patres de maiori honore illi exhibēdo disceptatum esset, tamen postremò ab Apostolorum institutio-

tutione recedere noluerunt. Quâ verò ratione id factum sit, nostrum non est iudicare, quemadmodum etiam conijcere possemus; quoniam Hierosolyma ob maximum patratum scelus contra Dominum pœnas daturæ esset non erat Diuinæ prouidentiæ supremas in ea Ecclesiæ partes collocare, quam citò hebræorum culpa perituram Christus non ignorabat; cui etiam, & Iudæorum peruicacia, qui semper Spiritui sancto restituerunt, addi potest, ob quam causam meritò Apostolos dixisse legimus, nimirum, quia eos Euangelij indignos se fecerant. Ecce, inquiunt, conuertimur ad gentes, scilicet, postquam ouis, quæ perierat Domus Israel, pro qua potissimùm Dominus venerat, se redemptionis effectu indignam, & collati beneficij ingratam reddidit, primæ partes, quæ illi fortasse decretæ fuissent, eorum demeritis sic exigentibus, alijs ouibus, quæ paruerant, illas exhiberent. Et cùm Roma caput esset, & ferè totius mundi esset, in qua & per quam Christi Euangelium faciliùs diuulgari poterat, vti dicitur est, ibi meritò prima, & perpetua sedes etiam Dei mandato collocanda erat; vt verò in ore duorum, vel trium præcipuorum testium; præter memorata, factum istud consistat, perpende quid de eo dicatur, & affirmetur.

D. Anacletus B. Petri discipulus in eadem cathedra, & martyrio successor, asserit Romanam Ecclesiam non ab Apostolis, sed ab ipso Christo Seruatore nostro primatum obtinuisse, & eminentiam potestatis super omnes Ecclesias, vniuersumque Christi gregem.

Idem, etiam Diuus Marcellus Papa, & martyr confirmat, vniuersis Episcopis in prouincia Antiochiæ constitutis, sic scribens. [Licèt prima Sedes Petri fuerit apud Antiochiam, posteriùs, iubente Domino, Romam translata est.] Et cùm Marcellus non ignoraret primam Sedem eam non esse, in qua, quis primò sedit, sed postrema, super quam diuturniore tempore, legitimè resederit, ac in ea suæ vitæ finem fecerit, ideò cum de Romana Sede loquatur, Antiochiam etiam meminit.

Mirabile etiam illud supra memoratum videri debet, quòd cùm Plebis Christianæ lacrymis rogatus, ac permotus Petrus mortem fugiens, Roma egredi vellet, Christus, vbi ad Portam ventum est, ei occurrit, quem adorans Petrus ait: Domine quo vadis? Cui Dominus respondit. Romam iterum crucifigi; quibus verbis Petrus intelligeret, quod prima Sedes, non nisi sanguine Christi, vel eius Vicarij fundata, & ornanda esset. Hæc Egesippus, qui cum Polycarpo Romam venit. Si verò Egesippo non credatur, habes D. Ambrosium fidissimum restem, qui de Beato Petro loquens dicit: Nocte muros egredi cœpit, & videns in porta Christum, sibi occurrere, vrbemque ingredi ait: Domine quo vadis? Respōdit Christus; venio Romam iterum crucifigi. Et subdit. Intellexit Petrus ad suam Crucem pertinere responsum. Idemque Ambrosius causam reddens, cur Romæ potiùs, quàm alibi suprema fundanda erat Petri, successorumque Sedes, ità loquitur Petrus, & Paulus martyrium pertulerunt in Vrbe Roma, quæ principatum, & caput obtinet nationum, scilicet, vt vbi erat caput superstitionis, illic esset sanctitatis, & vbi gentium Principes habitabant, illic etiam Principes Ecclesiarum morarentur. Hæc Diuus Ambrosius.

CAPVT X.

Petrum Romæ fuisse probatur, & fuisse Episcopum Romanum.

SEd iam video Matthiam, eiusdemque commeuti sequaces querentes de inuersa methodo; Nam primùm, aiunt, differendum erat, an Petrus vmquam Romæ fuerit, etsi fuit, an permanserit, & inibi suum diem finierit extremum, hoc, inquiunt, præmirtendum est, quo sublato, cætera ruunt, quoniam si Petrus numquam fuit Romæ, quæcumque adducuntur, ficta esse deprehenduntur.

At nos, qui minùs peritis potissimùm consulere volumus, simulque breuitati, quantum fieri potest studere, Auctorum varias temporum supputationes non attulimus, ea potissimùm ducti ratione, quod præter temporum computationem, quam hìc sicco pede non omnino pertransibimus, quę ad primum, præcipuumque propositum demonstrandum afferemus, adeo huic argumento, & Petri primatus vsui communia sunt, vt eisdem testimonij vtrumque simul nos præstare posse iudicauerimus.

Cùm innumeri omnis generis testes præsto sint, qui Petrum Romanum Pontificem, ac vigintiquinque annis Sedem illam gubernasse affirment, non est, cur in temporum supputationibus, multum laboremus, præsertim cùm diuersæ admodùm sint inter aliquos de re, hac sententiæ.

Sed quoniam ferè omnes à tempore, quo Paulus Petrum inuisit, initium computandi tempus sumunt, hoc est post triennium suæ conuersionis, quę fuit eodem anno, quo Christus cęlos conscendit, ac deinde 14. alios, tribus addunt, post quos Petrus ad Concilium Hierosolymitanum accessit, quibus si 25. nullo intermedio addas, nullo pacto ad postremum Neronis annum, quo passum esse Petrum complures asserunt; exactè attingitur, nil mirum, si variè inter se admodùm diffideant; præsertim cum ex his annis septem demi oporteat, Antiochiæ præsulatus addiri, vel si mauis, ne numero 25. aliquid desit, illos septem extra istos addas, erunt omnes 45. quòd nullo pacto fieri potest, nam siuè numerus Christi, ab Ascensione Domini, vsque ad Petri mortem annos 37. secundùm communem æstimationem, siuè 40. iuxta paucorum opinionem, non nisi querelæ, & cauilli insurgunt. Quamobrem, cùm tot Illustrium scriptorium testimonio constet D. Petrum Romanæ Eccesiæ præfuisse, & aliquorum sententia etiam 25. annos defluisse, sat erit supra memoratos annos ita disponere, vt videatur potiùs numerus veris rebus instruire, quàm contra res ipse varijs supputationibus temporum, ac hominum opinionibus subiacere. Et ob eam causam dici breuiter, & rectè quidem potest, Petrum intra quatuordecim

supra-

supramemoratos annos,& Antiochię primùm septem prçfuisse Romam etiam secundo anno Claudij venisse, ac indè post Claudij edictum de Iudæis Roma decessuris, vnà cum ipsis relicto Lino, & Clero presbyteris, ad partem suę sollicitudinis ascitis, Roma decessisse, quòd quidem non modò suo muneri non detrahit, quominùs Romę 25. annis non prçfuerit, verùm etiam cùm Pastor omnium ipse esset, prçterquam furori Claudij. cessit, non frustra suo fungebatur officio, si Hierosolymam reuersurus, quantum eiusdem Onilis oues hebreę in religione profecerint, videre posset, quo peracto, cùm primùm Romam reuerti licuit, & potuit, minimè distulit. Quibus compendio explicatis, illa afferam, quę non solùm huic proposito inseruient, verùm etiam iterùm,atque iterum Primatum Petri, eiusque vsum demonstrabunt, simulque etiam non pestileutię, sed Petri suorumque Successorum legitimum Sedem Romanam esse non proteruientibus compertum erit; quę quidem hoc loco simul demonstranda distulimus, quoniam, vti supra diximus, eo glutino, hęc omnia connectuntur, vt vicissim sese demonstrent, & qui de eis scripserunt omnium quasi simul rationem habuisse videntur. Et vt ordine congruo procedamus, ab his, quę paulò superius distulimus exordiamur, sensim deindè prosecuturi, quod polliciti sumus.

Et primus omnium D. Petrus, priore sua epistola scribens *electis aduenis dispersionis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Asiæ,& Bythiniæ,* postremò inquit, *salutat vos Ecclesia, quæ est in Babylone electa, & Marcus filius meus.* Iam hinc vides Vrbem Romam tropicè pro Idolorum varietate Babylonem nominatam. Quod si Ægyptiacum Babylonem istam esse finxeris, præterquàm tantùm pastorem decebat, tot memoratis prouincijs epistolas ex Vrbe Roma potiùs, quàm ex priuato loco scripsisse, priscos authores etiam grauissimos habemus, qui apertissimis sententijs explicant hanc Babylonem Romam fuisse: Papias enim ille Hieropolites Apostolorum prçsertim D. Ioannis discipulus hæc habet: Quod Petrus prima in epistola sua, quam de Vrbe Roma scripsit, meminerit Marci, in qua tropicè Romam Babilonem appellauit, cum dicit, salutat vos ea, quæ in Babylone est Ecclesia: Quod quidem Papiæ testimonium, Clemens Alexandrinus, & Victor Antiochenus presbyteri ad nos etiam pertulere, quorum alter in Marcum scribens ait. Fuit, inquit, Romæ Marcus cum Petro, quemadmodum in Priori eius epistola scribens inquit. Salutat vos Ecclesia, quæ in Babylone est electa Clemens verò Librum Marci commendans, idem de Papia refert.

Refert autem priora verba, superiùs illius nomine allata: Quibus etiam assentitur B. Hieronymus in Marci vita, in hæc verba, *Marcus discipulus, & interpres Petri, iuxta quod Petrum referentem audierat, rogatus Romæ à fratribus breue scripsit Euangelium, quod cùm Petrus audiuisset, probauit, Ecclesiæ legendum sua auctoritate edidit; sicut Clemens in sexto dispositionum libro scribit.* Et Papias Hieropolitanus Episcopus meminit, huius Marci, & Petrus in epistola sua prima sub nomine Babylonis, figuratè Romam significans. Salutat vos, quæ in Babylone electa est Ecclesia, & Marcus filius meus. Hæc Hieronymus. Quæ quidem ad nomen illud Babylon, hoc est Romam declarandam sat esse debet. Et vlteriùs progrediendum.

Et primus omnium post Petrum meritò Antesignanus Clemens sit, qui teste Hieronymo Latinorum sententia,Petro primus in Cathedra, & martyrio successit, de quo latiùs infra suo speciali loco. Iste enim in epistola ad Iacobum fratrem Domini inter innumera Petro Romæ dicta, & facta, se etiam ab eo successorem esse constitutum affirmat.

Habes etiam Anacletum Petri discipulum, qui eamdem Cathedram tenuit, sicuti in martyrio etiam successit, qui sæpius affirmat Romanam Ecclesiam à Christo per Petrum totius orbis terrarum primatum accepisse.

Sequuntur Euaristus, Alexander, & Xistus, sanctissimi Pontifices, qui & ipsi Petrum videre potuerunt, qui idem, quod Anacletus in suis epistolis inferiùs opportuniùs memorandis affirmant.

Post quos addas Polycarpum Ioannis discipulum, qui & ipse Petri temporibus vixit, de Asia Romam profectus decreto Pij Papę permotus Petrum Romę præfuisse commemorat, nec ipse Romanam Sedem adiisset, eiusdemque decretum tanti fecisset, si supremam Sedem Romæ locatam non agnouisset.

Et cum eo Egesippus ille Romam se contulit, qui teste Hieronymo inter cætera, quæ de Apostolis scripsit, illud etiam de Petro commemorat, quod eo Roma exeunte, Dominum obuiam, suumque discessum exprobrantem habuit; qui eo interrogante, quò iret respondit, Romam iterum crucifigi, vt supra opportuniùs,& latiùs commemoratum, ac declaratum est.

Huc accedit Irenæus Polycarpi Auditor, qui his apertis verbis idem asserit. Marthæus, inquit, Hebræis, ipsorum lingua, scripturam edidit Euangelij, cùm Petrus, & Paulus Romæ euangelizaret, & Ecclesiæ inibi fundamenta fundarent; deinde & Marcus, discipulus, & interpretatio Petri, & ipse, quæ à Petro nuntiata erant nobis tradidit. Et vt non modò Petrum fuisse, & præfecisse Romæ, sed successores eiusdem potestatis esse affirmaret, paulò post à Petro incipiens, ad Eleutherium vsque sui temporis Pontificem, omnium Ecclesiæ Romanæ Pontificum successionem,suo ordine enarrat, & affirmat. Et paulò inferiùs, Hac, inquit, ordinatione, & successione ea, quæ est ab Apostolis traditio in Ecclesia, & vnitatis præconizatio peruenit vsque ad nos, & est plenissima hæc ostensio, vnam, & eamdem viuificationem fidem esse in Ecclesijs, quæ ab Apostolis fuit tradita, conseruataque in veritate. Hæc Irenęus.

Refert etiam Eusebius Cæsariensis Dionysium Corinthiorum Episcopum doctrina, & vitę sanctimonia illustrem, Soterem Pontificem ex vrbe Roma Ecclesiæ suæ scribentem, inter cætera, hæc etiam interseruisse. [Vos inquit à Petro, & Paulo commissationem habentes Romanæ, & Corinthiorum Ecclesię plantationem coniunxistis. Ambo enim aduentantes in nostra Corinthiorum Ecclesia

docuerunt; & per omnem Italiam, atque in hac Vrbe simul docentes, etiam martyrio, pariter vno, eodemque tempore coronati sunt. Dionysius.]

Et Tertullianus ille Afer celebratissimus, libro tertio de hæreticorum præscript. in hęc verba scripsit. Percurre, inquit, Ecclesias Apostolicas, apud quas ipse adhuc cathedrę Apostolorum suis locis præsidentium, apud quas ipse authenticæ literæ eorum recitantur, sonantes vocem, repræsentantes faciem. Proxima est tibi Achaia, habes Corinthum, si non longè abes à Macedonia. Habes Philippos, si potes in Asiam tendere, habes Ephesum, si autem Italiam adiueris habes Romam. Vnde nobis quoque auctoritas præstò est, statura felix Ecclesia, vbi Petrus passioni Dominicæ adæquatur, vbi Paulus, Ioannis exitu coronatur.

Idem dicit, Petrum, & Paulum Romanis Euangelium suo sanguine obsignatum reliquisse. Et cùm supra memorati Ecclesiæ Heroes, vel tempore Apostolorum, aut eorum discipulorum, vel paulò post, hæc scripsissent, credendum non est, vel hæc ignorasse, vel futuris sæculis falsa, vel ficta scripto reliquisse.

Accedunt etiam complures, qui subsecuti sunt Ecclesiæ proceres, idem sentientes, quorum tamen breuitati studentes, paucos recensebimus, vt illorum testimonio pateat à principio nascentis Ecclesiæ successione quadam, vsque ad postrema tempora illud idem de hac re in Ecclesia retentum, ac confirmatum esse. Adest igitur magnus ille Origenes, & Cęcilius Ciprianus, quorum alter asserit Petrum postquam in Ponto, Galatia, Bithynia, Cappadocia, in Vrbe Roma commoratum esse, ibique inuerso corpore, ne Domino æqualis videatur, cruci affixum fecisse. D. verò Cyprianus inter alia Romæ Sacerdotalem dignitatem, vnitatemque exortam esse dicit, idque ob Petrum, successoresque Romanæ Ecclesiæ Pontifices, ac deinde infert vnitatem Ecclesię, ab vnitate Episcopatus Petri pendere, à quo exordium Ecclesiæ post Christum, tamquam ab vnitate quadam profectum esse.

Sequitur deindè Eusebius ille, non Romanus, sed Cæsariensis Ecclesiasticę historię scriptor, cuius testimonio, sæpiùs Matthias, cæterique centuriarum Anctores vtuntur. Qui quidem scribit, Petrum omnium Apostolorum principem, ac Christianorum Pontificem primum venisse Romam, secundo anno Claudij, vbi post ibidem Episcopatum administratum 25 annis vnà cum Paulo martyrio coronatus fuit. Non pigeat etiam audire quid de eadem tres Ecclesiæ columnæ dicant. Et primus se offert D. Augustinus aduersùs Petilianum alloquens in hæc verba. [Si omnes per totum orbem tales essent Episcopi, quales tu vanissimè criminaris, quid tibi Ecclesiæ Romanæ Cathedra? in qua Petrus sedit, & Anastasius sedet? Et paulò post. Quare appellas pestilentię Sedem Cathedram Apostolicam?] Hæc D. Augustinus.

Et cùm tu Matthias, impia illa verba, ab isto Petiliano mutuaueris, responde Diu. Augustino, cui tantum dicis te tribuere, cur Sedem Romanam Apostolicam pestilentiæ Sedem impiè appellaueris?

Quod si mores inuido oculo spectando, vti garrire soletis, pestilentem sedem illam appellare respondeas; percipe quid D. Augustinus post hæc verba eumdem similiter alloquens, statim subdat. Si, inquit, propter homines, quos putas legem loqui, & non facere, numquid Dominus Iesus Christus Pharisæorum, de quibus ait, dicunt enim, & non faciunt; Cathedram, in qua sedebant, illam affecit iniuria? nonne illam Cathedram Moysi commendauit, & illos, qui non seruabant cathedræ honorem, redarguit?

Adest etiam Hieronymus mendacij acerrimus persecutor, & quid de re hac scripserit attentè audiamus. Simon, inquit, Petrus filius Ioannis prouinciæ Galilæę, Vico Bethsaida, frater Andreæ Apostoli, & princeps Apostolorum, post Episcopatum Antiochenæ Ecclesiæ, & prædicationes dispersionis eorum, qui de circumcisione crediderant in Ponto, Galatia, Cappadocia, Asia, Bithynia, secundo Claudij anno ad expugnandum Simonem Magum Romam pergit, ibique vigintiquinque annis Cathedram Sacerdotalem tenuit, vsque ad vltimum annum Neronis, hoc est quartum, & decimum, à quo & affixus Cruci, & martyrio coronatus est, capite ad terram verso, & pedibus eleuatis in sublime, asserens se indignum, qui sic cruci affigeretur, vt Dominus suus. Hęc Diuus Hieronymus.

Hic etiam memorari denuò oportet, dictum illud D. Ambrosij, quo & res comprobatur, & sententiæ ratio redditur. De Petro igitur, & Paulo hæc refert, & probat: [Non enim, inquit, sine causa factum putamus, quod vna die, vt de Christum pariter peruenirent, vno in loco, ne alter deesset, Romæ sub vno persecutore, vt æqualis crudelitas vtrumque constringeret. Dies ergò pro merito, locus pro gloria, persecutor pro virtute martyrium pertulerunt. Et ne absque ratione id factum esse diceretur, statim hæc verba adiecit. In Vrbe Roma, quæ caput, & principatum nationum obtinet, scilicet vt vbi caput superstitionum erat, illic caput quiesceret sanctitatis, & vbi gentium princeps habitabat, illic Ecclesiarum princeps moraretur. Hæc iterum Ambrosius.

Hasce patrum sententias attulimus, quibus facilè rei veritas suadetur, quod si malè affecti homines vnà cum Matthia pertinaces fuerint, si hæc eis vera esse non videntur, saltem ipsi nobis indicent, vbi Petri, & Pauli cineres, vbi Ecclesia, cui Petrus præfuit? Quis sanæ mentis à principio nascentis Ecclesiæ, vsque ad hunc diem aliam præter Romanam ostendit Ecclesiam, quis Petri supremæ inniixę auctoritati, alijs iure suo præstiterit.

CAPVT XI.

Primatus vsus fusiùs ostenditur.

Sed quoniam de his hoc loco satis dictum est, ad primatus vsum latiùs ostendendum, iuxtà pollicita, me accingam. Et cùm Petrus in actibus Apostolorum, necnon supramemoratis prouincijs, quibus scripsit consulendo qualis esset sua auctoritas demõstra-

strauit, tamen ex vsu suum primatum vlterius ostendere volens, inter cæteras his etiam prouincijs, & ciuitatibus, & hoc ordine eum prospexisse, Hugo Etherianus refert. [Petrus, inquit, Magnus Christi Apostolus, in omnibus ferè Ciuitatibus Syriæ, Cappadociæ, Phrygiæ, Macedoniæ, Ellades, Epiri, Siciliæ, Italiæ, Galliæ, Hispaniæ, ac extremitatum Episcopos ordinauit, Etenim eius fauore Hierosolymorum thronum Iacobus tenuit, deinde Euodium Antiochiæ ordinauit; Tarsi Vrbanum, Epaphroditum Liciæ, Figellum Ephesi, Smirnę Apellem, Philippis Olimpium, Thessalonicę Iasonem, Silum Corinthi Patras Herodiana, Tauromenij Magnum, Alexandriæ Marcum. Amplius autem in Niceæ, Nicomedię, & Thraciæ partibus, similem apparatus est ordinem. Hęc & huiusmodi compluta Etherianus omnis generis disciplinę suo tempore primas tenens. Reliquum est, quid eiusdem in eadem cathedra successores dixerint, & egerint demonstrare, vt ex illorum exercitatione, etiam qualis eorum auctoritas fuerit dignoscatur. Quibus deinde concilia nonnulla, ac Patrum dicta, & facta addemus, vt omni ex parte, cùm satisfactum fuerit: falsa, & ipsa illa prima Matthię verba indicentur, & nos deinde tandem totius nostri libri institutum prosequi possimus.

Priusquam tamen complurium Petri successorum dicta, aut facta commemorem, nempè quid de Petri, & sua ipsorum auctoritate senserint, quid ne illam exercendo dixerint, & egerint, commemorare oportet, quòd principio nascentis Ecclesiæ Apostoli, illisque viciniores, præcepti sui magistri non immemores, mites admodùm erant, & humiles corde, ac ob eam causam numquam, aut rarò inter eos occasio dabatur, qua seuera iurisdictio dignosceretur, præsertim cum ea tempestate adeò feruens illa Ecclesia esset, ac assidnis presuris, & mundi aduersitatibus agitata, vt de diuulgando, & tuendo Euangelio, ac Martyrio perferendo potiùs ageretur, quàm de præcipiendis alicui pœnis cogitare. Quòd si aliquem correctione, & censura egentem iudicabant, memores se Christi miuistros esse, quibus dominari in Clero non licebat, sed forma facti gregis ex animo opus erat, ità mansuetè iurisdictionem exercebant, vt mutato deinde statu cum effrontibus, ac rebellibus, secura iurisdictionis exercitatione opus esset, schismatum occasionem temerè non datam, sed acceptam ab illis fuisse, obseruatum est.

Alterum verò memoratu dignum est, quod Spiritus Paracletus potissimùm Ecclesiæ præficitur, vsque ad sæculi consummationem commoraturus, vt Christi Ministris, summo præsertim, opportunè suggerat, quæ tempora, quęue negotia singularium, rerum status exigat. Et cùm Christum Petro, suisque in eadem Sede successoribus indifferenter omnium curam dedisse videas, ea, quæ ad talem curam forent necessaria, Spiritu sancto suggerente, ac fauente, intelligere necesse est. Hæc & hoc loco præfari volnimus, vt quisque animaduertere possit, quòd non eadem forma Petrus, eiusque Successores Ecclesiam gubernarunt, cùm subditi ità se cum eis gerebant, vt patrem agere cogerentur, & tempore, quo illi subditorum culpa lacessiti, prorsus iudicem agere oportebat. Quòd si hæc maturo consilio perpendantur, facilè, & iurisdictionis vsus ratio discernetur, & iniquorum hominum commenta detegentur, explodentur, diluenturque.

CAPVT XII.

Suam auctoritatem eiusque vsum multipliciter demonstrant, subditosque etiam instruunt, qua ratione illis obsequi, eisque parere debeant.

PRimo loco post Petrum, latinorum sententiam secuti, D. Clemens loquitur. In Epistola enim prima ad Iacobum fratrem Domini, inter cætera illam Petri, & sui nomine instituit, ac monte, & ouibus suæ Prouinciæ, magna cum diligentia consular, nam idem se facere, ac facturum affirmat cum Prouincijs Italiæ, Galliæ, Hispaniarum, Germaniæ, Africæ, & demum cum toto mundo, verba enim ista supremæ potestatis sunt, ac eiusdem talis, ac tantus vnus, quem hactenus neminem præter Romanos Pontifices ea ratione exercuisse in terris legitur. Sed cùm Matthias huic Clementi specialem locum in hoc suo libro inferiùs Deo, deque eius supra memorata Epistola complura disserat, aptiùs inferiùs etiam nos eo loco disputabimus, atque ita, vt suprema potestas, eiusque correspondens vsus, eo loco etiam Petro, & eius successoribus deberi iudicetur. Sequitur deindè Anacletus.

Anacletus Petri discipulus, ac cathedrę successor, ad vniuersos toto ordine Christi Sacerdotes, post multa hæc subiungit. Si, inquit, frater præocupatus fuerit in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, instruite eum in spiritu lenitatis; Si quę verò alię causæ difficiliores inter eos ortæ fuerint, ad huius Sanctæ Sedis Apicem, quasi ad caput referte, vt Apostolico terminentur iudicio, quia sic Dominum velle, ab eoque sic constitututum esse, antedictis testimonijs declaratur. Et sequitur. Hæc enim Apostolica Sedes cardo, & caput à Domino, & non ab alio est constituta, & sicut cardine ostium regitur, sic huius sanctæ Sedis auctoritate, omnes Ecclesiæ, disponente Deo, reguntur.

Idem de negotijs gestis etiam sæcularibus, qua iurisdictione, & quo ordine iudicari debeant, declarans inter cætera, postquam Pauli sententiam interpretatus est, qua decernit sæcularia negocia, & christianorum causas, sacerdotali iudicio terminari debere, statim adiunxit. Omnis enim oppressus, liberè Sacerdotum, si voluerit, appellet iudicium, & à nullo prohibeatur, sed ab his fulciatur, & liberetur, si autem difficiles causę, aut maiora negotia orta fuerint, ad maiorem Sedem deferantur: etsi illic facilè discerni non poterunt, aut iustè terminari, vbi fuerit summorum congregata congregatio, quæ per singulos annos bis fieri solet, & debet, iustè & à Deo placitæ coram Patriarcha, aut Pri-

mate

mate Ecclesiastico; & coram Patririo sæcularia iudicentur negocia in communi. Quòd si difficiliores ortæ fuerint quæstiones, aut Episcoporum, vel maiorum iudicia, aut maiores causę fuerint ad Sedem Apostolicam. Si appellatum fuerit, referantur, quoniam Apostoli hæc statuerunt. Iussio est Saluatoris, vt maiores,& difficiliores quæstiones, semper ad Sedem deferantur Apostolicam, super quam Christus vniuersam construxit Ecclesiam, dicente ipso ad Principem Petrum. Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.

Euaristus in Epistola, quæ respondet Africanis Episcopis, consulentibus, inquit, [vobis, fratres carissimi, quid super his, quę in vestris continebantur scriptis, visum est nobis, vel quid docibilis ratio persuaderet aut quid ab Apostolis nobis traditum, ac custoditum remaneret; optantes, vt retulistis, nostris instrui documentis; dilectio vestra Ecclesiasticam normam secuta, ad Sedem Apostolicam referre maluit quasi caput quid deceat de rebus dubijs custodire, quàm vsurpatione temeraria, quæ sibi viderentur præsumere.

Ad Ægyptiorum verò Episcopos post quam eos redarguit, quod quosdam transgressores suis sedibus eiecissent, hæc subdit. Quod si inquit, aduersùs eos aliquam querelam habueritis, post restitutionem de ea inquirendum erit, & huius Sanctæ Sedis auctoritate terminandum.

Alexander quintus à Petro, & martyr sic decernit. Huic Sanctæ,& Apostolicæ Sedis Apici, summarum dispositiones causarum, & omnia negotia Ecclesiarum, ab ipso Domino tradita sunt, quasi ad caput,ipso dicente Principi Apostolorum; Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.

Idem. Vniuersalis Apostolicæ Ecclesiæ Episcopus omnibus Episcopis S. in Domino. Post præmissa pleraque Apostolorum, & Ecclesiasticorum Dogmatum, si quis,verò,inquit vestrum pulsatus fuerit aliqua aduersitate, licenter hanc sanctam, & Apostolicam apellet Sedem,& ad eam quasi ad ad caput refugium habeat, ne innocentes damnentur, aut Ecclesia sua detrimentum patiatur &c. Ab hac enim Sancta Sede à Sanctis Apostolis tueri, defendi, & liberari Episcopi iussi sunt,vt sicut eorum dispositione ordinâte Domino primatus sunt constituti; ita huius sanctæ Sedis dispositioni eorum causas,& iudicia seruauerunt protectione, futuris temporibus sint ab omnibus persecutionibus semper liberi vndè meritò culpantur hi, qui aliter circa fratres egerint,quàm huius rectoribus placuerit &c. Deinde tamquam principalem illam in Ecclesiastica Hierarchia auctoritatem exercens, Ecclesiasticum quodam decretum edicit, cuius ipse tenor illam ipsam auctoritatem sonat. Est enim his verbis. [Nos igitur tamquam curam gerentes, propter huius Sedis apicem decernimus, vt nemo Pontificum aliquem suis rebus rebus spoliatum Episcopum, aut è Sede sua expulsum excommunicare, aut iudicare præsumat, &c. Si quis autem aliter præsumpserit,sciat censuram huius Sedis sibi non defuturam. Hęc Sixtus.

Felix etiam Romanus Pontifex, & ipse martyr ad Benignum Episcopum ità scripsit, semper dubiæ, & maiora negotia terminum ab hac Sede à tempore Apostolorum,qui eam documentis suis instruxerunt, accipere consueuerunt.

Vigilius verò in suis decretis inter cætera, & hæc habet. Romana Ecclesia Domini voce consecrata, Sanctorum Patrum auctoritate roborata, primatum tenet omnium Ecclesiarum, ad quam summa negocia, atque eorum iudicia quasi ad caput semper referenda sunt. Extant etiam Aniceti, Pij, & Victoris Pontificum Epistolæ, & mandata, præsertim aduersùs Asiaticos, sed suis proprijs in titulis infra differimus pertractanda.

Et quamuis Victoris facta, & dicta aduersùs Asiaticos suo loco differimus, nonnulla tamen, quæ alibi alijs dicit, & præcipit, minimè omittenda sunt.

Ad Theophilum igitur Alexandrinum,& vniuersam eius Ecclesiam, hæc scribit. [Victor Romanæ, & vniuersalis Ecclesię Archiepiscopus Theophilo Episcopo, & cunctis fratribus in Alexandria Domino famulantibus. Et post præmissa pleraque similiter, & ea vos iudicare ad Apostolicam delatum est Sedem, quę pręter nostram vobis definire non licet auctoritatem, vndè statutum liquet à tempore Apostolorum. Et deinceps; Placuit, vt accusatus à comprouincialibus in aliqua causa Episcopis, licenter appellet, & adeat Apostolicę Sedis Pontificem, qui aut per se, aut per vicarios suos eius retractari negotium procuraret, & dum iterato iudicio Pontifex causam illius tractat, nullus alius in locum eius ponatur, aut ordinetur Episcopus. Quoniam, quamquam comprouincialibus Episcopis, accusati causam Pontificis scrutari liceat, non tamen absolutè definire, inconsulto Romano Pontifice permissum est. Cùm vni Beatissimo Petro, non ab ipso dictum sit Domino quęcumque alligaueris super terram erunt ligata ,& in cælis, & quæcumque solueris super terram erunt soluta, & in cælis. Et alibi in institutis legitur Apostolicis. Si quis putarit se à proprio Metropolitano grauari, apud Patriarcham, aut Primatem Diæcesis, aut penès vniuersalis Apostolicæ Ecclesiæ iudicetur Sedem. Quare nihil est aliud fratres talis vestra præsumptio, nisi Apostolorum, successorumque eorum decreta violare. Hæc Victor.

Habes etiam Beatum Marcellum Pontificem, & martyrem sic ad vniuersos, per Antiochiam Episcopos constitutos. Rogamus, inquit, vos fratres, vt non aliud doceatis,ac sentiatis, quàm à Petro Apostolo, & reliquis Apostolis, ac Patribus accepistis. Ab illo enim primò instructi estis, ideo non oportet vos primum derelinquere Patrem, & alienos sequi, ipse enim est caput totius Ecclesiæ, cui Dominus ait Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Eius enim Sedes primùm apud vos vos fuit, quæ postea iubente Domino Romam translata est; cui adminiculante gratia diuina præsidemus. Nec ab eius dispositione declinare oportet ad quam cuncta maiora negotia Ecclesiastica. Diuina disponente gratia, iussa sunt referri, vt ab ea canonicè disponantur, &c. Ad quem omnes

omnes quasi ad caput, iuxtà Apostolorum, etiamque successorum sanctiones, Episcopi, qui voluerint, aut quibus necesse fuerit, confugere, eamque appellare debent &c. Quia Episcoporum iudicia, & summarum causarum negotia, cunctaque dubia Apostolicę Sedis auctoritate peragenda sunt, & finienda, & omnia prouincialia negocia huius Sanctæ Apostolicæ Sedis sunt retractanda indicio, si huius Ecclesiæ Pontifex præceperit. Hæc ille.

Habes etiam B. Melchiadem ad Marinum, Benedictum Leontium, & cæteros Hispaniarum Episcopos in hæc verba. Episcopos nolite iudicare, nolite condemnare absque huius Sedis auctoritate; quod si feceritis irrita erunt vestra iudicia, & vos condemnabimini; hoc enim priuilegium huic Sanctæ Sedi à temporibus Apostolorum statutum est seruare, quod illęsum manet vsq; in hodiernum diem &c. Quod B. Petro æternæ vitæ clauiger Dominus solummmodò commisit, quod prærogatiuum eius iustè succederet sedi futuria hæreditandum, tuendumque temporibus. Quoniam, & inter Beatos Apostolos fuit quædam discretio potestatis, & licèt cunctorum par esset electio, Beato tamen Petro concessum est, vt alijs præemineret, & quæ ad querelam venirent, causas, & quęstiones prudenter disponeret. Id quod Dei ordinatione taliter constitutum credimus, ne omnes posterorum sibi cuncta vindicarent, sed semper maiores causa, sicuti sunt Episcoporum curę negotiorum, ad vnam Beati Principis Apostolorum Petri Sedem confluerent, vt indè suscipiant finem iudiciorum, vnde acceperunt initium institutionum, ne quandoque à suo discrepent capite; si ergo viderit se quispiam vestrum pręgrauari, hanc Sedem appellet, huc recurrat, vt semper instituta fuit consuetudo. Hæc Melchiades.

Hę sunt priscorum Patrum sententię, Apostolis viciniores, quibus fidem aduersarij adhibere noluerint, vel quod ex vero Damasi Pontificali desumptę non sint, vel si sunt, Damasum eas referentem contemnunt, nos vicissim respondemus eis, longè melius esse aliquo digno testimonio sua dicta tueri, quàm tantùm suo iudicio, ac arbitratui fidere, propriamque nulla ratione sequi sententiam. Adde etiam. Quod si supramemoratis Episcopis Sanctissimis martyribus, & qui statim post Petrum suffecti sunt, non credunt, Saltem Beato Cypriano, Hieronymo, Ambrosio, Augustino, Hilario, & Chrysostomo, quibus tantum Matthias tribuit, vt supra diximus, & de industria repetimus confiteatur plerasque eorum sententias cum suis, & suæ Ecclesiæ dictis congruere, fidem pręstare debet, qui quidem quantum Romanis Pontificibus tribuerint, pręsertim Damaso Hieronymus, probè iste noscere potest, si eorum dictis perpensis veritatem cognoscere voluerit. Complures post istos Romanos Pontifices, & infra, postquam etiam memorandos omisimus, & Matthias speciatim suis capitibus de illis agit, quorum huius generis illustria facinora ibi recensebimus.

CAPVT XIII.

Ex vehementi vsus exercitatione, auctoritas demonstratur.

SEd quoniam apertiùs vehementi exercitatione, eorum auctoritas demonstratur, & dignoscitur, apertiorem huius primatus vsum isti fortasse demonstrari desiderant, illum pręsertim, cùm subditi pręsules ad agendum cum eis iudicem prouocarunt, Et primo loco nonnulla dicta, & facta, quę se obtulerunt D. Leonis, Pontificis hìc perlege, & perpende, quem quidem extra ordinis rationem sępius afferemus, tum propter complura illius illustria facta, tum etiam quòd multis in locis pręcipuè nostro proposito inseruiunt.

Cum igitur Anastasius Thessalonicensis Episcopus B. Leonis in Orientalibus regionibus legatus, ac Vicarius Atticum veteris Epiri Metropolitanam, coram se presentem euocatet, & ille morbi, ac infantis hyemis causa aduentum suum differre cogeretur excusationem ille non admittens, implorato brachio sęculari, illum ad se venire compulit. Quę cùm Beatus Leo audisset, ac ambos Romę ad se euocatos, sicuti antea per Epistolam acriter Anastasius reprehendit, ita coram fecit.

Et omissis illis, quæ coram tantùm Pastore Anastasio dixisse credendum est; quædam in suis epistolis commemoratione digna commemorabo. Quorum primum est Legatio illa Apostolica in Oriente Thessalonicensibus Episcopis committi solita, sicuti postea Constantinopolitanis, interdùm verò Alexandrinis, vt Epistolæ Bonifacij ad Eulalium Alexandrinum, & Simplicij ad Acatium Constantinopolitanum testantur. Alterum verò est, quod in epistolà beatus Leo ad suum Legatum scribit. Vices, inquit, enim nostras ita tuæ credimus charitati, vt in partem sis vocatus sollicitudinis, nòn plenitudinem potestatis. Hæc Leo. Et tamen cum limitata iurisdictione eius legati toti Orienti, vbi Patriarchales Sedes erant, præsidebant, interdum vim inferebant. Nec ob id Atticus Epiri Metropolitanus aliud egit, quàm vnà cum suis Suffraganeis Romam petere, & de illata sibi iniuria coram Romano Episcopo cum lacrymis querelam exponere. Et ne in Orientalibus Prouincijs deinceps Anastasius, ac in eodem munere successores aberrare contingeret, hasce leges, & ritus illis beatus Leo pręscribit.

Igitur, inquit, secundùm sanctorum Patrum Canones, spiritu Dei conditos, & totius Mundi reuerentia consecratos Metropolitanos singularum Prouinciarum Episcopos, quibus ex delegatione nostra, tuæ fraternitatis cura prætenditur. ius traditæ sibi antiquitùs dignitatis intemeratum habere decernimus, ita vt à regulis præstitutis nulla, aut negligentia, aut præsumptione discedant.

In Ciuitatibus, quarum Rectores obierint de substituendis Episcopis, hæc forma seruetur; vt qui ordinandus est, etiam si bonæ vitæ habeat testimonium, non laicus sit, non

Neo-

Neophytus, nec secundæ coniugis maritus, aut qui vnam quidem habeat, vel habuerit, sed quam sibi viduam copulauit, Sacerdotum enim tam excellens est electio, vt hæc, quæ in Ecclesiæ alijs membris non vocantur in culpam, in illis tamen habeantur illicita. Nam cùm extra clericorum ordinem constitutis nuptiarum societati, & procreationi liberorum studere sit liberum, ad exhibendam tamen perfectæ continentiæ puritatem,nec Subdiaconis carnale connubium conceditur, vt qui habeant, sint tamquam non habentes, & qui non habent, permaneant singulares.

Quod si in hoc ordine,qui quartus à capite est, dignum est custodiri, quantò magis in primo, aut secundo, vel tertio seruandum est; ne aut leuitico ministerio, aut presbyterali honore, aut Episcopali excellentia quisquam idoneus æstimetur, qui se à voluptate vxoris, nec dum frenasse detegitur.

Cùm ergo de summi Sacerdotis electione tractabitur, ille omnibus præponatur, quem Cleri, plebisque consensus concorditer postulauerit, ita vt si in aliam fortè personam partium se vota diuiserint, Metropolitani iudicio is alteri præponatur, qui maioribus, & studijs iuuatur, & meritis tantùm, vt nullis inuitis, & non petentibus ordinetur, ne Ciuitas Episcopum non optatum, aut contemnat, aut oderit, vt fiat minùs religiosa, quàm conuenit, cui non licuerit habere, quem voluit.

De persona autem consecrandi Episcopi, & de cleri, plebisque consensu, Metropolitanus Episcopus ad tuam fraternitatem referat, quodue in Prouincia benè placuit, scire te faciat, vt ordinationem ritè celebrandam, tua quoque firmet auctoritas, qua rectis dispositionibus nihil moræ, aut difficultatis debet afferre, ne gregibus Domini diù desit cura pastorum.

Metropolitano verò defuncto, cùm in locum eius alius fuerit subrogandus, prouinciales Episcopi ad Ciuitatem Metropolitanam conuenire debebunt,vt omnium clericorum, atque omnium Ciuium voluntate discussa ex presbyteris eiusdem Ecclesiæ,vel ex diaconibus optimus eligatur, de cuius nomine ad tuam notitiam Prouinciales referant Sacerdotes, impleturi vota poscentium, si quod ipsis placuit tibi quoque placuisse cognouerint. Sicut enim iustas electiones nullis dilationibus volumus fatigari, ita nihil permittimus te ignorante præsumi.

De Concilijs autem Episcopalibus non aliud indicaturus, quàm Sancti Patres arbitrati sunt salubriter, vt scilicet bini conuentus per annos singulos habeantur, in quibus de omnibus querelis, quæ inter diuersos Ecclesiæ ordines nasci solent, indicetur. Et si fortè inter ipsos, qui præsunt de maioribus, quod absit, peccatis causa nascatur, quæ prouinciali nequeat definiri, fraternitatem tuam de totius negocij qualitate Metropolitanus curabit instruere. Et si coram positis partibus, nec tuo res fuerit sopita iudicio, ad nostram cognitionem, quicquid illud est transferatur &c.

In euocandis autem ad te Episcopis, moderatissimum te esse volumus, ne per maioris diligentiæ speciem fraternis videaris gloriari iniurijs. Vnde si causa aliqua maior extiterit, ob quam necessarium sit fratrum aduocare conuentum, binos de singulis Prouincijs Episcopos, quos Metropolitani crediderint esse mittendos ad fraternitatem tuã venire sufficiat; ita vt in præstituto tempore, non vltrà quindecim dies, quò conuenerint retardentur. Si autem in eo, quod cum fratribus tractandum, definiendumque credideris diuersa eorum fuerit à tua voluntate sententia, ad nos omnia sub gestorum testificatione referantur, vt remotis ambiguitatibus, quod Deo placeat decernatur. Ad hunc enim finem omnem affectum nostrum, curamque dirigimus, vt quod ad vnitatem concordiæ, & quod ad custodiam pertinet disciplinæ, nulla dissensione violetur, nulla desidia negligatur.

Ad hæc verò B. Leo salubrem quamdam exhortationem adiecit, qua omnes ordines sibi reconciliari cupiens Anastasio, successoribusque præcepit, vnitatem, & fraternitatem seruandam, & vt frequentiùs de rerum grauiorum successibus eum certiorem redderet.

Ne verò quispiam effingere posset, beatum Leonem supradicta, vel suo dumtaxat tempore incæpisse, vel deinceps non obseruata fuisse, ex verbis suæ epistolæ satis constat. Nam Anastasium monet,vt quæ vigore ecclesiasticæ disciplinæ, decenter ordinata, & constituta erant, seruare deberet. Neue etiam sibi commissa auctoritate abuteretur, memorans etiam, ne eamdem negligeret, præsertim electionum Episcoporum confirmationem, & si quid ob Arianam hæresim in desuetudinem abijsset, sua opera restitueret. Quod autem beatus Leo illis in Regionibus deinceps suam auctoritatem exercuerit, in Anatolij, & Proterij Alexandrini Episcoporum confirmatione apparet; tametsi Magni Theodosij preces interpositæ fuerint, numquam tamen Anatolium in defuncti B. Flauiani locum subrogatum Episcopum confirmare voluit, antequam de Verbi Dei Incarnatione,scriptu, & adstante populo, & Clero, ea credere, & tenere profiteretur, quæ ipse ad beatum Flauianum tenendum esse scripserat.

De Proterio verò in locum deiecti Dioscori subrogato idem fecisse in epistola ad Marcianum ostendit, cùm Marciani Imperatoris pro illo fusæ preces numquam auditæ fuerint, nisi priùs confessionis Proterij, manu sua scripta, ac testes, & proprio Nuncio literas ad se destinatas accepisset.

Nec prætereunda sunt verba illa beati Leonis ad suum Legatum, quibus tranquilla, & modesta obedientia à remotis partibus exhibita demonstratur, vt in eadem Sede successores admoneantur, qua seueritate corrigere debeant suos ministros, qui deiecti subrogantur, & temerè aduersùs Episcopos suscepta auctoritate abutuntur.

Multa stupeo, frater charissime, sed plurimùm doleo, quod in eum, de quo nihil amplius iudicaueras, quàm quod vocatus adesse differret, & excusationem infirmitatis obtenderet, tam atrociter, tam vehementer potueris commoueri, præsertim cùm, & si tale aliquid mereretur, expectandum tibi fuerat,

quid

quid ad consulta tua rescriberem. Sed vt video beuè de moribus meis æstimasti, & quàm ciuilia, pro obseruanda sacerdotali concordia responsurus essem, verissimè præuidisti, & ideò motus tuos exequi sine dilatione properasti, ne cùm moderationis nostræ aliud disponentis scripta suscepisses, faciendi id, quod factum est, licentiam non haberes. An fortè aliquod tibi facinus fratris innotuerat, & Metropolitanum Episcopum, noui apud te criminis pondus vrgebat? Quod quidem alienum ab illo etiam tu nihil ei obijciendo, confirmas, sed etiam si quid intolerandum gessisset, nostra erat expectandá censura, vt nihil priùs ipse decernens, quàm quid nobis placeret, agnosceres.

339. Sub Iulio etiam Pontifice eò magis supremæ auctoritatis vsus resplendet, quò in contradictorio quasi iudicio hæreticis, & quibus fautores non deerant, dicta, & facta inueniuntur. Cùm igitur Eusebius Nicomediensis Episcopus Arianæ factionis sectator, & fautor, vnà cum nonaginta Episcopis Athanasium Alexandrinum, Paulum Constantinopolitanum, Marcellum Ancyranum, Asclepium Gazæ, ac Busianum Adriopolitem Episcopos priuatos Episcopali Sede declarassent, fugassent, Iulio Romano Pontifici consuluerunt, rogantes, vt eorum facta confirmaret, quod si secus fecerit minantur se minimè suis mandatis pariturós. Quibus hoc pacto Iulium respondisse, ac cum eis egisse comperimus.

[Iulius Sanctæ Romanæ, & Apostolicæ Ecclesiæ Episcopus Eusebio Theogonio, Theodoro Berinthio, ac cæteris Orientalibus Episcopis. Decuerat vos aduersùs Sanctam Romanam Ecclesiam, & Apostolicam limatè, & non ironicè loqui. Quoniam & ipse Dominus noster Iesus Christus eam decenter alloquutus ait. Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prænalebunt aduersùs eam. & tibi dabo claues regni cælorum, &c. Habet enim potestatem singulari priuilegio concessam aperire, & claudere ianuam regni cælestis &c. Itaque si ei detrahere, quæ Domini ore sacrata, & desuper exaltata est, non timuistis, nec mirum si fratribus irrogare iniuriam minimè cessatis, vt iam silentio non teguntur, quæ in vestro Concilio turbulenter, atque cum tempestate decreta sunt. apparet enim, quod tumultuosa indisciplinatione sit veritas oppréssa &c. sed erit opus diuinæ prouidentiæ, quatenus è contrario aperta deprehensa posset enarrari, & quidquid illi conuenientes, siue qualibet gratia, odio, aut inimicitiarum causa gessistis, funditùs repelli. Quapropter cùm omni festinatione vos omnes ad huius Sanctæ Sedis reuerentiam volui concurrere, quatenus gestorum apud nos integritatem per vos ipsos possetis intelligere. Nam nec dubitare vos credo, Athanasium sacræ legis Doctorem non solùm à nobis, sed etiam à Nicæna Synodo veræ fidei cultorem esse comprobatum, qui defuncto Alexandro mirabili sene, qui Arij prostrauerat blasphemias, post quinque menses Nicæni Concilij Alexandrinorum Ecclesiæ suscepit præsulatum; Aduersùs quem, eiusque sectatores multa mendacia contexentes, & nudas calumnias quasi veras accusationes componentes, nobis multorum malorum causam, & caput esse perhibuistis, & non solùm apud Ægyptum, sed etiam apud Palestinam, Phæniciam, vicinasque gentes scriptis vestris illum perturbatorem esse significastis. Qua de re ecclesiasticam regulam sequentes, vos Romæ regulariter ad iudicium, ne statuta non sub angusto temporis spatio, vt excusatio locum non inueniret literis, & Apocrysarijs nostris euocauimus, illique vocatione suscepta ad diem præstitutum venere. Sed vos ne vestris mendacijs caperemini, veraque calumnia enudaretur, venire distulistis. Nec his machinationibus solummodò contenti estis, sed etiam videntes oues pastoribus desolatas, lupos pro pastoribus super eas posuistis. Decuerat ergo, vt ad regularem veniretis conuocationem, qualiter de his, & alijs vestris præsumptionibus veram reddideritis rationem. &c. Cur Synodum ad Statum Ecclesiasticum, & Patrum in Antiochiam subuertendum, & Nicæni Magni Concilij destructionem fecistis, aut cur nobis inconsultis Episcopos in eam conuocatis, ad quam nec Maximus Hierosolymitanus venit, nec nostra interfuit legatio? Canonibus quippe in Nicæna Synodo iubentibus non debere, præter sententiam Romani Pontificis vllo modo Concilia celebrari, nec damnari Episcopos. Aut cur in prædictorum loco fratrum alios adulteros posuistis, antequam penès nos, aut Apocrysarios nostros eorum causa canonicè esset examinata, finemque percepisset rectum? Illi enim, qui ad memoratam regulariter conuenere vocationem, videntes vos ab eadem Sede subtrahere, multa aduersùs vos lacrymabilia, & doloribus plena referunt, accusantes vos, & dicentes multa se importabilia à vobis esse passos &c. Super quibus, & Ægyptiorum Episcopi literis nobis, & missis protestantibus suis, falsa esse, quæ contra Athanasium, suosque sectatores machinatur cuncta Arrianorum conspiratio &c. Vobis itaque venire refugientibus, & ad Concilium nostrum totiès connocatis adesse nolentibus; Illis autem in sua reclamatione, & iusta ràtione persistentibus; vestraque cognoscentes crimina, & illorum iustam examinantes rationem, omnesque illos concordare Nicæno Concilio competientes, & nostris Apostolicis iussionibus obtemperantes, visum est nobis, & Vniuerso Concilio, vt nos diuinis præceptis, & Apostolicis monitis informati, qui pro omnium Ecclesiarum statu impigro vigilare debemus affectu, quicquid reprehensionis vsquam inuenitur obnoxium, celeri sollicitudine, ab arrogantiæ imperitia, aut à præsumptionis vsurpatione reuocemus. Quare tamquam omnium curam gerentes propter sedis nostræ dignitatem, suscepimus eos in communionem, singulisque auctoritate huius sanctæ Sedis cum suis rebus proprias reddidimus Ecclesias. Quoniam huic sanctæ Sedi propter paucorum hominum insidias, ipso Domino instituente, & S. Apostolis, eorumque successoribus per singula Concilia roborantibus, hoc semper licuit, licebitque Domino auxiliante in perpetuum. Quapropter increpando vobis scribo, quia non rectè tractastis viros inculpatos, & à nobis minimè

examinatos, de suis Ecclesijs communio[illegible]e priuatos, pellentes, & Ecclesiasticæ discip[illegible]inæ iniuriam irrogantes, constitutumque N[illegible]ceni Concilij minimè seruantes, talia indi[illegible]scipli-narè agere non formidastis. Idcircò qu[illegible]oniam dudum venire vocati renuistis, mo[illegible]ò ad 15. kal. Nouembris, vos iterum reg[illegible]lariter literis, missisque euocamus, vt co[illegible]ram vobis ostendamus non iustam in [illegible] protulisse sententiam, & de cętero talia non esse passuros &c. Miror autem vos tàm [illegible] audaces esse, & tàm imprudenter egisse, vt terminos, & iura B. Petri Apostolorum principis inuaderetis; sui enim iuris erat, vt absque eius sanctę Sedis auctoritate nullus deberet, aut Concilia celebrare, aut Episcopos ad Synodum conuocare, vel damnare, proprijs Sedibus pellere, & alios in locum eorum ordinare. Quid ergò est aliud talis pręsumptio, quàm Apostolorum, eorumque successorum decreta transgredi?}

Post commemoratos deinceps omnes canones Ecclesiasticos, & Niceni Concilij plurimos, quorum omnium illos transgressores arguit, in illo suo Concilio aduersus fratres, & Coepiscopos innoxios, inquit summoperè mihi, (cui vice Apostolorum Principis, vniuersalis Ecclesiæ cura commissa est) pronidendum est, auxiliante ipso Summo Apostolo, ne deinceps talia fiant. Quoniam ideò sanctæ huic Sedi pręsara priuilegia specialiter sint concessa, tam de congregandis Concilijs, & iudicijs, ac destitutionibus Episcoporum, quàm de grauioribus omnibus Ecclesiasticis negotijs, vt ab ea omnes oppressi auxilium, & iniustè damnati restitutionem assumant. Et ne talia ab improbis præsumantur absque vltione, nec exerceantur absque damnatione; Itaque quoniam non rectè egistis, quod prædicatos fratres calumniari estis, dicente Domino. Non facies calumniam proximo tuo &c. nec rectè egistis, quòd nobis inconsultis Concilium celebrastis, eosque ad Concilium vocastis, & damnare præsumpsistis, canonibus quippe iubentibus, vt præmissum est, nihil ex his absque huius sanctæ Sedis auctoritate fieri debere. Neque rectè egistis, quòd à nobis ad Concilium vocati venire distulistis, quòd contra eos rationem reddere, vt vestra ergo eos, aut probaretur sententia recta, aut improbaretur iniusta; non venistis, nec rationabilem mandastis causam, vt quid hæc renuistis &c. manifestum est vos reos existere, & illos innocentes manere, & vos rectè excommunicatos, illosque iustè liberatos. Hæc Iulius.

Hanc Epistolam his nostris inserere visum est, qua non solùm quid cum illis Episcopis Iulius ageret demonstraretur, verùm etiam complura, quę in ea continentur pręcipuo nostro proposito inseruire dignoscerentur. Et ne de huius Epistolę executione dubitaretur, hęc quę sequuntur testimonia exploratam fidem faciunt.

Et primò Socrates in historia tripartita, hæc habet. Eusebius autem legationem misit ad Iulium Romę Vrbis Episcopum, rogans, vt contrà Athanasium index esset. Sed quę de Athanasio decreuerat Iulius, Eusebius non occurrit, vt cognosceret. Quia dum exiguum tempus vixisset, post Concilium vita priuatus est. Qua propter Constantinopolitani Paulum rursus in Ecclesiam introduxerunt &c. Sed et Vrsacius, & Valens heretici postea libellum pœnitentię Iulio offerentes, & consentientes *homousion* verbo communicare meruerũt. Hactenus socrates.

Quòd quidem latiùs Sozomenus affirmat his, quę sequuntur, verbis. Igitur Athanasius, inquit relinquens Alexandriam Romam profectus est. Contingit autem eo tempore etiam Paulum Constantinopolitanum Pontificem illuc vnà concurrere, & Marcellum Ancirę: Asclepamque Gazę, qui dum Arianis esset aduersus, calumniam passus ab his, quasi subuertisset altare damnatus est. Pro quo Gazæorum Ecclesia Quintiano committitur. Lucianus autem Hadrianopolites Episcopus ob aliam causam accusationis ab Ecclesia sua priuatus, degebat in Vrbe Roma.

Cognoscens verò Romanus Pontifex crimina singulorum, & omnes Niceno Concilio, concordare comperiens, eos in communione suscepit, tamquam omnium curam gerens, propter Sedis propriæ dignitatem, singulisque reddidit suas Ecclesias, & Orientalibus scripsit Episcopis, eos culpans, quòd non rectè tractassent viros inculpabiles, de suis Ecclesijs eos expellentes, & quod constitutiones Niceni Concilij minimè obseruarent. Quorum paucos ad certam diem, sibi met adisse pręcepit, vt coram eis ostenderet, iustum se super illos protulisse decretum.

Et deinceps non se passurum interminatus est, nisi ab huiusmodi turbis, & nouitate cessaret. Et ille quidem hæc sceipsit. Athanasius autem, & Paulus Epistolas Iulij Orientalibus Episcopis miserunt, & singuli eorum suas Sedes adepti sunt. Hæc ille Sozomenus, non quidem Latinus, sed Græcus Auctor.

Et quoniam ex conflictibus, & controuersijs Ecclesiasticis, Romani Pontificis auctoritas maximè demonstratur, Post Pij dicta, & facta, quæ Agapito Pontifici acciderunt, præsertim eum Anthemio visum est etiam hic adscribere.

Cùm igitur Anthemius ille Trapezuntinus antea Episcopus, qui Seueri Antiocheni Episcopi, & Trani Monachi Eutychianę perfidiæ sectatoribus partes sequebatur; fauore Iustiniani Imperatoris, & Theodoræ Augustæ innixus, præter Ecclesiam Constantinopolitanam ob mortem Epiphanij, quasi vi irrepsisset, totius Orientis Orthodoxi Episcopi, Presbyteri, & Clerici ad Agapetum Romanum Episcopum tamquam ad totius Ecclesię caput confugerunt; cui supplices has, quæ sequuntur, literas mittunt.

Domino per omnia, & Sanctissimo, & Beatissimo Patri Patrum Archiepiscopo Romanorum, & Patriarchæ Agapeto Archiepiscopi Orientalis Diœcesis, & hi, qui sub sanctis locis Christi Dei nostri, necnon Ambasidatores, & cæteri Clerici in hac Regia Vrbe congregati.

EX quo Christus Deus noster, pro debitis B. Petro præmijs, propter ipsum in omni tempore cum vna fiducia, sua inuisibili virtute diuulgatam confessionem supra venerabile caput vestrum requiescere fecit, cùm Sedem Apostolicam vobis, Pater Beatissime, commisit, & firmauit super firmam petram, pedes vestros, & direxit gressus vestros, implens os nostrum cantico nouo hymno Deo nostro, secundùm psalmodicum eloquium: clarificati à spiritali splendore vestro; per, quem tamquam lucerna resplendens super candelabro sancto, caliginem eorum, qui in tenebris sedent, & cæcos illuminasti; & oculos mentis eorum aperuisti &c. Cumque nunc sit tempus acceptabile, clamamus Adiuua nos &c. & stude longè expellere illum pollutum, & abdicatum Seuerum, qui anathematibus scriptis ab Apostolica Sede vestra, & à tantis Pontificibus, & in cœlo ab Angelis electis iam condemnatus est. Qui secundùm Euangelicam, & Diuinam vocem cum iniquo, & facinoroso alio Petro suo discipulo appellationem propriam, vsque ad præsens mentiri non erubuit &c. Tollite à nobis citò malos, offerte consuetum sacrificium hoc Deo, & Saluatori pro conseruanda nobis bona defensione, in futuro tremenda iudicio, liberate nos ab omni timore, & hæretica fluctuatione, Ecclesiasticum statum conseruate &c. Iustissimo Imperatori nostro pias, & iustas sententias contrà ipsos prius ab Apostolica Sede vestra prolatas, rursùs exponendo, & statuendo per illas impia scripta igni tradere, & habentes in publicum prodere iuxtà imitationem eorum, qui zelant possidere Manichæa, & illa impia Nestorij, & Eutychetis insensati, & Dioscori patris, & protectoris eorum, sic etiam euacuabitur omnis expectatio his, qui frustrà sperant in eos. Rogamus etiam sanctum, & perfectum finem imponere diuinæ vestræ sententiæ contra Anthemium paternis vestris sanctionibus contrauenientem, vt omne de medio extinguatur scandalum à paruulis in Dominum credentibus, & optatam vocem audietis ab omnibus nobis. Custodiat Dominus, sedem vestram, tamquàm dies sæculi, qui Petri imitatores, & successores existentes nos à tribulatione saluastis, atque eos, qui nos odio habent, confudistis.

Et non solùm has literas, sed aduersus Anthemium eidem Pontifici specialem accusationis libellum miserunt, vt in actis quintæ vniuersalis Synodi commemoratur, rogaruntque Agapetum, vt cum Anthemio suis hęc exigentibus demeritis agat, sicut Beatum Cœlestinum Pontificem legitur cum Nestorio fecisse. Quorum supplicationibus, & suo pastorali officio Agapetus satisfacere volens Seuerum Antiochenum, & Zoarum Monachum Eutychianæ hæresis sectatores, Ecclesiastica censura detestatos, & communione priuatos ab Ecclesia expulit. Anthemium verò Constantinopolitana Ecclesia priuat, cui etiam purgationis Canonicę ità terminum præfixit, vt nisi infra illum, & coram eo se culpa, & suspicione, qua laborabat vacare non demonstrasset, non solùm Pontificali dignitate se eum priuaturum minabatur, verùm etiam eum hæreticum esse declaraturum. Quæ tamen latiùs explicata in actis quintæ Synodi inuenies.

Interim tamen quibusdam grauioribus causis eumdem Agapetum, accidit factum, Constantinopolim proficisci, qui cum ab Imperatore, & Theodora honorificentissimè exciperetur, simulque impetrasset omnia, quorum gratia illuc se contulerat, vicissim Imperator etiam violentis precibus, interdum minis sanctum Pontificem perurgeret, vt Anthemius ab eo damnatus in eius gratiam reciperetur, ac in Constantinopolitanam Ecclesiam eum restitueret, intrepidè hoc pacto Imperatori respondisse legitur. [Ego, inquit, ad Iustinianum Christianissimum Imperatorem venisse putaui, sed Diocletianum inueni.] Quo responso graui tanti Pontificis auctoritate Imperator permotus, Anthemium, eiusque errores detestatus, ac Agapeti sententiæ excommunicationis executor factus: illum relegauit, ac venerabilem Menam ab Agapeto consecratum Episcopum suscepit, & in summa veneratione habuit. Quæ quidem Petro Hierosolymitano Episcopo, alijsque cum eo congregatis, Agapetus his verbis significauit.

Dilecto fratri Petro, Agapetus.

VOluissemus quidem fratres dilecti propter coniunctionem nostræ charitatis, omnes Domini Sacerdotes iuxtà Apostolicam traditionem irreprehensibiles esse, & neminem, aut per gratiam, aut per metum ab Ecclesiasticis Canonibus declinare. Sed quoniam multa multoties subsequuntur, quę pœnitudinem parere possunt, & Dei misericordia delicta peccatorum vincit, & idcircò differtur pœna, & reformatio locum inuenire possit, monere necessarium iudicauimus præuaricatores, & præcepta de cætero in præuaricata custodiantur. Oportebat autem, & vestram charitatem memorem paternarum traditionum, neminem permittere prohibitum facere. Sed si quis audax apparet, tota virtute resistere. Cùm itaque peruenimus ad Comitatum Serenissimi Imperatoris filij nostri, inuenimus Constantinopolitanæ Ecclesię Sedem contra omnem canonum honestatem ab Anthemio Trapezundarum Episcopo inconuenienter vsurpatam, cuius animam non solùm secundùm istam partem, sed quod maius est in confessione veræ fidei, à perditione reducere desiderauimus. Sed Eutychetis errori insistens ad viam veritatis redire contempsit. Vndè cum istius in fide pœnitentiam isto modo frustrà expectaremus, neque sacro, neque catholico nomine dignum sen-

tentiauimus, donec omnia à patribus tradita, per quæ verę religionis fides, & disciplina custoditur, &c. Constantinopolitanæ verò Sedis iniuriam Apostolica auctoritate, & adiutorio pijssimi Imperatoris emendauimus: Admodum quidem morati sumus, quod istud opus apertè contrarium decretis Patrum vestra fraternitas non solùm ad notitiam nostram adducere neglexit, sed etiam reprehensibili consensu confirmauit. Sed re gratiamur Deo, cuius spiritu mala ad melius, vt plurimum vertuntur, vt paruæ transgressiones ad vtilitatem, & occasionem magni fierent gaudij. Hoc autem pro excitanda vestra conspiritualitatis lætitia significo, quod Menam fratrem, & Coepiscopum nostrum virum multis laudum modis ornatum, prædicta Constantinopolitana Ecclesia suscepit Episcopum &c. Cuius hoc dignitati etiam accedere credimus, quod à temporibus B. Petri Apostoli, nullum alium vmquam Orientalis Ecclesiæ suscepit Episcopum manibus nostræ Sedis ordinatum: Et hæc etiam in quinta Synodo, continentur.

Theodota verò Anthemij vices dolens, simulatque mortuo Agapeto, Siluerium successorem scriptis, & nuncijs rogat, & vexat, vt Anthemium in pristinam dignitatem, & Constantinopolitanam Ecclesiam restituat: Cumquè ille nullo pacto prædecessoris sui facta se reuocaturum respondisset, Belisario præcipitur, vt quacumque simulata calumnia Siluerium in exilium mitteret, quibus malis artibus à Belisario executis in Pontianas insulas mittitur.

Quo mortuo, Theodora, cuidam Vigilio, ita fauit, cum qua etiam ille priùs pactus est restituturum Anthemium, vt Pontifex fuerit electus. Quem cum de restituendo Anthemio Theodora pluribus literis requireret, qui etsi malis artibus factus fuerit, cùm illius sacræ Sedis non esset priuilegio destitutus: Augustæ rescripsit, maximo dolore affici, quod illicita insipienter pollicitus fuisset, ac hominem hæreticum a suis prædecessoribus declaratum se restituere non posse. Quibus verbis Augusta vehementer indignata est. Et cùm Pontifex aliquantò post Constantinopolim contendisset, ab Imperatore honorificè exceptus est, atque deindè vehementer rogatus, vt Anthemium restitueret; quod cùm Pontifex facere renueret, primùm multis affectus iniurijs, vnà cum Clero suo, qui Roma secum venerat, in Proconipsum, Gypsumque insulas missus est, qui cùm ad mortem vsque Theodoræ superuixisset, Clero Romano intercedente restitutus est.

Hanc quidem historiam his nostris inserere voluimus, qua non solùm quo pacto Romani Pontifices sua auctoritate vsi fuerint demonstraretur, verùm etiam ex illius Imperatoris, & Augustæ supremæ Romanæ Sedis potestas recognosceretur. Nam si auctoritas illa comperta omnibus non fuisset, quare tot, & tanta cum Pontificibus Imperator, & Augusta egissent, si vno verbo sua Imperiali potentia Menam eijcere, & Anthemium restituere potuissent? Perpendant igitur hæc errantes oues, & resipiscant. Sed de his etiam inferiùs.

Dioscorus Alexandrinus Episcopus, vnà cum tot in Ephesina secunda Synodo secum congregatis Episcopis, & Anatolius Flauiani successor vsum auctoritatis Romani Pontificis experti, testes esse possunt, quorum alter quamuis generale Concilium fautorem habuerit, à Leone tamen Pontifice sede Alexandrina, ac vniuersa Ecclesia eiectus est. Alter verò suis etiam demeritis quibusdam interiectis conditionibus ad tempus suo munere, quo fungebatur suspensus est.

Nec enim, inquit, Leo Papa, ad negligentiam rectoris referatur, si quisquam in Ecclesia catholica ea prædicare præsumeret, quæ hæreticorum sensibus conuenirent, vt coegerit ad suum pręscriptum ordinare Constantinopolitanā Ecclesiam, quo tentauerat, & in assensum indicauerat Chalcedonensem Synodum, ex eiusdem Epistolis clariùs intelliges &c. quamuis Martiani Imperatoris precibus reconciliatus est, ea tamen lege factum fuit, vt reiectis à sua Ecclesia Andreæ, & Euphratis ritibus, eamdem Ecclesiam debitis regulis disponeret. Hæc & plura habet in 45. epistola ad præfatum Anatolium scripta. De quibus etiam infrà.

Nec te prætereat D. Ioannis Chrysostomi, Paulini, & Euagrij factum. Nam cùm omnes ferè Orientales Episcopi etiam coacta Synodo eos interposita sententia damnassent, Innocentius Papa non modò latam illorum sententiam reuocauit, verùm etiam quotquot illius sententiæ auctores fuisse comperit, censuris Ecclesiasticis subiecit: Et Alexander Antiochenus Patriarcha, vnus de numero, non nisi præmissa satisfactione, & per speciales nuncios ex Oriente Romam missos, reconciliari meruit.

Idemque Attico Constantinopolitano accidit, esto quod Maximianus Apostolicæ Sedis in Oriente legatus, pro eo deprecatus fuerit.

Nec omittenda est sequens Innocentij epistola de Alexandro, & Antiochena Ecclesia ad Bonifacium presbyterum. Ecclesia, inquit, Antiochena, quam priusquàm ad Vrbem peruenisset Romam Beatus Apostolus Petrus sua præsentia illustrauit velut germana Ecclesiæ Romanæ, diù se ab eadem alienam esse passa non est. Nam missis legatis ità in pacem postulauit, & meruit, vt Euagrianos suis ordinibus, ac locis intemerata ordinatione, quam acceperant à memorato susciperet. Et Ioannes sanctæ memoriæ, vel clericos, vel laicos in vnum colligeret, atque congregaret. Permittens ipsius Episcopus frater meus Alexander, vt si quid fortè à nobis, vel aliundè posterioris ordinationis ad eosdem venerit, se sine controuersia recepturum, ac nomen Episcopi memoratum inter quiescentes Episcopos recitaturum. Cui rei nos, noueris tradidisse manus, frater carissime, & eos in nostra viscera recepisse. Ne diu membra, quæ requisierant sanitatem, ab vnitate corporis haberentur aliena &c.

De Attico verò, idem Maximiano, in hęc verba respondit: Communio, inquit, suspensa restituitur demonstranti causas, quibus id acciderat iam esse detersas, & profitenti conditiones pacis impletas. Quod neque vos, neque apud nos Atticus missis aliquibus suorum, vel dicere voluit, vel demonstrare

strare completum. quemadmodum Antiochenæ Ecclesiæ frater, & Coepiscopus noster Alexander, digna legatione prosecutus est, & probauit. &c. Vniuersa, quæ apud Antiochiam fieri debuerant fuisse completa. Quorum amplexati pacem, vtique fidem fecimus, & magno tramite eamdem, quam præstolaris, ostendimus: Si modò quæ discussa sunt, & completa ab alijs, etiam ipsi pro suo loco fecisse, vel compleuisse aliquando monstrauerint, communionemque, vt isti, legatione solemniter destinata sibi rogauerint redhiberi. Expectamus ergo, & professionem memorati de completis omnibus conditionibus, quas diuersis temporibus ediximus, & petitionem communionis, vt rectè, & petenti, & probanti, se eamdem mereri, reddaious frater carissime, &c.

Nec minùs Simplicius Romanus Episcopus suis verbis, & factis suæ auctoritatis præeminentiam io Oriente demonstrauit, nam cum in locum B. Proterij ab hæreticis trucidati, Timotheus, non ille Dioscori sectator, sed alter, legitimè suffectus esset, & vnà cum Petro mortuo Leone Jmperatore, qui Apostolicæ Sedis sententiæ optimus erat executor; Basilius inuasit Imperium, & republica turbata Timotheus Orthodoxus eijcitur: sed postquam Zeno legitimum suum recuperauit Imperium, Timotheus restitutus est: Quemadmodum Acatij Constantinopolitani Episcopi ad Simplicianum Pontificem sequens Epistola latiùs ostendit.

[Sollicitudinem, inquit omnium Ecclesiarum circumferentes: nos indesinenter hortamini, quamuis spontè vigilantes, & præcurrentes, sed vos Diuino Zelo sollicitos demonstratis statum Alexandrinæ Ecclesiæ certiùs requirentes, vt pro paternis canonibus suscipiatis laborem pijssimo stillantes sudore pro his, sicut semper est approbatum. Sed Christus Deus noster, qui diligentiùs se in bonum cooperatur, nostris cogitationibus insistens,& vosm nobis in his mentem,& eamdem gloriam esse cognoscens, omnem victoriam ipse perfecit consortes nos cum tranquillissimo Principe faciens. Et Timotheum quidem decessorem spirantem procellas,& Ecclesiasticam tranquillitatem, sicuti apparuit conturbantem, vitæ sobtraxit humanæ, dicens ei Tace, & obmutesce. Petrum quoque, qoi ab Alexandria more similis procellæ surrexerat, dissputauit, atque in æternam fugam Sancto spiritu flante conuertit vouni ex his, qui olim damnati fuerant, Qui Petrus noctis existens filius & operum diei luceotium alienus apparens, omnino tenebras ad latrocinium suum congruas, peragendum inueniens, media nocte adhuc iacente cadauere illius, qui paternos canones sobuerterat, insepulto subripuit in sedem, & Episcopalē Cathedram temerarius vastator ihnasit, vno & solo præsente eo, qui concors illius insistebat insaniæ, qui nusquam penitus postea comparuit, Timotheus autem,qui Dauidicæ mansuetudinis exemplo subditur, & vsque in finem patiens, potestatis propriæ restitutus à Christo propriæ Sedis honore lætatur, &c. Hæc Acatius.

Quæ quidem historia ex his, qoæ sequuntur latiùs demonstrabitur: Acatius verò cum delegatione Apostolica sibi demandata abuteretur, præsertim in iocum demortui Timothei, fauori Zenonis Imperatoris inoixus, Petrum nuper damnatum substituendo, dum ad Sulpitium Romam pro confirmatione mittunt, alia Ioannis legitima electio, violentam præuenit, quam nulla prorsùs Imperatoris,& Acacij habita ratione,Simplicius confirmauit: nec Imperatoris indignatio egit, quo minùs canonica Ioannis electio suum sortiretur effectum, & ad finem vsque vitæ suæ, Alexandrinæ Ecclesiæ præfuit.

369. Mortuo deinde Simplicio Felix Secundus successit, qui primo quoque tempore Acatium damnat, ac Ecclesiasticę censurę submittit, propterea quòd cum Petro supramemorato magna necessitudine coniunctus esset. Et quamuis Zeno Imperator apud Pontificem multa egisset, vt Acatio noxa dimitteretur, attamen Missenum, & Vitalem Episcopos eò misit Pontifex, vt congrua Acatij pęnitentia,& satisfactione Ecclesiasticę communioni restituere possent: sed cum primùm isti Eradeum ingressi sunt, vt à muneribus moti perditis cum illis censuraris, se immiscerent. Pontifex dignitate, & fidelium communione illos etiam priuauit, quemadmodum epistola, quę sequitur ad Acatium latiùs continetur.

Felix Episcopus S. Ecclesiæ Catholicæ Vrbis Romæ Acatio.

MVltarum trangressionum reperiris obnoxius, & in venerabilis Concilij Nicęni contumelia sępe versatus, alienarum tibi prouinciarum iura temerariè vindicasti, hęreticos, & peruersores, & ab hęreticis ordinatos, quos ipse damnaueras, atque ab Apostolica Sede petisti damnari, non otodò communioni tuę recipiendos putasti, verùm etiam alijs Ecclesijs, quod necde catholicis fieri poterat, pręsidere fecisti, atque etiam honoribus, quos non merebantur, auxisti. Testatur hoc Ioannes, quem à Catholicia Apameę non receptum, pulsumque de Antiochia, Tyris pręfecisti; Et Humerius, tunc dę Diacono eiectus, atque Christiani nominis appellatione priuatus, à te etiam ad presbyterij prouectus officium. Et quasi hęc minora tibi viderentur in ipsam doctrinę Apostolicę veritatem ausus tuos, & superbiam tetendisti, vt Petrus, quem damnatum à S. mem. decessore meo ipse retuleras, sicut testantur annexa, B. Euangelistę sedem, te iubente rursus inuaderet, & fugatis othodoxis Episcopis, & clericis sui proculdubio similes ordinaret, pulsoque eo, qui fuerat regulariter constitutus, captiuam tenent Ecclesiam. Cuius adeò grata persona est, & acceptum ministerium, vt Episcopos, & clericos plurimos Orthodoxos eune Constantinopolim venientes, detegaris afflixisse, & Apocrysario eius fauere, atque Anathematizantem eumdem Petrum Chalcedonensis decreta Concilij, & violantem sanctę memorię Timothei sepulturam, sicut ad oos certiores quoque Nuntij pertulerunt, per Missenum, & Vitalem crederes excusandum, nec eum laudare desineres, & multis efferre pręconijs,

conijs, ità vt damnationem ipsius, quam ante retuleras, veram non fuisse iactares. Tantum autem perseueras in hominis damnatione peruersi, vt quosdam Episcopos, nunc vero honore, & communione priuatos Vitalem, atque Missenum, quos ad eius expulsionem specialiter miseramus; sublatos, custodię passus fueris mancipari, atque ad processionem, quę tibi cum hęreticus habebatur exinde productos, sicut eorum professionibus patefactum est ad hęreticorum, tuamque communionem, contempta, quæ vel gentium iure seruari debet legatione, pertraheres, præmijsque corrumperes, & in læsionem Beati Petri Apostoli, à cuius Sede profecti fuerant, non solùm inefficaces redire faceres, sed etiam impugnatores omnium, quæ fuerant mandata monstrares. In quorum deceptione tuam nequitiam prodidisti. Et libello fratris, & Coepiscopi mei Ioannis, qui te grauissimis obiectionibus impediuit, quod Apostolicam Sedem secundùm canones respondere diffidens, obiecta firmasti, &c. Eos quoque literis tecum communicare testatus, quos constat esse hæreticos. Quid enim fuit aliud, qui post obitum S. memoriæ Timothei ad Alexandrinam Ecclesiam sub Petro tedeunt, quàm quòd Petrus ab vniuersa Ecclesia, atque à te fuerat iudicatum? Habe ergo cum his, quos libenter accepisti, & amplecteris portionem, & sententia præsenti, quam per tuę tibi direximus Ecclesiæ defensorem Sacerdotali honore, & communione catholica, necnon etiam à fidelium numero segregatus, sublatum tibi nomen, & munus ministerij Sacerdotalis, agnosce, Spiritus sancti iudicio, & Apostolica per nos auctoritate damnatus, nec iam anathematis vinculis eruendus. Hæc ille felix, quibus demonstrat, quam super omnes habeat facultatem.

Sed inquisitus Acatius, ac cum Petro deterior factus fauore Anastasij Imperatoris suffultus, qui Zeno successit aliquot Episcopis congregatis, Ioannem Alexandrinum Episcopum, & Kalendionem Antiochenum à suis Ecclesijs reijciendos esse decernunt, ac Petrum hæreticum Alexandrinę Ecclesiæ sufficiendum.

Aduersùs quos Beatus Gelasius Felicis successor multis modis se opposuit, nam Ioannem, cæterosque ab illis perfidis eiectis honorificè excepit, comiterque tractauit, neque minis totius Orientis perterritus est, quominus his, ac alijs in rebus non ageret, quæ Summum Pastorem decebat. Et cum ad Anastasium perlatum esset, se etiam cum alijs à Gelasio excommunicatum esse, Hæc scripsit Gelasius. Ego quoque, inquit, mente percepi, Græcos in sua obstinatione mansuros, ne cui velut insperatum videri possit, quod est ante præcognitum, &c. Quid sibi vult antem, quod dixerit Imperator à nobis se in religione damnatum? Cum super hac parte, & prædecessor meus, non solùm nomen eius minimè attigerit, sed insuper, quando principatum adeptus regiæ potestatis exercuit, in eius se rescripsit Imperij promotione gaudere, & ego nulla ipsius vnquam scripta perspiciens, honorificis nostris eum literis salutare curauerim. Prædecessores mei Sacerdotes, qui præuaricatoribus se communicasse, propria voce confessi sunt, à communione eos Apostolica submouerunt. Si autem illi placet se miscere damnatis, nobis non potest imputari, si cum eis velit abscedere. Imò tantò magis nobis non potest dici damnatus: sed potiùs ad gratiam sinceræ communionis admissus, &c. Quibus verbis tametsi Imperatorem benignè alloquitur, percipi tamen potest eius potestas, & Imperatoris censurarum timor; Deinde illos redarguere volens, qui Acatium esse restituendum precibus postulabant, hæc scripsit. Legatur, inquit, ex quo est religio Christiana, vel certè detur exemplum in Ecclesia Dei, à quibuslibet Pontificibus, aut ab ipsis Apostolis, ab ipso denique Saluatore veniam non se corrigentibus fuisse concessam. Auditum autem sub cælo, nec legitur, nec dicitur quod istorum voce deponimur. Date nobis veniam, vt tamen nos in errore duremus. Ostendant, qui nobis canones nituntur opponere, quibus hoc canonibus, quibus regulis, qua scriptura, quoque documento, siue à maioribus nostris, siue ab ipsis Apostolis, quos potiores meritò fuisse, non dubium est, seu ab ipso Domino Saluatore, qui iudicaturus creditur viuos, & mortuos, sine factum esse vnquam, seu mandatum vt fieret, ostenditur. Mortuos suscitasse legimus Christum, in errore mortuos absoluisse non legimus, & qui hoc certam faciendi solus habuit potestatem, B. Petro principaliter mandat Apostolo. Quę ligaueris super terram, ligata erunt in cęlo, super terram, inquit, nàm in hac ligatione defunctum nunquam dicit absolui. Quod ergo nunquam factum est, vel cogitatione percipere formidamus, scientes in Diuino Iudicio non posse penitùs excusari. Si autem, quod nunc prætendunt, à Romana Ecclesia se diuisisti sunt, (quod iamdudum fecisse monstrantur) minus miror si ignorantiam suam ipse non perspicit, qui dicit, Acatium ab vno non potiùs se damnari. Ita nec perspicio secundùm formam Chalcedonensis Concilij fuisse damnatum Acatium? &c. Nobis opponunt canones, dum nesciunt, quid loquantur, contra quos hoc ipso venire se produnt, quod primæ Sedi sana, rectaque iubenti parere refugiunt. Ipsi sunt Canones, qui appellationes totius Ecclesiæ ad huius Sedis examen voluere deferri, ab ipsa verò nusquam prorsùs appellari debere sanciuerunt, ac per hoc illam de tota Ecclesia iudicare, ipsam verò ad nullius conuenire iudicium, nec de eius iudicio vnquam iudicare præceperunt, sed sententiam ab illa constitutam non oportere dissolui, cuius potiùs decreta omnibus sequenda mandarunt. In hac ipsa causa Timotheus Alexandrinus, Petrus Antiochenus, alter Petrus, Paulus, Ioannes, & cæteri non solùm vnus, sed plures nomen Sacerdotij præferentes, sola Sedis Apostolicæ sunt auctoritate deiecti. Cuius rei testis doceretur etiam ipse Acatius, qui præceptionis huius extitit executor. Quod vtique sicut Apostolicam Sedem iuxtà formam synodicam fecisse manifestum est, sic neminem resultare potuisse, certissimum. Hoc igitur modo recidens in consortium damnatorum, damnatus est Acatius, qui eorum dam-

damnationem priùsquam præuaricator existeret, fuerat executus. Nobis ausi sunt facere canonum mentionem, contra quos semper illicitis ambitionibus venisse monstrantur? Qua in synodo, vel secundùm cuius synodi formam Alexandrinum Ioannem de Ecclesia, cui ordinatus fuerat expulerunt? &c. Quod si dicunt, Imperator hoc fecit, quibus canonibus, quibus regulis hoc factum est? Cur huic tam prauo facto consentit Acatius? cùm Auctoritas dicat Diuina; non solùm faciunt praua reos esse, sed etiam qui consentiunt facientibus. Quibus canonibus, quibusuè regulis Kalendion exclusus est, vel primi Vrbium diuersarum Catholici Sacerdotes? Qua traditione maiorum Apostolicam Sedem in iudicium vocant? An secundę Sedis Antistites, & tertię, cæterique sibi conscij Sacerdotes depelli debuerunt, & qui religionis extitit inimicus depelli non debuit? Viderint ergo si alios habent Canones, quibus ineptias suas exequantur. Cęterum isti, qui Sacri, qui Ecclesiastici, qui legitimi celebrantur, solam Sedem Apostolicam, ad iudicium conuocari non sinunt, & Constantinopolitanæ Ecclesiæ, quæ vtiquè secundùm Canones inter sedes nullum nomen accepit, Episcopus in communionem recidens, perfidorum non debuit submoueri, &c. sed religiosi scilicet viri, atque perfecti secundùm Canones, concessam Apostolicæ Sedi potestatem conantur eripere, & sibimet eam contra Canones vsurpare contendunt. Et Canonum magistros, atque custodes, &c. Hæc ille Gelasius. Et cum hæc omnia agerentur, nemo tamen ex illis negare ausus est, quod hic Gelasius iure scribebat, ac exequebatur.

Et cupiens Anastasio persuadere iustè Acatium damnatum esse, ac Pontificiæ dignitati ab omnibus parendum esse. Hæc adiecit.

Etsi, inquit, cunctis generaliter Sacerdotibus rectè Diuina tractantibus fidelium conuenit corda submitti, quantò potiùs sedis illius Præsuli consensus est adhibendus, quem cunctis Sacerdotibus, & Diuinitas summa voluit præeminere, & subsequens Ecclesię generalis iugiter pietas celebrauit? Vbi pietas tua euidenter aduertit numquam quolibet humano consilio, super eleuare se quempiam posse illius priuilegio, quem Christi voce prętulit vniuersis. Cuius Ecclesia veneranda, semper confessa est, & obseruat denota primatum. Impeti verò possunt humanis præsumptionibus, quæ diuino sunt Iudicio constituta: vinci autem quorumlibet potestate non possunt, &c. Hęc in epistola ad Athanasium.

At verò iusta Acatij damnatio, & Orientalium irrationale schisma, Dardaniæ Episcopis innotesceret, pręsertim cùm ipsi Gelasio scripserint, aduersarios putare Acatium non esse iure damnatum, propterea quod Regiæ Ciuitatis Episcopus esset, ideo multis rationibus, multisque exemplis priùs demonstrat hæreticos, eorumque sectatores, & complices pari pæna plectendos esse, idque officium Sedis Apostolicæ potissimum esse, & adiecit. Vnamquamque inquit, synodum, sua auctoritate confirmat, & continua moderatione custodit pro suo videlicet principatu, quem B. Petrus Domini voce perceptum, tota Christi Ecclesia consentiente; & retinuit semper & retinet, &c. Ideo autem iustè damnatum Acatium, quod proprijs literis confessus fuerat se Petri illius Alexandrini, quem expetita Sedis Apostolicæ auctoritate executor ipse quoque damnauerat, se communione permixtum. Damnati siquidem erroris communicator effectus, præscriptæ etiam damnationis particeps extitit. Quoniam error, qui semel cum suo auctore damnatus est, in participe quolibet prauæ communionis affectum, & exerationem sui gestat, & pænam. Quo renore Timotheus etiam, atque ipse alexandrinus Petrus, qui secundam certè Sedem tenuisse videbantur, non repetita synodo, sed auctoritate tantummodò Sedis Apostolicæ, ipso quoque Acatio postulante, vel exequente, probantur esse damnati, &c. Nec planè inquit, tacemus, quod cuncta per mundum nouit Ecclesia, quoniam non quorumlibet sententia Pontificum, ligata à Sede Beati Petri ius habeat resoluendi, vtpote quę de omni Ecclesia ius habeat iudicandi, nec de eius licet iudicare iudicio. Siquidem ad illam de qualibet mundi parte Canones appellare voluerunt. Ab illa autem nemo appellare permissus est, &c. sed nec illa præterimus, quod Apostolica Sedes, sicut frequenter dictum est, more maiorum sine vlla synodo præcedente soluendi quos synodus iniqua damnauerat, & damnandi nulla existente synodo, quos oportuit, habuerit facultatem. Id quod clarissimis comprobat, euidentissimisque exemplis.

Sanctæ quippe memoriæ Athanasium, Synodus Orientalis addixerat, quem tamen exceptum Sedes Apostolica, quia damnationi Græcorum non consenserat, absoluit. Nihil minus sanctæ memoriæ Ioannem Constantinopolitanum Synodus etiam catholicorum Præsulum damnauerat, quem simili modo Sedes Apostolica sola, quia non consensit absoluit; Itemque sanctum Flauianum Pontificem Græcorum congregatione damnatum pari tenore sola Apostolica Sedes absoluit, atque eum potius, qui illius damnationis auctor fuerat, Dioscorum secundę sedis Præsulem sua auctoritate damnauit, & impiam Synodum non consentiendo sola submouit, ac veritatem tutata, vt Chalcedonensis Synodus fieret, sola decreuit, & hoc nimirum pro suo illo principatu, quem beatus Petrus Domini voce perceptum, & tenuit semper, & tenebit: sicut ergò sola ius habuit absoluendi eos, quos Synodica decreta pertulerant, sic etiam sine Synodo in eadē causa multos etiā Metropolitanos damnasse cognoscitur &c.

Ridiculum verò est, quod prærogatiuam volunt Acatio comparari, ex eo quòd Episcopus fuerit Ciuitatis Regiæ. Numquid apud Mediolanum, apud Rauennam, apud Sirmium, apud Treuiros multis temporibus non constitit Imperator? Numquid harum Vrbium Sacerdotes vltrà mensuram, sibi antiquitus deputatam, quippiam suis dignitatibus vsurparunt? Certè si de dignitate agitur Ciuitatum, secundæ Sedis, & tertiæ, maior est dignitas Sacerdotum, quàm eius Ciuitatis, quæ non solùm inter Sedes principales minimè numeratur, sed nec inter Metropolita-

iitanorum iura censetur. Nam quod dicitis Regiæ Ciuitatis Episcopum; alia est potestas regni secularis, alia Ecclesiasticarum distributio dignitatum sicut enim quamuis parua ciuitatis prærogatiuam præsentis regni non minuit, sic Imperialis præsentia mensuram dispensationis religiosæ non mutat.

Post hæc autem Gelasij illustria dicta, & facta, cùm ipse, & Anastasius, dispari vita, & morte, naturæ concessissent, Hermisda, & Iustinianus Imperator in demortuorum dignitatibus suffecti sunt. Iustinianus verò pius, & prudens princeps, cùm primum Imperij gubernacula suscepisset, impia prædecessoris facta expirare cupiens, & Ecclesiæ tranquillitatem restituere, primum omnium Apostolicam Sedem, honorificentissima legatione consuluit, omnium reuerentia eius communionem petens, necnon Ioannis Constantinopolitanę Ecclesię eiecti Episcopi confirmationem. At Hormisda Pontifex, acceptis Imperatoris literis, Germanum Capuanam Episcopum, & Ioannem, & Blandum Vrbis Romæ Presbyteros, vnà cum quibusdam alijs, legatos ad Imperatorem misit, illisque præscripta forma præcepit, vt si Ioannem, Ecclesiamque Constantinopolitanam recipi merentur in gratiã, electum confirmarent. Quod cùm honorificè ab omnibus recepti essent, iuxtà Pont. præscriptum omnium cum lętitia Episcopum confirmarunt, quæ quidem in actis, qui antè Constantinopolitanæ Synodi, & ex diuersorum literis, præsertim Imperatoris, & Ioannis ad Pontificem latiùs apparent. Iustinus autem Pontifici Hormisdæ in hęc verba scripsit.

[Sacratissimo, & Beatissimo Archiepiscopo Almæ Vrbis Romæ, & Patriarchæ, Iustinus Imperator. Scias nobis, Pater religiosissime, quod diù summis studijs, quęrebatur patefactum, etiam antequam aduenirent, qui à vobis destinati sunt, quod Ioannes vir Beatiss. Antistes nostræ Romæ noster, vnà cum clero vobis consentiunt, nullis diuisi discordijs. Scias libellum ab eo subscriptum, quem offerendum iudicaueras SS. Patrum Concilio congruentem, quò omnes concurrunt, alacri opera suscipientes acta, tam nostra, quàm Constantinopolitanæ Sedis, quos veritatis coruscans fulgor illuminat. Omnes accelerant libentissimè, quos delectat via dilucida, vt sequantur sciti Patrum sanctissima, leges probatissimas, & consilijs quorumdam firmatis, qui rectum tenebant tramitem, aliorum correctis, qui vagabantur incerti, in eo res colligitur, vt vnitatem indiuiduæ Trinitatis ipsi quoque in vnitate colant mentium, negatum est inter Diuina Mysteria in posterum fieri præuaricationis Acarij mentionem quondam regiæ huius Vrbis Episcopi, necnon, & aliorum Sacerdotum, qui vel primi contra statuta venerunt Apostolica, vel successores erroris facti sunt, & nulla vsque ad vltimum diem sunt pęnitentia correcti: Et quoniam omnes nostræ religionis admonendi sunt, vt exemplum sequantur Ciuitatis regiæ, destinando vbique principalia præcepta ediximus &c. Oret igitur vestræ religionis sanctitas, vt quod peruigili studio pro concordia Ecclesiarum catholicæ fidei procuratur Diuini muneris opitulatio, iugi perpetuitate seruare annuat. Datum &c.

Cuius autem formæ Ioannis confessio fuerit, in Epistola, quam Pontif. Hormisdæ scripsit diffusè videri potest: Necnon in Epistolis, quas idem Ioannes Episcopis Hispaniarum scripsit, easdem literas, ac libelli formam inseruit, vt illis, de hac re illum ipsum consulentibus, notum esset, qua forma recipiendi essent illi, qui ex eodem schismate ad eos accederent, asserens quoque eos omnes, qui de Thraciæ, Scythiæ, Illiricique regionibus, necnon, & Syriæ eadem forma fuisse receptos. Epistolæ verò illius exemplum, hoc est quod sequitur.

Redditis, inquit, mihi vestræ sanctitatis literis, in Christo frater carissime; nuper per Gratum clarissimum comitem; nunc verò per Germanum, & Ioannem Reuerendissimos Episcopos, & Felicem, & Dioscorum sanctissimos Diaconos, & Blandum presbyterum, lętatus sum de speciali charitatis vestræ sanctitate, quòd vnitatem Ecclesiarum Dei, secundùm veterum Patrum requiris traditionem; & dilaceratores rationabilis gregis Christi amore pulsare festinas. Certius igitur scito per omnia sanctissime, quia secundùm quod vobis scripsi, tecum cum veritate consentiens, omnes à te repudiatos hæreticos renno &c. omnibus actis à sanctissimis Quatuor Synodis, Nicœna, Constantinopolitana, Ephesina, & Chalcedonensi, de confirmatione fidei, instituta esse Ecclesia assentior, & nihil turbari de benè iudicatis patior, sed & Canones in ipsis, vsque ad vnum Apicem placitorum turbare, lapsos esse à sancta Dei generali, & Apostolica Ecclesia scio. Et his verbis scio dictis euidenter vtens, per præsentia scripta hæc dico. Quia prima salus est rectæ fidei regulam custodire, & à Patrum traditione nullatenus deuiare. Et quia non potest Domini Iesu falli præsertim sententia dicentis. Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portę inferorum non præualebunt aduersus eam. Atque hæc ipsa dicta sunt, rerum comprobantur effectibus. Quoniam in Apostolica Sede inuiolabilis semper fides catholica custoditur. Hæc igitur fides est, à qua, nec cadere cupientes, sed Patrum sequentes in omnibus constituta, Anathematizamus omnes hæreses, & præcipuè Nestorium hæreticum, qui quondam Constantinopolitanæ Vrbis fuit Episcopus, damnatum in Concilio Ephesino à B. Cęlestino Papa Vrbis Romæ, & à venerabili Cyrillo Episcopo Alexandrinæ Ciuitatis, & vnà cum illo Anathematizamus, & Eutychetem, & Dioscorum Alexandrinæ Ciuitatis Episcopum damnatum in sancta Synodo Chalcedonensi, quam venerantes sequimur, & amplectimur, quæ sequens sanctam Nicœnam Synodum Apostolicam fidem prædicauit. His coniungentes Timotheum Parricidam Hellurum cognominatum, Anathematizamus, & huius discipulum, & sequacem in omnibus Petrum Alexandrinum, similiter condemnantes Anathematizamus similiter Acacium, quondam Constantinopolitanę Vrbis Episcopum, complicem eorum, & sequacem factum, necnon perseuerantem in eorum communione, & participatione. Quorum etiam quis communionem amplectitur, eorum etiam similem adiu-

adindicationem in condemnatione consequitur. Simili modo, & Petrum Antiochenum condemnantes anathematizamus cum sequacibus suis, & omnibus supradictis. Vnde probamus, & amplectimur epistolas omnes Beati Leonis Papæ Vrbis Romæ, quas conscripsit de recta fide. Quapropter sicut prædiximus sequentes in omnibus sedem Apostolicam, prædicamus etiam omnia, quæ ab ipsa decreta sunt. Et propterea spero in vna communione vobiscum, quam Apostolica Sedes prædicat me futurum, in qua est semper integra deuotio Christianę religionis, & perfecta soliditas. Promittens in sequenti tempore sequestratos à communione Ecclesiæ Catholicæ, idest in omnibus non consentientes Sedi Apostolicæ, eorum nomina inter sacra non esse recitanda mysteria. Quod si in aliquo à professione hac mea deuiare tentauero, his, quos condemnaui, etiam per condemnationem propriam, consortem me esse profitebor. Huic verò professioni subscripsi manu mea, & direxi præscripta tibi Hormisdæ sancto, & Beatissimo Patri, & Papæ Magnæ Romæ per supradictos Germanum, & Ioannem venerabiles Episcopos. Felicem, & Dioscorum Diacones, & Blandum Presbyterum. Huic suæ professioni propria manu subscripsit in hæc verba. Ioannes misericordia Dei Episcopus Constantinopolitanæ Ecclesiæ nouellæ Romæ huic meæ professioni consentiens omnibus supradictis subscripsi sanus in Domino. Dat. Mense Martio die 28. indictione 11. Consulibus D. Iustino, Imp. Augusto, & Heraclio IV.

Et vt ad pijssimi Iustini Imperatoris illustria facinora reuertamur, volens ipse omninò Ecclesiarum, & Episcoporum tranquillam pacem restituere, ac ab omnium iacturæ præteritę meritò suspicionem auferre. Denuò Romanum Pontificem per suos legatos consuluit, eumque deprecatus est, vt non Acatium, non vtriusque Petri, non Dioscori, aut Timothei, quorum nomina, inquit darę ad nos S. V. literę, contrinebant, sed quos in alijs celebrauit ciuitatibus populorum reuerentia, & hęc exceptis vrbibus, vbi vestrę beatitudinis libellus in plenum admissus est. Nisi hanc quoque partem beneuolentia vestra statuerit, mitiùs corrigenda, & hoc quidem non dubitaueris ità nobis gratiosum futurum, vt pacifico statim responso lętior mundus reddatur. His duabus epistolis satis constat, quid de Romanorum Episcoporum auctoritate, Ecclesiastici, & Laici ea ętate senserint.

Verùm inter primę classis Heroes Damasus omittendus non erat, qui de Petri, ac successorum auctoritate ad Stephanum Archidiaconum, & ad Concilium Mauritanię, aliosque Africanos Episcopos scribens, ait. Scito frater carissime firmamentum à Deo fixum, & immobile, atque titulum lucidissimum suorum Sacerdotum, idest omnium Episcoporum, Apostolicam esse Sedem constituram, & verticem Ecclesiarum. Tu es enim, sicut Diuinum pronunciat verbum, Petrus, & super firmamentum tuum Ecclesię columnę, qui Episcopi intelliguntur, confirmati sunt, & tibi claues regni cœlorum commisię, atque ligandi, & soluendi potestatem, quę in cęlis sunt, & quę in terris, promulgaui. Tu probatorum hominum; & membrorum meorum, maximèque discipulorum existis, vt princeps, & Doctor Orthodoxę, & immaculatę fidei, cuius vice hodie, gratia Dei legatione pro Christo fungimur, & omnes huius Sanctę Sedis Pręsules, eius vicem gesserunt, gerunt, & gerent. Quem Damasum quanti D. Hieronymus fecerit, complura sua dicta ostendunt.

Gelasius verò iterum, atque iterum ad Dardanides Episcopos in hæc verba scripsit. Prima Sedes Romana, scilicet vnamquamque Synodum sua auctoritate confirmat, & continua moderatione custodit, pro suo scilicet principatum, quem B. Petrus Apostolus Domini voce perceptum, Ecclesia nihilominùs subsequens, & tenuit, & semper tenebit.

Pelagius Secundus inter cętera, hęc suis dictis annectit. Quare quicquid in prædicto vestro conuenticulo statuistis, auctoritate S. Petri Apostolorum Principis, & Domini Saluatoris voce, qua B. Petro potestatem ligandi dedit ipse, quæ etiam potestas in successores eius indubitanter transiuit, præcipio omnia, quæ ibi statuisti vana, & cassa esse &c.

Idem, & denuò sanctissimus Innocentius ad Victricium Episcopum Rothomagensem, [si quæ causæ inquit, vel contentiones inter clericos, vel inter laicos, & clericos, tam superioris gradus, quàm etiam inferioris fuerint exortæ, placuit, vt secundùm Synodum Nicęnam, congregatis omnibus eiusdem Prouinciæ Episcopis, iudicium terminetur, neque alicui liceat sine præiudicio tamen Romanæ Ecclesiæ, cui omnibus causis debetur reuerentia custodiri, relictis Sacerdotibus nutu diuino gubernantibus ad alias conuolare Prouincias, aut aliarum Prouinciarum Episcoporum priùs iudicium experiri. Si autem maiores causæ in medium fuerint deuolutæ, ad Sedem Apostolicam, sicut Synodus statuit, & beata consuetudo exigit post iudicium Episcopale referantur.

Ex D. autem Augustino ad Innocentium Papam nomine Mileuitani Concilij scribente, hæc inueniuntur.

[Quia te Dominus gratiæ suę præcipuo munere in Sede Apostolica collocauit, taleinque te nostris temporibus præstitit, vt nobis potiùs ad culpam negligentiæ valeat, si apud tuam venerationem, quæ pro Ecclesia suggerenda sunt, tacuerint, quàm ea tu possis, vel negligenter, vel fastidiosè accipere, magnis periculis infirmorum membrorum Christi Pastoralem diligentiam, quæsumus adhibere digneris.

Quibus sic respondet Innocentius. [Inter cæteras Romanæ Ecclesiæ curas, & Apostolicæ Sedis occupationes; quibus diuersa fideli, ac modica disputatione tractaturus, & infra. Diligenter ergò, & congruè Apostolico consulatis honori, inquam honori illius, quem præter illa, quæ extrinsecùs sollicitudo manet omnium Ecclesiarum super auxijs rebus, quæ hic tenenda sententia, antiquæ scilicèt regulæ formam secuti, quam toto semper ab orbe mecum noscis esse seruatam, verùm hæc missa facio, neque enim hoc credò vestram latere prudentiam, quod etiam actione firmastis, scientes quod per omnes Prouincias de Apostolico fonte petentibus re-

sponsa semper emanent, præsertim quoties fidei ratio ventilatur, arbitror omnes fratres Coepiscopos nostros, nonnisi ad Petrum, idest ad sui nominis auctorem referre debere, velut nunc retulit vestra dilectio, quod per totum mundum possit omnibus Ecclesijs in communi prodesse.]

Idem in alia epistola eidem Concilio, [in requirendis, inquit, his rebus, quas omni cum sollicitudine decere à Sacerdotibus, maximè à vero, iustoque, & Catholico tractari Concilio, antiquæ traditionis exempla seruantes, & Ecclesiasticæ memores disciplinæ nostræ religionis vigorem, non minùs nunc in consulendo, quàm antea, cum pronunciareeis, vera ratione firmatis, qui ad nostrum referendum approbastis esse iudicium, scientes, quid Apostolicæ Sedi, cùm omnes hoc loco positi, ipsum sequi desideramus Apostolum, debeatur, à quo ipse Episcopatus, & tota auctoritas huius nominis emersit, quem sequentes tam mala iam damnare nouimus, quàm probare laudanda.

Cetera verò eiusdem Innocentij, Leonis, Pelagij, Felicis, & Hormisdæ Pontificum, huius argumenti testimonia, dicta, & præcepta supra commemorata sunt, quæ vna simul, & illorum singula nos instruunt, qualis, & quanta sit auctoritas Romanæ Ecclesiæ, eiusque Pontificum.

CAP. XV.

Ex vehementiori vsu splendidior auctoritas.

Qvæ supra ex multis selecta attulimus, quamuis grauia, & vera adeò fiot, vt omnibus quantumuis peruicacibus, supremam illam Romani Pontificis auctoritatem suadere possent, tamen ve omninò cauillandi auferatur occasio, alia ex innumeris etiam selegimus aptiora, quæ vsum, exercitationemque illius auctoritatis in hæreticos suspendendos, aut priuandos, alios verò excommunicandos, nonnullos corrigendos, aut puniendos, ita demonstrant, ve nonnisi supremæ illi auctoritati, quam Christus in terris Petro commisit, esse innixa iudicari potest.

Et primo loco adest sanctissimus, & doctissimus ille Damasus, qui ea, qua decebat seueritate, ac vehementia Sabellianos, Macedonianos persecutus est, ac illos perpetuo anathemati subiecit, præcepitque Paulino Thessalonicensium Episcopo, ac in Oriente suas vices gerenti, per epistolas, vt censuræ contra illos latæ per omnes Orientis Ecclesias diuulgarentur, quod quidem mandatum non modò executioni mandatum est, sed etiam omni, qua decuit reuerentia à Gratiano, & Theodosio, necnon à Constantinopolitana prima Synodo receptum, & obseruatum fuit, & ab Orthodoxa fide, & Catholica Ecclesia illos priuatos esse denunciauit; Idemque etiam factum legimus aduersùs Apollinarem Laodiceæ Episcopum, de Christi humanitate malè sentientem, quemadmodum Theodoretus Episcopus Cyrensis, qui io 5. libro suæ historiæ, hoc pacto nonnulla verba, & facta Damasi inseruit.

[Quod debitam reuerentiam Apostolicæ Sedi vestra habet charitas vobis filij charissimi præstatis ipsis plurimum. Etsi enim in sancta maximè Ecclesia, vbi sanctus Apostolus sedens docuit, nobis aut claui, quod tenendum accepimus officium incumbat, tamen inferiores nos tanto honore fatemur. Scitote igitur profanum illum Timotheum Discipulum Apollinaris hæretici, vnà cum impio dogmate, iamdudum à nobis exauctoratum. Neque vos credere reliquias doctrinæ illius de cætero vspiam valituras esse; sin ille serpens antiquus semel, atque iterum ictus, suo quidem malo renixerit, qui eiectus ex Ecclesia quosdam infideles lethiferis venenis suis seducere conari non cessat. Vos tamen istam tamquam pestilentiam refugite, memores fidei Apostolicæ, illius potissimùm, quæ in Nicæa à Patribus scripto exposita est, & firmo in gradu fortiter manete, neue patiamini audiri à laicis, clericis vestris post hæc vaniloquia, & exoletas quæstiones, cùm iam semel formam protulerimus, vt qui se Christianum fateatur, seruet ea, quæ ab Apostolis fuor tradita, cũ dicat sanctus Apostolus, si quis vobis annunciauerit aliud, prçterquàm accepistis, anathema sit, & cætera. Sed quid rursus à me quæri Timothei exauthorationem opus est? cum hic iudicio Sedis Apostolicæ præseute, & Petro Episcopo Alexandrinæ Vrbis, vnà cum suo Magistro Apollinari exauthoratus fuerit, subiturus debita in die iudicij tormenta, & supplicia.

Quod si aliquos ille leniores adducit in sententiam suam, retinetque spem quampiam, vera in Christum spe vnà cum confessione mutata, quicumque certè cum eo repugnare volet ecclesiastico Canoni, cum eo quoque interibit. Deus vos incolumes custodiat filij charissimi.] Hæc ille Damasus. Ep. 13.

Et ante Damasum Cyprianus ille Episcopus Carthaginensis, sanctiss. atque doctissimus, togat, ac hortatur Stephanum Papam, vt Marcianum Arelatensem Episcopum damnaret, quod quidem ei Cyprianus non scripsisset, si illum super omnes esse non cognouisset.

Idem videre poteris in quadam epistola, quam Innocentius Papa D. Hieronymo scripsit. [Excitati, inquit, tanta malorum sceна arripere auctoritatem Sedis Apostolicæ ad omne comprimendum nefas, festinauimus, sed in quem insurgeremus, nec nomine appellatum legimus, nec criminis aliqua ratione taxatum, quod ergo possumus condolemus, si deposueris autem apertam, manifestamque in homines aliquos accusationem, vt tribuant iudices competentes, aut si aliquid ingentiùs, sollicitiùsque à nobis fieri poterit, non retardabo.

Cœlestinus Papa Nestorio Episc. Constantinopolitano decem dies præscripsit, intra quos nisi se emendaret, ac maledicta reuocaret, se à Collegio omnium istorum Episcoporum consortio esse separatum præsciret, ac eiusdem executionis suas vices Concilio per epistolam commisit.

Felix etiam Papa Secundus, de quo supra. Placuit tamen, inquit, his etiam inserere formam, qua Petrum Antiochenum Episcopum damnauit, quæ sic incipit.

Quo-

[Quoniam pestiferis doctrinis imbutus, & impietate verborum non curauisti, sequi sanctos Patres, qui Sedem S. martyris Ignatij ordinauerunt, quo etiam cùm sis indignus, nescio quemadmodum adeptus fueris principatum, & sceleribus tuis prophanis, impijsque dogmatibus inferre putaueris Ecclesiæ Catholicæ natiuitatem, vt non propter nos Christum Crucifixum dicas, sed passionem impassibili Deo iniquissimè intulisti, & immortali spiritui mortem apponere præsumpsisti, nec exterritus es, quæ tibi à sanctis Euangelijs, & Apostolis, & viris probatissimis, ac beatissimis Patribus tradita non sunt, sed callidis, & hæc commentis astruere, & sensum proprij languoris, & huius hæreseos scandalum simplicioribus inculcare, ita vt nec similis prioribus videatur hæresibus, sed multipliciter potiùs hæc transcendant, nec ambulare in veritate, nec nostris duabus epistolis aurem voluisti commodare. Nunc igitur sum paratus aduersùs te proferre sententiam, magis autem summus Princeps Apostolorum Petrus, qui inter sanctorum Apostolorum præconia veridicus est, non solum aduersùm te, qui eius nominis, non sententiæ, nec fidei te esse parem cognoscis, quoniam vltra modum ab eius intentione, & inuiolabili fide deuiasti, sed etiam aduersùs eos, qui non venerantes Euangeliorum venerabiles characteres, neque horum sanctorum Apostolorum, perfectorumque virorum, doctorumque sermones amplectentes inconstanti sententia, iniquis traditionibus tuis incumbunt, ita vt malæ sectæ delectabiliter sequantur amaritudinem, nec huiusmodi execrabilem aduersantur impietatem; Dicimus ergo tibi, sicut etiam illis, quoniam dilexisti malitiam super benignitatem, iniquitatem magis, quàm loqui æquitatem, dilexisti omnia verba præcipitationis lingua dolosa, propterea destruet te Deus in finem, non solùm ab Antiochenæ Ecclesiæ Sede, sed etiam ab omni Ciuitate. Etenim sit tibi hæc fixa damnatio à me, & ab his, qui sub me constituti, Episcopales Sedes gubernare noscuntur, & ab Acatio Constantinopolitanæ Ecclesiæ Pastore, vt venerabilibus Episcopis eius iuri subiectis, tamquam & ipsis minimè consentientibus tuis commentis.]

Refert D. Cyprianus Cornelium Papam excommunicasse Felicissimum hæreticum nouatianum, sic enim eum scribentem refert.

Legi tuas literas frater carissime, quas per Saturnum fratrem nostrum Acholythum misisti, & dilectionis fraternæ, & Ecclesiasticæ disciplinæ, & Sacerdotalis censuræ satis plenas, quibus significasti Felicissimum hostem Christi, non nouum, sed iam pridem ob crimina sua plurima, & grauissima abstentum, & non tantùm mea, sed plurimorum Coepiscoporum sententia condemnatum, reiectum à te illic esse, & cum venisset stipatus caterua, & factione, desperatorum vigore pleno, Coepiscopos agere oportet, pulsum de Ecclesia esse, de qua iam pridem cū suis similibus, de maiestate, & Christi Domini, & iudicis nostri seueritate depulsus, ne schismatis, & dissidij auctor, ne pecuniæ commissæ sibi fraudator, ne strupator virginum, & matrimoniorum multorum depopulator, atque corruptor, vltimam adhuc sponsam Christi incorruptam Sanctam, pudicam præsentiæ suæ decore, impudicitia, & incesta contagione violaret.]

D. Augustinus narrat Stephanum Papam excommunicandos esse omnes illos præcepisse, qui vel hæreticos rebaptizarent, vel fieri debere assererent.

Iterum Damasus occurrit. Anathematizamus, inquit omnes, qui non tota libertate proclamant eum cum Patre, & Filio vnius potestatis esse, atque substantiæ. Anathematizamus quoque eos, qui Sabellij sequuntur errorem, eumdem dicentes patrem esse, qui est filius. Anathematizamus Arium, atque Eunomium, qui pari impietate, licèt sermone dissimili, Filium, & Spiritum Sanctum asserunt esse creaturas. Anathematizamus Macedonios, qui de Arij stirpe venientes, non perfidiam mutauerunt, sed nomen. Anathematizamus Photinum, qui Neronis hæresim instaurat, qui Dominum Iesum Christum tantùm ex Maria Virgine confitetur.]

407. Innocentius Papa hæc scribit ad Concilium Mileuitanum contra Pelagium, & Cælestinum. Quarè inquit, Pelagium, Cælestinumque, idest inuentores vocum nouarum, quæ sicut dixit Apostolus ædificationis nihilum, sed magis vanissimas consueuerunt parare quæstiones Ecclesiastica priuari communione, & Apostolici tigoris auctoritate censemus, donec resipiscant à diaboli laqueis à quo captiui tenentur, secundùm ipsius voluntatem, eosque interim Dominico Ouili non recipi, quoad ipsi peruersæ viæ, quam secuti sunt, tramitem deserere voluerint abscindendi sunt enim, qui nos conturbant, & volunt Euangelium Christi perdere, simul autem præcipimus, vt quicumq; id pertinacia simili defensare nituntur, par eos vindicta constringat, non solùm enim, qui faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus, quia non multum interesse arbitror inter committentis animum, & consentientis fauorem.

Legimus etiam Hilarium Papam excommunicasse Eutichem, & Nestorium, omnesque eorum sequaces, necnon etiam omnes hæreses.

Hoc etiam in loco placuit adscribi verba omnia, quę Vigilius Papa dixit, cùm Theodorum Episcopum Cæsareę Cappadocię anathematizare voluit, tum quia per ea modum, qui in his exequendis adhibendus sit, retinere debemus, addiscimus, tùm etiam quia in eis complura sunt maxima consideratione digna.

541. [Vigilius Episcopus sanctæ Ecclesiæ Catholicæ Vrbis Romæ, dixit. Res est quidem Diuinæ conueniens visioni, patientiam præbere peccantibus, quam non tamen ab vsque decet extendi, vt ipse continuæ impunitatis iugiter sine correctione petatur. Quoniam igitur tu Theodore Cæsareæ Cappadociæ Ciuitatis Episcope, qui hactenus ab ordinationis tuæ tempore, vnius anni spatio in Ecclesia, cuius gubernaculum susceperas, non passus es residere, sed auctoritate nominis Episcopalis abusus, venerabili Ecclesiæ scandala generare non cessas, & à nobis non modò familiariter obiurgatus, modò precibus obsecratus, nonnumquam verò fraterna in-

ctepatione correptus, sæpe etiam Diuioarum scripturarum auctoritate commonitus, exemplis semper emendationem sermone promittens, quam factis nequissimis respuebas, numquam à praua intentione cessasti. Nos verò longanimitatem nostram diuina largitione concessam tam circà te, quàm cæteros seductos abs te, penè, hoc quinquennio elapso mõstrauimos, primom quidem in eo, quod pro scandalo refrænando condescendentes quorumdam animis, quos aliqua dispensatione credimus temperandos, quia tum iam eos pluribus annis inquietissimus stimulator accesseras, quam pro tempore medicinali existimauimus ordinandam; tali scilicet conditione, ve omni in posterum perturbatione sopita, nil vltra, nec verbo, occ literis quispiam facere ex eadem causa præsumeret, ac tu prauæ consuetudinis tractus adijcias, neque tunc cessare à conscribendis nouitatibus voluisti, ità vt sæpius libellis Episcopotum redditis, & consensum tuum propria confessione condemnas eorum, vel eius excessibus sæpius à nobis veniam concedi postulasses. Est hæc autem cùm te à præscriptione solita, nec pudor humanę verecundiæ, nec Sacerdotij pondus, nec timor Diuini iudicij cohiberet, dum amplius, quàm iustum fuerat patientiam tuis facinoribus præberemus, ad hoc est causa producta, quatenus semotis omnibus, quæ de trium capitulorum à quibuslibet dicto, scriptoque fuerant ordinata, quid de ipsa re facto opus est, cum Africanarum, Illyricanarum, & aliarum partium congregata Synodo tractaremus, eorum maximè pænitentiã requirentes, quorũ fuerat scandalizata fraternitas. Et paulò infra. Et licèt infra 30. dies pro memoratis excessibus vestris ab Apostolicę vos cõmunionis remouissemus consortio, credẽtes, quod sacerdotali proposito faciliùs, quæ male gẽsta fuerint, satisfactione congrua curaretis. Ideoque ex persona, & auctoritate Beati Petri Apostoli, cuius licèt exigui nos locum gerimus, cum Datio Mediolanensi, Ioanne Marsiano, Zaccheo Hillaeeno, Valentioo syluæ candidæ, Fiorentino Miteilicanense, Iuliano Signuio, Romulo Numanatensi, Dominico Callipolitano, Primasio Adtumetino, Verecundo Lunensi, Stephano Ariminensi Pascasio Alterino, Iordano Certonense fratribus, & Coepiscopis nostris, te Theodorum Cęsareæ Cappadociæ Ciuitatis quondam Episcopum, Sententiæ promulgatorię tàm Sacerdotali honore, & Communione catholica, quàm vel omni officio Episcopali, seu potestate spoliatum esse decernimus, nullis te vacare, vlteriùs rebus, nisi pænitentiæ lacrymis consentes, quibus percepta remissione culparum locum, communionemque tuam, aut à me, aut post obitum meum à successore meo, si merueris indulgentiam recipias, teque Menam Constantinopolitanæ Ciuitatis Episcopum, qui nõ dissimili culpa constringeris, cum omnibus metropolitanis Episcopis ad tuam doctrinam pertinentibus, sed & tuos Orientales, vel diuersarum prouinciarum maiorum minorumque Ciuitatum Episcopos, qui his excessibus, pro quibus Theodorum Cæsareæ Cappadocię quondam Episcopum condemnauimus, præbuerunt assensum, humaniori sententia, pro rei consideratione tam diu à sacra communione suspendimus donec vnusquisq; vestrum errorem suæ præuaricationis agnoscens, culpam apud nos propriam competenti satisfactione diluerit.

Hęc est subscriptio S. Papę.

Deo Iuuante, & ipsius gratia Vigilius Episcopus Sanctæ Ecclesiæ Catholicæ Vrbis Romæ, subscripsi.

Innocentius Papa excommunicauit Arsatium Constantinopolitanum, ex eo, quia Ecclesiam Constantinopolitanam, vi submoto Ioanne Chrysostomo occupauerat, atque in hæc verba Arcadio Imperatori scribit. [Arsatium porrò, quem in beati Ioannis Sede collocasti, etiam post mortem cum omnibus illis, qui secum communicauerunt, & qui Ecclesiam adulterio polluerunt, deponimus, adiungentes depositioni Theophili Alexandrini excommunicationem, Anathematizationem, necnon à Christianissimo alienationem, hęc in Euangelijs affirmantur, & in cœlis, & in terra ligantur.]

Iterum Agatho Papa ad Heraclium Constantinum, & sextam Synodum. [Qui hæc inquit, confiteri noluerint, vt infectos catholicæ, atque Apostolicæ confessioni perpetuæ condemnationis reos esse censemus, nec aliquando tales in nostræ humilitatis Collegio, nisi correctos suscipere patiemur.

Sanctissimum Leonem Papam legimus excommunicasse Dioscorum Alexandrinum Episcopum, & Iustinianum Imperatorem de hac censura Ioanni secundo Papæ inter cætera hęc scripsisse. Quis ignorat eam, quæ nostris temporibus in Ecclesia antiquioris Romæ contra Dioscorum acta sunt? qui cum nihil in fide peccasset, tamen propter solum Ecclesiasticum ordinem contemptum, post mortem ab eadem sancta Ecclesia Romana, Anathematizatus est.

Et Symmachus Papa in quadam Epistola ad Presbyteros Dardanię, Datię, & Illyrici, sub pœna excommunicationis illis præcipit, omnibus, vt inter se damnare, & damnatos, atque hęreticos reputare Acatium, Euthychem, & Dioscorum.

CAPVT XVI.

Ex indictione generalium Conciliorum, vel permissione eorum, summa auctoritas indicatur.

Et quoniam non ignoramus Apostolorum Concilia in eorum actis ita disposita, & supramemorata esse, vt Petri Romani Episcopi primæ partes cognitæ sint, à Iulio tamen Papa exordiemur, sub quo quasi in contradictorio iudicio, sua suprema facultas resplendeat. Ipse enim generalem Sardicensem Synodum indixit, qua causam B. Athanasij cognoscere, ac iudicare posset, sicuti ipsemet Athanasius in quadam Epistola de solitaria vita refert.

Innocentius verò Papa in Orientem quinque Episcopos, & duos Presbyteros misit, qui Honorio, & Arcadio Imperatoribus significarent, vt ineundi Concilij tempus decer-

neretur, quo Ioannis Chrysostomi causa cognosceretur, ac suæ Ecclesiæ, vt pareret restitueretur, sed illius aduersarij, Imperatoribus suadere conabantur, vt nulla legationis Apostolicæ ratione habita, propter Imperij tranquillitatem, Ioannem Chrysostomum in exilium mitti debere.

Theodoretus refert, Liberium Papam Imperatori potestatem conuocandi Concilium concessisse, hisce verbis. At ego prius generalem orbis terrarū subscriptionem proponi volo, quo confirmetur fides exposita Niceæ, ita vt reuocatis ab exilio fratribus, & in suum quemque locum restitutis, sibi, qui nunc turbas pariunt Ecclesijs visi fuerint Apostolicæ Sedi consentire, tunc vniuersæ conueniti Alexandriæ, vbi reus, accusatores, & defensores sint, & inquisitio in illos, disceptatioque fieri possit.

Refert, & Theodoretus Damasum Episcopos conuocasse, illosque ei hoc pacto respondisse; Cùm tamen ipsi Episcopi aliud agerent Concilium sub Theodosio Imperatore Constantinop. Quia tamen, inquit fraterna circa nos charitate habentes Synodum Romæ de voluntate congregastis, & nos quoque illum tamquam membra vestra, cum summa pietate accersiuistis: Et quæ sequuntur.

Leo verò Papa sic Theodosio Augusto scripsit. Vndè si pietas vestræ suggestioni, ac supplicationi nostræ dignetur annuere, vt intra Italiam iubeatis haberi Episcopale Concilium, citò auxiliante Deo poterunt omnia scandala, quæ in perturbationem totius Ecclesiæ sunt commota, resecari, vt per vniuersum regnum vestrum catholicę fidei, integritate seruata, & pacem Christianam manere, & vestram apud Deum crescere gloriam gaudeamus.

Idem ad eumdem; Qui Sacramento, quia impij nunc à paucis imprudentibus obniatur omnes partium nostrarum Ecclesiæ, omnes mansuetudinis vestræ cum gemitibus, & lacrymis supplicans Sacerdotes, vt quia, & nostri fideliter reclamarunt, & eisdem libellum appellationis Flauianus Episcopus dedit, generalem Synodum, iubeatis intra Italiam celebrari, quæ omnes offensiones, itaue repellat, aut mitiget, ne vltra aliquid sit, vel in fide dubium, vel in charitate diuisum, conuenientibus vtique Orientalium Prouinciarum Episcopis, quorum si qui separati minùs, atque iniurijs à veritatis tramite deuiarunt, salutaribus remedijs in integrum reuocentur, ipsique, quorum est causa durior, si consilijs melioribus acquiescant, vt ab Ecclesiæ vnitate non excidant, quod autem post interpellationem interpositam, hoc necessariò postulatur, canonum Niceæ habitorum decreta testantur, quæ à totius mundi sunt Sacerdotibus constituta.

Idem ad Turibium Asturicensem Episcopum. Dedimus literas, ad fratres, & Coepiscopos nostros Tarraconen. Chartaginenses, Lusitanos, atque Callegos, eisque Concilium Synodi Generalis indiximus, ad tuæ dilectionis sollicitudinem pertinebit, vt nostræ ordinationis auctoritas, ad præfatarum prouinciarum Episcopos deferatur.

Imperatoris verò Epistola ad Episcopos extat huiusmodi. Quia igitur, inquit, dubitationes quædam circà Orthodoxam fidem motæ sunt, sicut indicant, & literæ sanctissimi Archiepiscopi felicissimæ Romæ Leonis, placuit nobis propriè sanctum Concilium fieri in Nicæa Bithiniæ Ciuitate, quatenùs cunctis concordantibus, veritate examinata, & vacante omnium studio, quo quidam iam abusi, religionem turbauerunt Orthodoxam, vera, ac saluberrima fides, si omni mundo manifestetur, vt de cœtero omnis quæstio, & dubitatio auferatur. Vndè tua sanctitas cum quantis approbauerit Reuerendissimus Episcopus sub suo sacerdotio constitutis; Sanctarum Ecclesiarum expertas habentibus Diuinas Scripturas, & in scientia, & doctrina Orthodoxæ, & verę fidei præ cunctis eminentibus ad memoratam Nicœnam Ciuitatem proximis Kalendis Septembris, aduenire festinet, quisquis enim generalem, & omni mundo vtilem futuram Synodum refutauerit, peccat equidem, & circa diuinitatem, ipsam, pietatem nostram offendit. Agnòscat autem tua sanctitas, quoniam nostra pietas aderit in ipso Concilio, nisi quædam publicæ, & immobilis curæ nos in expeditione fecerint occupate.

Legimus etiam Martianum Papam congregasse Synodum Romę, & condemnasse hęreticos Monothelitas.

Rescripsit Agatho Papa Constantino Imperatori senteutiam vniuersarum Synodorum, Concilio, & auctoritati Sedis Apostolicę subiacere.

Refert etiam Sigebertus in Chronico sub Gregorio Secundo, Sedulium, & Fergustum, Britannorum, & Scotorum Episcopos in generali Synodo Romam venisse, in qua inter cœtera decretum fuit publicè missarum solemnia in Ecclesijs fieri.

Refert Anastasius Bibliothecarius, Stephanum tertium Pipinum requisiuisse, vt primo quoque tempore mitteret Romam duodecim Episcopos, & Archiepiscopos ex Gallia pro generali Synodo celebranda.

Necnon idem refert, Gregorium Tertium Italos Episcopos ad Romanam Synodum faciendam vocasse.

Adrianus etiam Papa Tharasio Patriarchę Constantinopolitano scripsit in hęc verba. Quòd si non perspecta ei esset, & probè cognita erga sacras Synodicas sex constitutiones, & venerandas imagines voluntas sua nequaquam in Synodum conuocandam, assentiret.

Extant duæ Epistolę, quarum vna est Nicœni Concilij ad Siluestrum Papam, qua sub eo Synodi confirmatio petitur, altera, qua Pontifex acta illa confirmat. Et in prefatione Canonum Concilij Nicœni, hęc verba inueniuntur. Placuit sanctę Synodo, vt hęc omnia mitterentur ad Episcopum Vrbis Romę Siluestrum, cuius Epistolę tenorem, & verba hęc fuisse apud probatos, & graues viros circumfertur, presertim cùm istud exemplum in quadam Bibliotheca Coloniensi, fratrum Predicatorum, quamuis aliquantò mutilum inuentum sit, Epistola autem Concilij Nicęni ad B. Siluestrum scripta est in hęc verba.

Beatissimo Papę Vrbis Romę Siluestro Osius Cordubensis Episcopus Hispanię, Victor,

ctor, & Vincentius Presbyteri Vrbis Romę, & cœteri Episcopi CCCXVIII. Salutem in Domino. Quoniam omnis corroborata est Diuinis Mysterijs Ecclesiastica vtilitas, & ea, quę ad robur pertinent sanctę Ecclesię Catholicę ad Sedem tuam Romanam explanata de Gręco in latinum gesta sancti Concilij scribimus. Itaque censeat vestra Gloria in uestrę Apostolicę Vrbis sinu Episcoporum nobiscum habere Concilium, sicut decet, vt firmet vestra sanctimonia gradus pręfixos, vel textus ordinatiouis nostræ. Quoniam quidquid constituimus in hoc Nicœno Concillo precamur, vt vestri oris consortio firmetur. Oret beatitudo tua pro Concilio vniuerso. Datum 8. kal. Septembris. Paulino, & Iuliano Consulibus.

In Concilio verò Romano eodem tempore, quo celebratum est Nicœnum, hæc verba in principio habentur. Siluester Episcopus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & Apostolicę, Pręsul Vrbis Romæ dixit. Quidquid in Nicœna Bithiniæ, constitutum est, ad robur sanctæ Matris Ecclesiæ Catholicæ, & Apostolicæ, à sanctis Sacerdotibus trecentis decem, & octo, uostro ore conformiter confirmamus, Omnes, qui ausi fuerint dissoluere definitionem sancti, & magni Concilij, quòd apud Nicœnam congregatum est, sub pręsentia pijssimi, & venerandi Principis Constantini Augusti, anathematizamus, & dixerunt omnes Placet.

Constantinopolitana verò prima Synodus post Nicęnam probauit quicquid Damasus Papa in Macedonium, Sabellium, & Eunomium deliberauerat, atque vt supra dictum est Paulino Thessalo nicensi Episcopo, ac in Oriente suo Vicario præcepit sententiam latam aduersùs illos in omnes Orientis Ecclesias diuulgari, & publicari.

Idem aduersùs numerosum illud, sed impium Concilium Ariminense, Nicœnam fidem defendit, ac deindè scripsit Episcopis Illyricis, asserens supradicti Concilij definitionem nullius fuisse momenti, propterea, quòd Romanus Pontifex illi minimè præbuit assensum, ac subiecit, neque enim præiudicium aliquod fieri potuit per numerum in Arimino congregatum, quando constat neque Romanum Episcopum, cuius ante omnia decebat eos expectare decretum talibus prębuisse consensum.

Cęlestinus etiam Papa antequam Ephesinum celebraretur Concilium Nestorij impietatem detestatus, pręfixo illi termino, vti supra memorauimus, Anathematis sententiam in illam pręfixit, pręcepit tamen Theodosio, & Valentiniano, vt si propter istius condemnationem tumultus in Oriente ex diretur, ac propterea Concilio vniuersali, quis esset; vt Ephesinum conuocaretur, & celebraretur Concilium, atque Cyrillo Alexandrino commisit, vices suas in Concilio exercendas.

Iam hic clarè liquet, quòd in dubium non vertitur, potuerit, nec ne Cœlestinus hęc facere, sed Concilium pręcipitur; quo mundo innotesceret, eius sententiam ritè prolatam esse.

Leo Pontifex autem, cum Eutichetem Apostolica censura, ac Apostolico mucrone confodisset, & multos inde exortos audiret rumores, ac maiores orituros præuidisset, Renato presbytero rituli Sancti Clementis, ac Hilario Diacono Apostolicæ Sedis legatis præcepit, vt prædictos tumultus Apostolicæ moderationis auctoritate componerent; sed cum latiùs diffidia per Orientem, & scandala augerentur, visum est Theodosio Imperatori cum assensu Leonis Concilium ineundum esse, eisdem tamen pręsidentibus legatis, quos Leo Constantinopolim miserat, quibus etiam faciendorum formam præscripsit, quemadmodum in Epistola ad Concilium scripta continetur in hæc verba.

Leo Episcopus sanctę Synodo, quæ apud Ephesum conuenit religiosa Excellentissimi Principis fides, sciens ad suam Gloriam maximè pertinere, si intrà Catholicam Ecclesiam nullius erroris gemen exurgeret, hanc reuerentiam Diuinis detulit institutis, vt ad sanctæ dispositionis effectum auctoritatem Apostolicæ Sedis adhiberet, tamquàm ab ipso Beatissimo Petro cuperet declarari quid in eius confessione laudatum sit, quando dicente Domino. Quem esse dicunt homines filium hominis? Varias quidem diuersorum opiniones discipuli memorarunt. Sed cum ab eis quid ipsi crederent quereretur, Princeps Apostolorum plenitudinem fidei breui sermone complexus. Tu es, inquit, Christus filius Dei viui, hoc est tu qui esuere filius hominis, & filius Dei viui. Tu inquam verus in deitate, verus in carne, & salua geminæ proprietatis natura vtrumque vnus. Quod si Eutiches intelligeret, & veraciter crederet, nequaquam ab huius fidei tramite deuiaret, propter quam ei respondetur à Domino, Beatus es Simon Bar-Iona, quia caro, & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus, qui in cœlis est. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meā. Nimis autem à compage huius ædificationis alienus, qui B. Petri confessionem non accipit, & Christi Euangelio contradicit, &c. Præscribens deinde formam agendorum in Synodo, ita fieri decreuit. Vt primitus pestifero errore damnato, etiam de ipsius, qui imprudenter errauit restitutione tractetur, si tamen doctrinam veritatis amplectens, sensus hæreticos, quibus imperitia eius fuerat irretita, planè, apertèque propria voce, & subscriptione damnauerit. Quod etiam in libello, quem ad nos miserat, est professus spondens per omnia nostram se esse secuturum sententia, &c.

Sed cum Dioscori Alexandrini opera, Concilium illud veritati, & religioni contraria omnia fecisset, ac deinde à Leone multa in illos hæreticos præcepisset, tandem illi animaduertentes Apostolicæ Sedi, suoque capiti Leoni se conciliari petierunt, ac supremę veniam postularunt. Quamobrem Leo Sanctissimus, suis per Orientem Legatis præcepit, quibus etiam super re hac speciatim suas commisit vices quid in recipiendis illis facto opus esset, ac de eadem re ad Martianum Augustum inter cætera, in hæc verba scripsit, quemadmodum superiùs memoratum iam fuit.

Nam cum etiam fratris mei Anatholij scriptis, & nostrorum sermone cognouerim, mul-

multos de his, qui apud Ephesum Dioscori factione compulsi, detestabilibus statutis pœnitendum præbuere consensum, inconstantiæ veniam postulare, & communionem catholicam per satisfactionem correctionis expetere, non fuit talium negligenda conuersio, qui non proprio sensu, sed impij præsumptoris impulsu in hæc incidisse noscuntur, in quibus liberum non habuerunt iudicium. Ne itaque resipiscentium desideria mora longior fatigaret, vel curiosa facilitas temere aliquos, & sine discretione susciperet, iniunctum est ab Apostolica Sede directis, vt in consortium suæ deliberationis, accito Constantinopolitanæ Vrbis Antistite, & pestilentiæ contagia non admittantur, & sanitatis remedia non negentur. Hæc ille ad Martianum.

Illis autem, quibus suæ auctoritatis hac in re vices commiserat, hanc quoque præscripsit regulam (quod testatur eius ad Anatholium quædam epistola) vt quicumque in illa Synodo (quæ nomen Synodi nec habere potuit, nec meretur,) & in qua (vt eiusdem verbis vtar) maleuolentiam suam Dioscorus, imperitiam autem Iuuenalis ostendit, dolerent se metu victos, & terrore superatos ad consensum scelestissimi iudicij potuisse compelli, & communionem catholicam obtinere desiderant, satisfactioni eorum pax fraterna præstetur, ita vt non dubijs professionibus Eutychetem cum suo dogmate, cumque consortibus suis anathematis execratione condemnet. De his autem, qui in hac causa grauiùs peccauere, & ob hoc superiorem locum in eadem infelici Synodo vindicarunt, & humiliorem fratrum simplicitatem arrogantiæ suæ præiudicijs aggrauarent, si forte resipiscant, & à facti sui defensione cessantes, in condemnationem proprij conuertantur erroris, horum si satisfactio talis accedat, quæ non refutanda videatur maturioribus Apostolicæ Sedis consilijs reseruetur, vt æstimatis omnibus, atque perpensis, de ipsis eorum agnitionibus quid constitui debeat æstimetur.

Nec priùs in Ecclesia, cui te Dominus voluit præsidere (Constantinopolitano Episcopo loquitur) cuiusquam talium nomen ad altare reticeatur, quam quid de eis constitui debeat, rerum processus ostendat &c. Hæc ille Leo.

Idem Leo pro pace Orientalis Ecclesiæ, & vt Martiano Imperatori satisfaceret in Nicæa secundum vniuersale Concilium indicendum voluit, quamuis postea commoditati Imperiali consulens per suos Apostolicos legatos in Chalcedonem transferri consensit. Et quoniam pius ille Princeps instanter petijt, ac à Leone obtinuit Legatos, qui suo nomine Concilio præsiderent, illas Leo sanctus commisit, eisdemque agendorum omnium regulam, in hæc verba scripsit.

Ne de Entichetis iamdudum Apostolicę Sedis auctoritate damnatis erroribus disputaretur amplius, sed eam, quæ tam in suis, ad Beatum Flauianum, quam in B. Cyrilli ad Nestorium epistolis pleniùs explicata erat, fidem absque vlteriori discussione simpliciter amplecterentur. Nimis enim iniquum est, inquit, in epistola quadam ad Martiannm Imperatorem, vt per paucorum insipientiam ad coniecturas opinionum, & bella reuocemur, tamquam reparata disceptatione tractandam sit vtrùm Entiches impiè senserit, & vtrùm impiè Diaconus iudicauerit, qui in sanctæ memoriæ Flauiani condemnatione se perculit, & simpliciores quosque, vt in eamdem impellerentur ruinam impegit, quorum multis iam ad satisfactionis remedia concursis, & veniam de inconstanti trepidatione poscentibus, non cuiusmodi sit fides tractandum est, sed eorum precibus qualiter annuendum.

Idem de re eadem ad Pulcheriam Augustam, sic scribit. Binos, inquit, de Coepiscopis meis, & compresbyteris ordinaui, qui vicem meam implere sufficerent, datis ad venerabilem Synodum congruentibus scriptis, quibus fraternitas aduocata cognosceret, quam formam seruare in hac iudicatione deberet, ne vlla temeritas, aut fidei, aut canonum statutis, aut benignitatis remedijs obuiaret. Hæc ad Augustum. Ad Synodum verò in hunc, qui sequitur modum scribit.

[Leo sanctæ Synodo apud Chalcedonem constitutæ. Optaueram quidem dilectissimi pro nostri charitate Collegij, omnes Domini Sacerdotes in vna Catholicæ fidei deuotione persistere, nec quemquam gratia, aut formidine, potestatum sæcularium deprauari, vt à via veritatis abscederet. Sed quia multa sæpè, quæ pœnitudinem possint generare proueniunt, & superat culpas delinquentium misericordia Dei, atque ideò suspenditur vltio, vt locum habere possit correctio, amplectendum est clementissimi principis plenum religione consilium, quo sanctam fraternitatem vestram ad destruendas insidias Diaboli, & reformandam Ecclesiasticam pacem voluit conuenire, Beatissimi Petri iure, atque honore seruato. Nos suis literis inuitans, vt venerabili Concilio nostram præsentiam prębe remus. Quod quidem nec necessitas temporis, nec vlla consuetudo poterat permittere, tamen in his fratribus Paschasino, & Lucentino Episcopis, Bonifacio, & Basilio presbyteris, qui ab Apostolica Sede directi sunt, me Synodi vestra fraternitas existimet præsidere. Neque enim abiuncta est à vobis mea præsentia, qui nunc in Vicarijs meis adsum, & iamdudum fidei catholicæ prædicatione non desum, vt qui non potestis ignorare quid ex antiqua traditione credamus, non possitis dubitare quid cupiam. Vnde fratres carissime reiecta penitùs audacia disputandi contra fidem diuinitus inspiratam, vana errantium infidelitas conquiescat, cum non liceat defendi, quod non liceat credi, cùm secundùm Euangelij auctoritates, secundùm propheticas voces, Apostolicamque doctrinam plenissimè, & lucidissimè per literas, quas ad Beatæ memoriæ Flauianum Episcopum misimus, fuerit declaratum, quę sit de Sacramento Domini nostri Iesu Christi pia, & sincera confessio.]

Quia verò non ignoramus per prauas æmulationes multarum Ecclesiarum statum fuisse turbatum, plurimosque etiam Episcopos, qui hæresim non reciperent sedibus suis pulsos, & in exilia deportatos, atque in locum superstitum alios substitutos, vulneribus his primitus adhibeatur medicina iustitiæ, ne quis-

quisquam ità careat proprijs, vt alter vtatur alienis. Cum si (vt cupimus) errorem omnem relinquunt, nemini quidem perire honor debeat, sed illis, qui pro fide laborarunt, cum omni priuilegio oporteat ius proprium reformari. Prioris autem Ephesinæ Synodi, cui sanctæ memoriæ Cyrillus Episcopus tunc præsedit, in Nestorium statuta permaneant, nec dum damnata impietas in aliquo sibi blandiatur, quia Eutyches iusta damnatione percellitur. Puritas enim fidei, atque doctrinæ, quam eodem, quo Sancti Patres nostri spiritu prędicamus, & Nestorianam, & Eutychianam cum suis auctoribus condemnat pariter, & persequitur prauitatem. Hęc ille Leo tanto Concilio.

Quanam reuerentia Leonis epistola à concilio, fuerit excepta, illorum Patrum acclamationes nos faciunt certiores. Acclamarunt enim eum ter Beatissimum, atque Oecumenicum, nec non qui priùs Dioscori errata tuebantur, pœnitentia ducti, Leonis, ac Concilij monita prosecuti sunt. Quinimò Leonis auctoritas in illo Concilio tanti facta est, vt Anatolius Constantinopolitanus Episcopus in quadam sua epistola idem dixerit, quod Imperatorem supra dixisse commemorauimus, hoc est Dioscorum potissimùm damnatum fuisse, quia beatissimum Leonem ausus est excommunicare.

Verba autem, quibus Patres illius Concilij suam confessionem explicarunt, & Concili Nicæni, & B. Leonis facta confirmarunt. sunt hæc,quæ sequuntur.

Communi; dicunt decreto peregrinam erroris quidem sectam abijcientes, Patrum autem rectam fidem renouantes trecentorum decem, & octo Symbolorum præ omnibus prædicamus. Et velut horum centum quoque, & quinquaginta Patrum,qui Constantinopolim conuenerunt,pijssimo titulo adscribimus, qui, & ipsi eamdem fidem subsignarunt. Sed & ordinem, & omnes fidei formulas custodientes etiam Sanctam Synodum Ephesi factam, cuius authores fuerunt venerabilis memoriæ Cælestinus Romanæ vrbis, & Cyrillus Alexandrinæ Ecclesiæ Sacerdotes recipimus &c. Ee eiusdem beatissimi quondam Cyrilli Synodicas Epistolas, eam ad Nestorium, quàm ad cæteros perorientem congruas, sibi, & consentientes. Quibus, & epistolam S. & beatissimi primæ Sedis Archiepiscopi Leonis scriptam ad Flauianum Sanctæ recordationis Episcopum, ad perimendam Eutychetis malignitatem,magni Petri confessioni concordantem &c. ad infirmationem Catholicæ religionis subiunximus.Et his non contenti; & ne in aliquo decretis Concilij eebus Beatiss. Leoni derogaretur, hanc, quæ sequitur epistolam Synodalem ad eum misserunt.

Beatissimo Apostolicæ Sedis vniuersalis Ecclesiæ Episcopo Leoni, fratres in Chalcedonensi Concilio congregati.

REpletum est gaudio os nostrum, & lingua nostra exultatione, canimus, cum propheta. Et post aliqua respiciat conseruando Apostolorum vestram, misericors Dominus Ecclesiam suam toto orbe diffusam. Vobis enim ita aduigilantibus, & qui curam animæ suæ gerunt, solidiores in fide redduntur, & hi, qui pauluium desides sunt, tantò ad sollicitudinem accederent exemplo, quod nos ante oculos semper habentes non desinimus Domino Deo nostro gratias agere,& pariter supplicare gratulantes,quod tantæ Sanctitatis, & tantæ fidei, eamque doctrinæ Apostolicæ Sedis,vnde religionis nostræ fons, & origo emanat Antistitem dederit, vt datum concessumque munus Pontificum, in nostri longissima ad ædificationem Ecclesiarum suarum ætate custodiat. Nos autem, & si impares meritis pari tamen fide, si quid, quod absit tamen, Ecclesiam catholicam impia infestatione tentauerit,paratissimi sumus, confortante Domino cum Beatitudine vestra pro veritate fidei animas nostras ponere, & vitam hanc auctori salutis nostræ, & largitori æternitatis impendere &c. Quam fidem tu velut aureum quoddam flumen ad vos per te deductum custodisti:Omnibus Beati Petri interpres, & expositor constitutus vnde nos te tamquam auctore boni ad communem vtilitatem vtentes fortem veritatis, Ecclesiæ filij demonstramus.

Ad decreta verò, & acta Concilij deuenientes hæc epistolæ adiecerunt.

Ea igitur, inquiunt,quæ definiuimus ad eemotionem, totius erroris, ad robur verò Ecclesiasticæ ordinationis propitia,& amicabilis, & ad decorem congrua statuemus stabilire digneris Sanctiss. ac beatiss. Pater. Nam hi, qui locum tuum obtinent, sanctiss. Episcopi Pascasinus, & Lucentinus, & hi, qui cum eis dilecti presbyteri Bonifacius, & Basilius dictis definitionibus fortiter astiterunt volentes prorsus, vt hoc bonum vestro prouiuidentia perficiatur &c. Vt autem sciatis, quia non ad gratiam, aut odium fecerimus alicuius, sed tamquam diuino nutu gubernati, & directi egerimus cuncta, vobis gestorum omnium veram notitiam facimus, vt à vobis, quæ gesta sunt statuantur roborentur, &c. Huic Epistolæ 44. Episcopi singuli proprias Salutationes proprijs manibus subscripserunt, hac & simili forma. Rusticus Episcopus Apostolatum vestrum in Domino venerans, & vt digneris pro me orare, supplexoro. Salutat Venerius te Domine in Christo Rener. Salutat Constantinus Episcopus beatitudinem tuam. Salutat Horus Episcopus beatitudinem vestram in Domino venerandam. Salutat Samius Episcopus, Beatitudini vestræ me repræsento, & adorantibus Apostolatus vestri, cæteri verò omnes proprij nominis Beatum Leonem salutarunt.

Sed Anatolius sua dignitate non conten-

tentus, hanc nactus Concilij occasionem, fauore Imperatoris fretus Canonem à Leone confirmari etiam per epistolas procurante decerneretur Constantinopolitanum Episcopum habere honoris prærogatiuam, post Romanum Episcopum, eo quod ipsa sit noua Roma.

Sed quid Beatus Leo responderit dignum est, vt audiatur, nam eius responsio non modò illorum iniusta petita refelluntur, sed Ecclesiæ perpetuum reliquit boni regiminis exemplorum, ac quid de Episcopi Romani auctoritate sentiendum sit declarauit, promulganit, ac seruandum præcepit. respondit igitur B. Leo Anatolio omnium nomine scribenti ea forma, & verbis, vt & illi, & alijs omnibus responsum esse videatur.

Quoniam, inquit, mens potentiæ auida, nec abstinere nouit à vetitis, nec gaudere concessis, dum inordinato prauoque processu impunitatum augentur excessus, & crebræ sunt culpæ, quæ toleratæ sunt studio fidei reparandæ, & amore concordiæ. Post illa itaque ordinationis tuæ non inculpata principia, & consecrationem Antiocheni Episcopi, quam tibimet, contrà Canonicam regulam vindicasti; doleo etiam in hoc dilectionem tuam esse prolapsam, vt Sacratissimas Nicænorum canonum constitutiones conareris infringere, tanquàm opportunè se tibi, hoc tempus obtulerit, quo secundi honoris priuilegium Alexandrina Sedes perdiderit, & Antiochena Ecclesia proprietatem tertię dignitatis amiserit, vt his locis iuri suo subditis, omnes Metropolitani Episcopi proprio honore priuentur, Quibus inauditis, & numquam antè tentatis ità grassaris excessibus, vt Sanctam Synodum ad exstinguendam solùm hæresim, & confirmationem fidei Catholicæ studio Christianissimorum principum congregatam, in occasionem ambitus trahas, vt committentiam suam tibi det, impellas tamquam refutari nequeat, quod illicitè voluerit multitudo, & ille Nicęnorum Canonum per sanctum verè spiritum ordinata conditio aliqua cuiquam sit parte solubilis &c. Nimium ergo hæc improba, nimis sunt praua, quę sacratissimis canonibus inueniuntur esse contraria. In totius Ecclesiæ perturbationem superba hæc tendit elatio, ità abuti voluit Concilio Synodali, vt fratres in fidei tantummodò negotium conuocatos ad consentiendum sibi deprauando compelleret. Inde enim fratres mei ab Apostolica Sede directi, qui vice mea Synodo præsidebant, probabiliter, atque constanter illicitis ausibus obstiterunt apertè clamantes, ne contra instituta Nicæna præsumptio improbè nouitatis assurgeret. Nec potest de eorum contradictione dubitari, de quibusetiam tu in Epistola conquereris, quod conatibus tuis voluerint obuiare: In quo eos quidem multùm mihi hæc scribendo commendas, sed te ipsum; quo illis parere noluetis, dùm illicita moliris, accusas, inpetitu non concedenda appetens, quæ nullum inquam nostrum potueruot obtinere consensum Absit enim à conscientia mea, vt tam praua cupiditas meis studijs adiuuetur, oon potiùs & meo, & omnium, qui non alta sapiunt, operc subruatur, &c. noli frater altum sapere, sed time, & Christianorum principum pijssimas aures, improbis petitionibus, inquietare desiste, quibus certum habeo modestia te magis, quàm elatione placiturum. Persuasioni enim tuæ, in nullo penitus suffragatur quorumdam Episcoporum ante LX. vt iactas annos facta subscriptio, numquam à prædecessoribus tuis ad Apostolicæ Sedis transmissa notitiam, cui ab initio sui caducæ, dudumque collapsæ sera nunc inutilia subijcere fomenta voluisti, eliciendo à fratribus speciem consensionis, quam tibi in suam iniuriā verecundia fatigata præberet &c. Non conuellantur prouiocialium iura primatuum, nec priuilegijs antiquitus institutis Metropolitani Antistites fraudentur. Nihil Alexandrinæ Sedi eius, quam per Sanctum Marcum Euangelistam B. Petri discipulum meruit, pereat dignitatis suæ pertinacia corruente, splendor tantæ Ecclesiæ tenebris obscuretur alienis Antiochena quoque Ecclesia, in qua primùm prædicante Apostolo Petro, Christianum nomen exortum est, paternæ constitutionis ordine perseueret, & in gradu tertio collocata, numquam se fiat inferior. Aliud enim sunt Sedes, aliud præsidentes, & magnus est cuique honor, integritas sua. Quæ cum in quibuslibet locis propria ornamenta non perdat quantò magis in Constantinopolitanæ Vrbis magnificentia, potest esse gloriosa, si per obseruantiam tuam, & defensionem paternos Canones, & exemplum probitatis multi habeant Sacerdotes &c. Frater autem, Coepiscopus noster Lucianus, & filius noster Basilius Diaconus, quantùm ipsis fuit studiosè his, quæ eis ioiunxeras asfuere, sed actioni, eorum iustitia negauit effectum &c. Hæc Leo ad Anatolium.

Imperatoris verò Martiani de eadem re inter cætera, hæc sunt. [His autem, inquit, propter quæ facta est congregatio Sacerdotum, benè & optabili fine compositis, miror, & doleo, quod pacem vniuersalis Ecclesiæ diuinitùs reformatam ambitionis spiritus rursùs inquietat. Pleraque deindè subiungens aduersùs Anatolium. Multum, inquit, Anatolius Episcopus proprio detrahit merito, si illicito crescere optat augmento. Habeat, sicut optamus, Constantinopolitana Ciuitas gloriam suam, & protegente Dei dextera diuturno clementiæ vestræ fruatur Imperio. Alia tamen ratio est rerum sæcularium, alia diuinarum, nec præter illam petram, quam Dominus in fundamento posuit, stabilis erat vlla constitutio. Propria perdit, qui indebita concupiscit satis illi sit, quod vestræ pietatis auxilio, & mei fauoris assensum Episcopatum tantę Vrbis obtinuit. Non dedignetur Regiam Ciuitatem, quam Apostolicam facere non potest Sedem, nec vllo speret modo, quod per aliorum possit offensiones augeri. Priuilegia enim Ecclesiarum Sanctorum Patrum canonibus instituta, & venerabilis Nicenæ fidei fixa decretis, nulla nouitate mutari. In quo opere auxiliante Christo fideliter exequendo nec ipse est, me perseuerante exhibere famulatum, quoniam dispensatio mihi credita est, & ad meum tenderet reatum, si paternarum regulæ sanctionum quæ in Nicæna Synodo ad totius Ecclesię regimen Spiritu Dei instruente sunt conditæ, me quod absit, non cohibente violentur &c. vnde quia conuenit fidei vestræ, & gloriæ, vt sicut

hæreſis Deo per vos agente deſtructa eſt, ità etiam omnis ambitus retundatur, agite vt prædictus Epiſcopus parendò patribus conſulat paci &c. abſtineat ab Eccleſiaſticarum iniuria regularum, illicitos decliner exceſſus, ne ſe ab vniuerſali Eccleſia, dum inimica paci tentat, abſcindat &c. Frater autem, & Coepiſcopus meus Lucianus cum filio meo Baſilio Diacono, qui clementiæ noſtræ ad me ſcripta portarunt, omni deuorione partem ſuſceptæ legationis adimpleuerunt. Quia non eſt æſtimandos negotio defuiſſe, quem potiùs cauſa deſeruit,

Et prudentis paſtoris officium agens, Pulcheriæ etiam Auguſtæ, de eadem re, ſeorſum ſcribit his verbis,

[Confirmatio, inquit, in Euangelij vnitate vniuerſo mundo, & in eodem ſpiritus ſenſu directis cordibus, omnium Sacerdotum optimum fuerat ſupra illa, propter quæ Sancta eſt Synodus congregata, & quæ ſecundùm pietatis veſtræ ſtudium laudabili ſunt fine concluſa, nihil, quod tanto bono contrarium eſſet inferri, nec per occaſionem Epiſcopalia Synodi id in commune appeti, quod non licuit concupiſci &c. ſuperbum enim nimis eſt, & immoderatum vltra fines proprios tendere, atque vt vnius creſcat dignitas, tot Metropolitanorum impugnare primatus, quietiſque prouincijs, & olim Sanctæ Synodi moderatione diſpoſitis, bellum nouæ perturbationis inferre, atque, vt venerabilium patrum decreta ſoluantur, quorumdam Epiſcopórum proferre conſenſum, cui tot annorum ſeries negauit effectum. Nam ſexageſimus ferè annus huius iactantiæ eſſe iactatur, qua ſe prædictus Epiſcopus æſtimat adiuuari, fruſtra cupiens id ſibi prodeſſe, quod etiam ſi quiſquam auſus eſt velle, nullus tamen potuit obtinere. Conſenſiones verò Epiſcoporum Sanctorum Canonum apud Nicæam conditorum regulis repugnantes, concurrente vnà nobis cum veſtræ fidei pietate in irritum mittimus, & per auctoritatem Beati Petri Apoſtoli generali prorſus definitione caſſamus.] Hæc Leo.

His profectò actis, clarè oſtenditur ſuprema Romani Pontificis auctoritas, nam ſi illa ſuprema non eſt, cur requirebatur à Concilijs maximè Conſtantinopolitano, & Chalcedonenſi, ab Imperatoribus tanta cum Inſtantia Romani Pontificis confirmatio, quorſum illa nomina, & acclamatio? quorſum illa nomina, & acclamationes, quibus Romanum Pontificem honorabant, ac venerabantur, protervientis profectò eſt hæc deſpicere, & maximè inſipientis hæc non cognoſcere, & rectum iudicium de eis proferre.

Sed Anatholius Beati Leonis literas, quibus acta Concilij confirmabat ſuppreſſit, ne reprehenſio à Leone de illicito eius obitu Cõcilio innoteſceret.

Et quamuis Imperatores, & Concilium ſilentium Pontificis, cauſas ignorantes, admirarentur, iterùm tamen ei ſcribendum eſſe, cum Concilio decretum eſt quarum quidem literarum hoc eſt exemplum,

Victores, Martianus, & Valentinus Auguſti SS. Patri, ac Venerabili Leoni Archiepiſcopo Apoſtolicæ Eccleſię &c. miramur, quod Synodum Chalcedonenſem, & literas venerabilium Epiſcoporum, quæ ad tuam Deo amicitiam miſſæ ſunt, per quas omnia in ipſa facta vobis nunciauerunt nequaquam à tua Sanctitate tales literæ miſſæ ſunt, quæ videlicet ſanctiſſimis Eccleſijs ad omnium notitiam perueniret. Quod quorumdam animabus, quę Eutychetis adhuc prauam opinionem ſectantur, ambiguitatem immiſit, verùm ſcilicet tua beatitudo, ea, quæ in Synodo quinta ædita ſunt, confirmauerit. Qua propter veſtra reuerentia ſuas literas mittere dignetur, per quas omnibus Eccleſijs, & populis, notum ſit, vniuerſaque in Sancta Synodo geſta ſunt, à tua beatitudine eſse confirmata; In quo, & nos tuæ Sanctitatis ſententiam probauimus. Et poſt aliqua. Nouerit autem, inquiunt, tua Deo amicitia Catholicam, & verè ortodoxam fidem Chalcedonenſem Synodum omnibus Epiſcopis conſentientibus fuiſſe ſecutam. Propter quod, & tua venerabilitas proprias, & ſpeciales literas, velociſſimè mittat, per quas confirmare, vos, ipſam, quæ in Chalcedone celebrata eſt Synodus maniſeſtiſſimè oſtenditis, vt illi, qui eam deſiderant, ignominioſam nõ poſſint aliquam habere ſuſpicionem de iudicio tuæ ſanctitatis &c.

Beatus verò Leo cùm fraudem Anatolij cognouiſſet, & illorum Principum, & Concilij patientiam, & erga te reuerentiam, & beneuolentiam intellexiſſet, duabus epiſtolis, quæ ſequuntur Anatolij malitiam detexit; & quæ neceſſaria erant fuſiùs eis ſignificauit.

Imperatoribus, inter cætera, inquit, malum, quod in Ducibus ſuis eſt oppreſſum, etiam in quibuſcumque reliquijs deleatur implendum, ſi per vniuerſas Eccleſias definitiones Sanctę Synodi Chalcedonenſis Apoſtolicæ Sedi placuiſſe doceatur. De quo ratio non fuit ambigenda, cum præter cætera per fratrem meum Lucianum Epiſcopum talia ad gloriam veſtram, & Conſtantinopolitanum Antiſtitem ſcripta direxerim, quæ euidenter oſtenderint, me ea, quæ de fide Catholica in prædicta Synodo definita fuerant approbare, Sed quia in eiſdem literis ea, quæ per occaſionem Synodi malè ſunt attentata reprehenderam, maluit prædictus Antiſtes meam gratulationem tacere, quàm ſuum ambitum publicare. Mihi autem multum fiducię, Deo per vos operante, collatum eſt, quod probaſſe vos obſeruantiam de cuſtodia paternorum Canonum pietatis veſtræ affatibus indicaſtis. Et meritò geminatur gaudium meum, cum & vobis religioſiſſimè placere cognoſco, vt fides Nicæna ſuam teneat firmitatem, & priuilegia Eccleſiarum illibata permaneant &c. Quia verò modis omnibus obediendum eſt pietati veſtrę, religioſiſſimæq; voluntati conſtitutionibus Synodalibus, quæ mihi de confirmatione fidei catholicæ, & hæreticorum damnatione placuerunt, libens adieci ſententiam meam; Quæ ſi vt in notitiam omnium Sacerdotum, Eccleſiarumque perueniat veſtræ Clementiæ præceptio ordinare dignabitur, ad futurum credo, & ſpero gratiam Dei &c. vt amputatis omnibus diſſentiendi occaſionibus, Apoſtolicæ vbique doctrinæ, & pax regnet, & veritas. Hæc Leo, Auguſtis. Concilio verò quæ ſequuntur ſcripſit.

Leo ſanctæ Synodo apud Chalcedonem habitæ omnem quidem fraternitatem veſtram

ſtram

ſtam noſſe non ambigo, definitionem ſanctæ Synodi, quæ ob confirmationem fidei celebrata eſt toto corde me fuiſſe complexum &c. Hoc autem non ſolùm ab ipſo beatiſſimæ conſenſionis affectus, ſed etiam ex epiſtolis meis, quas poſt reditum meorum ad Conſtantinopolitanæ Vrbis Antiſtitem dedi, potuiſſetis agnoſcere, ſi vobis reſponſionem Sedis Apoſtolicæ manifeſtare voluiſſet, ne ergo per malignos interpretes dubitabile videatur, vtrùm quæ in Synodo Chalcedonenſi per veſtram vnitatem de fide ſtatuta ſunt, approbem, hæc ad omnes fratres, & Coepiſcopos noſtros &c. ſcripta direxi, quæ glorioſiſſimus, & clementiſſimus princeps in notitiam veſtram mittere pro Catholicæ Fidei amore dignabitur. Et eſt fraterna vniuerſitas, vt omnium fidelium corda agnoſcant, me non ſolùm per fratres, qui vicem ſuam executi ſunt, ſed etiam per approbationem geſtorum ſynodalium, propriam vobiſcum iniiſſe ſententiam. In ſola videlicet fidei cauſa, quod ſæpè dicendum eſt, præter quam quod generale Concilium, & ex præcepto Chriſtianiſſimorum Principum, & ex conſenſu Apoſtolicæ Sedis placuit congregari &c. Vnde ſi quis vmquam auſus fuerit, vel Neſtorianam perfidiam tueri, vel Eutychetis, ac Dioſcori impium dogma defendere à Catholicis eorum communione reſecetur, nec habeat eius corporis communionem, cuius abnegat veritatem. De cuſtodiendis quoque ſanctorum Patrum ſtatutis, quæ in Synodo Nicæna inuiolabilibus ſunt fixa decretia, obſeruantiam veſtræ fraternitatis admoneo, vt iura Eccleſiarum, ſicut ab illis 318. Patribus diuinitùs inſpiratis ſunt ordinata, permaneant. Nihil alienum improbus ambitus concupiſcat, nec per alterius immunitatem ſuum quærat aliquis augmentum, quantumlibet enim exortis diſſenſionibus ſe inſtituat vanitatis elatio, & appetitus ſuos Conciliorum eſtimet roborandos nomine, infirmum, & irritum erit quidquid à prædictorum Pàtrum Canonibus diſcrepauerit. Quorum regulis Apoſtolica Sedes, quàm reuerenter vtatur, ſcriptorum meorum, quibus Conſtantinopolitani Antiſtitis conatus repuli, poterit Sanctitas veſtra hac lectione cognoſcere &c. Hæc Leo Synodo.

Poſtquam Chalcedonenſe Concilium Eutychetem cum Dioſcoro damnauit, eademque etiam condemnationis ſententia Anthemium Conſtantinopolitanum Seuerum Antiochenum, Petrumque Apamearum Epiſcopos mulctaſſet, ipſi eorumque complures ſectatores, eorum inuiolata etiam hæreſi, variè decreta Concilij, Orthodoxoſque Orientis Patres, Conſtantij fauore innixi turbarunt; ſed cùm primùm Dei auxilio Conſtantius diem obiuit extremum, Conſtantinus eius filius, Patri in religione longè diſſimilis, primo quoque tempore nil ſibi potius fuit, quàm Romanum Pontificem conſulere, eumque obnixè rogare, vt miſſis ſuis Legatis vnà cum Epiſcopis in Regia ſua Ciuitate congregatis, varias controuerſias de duobus in Chriſto voluntatibus, & operationibus ſedarent. At Agatho Romanus Pontifex Imperatoris petitionibus annuens, cum primum ſuos Legatos ad futurum ſua auctoritate Concilium deſtinauit, ea tamen lege, & præcepto, vt præfati dogmatis toties diſcuſſi prolatam ſententiam, nullo pacto in diſquiſitionem venire permittant, ſed præcepit, vt Concilio in hac parte rectæ fidei regulam præſcriberent, quam ſequi omnes oportere, per epiſtolam, quæ ſequitur iam demonſtrauit, ac præcepit.

[Dominis piiſſimis, & sereniſſimis victoribus, & triumphatoribus, amatoribus Dei, & Domini noſtri Ieſu Chriſti Conſtantino maiori Imperatori, Heraclio, & Tiberio Auguſtis. Agatho Epiſcopus Seruus ſeruorum Dei. Poſt aliqua præmiſſa dirigimus, inquit, præſentes conſamulos noſtros. Abundantium, & Ioannem Reuerendiſſimos Fratres noſtros, Theodorum, & Gregorium dilectiſſimos filios noſtros presbyteros, cum dilectiſſimo filio noſtro Ioanne Diacono, & Conſtantino ſubdiacono Sanctæ huius Apoſtolicæ Sedis, &c. Quibus portitoribus & teſtimonia aliquorum ſanctorum Patrum, quos hæc Apoſtolica Chriſti Eccleſia ſuſcipit cum eorum libris tradidimus, vt facultatem ſuggerendi à benigniſſimo veſtræ charitatis Imperio conſecuti, ex his dumtaxat ſatiſfacere ſtudeat, dum Imperialis manſuetudo veſtra percipiat, quia hæc ſpiritualis Mater eorum Apoſtolica Chriſti Eccleſia, credat, & prædicet. Non per eloquentiam ſæcularem, ſed per ſinceritatem Apoſtolicæ fidei, in qua, & ab incunabulis edocti, vſque in fidem propagatori veſtri Chriſtiani Imperij, cœli Domino omnes nobiſcum deprecamur ſeruire, & obedire. Licentiam proindè eis dedimus apud ſerenitatem veſtram, dum inſerit, ſimpliciter ſatisfaciendi ſecundùm ea dumtaxat, quæ eis iniuncta ſunt, ita vt nihil præſumant augere, nihil minuere, vel mutare, ſed traditionem huius Apoſtolicæ Sedis, vt à prædeceſſoribus mei, Apoſtolicis Pontificibus conſeruata eſt enarrare &c. Et ſequitur. Hæc inquit, eſt Apoſtolica, atque Euangelica traditio, quam tenet ſpiritualis veſtri feliciſſimi Imperij Mater, Apoſtolica Chriſti Eccleſia, hæc eſt vera confeſſio pietatis, hæc eſt Chriſtianæ religionis vera, atque immaculata profeſſio, &c. quam cooperator piorum laborum veſtrorum B. Petrus tradidit, &c. cuius vera confeſſio à Patre de Cœlis eſt reuelata, pro qua à Domino omnium beatus pronunciatus eſt, qui & ſpirituales oues Eccleſiæ ab ipſo redemptore omnium, terna commendatione paſcendas ſuſcepit. Cuius adnitente præſidio hæc Apoſtolica eius Eccleſia numquam à via veritatis in qualibet erroris parte deflexa eſt. Cuius auctoritatem, vtpote Apoſtolorum omnium principis, ſemper omnis Catholica Chriſti Eccleſia, & vniuerſales ſynodi fideliter amplectentes, in cunctis ſecutæ ſunt, omneſque venerabiles Patres Apoſtolicam eius doctrinam amplexi, &c. Et ſancti quidem Doctores Orthodoxi venerati, atque ſecuti ſunt, hæretici autem falſis criminationum odijs conſecuti, &c. Et poſtremò, hæc Apoſtolica Chriſti Eccleſia per Omnipotentis Dei gratia à tramite Apoſtolicæ traditionis, numquam erraſſe probabitur, nec hæreticis nouitatibus deprauata ſuccubuit; Sed vt ab exordio normam fidei Chriſtianæ percepit ab auctoribus ſuis Apoſtolorum Chriſti principibus, illibata fine

tenus, manet secundùm ipsius Domini saluatoris diuinam pollicitationem, quam suorum discipulorum principi in sacris Euangelijs fecit. Petre, inquiens, ecce Satanas expetiuit, vt cribraret vos, sicut qui cribrat triticum. Ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. Consideret itaque vestra clementia, quoniam Dominus, & Saluator omnium, qui fidelis est, & fidem Petri non defuturam promisit, confirmare eum fratres admonuit. Hæc ille Agatho. Hæc alicui Agathonis testimonio detrahere licet, propterea quod ipse de se ipso loquitur, cùm concilia Ephesinum,& Chalcedonense,de quibus supra satis nos instruunt, quid debeatur Agathoni, ex illis, quæ omni cum reuerentia illa Concilia Leoni in re tam seria præstiterunt,quam normam secuti Patres apud Constantinopolim congregati, cùm Agathonis literę in Concilio perlectæ fuissent, & Imperator Patrum sententias rogaret:Primus omnium Gregorius Constantinopolitanus Episcopus Monothelitarum hæresi, quam priùs sectabatur Sedis Apostolicæ sententiam se profiteri respondet,ac prorsùs illi consentire, similiter & cæteri Antistites etiam stantes, his vel similibus verbis in eandem iuerunt sententiam.

[Suggestiones, inquiunt, directas à Patre nostro Agathone sanctissimo Archiepiscopo principalis Sedis antiquæ Romæ, ac coronatum à Deo mansuetissimum nostrum Dominum Imperatorem, tamquam à Spiritu sancto dictatas, per os sancti, ac Beati Principis Apostolorum Petri, prædico; & digito ter Beatissimi Papæ Agathonis scriptas suscipio, & amplector, & ita credo, ita sentio duas naturas in vno Sanctę Trinitatis Domino nostro Iesu Christo, vero Deo nostro, & duas naturas voluntates, similiter, & duas naturas in vna persona, in vna substantia inseparabiliter, atque indiuisè. Et anathematizo omnes, qui dicunt vnicam voluntatem, & vnicam operationem, post incarnationem Domini Nostri Iesu Christi, &c. Macharium autem Antiochenum Patriarcham, dictæ Agathonis sententiæ pertinaciter reluctantem, & nouum Dioscorum, vnà cum Stephano eius discipulo hæreticos pronunciarunt, & ab omni Episcopali, Sacerdotalique honore, ac ministerio alienos anathemati subiecerunt; Ab eis verò, quas ab errore Monothelitico ad pęnitentiam receperunt, libellos pænitentiæ, professionisque Orthodoxæ fidei exegerunt eiusmodi, quibus ij omnes professi sunt epistolæ sanctissimi, ac Beatissimi Papæ Agathonis se simpliciter consentire in omnibus, & permanere in cunctis capitulis, quæ in ea continentur.

Iam in prosphonetico sermone eiusdem Concilij ad Constantinum Imperatorem, inter cætera dicta legitur ab vniuersa synodo. Proinde inquiunt, inspiratione Spiritus sancti conspirantes, & ad inuicem omnes consonantes, & Agathonis sanctissimi Patris nostri, & Summi Papæ dogmaticis literis ad vestram fortitudinem missis, consentientes, necnon sanctæ, quæ ab eo est Synodi CXXV. Patrum concordantes, vnum de Sancta Trinitate D.N.Iesum Christum Incarnatum prędicamus in duabus perfectis naturis, &c. Et post aliqua. Summus autem nobiscum concertabat Apostolorum princeps. Illius enim imitatorem, & Sedis successorem habuimus fautorem, & diui Sacramenta Mysterij illustrantem. Per literas tibi confessionem à Deo inscriptam Romana antiqua ciuitas obtulit, & catholici dogmatis diem à vespertinis partibus extulit, charta,& atramentum videbatur,

Constantinus verò Imperator mittens ad Agathonem Concilij decreta, Episcopis, qui cum eo erant his verbis de optimo rerum successu congratulatur: Interfuistis, inquit, & vos cum vniuersali principe pastorum, simul cum ipso diuinitùs loquentes, tam spiritu, quàm litera?

Suscepimus enim non solùm à beatitudine eius, verùm etiam à sanctitudine vestra directas nobis literas, quæ prolarę lectę sunt, & veritatis verum stylum declarauerunt, Orthodoxamque fidem depinxerunt, &c. & tam synodicis, quàm paternis doctrinis consentiunt. Neque enim neglexímus, sed diligenter ea comparauimus. Idcircò, & omnes consonanter mente & lingua concedimus, & similiter confessi sumus, & tamquam ipsius diuini Petri vocem Agathonis relationem supermirati sumus. Non enim discrepauit nisi vnus. Nemo namque ex omnibus perijt, nisi filius interitus, pater contumaciæ, &c.

Post autem hæc, cùm impius ille Leo Imperator Iconomacorum errori fauens,sanctorum imagines omnes conteri,comburique iussisset, Beatus Gregorius ijs, ne Leonis, & Agathonis minoris se esse auctoritatis ostenderet, coacta Romæ synodo mille ferè Episcoporum, Leonem ipsum vnà cum sectationibus fidelium communione priuauit,necnon ex illis complures vnà cum eo peste interijsse fertur. Et cùm eiusdem filius Constantinus eadem perfidia laboraret, Stephanus Romanus Pontifex eadem censura eum peremit. Successit deinde alter Constantinus perfidi Leonis nepos, qui simul cum Irene matet imperio potiti, errata Patris, & Aui detestantes Adrianum Pontificem consuluerunt, rogantes vt futuro Concilio Nicęę celebrando adesse dignaretur, quo possent sacræ imagines Ecclesijs restitui, & pacem toti orienti hac impia occasione turbatam, sua auctoritate tranquillam reddere,

At Adrianus, quoddam Concilium post sextam synodum celebratam ęgreferens, propterea quòd absque Romani Pontificis auctoritate, & consensu præsumptum fuerat, suis literis illius Concilij meminit, & ad interrogata, inter cætera hoc pacto respondit;

Si verò, inquit, impossibile est ob hæreticorum vesaniam, & propter incredulitatem ipsorum, ipsas sacras, & venerandas imagines, absque synodi actione in pristinum erigere, & confirmare ratum, & nostros Sacerdotes, pro eiusmodi pia operatione vestra cupit serenissima Imperialis potentia accersere, sicut in vestris fertur Imperialibus literis. In primis pseudo illud Concilium, & quod sine Apostolicæ Sedis auctoritate irrationabiliter, nequiterque contra sanctorum venerabilium Patrum traditionem actum est, anathematizetur præsentibus missis nostris, &c.

&c. Deinde orthodoxa fides corroboretur iuxta traditionem Sedis Apostolicæ, & hæresis sacras imagines impugnantium etiam anathematizetur, &c. Cuius præscriptioni S. Synodus per omnia obtemperans, nihil minus, vt iuxta præcedentium legitimorum Conciliorum exemplum ad specialem auctoritatis eius confirmationem remitterentur, vniuersa acta synodalia, auctor fuit Tharasius Constantinopolitanus Antistes.

Et cùm de his in progressu huius libri etiam opportunè tractaturi simus, hoc loco sat fuit hæc commemorare, quibus vniformem, & perpetuam Romani Pontificis auctoritate ex ipsius vsu aduersarij cognoscere possent.

Octaua verò synodus, cum inter Photium, & Ignatium de eadem Constantinopolitana Sede dissidio agat, nil notatu dignum, præterquam Nicolai Pontificis supremum in re illa iudicium obseruatur, vt ostenderet eius esse super omnes iudicare, quorum est delinquentibus pœnas præcipere?

Cùm Ignatius vir doctrinæ, & sanctitate conspicuus Ecclesiam Constantinopolitanam omnium bonorum cum laude duodecim annos rexisset, complures eius suffraganei, & à quodam Bardo patritio etiam excitati vnà cum Michaele Imperatore eius sanam censuram abhorrentes, absque Romani Episcopi auctoritate, & consensu synodum congregarunt, in qua præsente, & fauente Imperatore, Ignatium iniurijs priùs affectum à sua Ecclesia eiecerunt, & in eius locum Photium, quemdam nuper à militia, & foro vocatum subitòque tonsuratū præter omnem canonum rationem illicò suffecerunt. Quopatrato fauiore Imperator ad Romanum Pontificem suos nuncios destinauit, qui referrent Ignatium omnium malorum, & schismatum esse auctorem, ac ob eam causam rogat mitti à Pontifice suos Legatos à latere, qui è medio scandala tollerent:

At Pontifex misit Rodoaldum, & Zachariam Episcopos, eisque præcepit, vt Ignatij condemnationis causam tantùmmodo prudenter inuestigarent, illamque Apostolicæ Sedis iudicio relaturi, cauerentque ne cum Photio aliter, quàm cum Laico, communicarent. Sed Apostolici Nuncij, cùm primùm Constantinopolim appulerint, Imperiali largitione, adeò corrupti fuerunt, vt mandatis Pontificis spretis, Ignatium ritè priuatum declarauerunt, Photijque electionem confirmarunt. Quibus sic impiè gestis, Imperator ad Nicolaum Pontificem fidum Nuncium mittit, duo afferentem volumina, quorum alterum gesta depositionis Ignatij continebat; alterum verò sacrarum imaginum statuta; qui redditis Pontifici Romano Imperialibus literis Photij confirmationem Imperatoris nomine supplex petijt;

Nicolaus verò Pontifex cognita suorum Legatorum fraude, & Imperatoris malitia, inuocata Romana Ecclesia coram omnibus, etiam Imperatoris nuncio, numquam deiectioni Ignatij consensisse declarat, suosque nuncios damnat, ac censura damnationis eos submittit, simulque Photij promotionem, tamquam sacris canonibus contrariam excęcatut, ac irritam facit. Quæ etiam, & alia huius generis multa Michaeli per literas significauit; Quiquidem Imperator, simulatque Pontificis facta intellexit, ira ac furore maximo permotus literas iniuriarum conuiciorum, ac blasphemiarum Pontifici rescripsit, illique se rebellem declarauit. Quibus Pontifex quonam pacto responderit, præter ea, quæ ex historijs nota sunt, in quadam etiam epistola ad vniuersas Asiæ, & Lybiæ Orthodoxæ fidei cultoribus apparet. Primò enim Michaelis iniurias aduersùs Sacerdotalem, Pontificiamque auctoritatem, refellit, ac diuinarum scripturarum auctoritate, & Christifidelium communi consensu confirmat, propter officium, & dignitatem Sacerdotes, & Pontifices venerandas esse; esto quod vita esset reprehensibilis. Et ex figura etiam veteris tabernaculi Apostolicæ Sedis præsidentes obsequendum esse, cùm illius Sedis ministri sint, quibus Orthodoxam fidem in Catholica Ecclesia conseruatam, ac sustentatam esse, certum ac notum est. Necnon, inquit, priuilegia Christi ore in B. Petro firmata, atque ab ipsis Apostolis disposita in Ecclesia obseruata antiquitùs, celebrata quoque à sanctis vniuersalibus Concilijs, ab vniuersa denique Ecclesia iugitet venerata, ac recognita, nullatenùs possunt minui, nullatenùs infringi, aut commutari. Quod enim fundamentum Deus posuit, humanus non valet amouere conatus, sed firmum, validumq; consistit. Infringi proinde posse ad his, qui Dei ordinationi conantur resistere, sed non transferri, velut radicata, & plantata diuinitùs, & quę ante Imperium vestrū fuerunt, & permanent, Dei gratia, hactenus illibata permanent permanebuntq; post vos, & quousque nomen Christianum prædicatum fuerit, immutilata subsistere non cessabunt. Et ad id, quod ipse de Ignatio, & Photio deliberauerat epistolam conuertens inquit. Quod etsi Apostolicæ Sedis sententia à nullo hominum retractari posset, voluit tamen Photij causam iterum audire, ne ille de se queri posset, inauditum, & minimè defensum à Sede Apostolica damnatum fuisset. In hac igitur causa, secundùm indulgentiam, inquit, hoc concedimus, non licentiam id faciendi tribuimus, pro cuiusque libito. Ac ob id iussit vtramque partem ad renouandum examen Romam venire. Quod autem secundùm indulgentiam id fieri præceperit, non autem iuxta Sedis Apostolicæ auctoritatem, his, quæ sequuntur verbis comprobat, cum dicit; Cum enim vbi est maior auctoritas, inferiorum iudicium illo referri iubent canones, patet vtique Apostolicæ Sedis, (Cuius auctoritate maior nulla est) à nemine retractari posse iudicium, nec de illo iudicare à quoquam, ab illa neminem appellare, ad quam ex orbe vniuerso vltima prouocatio conceditur secundùm ecclesiasticas regulas. Hæc ipsa etiam sanctorum Patrum sententijs comprobari, Bonifatij præsertim, & Gelasij, & statuens illas nominatim, quos ad causæ cognitionem intelligendam peritos vtrinque cognouerit, hęc etiam verba adiecit. Confidimus autem in Domino, qui fecit de tenebris lucem splendescere, & qui dat homini scientiam, quoniam si partes, quas diximus ad illius limina peruenerint, qui mentientes Ananiam

cum

cum Saphira gladio Spiritus sancti interuenit, si qua sunt incerta, & abdita reuelabuntur, & manifesta fiant, quia nos hoc semper in votis habemus, & inhianter desideramus, vt æqualitatem vtrisque partibus seruantes, nihil nisi quod æquitas dictauerit adiuuante Domino statuamus;

Hæc est complura huiusmodi in ea continentur epistola, quæ qualis, & quanta Romanis Pontificibus sit auctoritas, apertissimè demonstrat, adeo vt, omnia, quæ in supra memoratis Oecumenicis Concilijs sunt statuta, cæteraque à Leone, Liberio, Anastasio, Gelasio, Agathone, Felice, Damaso, cæterisque supra memoratis Pontificibus facta sunt obsignare videtur. Nam cùm in Oriente res prorsus deperditæ, & desperatæ viderentur, Nicolai prouidentia, & auctoritate res eò tandem reducta est, vt Constantinopolim quarto congregato vniuersali Episcoporum Concilio Apostolicæ Sedis de Ignatio, & Photio iudicium comprobatum est, illudque executioni mandatum, nam in Photium damnationis sententia confirmata suę Constantinopolitanæ Sedis Ignatius restitutus est.

Hæc siquidem sunt, pie lector, quæ ante, vel circiter mille ferè annos gesta sunt, quibus puto satis esse ad illa impia istins verba refellenda, quæ initio sui operis disposuit, idest an Petrus fuerit primus, & Romæ Episcopus, cæterique successores eadem auctoritate pollentes, simulque Sedem illam Romanam non pestilentiæ, sed summæ sanctitatis, & auctoritatis esse. Sat etiam his principio operis minùs peritis consultum est, ne ab illius commentis facilè deciperentur.

Et demum instar casuum quarumdam, seù aggerum huius operis principio consulto ista proponere censuimus; Complures verò Pontifices, innumerasque patres, necnon complura concilia, vel distulimus in progressu libri commemorandas, vel prætermisimus, vt cunctis pateret non nisi illorum temporum facta nos attulisse, quæ aduersarij, vel non prorsus abhorrent, vel difficilè illa calumniari possunt.

Si quæ tamen præter hęc à pijs Viris hic vlteriùs desiderantur, boni consulant, quoniam iste in progressu sui libri, tot, & tanta in suis titulis commouebit, & excitabit, vt lacessiti, nostri muneris erit ita omnia, & omnibus modis attingere, vt nihil quòd ad rem faciet prætermisisse videamur.

Ne autem recentiorum Conciliorum, ac Patrum nullam videamur hoc loco habuisse rationem, his tantùm addendum iudicauimus, quod postremò decretum, & illatum est ab eo Concilio Florentino, in quo Latinorum, & Græcorum vnionem factam esse legimus, cuius quidem verba hæc sunt.

[Definimus sanctam Apostolicam Sedem, & Romanum Pontificem in vniuersum Orbem tenere primatum, & ipsum Romanum Pontificem successorem esse beati Petri principis Apostolorum, & verum Vicarium Iesu Christi totiusque Ecclesiæ caput, & omnium christianorum patrem, & doctorem existere, & ipsi in B. Petro pascendi, & regendi, & gubernandi vniuersalem Ecclesiam à Domino Iesu Christo plenam potestatem traditam esse, quemadmodum, & in gestis Oecumenicorum Conciliorum, & in sacris Canonibus continetur.

Postquam verò quindecim mensium spatia inter Latinos, & Græcos disceptatum esse, supradicto decreto omnium consensu deliberato oratores Patriarchæ Græcorum, ac Armeniorum, his verbis se subscripserunt.

[Nos igitur oratores nomine nostro, nostrique Reuerendi Patriarchæ, & omnium Armenorum, hoc saluberrimum Synodale decretum cum omnibus suis capitulis, declarationibus, definitionibus, præceptis, & statutis, omnemque doctrinam in ipso descriptam, necnon quicquid tenet sancta Sedes Apostolica, & Romana Ecclesia cum omni deuotione, & obedientia acceptamus, suscipimus, & amplectimur. Illos quoque doctores, & sanctos patres, quos Ecclesia Romana approbat reuerenter suscipimus.

Quascumque verò personas, & quicquid ipsa Romana Ecclesia reprobat, damnat, nos reprobatos, & damnatos habemus, profitentes tamquam veri obedientiæ filij nomine, quo supra ipsius Sedis Apostolicæ ordinationibus, & successionibus fideliter obtemperare.

Pater verò, cuius sententiam postremò hic adscribendam decreui, Beatus ille est Bernardus, cuius doctrina, & vitæ sanctimonia non proteruientes ad Idem sentiendum, quod ipse sentit trahere potest.

Diuus igitur Bernardus cùm Apostolico quodam Spiritu ductus ad Eugenium Romanum Pontificem de sua suprema auctoritate, & muneribus à Christo sibi collatis scriberet, ac singula adamussim explicaret, & ad cœlum vsque efferret, quasi perorans, ea, quæ nesciuerat in vnum colligens, sic inquit.

Sed iam nunc repetendæ sunt reliquiæ loci illius, à quo paulò ante diuertimus. Age indagemus adhuc paulò diligentiùs Eugenium alloquens. Qui sis quam geras pro tempore personam in Ecclesia Dei. Quis es, Sacerdos magnus, Summus Pontifex, tu princeps Episcoporum; Tu hæres Apostolorum. Tu primatu Abel; Gubernatu Noe. Patriarchatu Abraam; Ordine Melchisedech; Dignitate Aaron; Auctoritate Moyses; Iudicatu Samuel; Potestate Petrus; Vnctione Christus; Tu es cui claues traditę sunt, cui oues creditæ sunt. Sunt quidem, & alij cœli ianitores, & gregum pastores, sed tu tantò gloriosior, quantò differentius vtrumque nomen præ cœteris hæreditasti. Habeut illi sibi assignatas greges, singuli singulas, tibi vniuersi crediti, vni vnus, nec ouium modò, sed & Pastorum; Tu vnus omnium Pastor, &c.

CAPVT XVII.

Soluuntur obiectiones.

SEd his, & supra dispositio ordine constitutis, quibus iam compertum est, Matthię sui libri priora verba aduersùs Petrum suosque successores, & Romanam eorum Sedem, cæca impietate peccare, possemus vtique cœptum suum librum prosequi, præsertim cum

eum in sui progressu, nullum non moueat lapidem, quo possit sua commenta tueri, quibus refellendis nobis datur occasio de omnibus differendis, ac afferendis (quæ supra, vel breuitatis causa omisimus, vel ne iterum, atque iterum repeteremus illa, de quibus infra suis in locis speciatim agitur) tamen eisdem de causis principio explicatis, quibus hæc omnia initio libri præmisimus, eisdem etiam, aliquorum præsertim auctorum centuriarum his obiecta referemus, vt veritas ipsa magis, magisque elucescat, & nos etiam aliquo leuemur labore respondendi his, quæ inferiùs ab isto suo libro sæpliùs reperentur.

Et vt istorum omnium præcipua commenta compendio perstringamus, quæ aduersùs potissimùm tres, cùm quibus illis perpetuum est bellum, afferemus. Sunt autem hi tres, Christus Dominus noster; Petrus, & Apostoli, eorumque successores, ac Romana Ecclesia; hoc est aduersùs Dominum, & Magistrum; Aduersùs Patrem, & Pastorem; & aduersùs matrem, cuius lacte Dominicus grex, pasci, & nutriri diuino ore præcipitur; Aduersùs autem Christum, hoc pacto obganniunt, scilicèt, quòd eo coram Pilato constituto, Regnum suum de hoc mundo esse negauit; Signumque rei credendę subiecit, cùm ait. Quoniam si de hoc mundo esset regnum meum, vtique mei ministri decertarent, vt non traderer Iudæis.

Et cùm admiraretur Pilatus Christi silentium, eique dixisset, potestatem se habere dimittendi, vt cruci affigendi eum; Respondisse legimus, Non haberes potestatem in me vllam, nisi tibi datum esset desuper. Quibus verbis inquiunt. Si Christus potestatem laicam supra se confessus est, eamque cœlitus ordinatam esse, quantò magis cœteris ad ipsum præceptum esse Iudicari debet.

Narrat etiam D. Ioannes, quòd cùm venturos Iudæos cognouisset Dominus, vt eum regem constituerent, aufugit solus in montem, quo facto præcipitur, subiungunt ipsi, mundanas dignitates contemnendas esse.

Ad hęc roganti cuidam Christum, vt diuidendæ hæreditatis inter eum, & fratrem suum iudex esse vellet, respondisse. Homo, quis me constituit iudicem, & diuisorem super vos.

Et cùm Christus coactiuę sęculari potestati se subiecerit, is enim capi, & duci ad Pilatum, ac ab eo iudicari, vsque ad mortis supplicium, permiserit, apertè ostendit, omnes sęcularibus iudicibus subditos esse.

Hæc & complura huius generis obiecta afferunt, quibus temporalium dominium Christo adimunt, ea potissimùm causa ducti, vt Petro, eiusque successoribus idem faciliùs facere posse viderentur, & cum hoc non charitate, sed cæco odio moti dixerint, dum quod notissimum est insectantur, nobis eo, hac occasione moti demonstrato, quod minus de Petro, eiusque successoribus videtur compertum perspicuum fiet.

Et vt manus conferamus, si quis percunctaretur, qua ratione factum est, vt corpus Christi, cuius anima gloriosa erit, & ipsius gloriæ redundantiæ, gloriosi corporis dotibus in terris ante mortem non potiretur, quid respondere posset, nisi id quod respondere coguntur, illi qui temporalium Dominum Christo negant? nempè quod ipse pro nobis pœnas daturus, nosque sua vita, & doctrina eruditurus, vsque ad patris præstitam obedientiam, ac hominibus Deo conciliatis, illa, quæ his præstandis impedimento esse poterant, non negata, & adempta ipsi sunt, sed ad congruum vsque tempus dilata, ac ob eam, causam non nisi cum à templo ementes, & vendentes flagello eiecerit, temporali dominio Christum vsum esse legimus.

Quòd reliquum est, doctoris, & serui formam, quam pro nobis assumpserat, & inquam nostra crimina transtulit punienda, vsque ad mortem, mortem autem crucis retinuit. Sed pro nobis iam sua passione, parta iustitia, qua Deo nos reconciliauit, & sibi nomen supra omne nomen acquisiuit, non legis eum dixisse. Data est mihi omnis potestas in cęlo, & in terra? Et principem regum terræ à Ioanne appellatum.

Quinimmò, etiam ante mortem, interrogante Christum Pilato; Ergo Rex es tu? illi Dominum respondisse legimus. Tu dicis, quia Rex sum ego. Ego enim, inquit, ad hoc natus sum, & ad hoc verò in mundum, vt testimonium perhibeam veritati.

Vt eorum verbis propiùs accedentes, respondeamus, primò monitos illos facimus, non dixisse Christum, Regnum suum non esse in hoc Mundo, sed non esse de hoc Mundo, hoc est hominum electione, vel carnali successione, vel quibusuis mundanis causis, sed à patre suo dumtaxat; Et vt suorum verborum sensus nullis cauillis subiaceret, quasi ex pręmissis sic intulit. Nunc autem Regnum meum non est hinc, idest de hoc Mundo exordium non habet, sed vtique est hic attingens à fine, vsque ad finem fortiter, & postula à me, & dabo tibi gentes, & possessionem tuam, &c.

Mirabile tamen est, quod istorum calumnias, quinimmò blasphemias præuidens Dominus, supremam illam potestatem, quam in terris vni commissurus erat, quamuis Petro illam promiserit, eam tamen non tribuit, nisi postquam dixit; Datam esse sibi omnem potestatem in cęlo, & in terra, vt intelligeremus, aliam rationem esse ante præstitam obedientiam, & post pro nobis pęnas solutas, ac Deo patri satisfactum.

Eò etiam tendunt his similia supra allata, quibus hoc pacto respondetur, Dominum ab illis fieri regem noluisse, quoniam non hinc, sed hic regnum sibi debetur, & obtinet. Cur autem eò ante mortem in terris vsus non sit, causa supra exposita est, cui, & hæc etiam inter complures, quas omittimus addi potest, hoc est, quod si ab illis factus, & declaratus Rex fuisset, diuinæ virtuti derogatum esset, quæ eum Regem fecerat, & eiusdem etiam doctrinæ, quæ non nisi sibi ipsi innixę virtutem, & robur habere debebat, Item negauit se esse iudicem constitutum inter duos fratres de hęreditate diuidenda contendentes, tùm quia ipse non erat dissentionis, sed pacis, & vnitatis auctor, & qui venit non, vt fratrum vnitatem disperderet, sed vt illos, cæterosque homines Deo, & Angelis sociaret, coniungeretque, tum etiam, quia congruus ordo exposcit, vt minora minoribus comitan-

tantur; Exemplo Moysis, qui Ietri consilio vsus, minores sibi ministros constituit, qui minora his similia tractarent.

Cuius obiecti exactam dilutionem, Diuus Ambrosius super eadem verba affert, cùm dicit; Non dignatur Dominus esse, Iudex litium, aut arbiter facultatem, qui viuorum, & mortuorum habet iudicium, & meritorum arbitrium.

Verba autem, quæ Pilato Christus dixit, ex his etiam dilucidum sensum sumere possunt; Nam cùm scias Christum in Mundum venisse, vt pro nobis passioni, & morti se submitteret. Cùm hæc sine executionis ministro fieri non potuerit, Pilatum illum esse, Christus illis verbis declarauit; quod autem verba illa Domini hoc expresserint, vel ex eo claré liquet, quoniam Cœsar, cuius Pilatus in Iudæa vires gerebat, & Romæ, & Hierosolymis tyrannidem exercebat, ac ob id non de illa tyrannica potestate, quæ iure diuino prohibetur Christus loquebatur, sed de ea executionis facultate permissa, quæ suæ passioni, & morti subeundis opus erat.

Idemque dicendum est de ea permissa potestate, qua Christus captus, ductus, iudicatus, & morti traditus est.

Et demùm quemadmodum ob nimiam charitatem erga nos, formam serui suscepit, ita etiam Pilati iudicio se submisit, vt priuatus tamen, non tamen ea ratione, qua in dignitate constitutus erat.

Et cùm hęc, & similia, necnon, & dissimilia Christo perperam, vel tributam, vel illi dempta, nullam veritatis habeant apparentiam, sat fuit id, quod innuimus ad istorum figmenta destruenda compluta, eisque potiora, quæ aduersùs Diuum Petrum eiusque successores, ac Romanam Ecclesiam afferunt proponemus, illisque examinatis satisfaciemus.

Et primò nos frustra laborare arguunt, dum humana ratione ducti Monarchicum regimen in Christi Ecclesia statuere volumus, vt vnum visibilem monarcham Petrum eiusque successores inferremus, cùm Christus Legislator noster, cuius est, leges, & viuendi modum decernere, alia, & alia ratione suum gregem pasci, ac regi voluerit.

Et cum inter Apostolos, inquiunt, de primatu disceptaretur, Dominum eas increpasse legimus, illisque his verbis prohibuisse primatum, cùm dixit Reges gentium dominantur eis, Vos autem non sic, quinimmò, vt apertiùs mentem suam illis aperiret, statuit, vt qui inter eos maior fieri voluisset, esset illorum sicut minimus, & ne hoc statuit genus illis durum videretur, sui imitationem illis obseruandam proponit, scilicet, quia non venerat ministrari, sed ministrare.

Et perquirentibus Iudæis, an liceret censum dari Cęsari, respondisse Christum. Reddite, quæ sunt Cœsaris, Cœsari, & quæ sunt Dei, Deo; quibus etiam Chrysostomi sententiam addunt, eamque probant, qui ait; Tu autem cum audis; Reddite, quæ sunt Cœsaris, Cœsari, illa scito eum dicere solni, quæ in nullo pietati præiudicant, quia si aliquid tale fuerit, non adhuc Cœsaris est, sed diaboli tributum. Hæc duo afferre solent illi præcipua, quibus in vniuersum regionis formam in Ecclesia à Christo institutam esse arbitrantur; quæ quidem cum primatum eorum sententia, in Ecclesia prohibeant, ac omnes nullo facto discrimine sęculari principatui subesse debere, superuacanea inquiunt, sunt quæcumque ex scriptis, vel humanis rationibus, ac hominum preceptis statuuntur.

Nos verò priusquam cœtera, quæ aduersùs Petrum, eiusque successores isti afferunt, proponamus paucis his duobus eorum, vt putant, axiomatibus respondebimus.

Et primò integra Christi verba afferamus, vt ex illismet, quibus aduersarij innituntur responsum, & nos etiam desumamus. Reges gentium, inquit Dominus, dominantur earum, & qui maiores sunt potestatem exercent in eas (vos autem non sic) sed quicumque voluerit fieri maior, & quicumque voluerit in vobis primus esse, erit omnium seruus. Nam, & filius hominis non venit ministrari, sed vt ministraret, & daret animam suam pro multis redemptionem, &c.

His Christi verbis Regum gentium dominium dumtaxat à Domino prohibetur, simulque ipse prohibitionis causam assignat, nimirum, quia Reges gentium dominantur earum, quibus præsunt. Regimen verò ad Christum regem regum, suamque Ecclesiam, & demùm ad vitam æternam relatum: sicuti Christianorum Regnum, & regimen esse debet, minimè hic prohibitum esse apparet.

Quod verò Dominus primatum suis verbis non prohibuerit, sed regendi, & præcipiendi dumtaxat prohibitam rationem, verba sua explicant, cùm dixit: Vos autem non sic, ac si dixisset, quia huius regiminis modus rectus non est, & à mea religione alienus, ideò vobis prohibetur; Qui quidem regendi, ac præcipiendi tyrannicus modus, non modò ecclesiasticis Præsidibus interdicitur, sed etiam Christianis laicis Principibus, quotum potissimùm etiam esse debet, vt omnia, quæ imperant ad Christum, suamque Ecclesiam, vitamque æternam dirigantur. Et illa imperare, quæ Christo digna, suæque Ecclesiæ vtilia esse nouerint, & suis subditis omni ex parte opportuna.

Et quamuis priusquam Petro Pastori summo, Christus omnium ouium suarum curam demandaret, de amore erga se ter percunctatus sit, genus præcepti regiminis demonstrans, tamen illis etiam verbis, & modis, quibuscumque sub Christo metentibus Principibus eadem charitate, & fine, illud exercendum esse committitur; Prohibet secundò primatum, etiam illis, qui à seipsis, vel sua sponte voluerint alijs esse maiores, non autem illas prohibitas videmus, qui ad ministerium suscipiendum, eoque fungendum, quemadmodum Aaron, vocantur. Et cùm Apostoli de ea profana primatus ratione disputarent, quæ à Christi religione aliena esse debet, ideò interdicta, ac prohibita à Christo fuit.

Sed illam tamen probatam legimus, quam nullus ambitus, nullusque humanus finis præcederet, quemadmodum de Petro legimus, illi enim, priusquam dictum fuerat, Et tibi dabo claues Regni Cælorum, & postremò ter, Pasce oues meas nulla in eo præcessit iactantia, nullaque ambitio, non enim

ipse

ipse fuit, qui alijs voluerit esse maior, sed eo inscio Dominus eum voluit omnibus esse maiorem.

Igitur, illis, qui voluerint in Ecclesia esse maiores, dumtaxat primatus interdicitur, Sedis, vt dictum est, quem Christus voluit esse maiorem, iure optimo alijs præesse potest.

Quod vero suo exemplo infert, ad ministerij exercitationem spectat, vt sciant Ecclesiæ Præsides omnes, munus illis demandatum, non in suam, sed ad Dei gloriam, & ouium Christi commodum, salutemque assequendam institutum, illisque præceptum esse.

Sensus igitur verborum Christi perspicuus est, quod suæ Ecclesiæ regimen, quatuor circumstantijs constare debet, hoc est, non dominari sibi subditis ouibus, sed forma facta gregis ex animo agendum. Neminemque se ad regimen ingerere, sed sicuti Aaron vocatus accedere, persuasum habere omne munus, omnemque dignitatem in Ecclesia constitutam esse in ministerio, illudque ouium potiùs, quàm ministrorum gratia potissimùm exercendum esse. Et postremò inquit Christus, vsque adeò præcepti ministerij propositum iure diuino se extendere debet, vt animam suam ministri pro ouibus sibi creditis exponere debeant.

Alterum verò ex D. Matthęo sumptum, facilè soluitur, si causam interrogationis, & factum perpenderimus. Causam enim præcedenti a Matthæi verba indicant, cùm inquit; Tunc abeuntes Pharisæi Concilium inierunt, vt Iesum caperent in sermone. Quæ autem esset hæc captio, & à quibus occasionem sumebat, D. Hieronymus ibidem insinuat, dicens. Nuper quidem sub Cæsare Augusto Iudæa subiecta Romanis, quando in toto Orbe est celebrata descriptio stipendiaria facta fuerat, erat in populo magna seditio, dicentibus, alijs pro securitate, & quiete, quàm Romani pro omnibus militarent, deberi tributa persolui. Pharisæis verò, qui sibi applaudebant in iustitia, è contrario nitentibus, non debere Populum Dei, qui decimas solueret, & primitias daret, & cætera, quæ in lege scripta sunt, humanis legibus subiacere. Hæc Hieronymus.

Hanc igitur Pharisæi nacti occasionem, tentandi causa, mittunt ad Iesum discipulos suos cum Herodianis, hoc est Herodis militibus, vel illos homines sic vocabant, quoniam tributa soluebant, minùsque cultui diuino deditas esse sciebant. Eo igitur animo Dominum tentatum mittunt, vt si religionem, ac instituta maiornm veritus, non esse soluendum tributum Cæsari responderet, læsæ Maiestatis, Herodiani eum esse reum apud Cæsarem accusarent, si verò Cæsari dandum tributum assereret, eum læsæ Maiestatis diuinæ reum esse apud Principes Sacerdotum eorum discipuli testimonio esse possent.

At Dominus eorum cognita nequitia non ad petita, sed ad petitionis causam respiciens nil aliud respondit, quàm reddenda esse Deo, quæ Dei sunt, & Cæsari, quæ Cæsaris essent, ita quod nihil eorum, quæ tentantes volebant assecuti sunt, quemadmodum nihil etiam hæreticis illa verba fauent, nam sicut nihil dandum Deo, vel Cæsari speciatim Dominus decreuit, neque quid etiam, quæ Dei, vel Cæsaris essent declarauit, ita his verbis neminem ad tributum soluendum adstrinxit, sed diuina præcepta, ac humana iura instituta recta ratione seruanda esse, quod quidem cùm nemo neget, nilque aduersariorum commentis faueat, ineptè quidem in medium ab illis allatum est.

CAPVT XVIII.

Aduersùs Petrum Ecclesiæ comparatum obiectionum solutiones.

SEd iam multis modis Petro auctoritatem adimere conantur;

Primò enim quæcumque illi à Domino dicta sunt, eius supremam auctoritatem statuentia, vel tollunt, vel ita imperitis sermonibus inuoluunt, vt eorum sententia nihil eminentiæ Petro superesse possit.

Et vt à collatis clauibus exordiamur, illas nullo pacto Petro conuenire contendunt, sed quidquid Petro dictum esse videtur, totum Ecclesiæ referendum esse, nam cùm Beatum eum Dominus dixerit, & quod caro, & sanguis mysterium illud ei non reuelauerit, sed Pater dumtaxàt cælestis, cuius causa claues regni cælorum promissæ sunt, hæc inquiunt cùm nulli mortalium conuenire possint, Ecclesiam ipsam, cui verba illa soli conueniunt, Petrum repręsentasse profitendum est.

Quod autem hoc verum sit, rerum, inquiunt, euentus apertè ostendunt, nam si Petrus ex illa mirabili Patris reuelatione, & clauium possessione beatus censendus esset, mortem Christi, cuius satisfactione, & meritis Ecclesia constituta est, & cui claues inseruituræ erant non abhorruisset, neque dixisset, absit hoc à te Domine, mortem suam innuens quinimò vt hoc apertius appareret Dominus eum tunc sathanam appellauit, ac eum nō sapere quæ Dei sunt exprobrauit. Quibus apertè constat non Petro, sed Ecclesiæ per Petrum supramemorata verba dicta, & claues pollicitas fuisse.

Arguunt etiam ex eo, quod Petrus firma Petra non perseuerauit, hoc est in firma fidei confessione; & postquam errauit claues illi iterum minimè sunt collatæ, igitur Ecclesiæ datas esse confitendum est.

Item ex electione, & morte Papæ hoc pacto apertè deduci posse credunt, cùm Papa, inquiunt, eligitur, si secum non affert claues, & à nemine hominum haberi possunt, nonne ab Ecclesia illas accipere oportet?

Item cum moritur, cui relinquit claues, nisi Ecclesiæ, à qua illas accepit.

Ad hæc etiam suum propositum ex verbis Diui Augustini inferre posse existimant dicentis, Petrus Apostolus propter Apostolatus sui Primatum Ecclesię gerebat figuram generalitate personam, igitur in Ecclesia non in sua persona claues accepit.

Idem Augustinus, quid enim, inquit ad ipsum Petrum propriè pertinet, nam vnus homo erat, gratia vnus Christianus, abundantiore gratia vnus, idemque primus Apostolus, sed quando ei dictum est tibi dabo cla-

ues regni cęlorum, vniuersam significabat Ecclesiam.

Idem super Psalm. 108. Sicut quędam, inquit, dicuntur, quę ad Apostolum Petrum pertinere videntur, neque tamen habent illustrem intellectum, nisi cùm referuntur ad Ecclesiam, cuius ille agnoscitur in figura gessisse personam propter primatum, quem in discipulis habet, sicut est tibi dabo claues regni cęlorum, ita Iudas personam sustinet inimicorum Christi.

Ex beato etiam Cypriano idem affirmat cum dicit, [quamuis Apostolis omnibus post resurrectionem suam parem tribuat potestatem, tamen vt vnitatem manifestaret, vnitatem eius originē ab vno incipientem, authoritate sua disposuit. Hoc itaque erant cæteri Apostoli, quod Petrus fuit, pari consortio præditi, & honoris, & potestatis, sed exordium ab vnitate proficiscitur, vt Ecclesia Christi vna monstretur, vnde uon vnus, sed vnitas claues appetit.]

Has eiusque generis complures Aduersarij suasiones proponunt, & vt Petro, eiusque successoribus aliquo pietatis, & euidentiæ titulo detrahere possent, sub Ecclesiæ vmbra sua commenta reponunt, nec verentur illi tribuere, quæ nec Christus statuit, neque illa præstare posset, vt tamen suis, similibusque obiectis fiat satis, & huius rei sensus perspicuus fiat, inter cætera nonnulla perpendenda selegimus, ab istis vel ignorata, vel de industria dissimulata, quorum primum est in sacris literis præsertim, vbi de rerum summa, hoc est de regimine Ecclesiæ præstando agitur, quid verba Christi præcipientis, ac instituentis iuxtà literarum sensum, primum, atque potissimum significent, deinde verò quid repræsentatio moueat, atque demonstret.

Aliud verò consideratione dignum est, nempè quo in genere repræsentationis, aliquid alterum repræsentare potest, vt id, de quo agitur congruè perspicuum fieri possit, quo quidem ignorato, aut prætermisso, & res ipsas repræsentatas, sæpè numero ignorare oportet.

Et ad primò memoratum reuertens, si cùm Christus Simonem esse Petrum dixit, atque Beatum, clauesque regni cęlorum promisit, nil Petro collatum esse dixeris, sed eum dumtaxàt repræsentātis personam egisse, quid obsecro verbis illis Domini in re tam præcipua exprimenda, ac præcipienda, iuxta literę sensum iudicari potest.

Quod si nil literali sensui dandum esse contendas, ac ob id nihil Petri personæ dictum esse, locutio illa Domini, & Petri in Parabola tota versabitur, ipsumque Petrum vmbram, & alterius personam gerentem dumtaxàt institutum esse. Quod quidem monstrum si in sacris Scripturis admitteretur, omnia quantumuis grauia, & perspicua, suo sensu quisque detorquere posset. Non enim aliarum rerum literali sensu exprimendarum maior ratio erit, ista, quæ præcipua est, quo minùs possint homines vsi Parabolis, suo sensu, suoque proposito rebus, significata tribuere.

Cùm igitur ista à ratione, & scripturarum sinceritate, & veritate aliena sint, dicendum, ac millies repetendum, literali sensui consulendum esse, deinde verò quid repræsentationis ratio exigat demonstrandum, quæ quidem eo pacto admitti licebit, cùm literali, & genuino intellectui minimè detrahi possit.

Promissæ igitur sunt Petro claues, eademque etiam Ecclesiæ per Petrum repræsentatæ, sed in exercendarum clauium ratione, nonnisi suos in eadem potestate successores repræsentault.

Quonam verò modo Ecclesiam repræsentare potest, sequentia Christi verba demonstrant, ait enim. Et portæ inferi non præualebunt aduersùs eam. Et auertens ab Ecclesia ad Petrum ait. Et tibi dabo claues regni cælorum, hoc est, eo fine dumtaxàt, tibi dantur claues, quibus vtaris, vt inferorum portæ aduersùs Ecclesiam præualere non possint, & vt vtrumque propositum, paucis, & clariùs exprimatur.

Dicimus Ecclesiam vnam esse, quæ omnes, & Petrum ipsum complectitur, eamque cùm claues Petrus accepit etiam repræsentasse. Sed cùm Ecclesia vnio Fidelium sit, illos ex eadem Ecclesia repræsentasse, quod Dominus in ea voluit præpositos esse, quos quidem, non Ecclesia, sed Dominus ipse, si illi, & Diuo Paulo credis, disposuit, ac iuxtà cuiusque exercendi munus, modum constituit.

Quod si hæc clariora desideras, perpende quæ sequuntur, quæ si cum superioribus conferas, cùm eiusdem ferè generis sint, vicissim se illustrabunt, simulque animum tranquillum reddent.

Cùm igitur multiplex sit repræsentandi genus, illud proposito nostro inseruiet, quod cùm Petrus claues accepit, Christum ipsum illarum datorem, successores ministros, ac Ecclesiam, in cuius gratiam datæ sunt, ritè repræsentare debuit,

Et vt cætera, quæ ad rem non admodum faciunt, mittamus, genus illud repræsentandi suscipimus, cùm quis alicuius auctoritate, & potestate agit, & quo plura eadem auctoritate facere potest, & illi similior, & dici, & esse potest, hoc enim pacto proregem Regem repræsentare dicimus, & Vicarium Episcopum.

Item Apostolos Christi legatione fungi aiebat Paulus, qua etiam ratione Petrum Christum repræsentare dicimus, & quid clauium ratio maior in illo fuit, & præ alijs Christum Dominum repræsentasse, præcipuaque in terris auctoritate vsum esse. Quod quidem de solo Petro loquens Origenes his verbis innuit. Vide, inquit, quantam potestatem habeat Petra, super quam fundatur Ecclesia, vt eius iudicia maneant firma, quasi Deo iudicante per eam. Qui quidem repræsentandi modus, cùm ad Christum solum referatur, Ecclesiæ minimè competere potest.

Est etiam, & aliud repræsentandi genus, nostro proposito admodum accommodatum, nempè, cùm quispiam ab aliò aliquid accepe. rit ad similes posteros eadem ratione, & causa perueniendum, sic enim dicimus, quamuis dispari ratione, originalem iustitiam Adæ tributam, suæ posteritati, si paruisset, etiam condonatam.

Idem etiam de Regulis dici potest, quia

Re-

Regibus ditiones obtinent, ad suos in eadem dignitate successores, & posteros deriuandam.

Et postremò quamuis in re dissimili, idem fecisse Petrum affirmamus. Accepit enim ipse solus à Domino claues regni cœlorum, ad ipsam tamen Ecclesiam duplici iure perueniendas, hoc est ad eius ædificationem, & conseruationem, & denique ad vitam æternam consequendam, necnon ministros omnes, præsertim sui similes, ab Ecclesia suis modis sumendos esse, qui quamdiù ipsa durauerit, illi iuxta Christi, & Spiritus sancti institutiones, & monita in ea obsequi, instituire, & præcipere deberent, hoc enim pacto cùm Petrus claues accepit, Ecclesiam ipsam repræsentasse dicitur. Similiter etiam ea ratione claues suscepisse ad posteros de Ecclesia perueniendas affirmamus.

Quam quidem repræsentationem, adeò Ecclesiæ necessariam, vt per ipsam in Ecclesia, de Ecclesia ministros omnes perpetuò ita sumendos esse debere, sicuti Petri exemplo faciendum esse demonstratur,

His compendio demonstratis, iam patet quid istorum obiectis respondendum sit.

Et primò cùm proponitur totum id, quod Petro à Christo dictum fuit, ad Ecclesiam prorsùs referendum esse facilè respondetur, quod illa, quæ Petro, vt priuato homini dicta sunt, nimirum neque caro, & sanguis, sed Pater cœlestis, ei reuelauit, ac ob id beatum appellatum, non Ecclesiæ, sed vni de Ecclesia dicta sunt. Quæ etsi suapte natura nulli mortalium conuenire possunt, præueniente tamen, ac iuuante Dei gratia, sicuti vni Petro factum est, ita cuicumque ipse Deus voluerit fieri posse, minimè dubitandum est.

Si verò clauium regni cœlorum collationem spectes, sicuti vni Petro Christi Ecclesiæ visibili capiti primùm collatæ sunt, ita etiam Ecclesiam ipsam Petrum repræsentasse, vt perpetuò in ea claues futuræ essent, & vt dictum est, ex ea homines assumendi, qui diuina munia ad Ecclesiæ Præfectum præstaturi sunt.

Aliud verò, quod sequitur obiectum, adeò elumbe est, vt miremur cur isti tanti faciant. Primum enim ignorare minimè debuerunt aliam esse rationem non peccandi, alia verò munia exercendi. Instituit vtique Christus Petrum supremum futurum, ministrum non autem ei dedit, vt peccare non posset, imò sanctorum Patrum innumeræ sententiæ extant, quę consultò Deum Petri errata permisisse affirmant, vt qui futurus esset supremus Pastor, disceret, suo casu, quomodo cum ouibus sibi credendis sufferendo, parcendo, ac cum charitate corrigendo se gerere debuisset, & tamen id, quod in Petro peccatum appellant, in Christo non reprehendunt. Petrus, inquiunt, cùm Christus de morte secunda loqueretur, peccauit, cùm dixit, absit à te Domine, Christus verò Patri suo, si possibile est, Inquit, transeat à me calix iste, sed hoc Petri verbum quid quæso ad propositum? Cùm Petrus à Christo fuerit commendatus propter dona sibi collata, nunc verò reprehenditur, nonnisi sensum, & amoris affectum sequens, & tamen cùm tam donorum collatio, quàm reprehensio, Petrum priuatam personam respiciant, quid promissis Petro clauibus detrahere possunt, quamuis peccatum illud ex eisdem verbis, quibus illi nituntur, minimum fuisse apparet, quoniam si magnum fuisset, sicuti Christus dæmoni tentanti dixit: Vade retro satana, ita Petro. Sed cùm illi præceptum audis. Vade post me, nil aliud illis verbis Dominus innuit, quàm quod Petrus eum sequi deberet, non autem Dominus eius affectum quantumuis amore refertum esset, & quoniam neque fidem, neque charitatem Petrus amisit, non desinit esse Petra, ac ob id à Christo minimè disiungi potuit. Nec mirum si Dominus adiecit eum, non sapere, quę Dei sunt, nam præterquàm de sua Passione, eiusque causis loqueretur, tunc omnibus absconditis, etiam omnia, quę Dei sunt scire non poterat, antequam illi sensus à Domino apertus esset, vt intelligeret scripturas, ac ob eam causam hęc Domini monitio illi vitio minimè adscribenda est.

Ad aliud verò, quod quidam insolubile putant, dicendum est. Quod, & si Petrum grauiter errasse Christum negando affirmamus, non tamen ob id fidem suam defecisse, eo sensu, quo Christus promisit. Deficere enim à fide non dicitur ille, qui timore perterritus paulò momento deficit, sed ille, qui in infidelitate perseuerat, quod quidem Petro tribui non potest, qui cùm primùm eum Dominus perspexit, exijt foras, & fleuit amare. Quod profectò verbis Christi comprobatur, cum non dixerit Petro. Rogabo pro te, vt peccare, aut me negare non possis, qui actus momentanei sunt, sed inquit, ne deficiat fides tua, quod ad finem, eiusque perpetuitatem spectat, Quod quidem eleganter interpretatus est Venerabilis Beda, cùm inquit. Non dixit non tenteris, sed non deficiat fides tua, vt post lapsum negationis ad pristinum pœnitendo resurgas.

Quinimò cùm Dominus Petrum casurum præuideret, opportunè adiecit verba illa, id est, Et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos, hoc est post quam naturæ hominum imbecillitatem in te expertus fueris, conuersus confirma fratres tuos.

Quod verò subiungunt, nimirum post negationem desijt Simon esse Petrus, iterum tamen illi claues nec promissas, nec collatas legimus, nihil eis suffragatur, cum probè scire possint tempore negationis Petrum plenas, ac supremas pollicitas claues Regni Cælorum adhuc non suscepisse, nondum enim illi ter dictum fuerat, Pasce oues meas. Verùm si Simoni Petri nomen, & firmitatem negando ademptum esse adhuc contendunt, præter supradicta, & hoc etiam mente reuolue, quod cùm Dominus Petrum respexit, quem institutum amaræ lachrymæ subsecutæ sunt, & cum etiam dixit. Ite dicite discipulis eius, & Petro, iam nomen consequens rei, vel non amissum, vel ei restitutum esse dubitari non potest.

Ad aliud verò, quod fortasse, inextricabile arbitrantur, nempe de Papa eligendo, si affert secum claues, quod si non affert, à quo

habet, nisi ab Ecclesia, vel cui moriendo illas relinquat, nisi Ecclesiæ à qua habuit: respondemus quod eligendus claues, quas non habere potest, quàm a Christo, non quidem noua traditione, sed prisca, prima, & vnica, ac illa met, qua Petro, & in Petro cuilibet successori datæ sunt. Ecclesia verò mysterio electionis, vnum de suo corpore deputat, qui Petro succedat, Christiano viuum, & verum, ac semel probatum verbum quamdiu Ecclesia duratura sit, claues sicut Petro, ita successoribus eius tradit.

Quibus clarè patet, supernacaneа esse, istorum figmenta, cum aliũde claues, quærunt, aut cui relinquantur, cùm à Christi verbo, illorum collatio, & decreto dumtaxat perpetuò pendeat.

CAPVT XIX.

Verba D. Augustini dilucidantur.

MVltis modis, & quidem rectè præcipui doctores commemorata D. Augustini verba interpretati sunt. Nos autem ex ipsiusmet verbis, dumtaxat eorumdem verborum explicationem afferemus.

Sed quoniam ab istis interdum mutila proponuntur, illa integra priùs proferemus, ait enim Ioannes super illa Domini verba, me autem non semper habebitis. Noli expauescere Iudæ dictum est, quare non dixit habebis, sed habebitis; quando non vnus est, Iudas, vnus malus, corpus malorum significat, quomodo Petrus corpus bonorum, corpus Ecclesiæ in vno, corpus Ecclesiæ, sed in bonis, nam si in Petro non esset Ecclesiæ Sacramentum non ei diceret Dominus. Tibi tradam claues regni cælorum, & quęcumq; solueris super terram erunt soluta, & in cælo, si hoc tantùm Petro dictum est, non hoc facit Ecclesia. Si autem in Ecclesia fit, vt quæ in terra ligantur, ligentur, & in cælo, quia cum excommunicat Ecclesia in cęlo ligatur excommunicatus, & cum reconciliatur ab Ecclesia, in cęlo soluitur excommunicatus; si ergò in Ecclesia sit Petrus, quando claues accepit Ecclesiam Sanctam significauit, si in Petri persona significati sunt in Ecclesia boni, in Iudæ persona significati sunt in Ecclesia mali, ipsis dictum est, me autem non semper habebitis. Hæc D. Augustinus.

Qui hæc semoto animi affectu perscrutaturus fuerit, perfectum rei, & verborum Augustini sensum, inueniet. Nam si Petrus, & Iudas ab eo comparantur, & eorum alter dicitur corpus bonorum, corpus Ecclesiæ significare, alter verò malorum, nonne mysticam ibi Petri significationem esse deprehendis? Et cum etiam dicit si in Petro non esset Ecclesiæ Sacramentum, non diceret Dominus tibi tradam claues regni cælorum, illud idem cognoscere potes. Proindè, cum sequitur si hoc Petro tantùm dictum est, non hoc facit Ecclesia, non ne aliquid dictum Petro cognoscis, esto quod mysticè ei tantùm dictum non esset. Et postremò quasi ex præmissis Augustinus infert, dicens, si ergo in Ecclesia fit Petrus, quando claues accepit Ecclesiam Sanctam significauit, & prosequitur, Si in Petri persona significati sunt in Ecclesiā boni, & in Iudæ persona significati sunt in Ecclesia mali, ex hac igitur illatione, & toto verborum discursu hęc illata habes, nempè, Petrum in Ecclesia esse, Petrum accepisse claues sed non tantùm, & denique cùm Petrus illas accepit, etiam Ecclesiam eum significasse. Ex quibus, & alijs adductis nihil ex Augustino demonstratur, nisi quod ex Euangelij verbis duplex sensus habetur, literalis scilicet ad Petrum solum relatus, & mysticus ad ipsam Ecclesiam per Petrum significatam. Quæ vt Augustinus exprimeret, Petrum, & Iudam introduxit, qui quidem ad sensum mysticum relati, sicut Iudas malos repręsentat, ita Petrus personam Ecclesiæ gerit. Quod verò ad literæ intelligentiam attinet, sicut Iudas Christi inimicus, & proditor fuit, itá & Petrus ille verè est, cui promissæ sunt claues regni cælorum. Et cùm mysticus sensus plerumque clarior sit, de hoc Augustinus inquit, quod sensus illustris non esset, hoc est clarus, si Petrus Ecclesiæ personam non gessisset, quo dicto, Petro, proprium munus Augustinus non ademit, nam si hoc egisset sibi met non constaret, qui tot encomijs centies huius singularis priuilegij causam, Petrum ad cælum vsque extulit. Quibus firmandis addi etiā potest B. Augustinum more suo aduersùs quasdam hęreses agentem, Petri repręsentationem, Ecclesiamque repręsentatam sæpius, & efficaciùs ostendisse, agebat autem frequenter aduersùs eos, qui baptizatis nullam esse peccatorum remissionem affirmabant, nullamque etiā apud Sacerdotes esse absoluendi facultatē. Quibus extirpādis, nō solùm Petro claues datas esse, sed in Petro toti etiā Ecclesiæ posteritati, hoc est in suis ministris easdem datas esse eximius Doctor docet. In libro enim primo cap. 40. de pænitentia, in quo de his agit, inter cætera hæc etiam asserit. Scimus autem, & primos Patres, & in omni tempore Ecclesiam Dei semper vsque septuagies septies, quod est semper peccata dimittere. Quam potestatem isti ab Ecclesia auferre conantur. Hęc Augustinus.

Idem. Neminem pænitere dignè potest quem non sustineat vnitas Ecclesiæ, ideoq; non petat Sacerdotes ab vnitate Ecclesiæ diuisos. Quibus D. Ambrosius aduersùs eosdem disputans itá se subscripsit. Post enim multa, quæ præcedunt eius dicta, quasi subinferens, inquit, ica istorum, hoc est Nouatianorum, assertio se ipsam strangulat, vt quia soluendi ius negant, negare debeant, & ligandi, quomodo potest alterum licere, & non licere alterum quibus vtrumq; datur, vtrumque licere maifestum est. Ecclesiæ autem vtrumq; licet, hæresi autem vtrumque non licet, Ius enim hoc solis permissum Sacerdotibus, rectè ergo Ecclesia vtrumque vendicat, quæ veros Sacerdotes habet, hæresis vendicare non potest, quæ Sacerdotes Dei non habet.

Et postremò, si quid ex Augustini dictis reliqui non dilutum superest his paucis in libro de remissione peccatorum ipsemet absoluit. Ecclesiæ Charitas, inquit, dimittit peccata. Dicitur autem vnitas, siuè charitas Ecclesię dimittere peccata, qoia nec confitens consequitur fructum clauium, nec ministet

nister habet earum executionem, nisi intrà vnitatem Ecclesiæ fuerint ambo constituti; Ex quibus, & supra memoratis Augustini verbis, si singula singulis conferes exploratum eius sensum habebis.

Illud etiam aliud ex eodem D.Aug.prolatum, nẽpe quod ipsum scilicèt Petrum propriè pertineret,quod natura vnus erat, & quę sequuntur eodem ferè tendunt his enim habetur, quod in se erat Petrus vnus natura, vnusque gratia. Idem primus Apostolus, deiudè verò cùm claues illi pollicitæ sint significaret Ecclesiam. Ita quod claues, primùm promittuntur primo Apostolo significaturo, deinde Ecclesiam. Quod quidem alio loco Diuus Augustinus clariùs expressit, cum dixit,quod claues non vnus homo, sed vnitas acceperit Ecclesiæ. His enim declaratur, non vnum Petrum tantùm claues accipere potuisse,quasi in eo finituras, & deinceps Ecclesiæ non inseruituras,sed Ecclesia ipsa,quę Simoni similes suo tempore ritè eligeret, ac Christi deinde perpetuæ traditioni illi inniti, Petri successores essent, quorum omnium, Ecclesiæ personas Petrum gessisse constat. Quibus Augustini dictis, & Christi explicatis verbis duo habeutur; hoc est iuxtà literalem sensum Petro sua tempestate prõmissas claues, præcipuumque illarum vsum, iuxtà verò mysticum, & Augustini propositum, idem Petrus Ecclesiam,futurosque ministros omnes, tamquam primus Apostolus repręsentasse. Verba autem quæ ex Diuo Cypriano afferunt, quamuis eodem tendant,eisdemque responsis declarentur, attamen statim infrà, cum de eodem Petro ad Apostolos relato agemus etiam explicabuntur.

CAPVT XX.

Petrus ad Apostolos comparatus.

COmplura etiam obiecta affrrunt, quibus putant suadere posse nil dictum,aut collatum Petro, quod alijs Apostolis commune non fuerit, ex quibus pauca memorabimus, tum quia illis explosis cætera eadem ratione diluuntur, tum etiam quia supra de eodem fusiùs tractatum est, & infra libri progressu, plusquam satis de his dabitur occasio disserendi; hic autem sat erit, nonnulla huic proposito aptiora, & necessaria explicare, quæ huic loco supramemoratis,& infra memorandis inseruient. Et primò arguunt, ex communi Christi interrogatione, cui respondere debuit, omnibus communis responsio, communisque clauium promissio præsertim cùm Diuus Chrysostomus idem videatur asserere, cum dicit. Omnibus discipulis interrogatis, Petrus tamquàm os Apostolorum, & caput pro omnibus respondet secundò verò, & fortiùs,ex clauium assecutione,c ommunem promissionem suadere conantur, cùm inquiunt, clarè pateat, claues omnibus datas esse, cùm omnibus ante Domini mortẽ dictũ legimus, quoscumque ligaueritis,& quæ sequuntur.Et resuscitato à mortuis omnibus etiam dictum, Accipite Spiritum sanctum,quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & reliqua. His etiam duo alia Christi præcipua dicta adduntur, quibus vnà cum istis certè se credunt Apostolos omnes esse pares, demonstrasse. Primum enmi est, cum Apostolis dixit. Ego dispanam vobis, sicut disposuit mihi Pater Regnum. Alterum verò est,cum inquit. Quod vni dico, omnibus dico.

Demonstratis iam, quas personas in susceptione clauium Petrus gesserit, superest modò illis obiectis satisfacere, quibus aduersarijs iuxtà literæ sensum, Apostolos omnes pares Petro reddere posse arbitrantur.

Et quamuis suprà fusiùs, multisque modis de his egerimus, nonnulla tamen distulimus, his diluendis, & hoc loco magis accomodata.

Et primò verba illa, quæ Matthæus refert, nullo pacto omnibus Apostolis aptari posse, alijs præterea rationibus, & coniecturis demonstratur. Cum igitur ibi nomen Simon, eiusque Patris Bar-Iona dumtaxat exprimatur, additoque pronomine sibi, ad alios,quæ sibi pollicentur minimè referri possent: Illudque etiam certius hoc facit Iudæ scilicèt præsentia, cui illa tribui minimè possunt, cuius causa Dominus dixit. Sunt quidam ex vobis, qui non credunt. Et Euangelistæ dicti rationem subiungens inquit. Sciebat enim ab initio Iesus, qui essent credentes, & qui esset traditurus eum.

Et alio etiam loco, idem Christi ore confirmatum est. Cum enim Petrus suam communemque fidem Domini explicasset, dicens. Nos credimus, & cognouimus, quia tu es Christus filius Dei: Christus respondit. Nonne ego vos duodecim elegi? & ex vobis vnus Diabolus est. Igitur neque verbum Beatus es, neque fides vera in Christum. Iudæ, Diabolo appellato ascribi potest, non omnibus ergo congruunt verba Domini.

Huc accedit, quod cum à patre reuelationem factam esse Simoni legamus, eoque facto Petra, vel alijs dictum non esse conliteri oportet, vel saltem non minoris esse conditionis, id quod nos his freti verbis negamus, quod isti suo tantummodo arbitrio affirmant.

Idem probatur, quoniam cùm Dominus præuidisset omnes Apostolos à Domino cribrandos esse, solius Petri ratio habita est, cùm pollicitus sit rogare pro eo, ne fides eius deficeret, imò illi confirmandi fratres cura demandata est, euidens signum quod verba illa omnibus Apostolis dicta non fuerint.

Cum igitur neque ex commissione, neque ex ratificatione Petrus pro omnibus loqui potuisset (quia responsionis reuelatio humanum excedit consilium, neque etiam ex officio, quoniam adhuc illud assecutus non erat, relinquitur pro omnibus respondere minimè potuisse.

Apparet etiam hoc, quoniam cùm res expostulauit, & verè pro alijs Petro respondere libuit, non prætermisit. Nam dicente Domino, numquid & vos vultis abire? pro omnibus Petrus respondit ea, quæ Apostolis esse grata sciebat, hoc est, Domine, ad quem ibimus,verba vitæ æternæ habes. Et si videas Christum interrogantem, Petrumque respondentem numero plurali vsos esse, cum voluerint, & res expostulabat, iam exploratum redditur, quod verba tum Christi, tum Petri

cum

cum singulari, ac demonstrante signo vsi sunt, nil alijs tunc eorum, quę dicebantur esse communia.

Quæ verò ex D. Chrysostomo afferunt, ab eodem interpretantur, scilicèt quia rata, & grata omnibus fuit Petri responsio, omnium communis dicitur, neque etiam Diuo Chrysostomo os, & caput Petrum appellare licuit, cum adhuc non esset, sed eadem ratione, qua responsum iam prolatum omnibus gratum fuit, omnibus dictum, commune dicitur, ità etiam quod futurus erat Petrus Chrysostomus factum esse dixit. Isti tamen ea mentis caligine laborant, vt non intelligant, dum Petro soli illa dicta esse negant vnà cum Chrysostomo Petrum aliorum os, & caput esse confiteri. Quod quidem eleganter, & paucis D. Augustinus mysticè explicauit dicens. Respondit Petrus vnus pro omnibus, quia vnitas in omnibus.

Quod verò ex pari clauium exhibitione probetur, vniformis illarum promissio, hoc opus, hic labor, proteruientibus tamen, quemadmodum sanæ mentis hominibus omnia facillima, omnia tranquilla: Et quoniam ex verbis Christi ab istis paulò superiùs allatis optimè perpensis pendet rei veritas, ac suorum obiectorum dilutio, operæ pretium est præter complura supramemorata, quæ fortasse sat essent, si cum duris corde non ageretur, tamen nonnulla alia afferre, aliaque explicare oportet, quibus & verba Domini rectè intelligantur, minùs peritis sana doctrina perspicua reddatur, & istorum industrijs, ac coloratis obiectis obuiam eatur.

Sed quoniam perditi homines, quæ de primatu perspicua sunt varijs, ac tenebricosis quæstionibus intricare conantur, liberum erit nobis omnia illa attingere, quæ quoquomodo eorum vafra commenta refellent, ac ob eam causam, si alicuiùs eximij doctoris dicta sequar, aut aliquid vlteriùs ad dubia explicanda, ac inuoluta extricanda spiritus bonus mihi suggesserit, vitio non adscribantur, accidit enim sæpe numero, vt lethale vulnus, quod consueto medicamine non sanatur, nouo medendi genere, homo sanitati restituatur.

Vt autem recto ordine procedamus, inter cætera quinque præcipua præmittemus, soli Petro collata, quibus luce clariùs cæteros Apostolos non modò illi pares esse non posse demonstratur, sed subditi potiùs esse videntur. Quibus explicatis omnibus obiectis, ac innumerorum Patrum sententijs, quibus isti abutuntur plenè satisfacere poterimus, ac deinde, in quibus pares fuerint ostendere, vel potiùs repetere, eum suprà iam idem dilucidè demonstratum reliquerimus.

Verùm inter hæc quinque, & soli Petro tributa tria pollicita sunt. Promittitur enim soli Petro super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Promittitur etiam illi soli. Tibi dabo claues regni cœlorum. Promittitur etiam soli Petro oratio facienda, ne deficiat fides sua, simulque ei præcipitur, vt confirmaret fratres suos. Datur soli Petro seorsum ab alijs facultas ligandi, & soluendi. Et postremò præcipitur ter, & indistinctè soli Petro cura omnium ouium nulla excepta. Additur & sextum Origenis dictum, qui verba Domini Petro dicta obseruauit, hoc est illi datam facultatem soluendi, & ligandi ampliorem, cum illi dicitur, quod absoluta, vel alligata ab eo essent, in cœlis rata, & accepta. Alijs verò dicitur in cœlo, minorem auctoritatem innuens.

His autem præmissis, secundo loco præmittendus, ac declarandus est illorum verborum genuinus sensus, eiusque significatum, à quo vniuersum pendet discrimen non solùm inter nos, & hæreticos, sed inter eos, qui accuratiùs res graues perpendunt, quiue in consueta via tantùm incedere contenti sunt, aduersariorum virulenta tela vix vitare potuerunt. Sensus igitur verborum pollicitationis clariùs explicandus est, vt potestatum discrimen demonstretur. Qui igitur putant potestatem ligandi, & soluendi potestati clauium contentæ æquiparari posse, toto aberrant cœlo, nam cum aperire, & claudere, quod potestati clauium adęquatur tamquam eminens genus aliam potestatem continet. Imò infertur istam Petro datam esse, altera eminentiorem, ac ampliorem. Vt verò pressiùs agamus, animaduertendum est ligare, & soluere iudicij actus esse, siue in iudicio pœnitentiæ, siue Ecclesiastico sumantur, aperire verò, & claudere vtrosque memoratos actus continet, vtrisque enim aperitur, vel clauditur regnum cœlorum. Quod autem absque exteriori iudicio regnum cœlorum alicui claudi possit, Dominus illis verbis docet, eùm legisperitos alloquitur dicens. Veh vobis legisperitis, qui tulistis clauem scientiæ ipsi non introistis, & eos, qui introibant prohibuistis. Quod quidem ex eo quod frequenter accidit facilè suadetur, multis enim scimus, optimi sui Pastoris prouidentia gubernatione, doctrina, communione, dispensatione, & his similibus regnum cœlorum apertum esse. Cum igitur Petro promissæ sint claues aperiendi, & claudendi regnum cœlorum, facultas promissa est. Cum verò ligandi, & soluendi, auctoritas est adiuncta, in minoribus actibus, clauium efficaciam verba exprimunt, quibus intelligimus, quod à minoribus actibus tanta vis est, maioribus, ac amplioribus clauium adęquatis actibus eminentiorem, ac ampliorem esse potestatem demonstratur.

Sed quoniam, qui ligandi, & soluendi in terris habent potestatem aperire, & claudere regnum cœlorum etiam necessaria quadam consequentia habent potestatem animaduertere oportet, quod id, quod per has claues Petrus cæteris præstat, est, quod potest quidquid quoquomodo ad aperiendum, & claudendum, & claudendum regnum cęlorum pertinet solus præstare, ac non his, vel illis hoc, vel altero modo astrictus est, sed indefinitè in Ecclesia totam facultatem hanc solus accepit. Neque hoc nouum inuentum esse isti putent esto, quod Recentiores Doctores illud afferant, quandoquidem verba Christi, eorumque progressus, & ordo hoc apertè demonstrant. Ait enim Dominus: Tu es Petrus, & super hanc petram &c. & tibi dabo claues. Et quodcumque solueris, & quodcumque ligaueris. Hæc tria si in vnum reduxeris, maxima, ac suprema Petri facultas alijs eminere dignoscitur. Quod quidem verba illa alijs

aliis minimè dicta nostrum propositum obsignare videtur, non enim ait Dominus Petro, quæcumque solueris, vel ligaueris, sed vt clauium maiorem vim exprimeret dixit quodcumque solueris, quodcumque ligaueris.

Neque enim ambigendum est pollicitas claues Petro Dominum non dedisse, quia in Euangelio non reperiuntur verba hæc. Nunc tibi claues promissas exhibeo, nam sicut Diuinæ Sapientiæ indecens esset non præstare, pollicita, ita cùm claues Petro decreuit Regni cœlorum omnibus modis, & in omnes adæquatos actus exercere potest hoc est aperire, & claudere, ei commissum esse absque crimine hæresis dubitari non licet.

Si verò nouæ hæ voces alicui videntur, qui eruditè nimis eis hoc pacto vsus est, respondet nouum non esse, quod ore Christi prolatum est. Quinimò claues ordinis, clauesque iurisdictionis Doctorum sunt voces. Claues verò regni cœlorum Christus nominauit, instituit, ac soli Petro promisit. Quod autem ad eorum significata attinet perpetuò mente retinendum est, quod cùm Petro in vniuersum claues regni cœlorum promittuntur, quid superius, & eminentius supra memoratis duabus clauibus commendatur. Quapropter asserentes claues ordinis, clauesque iurisdictionis Ecclesiæ claues adæquare tota via aberrant, cùm claues Petro collatæ eminentiores sint, quam ob causam cùm Dominus harum clauium amplitudinem explicare voluisset, non per claues ordinis, & iurisdictionis, quæ minoris latitudinis sunt demonstrauit, sed per regnum cœlorum aperiendum, claudendumque. Et cùm hæc iuxta literalem sensum optimè congruant tota mente amplectenda sunt.

Istis ea breuitate, qua potuimus demonmonstratis non modò propositis obiectis facilè respondetur, sed innumeris aliis, quæ huius generis fieri solent. Quibus omnibus sex illa præmissa Petro propria obiicimus. Cum dicunt videlicet, quod Petri responsio communis omnibus fuit, iam dictum est minimè verum esse, nisi ea ratione, qua D. Chrysostomus, & nos intelligimus. Quod cum nihil ad clauium promissionem faciat, superfuit.

Ad aliud verò, quod pari ratione claues regni &c. acceperit cum eisdem verbis omnibus Apostolis promissa fuerit, ligandi, & absoluendi facultas, iam demonstratum est actus istos esse iudicij, ac partiales non tamen omnino clauium regni cœlorum, quæ ad longè plura, & ad omnes se extendunt.

Quod quidem ex oratione, & loquendi modo clarè ostenditur. Nam cùm Apostoli omnes adessent, non legimus dixisse Dominum dabo vobis, aut Ecclesiæ regnum cœlorum, sed Petro soli, eisdemque præsentibus, & Ecclesia, facta etiam mentione, quod portæ inferi non præualerent aduersùs eam, apertis verbis claues regni cœlorum promisit, quibus si addideris, his præcessit Simon factus Petrus, Petraque, ac illa mirabilis, & Diuina reuelatio, suasio augetur.

Præterquam etiam ex ipsorummet verborum dispositione disparitas relucet. Nam Petro seorsum ab aliis verba illa ligandi, & soluendi dicuntur, aliis verò simul, Petro in cœlis, illis verò in cœlo, actorum futura ratificatio. Illis quoscumque, Petro verò quodcumque ligandi, & soluendi facultas datur.

Ita quod pluralitas cœlorum, & magis generalia verba, ac soli seorsum à Domino dicta, illud maius, quod in clauibus Petro promissum est, etiam apertè demonstrant.

Quibus si addideris orationis promissionem, pro fide Petri conseruanda à Christo faciendæ, & postremò rer omnium ouium, nulla excepta, illi curam demandatam vndique propositum nostrum verum esse apparebit.

Idemque etiam ad aliud dicendum est, nimirum verbis illis Domini post resurrectionem. Quorum remiseritis &c. non omnibus plenas, supremas, integrasque datas esse claues, sed tantùm Iudicem Ecclesiasticum in sacramenta pœnitentiæ constitutum esse, vt quemadmodum (quo ad forum iudicij) Prælatis clauium partiales actus, hoc est ligare, & soluere concessi sunt, ità sacerdotibus quibus iurisdictio commissa fuerit, retentio, & remissio peccatorum dumtaxat committitur, quæ cùm amplitudinem clauium non exequent, soli Petro in vtroque Iudicio, clauium regni cœlorum potestas promissa, ac tradita fuit.

Et quoniam clauium amplitudo, nec non verba ipsa Domini ad credendum nos incitaut, vt quæcumque à quouis modo ad ingressum cœlorum facientia, clauium vsus adiuuet, illique prospicere possit. Ideò cùm Petro, eiusque successoribus dictum sit. Quodcumque &c. In cælis arbitror his generalibus, ac amplissimis istorum verborum significatis soli Petro tributis, non modò culpæ remissionem, ac censurarum absolutionem demonstrari, verùm etiam omnia, & quæcumque, ac quouis modo pœnarum reatum ab eo, eiusque successoribus relaxari posse. Ità quod siuè post culpam, pœnæ sint reliquæ decretis Ecclesiæ indictæ, siuè Dei iudicio reseruatæ, clauium amplitudo soli Petro commissa remittere, ac relaxare posse ambigendum non est.

Nam cum de peccatis relaxandis, deque retinendis illis verbis agatur, & clauium etiam potestas eò potissimùm versetur, si illa omne genus remissionis, relaxationis, condonationisque explicent, ac significent, ex consequenti ad quascumque pœnas relaxandas, ac condonandas etiam se extenderit. Quæ cum Petro, eiusque successoribus commissa sint, Apostoli, cæterique Ecclesiæ ministri, etiam in hac parte illis eminent, præstantque.

Quod autem pœnæ post culpæ remissionem reliquæ sint, præsertim ob contritionis defectum, ac vt peccatores castigatos ad Spiritus sancti templum constituendum propensiores reddantur, innumera Diuina dicta, ac Ecclesiæ decreta, & Patrum sententiæ extant, hoc asserentia. Et quoniam obiter de his hoc loco agitur, etiam paucis contenti erimus referens me ad propria libri loca, vbi de his longiùs ago.

Habemus enim inter alia, & hæc pauca maxima obseruatione digna, quæ in Dauid Prophetæ casibus acciderunt, quem quidem (vt Ambrosius Theodosio Imperatori dixit, sicuti secuti sumus peccantem, ita sequi dignum

gnum est pœnitentem; Qui profectò etsi sibi à Nathan Propheta dictum fuerat, quod Dominus transtulerat peccatum suum, attamen duram nimis, ac acerbam pœnam post remissam culpam, & indixit, scilicet moriturum sibi filium, quem tanta cum voluptate genuerat.

Idem post numeratum populum, ac Deum grauiter offensum, & si contrito corde peccatum suum confessus fuerit, post tamen contritionem, & oris confessionem, & culpę remissionem, trium malorum ei data fuit optio, qua condignas pœnas dare posset.

Narrat etiam D. Clemens Petri successor, singulis noctibus cùm primùm gallus cantaret, Petrum à lecto assurrexisse, & negationem suam perpetuò luxisse, quod sanè nobis omni tempore exemplo esse debet.

Neque tamen ob id indulgentiarum sacrum thesaurum non prodesse, vel superesse dicimus, quinimò suo loco de eo, eiusque circumstantijs plenissimè tractamus. Sed supramemorata innuimus, vt amplissimis illis Christi verbis ab ipso suo Vicario soli dictis, etiam addita hac præeminentia quantum cæteris Apostolis præstiterit, ostenderetur. Sed de his aliàs.

Et ad propositum nostrum reuertentes, ne pium lectorem diutiùs detineamus, ad obiecta, quæ supersunt diluenda, nostra recurrat oratio. Et quoniam eorum præcipua eò tendunt, vt Petrum Ecclesiæ subijciant, cæterisque Apostolis parem reddant, in his prętereà, quæ dicta sunt pedem sistere oportet, nam cum his dictis satis fecerimus, innumeris etiam Patrum sententijs fiet satis, omniaque perspicua reddentur.

Cum igitur denuò instent, quod cùm Petrus, cæterique Apostoli in Apostolatu pares fuerint, sub illa Apostolica potestate posse comprehendi, quæ ex commissione clauium Petrus agere poterat. Quod si hoc illis demus, quid tum postea? Cùm communis Apostolica facultas ad res ipsas relata, eadem esse potuit, & tamen illius extensio, ac commissionis modus Petri maiorem eminentiam ostendunt. Extensio quidem, quia Petri facultas ad Apostolos etiam ipsos, cùm oues Christi essent se extendebat. Modus verò, quoniam discipulis, & Apostolis, hoc est legatis facultas demandatur. Petro verò supra Apostolatum, vt totius Ecclesiæ legitimo Pastori committitur, ac ob eam causam Dominus soli Petro claues promittit; Cæteris verò, quæ clauium sunt legat, & tribuit, quo discrimine delegata potestas illis commissa à Petro demandata dignoscitur, vt superiùs opportunè, & fusiùs disputatum est.

Sed quid aduersus hæc ex D. Hieronymo afferant audiamus. Hieronymus, inquiunt, quod Petro tribuitur, cæteris Apostolis saltem tribus commune dixit, quorum primum est Ecclesiam fundari etiam super Apostolos, dicente D. Paulo. Superædificati super fundamentum Apostolorum, & Prophetarum. Alterum verò cunctos Apostolos claues accepisse inquit, cum dictum illis fuit. Quodcumque alligaueritis &c. & quorum remiseritis &c. Tertium verò ex æquo super eos Ecclesiæ fortitudo solidatur. Hæc ex D. Hieronymo.

Quid autem de Petri, ac Romani Pontificis &c. D. Hieronymus senserit, eius sententiæ docent, illæ præsertim Damaso scriptæ, quas vnà cum alijs supramemoratis censuimus: Quod verò his allatis verbis aliud eum sentire istis visum est, non miramur, cùm eorum institutum sit ad pauca respicere, neque rerum, neque modorum habere rationem.

Pauca quidem respiciunt, cum minimè considerent veram, & propriam fundamenti rationem, nonnisi Christo conuenire. Fundamentum autem, inquit Paulus, nemo potest ponere præter id, quod positum est, quod est Christus Iesus, hoc primùm quidem est, secunda verò, quæ super primum iacta sunt complura esse nihil obstat, quemadmodum etiam ordine quodam iaci illa debere opus est, ne ædificatio in præceps eat. Christus vtique primum fundamentum est, nec non Apostoli fundamenta Ecclesiæ etiam dicuntur, sed nullo modo post Christum illud esse oportet, qui petram præ, & seorsum ab alijs ipse fecit, & appellauit. Secunda verò ab Apostolis incipiens, vsque ad Parochos suo ordine esse, & dici posse Ecclesiæ fundamenta non negamus. Ita quod & Prophetæ, & Apostoli, & quicumque in Ecclesia potestate iurisdictionis, aut ordinis vsi fuerint, aut doctrinæ virtute, dono miraculorum, & vitæ sanctimonia, ac cæteris præcipuis donis præcelluerunt, ac ad Ecclesiam ædificandam laborarunt, illius suo ordine fundamenta dici posse D. Hieronymus, & nos etiam vnà cum eo affirmamus.

Quæ tamen omnia, tantùm abest vt Petri supremæ præeminentiæ detrahant, quod idem D. Hieronymus eis perpensis statim intulit, dicens. Propterea tamen vnus inter duodecim eligitur, vt capite constituto schismatis tollatur occasio.

Quibus etiam infertur, quod omnia, quę D. Hieronymus vlteriùs attulit, & quidquid huius generis dici potest, & tendere debent, vt quæ illi tamquam Apostoli assecuti sunt, Petrum vnicè, & omnium Apostolorum caput obtinuisse dicendum est. Quæcumque tamen fuerint Patrum sententiæ, quæ Apostolos pares faciunt, nonnisi ea ratione, qua Apostoli sunt ab illis affirmatur, quod ex eo patet, quoniam illi, qui eos pares esse dixerunt, præsertim D. Cyprianus, & D. Hieronymus, præter potestatem etiam honorem addiderunt, quæ nisi ad Apostolatum parem honoris, & potestatis assecuta esse referantur, falsa vtique essent. Quoniam exploratum est, & omnium sententia comprobatur in summo, Petrum primatus honorem assecutum esse. Quibus sanè duobus alijs obiectis patet dilutio, hoc est, cum ex Euangelio dicatur. Ego dispono vobis, & quod vni dico, omnibus dico: Primum ad Apostolatum pertinet; Alterum verò ad vigilantiam spectat pariter omnibus commendatam, siuè ad Euangelium diuulgandum, siuè ad cætera Apostolorum propria. Quæ verò ex D. Cypriano afferuntur, quia à tanto viro accepta sunt, & quoniam etiam innumerę Patrum eiusdem generis sententiæ dilucidatione egent, nec non propter schismaticos vitandos liceat nobis illa, & similia verba, eorumque sensum ali-

quantò

quantò limatiùs discutere, ac discussa eorum verum sensum demonstrare.

Ecclesię igitur vnitas per Petri vnitatem commodata bifariam considerandam se offert. Aut enim vnitas illa ęst, quæ in Christo capite vno, ea vnitate, quam articuli fidei sacramenta, cæteraque iustitiæ assequendæ necessaria constituunt. Aut illa est per Petrum in terris eius Vicarium significata.

De prima passim aduersarij loquuntur, immiscentes omnia, & nobis detrahentes, ac si nos illam negaremus. Altera verò quam ipsi negant, statuenda ęst, & explicanda, non alijs verbis, & vocibus, quàm ijsdem, quæ ab istis afferuntur, rati se suum propositum assecutos esse. Ac deindę ex veris, & dilucidis inferemus, quod nisi vnitas in Petro, per Petrum, & à Petro, etiam re ipsa intelligatur, maxima absurda sequi, ac demum schismaticos ad vnitatem Ecclesiæ pertinere, hac seclusa vnitate, profitendum erit.

Et primùm, si tantùm vnitas Christi, vt dictum ęst, haberetur, Petri vnitate non opus erat ad eam repręsentandam, cum sat essent ad id præstandum articuli fidei, sacramenta, spes, & Christiana charitas, sed cum audis Dominum Petro dicentem: Ego dico tibi, & statim ædificabo Ecclesiam meam, ac deinde tibi dabo claues regni cœlorum, aliam in terris vnitatem esse constitutam, quæ per vnitatem Petri, ipsam Ecclesiæ vnitatem in capite visibili terrestri loco Christi significarent, nulli dubium esse debet.

His etiam adde, quòd si Petrus vnitatem dumtaxat significare debuisset, auctoritate illa clauium ipsi data, opus non erat. Nunc verò cum tot circumstantijs, & encomijs illa tradita sit, non solùm significationem, sed deriuationem demonstrat. Ad quod probandum, non meam, sed Diui Cypriani ab istis prolatam sententiam consulant, fueritne Petrus significans solùm, an cum significatione à Domino constitutus, vt ab eo Ecclesia deriuaret. Sumantur igitur istorum arma, quibus sese ipsos iugulant.

[Loquitur, inquit Cyprianus, Dominus ad Petrum. Ego tibi dico, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Et quamuis Apostolis omnibus post resurrectionem suam parem tribuerit potestatem, dicens, sicut misit me Pater, ego mitto vos, accipite Spiritum sanctum, tamen vt vnitatem manifestaret, vnitatis eiusdem originem ab vno incipientem, auctoritate sua disposuit. Hæc Cyprianus.] Quibus certo certius scimus, non solùm vnitatis significationem ab vno, verùm etiam Dominus sua auctoritate disposuit, vt originem vnitatis Ecclesiasticæ ab vno Petro incipere debuisset, hanc nos vnitatem prædicamus esse in Ecclesia, quæ à Petro, Domino sic disponente, exordium sumit, [& claues Petro non alia ratione datæ sunt, nisi ad eam vnitatem conseruandam, & tuendam, quæ ab ipso profecta erat, & portæ inferi, & Ecclesia, & petra, & claues, & tibi, ordine ibi dispositæ, non carerent mysterio, nam horum omnium finis erat, vt Petrus, eiusque successores illis clauibus vnitatem illam conseruare deberent, ac ad regnum cœlorum illam dirigerę, quando claues illæ, claues regni cœlorum appellantur, schismatici etiam minimè ab Ecclesia exclusi dicerentur, si vnitatem Ecclesiæ primo modo dumtaxat esse intelligeremus, quoniam nil prohibet illos inter nos versari posse, modò credant illa vera esse, quorum veritas primæ illæ Christo soli tributæ correspondet, sed cùm hoc à fidę alienum sit, sequitur illam vnitatem in Ecclesia esse, quæ à Petro vno, tamquam res à re deriuatur, & visibili mysterio conseruatur. Quæ tamen vnitas, & ipse Petrus soli Christo, ac supremæ illi suæ vnitati innititur, ac suæ conseruationis vim recipit, quemadmodum Christi gratia, hæc nostra vnitas, Petri, successorumque optimo regimine recta, summam gloriam consequitur.

Sed quoniam non desunt calumniæ, quemadmodum etiam superest ignorantia, de hac nostra terrestri visibili Ecclesia, paucis adhuc differendum est. Siquidem cùm Christus dicat super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, quæ nam sit hæc sua Ecclesia, demonstrare oportet, & cauillis, quibus perditi omnes turbando huius Ecclesiæ vnitatem, ac veritatem vtuntur respondere.

Quamuis omnes Ecclesiæ Christi sint, quia tamen de ea vnitate agebatur, quæ singulas Ecclesias contineret, vni committenda erat, à quo, vt ex Cypriano diximus, ea exordium sumeret, ideo cum dicit Dominus Ecclesiam meam catholicam, quæ cæteras omnes amplectitur, illam esse oportet, illa igitur est Ecclesia sua, quam super petram se ædificaturum pollicebatur, quam nos in Symbolo, etiam sanctam catholicam, & Apostolicam appellamus.

Procul hinc ergo cauilli singularis Ecclesiæ ad vnam catholicam ita referunt, quasi seorsum singulis dictum sit, eas ædificaturum Dominum super petram illam.

Porro membra illa sunt vniuersalis Ecclesiæ, sicuti cæteri Ecclesiæ ministri, ac Christiani omnes, instar membra corporis, Ecclesiæ igitur omnes Christi sunt, sed catholicam, quæ omnes complectitur se ædificaturum super illam petram, Dominus promittit.

Sed vrgent fortiùs (quicquid sit, inquiunt de huiusmodi Ecclesijs, cùm Romana vna ex illis sit, cur eam Catholicam, & Apostolicam vocatis, ac eandem eam esse, quam Dominus super petram se ædificaturum dixit?) Sed quicquid dixerint cóplures, qui de re hac aliter scripserunt, nos non nisi sinceram veritatem secuti, quæ quidem vna est, paucis eorum obiectis respondebimus.

Itaque, Ecclesiam super petram, Christi pollicitatione ædificandam, propria locutione illam catholicam esse dicimus, quæ omnes, simulque Romanam suo iure continet, ita vt, hac ratione non Romanam, sed Catholicam propriè loquendo, Dominus super Petram se ædificaturum dixit.

Cur autem Ecclesiam Romanam, & rectè quidem Catholicam, & Apostolicam appellamus, ac etiam præ alijs super petram illam ædificatam esse, affirmamus semotis ab odio facilè suaderi potest; Nam si in confesso est, Petrum Ecclesiæ supremum Pastorem esse, illumque Romanæ Ecclesiæ præfuisse, eamque vna cum Paulo suo sanguine Christi pręcepto consecrasse, vt demonstratum est,

um illam Ecclesiam sibi præ cæteris Petrus propriam fecerit, & asciuerit; quid mirum est si ratione istius asertionis, vendicationis, vel si mauis appropriationis, ac coniunctionis eum Ecclesiæ supremo pastore, etsi non propriè, quia hoc soli Catholicæ Ecclesiæ conuenit saltem ex hac memorata connexione catholica, & apostolica, ac præ alijs super petram ædificata dici non possit? quod quidem, eo magis, & securiùs affirmari potest, quo Dei mandato, vti supra ostendimus Romana Ecclesia Petro speciatim decreta est, ac totius Catholicæ Ecclesię consensu, illi primæ partes datæ sunt, ac præcipui Doctores illam tanti fecerunt, vt eam vniuersalem catholicam, & Apostolicam appellauerint, si meritò quidem, tum quia sub se Ecclesias contineat vniuersas, tum etiam quia ipsa est, quæ Christianam doctrinam, & Apostolorum traditiones, absque macula perpetuò retinuit, illasque cæteras Ecclesias semper docuit.

Quod quidem probè noscens D. Hieronymus, inter innumeras, & hanc etiam protulit sententiam; Nam Romana Ecclesia, quę semper immaculata mansit, Domino prouidente, & Beato Petro opem ferente in futurum manebit, sine vlla hæreticorum insultatione, scilicet valens, atque firma, & immobilis omni tempore perstitit. Hæc Hieronymus. Hanc etiam Romanam Ecclesiam maiores nostri semper Petri Sedem speciatim appellarunt, matrem Sacerdotalis dignitatis, magistram rationis, & quæ à recto tramite Apostolicæ traditionis numquam recessit, eam Petrum, & Paulum Christo Domino consecrasse, ac cæteris mundi vrbibus Apostolorum triumpho esse prælatam confessi sunt.

His igitur diuinis priuilegijs eam cæteris Ecclesijs præeminere affirmamus, atque Apostolicam, & Catholicam vocamus, ac coniunctionis cum Petro ratione, super Petrum ædificatam pręalijs dicimus.

Et quamuis postrema illi Christi sententia, nempè pasce oues meas, multis modis supra explicatam reliquerimus, eamque soli Petro dictam, simulque supremam suam auctoritatem demonstrauerimus, ne tamen istorum commenta præterire videremur, licet nobis, item aliqua supradictis addere, ac alijs istorum obiectis obuiam ire.

Et primò arguunt hoc pacto, quod fieri non potest, vt Ecclesia omnis ab vno gubernetur, igitur ad solum verba illa, Pasce oues meas, & referri non possunt, etsi dicatur, quod alterius opera hoc præstari possit, subiungunt hoc verbis Christi aduersari, dicentibus; Pasce, non autem alijs committe pasturam. Quod quidem & vnicus princeps facere potest, sed hoc ab ouium Christi regimine alienum esse debet.

Præterea cùm neminem, Apostolorum Petrus miserit, illique per Ciuitates propria auctoritate Episcopos constituerint, satis constat verba illa soli Petro minimè dicta fuisse.

Ex D. Paulo etiam Petro circumcisorum Euangelium, sicut Paulo præputij commissum est, igitur ad solum Petrum verba illa minimè referuntur.

Postremò verò, quoniam, ad verba, oues meas, addita non est particula, omnes negant totam Ecclesiam illis verbis comprehensam esse.

Sed inuerso ordine respondentes non possumus primùm istorum mentis caliginem non admirari. Nam in Matth. cùm Christus promittit se ędificaturum suam Ecclesiam de singulis Christi Ecclesijs dictum esse contendunt, hic vnam solam Ecclesiam super Petrum ędificatam confiteantur. Cùm verò apud Ioannem Petro dicitur. Pasce oues meas indeterminatè dictum esse volunt, ne omnes oues Christi sub vnius Pastoris cura contineantur, ibi siquidem rem vnam, & quæ singularem vniuersalem faciunt, hinc innumeras, atque diuersas oues, quid singulare esse affirmant. Sed vnum verbum sat illis esse potest, nempè pronomen illud adiectum, meas scilicet, hoc etiam signo, non modò Christianos omnes complectitur, qui omnes Christi sunt, sed si inter res serias iocari liceret, etiam oues pecudes comprehendere dici posset, cùm Christi sine, sicut terra, omnis eiusque plenitudo. Quod quidem tantò minùs ipsi fingere debuerunt, quantò rem similem in Christi verbis legere potuerunt. Ait enim animam meam pono pro ouibus meis, & alio loco oues meæ vocem meam audiunt, in quibus pronomen meas emiuentiore ratione vniuersas Christi oues complecti cernere possent, quàm si omnes oues meas dixisset. Et apud Ezechielem plusquam decies, pronomen hoc, meas, idem significans repetitum vides, cùm Deus de pastoribus queritur.

Adde etiam quod cùm nullibi promissam Ecclesiam fundandam super Petram explicatam videas, clarè constat, vel omissam esse, vel illis verbis, Pasce oues meas pollicita præstita esse; quod quidem etiam verbis illis Domini confirmatur, quæ supra demonstrauimus, scilicet, alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili &c. vt fiat vnum ouile, & vnus pastor, si enim plura essent ouilia, istis fortasse dubitandi locus relictus esset, alterius nempè ouilis superesse oues, quæ sub pronomine, meas non continerentur, sed cùm verbis Christi res perspicua reddatur frustra laborant.

Cur autem Dominus supremam illam prælationem, ac dignitatem ex pastura ouium explicauerit, facilè intelligemus, si mente reuoluemus dignitatem omnem, omnemque eminentiam ouium præcipua causa institutam esse, ac ob eam causam satis instruimus, non appetitu regnandi ecclesiasticam auctoritatem, dignitatem appetendam esse, sed pascendarum ouium Christi curam dumtaxat administrandi, quæ quidem qualis esse debeat, & quali pœna plectentur illi, qui alia ratione ea vtuntur, quam Christus præceperit; ex Ezechiele percipi potest, præsertim cùm ouium pasturæ necessaria munia tot, & talia sint, quæ nullis alijs officiorum, & dignitatum nominibus exprimi commodè poterant, sicut Dominus ex iniuncto pastoris officio explicat, ac complecti voluit, Deus enim querens de pastoribus per curæ omissionem, quale in ouibus crediris officium esse debeat, his verbis querens, demonstrat; Hęc dicit Dominus: Væ Pastoribus Israel, qui pa-

sce

ſcebant ſemet ipſos, non ne greges, à paſtoribus paſcuntur. Lac comedebatis, & lanis operiebamini, & quod craſſum erat occidebatis, gregem autem meum non paſcebatis, quod infirmnm fuit, non conſolidaſtis, & quod ægrotum non ſanaſtis, quod confractum eſt non alligaſtis, & quod obiectum eſt non reduxiſtis, & quod perierat non quæſiſtis, ſed cum auſteritate imperabatis eis, & cum potentia, vel diſperſæ ſunt oues meæ, eo quod non eſſet paſtor, & quæ ſequuntur. Paſtoribus verò inter cætera hæc minatur, Ego ipſe ſuper paſtores requiram gregem meum de manu eorum, & reſecare eos faciam, vt vltra non paſcant gregem meum, & reliqua; quæ quidem verba, tantò magis Chriſtianis paſtoribus dicta eſſe putandum eſt, quantò paſcendarum ouium cura illis eſt notior, & Chriſti exemplo, & verbis demonſtrata eſt, & poſt eum ab Apoſtolis prędicata, ac etiam ſuo exemplo,& doctrina adeò oſtenderunt,vt præuaricantibus longè maior pœna immittere debeat.

Proinde in eo, in quo Paulum Petro comparant, quoad executionem muneris Apoſtolici pertinet, hoc enim pacto non ſolùm Paulus, ſed Apoſtoli omnes Petro pares fuerunt,quę cùm nil Petri primatui derogent, ac vnitati paſtoralis curæ ſoli Petro commiſſę minimè obſit, liberè, hac ratione illis aſſentimur.

Aliud verò, nullam ſanè continet difficultatem,ſicuti nil Petri auctoritati detrahit. Profitemur enim Petrum neminem Apoſtolorum miſiſſe, quoniam à Domino prępeatus fuit, ipſe quidem dixit illis, ſicut miſit me Pater, ego mitto vos, qua cum auctoritate liberum fuit illis Epiſcopos conſtituere,qund ſi Chriſtus Dominus omnes non miſiſſet Petri muneris erat, eos cum plena, vel limitata facultate, quò libuerit mittere, quemadmodum Apoſtolorum legatione functa deinde factum eſſe ſupra probauimus, nam Petri ſucceſſores cùm in hac parte pares Apoſtolos ſucceſſores non habuerint,liberum illis fuit, eritque mittere, quos maluerit ad eam partem ſuæ ſollicitudinis exercendam; ſicuti ſupra oſtenſum eſt.

Cæterum aliam ſuaſionem non protuliſſent, ſi Eccleſiam inſtar corporis noſtri eſſe, ex Paulo didiciſſent; Eo enim exemplo apertè intelligi poteſt, quod quemadmodum corpus, totum, à capite alijs membris inuantibus regitur, ita Eccleſia cùm à Petro viſibili capite ſuis miniſtris adiuto regitur, non alius, atque alter, ſed ſolus omnia facere, rectè dicitur. Quod quidem paſcendi genus cùm laicis non conueniat, diſpari ratione de eis ſentiendum eſt.

CAPVT XX.

Petrum in Eccleſia ſucceſſorem habiturum, illumque eſſe Epiſcopum Romanum.

QVamuis, complura, & quidem varia ſint, quæ tum à priſcis, tum recentioribus præſertim centuriarum auctoribus adnersùs hęc duo catholica dogmata ſcriptò prodita ſint, attamen ex illis nonnulla ſe legimus, quibus explicatis, cætera etiam huius generis omnia cum ipſis refellantur, diluantur ac à ratione, & Chriſti doctrina aliena eſſe iudicentur.

Quorum autem hęc eſt ſumma. Ille Petri ſucceſſor eſſe poteſt, cui omnia,quæ Petro acciderunt tribui poſſunt, ſed cum nulli illud eueniet, igitur nec ſucceſſio; Quod quidem ſic demonſtratur. Petro fuit dictum eum eſſe beatum, illi Chriſti myſterium reuelatum, ſuper eum Eccleſia ædificanda, claues regni cęlorum promiſſæ. Item ter de charitate interrogatur, & ter etiam. Paſce oues meas dictum, hoc enim cum altero dictum non ſit, neque alteri dicetur, igitur in eadem auctoritate ſucceſſores eſſe non poſſunt. Et quod de his idem de alijs Petro dictis aſſerunt, uempè illud, & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos. Antequam gallus cantet ter me negabis. Vade ad mare, & mitte hamum, &c. Quibus inquiunt, hęc dicta non ſnnt in eadem auctoritate ſuccedere non poſſunt.

Rurſus, ſi Petro ſucceſſor futurus erat Dominus illum non ſubticuiſſet, ſed quemadmodum alijs Apoſtolis dixit.Ero vobiſcum vſque ad ſęculi conſumationem, eorum ſucceſſores innuens etiam, & multò magis de Petri ſucceſſore locutus eſſet, ſi illum eſſe voluiſſet.

Ad hæc, quæ ratio, inquiunt, ſuadet, aut quibus Chriſti verbis comprobatur, vt ſucceſſor Petro in Apoſtolatu ſuccedat; alijs vero Apoſtolis minimè hoc tribuat? vt ſcilicet, quibus Epiſcopi ſuccedunt in Epiſcopatu, ſuccedant etiam in eorum Apoſtolatu.

Præterea ex Diuo Hieronymo, qui Presbyterum parem Epiſcopo facit, ac Epiſcopum conſuetudine ſolua, presbytero maiorem dicit, omneſque etiam Epiſcopos ęquales eſſe.

Hæc ſiquidem, & innumera huius generis ſunt, quibus iſti innituntur, quibus ſatisfaciendis nonnulla nobis ſunt, iterum ſunt preſſiùs diſcutienda.

Et primùm illorum verborum, Paſce oues meas, vnum Paſtorem inſtitutum eſſe non ambigimus, cuius officium tamdiù in Eccleſia, perſeueraturum eſſe oportet, quamdiù omnes Chriſti oues, ac eadem paſcendi ratio permanſura eſt.Cùm igitur oues Chriſti ad ſæculi finem, & eodem pacto gubernandæ ſint, idemmet officium illis neceſſarium eſſe dubitari nou poteſt;quo fit,vt cùm Dominum audis, Paſtorem inſtituere illis verbis, Paſce oues meas, perpetuum eiuſdem rationis Paſtoris officium in Eccleſia ſtatutum eſſe.

Pręterea ſi nulla cauſa fuit,inquit beatus Auguſtinus veniendi Chriſto Domino, niſi vt peccatores ſaluos faceret, ſi cum Petro finierit in Eccleſia officium ſolius Petri tempore conuertendis peccatoribus, eiſque deinde regendis prouiſum eſſet, & futuræ Chriſti oues, vſque ad Antipodas, qui nuper ad fidem venerunt Paſtoris ſolatio perpetuò deſtitutæ eſſent.

Neque omittendum eſt, quod alia ratio eſt Paſtoralis officij, alia verò perſonalis, qua aliquo ſpeciali priuilegio donati homines

sæpe numero alijs eminent, ac inter illos singulares videntur, quòd quidem, cùm fieri solitum sit, quando homines per illustria facinora se illis dignos reddunt, nil mirum si, Simoni Petro, aliquid singulare traditum legitur, quod Apostolis eiusdem dignitatis exhiberi non congruit.

Superest etiam, & aliud maturiùs, ac exactiùs demonstrandum maxima consideratione dignum, quo in huiusmodi tractandis, ac explicandis ignorato, aut prætermisso, in ambiguo laborare, aut in scopulos incidere oportet, hoc est aliam legati esse rationem, aliam verò ordinarij rectoris, & Pastoris; Siquidem legatio cùm quędam missio sit, functo officio, vel legato decesso, terminatur finiturque. Pastoris verò officium, tamdiù durat, quamdiù causa, qua institutum est perseuerat. Cùm igitur Apostoli legatione pro Christo functi sint, & D. Paulum etiam in illa cathena legatione se fungi profitebatur, cùm primum naturæ concessissent, cum illis etiam eorum legatio extincta fuit. Cur autem Petro Apostolo cum fuerit illis in Apostolatu similis, idem non successerit, facilè suaderetur si veritatis tantummodo indagandæ homines suum studium impenderent. Aduertant igitur præsertim minus periti quanta facilitate demonstraretur, id quod inextricabile putatur, modò periti velint esse æqui iudices, Tyrones verò ad addiscendum parati.

Petrus siquidem, si nil aliud fuisset, quàm Apostolus eadem ratione, & causa, qua alijs alij in Apostolatu non succedunt, nec ipsius etiam successores in eius Apostolatus munere succederent; sed quia quod Apostoli priuilegio donati agebant, Petrus suo iure, sibi speciatim commisso faciebat, si quæ ratio Apostolatus suo Pastorali officio necessariò annexa erat, ad quem post eum, suum officium peruexerit, illum etiam annexum Apostolatum consequi oportet, & cùm Apostolorum munus potissimum duplex sit. Alterum Ecclesias omnes indiscriminatim docere, atq; regere, ea tamen ratione, qua dictum est supra, ac christianorum dogmatum libellos conficere.

Quoad primam istam muneris rationem Petrus successores habet, cùm illi non delegata, sed primo, maximo, ac superiori loco regimen, & totius Ecclesiæ iurisdictio omnino, ac Christo commissa est, cùm claues regni cœlorum illi promissæ, atque cum ter pascendi cura commissa, illæ ei traditæ sunt. Et hæc sunt illa verba, quibus Christus parem successionem ostendit in Petro, quod alijs Apostolis, quibus hæc non, nisi coarctata commissa sunt, vt dictum est minimè competere potest, ac ob eam causam Episcopi Ecclesiarum, quibus alij Apostoli præfuerunt, illis non succedunt, quoniam vniuersalis cura ex officio soli Petro commissa est, cæteris verò ex priuilegio cunctis exclusto, sicuti supra demonstratum est.

Postremò verò cum ex D. Hieronymo inferunt, Episcopos pares, seù idem cum presbyteris esse; necnon Episcopos omnes ęquales fecisse, nil illis suffragatur nam, siue pares, siuè dispares, & presbyter, quid vnitati, totius Ecclesiæ pastorique, de quo agitur detrahitur? quod autem omnes Episcopi sint æquales, si in ordine Episcopatus eos referas etiam cum Petri successore pares erunt, sicue presbyter presbytero non præstat. Sed nos dicimus, & affirmamus vnum esse Pastorem totius Ecclesiæ omnibus Episcopis, & presbyteris, ideò prælatum, quia vnum esse Petri successorem necesse est, & qui hanc veritatem profitentur; non hæresim, vt ipsi mentiuntur, sed Christi verba sectantur, atque tuentur,

Secundùm verò potestatem cum non, nisi illi, qui a Christo omnem veritatem edocti, quibus ab eodem apertus est sensus, vt scripturas intelligeret assecuti sint illainquam facultas, & donum omnibus Apostolis ęquè datum, cum illi desierint, illud etiam munus defuit.

Primùm verò munus, quod etiam omnibus, dispari tamen ratione commune erat, cùm Ecclesiæ catholicæ necessarium esset, functis illis sua legatione cum Petri officio perseuerat, ac ob id in hac parte Petri successores Apostolorum agunt, ea ratione, qua est Petrus. Et quamuis Petri successor vniuersale regimen agat, simulque docendi, ac interpretandi scripturas supremam facultatem habeat, libros tamen dogmatum componere non auderet.

Quinimmo, si aliquis Apostolorum superuiueret, & statuenda essent in Ecclesia dogmata: sicuti successori, Petri reginimi parendum esset, ita Apostolo in dogmatibus credendum, ac cedendum esset, & munus hoc gubernandi Ecclesiam, quod commune omnibus Apostolis ex priuilegio erat, Petro verò proprium ex officio, tantummodo Petri successoribus conueniat, ideò Sedes, cui Petrus, & ipsi præsunt, meritò Apostolica vocatur.

Quibus compendio demonstratis, facilè obiectis patet solutio, & primo, & secundo loco positis dicitur, quod omnia, quæ ad supremum pastoralis officium pertinent: sicuti Petro dicta sunt, ita per eum ad omnes suos successores, etiam dicta esse credimus; quæ verò personalia Petri fuerunt successoribus necessaria cum non sint, nil prohibet eos non assequi; quæ nam verò sint officia, quę personalia facilè intelliguntur, si supra memorata in mentem reduces. Illa tamen præcipua sunt, nimirum, firmum in fide, vniuersum gregem Dominicum pascere, clauium regni cęlorũ amplitudinem illi soli deberi: quæcumque dubia, aut intricata in religione essent interpretari, Fratres omnes titubantes etiam in fide confirmare.

Idemque etiam de his, quæ ad mores spectant eius curæ esse sentiendum, & huius generis omnia. Cętera verò, quæ Petrus primus Pastor significauit, vel à Christo pro se, & alijs accepit, vel aliquid illi singulare speciali gratia concessum est, ad posteros non pertinent.

Ad tertium verò; Et si Dominus suam assistentiam, vsque ad sæculi consumationem omnibus pollicitus fuerit eùm summa, & suprema esset, suis modis hoc fieri debere intellexit, hoc est iuxta cuiusque muneris commissi rationem; Quod autem Christus futurum esse Petri successorem, non dixerit, falluntur, cum clarè non solùm hoc dixisse, sed fecisse constat, cùm vnum ouile, vnumque

quæ Pastorem, & ouis futurus esse voluit, quibus perpetuò in Petro institutum esse Pastorem compertum est.

Sed ad quintum, quæ supra diximus sat esse possunt cùm demonstratum sit neminem in Apostolatu succedere, & qua ratione Petri Apostolatus transit ad suos successores.

Cæterùm sicuti Petro Pastori summo, summus succedit Pastor, ita deficiente Apostolorum priuilegio, cum eorum morte cessante, qui ad partem sollicitudinis, & regiminis assumuntur, in his; quæ sunt ordinis Apostolos iure diuino repręsentat, accepturi tamen à Summo Pastore eos exercendi modos, necnon ea iurisdictionis facultate, quam illis Summus Pastor conferendam esse censet.

CAPVT XXI.

Romanus Pontifex Petro in totius Ecclesiæ regimine succedit.

DEmonstrato, quòd iure Diuino in totius Ecclesiæ regimine necessariò, successor futurus esse deberet, idque tunc institutum cùm Petro Ecclesiæ Catholicæ officium à Domino commissum est, superest modò, priusquam nonnulla istorum obiecta proponamus, iterùm apertiùs ostendere. Cur Romanus Episcopus successor iste censendus est; Et quoniam pręter innumeras huius argumenti suasiones supra commemoratas, etiam paulò superiùs, cùm de Ecclesia Romana loqueremur, complura consequentia quadam, & huic proposito accommodata explicata reliquimus, sat erit hic illa innuere, & alia deindè prosequi, quò hoc multis inuisum dogma faciliùs suaderi possit.

Vt autem explicatiùs propositum nostrum demonstraremus; Primum omnium liberè profitemur Episcopum Romanum, Petro explicato iure dinino, ac propria locutione minimè succedere, quemadmodum, qua congrua consequentia hoc affirmare conuenit, statim infra demonstrabimus.

Petrus igitur totius Ecclesiæ Euangelica institutione supremus Episcopus constitutus, si perpetuò alicui singulari Ecclesiæ exordia fecisse constat, ei vita functo, non nisi Episcopi vniuersalis Ecclesiæ successissent, etsi Antiochenæ Ecclesiæ perpetuò speciatim præfuisset: sicut nunc Romanus, ita eo casu, cęteris tamen Pastoribus Antiochenus illi successor extitisset.

Qua verò ratione factum sit, vt qui catholicæ Ecclesiæ Episcopus dicebatur, æquè Romanus Pontifex dicatur, hoc opus, hic labor, Schismatici inquiunt, & eò magis illis admiratio, & obstinatio augetur, quo cùm Romanum Pontificem, etiam catholicæ Ecclesiæ dicamus, non duos tamen, sed vnum dumtaxat Pontificem profitemur.

Quibus demostrandis, non noua offeram, sed complura supra sparsim commemorata, exactiori ordine, ac breuiùs simul colligam, eorumque intimiorem intelligentiam depromam, vt omnibus compertum sit, non nisi ex rerum, & verborum diuinorum intimo, & perspicuo sensu demonstrato, nos hoc perspicuum christianum dogma suadendum profitemur.

Et primò præcipuum illud axioma affero, quod omnium ouium, & Pastoris summi vnitatem potissimum demonstrat, & à quo nos, nostri propositi perspicuum sumemus argumentum; Illud inquam Domini dictum, ac pollicitum: hoc est alias oues habeo, & reliqua; Et sequitur, vt fiat vnum ouile, & vnus Pastor, ei correspondens visibilis, vt præclarè supra demonstrauimus. Ac illud omnibus, quæ ad ouium curam pertinerent disponere, vt oues indigentes securam vitam transigerent. Cùm igitur hoc Christus non præstitetit, quamuis necessariam materiam illud conficiendi parauerit, Petro suo Vicario hoc pręstandum erat, vt Christi verbum irritum non esset; Et licèt ouile hoc futurum, Ecclesia catholica esset, attamen vbi ouili necessaria parata, ac maximè exercitata videmus, illud idem, aut omnino simile ouile esse arbitrandum est, quod Ecclesia catholica pręsefert; quòd si Romana Ecclesia pręcipua ouili necessaria contineat, vt ouile promissum à Christo profiteri, illud esse necesse est, vel cum illo tantam, & talem habere affinitatem, vt vtraque vtrique, idem nomen, eamdemque rem affecutas esse profiteamur.

Tria igitur sunt ad conficiendum ouile necessaria, quorum vnum est Christi scilicet præceptum, & Petri executio, alterum verò, cibus ille cœlestis, hoc est verbum Dei, quo oues pasci debent, sub vna fide, vna spe, vnaque charitate; Reliquum verò sacramenta sancto, quibus Christi iustitia nobis parta communicaretur, aliaque per ea nobis inhęrens, etiam daretur, ac christiana militia ibi exerceri posset; Quòd si hæc Romæ fuerint, & ea ratione, qua in Ecclesia catholica reperiri necesse est, nil præter hominum numerū, inter has Ecclesias discriminis erit.

Quod verò Christi præcepto, ouile hoc, Romæ etiam disponendum esse voluerit, cùm dixit alias ones se habere, hoc est gentiles, quas abducere ad vnum ouile oportebat, satis ostensum est, & cum alia ouis in ouili non superfuerit, prærer gentilem, congruum ouile, congruoque loco esse debuit; Præcepit deindè Petro, sancto Marcello refertur, vt sibi Romæ Sedem constitueret, & ne hæc ambigua temanerent, Petro Roma excedente Christum obuiam habuit, minanti quod, nisi sua passione partum Romæ ouile, eius residentia, suoque sanguine non disponeret, iterùm cruci affigendum se offerret. Petri verò executio, ac obedientia ea fuit, vt postquam verbo correptione, & exemplo, ouile Romæ statuit, suo sanguine illud Domino consecrauit.

An verò ea, quæ ad sanam doctrinam pertinent, & sacramentorum puritatem, ac integritatem necessaria sunt, Romæ semper fuerint, duo potissimum demonstrant, quorum alterum est, quod Ecclesia Romana à principio humanę reparationis, vsque ad hęc tempora, semper cæteris Ecclesijs, tùm doctrina, tum moribus magistra extitit; Alterum verò est, quòd cùm Ecclesiæ Apostolorum singulares, omnes interierint, sola Romana eadem illa est, quæ semper fuit, eritque vsque ad sęculi finem.

Cùm

Cùm igitur hæc omnia vnum ouile, hoc est catholicam effecerint Ecclesiam, cur si eadem Christi beneficio, & Petri coniunctione Romanæ Ecclesiæ communia sunt, & quam Petrus tanto charitatis vinculo propriam sibi fecit, vt in ea resideret, ac pro ea tueuda mortem oppetijt perperui eidem Pastores, & Romani Pontifices dici non debent? si non, nulla, quæ naturæ, & morum sunt, inter quę relata, seù relatiua sunt, iuxta scholasticos, ita se habent, quod se inuicem conseruant, ac vtrumque vtroque se definiendo nomine vtitur, quantò magis dinina illa relata, nempè Pastor, ouile, & oues, quæ charitatis vinculo connectuntur illud idem, & longè magis inter sese præstare debent.

Neque huius generis aliud dicendum restat, quàm quod, non ex eo, quia Romana Ecclesia numero vna ouium fidelium non est, eius Episcopus catholicæ, & Romanæ Ecclesiæ, ac Petri successor dici non potest, cùm clarè constet, quod qui Petro succedit, cùm Ecclesiæ, quam Petrus sibi, & successoribus propriam fecit præest, eadem ratione, qua Petrus, & illi succedit, & eodem nomine potitur; Alterum verò est, quòd si omnibus contentis in eo numero, quibus Ecclesia constat, Episcopus Romanus perpetuò præcipit, illosque gubernat, Petri successor, dubio procul censendus, ac eodem nomine appellandus est.

Quibus demonstrandis cum pateat Episcopum Romanum Petro succedere, ac eodem nomine, quo Petrus, hoc est catholicæ Ecclesiæ pastor appellari posse, ac etiam efficaci consequentia propria Romanæ Ecclesiæ appropriationem, vt Scholastici peritiores loquntur, Episcopo Romano, & successionem, & quæ illi nexu inseparabili consequuntur illi deberi, & quamuis, vt peroremus, illi propriè, iure diuino successio non tribuatur, ea tamen Christi, & Petri cum Ecclesia Romana singularis præ alijs Ecclesijs connexio fuit, vt meritò Christi nutu, ac Petri deliberatione, prelatione, & morte, Romanus Pontifex, ad omnia, quæ ad catholicæ Ecclesiæ regimen spectant successor est, & meritò nominari potest.

Reliquum est, vt propositis nonnullis istorum obiectis, eo pacto respondeamus, vt si quæ ambigua suprамemoratis supersunt dilucidiora reddantur.

Et primò si, quæ dicenda est prima, & à Christo fundata Ecclesia super omnes alias illa est cuius causa potissimùm Christus passus est, & ante omnes alias suo sanguine Dominus fundauit, quæ cum Ierosolymitana sit, à qua primùm Apostoli exierunt, & Episcopi in reliquas orbis terrarum partes, igitur si quis supremus Episcopus dici debuit is Hierosolymitanus Episcopus esse deberet, non autem Romanus, quòd quidem inquiunt tantò vero similius ostéditur, quanto per aliàs Ecclesias solutas, collectas scilicet esse legimus.

Cui à similibus obiectionibus facilis capta erit responsio, si quæ supra declarata sunt animaduertantur dictum est enim Romanam Ecclesiam ipsam tantummodo relatã nullam præcœteris habere pręstantiam, nec à Christo speciatim institutam esse, sed ad suum caput Petrum, eiusdemque cum eadem auctoritate successore relata ea est connexio, adeo Petri facta est propria, vt quæ de Petro summo Pastore dicuntur, eadem etiam ascitę sibi Ecclesię eiusque successoribus rectè tribuuntur, igitur quamuis Hierosolymitana tempore fuerit prior Romana, Petrus tamen, cui Romana innititur, non solùm altera prior extitit, sed illis sicut, & cœteri pręfuit.

Quid autem illi futurum esset, si eam suo scelere ruituram Dominus non pręuidisset incertum est, credi tamen potest, quòd sicut hebręis priùs tradita sunt diuina eloquia seruanda, ac pro illis Dominus seruandis venerat, ipsam fortasse principem Ecclesiam sub Petro supremo Pastore constituisset, qui eiusque successores Hierosolymitani Episcopi appellarentur, Collectæ verò illi non principi, sed indigenti persoluebantur, quinimmò Apostoli, qui istorum commenta diuino quodam spiritu futuro fortasse pręuiderunt statuerunt Hierosolymitanam Ecclesiam Palestinę Metropoli subditam esse debere.

Et quamuis in Concilio Nicœno inter patres de honoranda illa Ecclesia, varia colloquia essent, prior tamen Apostolorum facta deliberatio pręualuit, & perstitit.

Proindè arguunt etiam ex D. Gregorio, qui noluit vniuersalis Episcopus appellari, asserens etiam idem suos prędecessores fecisse.

Qua ratione id dixerit, statueritque Diuus Gregorius ipsemet sępius explicauit, demonstrauit autem hoc superbum nomen humilitatis gratia abhorrere, non immemor verborum de humilitate seruanda illius, cuius ipse vices gerebat, necnon veritus nescio eo nomine vteretur cœteris Episcopis pręiudicium inferret, aut illis Episcopatus iura tolli viderentur, re autem ipsa, qualis in omnis Ecclesias esset eius auctoritas suę Epistolę pręcepta, & executione demonstrant, & ad ipsummet Mauritium Imperatorem, qui alterius Episcopi iactantiam, & temeritatem tuebatur de Petri auctoritate, ac huius nominis vitando tumore intercętera his verbis scripsit.

Cura Petro totius Ecclesiæ, & principatus committuntur, & tamen vniuersalis Apostolus non vocatur. Sed cùm D. Gregorius vniuersale vocabulum; non autem vniuersalem curam negauerit, idque perpetuo vsu præstiterit, idem & nos faciendum esse dicimus, Episcoporum Romanorum modestiam laudantes, ac probantes, qui catholicæ Ecclesiæ Episcopos se subscribunt; ac D. Gregorium imitati titulum illum recto casu explicatum abhorrentes.

Quòd quidem D. Gregorium eiusque Successores consultò fecisse credendum est, ea tamen ratione, vt ostenderent se Ecclesiæ Ministros esse, non autem Dominos, ac eorum Magistrum imitatos administratos in Ecclesia potiùs, quam administrandos constitutos.

Præterea ex eo, quòd Petrus priùs fuerit totius Ecclesiæ Episcopus, quàm Romana extaret Ecclesia arguunt Romanum Episcopum dici non posse Petri successorem, similique argumento asserunt D. Paulum vsum esse cùm voluit inferrę Abraham iustificatum

esse non circumcisione, sed fide, quam ante circumcisionem assecutus fuerat, sed si suppressa peruiuacia, hæc proportio perpendatur, nihil aptius ad sua repellenda, & nostrum propositum asserendum ista proportione afferri poterat. Primò, tamen loco respondemus parum referre, fuerit ne priùs Romana Sedes, an Petrus Episcopus ad veritatem successionis Episcopi Romani statuendam, vel refellendam, sed sat est, illudque huic rei necessarium, vt post acceptas claues regni cœlorum, an ante mortem Petri Ciuitas Romana facta sit ei propria Sedes, & Ecclesia, cui legitimè Episcopi Romani succedere possent.

Quo verò pacto istorum allata proportio nostrum potiùs, quàm eorum, propositum statuat, atque confirmet clarè constabit hoc modo deducenti ad relatam proportionem; nimirùm quod sicut Abraham ante circumcisionem fide iustificatus est: ità Petrus institutione Diuina, antequam esset Episcopus Romanus Catholicæ Ecclesiæ fuit. Et quemadmodum Abrahæ iustitia ex fide in præputio habita ad præputij statum minimè arctata est, sed ad circumcisionem dilatata, ità clauium amplitudo ad Ecclesiam Romanam Petro vinciendam, ac vendicandam extensa est. Rursùs sicut Abrahæ assecuta iustitia ita circumcisioni coniunxit, vt per eam descenderent omnes, quorum ipse futurus esset Pater, ita Clauium potestas Ecclesiam Romanam ex Petri indiuisibili coniunctione, eiusque sibi appropriatione matrem omnium Ecclesiarum, eiusque Pastorem omnium Episcoporum Patrem, atque principem esse, & appellari posse profitendum est.

Præterea si Romanus Pontifex in curam totius Ecclesiæ Petro succederet illi correspondèrent omnia, in quibus Christus Petri successores voluit esse pares, sed cùm Romanus Pontifex in hæresim labi possit, & sic petra firma non erit, neque illud super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, quia illo ruente, & ipsam ruere oportet, nec rogabo pro te, vt non deficiat fides tua, quòd quidem donum successoribus Petri etiam concessum esse asseruimus, igitur Romanus Pontifex in Ecclesiæ regimine Petro non succedit.

Et cùm hæc nonnullis difficilima videntur Romanum Pontificem in hac parte Petro succedere negarunt, vel singulares eorum personas ad se, non autem ad officium relatas in hæresim posse labi affirmant. Nos autem Verborum Christi, vnà cum præcipuis Ecclesiæ Heroibus veram intelligentiam assecuti dicimus, quòd siue ad se, siue ad officium factus iam Romanus Pontifex relatus Christi decreto non modò verò posse in hæresim labi, sed ne quidem sibi assentiri posse non esse Episcopum Romanum, Petri successorem, eumdemque posse in hæresim labi. Verba autem Christi, quibus hoc demonstratur primò sunt illa, tu es Petrus, quæ præsenti tempore illum, eiusque successores in fide situas statuit. Quæ verò futurum explicant illa sunt, videlicet. Rogabo pro te ne deficiat fides tua. Ad Ecclesiam verò relatos illa sunt, super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam. Et tu conuersus confirma fratres tuos. His enim clarè constat, sicut, nec Petrus, ità nec Romanos Pontifices, & eius successores in hæresim labi posse.

Si verò vlteriùs quæratur quid re ipsa dicendum esset, si aliquem Romanum Pontificem lapsum in hæresim videremus, nulla facilior breuior, & certior responsio ista dici potest, quod ante Dei tribunal cum primùm ille in hæresim sciens, & prudens labitur, deliberatoque animo persistendi nullo interiecto temporis momento desinit esse Romanus Pontifex: sicut etiam desinit membrum Christi esse, ac illum statim Ecclesiæ iudicio etiam inuitum subiacere.

His etiam adde, quòd ille, qui prolata sententia definiendo de rebus fidei errare non potest in hæresim minimè labi posse. Quòd autem errare non possit, præter ea, quæ supra dicta sunt, id etiam perspicuum, ac necessarium apertè comprobat. Rectorem scilicet Ecclesiæ quam Christus firmam, solidamque esse voluit, vt Paulus docet illam desistere non posse, cùm eius munus iure diuino sit ad eius ædificationem omnia facere; quòd quidem non faceret, si ipse definiendo de fide, quæ sperandarum rerum substantia est; hoc est Ecclesiæ fundamentum errare posset. Igitur & quia ipse petræ firmæ firmus successor est, & quia de destructione Ecclesiæ agitur, cuius Christus primum caput curam perpetuam agit definiendo errare non potest.

Adde etiam, quòd queadmodum, nec Romanus Pontifex, neque Petrus ipse predecessor, & Apostolus ædificationem Ecclesiæ super Apostolicam Sedem ædificare non posset, cùm hoc solius Christi sit, sicut etiam fides donum Dei est, ita aduersùs illius ædificij machinam, cuius ædificator causa efficiens, & conseruans curam agit constitutus eius Minister definiendo errare minimè potest. Et quemadmodum etiam definire de fide propriè solius Christi, ita Ministrorum munus iuxta Christi datas de fide definitiones confirmare fluctuantes fratres, ac ob id etiam eius Vicario de ea definiendo, hoc est interpretando, & explicando errare non permitteret. Sedi igitur Apostolicæ reseruatum est, vt definita de fide ab ea declarentur interpretentur, explicenturque, ac si quid sub fide Christi contineatur, quod explicatum non sit, aut si est, non tantum, quantum opus esset, suo iudicio, & potestati subiaceat, quibus non solùm patet obiecti dilutio, sed complurium etiam illius, vel proximi generis fallaciæ deteguntur, ac declarantur.

Sed fortiùs, & euidentiùs putant aduersùs responsa posse obijcere, cum inquiunt: Experientia rerum Magistra nos admonet, an Episcopi Romani labi in hæresim possint, nec ne, aut de rebus fidei definiendo errare posse, & an Petro succedant in ea Christi pollicitatione. Ego autem rogabo pro te, ne deficiat fides tua, sic enim inquiunt. Si complures Romanos Episcopos fuisse legimus, qui vel in hæresim, aut idolatriam, vel hæreticis fauendo lapsi sint, nonne Papistica hæc doctrina ruit.

Nomina autem illorum Pontificum, atque facinora hęc sunt. Marcellinus, Liberius Felix II. Ioannes XXII. Benedictus II. & Honorius I. Et vt de singulis seorsùm mentio fiat dicimus Marcellinum, nec hæreticum,

nec

nec idolatram fuisse, quamuis ad sacrificia impia petractus tormentorum metu forinsecus thus adoleuerit. Hæreticus enim, aut idolatra esse nnn potest, qui rectè fidem retinet, quamuis supplicijs perterritus, qui fidei confessione paulò momento fortis non fuerit. Quod tantò minùs de eo dici debet, quantò ipsum statim ad cor reuersum legimus, ac suę infirmitatis ipse penitens perpetuam, ac firmissimam fidei confessionem, vsque ad mortem retinuit, ac sui sanguinis effusione confirmauit. Peccauit ipse quidẽ grauiter, sicut & Petrus nimio tamen timore perculsi. Sed cum iuuante Deo vires reassumpserunt, vterque quid corde retineret sua passione, & morte demostrarunt. Et tamen primos fragiles, ac perterritę naturę motus in Marcellino isti obseruant, supremam verò eius auctoritatem, quam Concilium illud Sinuessanum eius causa congregatum tribuit, prętermittunt. Cum enim Marcellinus ille sanctissimus sui timoris, & delicti pœnas, sibi infligi obnixè peteret à Concilio, sic ei responsum legimus. Synodus autem vniuersa hoc dicit, cunctorum iudicio tu eis Iudex, ex te enim damnaberis, & ex te iustificaberis. Et iterum dum veneris ad iudicium tuum ex te tunc damnaberis; & ex te iustificaberis, tu enim iudex, tu reus. Quod si in Idolatrię suspicione, quę hęresi longè deterior est Romanus Pontifex in terris neminem habet iudicem, quis nisi arrogans, ignarusque eum esse supremum Ecclesiæ Pastorem negabit?

Liberium verò falsò criminis hæresis accusati eius persecutiones, & exilia probant. Neque duo illa verba D. Hieronymi scripta, nempe quod exilij tędio se cum Arianis polluisset, illi detrahunt, tum quia verba illa eo loco subdolè fortasse addita fuerunt, tum etiam, quod ex proposito ibi minimè dicta esse apparent, & demum cùm historijs contraria sint D. Hieronymo tribui non debent. Historici verò præsertim Theodoretus Cyrenensis Episcopus Liberij ferè tempore inter alia de eo sic habet. Lubet, inquit, narrationi inserere libertimas voces laudatissimi Liberij, & sermonem habitum cum Imperatore Constantio, quem illius tempore Amantissimi Dei perscripsere, qui acuere, atque excitare studium amatorum Diuinarum rerum facilè potest subijciens. Deinde illum eius, cum Constantio sermonem, qui conatus est eidem persuadere, vt subscriberet se in damnatione Athanasij orthodoxæ fidei propugnatoris, cum vincere non posset inuictum damnat exilio relegari præcipiens Beroeam Thraciæ. Athleta quidem, inquit, veritatis historiæ compos in Thraciam, vt imperatum fuerat, venit. Hæc Theodoretus. Qui quidem his, quæ continuò sequuntur verbis, clarè ostendit esse posititia verba illa memorata, quæ D. Hieronymo tribuuntur. Nam iste Historicus prosequens, historiam narrat quonam pacto Liberius fuerit ab exilio reuocatus, hoc est enixis Matronarum Romanarum precibus. Et cùm Constantius voluisset vnà cum Felice Antipapa ministerio fungi, illeque renuisset facere, tandem Felix cessit. Quibus apertè ostensum est falsò Marcellinum, ac Liberium hæreticos appellatos esse.

De Felice verò secundo, vt verum fatear arbitror istos, vel vocem istius nominis ignorasse, vel de eo fictè loquuros fuisse. Nam quis est, qui ignoret Felicem primum Probo Imperatore Martyrij palma assecutum esse. Felicem verò secundum sub Zenone rexisse Ecclesiam. Qui quidem ille est, qui aduersùs Acatium Constantinopolitanum Episcopum protulit condemnationis sententiam, sicut in eiusdem epistolis supra commemoratis satis constat.

Præter verò hos duos Felices neminem legimus, nisi illum suppositilium Liberio degente in exilium, cuius exitus supra memorauimus.

De Anastasio verò, quod hæretici dixerint non admodum admiramur, cùm Gratianus ille decretorum compilator illi tribuat, quod nonnisi Acatio suscitato à mortuis esse poterat, & tamen Gratianus Anastasio post Acatij mortem impingit eum voluisse occultè illum reuocare, quem scire poterat Felicem, & Gelasium Pontifices longè antea excommunicasse.

Quod autem Gratiani mendacium Anastasio non congruat illius epistolæ supra memoratæ ad Anastasium Imperatorem amplissimam fidem facere possunt, in quibus inter cætera Imperatorem monet, ac suadet, vt velit schismata, & scandala Orientalium Ecclesiarum tollere illud facilè pręsentatum, ac vtile remedium foret, vt de numero, & memoria Catholicorum prorsùs auferretur nomen illius Acatij, quem affirmat multis, & manifestis delictis à Sede Apostolica damnatum, & anathematizatum.

An verò Acatius mortuus sit ante Anastasij Pontificatum in alia eius epistola ad eumdem Imperatorem ostenditur. Post enim multa hæc subdit. Ne igitur eos propter offensionem, vel scandalum patiamini publicè nominari, quorum merita, vel actus illum iudicem latere non possunt, cuius iam sunt iudicio constituti. Neque illic se potest inserere in corpore mortali adhuc temeraria præsumptio, vbi non solùm confessio facie aperta merita singulorum, sed etiam silentij ipsius non potest latere secretum. Nam & prædecessor noster Papa Felix, ac etiam Acatius illic proculdubio sunt, vbi vnusquisque sub tanto iudice, non potest perdere sui meriti qualitatem. Quibus apertè, & temporis discrimen, & quanti Acatium Anastasius fecerit iudicari potest. Et cùm Felix non minùs duodecim annos ante Anastasij Præsulatum ad cœlum aduolauerit, falsam esse de Anastasio Gratiani relationem, falsamque etiam istorum calumniam esse in Anastasium Orthodoxum, ac Probum Ecclesiæ Episcopum, qui sicut à mortuis Acatium reuocare non poterat, ita eo mortuo ab Ecclesia Catholica illius nomen, & memoriam aboleri pręcepit.

Quibus etiam addi potest, quod istorum ignauiam detegit, nempe Acatium minimè hæreticum fuisse, sed tantùm pro alijs excessibus, ac quia cum hæreticis communicauerat censuris perculsum fuisse. Quinimò Gelasius in epistola ad Dardanię Episcopos decernit Acatij culpam, ac damnationem nihil obesse illis, qui ab eo sacramenta acceperunt,

neque

neque illorum gratiam illius noxam esse mancam, vel diminutam.

Hæc pauca aliquantisper digrediendo hoc loco adduximus, cum quia hæreseos nota falsò nulli tribui debet, præsertim tali, ac tanto mortuo, tum quia hoc idem adeò à religione Christiana alienum est, quod qui illud affirmauerit Petrum infirmum, ac Christum mendacem faciet, qui se orarurum pro fide Petri, eiusque in eodem officio successoribus promisit. Inter quos cùm Anastasius vnus fuerit, ac ad mortem, vsque in Pontificatu dignè vixerit falluntur toto cœlo, qui aliud de eo senserunt, atque scripserunt.

De Benedicto autem Dominicano, qui nouem mensibus rexit Ecclesiam duo mihi succurrunt, quod alterum est neminem grauiorum Scriptorum inueniri, qui eum hæreticum, vel suspectum dixerit. Alterum verò, quod qui sanctimonia præstabat, & D. Thomæ doctrina imbutus erat, & nouem mensibus in summo Præsulatu vixerit nobis suadet quid de eo sentiendum est, præsertim cum in Episcopo Romano nullum genus hæreseos locum habere potest.

De Ioanne verò XXII. idem sentiendum, cùm nihil de eo tale auditum est, nisi fortasse sciolis fidem adhibere velis, qui illorum scripta probant, quæ suis commentis consentiunt, esto quod nouerint illos, vel auaritia, aut odio, vel inuidia motos scripsisse, quales fuerunt Platina aduersùs Paulum secundum, & quidam Ioannes Battus in Adrianum sextum, qui quidem ab hominum memoria cum Acatio deleri deberent.

De Honorio verò propter sextæ Synodi Anctoritatem maturiùs agendum est, in ea enim, quæ est apud nos latinitate donata illum Monothelíticæ hæreseos, hoc est vnius voluntatis, & operationis Christi, decima tertia actio, vnà cum multis declarat, & damnat.

Porrò quænam fuerit semper Græcorum æmulatio in Episcopum Romanum ex eorum varijs gestis comprobatur, similiter quàm vafrè inter se Græci etiam in rebus Religionis egerint historiæ, ac Conciliorum actiones demonstrant, quod quidem in ista met Synodo tertia actione factum esse cognoscimus. Nam cùm acta quintæ Synodi legi ab Imperatore, & Patribus præceptum esset, lector adhibito etiam priùs iureiurando deprauata, ac corrupta acta illius Synodi pro veris legere cœpit, & nisi Apostolicæ Sedis Legati reclamassent, ac illa falsa esse Imperatori suasissent, iam pro veris lecta, & habita fuissent, quod quidem absque illorum Episcoporum consilio, & mandato Lector ille non præsumpsisset. Sed de his satis.

Quod autem ad rem ipsam attinet satis miror illam Synodum Honorium, cum alijs hæreticis immiscuisse, cùm satis constet, & ex Honorij epistola ad Sergium, à qua Patres illi occasionem condemnationis sumpserunt nullam exprimi hæresim, quin potiùs illius dogmatis de gemina Christi natura doctrina perspecta demonstratur, nec in alio discrimen apparet, nisi quod Synodus illa voluit explicatiùs dici; ille verò grauitati studens, & vt nouas voces euitaret, ac pacem inter dissidentes componeret duas in Christo naturas esse non solum declarauit, sed rationibus, & Diuino testimonio demonstrauit, ac non alia de causa duas operationes se subticere asseruit, quàm ne in Ecclesia nouis vocibus scandalum generari potuisset, & Nestorianorum, ac Eutychianistarum extrema commenta minùs periti vitare possent. Cùm igitur Honorius in ea epistola, quę in eadem Synodo lecta fuit Dominicæ Incarnationis mysterium optimè explicauerit, ac in Christo duas naturas esse diuinam scilicet, & humanam ac ob id duas esse Christi operationes innuerit, ac Verbum filium Dei vnum operatorem diuinitatis, atque humanitatis, cuius sententiæ veritatem Sacræ literæ affirmant, & ipse confessus fuit miror valdè cur ab illis Patribus, iudicatus fuit, & tantò minùs Honorium hæreseos criminari debuerant, quod præterquam quod duas naturas necessariò duas operationes sequi intelligebat causam assignat, vt dictum est, cur ab illis vocibus abstinere hortabatur, ac asserit quod quamuis veras voces illas censuerit non tamen ad nos pertinere inquit illarum nouarum vocum explicationem præsertim, vbi de concordia tenenda inter Episcopos fratres ageretur, & rei substantiæ non derogaretur. Nam si nos Sacramento pænitentiæ minimè detrahimus, propterea quod illis Christi verbis, Quorum remiseritis, & reliquis dicimus institutum, præceptum esse, non tamen apertè explicatum. Ità Honorius duas in Christo naturas profitendas, ac etiam duas operationes se nou negare asserendo, sed ad vitandum scandala subticendas esse tamquam nouas voces consulendo idem re ipsa, quod synodus ipsa sensit, & intellexit.

Proinde cùm legamus Honorium sexaginta annos ante sextam synodum anathematizasse istorum de vna voluntate, deque vna operatione Christi hæresim, certum esse suę sententię intellectum, vti supra demonstrauimus iudicari debet. Quod si è regione sexta synodus, & Honorius poneretur, numquid ille, à quo synodus illa robur habebat, pręferendus non erit? Si enim synodus errare non posset, suorum decretorum confirmationem à Romano Episcopo non peteret, cùm de Petro solo, eiusque in eadem sede successoribus à Domino dictum legimus. Rogaui pro te, ne deficiat fides tua.

Ad hæc, epistola etiam Agathonis, quam illa synodus tamquam à Spiritu sancto per os Petri prolatam recepit, ac amplexa est Honorium ab omni hæreseos nota tunc liberat, cùm huius criminis reos enumerans, Honorij nullam fecit mentionem. Quamquam pro eo, omnibusque Petri successoribus perpetuam, ac expressissimam factam esse iuridicamque, his, quę Agathonis sequuntur verbis. Eximenda inquit (de memorata hæresi, & hæreticis loquens) proinde, ac summi conatibus cum Dei præsidio, liberanda est, Dei Ecclesia à talium Doctorum erroribus, vt Euangelicam, atque Apostolicam Orthodoxæ fidei rectitudinem seruet, quæ firmata est super firmam Petram, huius B. Petri principis Apostolorum Ecclesiæ, quæ eius gratia, & præsidio ab omni errore illibata permanet. Hęc Agatho. Quod si Honorius hæreticus

fuisset, quo vultu Agatho illi synodo hanc epistolam scripsisset.

Et Magnus ille Nicolaus primus Michaelis Imperatoris arguens temeritatem, in epistola, qua illi respondit, & quam Orientalibus, & Meridionalibus Episcopis direxit, quomodo de Romanæ Ecclesiæ Episcopis ausus fuisset scribere, quod illos nec tenuis nunquam rumor aspersit impię, aut hereticę sententiæ. Hęc Nicolaus.

Etsi Leonis confirmationem quisquam opponat, sibi ipsi contradicere, cùm illius auctoritati inniti vult, cuius prædecessorem hereticum facit, ac postremò, quod Leo, cùm heresim damnauit, & facta synodi confirmauit, inter illos hæreticos Honorium minimè memorauit, & rectè quidem, quoniam neque ipse, nec vllus Romanus Pontifex labi poterat, & Honorij doctrina in sua epistola explicata eo sensu, quo diximus, & quæ alium admittere non potest, vera, ac Orthodoxa semper deprehendetur.

Ad hęc arguunt etiam (si Romanus Pontifex Christi institutione Ecclesiæ catholicę preesse dicitur, primitiuam Ecclesiam, cum adhuc non esset Romanus Pontifex, errasse non credendum est, cùm illi non paruerit.) Quanam ratione Ecclesia Romana, hoc priuilegium à Christo sortita sit, ex supra demonstratis, & repetitis manifestum est, nempè, propter Petri cum Romana Ecclesia indiuisibile vinculum, & appropriationem, Quod cùm hæc à primo Ecclesiæ exordio factum non sit, tunc peccare nemo poterat, quando nec causa peccandi extaret, quemadmodum post illam diuinam connexionem, maius peccatum non est, quàm illi detrahere.

Proinde si Romanus Pontifex, Petro succederet, Concilium Nicænum non præsumpsisset suæ curæ fines decernere, ac illum Alexandrino, alijsque Metropolitanis Episcopis parem facere. Canonem autem Concilij hunc esse affirmant. Mos antiquus perduret in Ægypto, vel Lybra, & Pentapoli, vt Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem, quoniam quidem, & Episcopo Romano parilis mos est. Cui argumento, & canoni, complura se offerunt dicenda; Quorum primum est Nicænam Synodum non ignorasse, quæ Sedi Apostolicæ debeantur. Quæ quidem ex ipsius met Concilij literis ad Romanum Pontificem missis, cognosci potest, præsertim cùm suorum Decretorum confirmationem ab eo petierint, quod etiam ex Athanasij literis, ac Ægyptiorum Episcoporum confirmatur; de quibus supra satis superque diximus, necnon earum epistolarum vera exempla attulimus. Alterum verò est, quod in sexto isto Canone, vt ex præcedenti quinto patet, non de pari, aut dispari Metropolitanorum auctoritate agitur, sed de auctoritatis exercitatione. Quod quidem verba illa in Canone posita, neque parilis mos est, apertè ostendunt: Loquitur enim de more illo in primitiua Ecclesia seruato; nimirum, quod Proprij Episcopi, & Metropolitani suorum subditorum, ac suæ Ecclesiæ causarum iudicium ferebant, illisque ius dicerent, & non nisi in arduis religionis rebus Apostolicam Sedem consulebant; quemadmodum multorum Romanorum Episcoporum Epistolis supra demonstratum est. Quibus etiam addam, quod & oculis meis in Concilio Tridentino vidi, vnà cum Auctore summæ Conciliorum, pluribusque alijs Patribus. Vidimus enim per vetustissimum Codicem ex parte corrosum, manuscriptum, ac latina æditione antiquissima douatum, 1 qui loco illorum verborum, Parilis mos est Episcopo Romano; Episcopo Metropolitano habebat, nec mirum cùm his similia complura deprauata inueniantur. Objiciunt Hieronymo referente Acatium Cæsariensem Episcopum cum Constantio Imperatore, & Liberium Episcopum Romanum deposuisse, ac in eius locum Felicem suffecisse. Si de hæresi, vi illata, ac summa temeritate ageretur, vtique perfidus ille Acatius, exemplo esse posset, qui sicut corpore monoculus erat, & vocabatur, ita Constantio Arriano Imperatore, his emicuit. De viris illustr.

Et cum hæc Felicis suffectio ab Arriano, Imperatore Constantino, facta sit in odium Liberij, qui Thraciæ exulabat, propterea, quod iussu impij Constantij sententiæ aduersùs Athanasium, noluit se subscribere, Constantio potiùs, quàm Acatio vis illata Liberio tribuenda est. Quem quidem Acatium claruisse B. Hieronymus inquit; sed qua claritate emicuerit, subiungit, nempe sub Constantio, & Arriano. Sed Felix ille suffectus, postquam Liberius exilio reuersus est, estoquod Constantius voluisset, vnà cum Felice eum Ecclesiam Romanam administrare; Ille tamen liberè cessit. Quę quidem Felicem, Nicęnam fidem seruasse, Historici, præsertim Græcus Theodoretus, affirmant, ac in alio non deliquisse quàm quod ante Arianis amicitiæ vinculo tenebatur quam impiam tandem esse cognoscens, non solùm Liberio Episcopalem curam cessit, sed eum ab hæreticis martyrio coronatum fertur.

Præterea, arguunt etiam ex defectu charitatis, quam Dominus à Petro exegit, priusquam ei suarum ouium curam daret. Quod cùm hæc in Romanis Pontificibus non inueniatur, vtpote, pascentes potiùs suas oues, hoc est propriæ gloriæ, ac commodis consulentes, igitur cum non succedant in charitate, neque etiã in eodem officio succedere possunt. Quibus facilè respondetur, si Pastorem in officio, & nomine Petro succedere duntaxat dicamus, quod quidem sufficit ad regiminis facultatem statuendã, sicuti nulla responsio est quin mercenarius non sit, & dicatur ille, qui in amore Petro nõ succedit. Ad hoc enim Petri successor tenetur, huic debito, cùm officium suscipit, se astrinxit. Sed si oues non amant, nec pascunt, quamuis officio priuari mererentur, attamen quamdiu mortalem hanc vitam agunt, Illis officium, potestas, & nomen, non minuitur, nisi resipuerint, & æterna eis damnatio imminet. Et cùm Deus, tum in veteri, tum in noua lege hos in officio suffetendus esse demonstret, nisi ipse apertè præciperet, nulli hominum aliter sentire licet.

Primum enim ex Ezechiele supra didicisti, cùm de illius legis, & pasturæ pastoribus Deus queratur, quod non suum gregem, sed seipsos pascebant, ac illi officij priuationem

nem minatur, attamen pastores in officio relinquuntur. In nouo verò testamento Dominus præcepit sedentibus in cathedra parendum esse, eorumque præceptorum obseruantiam monet, tamen vt eorum opera imitari minimè debeamus.

Cæterùm memorandum est, quæ supra attulimus obiecta, non omnia esse, quibus isti arbitrantur, se Ecclesiam Dei posse innertere sed illa tantùm hoc loco produximus, quæ istius libro, ita disposita non sunt, quemadmodum hic pro tyronibus consulendis nos disposuimus.

Et nihilominus in singulis huius libri capitibus, quæ hic differuntur singillatim, & eo ordine tractabimus, quo iste sua similiumque commenta offert. Et quoniam alia ratio est rerum tractatus integros perficere, alia verò compendio istius compendio respondere idcirco, qui hæreticorum commenta, atque obiecta, vberiore doctrina, singularibusque responsis diluta, ac explosa videre desiderat, consulat Cardinalem de Turrecremata; Cardinalem Caietanum, Cardinalem Vermiensem Ioannem Echium, & Albertum Pighium, quorum opera etiam nos cùm res expostulat, his scribendis vtimur.

Non nulla tamen: quæ ex D. Paulo aduersùs hanc veritatē afferre solent, paulò inferiùs explicabimus in capite Petrus: Nam cum sibi aduersùs Petri auctoritatem, plura D. Pauli dicta iste afferat, quæ alijs similibus correspondere videntur, eodem loco aptiùs, & opportuniùs illa demonstrare iudicauimus.

Et vt ad librum ipsum tandem reuertamur post supra memorata, ac explosa istius impia dicta, paulòpost in capite sextæ Synodi Carthaginensis, de Petri Papatu, & Episcopatu speciatim se tractaturum promittit, & tamen ibi nil agit, præter quàm, de Concilij Niceni decretis, quæ vel negat, vel illis Romano Pontifici detrahit, propterea quod ex eo Concilio causa recognitionem illam obtinuisse fatetur, sed de his eo loco.

Post igitur supra memorata, ac explosa istius impia verba, paulò inferiùs gradum suum cœptum propositum his, quæ sequuntur verbis prosequitur.

Et paulò inferiùs ait. In Petri quoque quibusdam factis, aut etiam peccatis Romanorum Episcoporum vitam, regimenque depicta, & veluti præfigurata esse.

Primum omnium, Matthia his verbis tibi ipsi non constare videris, nam si Petrus non fuisset Romanæ Ecclesiæ primus, & verus Pastor, extra omnem tuum propositum successorum crimina in eo tamquàm exemplari depicta fuissent. Igitur vel Petrum primum præfuisse Ecclesiæ Romanæ confiteare, aut in eo Romanorum Episcoporum crimina minimè depicta fuisse concede. Errat etiam, & quidem grauiter, cùm eodem loco similem, eiusdemq; rationis facti Christi somnum periclitante nauicula, cum Petri erratis, cum illo Christi somno nonnisi negligentia fortasse Episcoporum, fluctuantibus suis ouibus præsagiri possit, in Petri verò peccatis, priuatam personam agentis, in constantiæ exemplar proponatur, Quod cùm Episcopis Romanis scripto definiendo, vel interpretando dogmata, hactenus perseueranter non accidere poterit, dicente Domino. Rogaui pro te Petre, ne deficiat fides tua. Igitur inepta, quinnimò suspecta talis comparatio demonstratur. Tutius equidem fuisset, Petrum non commemorasse, quàm in fronte tui libri, illis fallacibus comparationibus vti, quibus tuas chimæricas assertiones astruere potuisses. Sed perge vlteriùs.

Nec inutiliter, inquit, mihi facturus videor, si hinc statim initio omnia colligam, recenseamque, in quibus Petrus non tantùm peccasse, sed & Romanos Pontifices quasi præfigurasse, depinxisseque videri meritò potest. Et sequitur. Primum negari non potest Petrum humilis generis, & conditionis, illiteratumque fuisse, sicque, & Papæ plerúsque, ex infima fæce paulatim malis artibus ad eam tyrannidem peruenerunt, & plerumque indocti asini fuerunt. Illud verò tuum, plerumque, præterquamquod non ita se habere satis constat, cùm plerumque contrarium obseruatum esse comperiamus, hoc est ad Romanam Sedem euectus, vt plurimùm ascitos esse regimini aptissimos, nec tamen illi teratos, & asinos, vt tu asseris, vel doctrina, aut vitæ sanctimonia præcipuos, ac selectos viros, Romanæ Ecclesiæ præfuisse; Etiam non te fugere debet illud Pauli dictum, nempè quod infirma elegit Deus, vt confunderet fortia, & apud illum non esse personarum acceptionem, non ne etiam legis Saul quærentem asinos, Regem constitutum esse? Dauid pecora pascentem strenuum militem factum, ac deinde Regem? sed quid priora refero, si quos elegit Christus in Apostolos à piscium piscatu, ad hominum piscationem transtulit. Profectò mi bomo, cum de Petro ageres infimo genere nato, si eum tamèn à Christo ad Apostolatum euectum considerares, superuacanea omnino tibi visa fuissent, quæ aduersùs Romanos Pontifices hac ratione attulisti, quod cò minùs facere debueras, quò plerumque rem aliter se habere (cum adeò in historijs te versatum esse profitearis, scire poteras. Illud verò quod subiungis de barbara tyrannide Pontificis Romani, propterea quòd pedes principibus exhibet exosculandos, ac Magistratus, & Reges sibi obtemperare, & subditos esse, permittit, non admiramur; Quoniam cùm tu tyrannum, ac Antichristum eum esse prædices, non mirum si honores illi exhibiti videntur tibi tyrannidem sapere, sed si sectarum oblitus, cum toto terrarum orbe, eum Christi generalem Vicarium esse affirmes, & quæ reprehendis, & maiora sibi deberi procul dubio existimabis. Nam quantò anima præstat corpori, tantò, quæ tali Episcopo debentur, præstantiora esse oportet his, quæ Regibus tribuuntur. Itaque & tantę dignitati, & hominum religioni talis cultus congruere videtur. Quoniam dum homines, Christi Vicarij pedes crucem signatos exosculantur, Christum ipsum, eiusque humilitatem imitari videntur, etiam pro certo habentes, quod cùm talis honor Christi Vicario exhibetur magna laus, maximusque honos Christo ipsi tribuitur. Et verbum, obtrudo, quo vsus est dicens. Fętidos pedes ex

osculandos obtendere non verentur. Non prætereundum esse putauimus, rabiem huius hominis admirantes, qui suadere nituntur Imperatoribus, & Regibus inuitis, ac renuentibus, sic enim sonat verbum obtrudere, Pontificem Romanum pedes exosculandos offerre. Quod verò ad pedum fœtiditatem attinet, arbitror istum non alia ratione Romani Pontificis pedes fœtidos appellasse, nisi quod cruce signati sint, pœnes quem malè Christi Crucem olere non ignoramus, sed de hoc infra. Et statim subdit.

Petrum iussisse Magistratibus, ac Regibus parendum esse, ac illis subesse. Numquid Petrus sibi ipsi scribit illam epistolam, aut suis successoribus, à qua mutilam sumpsisti sententiam, an potiùs electis aduenis dispersionis Ponti, Galatiæ, Capadociæ, Asiæ, & Bithiniæ? Et quamuis in vniuersum locutus sit Petrus, num ignoras Christum discrimina hominum explicasse, ac sententiam protulisse illis verbis. Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo. Num te fugit, quid in Concilio Nicæno Magnus Constantinus dixerit, & egerit cum Episcopis, qui se inuicem chartulis apud se accusabant, talem sententiam, ac tanto Imperatore dignam promulgauit, nempè se ab illis iudicari debere, nam solus Petrus stat in synagoga Deorum, hoc est Episcoporum, præsertim in Concilio commemorantium, quorum facultas, cùm à Christi Vicario tradatur concilium indicente, magna adeò est, vt pius Imperator ne dum sui, ac aliorum Iudices, sed Deorum Synagogam illos appellauerit. Et meritò quidem, nam maiores minoribus subesse non debent. Sed numquid non longè maior ille est, qui curam animarum obtinet illis, qui rantummodo circa corpora, vel mixta versantur? Supra modum quidem, quoniam diuinis dicati, prophanis principibus Deo proximiores sunt, ac ob eam causam dubio procul illis præferendi, sed de ijs nobis copiosiùs, aptiori loco tractatum est. Cætera verò, & quidem admodum prolixè dicta, quibus iste D. Petri errata omnia commemorat, ac detestatur omisla facimus; Nam cum eò tendant, vt in Petro, futura successorum peccata præuideantur, nil ineptius excogitari poterat, quàm quod vellent conuincere Pontifices Romanos prauos esse, ac sibi prorsùs per fas, & nefas supremam auctoritatem arrogare, eò quod Petrus plura commiserit crimina, in quibus præfigurarentur successorum tyrannides, atque scelera. Petrus peccauit, quia homo erat, redditurus de suis factis rationem, quemadmodum & successores, ac cæteri homines sua ipsorum culpa, ad neminem relati, nisi ad semetipsos, ac vnusquisque rationem redditurus erit in corpore suo, siuè bonum, siuè malum gesserit.

Quæ verò in calce secundæ pagellæ Diuo Petro post acceptum Spiritum sanctum impingit, præterire non licuit, esto quòd complura immisceat; quæ peculiarem requirunt discussionem. Ait enim denique post acceptum Spiritum sanctum, subinde sua quædam peccata, suosque lapsus quosdam prodit, iam enim vocationem gentium non intelligit, eoque cœlitus singulari visione rectiùs eruditur à Deo, iam turpiter simulans se ethnicorum consortio abhorrere, non recto pede ad Euangelij sinceritatem incedit, & tantùm non eam turpiter prodit, quare acriter à Paulo obiurgatur, & in viam quasi magna quadam vi, manuque apprehensa trahitur. Demùm etiam parum acriter pseudo Apostolorum peruersitati, ac impietati restitit, qui de Petro tamquam suo præceptore, maiorisque auctoritatis Apostolo cęteris coram omnibus Ecclesijs gloriabantur, hacque quasi vmbra nominis eius adiuti, puritatem Euangelij Christi, Paulique auctoritatem labefactant.

Præterquàm quod à veritatis scopo longè aberrat, Petri hominis errata commemorans, etiam extra finem sui instituti, ineptè vagatur. Nam neque Petri peccata, neque successorum, supremæ eorum auctoritati, quæ Christi est, detrahunt, neque ea, quæ grauia in Petro esse dicit sunt, & si quæ sunt, leuia admodum, & sine quibus neminem, excepta Virgine, in terris vixisse constitutum legimus. Et primùm si non ignorat illud peccatum esse, quod volitum, & concupitum est contra legem Dei, ac peccatorum discrimen in eò potissimùm dignosci, cum sit aliquid vel contra, vel præter charitatem, ac illud contra, graue esse, quemadmodum illud, præter, leuè, vsque adeò, vt à Christo minimè vos disiungat; Cuius generis purat esse ea, quæ Petro tribuit? Sunt nec contra, aut præter legem Dei, & charitatis, quæ eòdem tendunt, illa vno tempore ignorare, quę Deus alio tempore distulit manifestare, & quæ non nisi Deo reuelante, Petrus scire poterat? Ignoratio igitur vocationis ante Dei reuelationem, neque in vicium, neque vllum in lapsum, nec quantumuis leuissimum in peccatum Petro adscribi debet. Sed venio ad aliud, cuius Petrum insimulat, & quod iste tanti facit, ve nihil supra: Et primum consideràsti ne Matthia, quid de eadem re Diuus Hieronymus dicat, cuius plerasque sententias in tua præfatione cum tuis conuenire affirmas? Non ne Doctor ille sanctissimus veterum sententiarum imitatus illam Apostoli Pauli in Beatum Petrum reprehensionem, non seriam, sed simulatam fuisse declarat, qua vtrumque hominum genus, Iudæorum scilicet, & Gentilium, Petrus illa dexteritate in officio contineret. Idque Diuum Hieronymum non ab re asseruisse putandum est; Nam cùm D. Paulus Iudæorum causa Timotheum ex Patre gentili circumcidisset, caputque suum in Cenchris rasisset, ac Diui Iacobi hortatu Iudæorum more se purificasset, licuit D. Hieronymo simulatam Pauli reprehensionem appellare, ne videretur in Petro posse reprehendi, id, quod in Paulo eadem ratione reprehendi etiam poterat. Sed fortasse Diuum Augustinum aliter sentientem te potiùs imitari velle, quàm Diuum Hieronymum, respondebis. Quod quidem si tibi demus, numquid tuo sensu innixus, & præter Diui Augustini modum, pro arbitrio Paulum illa reprehensione, Petrum in viam, vt inquis, quasi magna quadam vi, manuque apprehensa traxisse, maximumque cum retinentia peccatum eum commisisse, asserere poteris? vtique respondebis, quoniam Paulus in faciem non restitisset, ac ipsum non

rectè in viam Euangelij ambulare accusasset, si illum Petri noxam maximam esse non iudicasset, sed si priscos Patres, quos in hac parte Hieronymus imitatus est, consuluisses, istius peccati circumstantias non tanti fecisses. Et quidem in faciem restitisse, Paulum iuxtà veterum intellectum, non nisi in publico illud egisse insinuat. Nam sic Paulum modestissimum, ac prudentissimum decebat, & Petri auctoritati conueniebat.

Quod verò ad aliud, etsi Petrus non omninò culpæ expers fuerit, quoniam id optimo zelo impulsus erga gentem suam maiore cum Euangelij dignitate præstare poterat, tamen neque tale peccatum suaptè natura graue fuit, neque ad Petrum Paulus potissimùm relatum esse voluit, sed potiùs quodam ardenti zelo motus erga gentes, quarum curam sumpserat, cauit ne Petri minùs prudens considerata dexteritas gentibus, quibus Paulus Legis, ac Synagogę abolitionem persuaserat, obesset. Quinimò si quid Petrus egit, perpendatur, cùm optimo zelo, vt dixi, & proposito factum fuerit, coram Deo non caruit retributione, esto quod quantum ad homines, vt diximus, non erat penitùs culpa vacuus, propter quam Paulus illum esse reprehensione dignum iudicauit. Si tamen acriùs agatur, & verba Pauli accuratiùs expendantur, & Petrum non ambulasse in recta via Euangelij, ac ob id grauiter peccasse, facilè patebit calumniæ dilutio. Et primùm non legimus de Petro seorsum verba illa dicta esse: Sed inquit Paulus: Et simulationi eius consenserant cæteri Iudæi, ita vt & Barnabas etiam duceretur ab eis in illam simulationem, & subinde sequitur. Sed cùm vidissem, inquit, quod non rectè ambularent, Iudæos, & Barnabam primùm intelligens, non autem Petrum, quamuis secundo loco ei tamquam illius simulationis auctori, non nihil tribuere poterat. Ego verò Petrum data opera ea simulatione vsum esse non dubito, putantem tamen Deo fore gratum, & suis Iudæis beneficium, scilicèt aliquantis per eos tolerare, ac veluti puero non statim oblactandos, sed Synagogam cum aliquo honore ad sepulchrum afferendum. Et cùm hæc Petrus non ignoraret, suos Iudæos ferebat, quò vsque tenelli solidas radices emitterent, veritus ne repentina mutatio illis obesset. Et quamuis hæc pietatis opera argui non potuissent, quia tamen hanc pietatem, atque indulgentiam plus iusto produxerat erga suos, Paulus metuens potissimùm suis gentilibus, quorum curam gerebat, hac parum data, sed ab illis admodum accepta occasione errandi, ac tribuendi legi, quod iam euacuatum erat, Petrum, vt res expostulabat, monuit, atque publicè reprehendit; tametsi, vt dictum est, hæc Petri minùs circumspecta erga suos beneuolentia errorem in fide sibi afferre non poterat, qui virtute ex alto indutus erat; & ex visione lynthei gentium vocationem probè nouerat, tamen gentibus admirationi, & magni erroris causa in fide breui esse poterat. Quæ verò sequuntur, quibus Beatum Petrum arguit, quod parùm acriter restitit illis, qui de eo benè sentiebant, ac cæteris Apostolis eum præferebant, simulque puritatem Euangelij, Paulique auctoritatem labefactabant, & conuellebant, nil dicendum occurrit, tùm quia illa, quæ iste fingit pro veris affert, esto quod numquam fuerint, sicut nunc accidit, de his, quos asserit Petrum non reprehendisse, tùm etiam quia statim, cùm ipse compendio repetet, quæ sparsim supra dixerat de Petri erratis, itemque de Paulo ad Petrum collato, nonnulla etiam eiusdem generis commenta adiecit, nos quædam alia addemus, quibus ista, & alia quædam, quæ Petri Principatui obijcit, à veritate aliena esse demonstrantur. Ait enim.

Quapropter ità à Paulo ille Petri primatus reijcitur, retunditur, ac obijcitur, vt ille planè neget se in vlla parte Petrum pro suo superiore agnoscere, nec se ab eo didicisse Euangelium, nec ius docendi petijsse, nec denique quicquàm penitus ab eo habere, quin potiùs se Petrum Antiochiæ enormiter perniciosèque errantem, ac peccantem rectiùs edocuisse, ac grauiter coràm omnibus obiurgasse, seque solum plus Petro, & alijs laborasse &c. Et sequitur &c. Quare in simili quęstione in prima ad Corinthios seueriter pronuntiat, & monet Paulus neminem debere vel Petri, vel aliorum hominum nomine tumere, ac gloriari, sed de solo Christo, qui solus pro nobis mortuus est, passusque sit, ac nos de peccati morte, & inferis redemit, non de Petro, aut alijs.

Hanc negatiuam sententiam, quam Paulo tribuis, quo in loco scriptam inuenisti? Quando fuit inter Petrum, & Paulum de pręstantia disceptatio? vt possis tù ita audacter asserere, quod ille neget in vlla parte Petrum habuisse superiorem? Sed postquam Diui Hieronymi sententias approbasti, easque plerumque cum tua doctrina asseruisti congruere, audi, & perpende de Petro quid ipse dicat. Denique tantæ auctoritatis fuit Petrus, vt Paulus in epistola sua scribat: Deinde post tres annos veni Hierosolymam videre Petrum, & mansi apud eum diebus quindecim. Rursumque in sequentibus. Post annos quatuordecim ascendi iterum Hierosolymam cum Barnaba, assumpto, & Tito, ascendi autem secundùm reuelationem, & exposui eis Euangelium, quod prædicaui inter gentes, ostendens non habuisse securitatem Euangelij prædicandi, nisi Petri, & eorum, qui cum eo erant fuisset sententia roboratum. Nec putes velim nos ignorare in aliquo Paulum Petro non fuisse minorem, nimirum in Apostolatus institutione, & quod ad parem Euangelij prædicationem, atque regiminis exercitationem, sed quoniam præter hæc Paulum non latebat, Petro totius Ecclesiæ præ alijs regimen commissum esse, ideò D. Hieronymus illud supramemoratum dictum protulit omni consideratione dignum. Et quæ Petrus in supra expositis Concilijs, ac alijs locis dixit, & egit, erantne Paulo abscondita? quod si perspecta, numquid in Petro aliquid superius esse non iudicauit? Quod si Petrum tyrannidem exercere cognouisset, quemadmodum eum Antiochiæ in re longè minori reprehendit, nonne & voce coram, & scripto diræ tyrannidis eum acriter arguisset? Et sequitur iste Matthias.

Nec se ab eo, scilicet Petro, didicisse Euangelium, neque ius docendi petijsse &c.

Por-

porrigimus herbam, speciali enim quodam priuilegio Paulo, cæterisque Apostolis hoc præstitum esse, non negamus, quemadmodum quicumque ille fuerit, qui hoc speciali Christi priuilegio non fuit donatus, aut Apostolicis præceptis institutus absque Petri nutu, id exercere non potuit. Et sequitur. Nec denique quicquam penitus ab eo habere, &c. Nil profectò, quod ad Apostolatum pertinet, neque Paulus, neque cæteri Apostoli à Petro habuerunt. Quemadmodum eos non latuit, quid Christus soli Petro dixerit, & quid præ illis Petrus gesserit, quo probè nosse poterant, in eo aliquid fuisse maius illis, vel non præstitum, vel si concessum non nisi vti diximus, quod ad exercitationem. Petro verò soli, & seorsum regiminis facultatem promissam, & traditam, sicuti supra me ostendisse apertè non dubito. Et subiungit.

Quin potiùs se Petrum Antiochiæ enormiter, perniciosequè obiurgasse, &c. Cuius fuerit generis, Pauli non enormis, & perniciosa obiurgatio, vt iste temerè obgannit, sed prudens Christiana admonitio supra explicatum reliquimus, & tamen vlteriùs compendio hæc adijcimus. Quod vbi periculum fidei, & animarum imminet, secretò, & publicè, vti casus exigit, subditi suis Prælatis possunt, & debent resistere. Quinimò & Petri, & Pauli illustre exemplum in Ecclesia imitandum relictum esse credimus. Petrus inquam maioribus exemplum reliquit non indignandum esse, si in religionis negotio à prudente, & erudito subdito, cùm occasio se obtulerit, corrigantur. Paulus verò subditos monitos esse voluit nil verendum, nil dubitandum, nil negligendum, cum religionis, vel animæ periculum instare cognouerit, prudenti, ac sapienti zelo suos superiores ea, qua decet reuerentia opportunè admonere, atque ad suæ vitæ emendationem hortari. Quod verò Paulus plus alijs laborauerit, aut ingenij acumine præstiterit, vel eminentiori doctrina emicuerit, vel feruentiorem se exhibuerit, cum nil ad dignitatem, atque regiminis prelationem attineat à scopo aliena esse iudicauimus, ac frustrà hìc allata esse censendum est.

Sed quoniam, cum paulò superius complura aduersariorum obiecta diluerenus, illas etiam D. Pauli sententias explicare polliciti sumus, quibus aduersarij plerumque innituntur, ne pollicitatio vlteriùs differatur, opportunamque etiam hoc loco nacti occasionem, illas recensebimus, simulque earum perspicuam intelligentiam. Patrum iudicio comprobatam adscribemus, vt istius, ac illorum interpretatione detecta, pij, sed minus in his periti homines in Christiano officio contineantur.

Prima, ac (vt putant) potissima aduersùs Petri primatum illa verba Pauli sunt ad Galatas, nimirum. Mihi enim, qui videbantur esse aliquid, nil contulerunt, inter quos erat Petrus. Sed cum cognouissent, quòd creditum est mihi Euangelium præputij, idest prædicandum gentibus, sicut & Petro circumcisionis, idest Iudæis. Qui enim operatus est Petro in Apostolatu circumcisionis, operatus est mihi inter gentes, dexteras dederunt mihi, & Barnabæ societatis, vt nos in gentes, & ipsi in circumcisione.

Quibus verbis isti hoc pacto se inferre posse contendunt. Si enim Petrus, primatum assecutus esset, Paulus ab eo facultatem accepisset. Cum verò his verbis clarè pateat nullam in Paulum collatam fuisse facultatem, satis constat nullum etiam primatum Petro deberi. Si hoc in loco de iurisdictione, ac primatu mentio facta fuisset, nil moraremur. Sed cùm Paulus nihil dixerit, nihilque egerit, præter illa, quæ ad Apostolatum attinebant, in quo omnes Apostoli pares erant, satis constat extra scopum hæc verba aduersarios afferre. Verùm vt rem subtiliter perscrutemur, dicant quæso, quæ verba sunt Pauli, & quo ordine sunt prolata, & quis illorum effectus.

Primum enim dicit. Nil mihi contulerunt, sed quid erat illud nihil ei non collatum? non aliud profectò fuit, nisi quod Apostoli (inter quos fuit Petrus) cum quibus contulit, nihil de sua prædicatione, quasi falsum, aut perperam interpretatum, nihil etiam illi addendum, nihil ex ea minuendum iudicauerunt, ac eum, vt verum Christi Apostolum in eorum societatem receperunt, ità quod ex parte perfectionis doctrinæ, nihil deesse cognitum est.

Et postremò duo potissima induuntur, hoc est, quòd ipse Paulus à Christo erat institutus Apostolus, sicut Petrus, & cæteri, quodque etiam in hoc munere Paulus non minùs perfectionis, quàm Petrus assecutus esset. Sed eum his omnibus nollem te præterire, quod supra ex B. Hieronymo ad Augustinum scribente produximus in hęc verba, quæ consultò repetimus, tùm quia à tanto viro ad similem virum scripta sunt, tùm quia tu his Matthia, & quidem meritò, tantum tribuere videris. Hoc enim pacto Paulum loquentem induxit. Deindè post tres annos veni Hierosolymam videre Petrum, & mansi apud eum dies quindecim. Rursumque in sequentibus. Post annos quatuordecim ascendi iterum Hierosolymam cum Barnaba, assumpto etiam & Tito, ascendi autem secundùm reuelationem, & exposui eis Euangelium, quod prædicaui inter gentes, ostendens non habuisse securitatem Euangelij prædicandi, nisi Petri, & eorum, qui cum eo erant sententia fuisset roboratum. Quæ quidem roboratio cum ad vim Euangelij non requiratur, relinquitur, non nisi ratione primatus, & iurisdictionis Paulum à Petro eam suscepisse.

Secundò verò, & ex eodem loco putant Paulum se parem Petro fecisse, propterea quod dicit, Cum agnouissent, quod creditum est mihi Euangelium præputij, sicut & Petro circumcisionis. Sed si res perpendatur, nihil minus Paulus illis verbis ostendere voluit. Nam præterquamquod, eum non latebat in rerum mutatione, ac relatione ex Simone Petrum, & Cepham à Christo appellatum fuisse: Non ignorabat etiam vocationis gentium reuelationem illi factam esse; eique præceptum, vt occisis immundis animantibus in lyntheo sibi allatis, ea comederet, idque etiam eùm Antiochiæ præsideret, Petrum in multis annis præstitisse, ac illud Cornelij factum Paulus non ignorauit, & tamen Paulo non derogandum esse existimamus, vt minùs ipsi, quàm Petro, quod ad

Apo-

Apostolorum, & minus predicandi debeatur, quemadmodum, quod ad prælationis officiũ, Petro primas deberi fateamur, necesse est.

Et postremò superuacua isthæc commemoratio videtur, tum quia cùm Petrus non posset principio nascentis Ecclesiæ totum mundum lustrando, solus Euangelium promulgare, diuiso sibi terrarum orbe, munus prædicandi Apostoli partiti sunt; tum etiam quia legimus & Petrum prædicasse gentibus, & Paulum Iudæis, ità quod hæc prædicandi prouincia omni ex parte perfecta, omnibus Apostolis communis fuit, quemadmodum prælationis, ac regiminis palmam Petri tantum fuisse affatim docuimus..

Arguunt etiam ex dexteris societatis Paulo, & Barnabæ datis æqualitatis signum. Quibus,& nos vicissim dicimus, neque Christum fuisse Apostolis superiorem, propterea quod illos fratres, & amicos appellauerit, nec Romanum Pontificem in iurisdictione Episcopis præstare, quia etiam eo scripto fratres vocat. Quod si Christo non derogatum est, multò minùs Petro, nam in prædicandi munere Paulo, & Barnabæ dexteras dedit societatis, societatis, inquam, cum legamus Saul Regem cum focijs suis, quærentem Dauid, cùm essent, & illi socij subditi, & serui.

Et postremò ad aliam hoc suo libro supra memoratam eius illationem, quam ex Paulo ad Corinth. patet se rectè sumpsisse, paucis sic respondemus. Non modò non esse similem quæstionem, sed longè diuersam: Nam ibi Paulus illos obiurgat, qui dicebant se esse, vel Pauli, vel Apollo, ac illis suadet, Christo sui incrementum dat, esse fidendum, & illius se esse profitendum: Quæstio verò nostra de Petri primatu est, ac ad subditos relato, non autem Christi potestati comparato cuius Petrus est seruus, & minister, & nihilominus cùm se, Paulus, & Apollo nominauerit, & in loco Petrum subticuit, innuens fortasse dispari ratione de eo loquendum esse, cum de iurisdictione agitur: Et postremò Paulus asserit nemini gloriandum in hominibus, neque sibi, neque Apollo, neque Cephę, sed tantummodò in Christo Deo, & Domino nostro. Sed ijs quid aduersùs Petri primatum inferuntur.

Cætera verò, quibus te iactas Petri errata, & lapsus protulisse, ac eius successores, more tuo temere iniurijs afficere, conaris missa facimus, quoniam non maledictum pro maledicto reddendum est, sed Christi,& Pauli doctrinam sectando, tibi Matthia, ac tui similibus bona, præsertim resipiscentiam optamus.

CAPVT XXI.

Sacræ Literæ.

IAm iste magnum chaos ingreditur, nam in hoc capite, seu titulo, quem appellat: Sacræ litteræ hæc monstra euomit. [Sacræ literæ non tantùm eatenus pugnant, cum Papa eiusque erroribus, quod contrariam doctrinam proponunt; sed etiam quod disertè & prædicunt venturum esse Antichristum, & non obscurè indicant eum ipsum esse Papam, & errores eius, ac furores eius depingunt) quid Sacræ litteræ de Petri primatu dicant, supra demonstratum est, quod verò denuò pro arbitrio repetas illa pugnare cum Papa, insanientis est; Nam oportebat te priùs antecessiones permittere, & deinde inferre propositum. Sed quoniam non ignoto ex his, quæ supra de Petri auctoritate, eiusque vsu attuli pio lectori satisfactum esse, superest tantùm, audire si quid vlteriùs iste afferat, & illi ea, qua decet charitate respondeamus.

Nam Sanctus Paulus,inquit,docet,quod Antichristus in templo sessurus, & ibi potentiam suam ostensurus, & tyrannidem exercitaturus sit, est autem templum Dei ipsa tota Ecclesia, & postquam infert (sed quis alius se in Ecclesia Dei extulit, & exaltauit, & ostentauit quàm Papam.) Antichristus ex Dino Paulo, & D. Ioanne, quæ dicis, & alia facturus est, an verò illa Papæ rectè tribuas videndum erit. Sed perge vlteriùs, & in vnum collectis tuis, quantum à veritate absis demonstrare possimus, Paulum itaque prosequentem demonstras, inquiens, (ite dicit, quod se ostentabit tamquam Deum, & eius cultum) & subdis,quod Christus apud Matth. ita declarat, quod in nomine Christi veni, (etcæterum est,ait ipse Papam sese pro Vicario Christi venditare, & tamen maiorem sibi potestatem vsurpasse, quàm quantum filius Dei vsurparit. Nam Christus se semper scripturæ subiecit, & dixit se, quæ faceret, & pateretur facere, & pati, vt scriptura impleretur: At Papa dixit se posse dispensare contra Apostolum, & Euangelistam, posse recta facere, praua, & contraria.)

Iam deinceps Matthia non possum, neq; licet tecum amicius agere, quoniam diabolica deliratione te video vehementer laborare, & nisi charitas erga minùs peritos me adscribendum eo egisset, non minùs stultus apud sapientes viderer, ego tuas stultitias commemorando, & refellendo, quàm tu illas proferendo.

Igitur volentes, vt par est, istius prosana, imò impia dicta refellere, ordine illa expendemus, vt eis reiectis, ac ad nihilum redactis veritati fiat satis, minus peritis prospiciatur, & nos lętemur orare, respondendi, ad cætera sua maledicta,quæ eodem tendunt, & ad ea, quæ aut sæpiùs repetit, aut innuerit, vel extra propositum adduxerit, & demùm vlteriùs progredi possimus.

Sed cum veritate iste ex pluribus locis præsertim ex D.Paulo, & Matthæo, ac D.Ioanne asserat se suam opinionem depromisisse, ex eisdem nos dicta sumemus, illaque cum Antichristo, & Papa conferemus, vt dignosci possit, quantum iste sit à veritate alienus.

Pauli autem verba de Antichristo ad Thesfal: hæc sunt. Quoniam nisi venerit discessio primùm, & reuelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, qui aduersatur, & extollitur, supra omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur,itaut in Templo Dei sedeat, ostendens se tamquam sit Deus;Et paulo post. Et tunc reuelabitur ille iniquus, quem Dominus Iesus interficiet Spiritu oris sui, & destruet illustratione aduentus sui, eum cuius est aduentus secundùm operationem Satanæ in omni virtute, & signis, & prodigijs mendaci-

dacibus, & in omni seductione iniquitatis.

Ex Matthæo, verò asserit Antichristum nomine Christi venturum, ac Papam idem facere cum sese pro Vicario Christi venditat, & quæ sequuntur. Indicat, inquit Ioannes in Apoc. Tempus, quo regnabit Antichristus, nempè mille ducentum sexaginta dies, idest annos, subiungit. Ipse ea ratione quod in scripturis, & Prophetis per diem annus intelligitur.

Quæ verò ex Daniele, & Petro ad diem demonstrandum sumit, inferiùs producemus, illaque perpendemus, quoniam supradictis explosis cætera eadem facilitate ruent.

Et primùm omnium, si iuxta D. Pauli verba Antichristus homo peccati dicitur, & filius prædicationis: Papa verò nomen officij est, ac complures isto officio vsi sunt, igitur, vel plures Antichristi iuxta Pauli verba dandi sunt, vel vnus Papa, qui Antichristo respondeat, cuius Paulus meminit; sed cùm plures fuerint, & futuri sint Papæ, igitur vnus Antichristus, non sunt.

Præterea, Antichristus aduersatur, & extollitur supra omne, quod dicitur Deus, hoc est Patrem Deum; At Papæ complures pro Christi fide martyrium perpessi sunt, & omnes se Christi Vicarios profitentur esse, ac in templo sedent, vt ministri Christi Sacramenta conferendo, at nil nisi sub Christi nomine dicunt, vel agunt, dum sacra conficiunt, & offerunt: Neque catholici, vel Papistę, vt aiunt, Papis honores exhibent diuinos, sed eos cultu venerantur, eaque habita ratione, quæ venerantur illa, in quibus est diuinum aliquid, vel diuinitus sanctificatum. Et quia in sacris nihil sublimius est summo Sacerdote, qui loco Christi sanctificatur, omnibus verò in terris præstat, in omnes eminet. Quòd si interdum fit excessus, quid ad pot issimùm rei propositum?

Numquid, quoniam sæpiùs in animi, & corporis actibus excedimus, ob id animus desinit esse animus, & corpus esse corpus, corrigantur praua, emendentur in melius bona, & remaneat illęsa iurisdictio, corrigantur mores, & diuina dogmata perseuerent.

Cessent Matthia tandem hæc leuia argumenta, ad quæ diluenda, vel hæc duo satis esse deberent, vnum est fieri non posse, vt illi sint Antichristi, qui pro Christi nomine mortui sunt; Antichristus verò à Paulo depictus aduersus Christum sit, omnia mala facturus. Alterum verò est, quod Regnum Christi in terris in pace non fuerit, nisi Christo in terris degente, Antichristus verò per sęcula per durauerit, & duret, & quod Christi Regnum, Martino, & Matthia, similibusque auctoritatibus nouissimis temporibus reuixerit.

Sed perge vlteriùs. Quis fuit ille primus Papa Antichristus, & quamdiù vixit? nam cùm Paulus de Antichristo loquens, Reuelabitur, dicat ille iniquus, quem Christus Spiritu oris sui interficiet, declarandus erit, quis Antichristus est à Christo interfectus, si Papæ fuerunt vnus Antichristus, quòd si Papatum, Antichristum ineptè appellare volueris, cùm iam diù vixerit, viuet, & vsque ad finem sęculi vnus existet, vana tua dicta Matthia deprehenduntur, si verò ex allatis à Diuino Matthæo tuum prauum propositum tueri velis, scias tibi temet non constare, quoniam cum D. Matthæus de pseudo prophetis, ac pseudo Christis loquatur in plurali numero ille Antichristus, de quo Paulus loquitur, locum non habet, sed cùm is sit, quem magnam bestiam Ioannes in Apoc. appellat, & reuera non, nisi in fine mundi venturus, & huius finis, cœteraque signa id portendentiæ, adhuc non appareant, reliquintur locus Antichristo proprius, quem sacræ literæ in fine mundi constituerunt.

Quòd si, vt subterfugias has rationes, quæ sensu etiam percipiuntur D. Matthæum secutus, dicas complures futuros Antichristos, non inficiabimur, nam propè mundi finem isti non deerunt, sed cum signa illa modò non exrent, quæ mundi finem demonstrent, sequitur idem, quòd supra ostensum est, & iterum inculcandum, quòd cum de vno Antichristo iuxta Pauli, & Ioannis sententias sit sermo, & quasi per antonomasiam vnus homo peccati, & filius perditionis hoc nomine gaudere debeat, vt apertè conuincaris, illum Papæ, vel contra ineptè, ac falsò comparare. Adde etiam quod ostentare se tamquam Deum, quinimmò sese asserere supra Deum, & venire in nomine Christi, sibi non consentirent. Qui enim in nomine Christi venit, illum sibi præfert, qui verò se illi parem dicit, vt supra ipsum se extollit, aut contrarium profitetur. Igitur fieri non potest, vt illi pseudoChristi, de quibus Matthæus ait nomine Christi venturi sint, ant Papæ hoc tribui possit, neque illi Antichristo maximo, de quo est sermo, & de quo Paulus, & Ioannes loquuntur, & quem sacræ literæ, ac perpetui Doctores nouissimis diebus venturum esse pronnnciant.

Ac postremò Antichristum ostentare se tamquam Deum, imò supra Deum se efferre, quid simile habet cum Papa, qui se Seruum seruorum Dei nominat? Quòd si Antichristos appellas omnes, qui Christi præcepta, vti decet, non seruant pottigimus herbam, nam omnes penè hoc morbo laboramus, si verò Romanæ Ecclesiæ doctrinæ, & sacramentorum ritus contemnitis, ac ob id Antichristum Papas, & nos omnes vocas, superest, vt hoc rationibus, ac scripturæ testimonijs confirmes.

Quod ad numerum verò dierum, quem ex Apoc. Ioa. sumpsisti, tuo arbitratu dies pro annis interpretando, nil tuis rationibus fauet, tùm quia Ioannes nō de diebus, Sed de mēsibus quadragintaduobus loquitur in quibus Bestia, idest Antichristus potestatem exercebit, tùm etiam, quia mēsis ex diebus fit, non autem ex annis, ex quo relinquitur tua fallacia derecta, & mendax; Prætet hæc etiam constat in scriptura non semper dies pro annis accipi debere, & multò minus hoc in loco, in quo Christo maxima iniuria fieret, si diceretur, mille, & ducentis annis Antichristum in Romana Ecclesia, & toto terrarum orbe supra Deum elatum regnasse.

Sed quia in supra recitatis verbis complura immiscet, valde à veritate semota, monitos lectores esse cupimus, quod quotiescumque deinceps iste monstra illa profert, quod in cœteris sibi credendum sit, conijcere velint, ait enim.

(Papam maiorem sibi auctoritatem vsur-

vsurpare quàm quantam FiliusDei vsurpatit) Infelix Matthia fuerunt ne tibi, hæc mendacia relata, an illa somniasti? numqnid somnijs, & figmentis tuus liber refertus esse debuit, vt omnibus ludibrio ac contemptui esses? Filius Dei venit in mundum, vt testimonium perhiberet veritati, ac vt dogmata suæ Ecclesiæ necessaria statueret, at Papa se indignum eius Vicarium profitetur, veritatem illam à filio prolatam prædicat, atque tuetur, neque minimum ista vnqnam illi addit, vel ab ea minuit, præterquam cùm interpretatione opus est. Nam cùm is in Ecclesia primus, ac generalis sit doctor, eius partes sunt, dubia explicare, ac obscura interpretari, non quod Christus dubia, vel obscura statuerit, sed quoniam minùs peritis, quibus consulendum est, obscura videntur, aut aliqua sin, quæ Christus noluerit omnibus pari ratione nota esse, vel vno, aut altero tempore magis, seù minùs percipi, & diuulgari. Nec non diuinis dogmatibus adeò se Papa submittit, vt præceperit maximas pœnas his, qni aliter sentirent. Quòd si Papa interpretandi munus, sibi tribuit, suo iure id facit; Nam cùm Petro soli à Christo dictum sit: Rogabo pro te Petre, vt non deficiat fides rua, tu tamen connersua aliquando confirma fratres tuos; firmitatem fidei Petro, ac interpretandi facultatem, ac docendi (nam hoc pacto potissimùm nutantes confirmantur) datam esse non dubitamus. Quemadmodum etiam eamdem auctoritatem successores habere nou ambigimus, nam si secus esset, Christus Ecclesiæ suæ tantùm tempore Petri consuluisset, quod impium esset asserere, & eo minùs hoc persuadendum est, quo Petro, & non Simoni, hæc à Christo dicta fuerunt, vt sibi, & successoribus in eadem cathedra futuris dicta esse, quisque intelligere possit. Sed de his iam opportuniùs supra egimus.

Si verò, quoad leges de moribus condendas, Papàm plus isto se extulisse contendas; Leges canonicæ in propatulo sunt, quibus nil prudentius, nil sanctius quasuè ille iure suo condere potest. Nam illud, Pasce, ter à Christo repetitum, quid sibi vult, nisi pasce doctrina, pasce exemplo, pasce correctione? sed de his, vt diximus fusiùs suo loco agitur.

Impia, & Sathanica verba illa, quæ his etiam immiscuit, digna profectò non sunt, quibus respondeatur. Quisnam infernorum Spirituum, tibi Matthia, ostendit Papam dicere se posse disponere contra Apostolum, & Euangelistam, posse recta facere, praua, & contra; amentis profectò sunt hæc, nisi fortè innuere velis illa, quæ ad iurisdictionem pertinent. Nam eo casu (qui tamen, nunquam erit) iurisdictionem, quod ad mores attinet, in illos, & erga illos exercere posset, quemadmodum de dogmatibus, Apostolos consuleret, cùm Papa illis interpretandis in Apostolatu tantùm succedat, Petrus verò, qui & Papa, & Apostolus fuit, vt Papa in illos iurisdictionem exercere potuit, ac in dogmatibus, neminem, nisi se ipsum consulere. qui parem in Apostolatu, ac doctrinæ intellectu, alijs à Christo effectum se esse non ignorabat.

Neq; etiam aliud maiorum blasphemiarum plenum inuenies dictum, quàm hoc; nimirum facere recta, praua, & contra; nisi hoc pacto velles speculari, quoniam si quæ vno tempore recta, & proba sunt, alio verò iudirecta, & praua fuerint Papa dirigit, dispensat, prohibet, punit; idque sibi licere facere, vt illi tribnis, longo interuallo à vero secedis; quoniam hoc non agit, vt asseris, sed potiùs suggerente Spiritu Paracleto, rectum facit rectius, & bona reddit meliora.

Adijcit etiam, & hæc (Prædixit item Paulus, quando Antichristus venturus sit, nimirum inclinante in ruinam Regno Romano, quod itidem cum rei veritate conuenit, nam tum Papa cæpit caput suum efferre, & impietates, impietatibus cumulare) immo nil minùs explicauit Paulus; Et primùm, iste mutilum, & falsum Pauli sensum refert; Non enim Paulus venturum Antichristum dicit inclinante ad ruinam Regno Romano, sed cùm sublatum fuerit è medio. Quod cum adhuc factum non sit, Antichristum venisse affirmari non potest. Ait enim Paulus, tantùm vt qui tenet, nunc teneat, donec de medio fiat, & tunc reuelabitur ille iniquus, quem Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui; Quibus verbis Paulus apertè prædicit, & ostendit ante aduentum Antichristi, non solùm futuram, & præcessuram defectionem gentium ab Imperio Romano, sed omninò imperium abolitum, in hoc enim est, iuxta Pauli sensum de medio illud tolli.

Item quanam ratione Paulus vel potuit, vel debuit tempus determinatum statuere, cum apud Matthæum, & Lucam legere potuisset, Christum Apostolis hoc exigentibus negasse, ac dixisse; Non est vestrum scire tempora, vel momenta. Quinimmo extremum illum diem, qui præcedet Antichristum, ne Angelis quidem notum esse voluit, immò, nec filio, vt alijs scilicet reuelet ur. Et cùm Christus nollet illos scire, quod petebant ruinam Hierosolymorum, cum futuro iudicio immiscuit, vt nescias quid de tempore statuere possis. Sat tamen esse debet, quod (Luca interprete) abominatio illa futura, fuerit exercitus Romanorum idolatra, & quod certò sit iudicium futurum, tempore verò hominibus incognito. Si tamen aliquid ad nostram notitiam fas erit peruenire, non hoc erit, inquit Paulus, antequam venerit discessio, idest apostasia, seu rebellio, & reuelatus fuerit homo peccati, filius perditionis.

Quod si post Petrum vel ante, mille ducentos sexaginta annos Papa secundùm istiua commentum Antichristus fuit, mirum est, quòd Christus iudicium distulerit in hæc vsque tempora, sed hoc reiectum est, cùm ex Ioanne non nisi quadraginta duos menses Antichristi potentia duratura sit, & vt mentibus hominum firmiùs tua opinio inhæreret etiam ex Petro tibi videris testimonium tuo proposito aptissimum attulisse. (Petrus quoque admodum graphicè genuinisque coloribus istum suum successorem, eiusque Prælatos. 2. cap. 2. suæ Epist. depingit. Prædicit enim eos abnegaturos esse ipsum Dominum, qui eos redemit, quod sanè Papa cum suis fecit, dum ille se se, ac alios suis sacrificijs, ac meritis redimere, & seruare voluerunt (Item dicit) Eos per auaritiam fictitijs ser-

monibus de miseris Christianis negotiaturos.

Ne mireris Matthia, si in progressu tui operis, cùm quædam nullius tituli afferes, dicam illa esse tua figmenta, quando hic verba Petri referentem, te mendacissimum deprehendo. Eo enim capite non modò illa verba non extant, sed ne minimum quidem illorum vestigium apparet, neqeriam tuus sensus ex illis extorqueri potest. Epistola enim illa non potissimum successoribus suis, vt inquis, & Prælatis scribitur, sed delectis aduenis dispersionis Ponti, Galatiæ, Asiæ, & Bythiniæ. Capue verò illud secundum, nil horum, quæ tu fingis, continet. Nam principio hortatur illos, ad quos scribit. vt deponentes malitiam, dolum simulationes, detractiones, efficiantur quasi modò geniti infantes sine dolo, & accedant ad Christum lapidem viuum, sacerdotium sanctum, offerentes spirituales hostias, acceptabiles Deo; ad Christum inquam, qui vndequaque credentibus lapis angularis futurus est, non credentibus verò, lapis offensionis, & petra scandali his, qui offendunt, nec credunt, in quo positi sunt. Cætera verò longè distant à tuo proposito, nisi fortasse ex eo, quod dicit Petrus, quod lapis iste angularis, erit scandalo his, qui offendunt verbo, nec credunt, in quo positi sunt. Papam, ,& Prælatos intelligi volueris, non credituros verbo Dei, ac suo muneri.

Et quidem præterquam quod illæ met non sunt, quæ iste protulit, nil tamen est, quod à Papa, & Prælatis magis sit alienum, quàm non credere; Quinimmò hoc peculiare, ac proprium Romano Pontifici est, vt de rebus fidei definiendo non possit errare, neq; aliquem, vt diximus definiendo perseueranter legimus, hactenus errasse. Quod si fieret, mendax redderetur Christus, qui dixit Petro, & deinceps eodem officio functuris. Rogabo pro te, vt non deficiat fides tua, quoniam vt dictum est, & sæpius repetere expedit, cùm Christus Ecclesiam acquisierit, sibi duraturam, vsque in finem seculi non credendum est illius curam habuisse, solum dum in humanis ageret, vel tam in Petri temporibus, sed pro certo habendum, sicut pollicitus est, vsque ad consumationem seculi habiturum. Quapropter Pastoris summi animum in gratiam suæ Ecclesiæ Sponsæ, ita firmum in fide statuit, vt ab ea neque Ipse; neque pro tempore successores, desistere, neque de illa definiendo errare possint, & quæ supra dictis verbis adiunxit, cum in eo capite non inueniantur, & impia admodum sint, eidem auctori relinquimus consideranda, vt discat non mentiri. Quod verò subindè ineptè repetit de fætidis Papæ pedibus à principibus exosculandis, missa facimus, cum satis sit his, & similibus, semel respondisse.

In eadem pagina nonnulla Petri dicta sumit, quæ Petrus ad supra enarratos scribit, quibus ipse addit, quæ sibi videntur suo proposito aptiora, ac illa omnia detorquet, & Papæ tribuit; sed eadem auctoritate, licet nobis illorum nullam habere rationem, qua ille tamen ea fingit, ac falsò Papæ ascribit. Quod autem Papæ tyrannidem exercentes, vt ait, Reges, & Cæsares pro libidine ponunt, ac deponunt; excommunicant, & absoluunt, subditosque ipsorum fidelitatis iuramento nefariè liberant. Si illa mendacissima verba nempè pro libito, & libidine, & nefariè non immiscuisset, nil melius, vtique Papa iure suo omnia, quæ asseris opportunè, & iustè facit, & faciet. Nam si ipse omnium rám agnorum, quàm ouium curam indistinctè à Christo suscepit, ista omnia præstare potest, & debet. Facessit profectò ab istius memoria, quinam inueteri lege Reges instituebant. Sed numquid Sacerdotium illud maius est nostro? immò quantum præstat lea gratiæ legi vmbrarum, tantò rector istius legis nouæ, & conseruacor præstat sacerdotio illius legis figurarum; Quæ verò dici solent, & hic millies alibi repetis, non ignoramus, sed sufficit hoc in loco rem quasi delibasse, nam inferius, cùm iste fusiùs de re hac dicet, & nos etiam opportuniùs agemus.

Et paulò post introducit Danielem, docentem Antichristum, non curaturum amorem mulierum, idest honesta coniugia, prohibiturum coniugia, & vsum ciborum. Et paulò post (Notum est Papam vtrumque horum fecisse, nam coniugium suis spiritualibus prohibuit, & in vniuersum de coniugio ira docuit, quod sit immundum, & carnale vitæ genus, minusque Deo gratum) Daniel bis in octauo capite de Antichristo mentionem facit, vt de abominatione desolationis abstineamus, quoniam illa non Antichristus est, sed iuxta Lucam, Populus idolatra Romanus significatur. In quibus locis, ne verbum quidem horum, quæ iste hic afferr Daniel Antichristo tribuit. Quomodo autem, & quibus coniugia Papa prohibear, ne contingat idem sæpius referere, inferiùs de eo aptiori loco, cùm iste latiùs illud repetit discutiemus.

In eodem capite, in quo posuit mille ducentos sexaginta dies, loco quadraginta duorum mensium, quo posset suas sathanicas chimæras inserre, & hæc horrenda adiecit monstra (Indicauit scilicet Ioannes, locum vbi præcipuè habitabit Antichristus, nempe Romam, quam tametsi Babilonem vocat, tamen, & ipsi Papistę per Babylonem in nouo testamento Romam intelligūt) Non negamus Antichristum Babylonem, vt plurimum habitaturum, sed quæ nam sit hæc Babylon, nomen ipsum ostendit; quoniam quemadmodum Regia Nembrot in Regno Assiriæ à confusis labijs Babilon nomen accepit, ita in præsentiarum à confusis dogmatibus opinionibus, & textis, Babylon meritò patria, in qua hæc inueniuntur nuncupanda venit, ac ob id digna, vt in ea Antichristus pater confusionis sibi sedem constituat. Quæ verò ciuitas, quæuè prouincia inter Christianas nunc sit, in quos quot capita, tot sententiæ sint eam dignam Antichristo Matthia iudicabis, & ne in vanum quæratis, quod intra vos est; vel idem in Christo, & eius Vicario vnanimes sentite omnes vos sectæ germanicæ, vel ex sententia istius, & nomine, & ratione, Antichristum iure suo caput vestrum in propria patria recipite, & tetinete, simulque cum eo alterum, qui in ianuis est, venturum expectate illum inquam aprum de Sylua, vastantem vineam Domini, Mahumettum dico, quem vbique locorum præcessit hæresis, & Satan

ran illis præfecit, ficuti Africæ, Afiæ, & parti Europæ digniffimæ Græciæ, quæ vobis omnes exemplo effe poffunt, Sed redeo ad Matthiæ blafphemias, qui etiam afferere præfumit in nouo Teftamenro Papiftas per Babiloniam Romam intelligere. Si hunc Papiftam Petrum effe afferir, non inficiamur; Nam fcimus cum in prima fua canonica Epiftola his verbis illos, ad quos fcribebat, faluraffe, falutat vos, inquit, Ecclefia, quæ eft in Babilone ideft Roma, quam quidem Petri, aliorumque graphicam interpretationem, tunc propter idolorum confufionem factam effe nulli, dubium eft; Si verò alia ratione nunc ab alijs dictum effe contendit; aliquem mendacem Poeram in hac parte fui fimilem confuluit, & fortaffis eadem caufa motum, qua ipfe excitatur, nempè quoniam indigni, dignitates, & officia, quæ Romæ indigniores conferuntur non affecuti funt; de ea Vrbe conquerentes, his indignis nominibus eam putant, imperitis, & credulis inuifam reddere, quam tamen, fummis laudibus extollere deberent. Papiftæ idem fentiunt de Romana Ecclefia, einfque paftore, quod Chriftus fenrir, quod Sacra Concilia Sanctorum Pontificum decreta Sanctiffimorum Doctorum teftimonia, nempè fedem fuiffe Petri, ac fuorum efse fuccefsorum, Magiftram omnium Ecclefiarum, ad quam caufæ maiores referri debent, illius iudicio declarandæ, & vt in panea conferam, vnicam efse illam, quæ confufa inuoluta, intricata, perplexa, difficillima, diftinguere, difsoluere, explicare, aperire extricare, ac omni ex parte perfpicua reddere debet. Et malè cæptum propofitum fic profequitur. (vt verò non dubites, de qua Ciuitate loquatur, Ioannes addit, & hoc inditium, quod ea Ciuitas fit extructa fuper feptem colles, & habet dominium Orbis Terrarum, quorum vtrumque de Roma ruuc verè dictum eft) Mutilam Ioannis vifionem attulifti more tuo Matthia: Nam de meretrice illa fedente fuper feptem colles, dicit etiam Ioannes eam federe fuper aquas. Quod fi ita eft, cur non potius Bizantium, feu Conftantinopolim, quæ & noua Roma appellata eft, dixifti illam efse meretricem, quæ fedet fuper feptem colles, & fuper aquas? fi tamen hoc ignoras, hoc fcias deinceps Ciuitatem illam fuper feptem colles extructam efse, ac fuper aquas, quas noftra Roma non habet, præter vnum Tyberim, cuius aqua, aquæ dici non poffunt, cùm aquæ aliquid magni innuentes non dici poffint, nifi variæ, & à ventis agitatæ fint, & in quibus naufragium fieri, ac fepiùs demergi homines foleant. Cum igitur illa Ciuitas ea fit, cui potiùs illa reuelatio Ioannis conueniat, & illi præfit aper ille nefandus Mahumettus, Chriftiani nominis perpetuus hoftis, cur matrem tuam potiùs, & falsò iniuria afficere voluifti, quàm facrilegam illam Ciuitatem omni fpurcitia refertam? confufiffima, & nefandiffima lege inftitutam, & cui atrociffimus tyrannus imperitat. Potuifses etiam Matthia, vlteriùs verbis Ioannis meliùs perpenfis Roma remotiffimas Ciuitates, ac loca conijcere, in quibus Antichriftus potiffimum fit fuam potentiam demonftraturus. Ait enim Ioannes de Henoc, & Helia, & Antichrifto loquens. Et cum finierint teftimonium fuum fcilicet Henoc, & Helias, Beftia, quæ afcendit de abyfso, faciet aduersùs eos bellum, & vincet, & occidet eos, & corpora illorum iacebunt in platea Ciuitatis magnæ, quæ vocatur fpiritualiter Sodoma, & Ægiptus, vbi & Dominus crucifixus eft. Hæc animi tui fententiam fequens protuli, vt difceres deinceps integra dicta afferre, & vifionibus, figurifque aptiorem, ac veriorem intellectum dare, fi tamen ex D. Auguftino vlteriùs fcire cupis, quæ nam fit illa Babilon, & meretrix, quæ fedet fuper feptem colles, & fuper aquas, attende, & perpende fingula.

Babilon Ciuitas eft Diaboli toto orbe terrenarum diffufa, in qua omnis immunditia in hominibus malis per totum orbem commoratur. De eadem etiam Babilone, quæ in eodem capite, etiam meretrix magna à Ioanne appellatur, fuper illa verba Angeli ad Ioannem loquentis hoc eft Veni, & oftendam tibi damnationem meretricis magnæ, quæ fedet fuper aquas. Et fequitur. Abftulit me in fpiritu in defertum, fic ait Auguftinus; Recapitulat fpecialiter impiorum pœnas, quas generaliter, & confufè fupra pofuerat, ita vt in Beftia omnis populus malus intelligatur in mulieres corruptela in deferto, impij à Deo deferti, & in anima mortui, quia non nifi in fpiritu poteft, talis videri defertio. Item Auguftinus illam inquit defolationem contemplatio defignat, quæ futura eft in fpiritualibus, quam fe vidiffe ait tamquam mulierem, nempe effeminaram, & veluti meretricem, ac parum vtilem, nullumque continentiæ fignum habentem. Porrò quod fpiritu fublata fit, quid aliud fignificare poteft, nifi quod hæc non æftimentur digna, quæ fecundùm rem, & ipfo actu videantur in contemplatione.

Quod verò D. Irænæo falsò tribuis nempè nomen Antichrifti latinum interpretatum effe, ac ob eam caufam illum effe Papam, quod in latio dominetur miffum facimus. Tùm quia nunquam Irenæus hanc ineptam, & à vero alienam interpretationem protulit, tùm quia Ioannes Regem illum abyffi his tribus interpretationibus declarat, nempè hebraicè ab Addon, Grecè autem Apollion, & & Latine habens nomen exterminans, ex quibus apertè vides, quod Rex ifte non Latinus interpretatur, vt ineptè ex Irenæi verbis colligis, fed iftius Regis nomen in Latinum verfum exterminans fignificat. Quamuis Regem illum, Draconem, & Satan Ioannes alibi appellet; Nam Antichriftum magnam beftiam vocat, quæ ftudio Satanæ inuixa iuftis bellum illatura, & mundo timori, & tremori maximo futura eft. Cùm hoc igitur graui argumento hęc puerilia nihil commune habent. Propterea, quæ de re hac diximus his paucis poftremà obfignabimus, nimirum tempus, quo Antichriftus regnaturus eft quadraginta duorum menfium fpatio menfurari, non autem dierum mille ducentum fexaginta, vt ifte afferit, ea ratione, qua poffit dies illos annos interpretari: & ne fine auctoritate loqui videamur, verba Ioannis adfcripfimus, qui loquens de Antichrifto, & fuis ait. Et Ciuitatem Sanctam calcabunt menfibus quadraginta duobus. Ecce menfes ex fuis diebus, non

autem annis confecti. Et sequitur de Henoc, & Helia subintelligens. Et dabo duobus testibus meis, & prophetabunt mille ducentum sexaginta diebus amicti Saccis, sed demus tibi Matthia, quod non est, scilicet, quod illi, menses à suis diebus distinguerentur, & tot anni intelligantur, si verum esset de tois diebus, quod essent anni, verum esset etiam de diebus in annos commutatis, in quibus prophetarunt Henoc, & Helias: Sed cum constet eos adhuc non comparuisse, relinquuntur tua argumenta frigida, & puerilia, quinimmò iniquitate, & malitia referta, si verò scire cupis, quis nam erit Antichristus, & ex qua gente, postquam locum vbi regnaturus sit supra didicisti. Consule D. Dionysium Pauli discipulum, qui mentem sui præceptoris melius, quàm tu scire poterat: sic enim ait de illa bestia loquens, quæ occisura est Henoc, & Heliam, bestia illa, quæ ascendit de abysso, idem, inquit, Antichristus irrationabilissimus, & ferox de quo Daniel 7. qui ascendet de hoc Mundo tenebroso, & nequam de calliditate, & hypocrisi, quia nascetur de populo Israel excæcato, & ascendet ad perfectam tyrannidem, vsurpaturumq; Regnum. Sed abundantia impietatis, & diabolicæ operationis, caligo abyssus sunt, vnde hæc bestia ascendet. Quod si hæc vera sunt, quid huius natiuitas, & res gerendæ cum Episcopo Romano simile habent, vt Antichristus censeatur id certè, vel cæcus iudicare poterit.

Minùs verò eruditis consulendo confidenter dicimus, vt hanc, quam de hac re proferimus sententiam ex sanctissimis patribus desumptam complecti velint, nimirum Deum Optimum Maximum triparcitam testium diuisionem diuersis temporibus, & causis conuenience constituisse, qui singuli Antichristo obfuturi essent, primam contra Pharaonem duo testes missi sunt, Moyses, & Aaron, quibus restiterunt Iannes, & Mambres contra Neronem, Petrus, & Paulus, quibus restitit Simon Magus. Et contra Antichristum duo scilicet Henoc, & Helias; Cùm igitur videbitur Romanum Imperium, prorsus de medio tolli, & Henoc, & Helias quadraginta duobus mensibus prædicantes, & prophetantes, illi, qui in medio alicuius magnæ Ciuitatis ab Antichristo Iudæo occisi, isque magna, & admiranda signa facere, potissimum in Sodoma, & Ægypto, tunc & non antea Antichristum de abysso venisse, commoraturum tamen non Romæ, sed vbi duo Prophetæ occidentur, præsertim vbi confusionem, ac varias hominum sectas vigere intellexerit, tùm inqnam scripturæ testimonio, ac Patrum interpretatione adducti venisse suspicari licebit.

Perorat iam iam dicens. (Hæc breuiter dicere volui, vt commonerem solum sacras literas disertè Papam arguere, quod sit Antichristus; nolo etiam, subiungit, nunc prolixiùs explicare, quomodo Sacerdotium, ac Regnum Christo ademerit per noua sacrificia, nonos mediatores, & Ecclesiæ propugnatores, seu patronos) Sacræ literæ vtique disertè te mendacem esse demonstrant, & nil eorum, quæ præsumis in illis contineri, cùm supra rationibus, sacris dictis, veris iudicijs, satis superque ostendimus, & tamen in tyronum gratiam, & vt his etiam commentis tandem finem imponamus, nonnulla præter supradicta producere non pigebit.

Tu verò quicumque fueris, obscura quæ dicta sunt, & quæ hìc producuntur, ac cum Papa Antichristum conferas, & deinde an sit Papa ille Antichristus per Antonomasiam dictus, de quo Sacræ literæ loquuntur, rectè decerne, ac istorum figmenta deinceps deuita.

Præterea de Antichristi genere audi, quæ D. Augustinus, & D. Ambrosius in libro de benedict. Patriar. asserunt, dicunt enim de stirpe reprobata, hoc est ex Dan nasciturum esse, initiumque habiturum ex Iacob, & Bala concubina ancilla Rachelis, de quò vaticinans Iacob ait. Fiat Dan coluber tortuosus in via, Cerastes in semita mordens vngulas equi, vt cadat ascensor eius retro, ac subdit, salutare tuum expecto Domine. Quod autem istius Dan reprobatio vera sit, vel ex eo etiam conijci potest, quoniam, cùm Diuus Ioannes in Apoc. signatos recenseret, Dan tamen tribum subticuit, fortasse, quod ex ea nasciturus erat Antichristus. Apostolus etiam eum futurum secundùm operationem Satanæ, hoc est, vt quemadmodum Christus opera Spiritus Sancti ex Virgine generatus fuit, ità Antichristus Satanæ operatione ex corruptissimo, & damnato coitu, (vt interim, quæ dicuntur de incubo, & succubo omitamus) orietur. Ex tēpore verò cum regnare cæperit, etiam hoc ibidem conijci potest, inchoabitur enim cum soluetur Sathanas; soluetur autem Satanas mille annis, postquam dixit Christus, Nunc Princeps Mundi huius eijcietur foras. Et quamuis D. Augustinus interpretetur (& quidem congruè) illos mille annos, vsque ad finem sæculi intelligi debere, propterea quod, vt arbitror millenarius numerus denarij numeri quadratum solidum reddit, tamen animaduertere debuisset iste, quonam pacto, numerus ille suus dierum mille ducentum sexagintaq; quos esse annos interpretatur, ex quo cæpit Papa esse Antichristus, (vt ipse inquit) cum hoc numero mille annorum conueniat. Quod cùm sibi non consentiat, nec veritati consentire istius commentum clarè constet, perpēdere etiam potuit ex bello, quod Antichristus iustis erit illaturus, nam Ioannes subdit. Et postquam finiti fuerint mille anni soluetur Satanas de carcere, & exibit; & seducet gentes, quæ sunt super quatuor angulos terræ Gog, & Magog, & congregabit eos in prælio, quorum numerus, sicut arena, quæ est in littore maris, & ascendenti super latitudinem terræ contra sanctos, & Ciuitatem dilectam.

Hæc profectò si Ioanni credimus, facturus est Antichristus, hoc est bestia illa à Dracone, hoc est à Satana adiuta. An verò à Papis hoc factum sit, vel fieri legatur, decernant non delirantes. Neque verò ad Gog, & Magog subterfugium tibi quæras; nam cùm Ioannes dicat ad gentes, quæ super quatuor angulos terræ sunt, eorumque numerum arenæ maris compararit, tibi minimè pro futurum scias.

Et si D. Hieronymo in Ezechielem credis allegoricum sensum bis nominibus dabis, ac ob id non inutile erit illud per Gog, & tectum Magog detectum interpretari, vt intelligas

ligas non modò Antichristum ope satanica factum, malos homines detectos, idest publicos, verùm etiam tectos, idest hypocritas, vel formidine pœnæ fictos, ac simulatos, eos inquam omnes sibi deuinctum, necnon mirandis portentis ostensis, thesauris distributis (quibus iuxta Ioannem abundabit plurimùm) allectos, ac etiam timore perterritos homines, sibi aduersùs iustos adhærere coget. Hæc pauca, vt diximus, si iungantur superioribus, ac cum Papa conferantur à Matthia producta, & toties repetita, veluti dementis somnia indicabuntur; Sed quæ secundo loco asserit, partim à veritate remota, partim vafra industria prolata esse nemo non videbit.

Primum autem falsum apparet, nam si de Regno cœlesti intelligit Papam illud Christo ademisse, quid stultius? Si verò de terrestri, cùm alibi iste doceat Christum dixisse Regnum suum non esse de hoc mundo (ac ob id Papam sęculari iurisdictione minimè potiri debere) quale erit in terris regnum ci à Papa ademptum?

Sed his omissis, dicimus Papam Vicarium in terris à Christo constitutum, suo nomine illud regere, ac non nisi Christo supremo Regi nostro innixum potestatem, sibi commissam exercere, suisque in deliberationibus auctoritate Christi, ac illamet, quam suis modis habuerunt Petrus, & Paulus præcipere, statuere, ligare, absoluere, benedicere, ac maledicere.

Quæ verò sunt noua sacrificia præter vnum Christum, quæ falsò Papæ attribuitis, tibi opus erat explicasse; quòd cum feceris præstò tibi erimus. Interea tamen ignorare non debes Papam, cœterosque Ecclesiæ Christianæ Sacerdotes, sacrificium aliud Deo non offerre, quàm illud, quod Sacramentum est, & sacrificium, illam inquam incruentam hostiam, non nisi ad se ipsam cruentam relatam. Quæ verò subiungis, & quæ callidè allata esse diximus ea sunt, quibus dicis Papam in Ecclesia nouos mediatores, propugnatores, ac patronos introduxisse: Num per nouos mediatores Christo pares esse stultè intelligis? an mediatores inter peccatis obnoxios, & ipsum Christum? si primum insanis Matthia, si alterum magna rerum ignoratione laboras, cùm ignores Christo chariores posse pro illis intercedere, qui ad gratiam obtinendam illorum patrocinio egent, sed de his explicatiùs suo loco.

Quo verò ad propugnationes attinet, ignorare videris Christum esse christianorum Ducem, quòd si credis eum esse Ducem, & nos in eius militiam vocatos, ac suo signo signatos, mirum tibi videtur, si vnà cum Christo fidei nostræ propugnatores simus? quorsum Paulus aiebat se supplere in corpore suo ea, quæ deerant passionis Christi pro sua Ecclesia. Hos igitur Heroas, ac eximios propugnatores, & patronos inuocamus, qui apud Christum nostrum generalem Ducem inter belligerandum aduersùs mundi tenebras locum tenent viciniorem. Sed quoniam tu, hæc sicco pede pertransis, satis nobis fuit lacessitis suo loco tibi indixisse certamen. Patronos verò non nisi protectores, quorum ope vtimur, de quibus aliàs.

Postremò verò titulum de factis literis his dictis absoluit. (Postquam probauit sacram Scripturam disertè ostendere, seu prædicate Papam esse Antichristum, qui veritatis testis amplissimus, & fide dignissimus est, iam adijciam etiam primatum, de quo nunc Papæ tantopere gloriantur, non semel agitatum, damnatumque esse, tùm à Christo, tùm à Paulo, nam adminus quater quæstio, hæc ab Apostolis mota est, & à Christo penitùs damnata. Matth. 18. 20. 23.

(Item in postrema Cœna Lucæ 22. nunquam Christus respondit se iam semel Petro primatum dedisse, non oportere ipsos de re acta, & transacta toties rixari, quod profectò fecisset, si Petro primatum, Matth. 16. vt Papistæ volunt, dedisset)

Cùm plura verba, quæ sequuntur, cùm partim eodem tendant, idemque quod supra dictum est repetant, partimque maledicta contineant missa facimus. Cùm tu Matthia rationibus, ac apertis scripturæ dictis tuum commentum non posse tueri existimes, millies idem repetis, ac iniurijs refertum, vt vel sic aliquid afferre videaris, & in volumen auctum tuum librum imperito vulgo, ostendere possis. Nam cùm supra multis modis, quæ produxeras absoluerimus, tantùm in præsentia restat loca à te citata, non tamen dicta ex illis producta in medium afferre, ac rectum eorum sensum iterum clarum reddere, vt discas Matthia quàm longè diuerteris à christianæ doctrinæ semita, & minùs periti moniti, veram, ac diuinam de primatu cognitionem assequantur.

Apud D. Matth. cap. 10. ab isto allato, non de primatu in terris agitur; sed quisnam maior futurus sit in regno cœlorum.

Sed quoniam non me latet discipulorum præcedens disputatio de primatu, quam Matthias his subticuit, ad verba, & mentem eorum iuxta verborum Christi sensum respondebimus.

Cum igitur paulò superiùs eodem in capite, Petrum, Ioannem, & Iacobum tantummodò à Christo ductos in monte animaduertissent, ac in solutione didragmatis solum Petrum, sibi Christum parem fecisse, non audentes de primatu terrestri loqui, de cœlesti percontari illis visum est, rati, eum maiorem in terris constituendum, qui in regno cœlorum maior futurus fuisset. At Christus rudibus, sed tumidis discipulis respondet tali sensibili exemplo, vt simul eorum mentibus, & interrogatis satisfaceret, Aduocato paruulo, ac necessitate demonstrata adiecit verbum, nisi scilicet efficeremur paruulis similes, non ætate, sed innocentia, non pateret eis aditus ad regnum cœlorum, in quo maior futurus est ille, qui paruulo similem se reddiderit, sed quid hinc inferatur aduersùs Petri primatum, nil profectò ex his Christi verbis elici potest, nisi exterminandam esse malitiam, & superbiam è mentibus hominum, qui ingressum regni cœlorum optant, ac in eo maiores esse cupiunt; idque etiam in Ecclesia Christi militante seruandum esse, si qui præficerentur, non more gentium dominaturos, vt ipsi Apostoli putabant, sed paruulorum innocentiam sectantes prælationem exercere oportere demonstrat,

Quod secùs fiat, non Petri, ac successorum primatui derogatur, sed regnum cœlorum malis ministris adimitur.

Ex his igitur verbis, cùm nil contra Petri primatum colligatur, remanet Christi promissio illi facta, ac facultatis exhibitio integra, sicut supra demonstratum est.

Aliud verò Matthæi dictum, quo obiurgantur filij Zebedæi, præsumentes apud Christum habere potiora loca (cuius causa cæteri Apostolorum indignati sunt, vel Petri Primatui detrahi, nec indignatis discipulis, interdicit omne præfectionis genus, sed illud duntaxat, de quo supra fusius, & hic excitati dilucidiùs repetimus, nempè quo Reges gentium vtuntur, hoc est, vt aiunt, Domini ad seruos relati, ità vt nil aliud sit, quàm seruilitèr sibi seruos subijcere. Hoc enim genus principatus, ad quod filij Zebedæi fortasse anhalebant, Christus cauendum esse præcepit, cùm ait. Scitis, quia principes gentium dominantur eorum, & qui maiores sunt potestatem exercent in eos, ad. hoc ergo genere potestatis, quod etiam prophanis non licet, eos potissimum abstinere iubet. Prophanis, inquam, quoniam cùm principes constituti sint, vt quod bonum est subditis pareant, opportunèque exhibeant, illi, vt plurimùm suis subditis dominantur, ac eos in seruitutem redigunt. Meritò igitur illorum principatum Christus detestatur, ac discipulis cauendum esse iubet, atque præcipit, ac ità illud in sua Ecclesia alienum putat, quod discipulis mandat, vt quicumque ista peophana, & barbara principatus ratione inter eos voluerit fieri maior, meritò pœnas dando, minister illorum fiat. Et qui priùs ausus fuerit primas inire Sedes, sit eorum velut seruus. At verò genus aliud insigne Ecclesiastico Principi præceptum, aut præcipiendum, neque hic, neque alibi Christus abhorret, aut interdicit, nimirùm alijs præesse, cum quibus Christi talenta cęteris dispensanda sunt, sacramenta conferenda, errata cum charitate corrigenda, Christi mores conseruandi. ac pro christiana fide, & lege, proque omnium subditorum salute etiam mors subeunda; Ac postremò istud principatus genus ex duobus constare suo exemplo Christus præcepit, ex forma scilicet ministerij, ac ex animi promptitudine ad mortem, quoniam supra dicta occasio se obtulerit. Quòd quidem Christus illis verbis expressit, cùm dixit, sicut filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, & dare animam suam in redemptionem pro multis. Quòd quidem eius generalis Vicarius Petrus confirmans, inter cœtera ait pastoribus. Non dominantes in Clero; sed forma facti gregis ex animo. Et antiquior pastor, & princeps Dauid de pastoribus. Hoc est Apostolis constitues, inquit eos principes super omnem terram. Quòd si hæc pauca, & complura supra allata principatum Ecclesiasticum, quod & quale sit tibi non suadent, adde, & perpende, quid Origenes hoc loco scriptum reliquerit. Non contenti, inquit, tantùm regere suos subditos, sed violenter eis dominari nituntur, inter vos autem, qui estis mei non hæc erunt. Quoniam sicut omnia carnalia in necessitate sunt posita, spiritualia autem in voluntate, sic & principes sunt spirituales. Principatus eorum in dilectione subditorum debet esse positus non timore corporali; Et Chrysostomus ibidem inquit; Volens ergo Dominus, & duorum fratrum Zebedęi, & aliorum indignationem extinguere introducit differentias inter principes mundi, & Ecclesiasticos ostendens, quia primatus in Christo, nec ab aliquo appetendus est, non habente, nec alteri inuidendus est habenti, quia principes mundi, ideò sunt, vt dominentur minoribus suis, & ministrent eis, quęcumque acceperint à Christo, vt suas vtilitates negligant, & illorum procurent, & mori non recusent pro salute inferiorum. Nec ille, Neque verò intelligas velim de administratione in vniuersum locutum esse Christum, sed ea, vt inquit Chrysostomus administrare tenentur, quæ à Christo administranda acceperunt. Nam & ipsi Christo, cuius exemplo ipse vult nos administrare Angelos, & Martham necessaria legimus administrasse.

Cœtera verò loca cùm eodem tendunt, eumdem sensum habere, non dubitamus, etsi quod in eis perpendendum superest, apertiùs nostrum institutum demonstrare videtur. Nam cùm Christus discipulis gentium principatum interdiceret, & subiunxerit. Vos autem non sic, sed qui maior est in nobis, fiat sicut minor, & qui præcessor est, sicut minister rectè inferri potest inter illos aliquem prefectum esse, vt verbum illud, Qui maior est in vobis suum locum habeat, & postremò verba Christi apud Ioannem nimirum; Vos vocatis me magister, & Dominus, & bene dicitis, nil aliud sonant, quàm quòd quanto inter eos, qui esset maior, tantò exemplo sui Magistri, & Domini, & ipse humilior esse debet, & quòd si nullus inter eos maior constitutus esset, extra omne propositum Christus suo exemplo maioribus præciperet maiorem vtilitatem præferre.

Quod verò subiungit (Apostolos non oportuisse toties rixari, si Petro primatum Matth. 16. vt Papistæ volunt dedisset) Rixati sunt vtique discipuli quamdiù sacrarum literarum ignari fuerunt, ac Regnum Christi ad tempus futurum esse existimauerunt. At post quam Petro ter soli dictum esse. Pasce Agnos & oues meas, intellexerunt, ac illis Christus sensum aperuit, vt intelligerent scripturas, ac virtute ex alto indutos se esse, tuuc Petro promissas claues, planè intellexerunt, vt vsque adeò eorum rixæ de primatu cessarent, vt quotiescumque Petrus inter Apostolos primas, sibi in iurisdictione vendicauit (vt in actibus Apostolorum clarè liquet) neminem illorum de eo conqueri, neminemque ei restitisse legamus, quominùs in Concilijs primus proponeret, statueretque, & pœnas etiam mortis præciperet.

His verò quantum par fuit, hìc explicatis, arbitror omnibus factam esse perspicuum, quantùm iste à via declinauerit, ac propterea lectores monitos esse cupérem, vt eamdem fidem illi in sequentibus adhibeant, vbi ratio, ac diuina dicta, & Patrum explicata testimonia, non præcedunt, quam ex supra allatis suis dictis illi deberi, iudicare possunt.

CAPVT XXII.

Canones Apostolorum.

EX septuaginta capitulis Concilij Nicæni Stephanus Papa in 16. distin. viginti duntaxat Ecclesiam Romanam habere confitetur, non autem omnia vt tu falsò asseris. Quamuis Antiocheno, & Sardicensi Concilio, & decretis Iulij Papæ primi, nonnulla alia contineri, aliqui arbitrantur, certum tamen est Marcum Papam omnia septuaginta ab exemplaribus, quæ Syluester Papa Romæ reliquerat, fideliter transcripta, Athanasio, & Episcopis Ægypti misisse, vt in eorum literis compertum est;sed cum neque in illis viginti, nec in alijs supradictorum Conciliorum inueniatur, quod tu Matthia hic produxisti relinquitur, vel esse tuum commentum, vel penes te habere omnia septuaginta decreta, à quibus tu, quæ affers excerpsisti. Verùm ne in aliquo tibi detraham, quæ in Concilio Nicæno de re hac facta legimus producimus; quibus quid in te hac illius sententia sentiendum sit iudicari possit.

Peruenit enim ad nostram notitiam, præsertim ex narratis in historia tripartita, quod Concilium illud Nicænum volens in Ecclesijs, Ecclesiasticorum vitam ad potiora prouehere, tentauit illis legem imponere, vt cum vxoribus, quas ante consecrationem duxerant, non dormirent. Cui legi cum pater Paphnutius contradiceret, ac honorabiles confiteretur nuptias, & castitatem appellaret, cum propria coniuge concubitum suasit Concilio, ne talem legem statueret, ne fortè fornicationis occasio coniugibus daretur. Probauit Concilium Paphnutij sententiam, ac nil aliud statuit quàm quod vnumquemque non necessitate,sed suo arbitrio gubernandum dimisit.

Iam his vides, quid & qua ratione factum sit. Iste verò absque temporis, ac nationum discrimine,nec Bigamiæ ratione prospecta, de Episcoporum, & sacerdotum coniugio deliberat, & ad canones Apostolorum se conuertit, existimans etiam ibi Episcopis, & presbyteris indifferenter permittit coniugium,sic enim inquit(Canones Apostolorum, de quibus iam olim variè certatum est, an pro authenticis habendi sint, an pro apocryphis reijciendi, & tamen tandem à Pontificibus recepti,vt ex decret. distinct. 16. apparet, & prosequitur. Mandat ne Episcopus, aut Sacerdos pretextu religionis vxorem dimittant, qui contra fecerint, eum excommunicent. Et paulò post. Si quis Episcopus, aut Sacerdos abstinet à coniugio non exercitij, eiusdem gratia, sed quia illa abominetur, eum deponendum, & excommunicandum esse, & nos cum Adriano Papa, & sexta Synodo 85. Canones Apostolorum recipimus, sed Canonem istum in ordine sextum, vel quintum, quem hic primum protulisti, cùm in sexta Synodo eum reformatum esse, non animaduertisti? sextus Apostolorum Canon ea continet,quæ tu supra attulisti, quod sexta synodus aliter deliberat: Ait enim. Post ordinationem suam Episcopi à proprijs vxoribus secedant, & ne contra sextum canonem Apostolorum Concilium illud decernere videretur, qui cum vxore Episcopum habitare permittit, causam noui decreti ostendit, nempe vt statum Ecclesiasticum in pulchriorem ordinem redigeret, nam & si Apostoli cùm fides inciperet imbecillitari fidelium, nonnihil indulgebant, postquam tamen Euangelium vulgatum, ac receptum est, & fidelium mentes diuino spiritu afflatæ, ne status Ecclesiasticus probro esset eum Pontifices ad perfectam sanctimoniam dirigere illo decreto voluerunt. Quod si dicas eamdem Synodum statim sequenti canone statuere subdiaconos, & supra, vicis suæ tempore ab vxoribus separari,ac ob id sequi eos vnà cum sacerdotibus à supradicto canone liberas esse, facilè patet obiectionis dilutio, si opposita exceptio perpendatur, nam cùm canon dicit abstinere subdiaconos debere ab vxoribus temporis vicis suæ, præcipuè infertur, vbi Sacerdotes, & reliqui non præfinitis vicissim hebdomadibus, sed perpetuò sacrificeant, vt sit in occidente istam constitutionem omnibus communem esse non debere, quam Concilij deliberationem fortasse perpendens Innocentius Papa, Episcopo Tholosano de his percontanti his verbis respondet. Proposuisti quid de his obseruari debeat, quos in diaconij ministerio, aut in officio presbyterij positas incontinétes esse,aut fuisse generantes filios prodiderunt. De his inquit, & diuinarum legum est disciplina, & Beatæ recordationis viri Siricij Episcopi monita euidentia commemorarunt, vt incontinentes in officijs talibus positi, omni Ecclesiastico honore priuentur, nec admittantur ad tale ministerium, quod sola continentia oportet impleri, & subiungit in summa, quod in veteri lege cautum erat ne tempore vicis suæ cum vxoribus se immiscerent, addens etiam quod ea in lege, propter sobolis successionem vxores illis permittebantur, quoniam non ex alia tribu, quàm Aaron ad Sacerdotium prouehebantur. Quoniam magis ij Sacerdotes, & Leuitæ pudicitiam ex die ordinationis suæ seruare debent, quibus vel sacerdotium, vel ministerium sine successione est, nec præterit dies, qua vel à sacrificijs diuinis, vel à baptismatis officio vacant. Interpretatur deinde illud D. Pauli nimirum; abstinentes vos ad tempus, vt vacetis orationi. Quod si laicis hoc præceptum est, inquit, multò magis sacerdotes, quibus, & orandi, & sacrificandi iuge officium est, debent ab huiusmodi consortio abstinere.

... Et infra, alter canon Apostolorum, Episcopos, & Sacerdotes à coniugio his verbis excludit. In nuptijs autem, qui ad clerum prouecti sunt, præcipimus, vt si voluerint vxores accipiant: sed lectores cantoresque tantummodò. Quæ cum confirmentur ab alijs concilijs non oportebat, tantùm vni canoni fidere,præsertim cum scire potuisset alibi ab eisdem esse derogatum. Alterum verò canonem ex Apostolis more tuo Matthia mutilum adeò produxisti, vt alius à suo vero sensu demonstraretur. Canon autem is est, si quis Episcopus, aut presbyter, aut diaconus, aut quiuis, omnino de sacerdotali consortio nuptijs, & carnibus, & vino abstinuerit, non pro-

pro-

propterea, quod mens ad cultum pietatis reddatur, exercitatior, sed propter abominationem, oblitus, quod omnia pulchra valde, & quod masculum, & fœminam Deus creauit hominem, sed diffamationis lacessens creationem Dei vocat ad calumniam, aut corrigitor, aut deponitor, & ex Ecclesia reijcitor, consimiliter, & laicus. Tu verò in canone mutilo affers illa verba, nempe abstinere à coniugio tantùm non exercitij cuiusdam gratia, loco quorum versus canon, non de coniugio tantùm, sed de carnibus, & vino loquens, sic habet: Non perpetuò, quod mens ad cultum pietatis reddatur exercitatior, & quæ sequuntur. Quibus facilè infertur, quod non permissionem coniugij, sed prauas causas abstinentiæ, canon ille detestatur. Quiuimò si rectè perpendatur, cùm abstinentiam coniugij carnis, & vini, propter pietatis maiorem exercitationem præferat, rectè abstinendum esse ab alijs suadere studet. Quæ etiam verba ex diametro duobus dictis tuis in hoc titulo contentis repugnant. Illis inquam, de coniugio, & abstinentia ciborum. Vt autem videas à compluribus alijs Concilijs idem de coniugio statutum esse audi sequentia.

Si quis Episcopus, Presbyter, aut Diaconus, aut lector, aut cantor, sanctam quadragesimam Paschæ, aut quartam feriam, aut parasceuem non ieiunauerit, deponitor, præterquam si imbecillitate impeditur corporis, sin laicus sit communione priuator. Et ex Concilio Neocæsariensi sic habetur. Presbyter si vxorem duxerit, ab ordine illum deponi oportet, adulterantem, aut fornicantem ab Ecclesia abijci, & inter pœnitentes laicos redigi oportet. Quod si de presbytero sic decernitur de Episcopo longè magis subintelligi debet. Si quis Episcopus, aut presbyter, aut diaconus, carnibus, & vino festinis diebus non vtantur, idque per abominationem, non propter exercitationem ad cultum pietatis, deponitor, tanquam qui cauteriatam habeat conscientiam, & multis auctor sit offendiculi. Concilium verò Carthaginense ita statuit: Omnibus placet, vt Episcopi, Presbyteri, Diaconi, vel qui sacramenta contrectant pudicitiæ custodes, ab vxoribus abstineant.

Ec Concilio Elibertino placuit prohibere Episcopos, Presbyteros, Diaconos, & Subdiaconos abstinere se à coniugibus, aut deijciantur. Et cùm ista, hoc loco satis superque sint, aliò vertemus sermonem, nam cùm eadem inferiùs repetes, quæ hìc omittimus tuis dictis tunc opportunè occurrent.

Eodem in titulo profert etiam ex Niceno Concilio aliud decretum, vt ait, ab Ecclesia Romana receptum in hæc verba. [Anathematizat, & eos, qui volunt comedere carnes religionis causa, quod Papistæ faciunt, quibus nefas est die Veneris, aut in quadragesima gustare tantùm carnes, vel caseum, ne dicam comedere.]

Nec canon iste inuenitur inter eos, quos Romana Ecclesia habet. Quod & si Nicænum Concilium illud statuisset, tamen qua ratione tunc id factum fuerit, & qua Ecclesia Romana delectum ciborum prohibuerit, aptiori loco inferiùs de eo differemus, cùm iste latiùs eamdem cantilenam repetet.

De sexta verò Synodo, quam commemorat, & de qua suo loco dicit se, acturum, & in qua asserit fieri mentionem de Apostolicis canonibus, ac multorum patrum sententijs asserentium non tantùm coniugium, sed procreationem liberorum sacerdotibus permissam esse, nil hìc dicendum putamus, nam sat erit suo loco, cùm ea iste producet illi opportunè respondere, & eius obiecta diluere.

Postremò verò, dicit in Apostolorum canonibus hæc se obseruasse, nimirum, quòd cum de politia Ecclesiæ dicunt, Sacerdotes simpliciter, Episcopis sine omni vlteriori appellatione subijciunt, eoque eos in disceptatione controuersiarum non obligant, (nec vllam planè Papæ, aut Romani Episcopi mentionem faciunt, vnde apparet primatum Papæ, & Sedem Apostolicam, seu tyrannicam potius Romanistarum commentum esse.) Et subdit (dignissimum illud quoque obseruatu est, quò 13. canone non minùs Archiepiscopi ad Episcopos, qua ij ad illos obligantur, vnde apparet maximum tunc æqualitatis in Ecclesia studium fuisse, plurimumque ab Antichristiana Tyrannide omnes abhorruisse.) Iam iste totam ferè Ecclesiasticam Hierarchiam imperitis sermonibus conatur inuoluere, nostrum autem fuit illa principio præmittere, quæ si auctor, semoto odio consulit, sibi ipsi satisfacere poterit. Et tamen speciatim his, & quæ sequuntur, cùm eiusdem generis sint, paucis respondebimus.

[Nullum, inquit, inter Metropolitanos, & Episcopos in his Apostolorum canonibus discrimen discerni, ac quasi pares esse, idque perspicuè in can. 34. animaduerti posse.] Falsa quidem esse iam conuincuntur, tum quia in eo canone per te allato, de peregrinis Episcopis, & sacerdotibus non recipiendis, absque epistolis commendaritijs agitur, tum etiam, quia in canone sequenti diuersum à tua sententia contineri videtur. Ait enim Episcopos gentium singularum scire conuenit, quis inter eos primus habeatur, quem vult caput existiment, & nihil amplius, præter eius conscientiam gerant, quàm illa sola singuli, quæ parochiæ propriæ, & villis, quæ sub ea sunt competunt &c.

Profectò ignorare videris Matthia eumdem esse Deum, qui cœlestem Hierarchiam disposuit, & militantis Ecclesiæ, quod si non ignarus, cur illos ordines abhorres, & insectaris, qui cœlestibus ordinibus (suis tamen modis) respondent? Et sine quibus, quemadmodum in cœlo, & absque sacri principatus dispositione Deus summus Monarcha, vix dignosceretur, ita nec in Ecclesia militante Christi inuisibilis, ac eiusdem Vicarij visibilis monarchia cerni posset. Vt supra latiùs explicatum reliquimus.

Post titulos, seu capita, quæ Petrus sacræ literæ, canones Apostolorum appellat, æquitas, & rerum ordo exposcebat, vt quæ à Luca Euangelista in actis Apostolorum conscripta sunt, & proposito inseruire poterant, quorumcumque hominum auctoritatibus, ac titulorum seriei præponerentur. Nam si vt suam iste exequeretur intentionem, testesque veri-

veritatis contra Papam afferret, Petri potissimùm egregia facta, & dicta prætermisit, iam ab ipsis rerum primordijs sui libri inscriptionem deficere, totumque opus mutilum, simulatum, ac fallax esse, argumentari cum ratione possumus, ac istum præuaricatorem appellare licebit, cùm ea prætereat, quæ inculcanda, infringenda, ac repetenda essent. Nos autem eorum memores, quæ in huius operis limine polliciti sumus, suos errores supplere studentes, quæ iste hoc loco, nempe Apostolorum actus, quibus Petri primatus facilè dignosci poterat, iste, post titulum, Petrus, disponere debuit, nos supra opportunè, fusiùsque demonstrauimus.

Oportebat etiam primùm, vt titulorum dispositio seruaretur, non solùm Apostolos præmittere, eorumdemque discipulos, verùm etiam cæteros Ecclesiæ Heroas, qui Euangelium promulgauerant, & promulgaturi erant, ac gentes omnes docturi, deinde verò, quid de Ecclesijs Græciæ, & coniunctis sentiendum, vtique ab eis exemplum sumendum esset, pertractare. Sed quoniam isthæc ordinis inuersio nihil prohibet, quominùs istius praua dicta refellere possimus, rem tantùm innuere contenti fuimus, ne simul cum Matthia circa titulorum ordinem eadem culpa laborare iudicaremur.

CAPVT XXIV.

Sequitur titulus, Græca Ecclesia, & coniunctæ.

Ecclesia Græca eique coniunctæ Asiatica, Macedonica Mysica, Valachica, Piurenica, Moscouitica, & Africana, idest totus mundus, vel certè maxima eius pars nunquam Papæ primatum communi consensu concesserunt, nunquam Purgatorium probarunt, nunquam priuatas missas, nunquam vigilias, vt vocant, pro mortuis, nunquam indulgentias, nunquam communionem sub vna specie, nunquam necessitatem cœlibatus sacerdotum, nunquam statuarum ad ornationem, & alia similia, sed semper ijs impietatibus restiterunt, & hodierno adhuc die resistunt, in quibus tota propemodum Antichristi religio consistit. Quod testimonium clarè probat ista non esse catholica dogmata, nec veteri Ecclesiæ nota, si enim in veteri Ecclesia vsitata fuissent, profectò in Græca Ecclesia, per quam religio Christiana ad latinam peruenit, quæque latinarum magistra in religione fuit, ignota, inusitataque non fuissent. Semper ergo extiterunt, inde ab initio magnæ Ecclesiæ, tum alibi per orbem terrarum, tum in ipsa Italia, quæ Antichristo contradixerunt, vt nequicquam Papistæ de Catholico suarum impietatum consensu glorientur. Atque hoc profectò veritatis testimonium maximi faciendum est.) Ita Matthia loqueris, perinde ac si tu esses summa veritas, hoc est Christus, cui ad nutum in omnibus omnem fidem adhibere teneremus? Quod negas in his Ecclesijs, & Romanæ Ecclesiæ probro adscribis, quibus rationibus, quibusuè testimonijs comprobasti? Oportebat enim primum aliquid in istis Ecclesijs vsitatam recensere, quod nostris statutis contradiceret, nostra dogmata rationibus detestari, & non suo arbitratu illa confutare. Quapropter, boni consulas, si te inconsideratum esse ostendero, ne dicam vafrum, ac omni dolo plenum.

Nos autem, & si paucis tua dicta refellere possemus, præsertim ea ratione, qua omnes Ecclesię suam matrem Romanam imitari, & sectari deberent, quam scimus à Christo primùm, & Petro, & Paulo fundatam, & cui primæ partes semper, vti supra audisti, datæ fuerunt, tamen ea breuitate, qua poterimus, singula à te hìc producta attingemus, idque etiam non ab re hic me facturum excogitaui; nam semel istis explosis, deinde tuis dictis, quæ sæpius alibi repetes leuabimur onere aliàs respondendi, satisque erit nobis ad loca, in quibus plenè responsum fuerit nos lectores remittere.

Si Concilium Oecumenicum, totam Catholicam Ecclesiam repręsentare Matthia confiteris parum inter vos, & nos discriminis esse potest. Quoniam cùm concilia extent, quæ Romano Pontifici deferunt, ac illi instituendi, confirmandi, declarandi, corrigendi super omnes Ecclesias auctoritatem habere, declarant, simulatque dixeris supradictas Ecclesias, cum Romana nō communicasse, vel eadem non seruasse, quæ ipsa præcipit, iam hæreticas illas esse pronunciatas, etsi immemor non es tu, in tua præfatione Hieronymi, Augustini, Ambrosij, Chrysostomi sententias, vbi tantum arridere assensisti, tu cum tuis illas congruere sis confessus: Quapropter tibi molestæ esse non debent istorum sententiæ, quę prorsùs tua commenta refutant, & tantum Romano Pontifici tribuunt, præsertim in dogmatibus, & ecclesiasticis institutis, quod nefas est, & à fide alienum aliter sentire, ac ob id si supra à te enarratæ Ecclesiæ, ita se habent, vt inquis, hæreticas esse credendum est. Alterum verò non prætermittendum est, complura in Ecclesia vno tempore incognita esse, quæ opportunè Spiritus Paraclitus inspirat, & detegit, & quisque literis sacris eruditus benè obseruare, & nosse potuit, quæque nos breuitatis causa hic omittimus. Nec ob eam causam illa re ipsa desinunt esse vera, quoniam vno, vel altero tempore hominibus nota non fuerunt.

Postremum verò nollem ignorares, in omni genere rerum, idem esse id quod apertè explicatur, cum eo quod necessaria consequentia ab aliquo deducitur, & infertur. Hæc pauca præmisimus, vt faciliùs minus periti, tuam industriam, & mendacia, ne dicam ignorantiam, agnoscere possent. Sed venio congruo ordine ad rem, & primò vbi dicis, supradictas Ecclesias numquam Papæ Primatum communi consensu concessisse. Quòd refert, aut in quo derogatu Primatui Papæ, an communi consensu, an seorsum vnà ab alia primatum probauerint, modò illum probauerint? Nonne aut vna, vel duæ simul, diuersis tamen temporibus, Papæ primatum concedere potuerunt, nec ob id primatui derogatum est?

Si tamen vlteriùs contendas, sicut in

hoc titulo postremo facis, neque commuoi, neque disiuncto consensu supramemoraras Ecclesias, & totum mundum, vt dicis, vllo nunquam tempore Papæ, ac successoribus primatum concessisse complura euidentia signa, & Patrum testimonia te mendacem ostendunt.

Et primùm Patres Concilio Niceno congregati nonne magna ex parte ex illis prouincijs eò conuenerunt? sed esto quod non omnes ex illis Prouincijs illi Concilio interfuissent, cùm illud œcumenicum fuerit, ac præsentia Legati Episcopi Romani roboratum, & à Papa postmodùm confirmatum, nonne totum mundum illud celebrasse confitendum erit? Quod quidem Concilium, quod Episcopo Romano tribuerit, vel potiùs quid sibi deberi declarauerit Athanasius, cum innumeris diuersarum, ac remotarum prouinciarum Episcopis, supra declarasse audisti.

Et cùm illas prouincias Sarauæ opera, iodoctrina fluctuare Hieronymus propè Antiochiam degens videret, nonnè ad Papam suscepturus dogmata, præcepta, & viuendi normam recurrisse, supra demonstratum est?

Et Concilium Chalcedonense cum acclamauit Leoni Papæ dicens. Leo Sanctissimus Apostolicus, & Oecumenicus, per multos annos viuat, nonne primatum super omnes Ecclesias his encomijs perspicuè demonstrauit, & eodem tempore redeuntes ex schismate, vt Cyprianus est testis, confessi sunt Cornelium Episcopum sanctissimæ, & Catholicæ Ecclesiæ erectum à Deo.

Et Iulius Papa Athanasium Alexandriæ, & Paulum Constantinopolitanæ Ecclesiæ restituit. Et Clemens Papa exortam seditionem apud Corinthium per epistolam sedauit, ac rixantes in pacem reuocauit.

Idem Iulius Papa Orientalibus Episcopis scribens ait. Regula vestra nullas habet vires, quoniam nec ab Orrhodoxis Episcopis, hoc Concilium actum est, nec legatus Romanæ Ecclesiæ interfuit Canonibus præcipientibus sine eius auctoritate Concilia fieri non debere, nec vllum ratum est, nec erit vmquam Concilium, quod eius non fuetit auctoritate fulcitum.

Ex Africa Cyprianum, & Augustinum consule duo luminaria præclarissima, quibus etiam Tertullianum adde, ex Græcia, & Ægypto, & finitimis prouincijs, quas tu recenses, habes Origenem, Athanasium, & Chrysostomum, simulque cum eis apud Antiochiam degentem Diuum Hieronymum, (vt cæteros innumeros secundæ classis Doctores omittam.) Et vt Africam sine Concilij decreto non transeamus, quamuis humilitatis causa, & illius periculosæ tempestatis cautum fuerit, vt nemo diceretur vniuersalis Episcopus, nonne tamen Romanam primam esse Sedem, & sic appellari debere omnium sententia deliberatum est?

Et cùm Ecclesia Romana inter omnes prima Sedes dicatur, putas ne eiusdem Sedis, & sponsæ visibilem Episcopum dicendum esse secundum, vel parem alijs Episcopis? An potiùs in prima Sede præsidere primum Episcopum? Et cum hinc primæ Sedis nomen, non numerum respiciat, ad dignitatem referri debere asserendum est.

Hæc de Petri Primatu, & Successorum hoc loco produximus, vt quæ hìc abs te pro arbitrio producta sunt, confutaremus, & his, simulque alijs virulentis tuis commentis, quę millies in memoriam reuocas, antidotum paratum apponeremus. Quæ tantùm hìc memorauimus, partimque repetiuimus, vt ad supra fusiùs declarata priùs lector se conuertat.

Cætera verò, quæ illis prouincijs, quinimò toti mundo, vt inquis, tuo marte adimis, superest, vt explorentur, vt sicuti de primatu, eiusque vsu, ita de alijs absque ratione, & testimonio videaris frustra disseruisse;

Eodem igitur capite etiam asseris, supra relatas prouincias numquam purgatorium probasse, quinimò tamquam impio dogmati restitisse.

Duo igitur de purgatorio hìc Matthia proponis, sicuti de alijs, quæ eodem capite continentur, facis, nempè illas prouincias non probasse purgatorium, neque hoc tempore probare; Alterum verò est, quod tu illud impietatem appellas. Nos verò si illud ex sacris dictis necessaria consequentia deductum, sanctorumque Patrum testimonio comprobatum, ac confirmatum ostenderimus, illorum præsertim, qui in illis prouincijs, veluti clarissima lumina præfulxerunt, nonne vtraque tua impia dicta euanescent? Diuus igitur Augustinus Africanæ prouinciæ lumen, de purgatorio, ac quodam Christi dicto, sic explicatum reliquit: [Pro defunctis quibusdam, vel ipsius Ecclesiæ, vel quorumdam piorum exaudiatur oratio, sed pro his, quorum in Christo regeneratorum, nec vsque adeò vita in corpore malè gesta est, vt talem misericordiam reperiant necessariam non habere, sic etiam sancta resurrectio mortuorum, non deerunt, quibus post pœnas, quas patiuntur spiritus mortuorum impartiatur misericordiam, vt in ignem non mittantur æternum, neque enim de quibusdam veraciter diceretur, quod non eis remittatur, neque in hoc sæculo, neque in futuro, nisi essent, quibus etsi non isto tamen remittetur in futuro. Et illud Diui Pauli.] Fundamentum nemo potest ponere præter id, quod positum est, vsque ad illa verba: Ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem, purgatorium ignem esse post mortem apertè ostendit. Quemadmodum etiam Diuum Augustinum in commemoratione animarum, sic illa verba interpretatum fuisse reperimus. Multi, inquit, sunt, qui lectionem istam malè intelligentes falsa decipiuntur securitate, dum credunt, quod si supra fundamentum Christum capitalia crimina ędificent, peccata ipsa per transitorium ignem purgari, & ipsos postea ad vitam æternam peruenire. Et infrà; Illo enim transitorio igne, de quo dixit Apostolus, ipse enim saluus erit, sic tamen quasi per ignem non capitalia, sed minuta purgantur. Quidquid enim à nobis redemptum non fuerit, illo igne purgandum est, de quo dixit Apostolus, quia in igne reuelabitur, & cuius opus arserit, hoc est cremabile erit, detrimentum patietur. Idem Augustinus de octo quęstionibus ad Dulcidium sic inquit. Neque negandum est defunctorum Animas pietate suorum

De Ciuit. 21. cap. 24. Matth. 12.

suorum viuentium releuari, cùm pro illis sacrificium mediatoris offertur, vel eleęmosynę in Ecclesia fiunt, sed eis hæc prosunt, qui cum viuerent, vt hæc sibi postea prodesse possent, meruerunt. Est enim quidam viuendi modus, nec tam bonus, vt non requirat ista post mortem. Est verò talis in bono, vt ista non requirat, & est rursus talis in malo, vt nec his valeat, cum de hac vita transierit, iuuari: Et pro matre sua. Illa, inquit, scilicet mater mea, imminenre die suæ resolutionis,non cogitauit suum corpus sumptuosè contegi, aut condici aromatibus, aut monumentum electum concupiuit, aut sepulchrum curauit Patrium: Non ista mandauit nobis, sed tantùm memoriam sui ad salutare tuum
Lib. confess. cap. vlt. fieri desiderauit. Vnde sciret dispensari iustitiam sanctam, qua deletum est Chirographum, quod erat contrarium nobis. Et ad fratres in Eremo sic ait. Debemus defunctis, cum omni diligentia misereri, & subuenire studeamus, attendentes quid Iudas Machabęus fecerit. Dixit enim, sancta pro Defunctis est cogitatio orare, vt à peccatis soluantur. Hæc Augustinus, pro Africa prouincia sua produxit, vt dicas Matthia, prouinciam illam tanto duce, ac magistro, purgatorium probasse. Neque enim fas est credere tali, ac tanto Doctore, ac vigilantissimo pastore, eam prouinciam edoctam, saltem eo viuente aliter de purgatorio sensisse, quàm ipse Augustinus sentiret, atque docetet. Etsi eiusdem prouinciæ dignissimum Doctorem, ac Augustini tempore longè priorem desideras, Tertullianum habes in libro de Corona militis, sic scribentem Eucharistiæ Sacramentum, & in tempore victus, eo omnibus mandatum à Domino, etiam antè lucanis cętibus, ne de aliorum manu, quàm præsidentium sumimus oblationes pro defunctis annuas, vt hodiè facimus; Quod si illius prouinciæ adhuc testimonium desideras, sic in Concilio Carthaginensi 412. Episcoporum sententia, sententiam inuenies. Qui oblationes defunctorum, aut negant Ecclesijs, aut difficulter reddunt; tamquam egentium negatores excommunicentur.

In Ecclesijs verò Græcię, & Orientis, & finitimarum Tria præclarissima lumina habemus nempè Dionysium, Origenem, & Chrysostomum, quorum lumine, tua nefanda dicta instar gelu solis calore percussa dissoluuntur.

Et primò quid Dionysius Pauli discipulus dicat, audiamus, venerandus inquit Antistes, precem sacram super mortuis peragit, precaturque illa Oratio Diuinam clementiam, vt defuncto iuncta Deus dimittat peccara, per infirmitatem summam admissa, eumque in luce sancta in regione viuorum, in finibus Abraam, Isac, Iacob in loco, vnde aufugit dolor, & tristitia, & gemitus constituat: Et paulò post. Quæ nam, inquit de huiusmodi prece, quam super defuncto peragit, præsul ex diuinis ducibus nostris, traditio peruenit ad nos, operæ pretium est, vt dicamus, sed qui sunt isti Duces, quos Dionysius commemorat. Putas ne alios fuisse, quam Apostolos? Neminem enim Dionysius Ducem habere, neque appellare potuit, quàm Magistrum suum Paulum, cæterosque Apostolos. Quod si res ità se habet, sicut reuera est, quid de purgatorio vlteriùs quęrendum est? quid ad nos si nulla alia prouincia illud probauit, quando ab Apostolis (Dionysio teste) probatum nouimus. Et alio loco post multa, idem Dionysius, sic ait. At fortasse ambigis, cuius rei gratia Præsul Diuinam precatur clementiam defuncti peccatorum postulans, & æqualem sanctis ad lucidissimam sortem. Si enim eorum, quæ in vita gessit bonorum, aut malorum à Diuina Iustitia percipiet præmia, perficit autem actiones in vita ista defunctus, quęnam hunc oratio pręsulis ad aliam pręrer illam, quam meruit, vitæ hìc actæ respondentem transferet requiem? Et Origenes super Numer. 5. verborum Pauli sensum, & sinum de purgatorio iudicium his verbis demonstrat. [Tempus inquit belli nobis est in hoc mundo, spectat nos Angelorum Chorus, quando, vel quo de prælio hoc reuertamur sollicitiùs perscrutantur, quis nostri auri, hinc ampliùs ferat, quis argenti pondus, quis lapides pretiosos. Requirunt etiam, si quis ęs deferat, aut ferrum, aut plumbum. Requiritur ergo diligenter, cum obierimus illuc quid vnusquisque nostrum deferat, & secundùm ea, quæ detulerit, etiam mansionis ei meritum pręparabitur. Probantur enim hęc omnia, quę per ignem, per ignem, quę per aquam, per aquam, vniuscuiusque opus quale sit, ignis probabit. Et paulò post. Vides inquit, quomodo purificatione indiget omnis, qui exierit de prelio vitę huius. Et super Exodum. Qui saluus fit per ignem, saluus fit, vt si vel fortè de specie plumbi habuerit admixtum, id ignis decoquat, & resoluat, & efficiantur omnes aurum bonum. Si quis multa opera bona, & parùm aliquid iniquitatis attulerit, illud parum tamquam plumbum igne resoluitur, ac purgatur, & totum remaner aurum purum. Etsi quis plumbi illic plus detulerit, plus exuritur, vt ampliùs decoquatur, vt etsi parum aliquid sit auri purgatum, tandem resideat. Quod si illuc aliquis totus plumbeus venerit, fiet de illo hoc, quod scriptum est. Demergatur in profundum tamquam plumbum in aqua validissima. Hæc Origenes.] Quamuis errorem negantium purgatorium euitare volens, ac Dei immensæ misericordiæ, quantum opus est, se tribuere existimans, tantùm post mortem omnes pœnas in purgatorio finiendas putauit. Vnde Augustinus eleganter vtrumque hominum statum innuens, dixit. Qui in aliud sæculum distulit fructum conuersionis, priùs purgandum igne purgationis. Hic autem ignis, etsi ęternus non sit, miro modo tamen grauis est. Excedit enim omnem pœnam, quam vmquam passus est homo in hac vita, & alibi temporarias pęnas, alij in hac vita tantùm, alij post mortem, alij nunc, & tunc. Veruntamen ante iudicium illud seuerissimum, nouissimumque patiuntur. Quod quidem adeò consentaneum esse Platonici iudicarunt, vt ipsi etiam humana ratione coacti probauerint. Aliud verò Græciæ, ac totiùs Orientis verba Chrysostomi de purgatorio, ita inquit. [Pietas defunctum maculis inquinatum abijsse, da sibi sua, vt illis se maculis detergat, putas in

Homil. 32. super Matt. Homil. 82. super Ioan. Homil. 69.

iustitia ipsum decessisse, prębe ei tua, ad mercedis, & retributionis adiectionem. Et iterum, eam inquit, morientium curam habeamus, quę & nobis, & illis conferat ad gloriam Dei, largas pro his eleęmosinas faciamus, mittamus ei pulcherima viatica.]

Et idem ad populum Antiochenum, sic inquit, [Non temerè ab Apostolis,hæc sancita fuerunt, vt in tremendis mysterijs defunctorum agatur commemorario: Sicut enim illis, indè multum contingere lucrum, vtilitatem multam, cùm enim totus constiterit populus, extensis manibus sacerdotalis plenitudo, & tremendum proponatur sacrificium, quomodo Deum non exorabimus pro his deprecantes? Extat etiam vsque in præsentem diem eiusdem oratio quędam, quam Græci presbyteri vtuntur pro spiritualibus piorum defunctorum, in hæc verba. Respice nos Deus, & memento omnium, qui dormierunt in spe resurrectionis, & vitæ æternæ, & requiescere eas facio, vbi videtur lumen vultus tui, memento etiam omnis Episcopatus Orthodoxorum. (Hęc autem oblatio non in grariarum actione consistir tantùm, sed etiam in peccatorum expiatione. Quibus sententijs duas alias Theodorici Episcopi, scilicèt, & Gregotij Nisseni, eiusdem regionis Doctoris, atque pastoris adiecimus. Quorum primus sic inquit. [Dicit Apostolus, quod saluabitur, sic, tamquam per conflatorium ignem purgantem, quicquid inuenit per incaurelam præteritę vitæ, ex puluere saltem pedum terreni sensus, in quo tamdiù manet; quamdiù quicquid corpulenti, & terreni affectus inhæsit, purgetur, pro quo mater Ecclesia Hostias,& dona pacifica deuotè offert] Nissenus verò sic inquit. [Aliquis Christo amico consentiens, qui in hac vita purgare peccata minus potuerit, post transitum hinc purgatorij ignis conflarionē experitur.] Nec te pigeat Matthia, audire D. Ambrosium in occidente, quid de purgatorio sentiat, vt Diuum Gregorium, & alios omittamus, quos scimus apud te nullam habere fidem. Sic enim ille inquit ad Faustinum contristatū propter obitum Germanæ, quem hortatur, vt pro ea supplices preces fiant. Ego eam non tam deplorandam, quàm orationibus protegendam reor. Non tam mæstificandam lacrymis tuis, sed magis orationibus animam eius Domino commendandam arbitror. Et ipsemmet pro fratre suo defuncto orat, vt habetur in libro excessus fratris tui. Et pro Theodosio Imperatore ita orat. [Tu Domiue da seruo tuo Theodosio requiem, quam præparasti seruis tuis, illò conuertatur anima eius, vnde descenderat, Dilexi eum, & idcircò prosequor eum vsque ad regionem viuorum, nec deseram, donec crebro precibus inducam virum, quo illum sua merita vocat, & in mortem Domini sanctum.]

Neque enim abhorrere debes verba illius Británici,& doctissimi Alcuini, vt scias etiam eius prouinciam sua doctrina illustratam purgatorium probare, cuius dictis tantò maiorem fidem exhibere debes, quantò ad Carolum Magnum scripta, & directa fuerunt, Ait enim non est dubitandum hoc ipsum Apostolum dixisse de igne purgatorio, quem ignem aliter impij, aliter sancti sentient. Impij siquidem de illius ignis cruciatu ad perpetuas ignium flammas detrudentur. Sancti verò, qui sine omni peccatorum macula, in corporibus suis resurgent, qui supra fundamentum, quod Christus est, aurum, argentum, & lapides pretiosos ædificauerunt, tanta facilitate illum peruolant ignem, quanta integritate fidei, & dilectionis Christi in hac vita custodierunt præcepta. Eritque illis ille, dici iudicij, sicut tribus pueris caminus Babiloniæ fornacis fuerat, qui absque omni flammarum læsione in Domini laudes omnium pulchritudinem creaturarum conuocabant. Sunt itaque quidam iusti minutis quibusdam peccatis obnoxij, qui ædificauerunt super fundamenrum, quod Christus est, fęnum lignum, stipulam, quæ illius ignis ardore purgantur, à quibus mundati æternæ felicitatis digni efficiuntur gloria, illoque transitorio igne, & toto extremi iudicij die completo diuidentur due congregationes sanctorum & Impiorum; Vna Christi, altera diaboli; vna bonorum, altera malorum, vtraque Angelorum, & hominum. Quibus manifestum est purgarorium ignem esse, & iustos peccatis minutis obnoxios, non sine afflictione illum ignem pertransire,

Hæc de purgatorio, quantum par fuit, sibi obijcere diximus. Nam alia quibus hoc dogma latiùs explicatum suis locis opportunè differimus persolnenda. Hæc verò sat sunt, quibus tua commenta destruantur, quæ à te priùs discutienda, examinandaque erant, quàm libero tuo delirantis more proferenda. Aliud verò quod intersceris, hoc est quod supramemoratæ prouinciæ, numquam priuatas missas probauerint, dignus profectò es, cui non respondeatur. Tu quia negatiua vteris abs te nulla ratione, vel testimonio allata, tùm & quia inter priuatam, & publicam missam quantum ad substantiam attinet, nil discriminis est, & in quo differant adeò modicum est, vt vnicuique præsuli liberum sit, prout tempora, necessitas, & hominum deuotio expostulant, eam commutare, & tamen missę omnes publicę sunt, nemini Ecclesiarum ostia clauduntur, quominus in hominum frequentia publicè dicantur, quemadmodum interdum etiam accidit, iuxta hominum deuotionem absque alterius incommodo priuatam illam desiderare, quo solus quibusdam exterioribus actibus, iuuante Christo interiores adeò excitentur, vt dignius eius gratia afficiantur. Quòd si cuique præsuli causa existente liberum est, vel priuatam facere, vel publicam, qua fronte audes Ecclesiam Romanam ob hanc causam impietatis arguere? Idem dicimus de Vigilijs pro mortuis quas tu insectaris, quamuis non satis intelligo, quas Vigilias improbes, quoniam si curam pro spiritibus mortuorum agendam detestaris, neque illas prouincias, cùm christianæ essent, improbasse ostendis futile commentumque tuum dictum remanet. Nam quid liceat, & quid de purgatorio à patribus obseruatum sit supra exploratum reliquimus.

Si verò funerum officium abominaris, ac imperitè vigilias pro mortuis illud appellas, scias te à veritate, & pietate longè alienum esse. Cùm enim legis Tobiam sepeliendo corpora, teste Angelo, ante Deum promeruisse,

ruisse, & Christum ante mortem Magdalenæ officium vngendi ad sepeliendum probasse, necnon Ioannem apud Ephesum cum è viuis excederet voluisse sepulcro recondi ab his commentis, & maledictis abstinere te debes.

Quid piuta Machabæus misit duodecim millia dragmata argenti Hierosolymas offerenda pro peccatis mortuorum, ac ibi conclusum legimus sanctam, & salubrem esse cogitationem pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur. Et D. Augustinus funus matris suæ compluribus sacrificijs, & precibus adhibitis honestauit, ac peregit. Beatus quoque Hieronymus funeri Paulæ innumeros Episcopos interfuisse refert, eosque tot officia, ac preces præstitisse, vt nihil supra.

Et si quid in hac parte superiorum temporum scire optas lege D. Dionysium Pauli discipulum, qui post multa, hæc etiam habet, Propinqui defuncti postquam eum laudibus extollunt, sumentes eum ad Pontificem ducunt, quasi coronis donandum sacris. Hunc ille libenter suscipit, eaque peragit, quæ diuino instituto super sanctè quiescentibus fiunt. Coacto sancto cœtu venerandus Antistes, siquidem sacerdotalis fuerat, qui obdormiuit ante sanctum altare inclinans eum, orationem ad Deum inchoat.

Et paucis interiectis prosequitur, deinceps verò Ministri inserta eloquijs diuinis, verissima de nostra resurrectione promissa recitantes consentanea, tantùmque valentia canunt, psalmorum Cantica.

Et paulò post inquit. Postea accedens venerabilis præsul precem super ea sacratissima peragit, & post orationem, ipse quoque Pontifex defunctum salutat. Et post illum, qui astant omnes. Vbi verò cuncti consalutauerunt super defuncto fundit oleum Pontifex, & oratione pro omnibus facta, mœsto loco ponit corpus.

His paucis contenti fuimus, cùm non ignoremus, quid Gregorius, Ambrosius, Chrysostomus, Athanasius de his sentiant opportuniùs fortasse infra recensendum. Et hęc pauca ea oratione produximus, vt te impium ostenderemus, qui has, quas vigilias vocas impietatem appellas. Nam si supra memoratę prouinciæ, hæc habuerunt in vsu, vel coniunctim, vel seorsum probarunt, nil mea interest, & nihilominùs sat fuit nobis celeberrimos Doctores, ac Christianæ religionis Heroas illa probasse, quæ tu improbus improbare conaris.

Annumeras etiam inter alia, indulgentias, quas eisdem blasphemijs insectatis. Miraris imprudens Matthia, quod principio nascentis Ecclesiæ indulgentiæ nomen fuerit, propemodum incognitum: Cùm tamen non ignores non esse idem quærendum tempore, quo humi sementes iaciuntur, & cum in fasciculos rediguntur segetes, tempore quo frugibus implentur horrea, & tempore, quo egentibus distribuuntur. Non enim ignorabat Ecclesia, ac Petri successor magnum thesaurum in Ecclesia esse, idque Christi passione, & meritis nobis partum, sed quoniam in membris suis supplendum erat, id quod membra cum Christo præstare debent, nempè compati, vt conglorificentur. Ideò opportuno illo tempore cùm Apostolorum doctrina, & mores recentiores erant, potiùs de munere præstando, ac thesauro augendo agebatur, quàm de eo dispensando præsertim cùm talis, & tanta ea florida ætate, apud Christicolas esset in augendo thesauro propensio, vt nihil aliud Christo iuuante excogitarent, quàm pro Christi fide pati, ac ita vt vehementi eorum passione, non solùm pro suis, si quæ erant erratis satisfacerent, sed etiam pro egentibus, si aliquid distribuendum superesset. Vt sic compati cum Christo se demonstrarent. Ioseph triticum septem annis, quod supererat in horreis Ægipti conseruauit, quo tempore nil de eo impartiendo agebatur, at verò cùm egestas homines inuasit, aperta sunt horrea.

Percipis ne Matthia ista, quæ vtique te docere possunt, nedum virtutem politicam, sed Christianam obedientiam? quinimmò si rerum successus aduerso animi affectu deposito obseruares, non modò opportuno tempore thesaurum hunc Christi, ac membrorum suorum notissimum, ac apertissimum factum esse, sed Romanos Pontifices illo abutentes moderauisse cognosceres. Quamuis non defuerint, qui in hac parte prodigalitatis meritò reprehensi sint, ac vtinam formam, quam nunc Romanus Pontifex in Ecclesia seruat omni futuro tempore eadem ratione perduret. Si verò huius salubris dogmatis vobis tamen incogniti, ac inuisi, aliquam notitiam habere cupitis relicta animi vestri prauitate, facilè eam assequemini. Et primò si alta cogitatione verba Dauid, ac Apostolorum Symbolum perpendes, quod quæris inuenies. Nam Dauid dicit, particeps ego sum omnium timentium te, & custodientium mandata tua Symbolum verò ait, sanctorum communionem, cuius communionis, & participationis fructus, qui præsidet in Ecclesia est verus distributor. Paulus etiam adimplet in corpore Christi, hoc est Ecclesia ea, quæ desunt eius passioni, hoc est compatiendo afflictiones, & ęrumnas pro Ecclesiæ vtilitate perferendo. Quod autem aliqui plus passi sint, quàm deliquerint, præter innumeras sat tibi esse debet scire, quid mali gesserit Virgo Maria, quid pertulit Ioannes Baptista, quid alij complures, quid demùm sanctissimi Innocentes.

Hæc igitur super abundans passio est, non meritum, vt falsò nobis impingitis: nam scimus, quod non sunt condignæ passiones huius sæculi ad tantam gloriam, quæ reuelabitur in nobis delictis debitæ, quam quisque eum Christo sustinere tenetur pro corpore eius, quod est Ecclesia, vt Christi meritum, & passiones omittamus, quarum inexhaustissimus thesaurus in Ecclesia constitutus est distribuendus, vt dixi instar tritici Ioseph officio supremi Pontificis eidem Ecclesiæ præfecti.

His innituntur indulgentiæ nostræ, quas tu impietates appellas, quæ & relaxationes dicuntur pœnarum delictis debitarum, quæ tamen non indiscriminatim conceduntur, sed quatuor conditionibus adiectis facultate, scilicet in dante, gratia in recipiente, & pietate in causa, & in quantitate prudenti elargitione, ne opus passionis, & satisfactionis, quòd cùm Christo capite nostro præstare tenemur, frigeat, ac virtutes illius eueruentur.

Sed

Sed video te perplexum fortasse putantem fieri non posse, vt quispiam suis passionibus alterum iuuare poßit ad vitam æternam consequendam: Sed nil mirum, quoniam duo potissimùm vobis causa erroris esse solent, hoc est minus indistinctè, & sine methodo loqui, fit enim plerumque, vt quod confusum est, mentem inuoluat, quòd si distinxeris eam dilucidam reddat, Non enim dicimus, nec fieri potest, vt aliter quàm Christus nobis vitam æternam meritam retribuat. Quoniam, etsi meritum circa bonitatem operis versatur, virtus tamen bonitatis operis gratia Dei iuuante, ac Spiritu sancto monente perficitur,

Possumus quidem cooperantibus nobis, & gratia Dei, eiusque filij meritis nobis parare salutem, de alijs verò quod ad salutis adeptionem benemereri non possumus, munus enim hoc soli Christo, qui potestatem habet Excellentiæ speciali priuilegio concessum est. Passiones verò, & satisfactiones, quæ ad vitam æternam alicui necessariò consequendam congruunt, alijs Christi membris possunt efficaces virtute tamen passionis Christi, non pœnas quidem æternas, vt tu fortasse putas, & nobis impingis, sed temporarias relictas post culpam, atque æternam pœnam condonatam, expiandas. Itaque in his non merendi, sed satisfaciendi rationem posse alicui superesse affirmamus, illamque alteri communicari posse.

Hæc in summa sunt, quæ si didiceris tibi erunt adiumento. Hoc pacto igitur indulgentias prædicamus, illisque modis, & causis, & quas tu minimè percipis confectas, ac dispositas, & quotidiano vsu obseruatas esse contendimus. Alia verò, quæ dici solent, data occasione non prætermittemus, sat namque hoc loco fuit eam non esse impietatem ostendisse, & illis fortasse omnibus prouincijs fuisse in vsu cùm Romanæ Ecclesiæ parebant, cuius rei contrarium, nunc tu ostendis, cum aliæ schismate diuisæ sint, aliæ verò Mahumeto pareant,

Sequitur Matthias (numquam communem sub vna specie) communionem sub altera specie non esse impietatem, vt tu eo in titulo iniquè asseris demonstrabimus; deindè verò quid de illis prouincijs, sentiendum sit ostendemus. Summa itaque pietas illa est, cùm Christo debitum obsequium maiori cum reuerentia exhibetur, simulque membris suis in præcipuis christianis rebus gerendis consulitur, sed cùm huiusmodi generis sit commemorata communio, rectè illam maximam pietatem redolere inferri potest. Quod verò ista communio, hęc omnia præstet satis constat grauiora seriò perpendenti. Non ne pietas, & quidem maxima illa est, cùm modo aliquo, cuius disputatio in excellentiæ potestate est, vtimur, quo Christo securiùs obsequium exhibetur, minùs periti hæreses, & impia dogmata vitare possunt, & tantum Sacramentum tutiùs, & maiori cum dignitate sumitur? Sed ista interim supersunt explicanda, nempè an Ecclesia sub altera specie communicare, non Sacerdotes præcipuè potuerit, nam aliqua deindè sigillatim demonstrabimus.

Mandata, quæ rei substantiam non variant pro loco, & tempore superiorem præsertim in Ecclesia variare posse ostendit Christus, ostendit Paulus, demonstrant etiam prisca illa tempora primitiuæ Ecclesiæ viciniora. Præcipit Christus discipulis non esse retinendos sacculos, peram, calceamenta, & æs. Alio verò tempore, nempè in cæna, cum non esset eadem viuendi regula, pacis, & persecutionis, sacculum, & peram discipulis tolli iussit, vnde Augustinus: Nulla inquit inconstantia præcipientis, sed ratione dispensantis, pro temporum diuersitate præcepta, vel concessa, vel permissa mutantur. Pari ratione Apostoli decreuerunt, vt fideles ab immolatorum simulacris, & suffocatorum sanguine abstinerent, quod tamen mutatum esse Paulus ostendit, cum ait. Omne quod in macello venit, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam, & iterum omnis creatura Dei bona est, & nihil reijciendum, quod cum gratiarum actione percipitur, sanctificatur enim per verbum Dei, & orationem. Matth. 16. Lucæ 23. Contra Faust.

Iam vides, quàm breui temporis spatio mutatum sit, quod ab Apostolis decretum fuerat. Quamuis Petri deliberationi hoc potiùs tribuendum sit. Baptizat illa primitiua Ecclesia in nomine Iesu Christi, in quo diuina personarum substantia continetur, ac implicitè exprimitur. Sed postquam eius nomen mundo innotuit, totam Trinitatem baptizandis explicandam esse, Ecclesia præcepit, & Sacra Eucharistia; vsque ad Augustini tempora, pueris recenter baptizatis dabatur, quam tamen postea sublatam esse videmus. Et in Ecclesijs Africanis mos erat, vt die cænæ pransi homines communicarent, quod generalis Synodus Constantinopolitana reuocauit, & horum similia in Ecclesia vsitata, & reuocata complura inuenies. Pari igitur ratione, & auctoritate primitiua Ecclesia, quando corda fidelium flagrabant ardore, & magna cum reuerentia diuina gerebantur, omnibus fidelibus indifferenter sub vtraque specie sacramentum ministrabat; At verò cum eò ventum sit, vt adeò charitas friguerit, vt Innumeri sint, qui quasi coacti communicent, nec non in communicando sub vtraq; specie inter innumeros homines multa in Sanctissimi Sanguinis dedecus secuta sint scandala, admodum Ecclesia prudenter communionem sub vtraque specie solis presbyteris, in quibus tota huius sacramenti institutio repræsentanda erat, statuit ac præcepit. Cætera verò, quæ supra innuimus, etiam constare videntur, hoc est vitare hæreses, & Sacramento maiorem honorem, atque fidem exhibere. Hæreses quidem, quò vitaremus Nestorij errorem, qui putauit Christi Corpus sine sanguine, & sanguinem sine corpore esse, cum tamen indubitata veritas sit, sub vtraque specie, totum Christum esse, hoc est, carnem, animam, sanguinem, & diuinitatem. Quinimmò sub quauis specierum particula illa omnia contineri, non est dubitandum. Ad euitandum etiam Manichæorum errorem, & aliorum, qui falsò Christum dicunt corpus phantasticum sine sanguine assumpsisse, & si vnquam vllo tempore congruie; nunc max imè expedit sub altera specie communicare. Quando Sacramentarij, & Wiglepistæ, quorum alij solùm sacramentaliter, non tamen realitèr, alij verò nihil alind,

aliud, quàm signum illud esse asserunt in tam graui errore pertinaciter perseuerent.

His exemplis, iam clarè liquet Ecclesiæ semper liberum fuisse secundùm rerum varietatem, & causarum exigentium ritus, & instituta mutare. Quod verò communio sub vtraque specie in Ecclesia antiquior, & frequentior fuerit non ignoramus, quemadmodum etiam vtrumque modum in Ecclesia seruatum esse satis constat. Et vt Ignatius commendat firmissimo sensu. Panem, hoc est, Corpus Christi frangendum esse, quod est inquit, medicamentum immortalitatis, antidotum non moriendi, vila prorsus sanguinis, mentione facta. Et illa triplex communio nempè laicalis, Peregrina, & sacerdotalis propria antiquis concilijs, ac Cypriani monumentis commemorata, vt sacerdotalem omittam, tanquam omnibus notissimam, duo alia, si non est illa sub altera specie, quæ non esse possint? Quod si hæsitas Ambrosium huius rei fidissimum testem habes, vbi de laicorum communione agit, vini nullam facit mentionem. Immò de exitù Satyri fratris sui loquens sacramentum gestasse in libello suarum precum, cumque ob eam causam seruatum fuisse ait. Et Epiphanium Eucharistiam collo pendentem tulisse legimus. Et Hieronymus Exuperium Tholosanum Episcopum in Corde Eucharistiam conseruasse asserit. Cur verò in vsu esse desierit, & postmodum recepta fuerit in Vniuersali Ecclesia paucis exceptis prouincijs, nullam specialem causam habeo sacramenti maioris reuerentiam, quia securior cultus illi, inter imperiti populi multitudinem exhibeatur, sub altera quàm sub vtraq; specie crediderim; Ego tamen etiam ad fidem magis exercendam sub altera specie communionem hodie exhiberi. Nam in quo minus videtur, & tamen idem creditur, ibi maior fidei actus exercetur. Sed cum in Hostia nil rubei, aut liquidi oculis corporeis spectetur, sicuti in vtraque specie, igitur, & fidei exercitatio maior, & meriti plenior retributio communicanti potiùs sub altera specie, quàm sub vtraque tribui debent. Et illud præcipuum consilium non omittamus, nimirum, quod diuturnior, ac certior experientia Ecclesia docuit, quod sanguinis exhibitio, ac eiusdem conseruatio, & ad infirmos asportatio magna, & complura offendicula afferre possunt, quæ non nisi sub altera specie Eucharistiæ euitari queunt.

Et demum duo prætermittenda non sunt, quasi præcipuum nostrum propositum obsignatura, Nempè inter sacerdotes in hac parte Christi Vicarios, & laicos hoc debuisse fieri discrimen, quod illi sacramentum hoc, & conficere, & totam Christi institutionem sumere debent. Laicis verò Christi Corpus, spiritualitèr, realitèr, & sacramentaliter accipere sat esse debet. Alterum verò est illud Ioannis eodem in loco, maxima animaduersione dignum, in quo quatuor illa veluti in clarissimo speculo conspiciuntur, nimirum, spiritualis, realis, sacramentalis, ac sub altera specie manducatio. Spiritualis quidem cùm Christus Iudæis petentibus, inter cætera, diceret; Ego sum panis vitæ, qui venit ad me non esuriet, & qui credit in me non sitiet in æternum. Et quod esset panis vitæ, qui de Cælo descendit vitam æternam credentibus, ac recipientibus daturum. Realis verò, ac Sacramentalis cùm sciscitantibus Iudæis ait, qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem habet vitam æternam. Sub altera specie autem cùm singula repetendo postremò subinfert. Qui manducat hunc panem viuet in æternum, vt sic omnibus consultum, esse ostenderet, nempè spiritualiter, realitèr, & sacramentaliter, & quicquid in vtraque specie continetur, idem sub altera indiuiduo quodam nexu, quem Scholastici concomitantiam vocant contineri, & sumi posse, quandoquidem, neque corpus viuum sine sanguine, neque sanguinem viuum, extra venas inueniri posse, etiam natura docet, & demonstrat. Et mannæ etiam figura non plus contineri sub vtraque specie, quàm sub vna satis ostendit, cum non qui plus mannæ colligeret, eo, qui minùs parasset, plus haberet, sed singuli quantum eorum vsui opus erat, & comedere poterant, inueniebant. Quid verò illæ prouinciç de hoc sẽserint duo signa habemus: Africana scilicet concilia, & Cypriani, & Tertulliani supra producta testimonia, & Concilium Rhemense, & Vormatiense, quorum alterum prohibet, & laici, aut fœminæ Corpus Domini deferant ad infirmas, sed Presbyter per semetipsum. Alterum verò presbyteros semper Eucharistiam pro infirmis communicandis habere paratam præcepit, vt Basiliense Concilium hoc clarè decernens omittamus. Sed omnium postremò, in his, & similibus, quid illis prouincijs, & toti mundo perpetuò faciendum erat, ijs verbis monet, & demonstrat Augustinus. (In his rebus, inquit, de quibus nil certi statuit diuina scriptura, mos populi, & instituta maiorum pro lege tenenda sunt, & sicut præuariectores diuinarum legum, ità contemptores Ecclesiasticorum consuetudinum coercendi sunt.) Exod. 16. Ad Consulanum Presbyterum dist. 2. cap. his.

In eodem titulo cælibatum sacerdotum inter impietates annumerat, de quo refero me, ad ea, quæ supradicta sunt de coniugio sacerdotum, & tamen te Matthia monitum esse cupimus, ne Principem Deum cùm Adam prutitum nostri carnalis appetitus reijcias, quoniam nostra culpa, non autem cogente natura peccamus. Fidelis enim est Deus, qui non patitur nos tentari supra id, quod sustinere possumus, & subter te erit appetitus tuus. Præterea nemò est, qui cælibatus necessitatem imponit, vt falsò tu nobis impingis, sed quisque sua sponte necessitati cælibatus se astringit. Qui enim contineri se non posse, iudicauerit à sacris ordinibus, & castitatis voto se abstineat: Et si nupsit Virgo, ait Hieronymus non peccauit, sed illa, quæ se cultui Dei dicauit: harum enim si qua nupserit habebit damnationem, quia primam fidem irritam fecit. Quod autem hæc vitæ munditia Deo summoperè placeat, & altari, & contemplationi conueniat, ex eo etiam constat liquidò, quod Christus Ioannem paratum ad nuptias, quinimmò volentem nubere. Si Hieronymo credis, à nuprijs vocauerit, & Paulus tantopere castitatem, & virginitatem suaserit. Si verò cælibatus obseruantia dura tibi videtur, non tamen impossibilem eam existimes; nam cum Paulo omnia poterimus in eo, qui nos confortat, & cum Contra Iouin. lib. 1. cap. 7.

Iaco-

Iacobo iustè iusta petamus, & exaudiemur, & monente Christo petamus, & exaudiemur, pulsemus, & aperietur nobis. Et deinceps ne impietates dixeris, ea quæ summam tedoient pietatem.

Postremò verò eodem in titulo inter impietates Imaginum adorationem adnumeras. Scias Matthia aliud esse picturam adorare, aliud verò per picturæ historiam, quid sit adorandum addiscere; veneramur enim imagines, non autem eas ita adoramus, vt Deas illas appellamus, vel vt illis seruitutem præstemus, nec spem salutis in eis ponimus, aut aliquo cultu Diuino eas prosequimur. Falleris vtique, & nimis remotè nostrum institutum consideras, non enim tù ve cæcutiendo arbitraris Imagines, vti Deus in Ecclesia positæ sunt adorandæ, sed propter illustrium gestorum memoriam venerandæ, vt populis, sint exemplo, & ex illarum intuitù excitarentur homines ad diuina contemplanda, & Ecclesiæ celebres Heroas imitandas. Nec Deus imagines omninò vetuit quando ipse Cherubin, & serpentem in deserto fieri præcepit, sed illas dumtaxat, ne si erant neque retinerentur prohibuit, quas vti Deum homines colerent, atque adorarent.

Aliquorum verò opinionem de latriæ crucis adoratione minimè probamus, nisi fortè non secundùm supremam latriæ rationem intelligere velient, quoniam quantumuis animi motus ferantur in imagine, vt repræsentatiua est, cum ob id naturam non mutet, neque ad latitudinem rationalis, vt diuæ creaturæ perducatur, eadem omninò rei imaginatæ veneratio, imagini exhiberi non debet, quæ tamen veneratio, seù latriæ, potissima adoratio tunc cruci Christi deberetur, cùm ex ipsa, & representatore ipsa vnum fieret, quod cùm natura, & ratio vetet, dicimus illam venerationem imagini deberi quam supra demonstrauimus. Quod fortasse Augustinus perpendens, inquit; Propterea perfectam Christi humanitatem adoro, quod à diuinitate suscepta, atque vnita deitati est, vt non alium, atque alium, sed vnum, eundemq; Deum, & hominem Dei filium esse confitor.

De verb. Dom. to. 8.

Iam illi Scholastici hoc in loco ab Augustino discere possunt, quo casu eadem adoratio conueniat, nempè cum vnitur Verbo vnitate suppositi, sed cùm hoc humanitati Christi tantùm contigerit, illi soli hac ratione eadem adoratio debetur, siue igitur per modum vnius imaginem, & imaginatum consideremus, aut eadem cogitatione in imaginem, & rem imaginatam, feramur, non tamen rectè inferri potest, idem omninò in vtriusque adoratione agendum esse, cum satis constet quantumuis intimæ imaginis ratio consideretur, imagines limites insensibilis creaturæ non excedere, adoratio tamen crucis Christi præcipua esse debet, & quæ omnem aliam venerationem longo interuallo excedat, præsertim illius in qua chirographum decreti affixum fuit, modò tamen illa met suprema latria non sit, quæ soli Christo, tum Deo, tum homini, in veritate suppositi exhiberi debet. Si tamen cui debetur latria, & quid cruci Christi debetur scire cupiunt, legant, & perpendant quid septima Synodus statuerit. In actione enim septima hæc habentur. [Oportet Ecclesiasticas traditiones siue scripto, siue consuetudine in Ecclesia retentas, quarum de numero est imaginum effiguratio, quibus in hoc vtimur, vt recordemur, & affectu amplectamur res significatas, vnanimitèr, & inuiolabiliter obseruare, quodque eiusmodi imaginibus honor debeat exhiberi non quidem ille, qui Deo debetur, quam latriam appellant, solique creatori à creaturis omnibus debet exhiberi, sed tantùm his, qui in recordatione, quemadmodum, & typo reuerẽdæ, & viuificantis crucis, & sanctis Euangelijs, & reliquis sacris oblationibus suffitus facimus, luminaria reuerenter accendimus, prout veteribus piè hoc in consuetudinem fuit, hìc enim sanctorum nostrorum Patrum putamus obtinere disciplinam, & traditionem Catholicæ Ecclesiæ, quæ à finibus vsque ad fines suscepit Euangelium. Hæc Synodus, &c.

Quam quidem sententiam, hæc eadem sancta Synodus principio probauit, nam cùm Petrus, & in ea Synodo locũ tenentes sanctissimi Papæ Adriani dixissent. Dicat nobis Tharasius Patriarcha Regiæ vrbis, consentit ne literis sanctissimi Papæ an non; sic illum respondisse legimus. Nos patrum decretis imbuti confitemur, & concordamus, & vim literarum rectatum confirmamus, & imaginum picturas, secundùm pacificam Patrum traditionem recipimus, & has desiderio nostro adoramus, vt in nomine Christi Dei nostri, & Deiparæ Virginis intemeratæ, Sanctorum Angelorum, & nomine Sanctorum factas, sed apertis verbis testamur, nos dumtaxat in vnum Deum verum latriam, hoc est cultum, & fidem nostram referre, & reponere, & sancta Synodus sic credit, & sic docet.]

Si verò instruendi gratia, quemadmodum de alijs adorationibus rectè distinguimus, Duliam ab Hyperdulia diuersum venerationis genus significantia, nobis etiam liceat de latria facere, omnia essent consona, omnibus, quod suum est rectè daretur. Possemus enim, & quidem congruè genus omne latriæ in tria partiri supremum scilicèt, medium, & infimum, ac supremum Christo tum Deo, tum etiam eius humanitati, quod à diuinitate suscepta vnita Deitate est, dumtaxat tribuere, cui seruimus, & in quo spem omnem salutis ponimus, ac ab eo futurum iudicium expectamus, medium verò cruci illius, cui Christus affixus fuit, cui tantò maior cæteris debetur reuerentia, quantò per eam celebrior fuit victoria, augustior vtilitas, & incomparabilior triumphatoris dignitas, atque ob eam causam etiam inter Sanctorum reliquias præcipuas partes obtinet, & super omnes eminet; Nam cum in ea salus nostra pependerit, diuino illo carnis Christi contactu magna gratia, magnaque virtus illi adeò exhibita est; vt magnis, & crebris miraculis illustrata sit, ac vti sacratissimum Victoriæ vexillum inferorum, etiam potestatibus timori, & pauori fuerit, perpetuòque erit, infimum verò, cui vis cruci debetur, quod quidem, & si ad superiora relatum postremum, ac infimum sit: ad alias tamen sanctorũ imagines comparatũ, eò lõgo interuallo distat, vt superioris generis meritò inter eas primas partes obtineat.

De-

Demonstratur etiam adeò seuerè nimis Deum Iudæis illas prohibuisse, ne gentibus essent scandalo, nec non quia ante natom Christum nil synagoga explicati habebat, quod oculis hominum obijceretur. Ae nunc cùm nostra Ecclesia habear vnde sumat imagines, eur otiosa, & inanis esse debet? Quis euim non ex corde commoueatur Christi imagine inspecta, cum ab ea ad passiones illas, & merita contemplanda nos couuertamus, à quibus nostra salus exordium sumpsit, & nos sub tali duce seeuros esse vitæ beatæ assequendæ eogitemus, neque enim aliquod recens est, hoc, quando Deus ipse hàrum pictor appareae & Cherubin sedentem, vt diximus fieri præceperit, quod quidem factum prosequrus vnicus eius filius Domiuus noster, vt Damascenus nartat Pij Abagari Regis Ædessenorum satisfecit affectui, nam detersa facie impressam sui imaginem sudario ad illum transmisit. Quid de imagine, quam Veronicam dicimus, Romæ omnibus peruia. Nareat etiam Eusebius apud Cæsaream Philippi ęream Seruatoris imaginem esse, quæ quandam mulierem à fluxu sanguinis curauie. Et D. Lucas primus crucis imaginem formasse fertur, & Apostolorum Petri, & Pauli imagines Siluestri temporibus illis met similes Constautino apparuerunt, sed quia mortuis fortasse fidem isti non adhibent, quin ea forsitan derident duorum præcipuorum dicta Doctorum, duorum, & conciliorum decreta, saltem contemnere non debent. Ait enim Damascenus imaginis honor ad prototypum exemplar, Imaginisque veritatem transfertur. Altèr verò Augustinus est, qui his paucis quidem, sed sensu magnis, & grauldis verbis rem demonstrat; quid inquit seruat fideli suo, qui talem honorem dedit, supplicio suo, nec te latere debet Concilium illud magnum Romanum, mille ferè Episcoporum sub Gregorio secundo, à quo Leo Imperator tertius propter Sanctorum confractas, ac oblatas imagines Seeuio Episcopo fauens, Imperio vnà cum communione priuatus fuit, & secundo Concilio Nicęno trecentorum quinquagiuta Episcoporum, sic deeretum legimus, si quis dixerlt, Imagines delendas, anathema sit, & Adrianus primus Concilium Franconiæ inijt, in quo opinionem Felicianam de auferendis imaginibus hæreticam damnauit, explosit, & eradicauit. Hæc sunt quæ eo capite prima fronte se obtulerunr impugnanda, quibus satis puto constare noo esse impietates illa, quæ tu tantopere insectaris, & nos contra ita propugnauimus, vt si velles posses, & debetes respicere.

Lib.4. c.12. super Ioan. tract.36.

An autem memoratæ Prooinciæ hæc retinoerint, siue communi, siue singulari consenso, nihil mea interest, cum sat eise debeat, quid senserint præcipui illarum Doctores, eò maximè cum probè nouerim, istius suisse demoustrare illas prouincias communi consensu non probasse, aliqoando id qnod suo arbitratu illis aufert, vnum verò non ignoro, si cæteræ prouinciæ, quæ his alijs scarent erroribus, non resipiscunt illis euenturum, qood supra nominatis euenit, nempè vbi noluerunt Romanam Ecclesiam, ve eius Episcopum Ducem, & Magistrum, eius loco, Deo peemittente, & illorum demeritis exigentibus successit ille Aper de Sylua Mahumettus, quem istorum, nisi eouuertantur ad cor maximo cum animi dolore pari eatione futurum esse Ducem præuidemus.

In eodem titulo paulò inferiùs enarratis illis, quæ impietates appellat, hæc reprehensione digna adiecit. (Quod testimouium clarè probat ista non esse catholica dogmata, nec vereri Ecclesiæ nota si enim in veteri Ecclesia vsitata fuissent, profectò in græca Ecclesia, per quam religio Chtistiana ad Latinam peruenit, quæque latinorum magistra in Religione fuit ignota, inusitatataque non fuissent) si de Philosophia, & mathematicis disciplinis ageretur, vtique Græcis prima laus daretur sed cùm de Christiana Religione sermo sit, qua froute dicere audes illam per Ecclesiam Græcam ad Latinam peruenisse? Cùm manifestò scias eumdem Paulum ad Corinthios, & ad Romanos literas scripsisse? Et cùm omnibus compertum sic in Ecclesia Romana Petrum, & Paulum, quibus potissimùm prouincia iustrueudi Iudæos, atque gentiles omnes de mandata fuit iecisse fundamenra, cur Græcam Ecclesiam latinè præferre præsumis? Quinimmò si priscorum patrum decreta, atq; dicta rimaris, illa Christo Domino Romauæ Ecclesiæ Institutionem tribuendum esse cenerunt. Et cum hæc superiùs manifesta reliquerimus superuacaneum visumest, in his demoustrandis, ac repetendis immorari. Quæ verò postremò dicis quasi hunc impium tuum titulum obsignaturus nempe (quod ab initio semper extirerint magnæ Ecclesiæ alibi pee orbem, tum in Italia, quæ Antichristo contradixerunt) digna non sunt, quibus respondeatur, cum scias etiam Christo supramodum contradictum fuisse, & qui piè voluerint viuere in hoc mundo persecutionem passuros. Adde etiam, quod etsi legisti quandoque Ecclesias desijsse à Romana, illis etiam ab eadem inflictas pœnas nō ignorare deberes, & cum non mireris mortales omnes, præsertim mahumettanas prouincias, quas sob Christo fuisse scimus illi aduersari, cur mirandum est, si eiusdem Christi Vicario illæmet, & aliæ contradicant, eique non pareant. Quamuis prætermittere non debuisses, has, & alias prouincias ferè omnes, sicuti supra explicatum est, Eeclesiæ Romanæ aliqnando paruisse. Friuola profectò sunt, hæc digna, quorum ratio non habeatur, & infra dicis te audiuisse esse Basileæ volumen inqnisitionum Emerici, in quo codice, hi errores, vel potiùs veritates Græcis tribountur. & illas ennmeras, quæ quidem in summa sunt. Non esse sanctos inuoeandos: Soli Deo peccata confitenda. Negant satisfactioues. Delectum ciborum. Vora monastica; offerenda munera sanctis, diabolo offerri; stultum esse adorare, vel exosculari crucem, miracula sanctorum falsa; damnant aquam benedictam; baptismum, aquæ consecratæ baptismo decreta Papæ non audienda. Et adiecit quod veretur ne non omnia ista hoc tempore illis tribui queant; Volumen istud Emerici quale sit, vel fuerit, nil mea eefert, quamuis hæc tua esse commenta potiòs credendum sit. Nostrum verò fuit supra suo loco demonstrasse, ac me quoties opus fuerit demonstra-

re paratum esse sanctissimos, & peritissimos prouinciæ illius pastores,& doctores à nostris dogmatibus, traditionibus, statutis, & ritibus non dissensisse. Quod si Matthia prouinciam illam schismaticã factam sectari volueris, vtere tuo arbitrio. Quemadmodum etiam Africam,& alias prouincias Mahumetanas effectas sequi poteris. Nobis verò sat est ostendisse tempore, quo sub Christo erant, fuisse etiam sub eiusdem Vicario, ac Ecclesiæ Romanæ semper obtemperauisse.

CLEMENS PAPA.

Complura hoc capite tribuit Matthias Clementi, quæ in eius libris minimè reperiuntur, quod quidem ipse non ignotans loca subobscurè tangit, ne suum deregatur mendacium. Dicit enim primo loco [Clemens quinto libro de cultu imaginum, nos ad honorem inuisibilis Dei imagines visibiles adoramus, quod certè falsum est, si enim velletis Dei imaginem colere benefacientes veram in eo Dei imaginem coleretis,] & aliquantò post [quis enim iste honor Dei est per lapideas, & ligneas formas discurrere, & inanes, atque exanimes figuras tamquam numina venerari, & hominem, in quo vera Dei imago est spernere,] & subdit [hinc apparet quid ille pius vir de isto idolorum Papisticorum cultu senserit.] Hæc & alia sunt in hoc titulo, quæ procul dubio seuera egent correctione. Sed illud valdè enorme inter cætera est Matthia, præterquam quod in aliorum dictis recitandis mendacijs scates etiam, qui tua errata corrigere vellent, sæpius fatigas, cum neque librorum capita, neque libros ipsos, à quibus fingis te haurire, quæ producis commemoras. Quis enim est liber iste quintus Clementis,quem tu de cultu imaginum tractare dicis? Ignoras fortasse, quot, & quanta volumina Clementi tribuantur? Cuius nam voluminis est liber ille quintus abs te allatus, in quo de imaginum cultu agitur, aut ex quo tua illa verba deprompta sunt? Quod si dicas in quinto libro Apostolicarum constitutionum agi de Imaginibus, & verba, quæ Clementi tribuis ex eo loco deducta esse deciperis, vel aliàs decipere niteris. In eo enim libro hæc sua figmenta minimè reperiuntur. Fatemur tamen in 11.& 12.capitibus illius quinti libri, Clementem admonere, atque erudire eos, ad quos scribebat, fugiendam esse Idololatriæ abominationem, & 11. cap. aduersùs Israeliticos sermonem conuertit, qui relicto Dei nomine detestabilia Demonum numina colere, ac timore affisunt, affetens nequaquam Deos esse, sed improbos dæmones, & ridicula opera; nec non affert illud apud Hierem. cap.1. Dei dictum, Reliquerunt me, & iurauerunt in his, qui non sunt Dij, & apud Zachar. 13. Tollam nomia Idolorum, & ex ore ipsorum, & alio loco. Ipsi me prouocauerunt in his,qui non sunt Dij. Irritauerunt me in Idolis suis, atque In omnibus scripturis, inquit Clemens, Hæc à Deo prohibita reperiuntur. In 12.cap. nihil pertractat aliud, quàm quod non oportet, neque Cœlum, neque astra colere, neque per ea, aut alias creaturas iurare iuxta Domini præceptum, in alijs verò quinti libri capitibus, cum nihil de imaginibus scriptum reliquerit, alia Clementis volumina perquirenda, & voluenda sunt, quæ quintos libros contineant, vt istius dicta inueniri possint.

Extant Clementis libri de recognitione, seù reuisione hac partitione distincti, in decem priores scilicet, & decem posteriores, in quibus Clemens ex Petri præcepto redegit, quicquid ipse in Cæsaræa Palestinæ tribus mensibus disferuerat.

In quinto verò libro priorum, nil aliud continetur, quàm duos esse cœlos, quorum autem vnum sit hoc quod spectantibus patet firmamentum, illudque non perpetuum. Alterum verò, quod oculis corporeis videri nequit, & illud æternum.

Porròin quinto posteriorum de secunda tantùm concione agitur, quàm Petrus habuit Tripoli.

In libris sanè itinerarij eiusdem, ac in libris,in quibus de responsionibus Petri agitur ad Tripolitanorum interrogationes, cum de imaginibus, ne verbum quidem scriptum reperiatur, & in reliquis suis scriptis, quinti, quas producit libri non extent, superest, vt meritò Matthias mendacij conuincatur, vel ea quæ in 11.& 12.capitibus quinti libri constitutionum Apostolicarum leguntur, eadem esse affirmet, cum his,quæ Clementi tribuit, quæ cùm longo inter se distent interuallo,harum rerum discrimen non percipitur, nisi ipse ostendat.

Has verò ijs quæ eo in loco à Clemente dicta sunt nostram subscribimus sententiam, quemadmodum, quæ Matthias finxit abijcimus, & refellimus addentes tamen quod Ecclesia Romana imagines, vt diuina numina minimè orare, precarique docet, sed eo quo supra explicauimus modo venerari præcepit.

Libri verò supra relati Clementis sint, nec ne, hic silentio pertransibimus, data tamen occasione de re hac commodiùs, & maturiùs agemus; Tu verò Matthia interim aliud tibi quære testimonium, cùm Clemens nihil aduersùs imaginum venerationes, scriptum reliquerit.

Post hæc autem statim subiungit [Huic Clementi tribuuntur aliquot Epistolæ inter eas sunt, quedam Iacobo iusto fratri Domini Hierosolymorum Episcopo conscripta, quarum prima admodum prolixa est, ac fermè totum Papatum continet. Et addit. Celebratur à multis eius epistola ad Corinth. eius prolixum fragmentum Clemens Alexandrinus stromat.4.reijciat, quod nullam papalem prærogatiuam, aut maiorem præfeferet, loquitur verò ita de liberis, & vxoribus tamquam si & ipse coniugatus fuerit.]

Cum in hoc capite complura iste offerat, quorum alia sunt reprehensione digna, alia verò graui indigent declaratione, non ab re erit, de prima Clementis Epistola,à qua Matthias sua dicta desumpsit, priùs aliquid dicere, vt facilior deindè rebus explicandis pateat accessus.

Nonnulli ergo graues viri dubitauere de prima Clementis Epistola, esset nec eius auctoris propria, propterea quod Hieronymo,Iosepho, & Eusebio auctoribus, Iacobus

coni-

compluribus annis ante martyrio coronatus fuit; quàm Petrus diem sum clauderet extremum. Quod quidem iste infra nobis obijcit. Nos autem, qui rem potiùs perpendimus, quàm tempora obseruamus in dubio, veritati magis, & his, quæ ad rei substantiam faciunt, quàm varijs temporum supputationibus consulendum esse Iudicamus. Ideo cùm plures, nec minùs dignos habeamus testes, qui hanc Epistolam Clementis esse aserant & plures, fuisse Iacobos non ignoremus facilè de te hac disserentes conciliari potuerunt. Adde etiam, vt cùm omnia Ruffini loquat, qui hanc transtulit Epistolam, facile ob temporis vetustatem, aut cuiusuis incuria partem huius capitis obliterari intuisse, ac vnum Iacobum pro alio positum fuisse. Quemadmodum, & tres primi testes alioqui illustres in temporum supputatione, errare potuerunt, cùm Iacobum non multo temporis spatio ante Petrum Cœlos conscendisse affirment, ac ob id tot lustris, ac seculis elapsis, facilè fuit supputando in errores incidere. Testes verò, qui Clementem primæ huius Epistolæ auctorem esse autumant hi sunt.

Anacletus à Petro presbyter ordinatus in prima sua Epistola ab omnibus recepta cùm de Episcoporum oppressione ageret, id his verbis comprobat.

Beatus, inquit, Clemens antecessor noster similis est omnis Ecclesiæ status naui magnæ, quæ per vndosum pelagus diuersis locis, & regionibus viros transportat. Quæ quidem verba in prima Clementis Epistola contineri, non erit eam legentibus obscurum, & idem in tertia sua Epistola de distributione primatuum agens, ab eadem Clementis Epistola desumptum hoc refert. De primatibus, inquit, charissimi super quibus me quidam vestrum consuluerunt, si esse deberent an non, quantum hactenus de his à B. Petro Apostolo; & à reliquis Apostolis à B.Clemente nostro sancto prædecessore, & martyre nouimus statutum denegare minimè possumus, ac sequens eadem, eiusdemque Clementis verbis de huiuscemodi primatibus deliberat secularibus. Ruffinus verò non nisi Clementis nomine eam à Græco Epistolam in Latinum vertit.

Præterea, quod plures fuerint, qui Iacobi vocarentur. Clemens ipse in libro recognitionum de tribus hoc nomine appellatis, mentionem facit, crediderim tamen ego eum Iacobum fuisse, qui Ecclesiæ Hierosolymorum præfuit, propterea quod in Epistolæ progressu inter alia Clemens Iacobum hortatur, vt locis suæ ditionis præficiat, sicut Ipse in occidentalibus prouincijs facit.

Extant, & quàm multa alia in ea epistola, quibus manifestò colligitur illi, & non alteri Iacobo scriptum fuisse.

Cùm igitur Clementis esse appareat talis Epistola eius sententiæ maxima sunt animaduersione dignæ, & tuis Matthia obiectionibus, maturiùs respondendum. At tu vicissim si in ea totus, vt ais Papatus continetur, Clementi sanctissimo fidem adhibere debes.

Sed redeamus ad eam tuæ posterioris sententiæ partem in qua dicis prolixum Clementis fragmentum, à Clemente Alexandrino recitari.

[Quod quidem nullam papalem prerogatiuam, aut tumorem præsefert] omisso tumoris verbo, & quidem digno, sed Romano Pontifici indigno, quæ papalis prærogatina, ex verbis Clementis percipi poterat, si de Martyrio, & quis nam perfectus sit, in quarto illo stromatum libro disseritur? sic enim liber inquit; consecrans autem deinceps esse existimo, vt de martyrio tractemus, quis nam perfectus sit. Neque etiam Clemens in eo loco, in quo ab Alexandrino introducitur per digressionem de Papali, vel quauis prerogatiuà loqui poterat, vt suam opportunè ostenderet sententiam, cùm præcedentia Alexandrini verba, non nisi de martyrio tractareot, & ad eiusdem propositi confirmationem, Clementem induceret. Verba autem præcedentia ex sapientia deprompta, sunt hęc. Etenim si oculis hominum in supplicijs fuerint spes illorum plena est immortalitate. Et subiungit deinde Gloriosum expurgationem esse martyrium, & in paucis castigati magnis afficientur beneficijs; Quoniam Deus tentauit eos, hoc est ad eorum probationem, & vt pudore afficiatur tentator, finit eos tentari, & inuenit eos se dignos, tanquam aurum in fornace, & his similia, quæ sequuntur. Et nullo intericcto verbo subiungit Alexandrinus.

Porrò autem Clemens quoque Apostolus In Ecclesia ad Corinthios ipse nobis quandam formam quia prædictus est cognitione describens dicit; Quis nam apud vos versatus omnē perfectam, firmamque, ac stabilem fidem vestram, non admiretur? Et prosequens sermonem; Complures commemorat virtutes, ac sanctissimos viros illis præditos vsque eo, dum ad vxores corrigendas perueniat. Cum igitur eo loco Clemens in Sermonem non inciderit, quo prętantiā ostendere suam debuisset frustra illum obseruasti. Quininmò si rectè perpendes tanta Clemētis verba, eorumq; progressus redolent maiestatem, vt adumbratam, & tacitam quamdam eminentiam in illis intueri possis.

Præterea nec eorum, quæ à nobis semel allata sunt obliuisci debes Romanos nempe Pontifices prærogatiuam, vt ita loquar, cùm ipsa ministerialis sit causa vrgente iuxta Augustini sententiam exercere, & demonstrare debere, ad inquietorum, scilicet correctionem, & pusillanimorum consolationem.

Quod verò Clemens in supramemorato loco, vxorem, & filias habuisse demonstraret, minimè compertum habemus. At si tu aliter sentis, quæ supra diximus de coniugio, & cælibatu sibi satis esse deberent. Nimirum quod principio nascentis Ecclesiæ coniugium aute nō tamen post adeptam dignitatem permittebatur. Et verba Clementis alium sensum facilè habere possunt. Nam cùm Pontifex pręcipuè si fuerit Maximus. Sponsus sit vniuersalis Ecclesiæ, ac pater omnium credentium in Christo, quid mirum, si Corinthijs scribens dixerit. Vxores nostras, ad id, quod bonum est corrigamus. Et paulò post. Et filij nostri sine disciplinæ Domini participes? si enim de prole gerenda ibi ageretur, vtique suspicio prænaleret, sed cum de correctione sit sermo,

nihil tuo proposito aptum, & congruum inferri potest.

Adde etiam, quod cum non minùs Episcopo, quàm cuivis viro ex officio incumbat, omnium vxores,& filios in Dei disciplina, de qua loquebatur corrigere, & instruere, quod ad huuc dûtaxat effectum, communi sermone appellauit communes vxores, & filios, secus tamen esset si Clemens vxorem suam, aut filium suum dixisset. Post hæc subdit Mathias.

[Deprehensa porrò huins epistolæ vanitate facilè, & aliæ non paucæ primorum Paparum fictitiæ deprehenduntur, vt Anacleti, & aliorum quæ subinde illam Clemeutis citant] Oportebat causas vanitatis ostendere, priusquam suo arbitrio Clementis epistolam vanam appellaret, sicue temeritatis est D. Anacleti, aliorumque epistolas, quæ illam Clementis commemorant, fictitias esse asserere, & tamen si ei vana epistola visa est, cur illam suo libro protulit, non enim constantis, sed instabilis est alicuius aduersùm aliquem, vti testimonio, quid de eo temporis momento vanum appellat, sicut etiam indeceus est fictitium aliquid appellare, quod multorum sapientum consensu probetur, quamuis ipsum apocryphum esset; si verò illam vanam, cæterasque fictitias ideò appellat, quod vna contiueat, quæ sequuntur probabunt, & si siue verè fuerint apocryphæ epistolæ sint Episcopi Romani auctoritas illorum testimonio non eget, quando Christi, illorumque doctorum habet testimonia, quæ ipsemet probat,sicut supra fusiùs demonstratum est. Sed pergat.

[Sed vrgeamus, inquit, sanè, & nos impios Papistas suis proprijs mendacijs in titulo ipsius epistolæ,talis est inscriptio. Clemens Iacobo Fratri Domini,& Episcopus Episcoporum regenti Hebræorum, S.Ecclesiam, Hierosolymę,& omnes Ecclesias, quæ vbique Dei prouidentia fundatæ sunt] Et sub infert [Si Hierosolymorum Episcopus est Episcopus Episcoporum, & debet regere omues Christi Ecclesias, nec ille Clemens est mentitus, cur id sibi rapit Romanus Antichristus, quod alienum est]

Si tu Matthia intimam, amplamque Apostolorum facultatem perciperes, id quod putasti insolubile argumentum non produxisses, sed omissis tuis conuicijs, ac schismaticis verbis, quæ veluti sputum in cælum proiectum, in faciem tuam redit, quid diceres, si nos illa verba non esse Clementis assereremus, sed ab aliquo tui simili fraudulenter ibi esse inserta. Si tu omnia,quæ tibi obesse possunt negas, & reijcis nobis cur aliqua, quæ veritati non sunt consentanea, vel dubium animum teddunt, reijcere non licebit? sed esto quod Clemeus illorum verborum sit auctor, numquid statim infertur, id quod tu, proterve affirmas? Perpende igitur Matthia Clementis verba, & illorum rectum sensum inuenies, quod quidem nunquam præstabis,nisi partes Apostolorum,& munus diligenter perquiras. Hierosolymorum ergo Ecclesiam inter præcipuas semper habitam certò scis, atque sub eiusdem ditione plures fuisse Episcopos. Quapropter ad has relatus Iacobus Episcopus Episcoporum, hoc est illorum, rectè à Clemente appellari potuit. Sed cum subijciat.

Clemens eum regere omnes Christi Ecclesias, hoc opus, hic labor est respondere Matthia, vt ignarus profectò in hac parte sacrarum literarum. Numquid ignoras in munere Apostolatus, & prædicationis, omnes Apostolos fuisse pares? Etsi qua inter eos disparitas exiltit, non effecie quo minùs omnes in tota Ecclesia suum munus exercere, nec non iuxtà eorum placitum vbique locorum Episcopos constituere possent, quemadmodum supra explicatum reliquimus. Quod quidem non tantùm Paulum fecisse legimus, verùm etiam suos discipulos, iam ab eo Episcopos constitutos eius præcepto per Ciuitates Episcopos designasse. Cùm igitur intelligas, & videas liberum fuisse omnibus Apostolis in omnibus Ecclesijs prædicare, & docere,dicente Domino. Ite, & prædicate Euangelium omni creaturæ per vos, vel per alios à vobis constitutos. Iam Iacobi munus, ita explicatum vides, vt hac dumtaxàt ratione rectè Episcoporum Episcopus, omnesque Ecclesias gubernasse dici potuerit. Quod tamen munus cùm solis Apostolis Christi ore concessum fuerit, alia, atque alia ratione, nunc inter Petri successorem, & Episcopos, qui hac in parte Apostolis non succedunt, considerati debet; Quod si hæc tibi non satisfaciunt, adnecte his superiora, quæ consultò nunc in compendium perstrinximus. Apostoli omnes in prædicatione omninò pares, & pariter in hoc toti mundo à Christo præfecti sunt, & sicut in hac parte, ita in omnibus, quæ ad Apostolum, & Episcopum pertinent, quod ad muneris exercitationem, nihil minùs, quàm Petrus habuerunt. Nec illis vlla alia re præstitit, Petrus quàm suprema regionis,ac clauium latiore facultate, qua propter merito aliorum Caput, ac Princeps appellatus est, sed quod ad exercendi muneris facultatem, aliosque suo loco sufficiendi, omnes Apostoli, Episcopi Episcoporum, & Rectores omnium Ecclesiarum dici poterant, in quo sensu Clementem appellasse Iacobum Episcopum Episcoporum, ac Ecclesiarum Rectorem apparet. Posses nihilominus etiam dicere Clementem eo titulo Iacobum honorasse, propterea quod in eadem Epistola ipse Clemens Iacobum erat, moniturus his verbis, Vos autem per vestras Diœceses Episcopos sacrate, & mittite, quia nos ad alias partes agere curabimus. Aliquos verò ad Gallias, Hispaniasque mittemus, & quosdam ad Germaniam, & Italiam, atque ad reliquas gentes dirigere cupimus. In quibus verbis tria clarè comperiuntur. Qualis fuerit Clementis potestas, qui Iacobum instruebat, quid facturus esset, facultas in tot, ac tantas Prouincias, ac demum, vt inquit in omnes alias gentes, & quod illorum Episcoporum Iacobus esset speciatim Episcopus, illarumque Ecclesiarum Rector, quarum Prouinciarum communi Apostolorum consensu illi cura obtigit. Esto quòd indistinctè à Christo omnibus Apostolis prædicandi, ac instruendi munus in toto terrarum Orbe ea ratione, qua diximus demandatum fuerit. Quod si legas Petrum Iudæis,& Paulum Gentibus præfectos fuisse, eo pacto intelligitur, sicuti Christus de se inquit,

quit, quod non erat missus, nisi ad oues, quæ perierant Domus Israel, hoc est præcipuè & in primis, nam satis constat, non solùm pro Iudæis seruandis venisse, verùm etiam pro his, qui secundo loco, hoc est Gentilibus locati erant, eosdemque postea perfidis Iudæis ipsorummet culpa prælatos fuisse. Quinimò proh dolor genus illud electum, ac primogenitum, vtrsque propemodùm morte interijsse. Sed redeo ad te Matthia, & tui animi, & corporis cæcitatem vehementer admiror. Nam cùm tu huius Epistolæ inscriptionem obseruares, ac inde colligeres Iacobum Episcopum Episcoporum, Ecclesiarumque Rectorem à Clemente appellatum, cur non statim sequentia Clementis verba, & complura alia in eadem Epistola contenta, tamquam veritatis indagator non adnotasti? Poteras namque ex illis facilè deprehendere, quo sensu, quaue ratione Clemens illam eminentiam Iacobo tribuerit. Reuertere igitur, & ea perlege, statim enim post illa verba Clemens Petri successor, & illi in facultate par initio eius Epistolæ hæc Iacobo scribit. Notum tibi facio Domine, quia Simon Petrus, qui viuere fidei merito, & integræ prædicationis obtentu fundamentum esse Ecclesiæ definitus est, qua de causa etiam Domini ore cognominatus est Petrus, qui fuit primitiæ electionis Domini Apostolorum primus, cui & primo Deus Pater Filium reuelauit, cui & Christus competentem beatitudinem contulit. Animaduerte Matthia, & Petrum, cui Clemens in officio successit, fundamentum Ecclesiæ factum esse, considera, & quod is & alijs, qui hoc fulciuntur fundamento debetur, diabolica deposita fraude, libenter tribue, sed cętera infra posita obserua, Petrus enim cùm Clementem summis laudibus extolleret, adiecit, propter quod ipsi à Domino mihi traditam potestatem ligandi, & soluendi, vt de omnibus quibuscumque decreuerit in terris hoc decretum sit, & in Cęlis. Iam his verbis Petri, Clementis, & Iacobi discrimen in auctoritate iudicare poterit. Et paulò post Petrus ad Clementem inquit. Idcircò tu quidem ad hoc solùm vocatus, vt opportunè, & sine intermissione doceas verbum Dei, per quod salutem consequi possent. Nempè cuncti homines, illi verò tanta cum reuerentia tua suscipiant, tamquam qui sciant legatum te, & præconem esse veritatis, & quodcumque solueris super terram, etiam ibi esse soluendum. Et infra Petrus. Propter quod Clemens tamquam, qui omnibus præesse te noueris singulos releua, qui singulorum onus, & sollicitudinem portas. Et postremò, vt quisque intelligeret doctrinam, & regendi, ac viuendi normam à Petro, eiusque successoribus recipi debere, in vno Iacobo fratre Domini vna religionis columna ostendere valuit. Quoniam si fratrem Domini, ac talem columnam regiminis modum, ac cætera, quæ ad gubernandas Ecclesias necessaria nouit à sua doctrina, suisque actibus, & progressibus discere debere ostendit, quid de alijs sentiendum sit tu ipse iudica. Deprecor, inquit Petrus, te Clemens, coram omnibus, qui præsentes sunt, vt posteaquàm, sicut naturæ debitum est, vitæ præsentis finem fecero Iacobi fratri Domini descripta breuiter, vel quæ ad initium fidei tuæ spectant, vel etiam quos ante fidem annos gesseris qualiter mihi, ab initio vsq; ad finem comes itineris, & actuum fueris, quæque per singulas Ciuitates me disputante sollicitus, auditor exceperis, quique in prædicationibus meis, vel verborum fuerit ordo, vel actuum, sed & qui me finis in hac vrbe reperit, sicut dixi, omnia quæ potes breuiter comprehensa ad ipsum te destinare non pigeat. Hæc Petrus; Quibus Clemens hæc adiecit. Vnde & ego mi Domine Iacobe cùm ea præcepta susceperim, necesse habui implere, quod iusserat, indicans tibi, & de his ipsis simul, & de illis breuiter comprehendens, quæ per singulas quasque Vrbes digrediens, aut in prædicationis sermone protulerit, aut in gestorum virtute perfecerit, quamuis tibi de his plurima iam & pleniùs ante descripta, ipso iubente transmiserim. Et vt hæc & complura alia in illa Epistola contenta, ea ratione scripta esse intelligeres, qua Iacobus instrueretur, & hoc ita eo desiderante, & exposcente Clemens huius verbis epistolæ suæ finem facit.

Hæc itaque frater charissime Iacobe sancti Petri iubentis accepi, tibique, vt optabas insinuare studui, vt seruari omnia immaculata præcipias, quia Ecclesiastica non oportet negligenter, sed diligenter expleri negotia. Hæc enim præcepta nemo credat absque sui periculo negligere, vel dissimulare, quia in iudicio Dei ignis æterni tormenta substinebit, qui Ecclesiastica decreta neglexerit.

Ex quibus verbis, qui malè affectus non est iudicare poterit, qua mente Clemens titulum illum sic imposuerit, præsertim cùm in secunda sua epistola ad eumdem Iacobum, his verbis Petri sublimem statum ita testificatur, vt omnis contraria suspicio tollatur. Sic enim inquit. Hæc nos familiariùs docebat, & hæc nos publicitus prædictus magister, & instructor, atque ordinator noster princeps Apostolorum Petrus. Quibus omnibus attende Matthia, quàm leuiter temerè, & inconsultè verba tua proferas. Adnotasti etiam illud in eadem epistola, hoc est, [vbi de iudicijs Ecclesiasticis agit, nil de appellatione ad Romanum Pontificem penitùs dicit, sed dicit primates, seù Patriarchas debere finire causas, quod manifestè contra primatum Papæ est]

Ita ne Matthia in hac parte deciperis, vt cùm legas Petrum præcipientem Patriarcharum primatum, & Archiepiscoporum, & munera, & iudicia, quouè ordine eis causæ definiendæ præsentari debebant, eius non agnoscas super eminētem facultatem? Si enim Petri mandato hæc illi præstaturi sunt, non ne eius suprema super illas auctoritas demonstratur? Vtique verissimum est, & nunc etiam, idem quamuis paulò diuersum obseruatur. Ab Episcopis enim ad superiores dignitates causæ deferuntur, quotiescumque subditi indebitè grauantur. Sed postquam ad maiores illas dignitates euerti complures homines caritate in eis frigescente, vel à recto iudicio deflectere cœperunt, vel venalia facere, omnia præsumpserunt, Episcopus Romanus, qui eis causarum recognitionem concesserat, sic Concilio Nicœno declarante, vt supra expositum est, ad se grauaminum cognitionem quoties

opus

opus esset deserri præcepit. Et tamen Episcopis, & alijs dignitaribus, ac Concilijs prouincialibus per hoc non detrahit, quominus peragere possint, quod ad eos pertinet, modò locus grauatis apud Romanum Episcopum, quando illis necesse fuerit, remaneat, ad quem si velint confugere possint, sed cum de hoc primatu supra satis iam disputatum sit, satis fuit hic Matthiæ respondisse, vt intelligat, quàm inconsideratè loquatur, & prosequitur.

(Mouet item diligenter, ac prolixè Clementem, vt à negotijs huius mundi penitùs, ac in vniuersum abstineat, & tantùm vacet instructioni populi); Et post pauca exclamans, ait (O vtinam hoc Papæ persuaderi possit, vt omissis omnibus negotijs temporarijs, politicoque gladio, tantùm doctrinæ Euangelij instruendoque populo vacaret, & subiecit (obserua etiam quod dicit Episcopum Romanum posse deponi.)

Sed si de his quæ in tribus tuis sententijs continentur, alijs in huius libri locis, fusiùs non esses pertractaturus, vtique rem serie, ac suis conditionibus explicaremus, sed quoniam, vt video incidenter hic de his loqueris, satis etiam erit nobis pauca attingere, quibus tua dicta, vt supervacanea, ne dicam falsa demonstrarentur.

Petrus igitur Clementem monebat, sicuti perpetuò Christus diuina, & canonica præcepta omnibus Romanis Pontificibus præcipiunt, vt curam temporariarum rerum illis committant, quorum opera iudicant vnitatem Ecclesiasticæ Hierarchiæ posse conseruari, atque tueri, idemque ve agant circa politici Gladij exercitium, quod quidem an Romani Pontifices præstiterint, præstentque historiæ testantur, & omnibus præter te, cuique similes, qui ignorantiam simulatis, notum est. Cum enim Romanus Pontifex Imperatores, & Reges coronat, & vngit, nonnè etiam extremum, ac seculare opus illis exequendum demandasse si verò hoc tyrannicum esse, sicuti soles, dicere præsumis, oportebit etiam Christum tyrannum declarare, qui suscitatus à mortuis dixit. Omnem potestatem, & in Cœlo, & in terra sibi datam esse. Quod si ipse omnem potestatem assecutus est, & omnem, quam habuit Petro, & successoribus, pro suæ Ecclesiæ indiuidua vnitate conseruanda commisit, vt supra iam dictum est, quomodo illam tyrannicam potestatem tibi appellare licebit, Tuba præscetim supremi Angeli in Apoc. [Et sic contradicentem, factum est regnum huius mundi, Domini & Christi eius!] Sed iam ee vidro Matthiam pertinacem, & obstinatum, cum contendas Romanum Pontificem, prouincias, quas obtinet, quibusuè dominatur, non laicis gubernandas committere, sed suo tamen Imperio subiectas retinere. Infelix homo, audisti ne vnquam Romanum Pontificem suis manibus belligerare, vel ipsum met delinquentes persequi, an potius Ministros instituere, qui hæc prosequantur? Quod si res aliter, quàm se habet tu asseris, & Romani Pontifices diuinis curis, & exercitijs, potissimùm incumbunt, quod contra Petri monita faciunt? quod si illos ab omnibus prorsùs prophanis curis abstinere debere contendas, scias quod cum illis omnium, quæ ad Christi fideles, eregendos, & indiuiduam vnitatem in Ecclesia militāti te conseruandam pertinent, cura à Christo Domino commissa sit, eorum arbitrio, eorumque facultati subiacet, illis modis vti, quos suo muneri magis, seisque subditis expedire arbitrantur. Quæ quidem facilè tibi persuadere poteris, si in vnum contineri tantam Christianorum multitudinem minimè posse consideraueris, nisi vinculo ordinis ad vnum, & per vnum, qui Principis fungatur officio reducerentur omnia, atque administrarentur, & sic ab eo omnium actionum ratio exigatur, excessus corrigantur, ad æqualitatem, proportionemque componantur omnia, vt Christiana Monarchia omni ex parte sibi consentiat. Christoque eius auctori pareat.

Præterea putas ne Christi Vicarij potestatem minorem esse ea, quam Moyses habuit, & exercuit? Quis enim mentis compos erit, qui asserat, pro Christiano religionis dogmate, & statuto tuendo, ac vindicando, minus Christi Vicario facere licere, quàm Moysi licuit, cuius gesta nostræ religionis figura, & vmbra erant; Et tamen causis exigentibus legimus non solùm popularibus curis, & iudicijs illum operam dedisse, sed etiam gladij potestatem exercuisse, prælia Iosuè committenda mandasse, eoque spectante, & orante præliatum esse, rebus, & hominibus suis generis, prout temporum, & rerum vicissitudines exigebant, suo vsum esse arbitrio, omnibus præcepisse, ac condignas delinquentibus pœnas imposuisse. Itaque tantum abest, vt Romanis Pontificibus, qui Christi Dei, & hominis Vicarij sunt, non liceat pro vnitate Christi Ecclesiæ tuenda, idem facere, vt potiùs conueniat, eorumque muneri congruat, adeò quod si Christus in terris nobiscum ageret illud idem, si oporteret, efficeret. Tu verò, ac tui in opinione similes, præsertim qui inuidia, auaritia, & regnandi cupidine tenentur, Romanum Pontificem ab omnibus temporarijs curis liberum esse cuperetis, vt illum vestro prauo arbitrio, vestraque feritate, quemadmodum verbis, & scriptis reprehenditis eadem facilitate inermem, sua sede deijcere possetis. At nos contra, & meliùs, rebus præsertim religionis consulentes, adeò cum hac maximè tempestate vellemus armis munitum vt rebelles, qui paterna correctione nolunt à malo desistere, vi, sicuti Moyses olim faciebat, deprimeret, illisque munitam patrati sceleris pœnam instigeret, probis verò saluberrimum esset exemplar, his sanè non ab re erit Domini Pauli testimonium adijcere, quo iudicium loco prope modum insinuatur. Qui ait; Audet aliquis vestrum habens negotium aduersùs alterum apud iniquos iudicari, & non apud Sanctos? An nescitis quod Sancti de hoc mundo iudicabunt? Et si in vobis iudicabitur mundus, indigni estis, qui de minimis iudicetis. Nescitis quoniam Angelos iudicabimus, quantò magis secularia? Et ne in alium sensum verba hæc transferri possint, non meum, sed Anacleti iudicium accipe, qui in prima sua epistola, post multa de iudicijs, & iudicibus hoc connectit? Si verò negotium cum fuerit seculare, apud eiusdem ordinis viros, iudicio tamen Episcoporum terminetur, cùm Apostolus priuatorum Christianorum

rum causas magis Ecclesiasticis deferri, & ibidem Sacerdotali iudicio terminari voluit. Quod si assumptis in partem sollicitudinis secularia licent, supremo Ecclesiæ Hierarchæ Monarchæ longè plus debetur, ac indiuiduæ vnitati Ecclesiæ expedit.

Quibus omnibus collatis, ac perpensis facilè intelligi potest, an omnes, & omnia summo Pontifici subdita sint, simulque ex multiplici munere sibi à Christo Domino collato incumbat vnitatem Ecclesiæ conseruare, ipsamque tueri, ac omnia, & singula facere vti supra dictum est. Hæc Matthia, tuis primis duabus sententijs hic se obtulerunt dicenda, paratus deinde ad ea, quæ eiusdem generis erunt suis locis respondere.

Illud verò, quod postremò produxisti, hoc est Papam posse deponi verbo illo Petri ad Clementem innixus, nempè, deponaris, hinc missum facimus, quoniam iu sequentibus de hac controuersia maiorem nobis respondendi occasionem dabis. Nunc verò satis erit te, vel negligentiæ, vel malitiæ meritò reprehendere, cum scire potuisses, & debuisses complura exemplaria vetustissima extare, & Græco, & Latino sermone manuscripto, in quibus non Deponaris, sed Puniaris legimus; In Græco enim exemplari verbum *colathion* reperitur, quod *apo toy colaxo* non deponere, sed punire significat: his verò quæ postremo eodem in titulo, quasi inferendo subscribis, cum nihil nisi maledicta, & delirantium verba contineant, quęque illa prorsùs Christiano viro indigna sunt, & aliena esse debent, nullo pacto respondendum esse existimauimus, quamobrem ad alia nos accingamus.

Post Clementem ad Dionysium Corinthiorum Episcopum transit Matthias. Anacleto, & Dionysio (Areopagita prætermisso) vt testes veritatis euitaret, at nos, ve illa magis elucescat, & duobus his Ecclesiæ præclarissimis luminibus, Apostolorumque discipulis ius suum tribuamus, quæ non modò omittenda non sunt, sed etiam omni cum dignitate præponenda (singillatim de vtroque, & quidem notatu digna producemus, mox ad alium Dionysium, de quo Matthias agit, nos conferemus.

CAPVT XXV.

Anacletus Pontifex, & Martyr.

PRæter ea, quæ ex Anacleto principio libri allata sunt, hæc etiam accedunt. Anacletus igitur Pontifex, & martyr de negotijs etiam secularibus, qua iurisdictione, & quo ordine iudicari debeant, declarans inter cætera, postquam Pauli sententiam interpretatus est, qua decernit secularia negotia, & Christianorum causas, sacerdotali iudicio terminari debere. Hæc eiusdem generis statim adiunxit: Omnis enim oppressus liberè sacerdotum, si voluerit, appellet iudicium, & à nullo prohibeatur, sed ab his fulciatur, & liberetur. Si autem difficiles causæ, aut maiora negocia orta fuerint, ad maiorem sedem deferantur, & si illic facilè discerni non potuerint, aut iustè terminari, vbi fuerit summorū congregata congregatio, quę per singulos annos bis fieri solet, & debet, iustè, & Deo placitè coram Patriarcha, aut primatu Ecclesiastico, & coram Patritio secularia iudicentur negotia in commune. Quod si difficiliores ortæ fuerint quæstiones, aut Episcoporum, vel maiorum iudicia, aut maiores causæ fuerint, ad Sedem Apostolicam si appellatum fuerit, referantur. Quoniam Apostoli hoc statuerunt. Iussio est Saluatoris, ve maiores, & difficiliores quæstiones semper ad sedem deferantur Apostolicam, super quam Christus Vniuersam construit Ecclesiam, dicente ipso ad Principem Petrum: [Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.] Post autem hæc Anacleti dicta, alia maxima consideratione digna recenseamus.

Eiusdem de Ordinatione Episcoporum. Epist. 2.
Ordinationes Episcoporum auctoritate Apostolica ab omnibus, qui in eadem fuerint prouincia Episcopis sunt celebrandæ.

In nouo autem testamento post Christum Dominum à Petro sacerdotalis cæpit ordo, qua ipsi prior Pontificatus in Ecclesia est datus, dicente Domino, ad Eum. [Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & tibi dabo claues Regni cœlorum. Ead. epist.

Hæc verò sacrosancta Romana, & Apostolica Ecclesia non ab Apostolis, sed ab ipso Domino Saluatore nostro primatum obtinuit, eminentiam potestatis super omnes Ecclesias, ac totum Christiani populi gregem assecuta est, sicut ipse B. Petro Apostolo dixit: [Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersùs eam: Et tibi dabo claues Regni cœlorum, &c.]

Anacletus seruus seruorum Dei, omnibus Episcopis, & reliquis Christi sacerdotibus salutem sacrosancta Romana, & Apostolica Ecclesia, non ab Apostolis, sed ab ipso Domino nostro primatum obtinuit, sicut ipse Petro. B. Apostolo dixit. [Tu es Petrus,] & reliqua. Ergo hæc Apostolica sedes, cardo, & caput omnium Ecclesiarum à Domino, & non ab alio est custodita; Et sicut cardine ostium regitur, sic huius sanctæ Sedis auctoritate omnes Ecclesiæ, Domino disponente, reguntur.

Hanc autem, & supramemoratam esse Anacleti doctrinam, Romanæ Ecclesiæ, & complurimorum doctorum iudicio, præsertim Isidori testimonio confirmatum est, quæ si tibi, vnà cum eius auctore non est cordi, hoc est in causa, quòd tu veritatis testes, verbis tantùm, & simulatè proferre studes, non secundum rei veritatem.

Quid autem post eum, & ante Concilium Nicænum scripserint Euaristus. Anacleti successor, Alexander post eum; Sixtus primus post Alexandrum, nec non suo ordine successores, Eleutherius, Victor, Sixtus Secundus, Zephyrinus, Marcellus, Melchiades de Romana Ecclesia, & sua ipsorum auctoritate suprema, Anacleti sententia omninò confirmatur. Quod cum supra narratum sit, noluimus hic iterum repetere.

DIONYSIVS AREOPAGITA.

Precatur omninò oratio illa Antistitis dininam clementiam, vt cuncta dimittat per infirmitatem humanam admissa peccata defuncto (cumque in luce statuat, & regione viuorum, & paulò post.)

At fortasse ambigis, cuius rei gratia præsul diuinam precatur clementiam, defuncto peccatorum veniam postulans, & æqualem sanctis, ac lucidissimam sortem, si enim eorum, quæ in vita gessit bonorum, aut malorum à diuina iustitia percipiet præmia, perfecit autem actiones in vita ista defunctus, quæ nam hunc oratio Præsulis, ad aliam, præter illam, quam meruit, vitæ hic actæ respondcutem transfert requiem. Non ignoro quidem, & ego diuinis elogijs accedens singulis reddendam pro meritis sortem. Conclusit enim Dominus apud te, vt referat vnusquisque ea, quæ per corpus gessit, siue bonum, siue malum. Quod autem & iustorum preces, etiam in vita ista, ne dum post mortem his solùm prosint, qui digni sunt, scripturæ nos edocet sacrosancta traditio.

Quid autem Sauli profecit Samuelis oratio? Quid Hebræorum iuuet plebem prophetica interpellatio? Nam profectò idem fit, hac si quis soli suos radios, sanis largiente oculis, sibi oculos eruens, solaris luminis particeps fieri postulet, sic impossibilium superflua spe ille suspensus est, qui sanctorum flagitat preces, & naturæ ipsorum consentaneas sacras operationes abigit. Ex his iam vnusquisque intelligere potest, cur Matthias hunc magnum doctorem omiserit.

Eodem in capite ferè idem asserit ac confirmat. Venerandus inquit Antistes precem sacram super mortuum peragit, precaturque diuinam clementiam, vt defuncto Deus cuncta dimittat peccata, per infirmitatem humanam admissa, cumque in luce statuat in Regione viuorum, in finibus Abraham, Isaac, & Iacob, in loco, vbi confugit dolor, & tristitia, & gemitus. Et paulò post.

Quæ nam, inquit, de huiusmodi prece, quam super defuncto peragit, Præsul ex diuinis ducibus nostris traditio peruenit ad nos, operæ pretium est, vt dicamus; Venerandus Antistes, vt scriptura ait, interpres est diuinorum iudiciorum, Angelus enim Domini omnipotentis est. Didicit igitur de scripturis diuinitus traditis, vt tu qui piè vixerunt, lucidissima, diuinaque vita promeritò ab æquissimis lancibus reddat, non recordante diuina bonitate, & per summam clementiam maculas, quæ illis humana infirmitate adhæserunt,

Et scribens ad Demophilum veterem morem commemorat, nempè, quòd peccatores peccata sua confitentes ad sacerdotum pedes se prosternere solebant. Tu verò, inquit, vt tuæ litteræ indicant procidentes sacerdotis impium, atque peccatorem, nescio quo pacto contra disciplinæ ordinem astans, calce abiecisti, ac repulisti, cùm ille quidem verecundè, quod oportuit fateretur se ad peccatorum remedia quærenda venisse.

Idem de ordinatione Episcopi, & Sacerdotis, & Diaconi. De Episcopo sic, inquit, super caput habet à Deo tradita Euangelia, manumque Pontificis, atque hoc modo à consecrante Pontifice castissimis imprecationibus consumatur. De sacerdotis verè ordinatione ait; Sacerdos coram sancto altari ponēs vtrumque genu in capite habens Pontificis dexteram in hunc modum à sacrante præsule sanctissimis inuocationibus consecratur. In Diaconi verò ordinatione de manuum dumtaxat impositione fit mentio, quam posteà Anacletus Pontifex, & Martyr ex ordinatione Apostolica faciendam docuit, & de sanctis traditionibus summa cum reuerentia obseruandis complurima scripsit.

Vides sanè Matthia, quantum hi duo præcipui veritatis testes tuæ doctrinæ aduersentur, cum ad veritatem detegendam non ad eam occulendam faciant, ideòque consultè à te prætermissas animaduerto. Nos verò scientes vnum fuisse cathedræ Petri successorem, ab eodem presbyterum ordinatum, alterum verò Pauli discipulum, ambosque suum de fide testimonium, non maledictis, aut inuectiuis verbis, vt tu tuique sequaces facitis, sed sanctitate plenis, fidelissimisque scriptis protulisse, & glorioso tandem martyrio constanter confirmasse, illis certam, vt de qua dubitari non possit, fidem adhibemus.

Sed quoniam non me fugit, istum ac cæteros centuriarum auctores, eorumque similes libros, qui circumferuntur D. Dionysij non probare, ac falsò vos illos, præsertim de cœlesti, & Ecclesiastica Hierarchia, ac de diuinis nominibus illi tribuere, vt intelligat in hoc, sicut & in multis se tota via aberrare, ac vos non pro arbitrio, sed Ecclesiæ communi consensu, vnà cum plurimis fide dignis, illos D. Dionysio adscribere, ex compluribus nonnullos selegimus hoc loco adscribendos. Et primò loco Maximus Philosophus se offert, ad quem extat B. Athanasij oratio aduersùs Arrianos, quem etiam Gregorius Nazianzenus dignis laudibus honestauit, esto, quod priùs malè de eos sentiret. Cuius etiam meminit D. Hieronymus, ac Damascenus. Ac ob id etiam decepti sunt, qui Parisijs nouissimum Dionysium impresserunt, nulloque graui testimonio innixi, putant alium fuisse, Maximum, neque Plandem.

Michael Singellus presbyter Hierosolymitanus, cuius Suidas meminit, Theodorus Prodomus in historia sacrorum librorum, Sophronius Patriarcha Hierosolymorum in quadam Epistola iam recepta in sexta Synodo, in qua ex libro de diuinis nominibus. D. Dionysij testimonia affert.

Item Sanctissimus, ac doctissimus ille. D. Ioannes Damascenus aduersus hæreticos pro veneratione Imaginum ex Epistola ad Titum, & alio loco ex eadem epistola inferens, suum propositum ex libris. D. Dionysij de diuinis nominibus, de Ecclesiastica Hierarchia testimonia affert. Necnon ex eiusdem epistola ad D. Ioannem Euangelistam de Ecclesiastica Hierarchia testimonia producit.

Suidas Græcus vir orthodoxus, & eruditus in suo Lexico-historico libros omnes.

D. Dio-

D. Dionysij recenset, ac causam cur aliquorum hominum industria occultati fuerint assignat.

Anastasius Bibliothecarius, qui hac de causa ad Carolum Regem scripsit multis Testimonijs, præsertim Beatorum Gregorij, Martini, Agathonis Pontificis, & Græcorum, præsertim Suidæ, qui libros esse Dionysij Areopagitæ probat, & defendit.

Iacobus Faber in præfatione ad Lectores. B. Ioannem Chrysostomum, S. Maximum, S. Michaelem Hierosolymitanum, S. Andream Cretensem fideliter commemorat. Citat etiam D. Polycarpum, Dionysium Episcopum Corinthiorum, Methodium, Athanasium, Gregorium Turonensem, Eugenium, & Fortunatum, quos omnes si consules facillimè testimonia reperies.

Trithemius Abbas de scriptoribus Ecclesiasticis.

Marcus Cortonensis de eisdem.

Lippomanus Episcopus Veronensis.

Schola Parisiensis in censura aduersùs Erasmum.

Albertus Magnus.

Alexander Ales.

S. Thomas Aquinas.

Ægidius Romanus.

Petrus de Palude.

Cardinalis de Turrecremata.

Quibus etiam confirmandis, ac libris probandis adde D. Gregorium in illa homilia, in qua de centum ouibus,& decem drachmis agit: Item B. Martinus Papa in sua Synodo, Quos ideo repetiuimus, vt loca demonstraremus. Septimæ verò, & octaua Synodus, ac Concilium Florentinum etiam & testimonium, & auctoritatem his libris firmandis afferunt.

Ex multis istos selegimus fide dignos, qui vnà cum Ecclesiæ perpetuo vsu, & consensu libros esse D. Dionysij confirentur, ac tueutur. Istos autem, qui suo dumtaxat arbitrio vtentes aliter sentiunt diuini iudicij sententiæ relinquimus iudicandos.

Quod si his fide dignissimis testibus fidem isti adhibere noluerint, nos vicissim persuasum perpetuò habebimus, potiùs id, quod multorum testimonio affirmatur, sequi debere, quàm sine ratione; & testibus loquentibus fidem adhibere.

DIONYSIVS.

Hæc affert sub hoc titulo Matthias (Dionysius Corinthiorum Episcopus floruit circa centesimum trigesimum Domini annum, is per epistolam teste Eusebio monuit Pinitum Gnosiorum Episcopum, ne discipulos, idest Christianos, grauibus oneribus, eius verba sunt, oneret, neuè fratribus cælibatum obtrudat. Pinitus verò ei gratias egit, sententiam probauit, ac petijt, vt sibi in posterum quoque eiusmodi sanioris doctrinæ, firmiorisque cibi alimentum suppeditare pergat, quo suos auditores alat, ne semper lactis cibo inhærentes infantes permaneant.) Et subdit: (Ex quibus verbis licet colligere illum bonum Pinitum primum traditiunculis cæremoniarum ieiuniorum, virginitatis, & similibus suos auditores voluisse ordinare, sed Dionysium de Pauli sententia illa esse infirma mundi elementa, & veluti lac olim Iudæis præbitum, iam Christianis hominibus solidiorem cibum prædicationis, legis, & Euangelij dandum esse.) Et nonnulla alia prosequitur, quæ eòdem tendunt.

Priusquàm Matthia te de industria nolle verum intelligere demonstrem, sic enim tecum agere expedit, verba Eusebij à te manu producta, integra afferam, vt ex ipsis rectè, & fideliter prolatis, (quod quidem tibi rarò faecere accidit) iudicetur, quid Dionysius sentiret, quiduè Pinito faciendum suadere voluerit. Eusebij verò verba hæc sunt. De Dionysio Episcopo Corinthiorum, deque eius libris, coniungitur & his alia eius epistola ad Gnosios, in qua commonet, & precatur Episcopum eorum Pinitum, ne grauia discipulorum ceruicibus superponat, nèue fratribus necessitatem compulsæ castitatis indicat, in quo nonnullorum periclitetur infirmitas, ad quem rescribens Pinitus, Dionysij sententiam, quidem consilij melioris amplectitur, simulque obsecrat eum post illa, quæ priùs scripserat, robustioris iam, & validioris cibi de cætero scripta transmittere; quibus ad meliorem profectum suæ Ecclesiæ populus aleretur, ne semper cibo lactis inhærentes, paruulorum vitam in corpore iam senescente perducerent. Hæc illa. Si Dionysius Piniti tantùm discipulos commemorat, cur tu falsò illorum verborum, nempe discipulos interpretationem adiecisti, dicens, discipulos, idest Christianos? Numquid omnes Christiani Piniti discipuli erant, vt illa interpretatio congruere posset? Aliud enim Christianis prædicandum est; aliud verò discipulis ad meliorem vitæ frugem se recipientibus suadendum est. Et tamen vna omnium in Romana Ecclesia communis sententia est, quam Dionysius Pinito scripsit, cui & omnes nos subscribimus.

Sed redeo ad te Matthia, cui supra dixi, te dedita opera nolle veritatem percipere, in quo libro, quoque Pontificum decreto, aut quibus Romanæ Ecclesiæ institutis est ritibus legisti, nos obtrudere cœlibatum, hoc est inuitis cœlibem vitam, vel virginitatem obseruandam præcipere, nisi his, qui sua sponte, & graui præcedente deliberatione, voto cœlibatus se astrinxerunt? An ignoras quod apud omnes receptum est, illud nempe, quod primum voluntarium erat, emisso voto effici necessarium? Cùm verò Dionysius non ignoraret voti præstantiam, ac eiusdem obseruationem, iuris esse diuini, minimè illius derogationem Pinito suadebat. Sed cum fortasse Pinitus cœlibatus custodiam considerans à Paulo admodum commendatam, cum præsertim vxore soluti, liberiùs diuinis rebus operam dare possint, quàm illius nexu deuincti, suis discipulis, maiori, quàm pareat sollicitudine eam inculcaret, ne illis grauia onera superimponeret, neuè fratribus necessitatem compulsæ castitatis (aduerte verbum, compulsæ) indiceret, admonebat. Nam si quis sua sponte, ac deliberato animo cœlibatum nouisset, eius naturæ res efficiebatur, vt ad quam antè compelli non poterat, voto postmodum exigente obseruantia indici

dici potuisset. Neque etiam Virginitatem, cœlibatum, ac ieiunium Paulus in firma mundi elementa appellat, vt tu falsò illi tribuis, sed veteres leges, vmbras, cæremonias, & figuras, quæ cum aduentu Christi adimpletæ sint, cum cœlibatu, & ieiunio, tamquam cum alterius rationis argumentis immiscendæ non sunt. Sed cum de his satis supradictum sit, & infra sæpiùs data occasione repetituri simus, nunc mente, ex verbis Dionysij explicatis muneri nostro satisfaciemus.

Quæ verò Pinitus Dionysio rescripsit, & quæ vlteriùs sibi ab eo scribi optabat, non cum his, quæ Matthias retulit conueniunt, sed ab illis admodum dissentiunt, nam leuia erant, quæ Dionysius scripserat, nempè eos, qui non vouerant, res omnibus profectò nota, prætterquàm tibi eam esse qui nolenti, nos esse astringendos, sed liberos relinquendos, vt sua sponte, quid sibi ipsis visum esset peragerent. Et causa, quam postremò Dionysius affert rectè ostendit cum circa illos, qui cœlibatum non vouerant Pinitio consuluisse. Ait enim, ne non nullorum periclitetur infirmitas, ac si dixisset, Cùm castitas sit donum Dei, qui ad hoc donum vocati non sunt, non cogantur, sed Dei arbitrio remittantur, vt vnusquisque maneat in ea vocatione, in qua vocatus est. Quod si de his, qui Deo adiuuante vitæ cælibi degendæ spontè se dicauerant egisset, nulli dubium quin Dionysius, vt Christianæ doctrinæ non ignarus illius coactam obseruantiam suasisset.

EGESYPPVS.

Egesyppi verba refert; quæ ex quarto, & quinto Eusebij historiæ se sumpsisse narrat [Ecclesiam, inquit vsque ad mortem Ioannis Apostoli Virginem fuisse, quàm nulli hæretici contaminare potuerunt, sed ab eius morte errorem in eam; tamquam in desertam domum irruisse.]

Principio more tuo Matthia te mendacem ostendis, nàm in quinto Eusebij libro nihil horum extat. In quarto verò, Egesyppi immutasti sententiam, quo tuum potuisses virus euomere. Vt autem tua fraus apertè omnibus pateat, quæ Eusebius Egesyppo, eo in loco tribuit recensebimus. Et postea quam, inquit Egesyppus, Iacobus, qui cognominatur iustus, martyr effectus est, sicut etiam Dominus ipse reddens testimonium veritati electione diuina, Simeon Cleophæ filius Episcopus ordinatur, electus ab omnibus, eo quod esset consobrinus Domini. Propterea autem tum Ecclesia virgo, vocabatur, quia nondum fuerat adulterini verbi subrectione corrupta.

Sed Theobutes quidam, quia repulsam meruit Episcopatus, ipse cæpit perturbare omnia, & corrumpere. Hæc ille. In quibus nullam fieri de Ioanne Euangelista mentionem vides. Sed esto, quod Simeon fuerit Ioannes, cur tu vniuersæ tribuis Ecclesiæ, quod Egesyppus Hierosolymorum tantùmmodo Ecclesiæ, de qua sermo erat, ascribit. Profectò, vt tuo fallaci more faciliùs virginitatem, & corruptionem toti Ecclesiç impingere potuisses, in locum Simonis, Ioannem Apostolum supposuisti, necnon verbum, dicebatur, in verbum fuisse, commutasti, nullum faciens discrimen inter hæc, nempè dici aut esse; Ecclesiam Virginem, & tamen vnum in hominum arbitrio positum est, alterum verò, ad rei substantiam pertinet; sed quid vltra, & longè deterius dicat, ficta, & obliqua causa motus, audiamus.

[Triste hoc admodum dictum est, sed tamen contra securos Papistas vtile, qui post tot secula à passione Christi elapsa, adhuc vociferari audent, nihil erroris in Ecclesia esse, nec Papam vnquam errasse, nec errare potuisse.] Duo admodum in religione præcipua hoc loco se offerunt consideranda, quæ cùm Matthię essent incognita, balbutiendo de eis verba fecit. Quorum primum est, quis error in Ecclesia esse possit. Alterum verò, in quem sensum, & quibus in rebus asseratur Papam posse, aut non posse errare. Et postremò, quid Egesyppus suis verbis, per illam Ecclesiæ Virginitatem significare voluerit, demonstrandum erit. De quibus, & si supra aptiori loco tractatum sit, hinc tamen in tyronum gratiam nonnulla placuit, quasi per transennam attingere. Vt verò, quæ hic & alibi dicturi sumus faciliùs percipi possint, duo insignia postulata, compendio repetemus sapientibus notissima; nimirum Ecclesiam te ipsa esse vniuersitatem fidelium, qui in vno veri Dei cultu, ac vnius fidei professione conueniunt. Alterum verò, quod Ecclesia hæc ex bis constat, qui solùm numerum faciunt, & illis, qui numero, & meritis eam complent, hoc est, qui fide tantùm informi, & fide, & charitate formata, siue qua Paulus nihil fecit omnem fidei assecutionem. Missa etiam facimus omnia illa, quæ ad omnes Ecclesiæ status, & causas exprimendas dici solent; & quod huic loco congruit dumtaxat explicabimus.

Cùm Ecclesia, de qua agitur non parietibus constet, sed dogmatum veritate, & vbi fides vera est, ex fide Apostolorum cognoscamus, manifestum erit, Romanam esse præcipuè illam, quæ cùm Christi doctrina, præcepto, & duorum mundi luminum Petri, & Pauli prædicatione, & sanguine potissimùm fundata, roborata sit, in ea vera fides reperiri oporteat. Hæc igitur cardo, & mater omnium in fide errare non potest. Nam cùm visibilem Christi Vicarium, sponsum in terris habeat, cui à Christo dictum fuit. Rogabo pro te, vt non deficiat fides tua: Ecclesiæ verò; Et portæ inferi non præualebunt aduersus eam; Et ego ero vobiscum vsque ad consummationem seculi, nec ille Christi precibus innixus perseueranter errare potest, nec hæreses, & peccata, quæ ad inferos homines perducunt, prorsus illo vnquam tempore, Christo sic promittente, in ista præualerę potuerunt. Nauis enim hæc à ventis, ac procellis agitari potest, summergi verò minimè. Ecclesia igitur hæc, nec errare, nec in fide corrumpi potest. Nec tamen indecens, aut absurdum erit, si eueniat, vt aliquando eius membra adulterentur. Nàm si priuatæ Ecclesiæ ab hac veluti à matre, & Cardine recedunt, vt ruant, & corrumpantur, necesse est; sicut Hierosolymitanæ accidisse, refert Egesyppus, de qua, vt se loqui demonstraret,

& non

& non de vniuersali subdie, quemdam Theubuten indignatum electione Simonis in Episcopatum se reiecto, malis artibus, praua doctrina, & industria, omnia corrupisse, & adulterasse, quem tu Matthia subticuisti, & auctoris verba, & mentem subuertens, Ioannem Simonis loco, & in genere Ecclesiam, pro priuata posuisti, vt ex tua labefactata mente praue inferres; Ecclesiam in fide errare posse. Pessimè etiam mentitus es, cum ex tuo capite non ex Egesyppo subiunxeris errorem in eam; hoc est Ecclesiam, tamquam in desertam domum irruisse.] Quod quidem de Ecclesia Romana, cui Petri successor, ac Christi Vicarius præest, dici nō potest, quemadmodum in Hierosolymitana cum Egesyppo conuenimus.

Si autem Matthia tibi eruditum logicum agenti, putas licere à particulari ad vniuersale deduci consequentiam, vel eius artis primordijs initiati, te in hac parte ignatum esse demonstrabunt. Nobis verò, & alijs fecimus satis, cùm Egesyppum locutum esse de Hierosolymitana ostendimus, quod postremò declarandum supererat.

Quam ideò Virginem appellauit, quia cùm pura fides in mente consistat, in ea existentes, si puram; ac sinceram fidem hanc mente retinuerint, rectè illa virgo appellari potest, quemadmodum contra cum hæresibus deturpatur, corrupta dici solet. Sed cùm hoc Romanæ Ecclesiæ nunquam euenerit; parimodo, nec hi, qui cum ea communicant, & firmiter, quæ ipsa docet, & præcipit dogmata; & ritus tenent, corrumpi vnquam, & adulterari poterunt.

Quod verò tantopere admiraris, & eam ob rem conuicijs nos lacessere non desinis, nos scilicet profiteri Papam numquam errasse, nec errare posse, si prauo tuo affectu Matthia postposito, rem perpenderes, facilè intelligeres, quanam ratione multi id dicant, & profiteamur. Nàm si Papam, vt hominem, dumtaxat loquentem, vel operantem, vel literatum agentem, aut vni dumtaxat Ecclesiæ præfectum consideremus, In errorem eum labi posse non negamus. At si de fidei dogmatibus Christi Ecclesiæ necessarijs, vt supremum pastorem, ac Principem scripto definientem, ac deliberantem eum contemplemur, nullo pacto vnquam offendisse, aut à recta veritatis via decedere posse contendimus. Continua enim, & efficax Spiritus sancti assistentia Ecclesiam protegens, eam curam eius gerit; vt eum, vt supra satis superque dictum est, errare non finat, sed nunquid errare potest ille, cuius præcipuum munus à Christo sibi traditum est, errantes, vel titubantes confirmare? Nunquid ruere potest basis, Petra, & fundamentum, super, quod domus Domini, hoc est Ecclesia superposita, & ædificata est? Quam in sua Ecclesia Christus firmitatem statuisset, si ille, cui omnium cura commissa est, in fidei dogmatibus, quæ quidem in religione axiomata sunt, & bases deliberando errare potuisset? Profectò si ille in his, quæ Christi præcipua sunt, deficeret ipsi Christo, error tribuendus esset, qui talem Vicarium instituisset, qui in intimis, religionique necessarijs dogmaribus statuendis, vel declarandis, per errorem labi potuisset, pro cuius tamen fide se rogaturum promisérat. Quod si secus euenisset, quani, & quando veritatem Spiritus sanctus Summum Pontificem docturus esset? Quod quidem probè noscens Diuus Hieronymus, quem tu Matthia meritò magni facis ad Damasum Papam, ita scribit. Hæc est fides Beatissime Papa, quam in Catholica Ecclesia didicimus quamque semper tenuimus, in qua si minùs peritè, aut parum cautè aliquid positum est emendari cupimus à te, qui Petri Sedem tenes, & fidem. Si autem hæc nostra confessio Apostolatus tui iudicio tamen comprobetur, quicumque culpare voluerit, se imperitum, aut maleuolum, vel etiam non Catholicum, sed hæreticum comprobabit. Nec ille. Tanta enim est supremæ Pontificiæ potestatis prerogatiua, vt quamuis rei ignarus Caiphas prophetauerit; tamen expedire vnum mori pro populo. Quod si hæc illi euenit, qui vmbrarum, & figurarum minister erat, quantò sublimiùs, & certiùs Romano Pontifici Christi Vicario Spiritum sanctum perpetuam manum allaturum, ne definiendo, aut declarando aberret, quæ ad Dei honorem, & populi Christiani salutem ordinantur, æstimare debemus.

Adiecit & eodem in titulo de Egesyppo Matthias. [Testatur inquit Eusebius eum Romæ plurimos Valentini, & aliorum hæreticorum peste infectos in viam reuocasse.] Vnde apparet; quàm frigidi Doctores tunc Romani Episcopi fuerunt, qui externis auxilijs indiguerunt ad confutandos hæreticos. [Mirum profectò est Matthia, quod ne vnusquidem locus hactenus à te productus sit, qui non mutilus, aliterque se habere in eius auctoris fonte inueniatur. Nihil enim horum, quæ tu describis Egesyppum egisse testatur Eusebius, sed hoc dumtaxat, & his fermè verbis explicatum. De Apochryphis verò cum ageret aduersùs quosdam hæreticos corrupta in his quædam etiam, ac falsata esse prohibuit.

POLYCARPVS.

Complura sub hoc capite se offerunt consideranda, quorum quædam manifesta reprehensione digna sunt, quædam verò, vt ambiguitate plena prudenti indigent animaduersione, fit enim sæpè numero, vt non minus quæ ambigua, quàm quæ erronea sunt, erroris causam tribuens quemadmodum ex adscriptis verbis patebit, quæ Irenæi epistola ad Victorem Papam obseruasse dicit, &c. quod inter Anicetum Romanum Pontificem, & Polycarpum primo congressu fuerit aliqua contentio de Paschate, & ieiunijs, & fuisse aliquibus alijs similibus, verbum contentio Matthia, suppositicium, & à te industria insertum, vt faciliùs eo in loco Inquietes in auctoritate pares esse suaderes verba ipsius Irenæi, quæ mox fideliter adiungam declarant, quæ talia sunt: Beatus autem Polycarpus, cum ad Vrbem Romam venisset sub Aniceto, cumque de alijs nonnullis parum quid habuissent inter se, statim tamen coisent in pace, neque enim Polycarpus in re hac Aniceto in aliquo contradixisset, neque Anicetus Polycarpo contradicere permisisset,

 nisi

nisi à Ioanne Apostolo mox ille in Asia permissus non fuisset, nec præter istam aliam causam, inquit Irenæus suæ resistentiæ Polycarpus afferebat, addam etiam, & ego duas huius permissionis causas, quibus motus Anicetus conniuentibus oculis tem componere maluerit.

Prima quidem quod res illa eius generis erat, quod vtcumque tolerari, dissimularique poterat, quoad maturiùs illi re perpensa Iudæorum morem euitandum esse cognoscerent, secunda verò, & quidem grauior erat Marcionis, Valentini, Montani, Cataphrigum, & Appelitarum exorientes hæreses, & Principum vehemens persecutio, in qua paulò post vterque gloriosi martyrij corona donatus est. Quibus tamen sopitis, & quiescentibus Victor Romanus Pontifex, & Martyr, vt illi cauillandi, alijsque errandi auferret occasionem, & quantum inter Anicetum, & alios Romanos Pontifices Polycarpum, cæterosque Episcopos esset in auctoritate discriminis, demonstraret Aniceti, & Pij sui prædecessorum de Paschatis obseruatione, vnitate decretum introduxit, ac vniuersum mundum obseruare præcepit. Quò verò faciliùs executioni præceptum mandari posset, & Asiaticas illas Orientales Ecclesias ab antiquo Iudaico ritu adducere conuentus in diuersis Prouincijs per Sacerdotes celebrari iussit, & ipse Romæ vicinorum Episcoporum Concilium coegit. In Gallijs item Cæsarea, Palestina, Ponto, Victoris iussibus parentes, Concilijsque Prouincialibus initis vna fuit hæc omnium definita sententia ex Apostolica Christi institutione Pascha esse celebrandum non ex Iudæorum veteri ritu quartadecima mensis primi, sed Dominica proxima quando Christus resurrexit à mortuis, vt semper ab initio fidissima Apostolicæ traditionis custos obseruauerat Romana Ecclesia, & cùm solius Asiæ Episcopi Iudaicum tuerentur ritum, Victor eos Ecclesiastica communione priuauit, & quamuis Ireneus postquam paruerat Victori suadere conaretur, ne cum illis Episcopis seuerè ageret, ipse tamen sciens obedientiam omnibus rebus præferendam esse in sententia perstitit, cui vniuersa paruit Ecclesia, & licèt nonnullæ eius rationis reliquis vsque ad Nicæni Concilij tempora superfuerint à Nicæno tamen, & Chalcedonensi Concilijs suum errorem abiurare coactæ sunt sicut illorum Conciliorum acta legenti patebunt.

Item Socrates Græcus in sua historia his verbis testatur plurimi, inquit, circa Asiam antiquitus quartodecimo die Pascha obseruauere, non respicientes Sabbathi diem, & ita facientes non segregabantur ab illis, qui aliter celebrabant, donec Victor Romanæ Ecclesiæ Episcopus excommunicationem quarta Decumanis misisset in Asiam, collocutio verò de ieiunijs non in vniuersum inter Anicetum, & Polycarpum facta est, vt Matthias asserit, volens Ieiunio detrahere, neque alijs de rebus inter eos fuit disceptatum, vt ipse carpendi causa Aniceti auctoritatem fingit, cuius rei veritati testimonio erunt integra Irenæi verba, quæ sequuntur; [Non solùm, inquit, de die Paschæ agitur controuersia, sed & de ipsa specie ieiuniorum, quidam enim putant, vno tantùm die obseruari debere ieiunium, alij duobus, alij verò pluribus nonnulli etiam quadraginta, itaut horas diurnas, nocturnasque computantes diem statuant. Quibus verbis constat non de ieiunio, sed de ieiunij specie disceptationem fuisse inter eos, qui ratum iam, firmumque ieiunium habebant.

Et paulò post, inquit, [Sed Anicetus non propterea fuit Polycarpo iratus, quin potiùs, & Eucharistiam sumpsit, & vt suo loco Polycarpus in Ecclesia Eucharistiam administraret, permisit. Vnde potest intelligi primùm non timuisse ita alios Episcopos, Romanum, vt vel in minimis ei cedere necessè esse putauerint.] Cur autem Anicetus tunc Polycarpi deliberationem pertulerit, ac successoribus sui decreti opportunioré executionem reliquerit, supra demonstratum est; Eucharistiæ verò sumptionis, ac eiusdem in Ecclesia administrationis, nonne cum Episcopis, quos assistentes vocant, perpetuus vsus eorum, & simul cum Romano Pontifice perdurat, & vsque ad seculi finem perdurabit? Quid nouis his obseruationibus iste in Ecclesia Romana fuisse attulit?

Quod verò ait alios Episcopos Romanum Pontificem non ita timuisse, nihil est, quod respondeamus, cum probè iste nosse possit eos, qui seruili timore tantùm, & formidine pœnæ suum Principem timent, non esse in charitate. At qui vitam ità suam ducunt, vt graui non egeant censura, nec Romanum Pontificem eo timore timent, neque illum alloqui dubitant, sed cùm ipso familiariter agunt, & tamen quæ tanto Principi debetur reuerentia, necnon cum eo de necessarijs disceptare, negotiaque conficere, & perficere possunt, ipse enim Augustini dicti non immemor, corripit inquietos, pusillanimes consolatur, proterulentibus timori, & pauori est, alijs verò spes, & solatium. Vni pater est, alteri verò Iudex.

Reliqua verò verba, quæ sequuntur, nempè [Vt vel in minimis ei cedere necesse esse non putauerint] tamquam peregrina cum his, quæ adijciemus dictis ex eodem loco transcripta corrigemus. [Deindè obseruandum, & ipsum Episcopum Romanum tamquam æqualem, & non superiorem eam In ipsis libertatem fuisse coactum ferre, obsecua quod etiam plusculum obseruationis rituum tribuerunt, iam tum Papæ, alijque Episcopi, ac Doctores, non tamen tantùm, vt paulò post.] Et post pauca subdit: [Cæterùm ità omnino narrat Irenæus illum congressum inter Polycarpum, & Anicetum, vt inter pares dignitate, vt quidem tunc erant omnes Episcopi.] Opportunè Matthia eadem repetis, vt iterum, atque iterum instrui possis. Irenęi iudicium adduci ad probandum facilè dignosci posse per illam disparem rituum obseruationem Episcopos esse pares, & dum illius verba, & sensum adulterare cogitas, præstitam Aniceto, & Polycarpo obedientiam non animaduertis. Consideras consulentem Ireneum, paritatem ostendisse, & non animaduertis eum debitam primùm obedientiam reddentem, superiorem agnouisse. Notum tamen tibi esse deberet Irenæum, & secum Ecclesiam Gallicanam de Iudæorum ritu abtogando

gando decreuisse, quidquid Victor Pontifex Romanus præceperat, posteà verò eum monuisse, vt Asiæ Ecclesiarum rationem haberet. Sed Victor, Aniceti, & Pij prædecessorum decreti non immemor, proteruientes Ecclesiastica censura suppressit. Et quoniam hoc loco, & infra, dum de Irenæo, & Galliarum Ecclesijs ages, easdem afferes difficultates de Romani Pontificis primatu paucis iterum te aggrediar, vt quisque noscat quantum à veritate declines, quantumque voluntaria, & simulata ignorantia labores.

Et primùm abs te peto Matthia, vt dicas, si Victor Romanus Pontifex non fuisset vniuersalis Ecclesiæ pastor, qua temeritate ausus fuisset illo primo seculo, quo paulò ante Christus cœlo conscendit, vt omnibus ferè terrarum orbis Episcopis præcipere conuentus de quattadecima die abroganda, & vniuersas Orientis Ecclesias ab eorum ritu, non minùs ratione quàm auctoritate abstrahere? Cur vniuersa ferè Ecclesia Victoris censuram metuens non solùm paruit, verùm etiam quos Victor excommunicauit eadem ratione,& causa pro excommunicatis habuit, donec illi in Concilijs Nicæno, & Chalcedonensi, vti dictamen, palinodiam vt aiunt canerent, quæ si Victor vniuersalis Episcopus non erat remotæ Orientis Prouinciæ illius censuras cur non contempserunt? Si Pius Victoris antecessor, ac Victor ipse generalis Christi Vicarij non erant, cur Polycarpum Romam miserunt, esto quòd suos ritus, tamquam Apostolica traditione acceptos, custodirent.

Quod si quæ cum istis Victor gessit de sua suprema potestate non tibi adhuc certum, indubitatumque animum reddunt, repete memoria eius ad Theophylum Alexandrinum, & ad vniuersas eius Ecclesias epistolam in qua hæc scribit Victor Romanæ, & vniuersalis Ecclesiæ Archiepiscopus, Theophylo Episcopo, & cunctis fratribus in Alexandria Domino famulantibus. Et post nonnulla addie. Similiter, & ea vos iudicare ad Apostolicam delatum est Sedem, quæ præter nostram vobis non definire licet auctoritatem. Vnde statutum liquet à tempore Apostolorum, & deinceps placuit, vt accusatus, vel iudicatus à Comprouincialibus in aliqua causa Episcopus licenter appellet, & ad eas Apostolicæ Sedis Pontificem, qui aut per se, aut per Vicarios suos, eius tractari negotium procuret, & dum iterato iudicio Pontifex causam illius tractat, nullus alius in eius locum ponatur, aut ordinetur Episcopus. Quoniam quamquam Comprouincialibus Episcopis, accusati causam Pontificis crutari liceat, non tamen absolutè definire inconsulto Romano Pontifice permissum est; Et alia quàm multa in ea epistola sequuntur, quæ idem comprobant.

PIVS I.

Ante hunc Pium, complures Sanctissimi Pontifices, vita, doctrina, & martyrio claruerunt, & tamen iste eos prætermisit, quemadmodum de actis Apostolorum D. Anacleto, & D. Dionysio Areopagita supra fecit, sed quoniam illorum sententiæ, Epistolæ, decreta, supra suo ordine disposuimus, hic sat erit illorum dumtaxat nomina recensere.

Post Anacletum successerunt qui monimenta nobis consideratione digna, scriptore reliquerunt, Euaristus, Alexander primus, Sixtus primus, Thelesporus Higyno.

Hos omnes percelebres Viros omiseras, Matthia, quia illorum dicta tibi pertinaci animo perduranti minimè profutura esse cognoueras. Quæ tamen eorum sint, qui primitij Religionis nostræ fuerunt, quique fidei defensionem, Sententijs decretis, ac demum sanguine obsignauerunt, abs te negligi, prętermittique nullo modo debuerant.

Post hos Romanos Pontifices iusta sequitur Matthiæ dispositio.

De Pio Aniceti successione, variant scriptores crediderim ego tamen Irenæi testimonium verius esse, tùm quia tanti Viri auctoritas plurimi facienda est, tùm etiam quia ipse iisdem ferè temporibus floruit. Is in libro contra quamq; hæresem Pium dicit Aniceto priorem, cuius etiam sententiæ fuit Eusebius in sua historia.

PIVS I.

Sub hoc capite primò affert postremam huius Pontificis decreti partem illam, qua permittit nonnullas consuetudines retineri, quas ab Apostolorum temporibus vetustas longa seruauerat, tamquàm à fide non alienas, ac deindè inuehit contra Romanistas [sic enim eos vocat, qui se veteres canones ab Apostolis traditos seruare gloriantur, simulque Romanis Pontificibus detrahit, quod Ecclesijs inuitis, & reluctantibus, quæ sibi parum esse vtilia viderentur, immutauerint; & hanc consuetudine sibi vsurpauerint, præsertim, cùm suæ ipsorum Ecclesiæ forè emolumento cognouerint, in quibus omnibus tàm imperitè loquitur, vt ignoremus quale sibi responsum debeatur. Nam decretum, seu decreti pars, quam affert repetitur, & quidem postremo loco. Et alia extant decreta, quæ vt sui moris est, prætermittit. Quod verò passim (vt inquit) aliarum Ecclesiarum ritus pro animi sententia non mutauerie, eum facilè intelligitur, cùm veteres illis concedit consuetudines, vt fidei non aduersantes. Si autem illorum verborum responsum expectat, quibus reluctantes esse alias Ecclesia dicit, me ad superiora refert, quibus ipse, si velit exactissimè erudiri poterit, ac postrema verba, quibus Romanistas, hoc est catholicos irridet, missa facimus, vt sciat non his nenijs, & simulatis artibus, gratia, & seria tractanda esse, sed rationibus, Diuinis dictis, ac Patrum testimonijs discutienda, confirmandaque esse. Et cum supra satis, superque demonstratum sit, ijs ipsis medijs penes Romanam Ecclesiam aliarum magistram, canones, & consuetudines ab Apostolis acceptas, bona, immò optima fide retineri, ac conseruari, non est cur eadem dicta nunc frustra repetamus, quare ad ea transibimus, quæ postremo huic titulo addit de Hermete quodam, quem Pio Pontifici imposuisse refert, (qui finxit, inquit, varias Angelorum visiones sibi conspectas, totiusque Papatus fundamenta iecit, vt mox dicemus cuius tamen liber à veteribus teste Eusebio

suæ

suæ historiæ 3. præsertim à Gelasio pro Apocrypho damnatus est.] Et subdit [Hinc iudico, quàm vigilantes, & oculati fuerint iam tum Romani Pontifices, qui neglectis sacris literis fictis visionibus crediderunt.] Quem tu hoc in loco, Matthia, Hermetem vocas, totque iniurijs petis Herma fuit Pauli discipulus, quem in Epistola ad Romanos cum alijs discipulis salutat, quod si is fuit, neque Pio imposuisse, neque visiones finxisse credendum est, vt tu falsò illi impingis. Si quis autem, quis hic Herma fuerit, certior fieri optaret consulat Irenæum, & beatum Hieronymum lib. 5. aduersùs hæres. quorum primus de Hermæ libro, Pastor nuncupato, ità refert Eusebium scripsisse: Meminit autem, hoc est Irenæus, vàm de eo ibi legitur primæ epistolæ Ioannis, & primæ Petri, plurimaque ex ipsi sumit exempla, necnon etiam libellum, qui dicitur, Pastor, amplectitur dicens: Benè ergo refert Scriptura, quæ dicit primò omnium credendum esse, quia vnus est Deus, qui omnia creauit, atque composuit.] Vtitur autem testimonijs de sapientia Salomonis, sed & Apostolici cuiusdam viri, cuius nomen reticuit, sermonum quasi mediocriter meminit. Hæc Irenæus. Hieronymus verò sic de eo inquit: [Hermam, cuius Apostolus ad Romanos scribens meminit: Salutate Asyncritum Phlegontem, Hermam, Patrobam, Hermen, & qui cum eis sunt fratres, asserens esse auctorem libri, qui appellatur Pastor, & quod quasdam Græciæ Ecclesias, etiam publicè legitur; reuera vtilis labor, multique de eo Scriptorum veterum vnus asserunt testimonia, sed apud Latinos penè ignotus est.] Hæc Hieronymus.

Ad reliqua verò, quæ sub capitibus Pius Hermas Pastor à Matthia collocantur, his paucis placuit respondere. Quorum primum est, quod si à Gelasio liber ille inter apocryphos connumeratus est, eius tamen doctrina ab eo non damnatur, & cùm apud Irenæum, Hieronymum Græciæ Ecclesias, & complurimos Doctores eius doctrina fuerit in pretio, quid mirum, si Pius eius dicti, & visionis meminit de Iudæorum in Ecclesijs Asiæ ritu mutando, cùm tamen ex eodem loco satis constet, eum non in primis hac ratione motum fuisse ad illos ritus remouendos, sed ex officio, & sua, qua fungebatur auctoritate illud fecisse. Quemadmodum ex eiusdem Pij verbis videri potest: In epistola ad omnes Christi Fideles, inter cætera hæc habetur.

[Cæterùm, inquit, vos nosse volumus, quod Pascha Domini die Dominica sit celebrandum. Istis ergo temporibus Hermes Doctor fidei, & scripturarum effulsit inter nos. Et licèt nos idem Pascha prædicta die celebremus, quia tamen quidam indè dubitant ad corroborandas animas eorum, eidem Hermæ Angelus Domini apparuit, & præcepit ei, vt Pascha Domini die Dominica ab omnibus celebraretur. Vndè & nos Apostolica auctoritate instituimus omnes eadem seruare debere, quia & nos eadem seruamus, nec debetis à capite quoquomodo discedere. Vides sanè, qua ratione Pius id præceperit seruandum, nempè, quia ipsemet sic seruabat, idque Apostolica auctoritate iniungebat, quod illis à capite discedere non liceret. Quod autem tanti Viri rectè rationis meminerit ad corroborandas aliquorum mentes, dumtaxàt nil absurdi continet. Nàm & in scripturis sæpiùs inuenitur id, quod est iàm debita auctoritate statutum, etiam quibusdam optimorum Virorum testimonijs confirmari, vt quod principalius est, minùs eruditorum mentibus inhæreat. Sed ad alterum tuum dictum venio, cum vis.

[Quod Herma suis fictionibus totius Papatus fundamenta iecit] & paucis respondebimus. Neque probum illum Virum Pauli discipulum finxisse visiones, neque illas eo animo manifestasse, vt Papatus fundamenta iaceret, quæ sciebat à Christo sua passione, morte, & resurrectione munitis, præceptisque iacta, firmataque fuisse, eiusdemque esse Papatum instituere, & fundare, cuius ex tota Christiana Monarchia, & cui vnum perficere perpetuò voluisse ex Petri successu suo loco didicerat. Aliæ verò eiusdem visionis, quæ animum tuum afficiunt apud priscos Patres, teste Hieronymo in pretio fuerunt, necnon hac etiam tempestate in eadem sunt veneratione apud illos, quorum mentes deprauatæ non sunt, & verba eo animo recipiunt, quo à viro probo referuntur. Reliqua omittimus, cùm non speremus tibi id persuadere posse, quod nec Paulus Hermæ Magister, nec Irenæus, nec Hieronymus hactenùs, si aliquando ijs operam dedisti persuaserit.

Ecclesiæ Galliæ.

Ex Eusebio refert inter dissidentes fratres Ecclesias Galliæ suum interposuisse iudicium, ac Eleutherium Romanum Episcopum de pace monuisse, & Irenæum illi commendasse. Ex quibus Matthias Episcopos pares fuisse, Romanumq; Episcopū tamquam pacis, ac Ecclesiarum vnitatis laceratorem reprehendit, nonnulla etiam omittit in titulo sequenti, cùm de Ecclesijs Gallicanis ager pertractanda, modus re vera, quo Ecclesiæ Gallicanæ alias hortantur Ecclesias, & Irenæi commendatio ostendunt, pares nè omnes fuerint, an Romanus Pontifex inter illas eminuerit, quod vt magis elucescat adijciam.

[Cùmque plurima inter fratres dissensio fuisset exorta, rursùs Ecclesiæ Galliarum iudicium suum, & sententiam de his quoque cum omni reuerentia, & rectè fidei expositione decernunt epistolas Martyrū, qui apud eos consumati fuerunt, proferentes; & reliqua; commendant verò Irenæum Eleutherio his verbis: [Pater Eleuther, rogamus fratrem, & socium nostrum Irenæum, hæc tibi scripta deferre, quem deprecamur, vt habeas commendatum.]

Quis dubitat, Matthia, Ecclesias omnes in humilitate seruanda, pares esse debere, ac liberum esse illis, Episcopo Romano referre, quæ necessaria videntur, eumque causa existente monere, ea tamen reuerentia, qua Gallicanas Ecclesias semper fecisse legitur. Quemadmodùm non te latet, cùm facto opus esset Romanos Episcopos alijs pœnas iniunxisse, & censuras Ecclesiasticas pertinacibus intulisse, non vt Ecclesiæ vnitatem lacerarent, (vt tu iniquè illis adscribis) sed vt illam meren-

rentur, perpetuòque conseruarent. Commendant autem Irenæum Eleutherio, tamquam eorum Principi, cui vnà cum ipso de ritu Asiæ mutando, paruerunt omnes. Quamobrem cùm Ecclesias Gallicanas sæpiùs Papæ se opposuisse asseras, profectò deciperis, cùm nullæ in Religione Christiana extiterint Ecclesiæ, aut Reges, qui in Fideli obseruantia Romanæ Ecclesiæ præstanda, vllo vmquam tempore illis præstiterint, quinimmò acerrimos Sedis Apostolicæ defensores fuisse semper historiæ comprobant, & rerum euentus apertissimè testantur.

Asiatica Synodus.

Cùm supra capite Polycarpus, considerata, perpensaque fuerunt, quæ sub hoc capite continentur, nil repetendum esse duximus, præter hoc, quod Prouinciæ illæ Polycarpum ad Victorem non destinassent, si eum superiorem non agnouissent, & quod non temerè Victori parere renuerint, sed consuetudini sub Ioanne Apostolo cœptæ innixi, quem doctrina, & prædicatione tamquam Apostolum, Victori imparem non fuisse sciebant.

Polycrates Ephesiorum Episcopus,

Et hoc eodem capite illud idem inculcat, quod supra in Polycarpum demonstratum est; consulat ergo superiora, cùm præsertim inferiùs iterum eadem sit repetiturus. Verùm quod tamquam notata dignum producit parum à nihilo distare videtur, obseruauit enim Polycratem scribentem septem suorum parentum, seu maiorum Episcopos, seque octauum fuisse, ex quo infert Sacerdotibus licuisse vxores habere. Primum enim non comperio in epistola Polycratis verba hæc [suorum parentum] sed suorum maiorum, qui affines, vel eiusdem familiæ esse poterant, & tantò remotiùs arguit, quantò Episcopos illos non dicit in eadem Ecclesia successiòe fuisse. Sed esto, quod vxorati fuerint, antequàm ad Episcopatum promouerentur nonne, qua ratione id fieret in primitiua Ecclesia, cùm de cœlibatu, & coniugio ageremus, demonstratum est euidentissimè?

Episcopi Galliæ, & Irenæus.

Eodem modo, & hoc in capite comprehensis arbitramur satisfecisse, his, quæ in Polycarpo adducta, disputataque fuere, cùm quid Anicetus, quid Iulius, quid Victor Romani Pontifices cum Asiaticis de die Paschatis statuendo scripserint, dixerint, præceperint, explicauerimus. Quid etiam contra Polycarpus, & cæteri, siua voce, siue scripto egerint, inter quos Irenæus, & Ecclesiæ Galliæ, postquam Victori paruerunt, eum admonuerunt, nec tamen ille à suo voto destitit, immò totus ferè terrarum Orbis obedientiam præstans, in eius iuit sententiam, & quamuis Orientales illæ Ecclesiæ Legatum destinuerint, qui omnium nomine rationes, quibus moti obedire recusabant exponeret, non ex hoc auctoritatem neglexisse Apostolicam colligi potens, cùm è tam remotis regionibus legassent talem, tantumque Virum, qui pro eis rationem redderet apud eum, cui obedientiam, & honores, cui omnium maximo Antistiti deferendos esse sentiebant. Et nisi Iudaicum illum ritum sub Ioanne Apostolo seruassent, quem non minorem Romanis Pontificibus in doctrinæ traditione, eiusdemque expositione sciebant, fortasse contradicere non ausugissent huius rei manifestum argumentum Polycarpi legatio, & multorum vtriusque missæ epistolæ, quibus quam semper Romanum Pontificem auctoritatem fecerint cognoscitur. Adde, & causas, per quas potissima eorum de Summa Christi Vicarij existimatione fides fit, voce ab ipsis, multotum epistolis explicatas Irenęi, & Polycratis præsertim qui præ cæteris, acriùs sunt cum Victore egisse, non alias fuisse cur ac eum scriberent, illumque non essent, quàm Ioannem sic seruatum reliquisse, deinde pro re tam exigua Ecclesias illas, ab Ecclesiastica communione priuari non debere. Quarum priori ratione motus Polycrates scripsit se hac parte; Victoris censuris non teneri, vt quas Ioannis Apostoli instituto repugnare existimaret. Sed tu Matthia cum non ignores huius ritus progressum, atque exitum extinctum iam, aliumque eius loco à tota Ecclesia receptum, & si qui in Asia superfuerant, qui illum seruauerunt, in Concilijs Nicæno, & Chalcedonensi abinrasse, quorum & inanibus verbis toties eadem repetis, & in volumen tuum opus augere elaboras, postquam illud vt pollicitus es, testibus veritatis contra Papam complere non potes,

Adnotasti etiam in epistolis ad Victorem, cum de Aniceto, Pio, Hygino, Telesphoro, Sixto mentio fieret, nullo tituli ornatu adhibito, Presbyteros tantùm nuncupatos esse.

Profectò erubescimus his nænijs respondere, se duo iterum imbecilliores discant in eorum gratiam aliquid dicemus. Quantum historis, & præstantiæ Presbyteri nomen, & dignitas habeat, homo iste videtur ignorare, cum nihilo ducat eos, qui in tanto honoris culmine sunt, presbyteros vocari; ac si in Ecclesia munus aliquod illo sublimius esset, aut facultas conficiendi Christi corpus quod ad Sacramentalem attinet actionem, omnibus Christi, & Ecclesiæ institutis non præstet. An nescio Hieronymum, inter presbyterum, & Episcopos vix fecisse discrimen. Et cùm Dauid sacerdotem secundùm ordinem Melchisedech Christum appellauerit, putas ne Prophetam, illi iniuriam intulisse? Qui ergo ad Victorem scribebant cum in eodem sacerdotij gradu essent, quo ille, cæterique suprarnemorati Pontifices, vt separes illis in eo munere ostenderent, quondam etiam familiaritatis aspectu ducti, communi presbyteri nomine, eum aliosque honorabant, non est igitur quod deducas ex huius ad Victorem scribentium nominis appellatione, tantorum Virorum imminutam esse auctoritatem; sed ex hoc quanti semper apud omnes fuerunt diligentiùs attende. Dum Victor, Pius, & reliqui ferè omnes in suis ipsorum Epistolis, & decretis Ecclesiarum omnium curam gerere profiterentur, nemo ex catholicis vmquam extitit, qui eis contradicerent. Ea nominibus verò illis

illis; Papa,& ſanctitas tua ita veſanus ex Matthia, vt Pontificum exiſtimes pendere auctoritatem? Cur eius definientea, declarantes, præcipientes, promouentes, omniaque Chriſti Eccleſiæ neceſſaria perficientes, non obſeruias. Hæc ipſorum propria ſunt. Nomen verò Papæ etiam apud priſcos Patres inter ſe plerumque vſitatum inuenies, quale eſt illud. Papa Aurelius; Papa Auguſtinus; Sanctitatis quoque inter Epiſcopos in eorum Epiſtolis mutuò datum, & acceptum, frequenter reperies. At ſuper omnes Chriſtifideles, ſuper Epiſcopos, Epiſcopus dici, non niſi in Romano rectè obſeruatum comperies, quemadmodum ſupra abundè ſatis demonſtratum eſt.

Romanos etiam Pontifices arguit, & illius Eccleſiæ clerum, qui inter neceſſaria, & adiaphora nullum diſcrimen fecerint, immò eos hominum traditiones Dei mandatis dilectione proximi, & concordia in Eccleſia euenda longè prætuliſſe, cum plurimoſque Doctores illos reprehendiſſe, quia res non neceſſarias vos erint) Cum Romanorum Pontificum decreta, Epiſtolæ definitiones, declarationes quæ apertè demonſtrent,an illi ignorantia laborauerint, & an inter neceſſaria, & adiaphora diſcrimen feceriut,non eſt cur hæc repetens, tempus conteramus, & legentibus ſtomachio ſimus. Sed hæc breui accipe Matthia,quibus vt erudiaris tibi mente retinenda ſunt. Qui dixit Petro, & in eadem ſede ſucceſſoribus, Paſce,& rege oues meas, errantes corripe, & confirma, meritis, vel demeritis aperi, & claude Cælos, ille etiam ſcientiam, qua munus hoc præſtari ab illis poſſit,illi contulit.

Ritus quoque ille Iudaicus, ancta iam Eccleſia, & Synagoga cum honore ad ſepulturam delata, deinceps permitti non debuit. His adde tertium, quod in Hierarchiæ conſeruatione admodum neceſſaria ſit obedientia meritò Hierarchiæ illius præ alijs curam gerere debuit. Permiſerat Anicetus, Diſtulerat Pius,ſucceſſit deindè Victor,qui re,& nomine victor extitit,deq; proteruientibus triumphauit. Saul primus Iudæorum Rex Deo cariſſimus tibi in mentem veniat, qui cùm paruo temporis ſpatio decretam Sacrificij offerendi horam immutaſſet, & præter Domini præceptum Abimelech cum quibuſdam animalibus Sacrificij cauſa conſeruaſſet, tamquam Domini præcepti contemptor à Samuele indignus,ac regno priuatus declaratur. Poſtremò quod tu magni facis Victorem,nempè illorum Doctorum Epiſcoporum, & quidem præſtantiſſimorum admonitiones parui feciſſe tibi documento eſſe poteſt, vt intelligas ſupremam Romani Pontificis auctoritatem, & ſapientiam, qui ea in re adeò prudenter ſe geſſit, vt rerum euentus eum ſupremum, ac ſapientiſſimum comprobauerit.

Cæteris tuis maledictis, non minùs ſtultè ſcriptis, quàm excogitatis, putidum eſſet reſpondere, cùm illa met ſint, quibus tu latrantis more ſæpius pios homines mordere contendis.

Verùm quod in epiſtola Irenæi ſcriptum aſſeris, Eccleſias Gallicanas probè noſſe, in doctrina de adiaphoris, & cæremonijs, & ritibus, minimè veram pietatem conſiſtere prætermittendum non eſt, quinimmò hic nacti occaſionem quemadmodum in huius libri fronte complures chriſtianæ doctrinæ ſententias præmiſimus, ità de his adiaphoris, ceremonijs, & ritibus nonnulla prætermittenda ſunt, vt tua ſubuertantur maledicta. Etenim dementiæ progreſſus es, vt nephas ſit permittere, te vlteriùs ſine Cenſura procedere. Igitur nonnulla digrediēdo in genere afferemus noſtro propoſito,totique operi accommodata deindè ad ea, quæ ſub hoc capite produxiſti reuertamur. Cognita enim in genere alicuius rei natura, facilè de ſingulis in ea contentis, particulatim poſtea diſſerere poterimus.

Et primò ſummopere trimembrem illam traditionum, & rituum partitionem, Diuinam, Apoſtolicam, & Epiſcoporum præſertim Romanorum commendamus, quam vita, & doctrina præcipui Doctores nobis explicatam reliquerunt.Quare à primis duobus huius diuiſionis membris tamquam à dignioribus, magiſque recognitis dicendi ſumemus exordium, tertium poſtremò demonſtraturi.

Præmittimus igitur tamquam omnibus, notiſſimum eſſe, non faciendum diſcrimen inter ea, quæ Chriſtus ſuo ore præcepit, & ea, quæ Spiritu ſancto ſpirante, vel Chriſto præcipiente Apoſtoli tradiderunt. Nam quæ tali ratione executioni mandata ſunt, pari magiſterio, & auctoritate facta eſſe, nemini dubitandum eſt. Quod his verbis Cyprianus confitetur, ſicut par eſt, Spiritus ſancti; & Chriſti Diuinitas, ità in ſuis inſtitutis æqua eſt auctoritas, & poteſtas. Nec minùs tatum eſt, quod dictante Spiritu ſancto: Apoſtoli tradiderunt, quàm quod ipſe per ſe tradidit.Hęc ille. Hinc ſæpè numero inter Epiſcopos, & priſcos Patres accidit, vt quod viuus vocae Domini, alter Apoſtolicam dicat eſſe traditionem. Quod autem præter ea, quæ in Euangelio ſcripta, ſunt Eccleſiæ opportuna temporibus, alia etiam neceſſaria futura erant, ex potiſſimum declaratur, cùm Chriſtus ſe miſſurum Paraclетum promiſerit, manſurum præcipuè cum Eccleſiæ miniſtris vſque ad ſæculi conſumationem, docturum, & ſuggeſturum omnia, quæ Eccleſiæ ſiue neceſſaria, ſiue ad ornatum perpetuò opus erant? Hæc ſunt inquit Chriſtus, Apoſtolis loquens, verba, quæ locutus ſum vobis, cù adhuc eſſem vobiſcum,quoniam neceſſe eſt impleri omnia, quæ ſcripta ſunt in lege Moyſi, & Prophetis, & Pſalmis de me. Et adiecit Lucas. Tunc aperuit illis ſenſum, vt intelligerent ſcripturas.

Iam habes hic, quonam pacto primum Chriſtus in Eccleſia docuerit,& eadem ratione, & cauſa neceſſaria fuerit intelligentię verbi Dei collatio, & declaratio, quam etſi cùm hæc Chriſtus dixerit aſſecuti ſint, plenam tamen,& vndequaque exuberantem tunc adepti ſunt diſcipuli, cum in die Pentecoſtes virtute ex alto induti fuerunt, ſic enim Chriſtus illis promiſerat, quod Spiritus ſanctus præſtare non deſtitit. Multa enim dixit Chriſtus, quæ cùm Apoſtoli portare non poſſent, Spiritum ſanctum illis promittit perpetuò in Eccleſia permanſurum, vt illis, cæteriſque in eorum officio ſucceſſoribus præſto eſſet, docturus omnia, quæ vel non dixerat Chriſtus, vel ſi illa innuerat tempore accomodato, manifeſti-

cis

ĉis declaraturus. Similiter Ioannes Euangelista de Christo dicit. Sunt & alia multa, quæ fecit Iesus, quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere eos, qui scribendi sunt libros. Quod si de factis ita scribitur, quid putas de doctrina, & rituum præceptione credendum sit? Audi Petrum Christi Vicarium, quid inter cætera huius argumenti dicta proferat. Hoc primùm, ait, intelligentes, quod omnis prophetia, scripturæ propria interpretatione non fit. Non enim in voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu sancto inspirante locuti sunt Dei homines. Et Paulus in hanc sententiam hæc habet. Omnis scriptura diuinitus inspirata vtilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia, vt perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus. Quibus apertè patet intelligentiæ traditionem, esse in Ecclesia, eamque necessariam existere. Quemadmodum idem Paulus has traditiones in Ecclesia institutas ac præceptas fuisse ostendit. Ait enim, tenete traditiones, quas didicistis, siuè per sermonem, siuè per epistolam nostram. Et rursùs cætera cum venero disponam. Et Timotheo ait. Nemini citò manus imposueris. Et alibi, perambulabat Paulus Syriam, & Ciliciam confirmans Ecclesias, præcipiens custodiri præcepta seniorum. Et quamuis ex his, quæ in nouo testamento legimus, traditiones, cæremonias, & ritus semper in Ecclesia fuisse in pretio deprehendamus, tamen vt hæc veritas mentibus hominum magis, ex magis inhæreat aliquid ex veteri lege percurrere visum est.

Pugnante populo Iudaico cum Amalech, non ne cùm Moyses manus eleuabat, victor erat Israel: Illis verò demissis Abimelech eum opprimebat? Et Iosuè præcipitur suis manibus eleuare Clypeum contra vrbem Hai, quoniam hoc pactò Deus se illam doctorum pollicebatur. Et ne cæremonias omnes, & ritus Christi aduentu completos, sublatosque esse asseras, Christus ipse nos instruens, & illa Ecclesiæ congrua esse ostendere volens, sæpius cæremonijs vsus est. Curaturum Surdum, &
Marci 7. Mutum digitos in aures misit. Cæci nati ocu-
Ioan. 9. los sputos liniuit, & eum ad aquas Siloe
Lucæ 17. ablnendum misit. Leprosos Sacerdotibus se oblaturos iuxtà legem Moysi mittit. Lazarum
Ioan. 11. non nisi præmisso fletu, oratione, & clamore
Ioan. 13. suscitauit. Sacratissimam Cœnam pluribus cæremonijs perfecit. In horto nunc genuflexus, nunc prostratus orauit. Post resurrectio-
Lucæ 22. nem sufflando, discipulis Spiritum sanctum dedit.

Paulo, & Barnaba ad munus prædicationis destinatis Apostoli manus imposuerunt. Cur miratis igitur Matthia, priscos patres cæremonias, & ritus approbantes, ac suadentes, cùm Deum in veteri, Christum in nouo testamento illarum vsus in Ecclesia inuenteres fuisse comperis. Si verò non illas, quas audisti cæremonias, sed illas, quas præcipui Doctores probant abhorres, qua ratione moueatis perpende. Nam quæ causa, seù ratio, vel à quouis perfido afferri potest, qua Patres illi Apostolotum discipuli, qui pro fide Christi, eiusque doctrina mortem appetierunt, voluerint postmodum falsa referre, & Ecclesiæ Pastores, quinimò totum Christianum gregem, quam ipsi probè nouerant, sanguine Christi redemptum esse, decipere? si illis referentibus, quæ à Christo, & ab Apostolis audierunt credendum non est, quibusnam erit adhibenda fides? Sed dicet fortasse, Matthias Apogrycha sunt omnia, quæ vos Papistæ patribus illis tribuistis. At nos vicissim respondemus, quod si Apocrypha sunt illa, & Apocryphi erunt illi Doctores, quibus iste tantam fidem præstat, qui potissimùm de his agunt, easque suadent, & priscorum Patrum dicta commemorant, illorumque esse testantur. Apocryphus erit Tertullianus, Origenes, Clemens, Alexandrinus, Cyprianus, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, Hilarius, Chrysostomus, qui omnes cum multis alijs hac in re sibi consentiunt. Demum brutis simillimū esse dicimus eum, stultèque sapere, qui proborum virorum testimonijs pro arbitrio obiectis, sibique fidere malunt, vt sul malè affecti ingenij proteruitatem sequatur.

Quæ verò præter hæc de traditionibus, cæremonijs, & ritibus dici possent, cùm potissimum ad sacramenta conferenda pertineant, illis in locis de eis disseremus, in quibus Matthias blasphemijs, tunc nos prouocabit.

Porrò his, quæ supra dicta sunt de cæremonijs hæc addimus, quæ considerari ab omnibus vehementer cupimus. Non solùm cæremonias quemquam suscipere, & venerari teneri, vt debitum obedientiæ munus exequatur, verùm etiam quia maximè conferunt ad insitam superbiam, ac temeritatem deprimendam, illisque etiam quasi per gradus ad diuina capessenda euehimut. Animus enim noster adeò huius mundi curis implicitus est, vt nisi his exterioribus actibus incitetur, facilè prolabatur. Inuisibilia Dei, inquit Paulus à creatura mundi per ea, quæ facta sunt intellecta conspiciuntur. Et postremò cùm nos corpore, & animo, Deum offendamus, æquum est, vt vtrumque debitis officijs Deo se addicat, ac instar holocausti illi se offerat, & exhibeat.

Sed his iactis, deuenio ad caput de Ecclesijs Galliæ, & Irenæo, vudè consultò digressi sumus, vt quæ in eo capite continentur, faciliùs in sequentibus reprehendi, eò conuinci possint. Quamuis per multa iu eo repetita inueniantur, quæ superiùs præsertim sub Petri, & Polycarpi capitibus declarata reliquimus.

[Quod Papa nondum sese ità in altum extulerat, vt non liceret alicui Episcopo monere eum, & liberiùs arguere] Quod tu ineptè efferri vocas; sapientes deprimi appellant. Nàm tunc auream, imò Diuinam, & in altum euectam primitiuam illam Ecclesiam fuisse dicitur, cùm Romani Pontifices erga subditos, sibique obsequentes partem tantùm, Christi humilitatem sectantes, agebant; At cum non eò peruentum sit, vt illos Iudicem agere, & quidem seuerum, & virga vel ferrea nostris exigentibus meritis opus sit, tantò illorum statum humiliorem affectum esse iudicauimus, licèt tu elatum arbitreris, quantò paternus affectus, à Iudicis ratione distat. Quod eleganter Augustinus paucis complexus est. Cum peccamus inquit; Iudex

Hh est,

est, quam regulam eius Vicarium à principio nascentis Ecclesiæ obseruasse conspicimus. Quo in statu, nullum vmquam Romanorum Pontificum legimus admonitiones bono zelo factas abhorruisse. Quinimò si qui fuerint, siuè Episcopi, siuè cuiuscumque gradus essent, qui optimo zelo moti, & secundùm scientiam eos monerent, boni consuluisse, & sæpè numero præmijs, & honoribus illos honestasse. Quod autem addis [Traditiones hominum mandato Dei de dilectione longè præfuerunt, & concordiam in Ecclesia seruandam negligunt.]

Si in vniuersum illud dicis, non video quid stultiùs proferri possit: nam clarè constat omnia recto ordine in Romana Ecclesia seruari, tàm quæ primi ordinis iuris Diuini, quàm quæ secundi sunt, siuè traditiones, siuè cæremoniæ illæ sint, vt iam diximus. Si verò de concordia cum Asiaticis loqueris, satis tibi superiùs factum est. Huius tamen rei descriptionem omnem hoc axiomate poteris terminare. Deo gratiorem iucundioremque esse obedientiam, quàm holocausti oblationem, nec ab re, cùm cœlestes, ac terrestres Hierarchiæ potissimum obedientia sustenretur, sine qua, & ipsæ, & omnia ruerent. Per vnius etiam inobedientiam omnes peccatores constituti sumus, & per vnius obedientiam reparati.

Hæc potissimum Victorem monit, ne cum Asiaticis, illam, quam concordiam vocas, iniret. Illa enim particularis concordia vniuersalem totius Ecclesiæ armoniam obedientia conseruatam, & fultam dissipasset Quam vis aliæ non defuerint causæ, quibus ille ritum iudaicum, quem ad tempus Ioannes permiserat non esse retinendum iudicanerit, quibus etiam Doctores eum monentes, licèt eius obedientiæ priùs se subiecerint, hac in parte audire non debuerit, non deerant enim apud Victorem Christi Vicarium, qui aliter sentirent, & ipse etiam optimè nouerat aduentu, & morte Christi omnes Iudaicos ritus abrogatos esse, reique executionem, & effectum sibi ex officio incumbere, & vt optimus Pater, & Princeps multò melius quid subditis opus esset comprehenderet, quàm alij, quibus sæpè numero, non omnia, quibus Princeps deliberat, & agit perspecta sunt, verùm quod Ecclesijs Gallicis notum fuisse dicas discrimen inter necessaria, & adiaphora, ritus, & cæremonias non contradicimus. Ecclesiæ namque Romanæ, veluti omnium Matri, idem notissimum esse, eius decreta amplissimè demonstrant.

Sed quod veram in his pietatem non esse existimes, non patimur. Nam quanta in illis pietas, quantoque sint affectu amplectendæ, Tridentinum Concilium aperit, & docet, quemadmodum etiam Romana Ecclesia instructi inter pietatis opera, discrimen, vt par est, faciendum esse non negamus.

Refert etiam [Irenæum contra quasdam nouitates, & schismata scripsisse, qua propter minus esse credendum, quod Irenæi opera in his egerit.] Immemor Matthia verborum Pauli (qui nos omnes vnum corpus conficere, omniaque membra ad obsequium capitis esse parata, & se se vicissim iuuare, sibique compati affirmat) vnitatem potius Ecclesiæ aliud sentiens fateris, quàm illi detrahis. Cum enim scripsit Irenæus, scripsit & Dionysius. Scripsere Cyprianus, Augustinus, cæterique innumeri aduersùs hæreses non agnoscis omnes Doctores, & Discipulos, cum eorum Doctrina, & disciplina, quasi ad arcem tuendam, & in capitis obsequium à Spiritu sancto vocatos esset. An non omnes in hac Monarchia, & Monarcha defendendo, suum debere exercere munus, & operam præstare congruentem? Non enim propterea demonstrari potest in Romana Ecclesia Christianam doctrinam, & traditiones defecisse, aut deficere, cum illa semper Christi ope, in Ecclesia permanserint, permaneant, permansuraque sine vsque ad finem sæculi. Scripsit quidem Irenæus, scripserunt, & alij, vt vineam Domini ab ijs, qui suis hæresibus eam deuastare, vel saltem inficere moliebantur, vindicarent. Pari ratione moti nos contrà te, cæterosque centuriatum auctores scribimus, quorum omnium futuros labores tu tibi vnus arripiens monstrum tuum primum effinxisti, ve illius tabifico flatu integras, intactasque fidelium mentes corrumperes. Quamobrem ve falsa omninò, & nimis stulta tua illatio reijcienda est.

Eodem capite ais. [Erasmus scribit Irenæum ità loqui, vt qui nullum purgatorium sciuerit] Debuisset & loca, & verba producere, in quibus Erasmus de Irenæo, ità sentit, verùm quidquid ipse dicat flacci facimus, cùm modicam, aut nullam in his illi fidem adhibeamus. Irenæus tamen si te, tuæque classis sectatores de purgatorio malè sentientes audisset, ità acriter in vestram omnium petulantiam inuectus esset, quemadmodum disertè contra sui temporis hæreses scripsit, in quibus cum nihil contra purgatorium proponeretur, extrà omne negotium iudicauit, rem certam, quam omnibus notam, ratamque esse existimabat ex proposito in disceptationem reuocare.

Quod verò eumdem Irenæum asseras locum Gen. 3. ità legentem, Semen contriturum caput serpentis, non autem mulierem, cum nihil ad nostrum institutum faciat, & vterque sensus optimus sie, non est cur ille reprehendi debeat, sed dum referente eodem hæreticam Diaconi cuiusdam vxorem futuram esse probare conaris, Diaconos eo tempore vxores habuisse; his, quæ supra de coniugio dicta sunt, iam te deuictum reliquimus, nec est, quod rem perspicuam iterum in dubium reuocemus.

Postremò, dico virulenta dicta, quæ à se non fuisse prætermittenda, dicit, nostrum est ità diluere, vt pius lector huius monstri rabiem pari ignorantia confæderatam agnoscat.

Primum ergò illud erit, quod & sub capite Petrus proposuit [Irenæi verbis conijci imò apertè inferri posse Romanum Pontificem esse Antichristum propterea, quod exponens Thoa; de nomine Antichristi illud latinum forè asseruerit, & propterea Romanus Pontifex, qui in Latio dominatur Antichristus censeri. Alterùm verò ex quibusdam Irenæi dictis, quæ infrà adscribam, desumptum, in D. Petrum tendit, cum eum Romanum Episcopum non fuisse, neque anni-

gintiquinque Romæ commoratum probare velit.

Iam repetit in vltimo eius capitis loco, quod in capite Sanctus Petrus produxerat, Episcopum Romanum Antichristum esse, eò quod in Latio dominetur sumpta ab Irenæo occasione, qui locum Apoc. exponens, in quo de nomine Latino fit mentio, literas, quibus Antichristi nomen conficitur numerum sexcentorum sexaginta sex significantes, perpendit. Ego autem & si non ignorem hæc à te vt popularia, & ridicula potiùs esse conficta, quàm credita, tamen præter ea, quæ in supradicto capite tibi apposui, quibus non dubito tuam vel ignorantiam, vel malitiam detexisse, hìc etiam occasione numerorum non nihil in tyronum gratiam dicemus. Sed priusquam numerorum, & nominis rationem eodem loco apud Irenæum, contentam demonstremus, quis & vndè erit Antichristus in genere quærendum, imò repetendum erit, vt cætera deindè faciliùs innotescant.

Hieremiam igitur Irenæus, hoc pacto introducit. Hieremias non solùm subitaneum eius aduentum, sed & tribum, ex qua veniet manifestauit dicens: Ex Dan audiuimus vocem velocitatis eius, à voce hinnitus decursionis equorum eius, commouebitur tota terra, & veniet, & manducabit terram, & plenitudinem eius, & ciuitatem, & qui inhabitat in eam, & propter hoc non annumeratur hęc Tribus in Apoc: cum his, quæ saluantur. Et addit. Certius ergo, & sine periculo est, substinere adimpletionem Prophetiæ, quam suspicari, & diuinari nomine quælibet, quando multa nomina inueniri possunt habentia prædictum numerum. Et nihilominùs quidem erit hæc eadem quæstio. Si enim multa sunt, quæ inueniuntur nomina, habentia numerum hunc, quòd ex his portabit. Qui veniet quæritur. Quoniam non propter inopiam nominum habentium numerum nominis eius dicimus hæc, Sed propter timorem erga Deum, & Zelum veritatis. Hæc Irenæus eodem loco. Quibus iam intelligis Antichristum Iudęum ex Tribus Dan reprobatum venturum, idque ex Hieremię vaticinio deductum Collige ergo ex his, an vllus vnquam Romanus Pontifex fuerit, aut sit ex illa Tribu. Quod si futurum dixeris, oportebit ex ea tribu esse, & nomen quoque habere, quod numerum sexcentorum sexaginta sex contineat, sed quidquid hoc omnium in hac parte stultissime Matthia ad Latinos attinet, quibus nihil commune est cum tribu Dan, & sola numerorum ratio, quæ omnibus linguis conuenit competere potest. Sed strictiùs rem indagemus, vt tua ridicula commenta faciliùs ruant. Si Irenæus, qui græcè fortasse scripsit, sicut & Apocalypsim Ioannes in eodem loco, postquam ex Tribu Dan, ex qua venturum Antichristum probauit, ad eius nomen demonstrandum peruenit, cùm eadem ratione plurima, quod ad numerum attinet, inuestigasset, cur tu verbum, Latinos potiùs, quàm alia obseruasti, cum non ignores etiam Irenę nomina illa produxisse, ad ambiguitatem, & difficultatem potiùs auferendam, quàm nomen Latinos, tamquam ad propositum inferendum aptum se legisse. Ne verò tibi in aliquo detraham, verba Irenæi subiungam, vt illis perpensis, quæ nam fuerit eius opinio intelligatur. Quamuis illa, quæ circumferuntur latinè scripta, siue è græco in latinum traducta, adeò dura sint, vt verborum sensus multis in locis vix colligi, & percipi possit, quemadmodum in hoc fortasse eueniet, ne tamen vitemus, quod tu tanti facis contenti fuimus illa referre: Igitur post illa, quæ supra allata sunt verba, hæc continuò sequuntur. Euan enim nomen habet numerum, de quo quæritur, sed nihil de eo affirmamus, sed, & latinos, nomen sexcentorum sexaginta; Sex numerum valdè verisimile est, quoniam verissimum regnum hoc habet vocabulum. Latini enim sunt, qui nunc regnant, sed non in hoc nos gloriabimur. Sed & *Teitan*, prima syllaba per duas græcas vocales *e*, & *i* scripta omnium nominum, quæ apud nos inueniuntur, magis fide dignum est. Etenim prædictum numerum habet in se, & literarum etiam sex singulis syllabis, externis literis constantibus; & vetus, & semotus. Neque eorum regnum, qui secundùm nos sunt aliquis vocatus est Titan: Namque eorũ, quæ publicè adoratur Idolorũ, apud Græcos, & Barbaros habet vocabulũ, & Diuinum putatur apud multos esse hoc nomen, vt etiam sol Titan vocetur ab his, qui nunc tenent, & ostentationem quamdam continet vltionis, & vindictam inferentis, quod ille simulat se malè tractatos vindicare. Tale autem, & antiquum, & fide dignum, & regale; magis autem tyrannicum nomen. Cum igitur tantum suasionum habeat hoc nomen, Titan, tamen habet verisimilitudinem, vt ex multis colligamus; ne forte Titan vocetur, qui veniet. Nos autem non periclitabimur in eo, nec asseuerantes pronunciabimus, hoc eum nomen habiturum, scientes quoniam si oportet manifestè præconari præsenti tempore nomen eius per ipsum vtique editum fuisset, qui & Apocalypsim viderat. Et pauld post. Cum autem vastauerit Antichristus hic omnia in hoc mundo, regnans annis tribus, & mensibus sex, & sederit in templo Hierosolymis, tunc veniet Dominus de Cœlis in nubibus in Gloria patris, illum quidem, & obedientes in stagnum ignis mittens, adducens iustis regni tempora, & reliqua. Ex quibus quid colligi potest quam nomen *lateinos* per *ei* scriptum, eum numerum contiuere, quem Ioannes dicit Antichristi nomen contentutum. Si enim nomen illud græcè scriptum hoc pacto *lateinos* consideres, literarumque cùm sigillatim expendes, supradictum numerum inuenies, quod vt faciliùs intelligatur apponam literas distinctas, eorumque apud Græcos vim obseruatam subiungam.

Λ Α Τ Ε Ι Ν Ο Σ

30. 1. 300. 5. 10. 50. 70. 200. quas omnes notas, vel arithmeticæ ignarus, si in vnum conferat sexcentorum sexaginta sex numerum efficere cognoscet. Idemque euenire in voce *Teitan* perpendenti non erit obscurum, vt *eyan* tamquam malè translatum omittamus; quod quidem Antichristo aptiùs conuenire Irenæus asserit, idemque compluribus alijs vocibus, vel græcè, vel latinè scriptis obseruatu facillimum est. Quod cum ità res se habeat, miror cur tu ex tot vocibus ab Irenæo allatis, & Antichristo congruentibus,

vnam præ cæteris *latein os* elegeris, quæ non tem singularem, vel vniuersum genus demonstrat, diciturque à grammaticis ea ratione appellatiua; nec te adductum respondeas Irenæi auctoritate, qui græco, & latino tantùm sermone hunc numerum significare voluit, licèt enim quamuis lingua nomen aptari possit, quo idem numerus denotetur, latino tamen, & græco dumtaxat idiomate expressit, tamquam omnibus præsertim sua tempestate notius, & communius. Quare dum rectiùs considero te fecisse arbitror, quod innatum, cæptumque tua culpa odium demonstrares, quo immeritò Latinos prosequeris.

Habes igitur ex hoc Irenæi loco nomen gentis, Tribus, ex quibus Antichristus oriturus erit, habes & tempus in vniuersum, quo venturus, & in specie quo regnaturus erit, quæ cùm nullo prorsùs modo Episcopo Romano conuenire, coaptarique possint, imò omnino contraria sint, quonam stultitiæ genere, quo leuitatis stimulo perculsus ex verbis tanti viri longè aliud sentientis illum Antichristum appellari, alijsque hoc ita esse persuadere conaris? Quare si hæc satis tibi oppositum non videntur demonstrasse, superioribus adnecte, quæ à nobis producta sunt, dum idem quasi inextricabilem nodum dissoluendum nobis offers, & facilè cognosces, quò te tua perduxerit dementia. Quid autem supradictus numerus significare possit, cùm præsentis instituti non sit perscrutari, aliò se nostra conuertet oratio. Interim satisfuerit quod ad Antichristum spectat innuisse, quod cum venerit homo ille filius perditionis, Christi gloriam, ac maiestatem vsurpaturus, eo nomine illis numeris explicato vtetur, & suam fallacem potentiam, atque auctoritatem ostendens hominibus terrorem, ac pauorem incutiet.

Illud verò quod omnium postremò sub hoc capite ex Irenæo subiunxit, falsò dedncens Petrum non fuisse Ecclesiæ Romanæ Episcopum non est omittendum, sic enim inquit.

[Cæterùm de Romana Ecclesia scribit Irenæus in hæc verba. Fundantes igitur, & instruentes, Beati Apostoli Ecclesiam Romanam Lino administrandæ Ecclesiæ tradiderunt. Non igitur vigintiquinque annis Romæ Petrus sedit] Et post quædam more suo maledicta subdit [sed erudiuit tantùm non nihil illam Ecclesiam, sicut & alias infinitas.]

Cùm tu initio tituli Sanctus Petrus asserueris, quid de Petri Romani, vel Episcopatu, vel Papatu sentiendum sit alibi prolixè, præsertim in historia sextæ Synodi Chartaginensis te declarasse, aptiori loco, & suo tempore Synodum illam, & tua dicta afferemus, hic verò sat erit paucis demonstrare quid senserit Irenæus, & quid hoc loco verbis tuis debeatur, præcipuè cùm supra opportunæ, ac fusiùs hoc demonstratum reliquerim.

Et si Matthia, iuxtà tuum institutum locum Irenæi non attuleris, fortasse quia ibidem eiusdem Irenæi verba annexa sunt, quæ tibi non arrident, scias ante verba abs te allata hæc præcedere.

Sed quoniam, inquit Irenæus, valdè longum esset, in hoc tali volumine omnium Ecclesiarum numerare successiones, maximę, & antiquissimæ, & omnibus cognitæ à gloriosissimis duobus Apostolis Petro, & Paulo Romæ fundatæ, & constitutæ Ecclesiæ, eam, quam habet ab Apostolis traditionem, & annunciatam hominibus fidem, per successionem Episcoporum peruenientem, vsque ad nos iudicantes, confundimus omnes eos, qui quoquomodo, vel per suam placentiam malam, vel vanam gloriam, vel cæcitatem, & malam sententiam, præterquam oportet, colligune. Ad hanc enim Ecclesiam, hoc est eos, qui sunt vndique fideles, in qua semper ab his, qui sunt vndique, conseruata est ea, quæ est ab Apostolis traditio. Hæc Irenæus eodem in loco. Quæ an cum tua satyrica doctrina congruant, remoto obstinato obice considera, & respice. Sed tu his de industria prætermissis, tantumquę sequuntur nuda verba adscripsisti, non tamen adeò fideliter, quin verbum Romanam non addideris: nam Irenæus hæc tantùm verba post supradicta continuò subiecit. Fundantes igitur, & instruentes Beati Apostoli Ecclesiam, Lino Episcopatum administrandæ Ecclesiæ tradiderunt.

His tamen Irenæi verbis Leo secundus successor Agathonis Papæ respondet, cum de Clemente in sua decretali Epistola sic ait. Si autem Petrus Princeps Apostolorum adiutores sibi asciuit Linum, & Cletum non tamen Pontificiam potestatem, aut absoluendi, ligandi normam eis tradidit. Sed Clementi successori suo, qui sedem Apostolicam post eum, & potestatem pontificalem tradente sibi D. Petro Apostolo tenere promeruit, Linus verò, & Cletus ministrabant exteriora. Princeps autem Apostolorum Petrus, verbo, & orationi insistebat Linum namque, & Cletum nihil vmquam legimus ex Pontificali ministerio quò ad potestate sattigisse, sed quantum eis à Beato Petro præcipiebatur solummodò agebant, quinimò Marianus Scotus narrat Linum, & Cletum post Petri Martyrium simul cum successore Clemente eisdem curis abdictis duodecim annos egisse, & post eos nouem alios annos, vsque dum in exilium missus fuit. Quod si hæc tibi satisfacere non videntur, consule, si credis suprà Anacletum, quiClementem post Petrum, & sui antecessorē affirmar, nec non eumdem Clementem in sua Epistola supra prodncta. Et cùm Pontificum omnium scripta, & decreta sancita, & præcepta vides Linum verò, & Cletum nihil horum ausos fuisse, exploratum tibi reliquerunt eorum ministerium, circa exteriora versatum fuisse: Quod si adhuc hæsitas, erige mentis oculos, & saltem perpensis omnibus, humana prudentia delibera, si enim hoc pacto se res non habet, qua ratione fingere potest Petrum Ecclesiam Romanam fundasse, & constituisse, sicut innumeras alias, vt tu inquis, cum videas eam Irenæi sententia omnibus Ecclesijs eminere, ac principem agere, si enim esset sicuti vna ex innumeris, vt tu ineptè proteruis, cur Irenæus huic primas dedit? Cum igitur non ex Lino Romanæ Ecclesiæ hoc contingere posset, cùm Apostolus non fuerit, neque illi, ex eo quia fundata erat,

erat ab Apostolis, qui innumeras alias constituerant, euenire poterat. Relinquitur non ob aliam causam id sibi conuenire, nisi quia Petrum Principem, ac Principum Pastorem habuerit visibilem sponsum, à quo & nomen, & dignitatem Romana Ecclesia sortita est, & quod non locus Petro, sed Petrus loco,& nomen, & dignitatem confert. Cætera verò, quæ aduentum, Incolatum, & obitum Petri aptissimè declarant, supra fusiùs demonstrauimus, nactique occasionem inferiùs etiam confirmabimus.

Et Irenæum in hac parte, aut ita declaratam intellige,aut si id non capis scias tibi non licere Irenæo tuo arbitrio vti, vbi innumeros Ecclesiæ Doctores habes, qui aliter de re hac, quàm tu sentiunt.

Concilium Elibertinum, & Constantinopolitanum.

Sub isto capite plura immiscet testimonia, ac de imaginibus, & reliquijs sanctorum, earumque cultu multas fuisse olim in Ecclesia contentiones commemorat: Et eorum, qui eas damnauerunt, nonulla hoc in loco demonstrat, reliqua verò opportuniori loco memoranda relinquit. Quæ autem hic memorantur sunt Concilium Elibertinum, & Constantinopolitanum,nec non aliquot Constantinopolitani Imperatores, depressis tamen nominibus.

Nos verò institutum nostrum prosequentes, etiam ne eadem sæpiùs repetantur illa differemus, quæ ipse distulit, & illa memorabimus, quæ ipse hic esse demonstranda decreuit.

Concilium Elibertinum sic habet. Placuit picturas in Ecclesia esse non debere, ne quod colitur, aut adoratur in parietibus depingatur.

Primùm enim isto Concilio satis constat prisco illo tempore imagines non fuisse omnium consensu, vt inquit, receptas, sed potiùs in vsu, ac tantùm prohiberi in Ecclesiarum parietibus indecenter depingi, ne vetustate deturpatæ transeuntibus causa essent irrisionis; & despectus, quod quidem ex assignata causa satis constat. Ait enim Concilium. Ne quod colitur; & adoratur in parietibus depingatur. Quod si Concilium istud imagines prorsus tunc auferendas dixit, causa exigente fieri potuit opportunè, accidere enim eo tempore, quod Ezechiæ Regi accidisse legimus. Vt quoniam serpentem æneum ipso signo Iudæis datum, veluti numen quoddam adorarent, ac illi incensum adolerent, priùs ille Rex, vt causam Idolatriæ ad quam Iudæos pronos esse videbat, auferret, illum confringi iussit.

Adde etiam quod cùm Ecclesia articulum istum tunc non declarauerat, nec homines instructi essent, qua ratione imagines adorandæ Concilium illud suæ prouincijs prospiciens, id ad tempus vetuit, quod posteà Oecumenicum Concilium tempore Constantini Magni perpetuò obseruandum esse declarauit. ac statuit.

Et cùm Concilium Constantinopolitanum Imagines prohibens non inueniretur Matthias more suo nulla prorsus habita ratione, quod plura essent Constantinopolitana Concilia, indiscriminatim vnum Constantinopolitanum imagines vetasse falsò asseruit. Nisi fortasse quia sexta Synodus turpes imagines non pingi præcepit, omninò imagines vetitas esse credat. Sic enim habet facilè sensus corporis, quæ sua sunt in animam deriuant: picturas igitur oculorum præstigiatices, siue in tabulis, siue aliàs propositas, & mentis corruptrices, & supplantationum ad turpes voluptates in cicatrices, sancimus vt nullatenus in posterum pingantur. Si quis autem hoc fecerit excommunicetur.

Et quamuis liquidò hic constet turpes dumtaxat imagines prohibitas esse non autem alias, præsertim, quæ Diuorum honorem, & nomen, & illustria facta commemorant, tamen, vt omnis dubitatio, aut calumnia è medio tollatur, lege, & perpende, quid hæc eadem sancta Synodus de imaginibus narret, & statuat; sic enim inquit.

Præter venerabilium imaginum picturas Agnus digito Præcursoris monstratus depingitur; qui in figuram receptus est gratiæ, adumbrans nobis verum illum per legem Agnum Christum demonstratum. Antiquas ergo illas figuras, & vmbras, velut quasdam veritatis notas, adumbrationesque Ecclesiæ traditas vindicantes gratiam eidem præponimus, & veritatem hanc, vt legis complementum suscipimus. Itaque quod iam quidem, re perfectum, pictorum artibus ante omnium oculos reperiebatur, & pictura illius Agni Christi Dei nostri, qui tollit peccata mundi, vt humanus character valet exprimere, & in imaginibus in posterum pro vetere Agno erigendam sancimus, per quam humilitatem Dei verbi contemplamur, & velut manu ducimur ad memoriam illius conuersationis in carne, & passionis, eiusque mortis salutaris; & redemptionis, quæ hoc pro mundo facta est. Hactenus canon. Quo tantùm discrimen esse voluit inter imagines præfigurantes, & Christum ipsum præfiguratum, vt quis suo loco, & conuenienti forma pingeretur.

Aliud verò Constantinopolitanum Concilium non extat, quod imagines vetuerit, quinimò ne verbum quidem huius argumenti in illis apparet.

Quod verò nonnulli Imperatores perperam de imaginibus senserint non ignoramus. Sicut etiam in memoria habemus, illos pœnas condignas dedisse. Nam Leo III. à Concilio Romano sub Gregorio II. communione fidelium, & Imperio priuatus fuit, quo sublato Constantinus filius patre deterior successit, qui impœnitens vita functus, descendit ad inferos. Cui successit filius Leo; qui quamuis Patri non esset dissimilis, pietatis tamen suæ matris Irenes; eo mortuo, ac cum filio suo Constantino Imperium tenens, interueniente Adriani Papæ auctoritate, & consensu, in Nicæna septima Synodum coegit, in qua tertio loco, multis decretis error contra imagines retinendus, damnatus est. Quæ quidem damnatio sic habet. Oportet Ecclesiasticas traditiones,siue scripto,siue consuetudines in Ecclesia retentas; quarum de numero est imaginum effiguratio, quibus in hoc vtimur, vt recordemur, & effectum amplectamur, res significatas vnanimiter ob-

ser-

seruare quodque huiusmodi imaginibus honor debeat exhiberi, non quidem ille, qui Deo debetur, quam latriam appellant, soli que creatori, à creaturis omnibus debet exhiberi, sed tantùm, qui in recordatione, quemadmodum, & typo reuerentis, & viuificantis crucis, & sanctis Euangelijs, & reliquis sacris oblationibus suffitus facimus, luminaria reuerenter accendimus, prout veteribus piè hoc in consuetudinem fuit, sic enim sanctorum nostrorum Patrum putamus obtinere disciplinam, & traditionem Catholicæ Ecclesiæ, quæ à finibus vsque ad fines euangelium suscepit, hæc Synodus.

Quod si hæc proteruo satis non sunt, attendat, quid eadem Synodus septima actione statuerit. Venerandas imagines ex quauis materia commodè paratas, & in templis sanctis collocandas, habendasque tùm in parietibus, & tabulis, tùm ædibus priuatis, maximè imaginē Domini Nostri Iesu Christi & Deiparæ Virginis, venerandorum Angelorum, & omnium deindè Sanctorum, quos scilicet per hanc imaginem pictnram omnes si contemplentur ad prototyporum memoriam, & recordationem, & desiderium veniant, illisque salutationem, honorariamque orationem exhibeant, non veram latriam, quæ soli Diuinæ naturæ competit, sed quemadmodum typo venerandæ crucis, & sanctis Euangelijs, & reliquis oblationibus, suffitus, & luminaria accendimus ex veterum traditione.

At postremò condemnat omnes contrarium sentientes, aut docentes. Quibus satis constat non modò imagines retinendas esse, verùm etiam quo cultu venerandæ sint, demonstrant. Et vt huic titulo, & istius commentis finem demus, nec non hoc sacrum de imaginibus institutū obsignemus. Quibus verbis libros contra vsum imaginū eadem Synodus damnauit, adscripsimus. Omnes, inquit pueriles nugas, & insanas debacchationes, falsas scilicet scripturas contra venerandas imagines compositas oportet afferre in domo Episcopi Constantinopolitani, vt eum exteris hæreticis libris reponantur, sed de his suprà fusiùs.

IVSTINVS MARTYR.
Cap. 2.

Ex sententijs D. Iustini martyris, quas à maiori sua Apologia iste desumpsit, arbitratus est duo potissimum potuisse inferre, nimirum propter baptismum, & Eucharistiam à Christo alia sacramenta minimè esse instituta, nec non despicit alias, quas vnctiones appellat, ac ob id suam religionem extollit, quod per omnia huic instituto se simile exhibet. Nos verò & si in progressu huius operis pluries data occasione de his agere cogemur. Attamen hic non esse prætereundum iudicauimus, quin minùs peritos horum tantùm moneamus, quantum hoc in loco argumenti natura, & Matthiæ versutia nonrequirit, & ad dicendum nos excitat.

Sed primum omnium istum virum latere non debuit, locum ab auctoritate negatiuè minimè valere; ac ob id inferri non posse ex Iustini sententijs, nempè præter illa duo alia Sacramenta, alia non esse, quoniam alia ibi non commemorantur, Et cùm Iustinus non de sacramentis in illa maiori Apologia agat, sed Christianam Religionem tueatur, sat fuit illi duo illa potissima sacramenta explicare, quæ cæteris præstant, & hominem regenerandum, filiumque Dei reddere possunt. Baptismus scilicet quo renascimur, & Eucharistia, quo in noua vita conseruamur, ac opera vitæ exercentes secundùm iustitiam augemus, ac futuram illam Diuinam vitam promeremur.

Et cætera sacramenta communitati conseruandæ, ac singularibus iuuandis, & protegendis opportuna sint, Iustino in illa Apologia, qua Christianam Religionem extollit, atque tuetur, non opus erat singula, quæ quoquomodo religioni inseruiunt pertractare, si enim de robore de secunda tabula naufragij de morte, de ministerio altaris expositio egisset, & alia sacramenta his necessaria omisisset, Matthiæ aliquid fortasse suspicari licuisset, sed cum alio Apologia tenderet sat fuit Iustino innuisse illa duo sacramenta, quibus patet ingressus ad religionem suscipiendū & nouā vitam sustentandam, auctaque Iustitia in Christiana militia, ac Strennus, & Victor regeneratus coronæ iustitiæ donatur, & Diuinam hæreditatem assequitur.

Postremò verò quasi perorans, infert nullam tunc temporis confirmationem, ant innnctionem, nullam tunc Missam, aut sacrificium pro peccatis celebratum fuisse, ac demum illam antiquissimam Ecclesię formam prorsus cum sua instaurata Ecclesia conuenire.

Præter ea, quæ supra demonstrata sunt, & infra opportunè dicturi sumus in tyronum gratiam hoc loco aliquid etiam innuemus de his, quæ iste homo ab illa primitiua Ecclesia aliena fuisse posuerit.

Et primò de Baptismi ritu, deinde de confirmatione, postremò verò de Missa, & sacrificijs.

Vnctionem in Baptismo, quam Iustinus tacuit longè anteà ex doctrina Petri Apostoli Clemens in Ecclesia introduxit. Ait enim in epistola tertia ad omnes fideles. Baptizetur, inquit, vnusquisque nomine trinæ beatitudinis, innocato super se, perunctus primo oleo, per orationem sanctificatus, vt ita demum per hoc consecratus percipere possit locum cum sanctis. Hæc Clemens. Quem etiam ritū Dionysius Areopagita à SS. Apostolis præceptoribus suis per traditionem dominicam accepisse affirmat.

Quid verò post Iustinum de ista innunctione dixerit Diuus Ambrosius, cui, & meritò, Matthias tantùm tribuit, audiamus.

Considera, inquit, cum recenter baptizatus loquens quid videris, quid locutus sit, considera, repete diligenter, occurit tibi Leuita, occurrit tibi Presbyter, vnctus es quasi Athleta Christi, & quasi eum hoc seculo luctatutus.

Et D. Hieronymus in Amos propheta, & epistola ad Rusticum meminit olei, & chrismatis in baptizatis. Et Cyprianus vna cum Concilio ad Honoratum, Rogatianum, & Antonianum scribens, ait. Vngi necesse est eum qui baptizatus sit, vt accepto chrismate, idest vnctio-

vnctione vnctus Dei habere in se Christi gratiam possit.

Et Tertullianus Papiæ Auditor scribens contra rationem huius ritus obiter meminit, dicens. Non reprobauit Deus alias creaturas corporales, sient nec aquam qua nos abluie, nec oleum, quo suos vngit.

Idem etiam confirmatum habes à Concilio Arausicense sub Theodosio iuniore, Priore canone enim de sacra chrismatis vnctione sic decreuit.

Nullus ministrorum, qui baptizandi recepit officium, sine chrismate vnquam debet progredi, & si quis baptizatus non chrismatus fuerit moneatur sacerdos in confirmatione, nàm inter nos ve necessaria habetur chrismatio. Quod verò ad confirmationem attinet, quatenus Apostolorum manuum impositionem Christo initiatis tamquam primum exemplar sit, Clemens tamen titum hunc ex Petri doctrina clariorem reddit, scribens enim ad Iulium, & Iulianum ita inquit.

Omnibus festinandum est sine mora renasci Deo, & demum consignari ab Episcopo idest septiforme gratiam Spiritus sancti percipere, quia incertus est vniuscuiusque exitus vitæ. Cum autem regeneratus fuerit, per aquã postmodum septiformi Spiritus gratia ab Episcopo, vt memoratum est, confirmetur quia aliter perfectus Christianus esse nequaquam poterit, nec habere sedem inter perfectos, si non necessitate, sed incuria, aut voluntate remanserit, vt à Petrò accepimus, & cæteri sancti Apostoli, præcipiente Domino docuerunt.

D. verò Vrbanus Martio, qui post Clementem, & antè Iustinianum in Apostolica Sede successit, cunctis fidelibus scribens ità, inquit, omnes fideles, per manus impositionem Episcopoeum Spiritum Sanctum post baptismum accipere debent, vt pleni christiani inueniantur, quia cùm spiritus infunditur; cor fidele ad prudentiam, & constantiam, dilatatur.

Et D. Eusebius Martyr non longè à Iustino ita scriptum reliquit. Manus impositionis Sacramentum, magna veneratione tenendũ est, quod ab alijs perfici non potest, nisi à Summis Sacerdotibus, nec tempore Apostolorum ab alijs, quàm ab ipsis Apostolis legitur, & scitur esse peractum nec, ab alijs, quàm per illos, qui Apostolorum tenent locum, vnquam perfici potest, & si aliter præsumptum fuerit irritum habeatur, & vacuum nec inter Ecclesiastica reputabitur Sacramenta.

Sed audi etiam Melchiadem martyrem qui huic successit: in suo enim decreto conferens Sacramentum Baptismi Episcopi confirmationi, in hunc modum docuit.

De his inquit super quibus negastis vos informari vtrùm maius esset Sacramentum manus impositio an Baptisma, scitote vtrumque magnum esse Sacramentum. Et infra, Episcopus Sanctus, qui super aqua Baptismi salutifero ostendit illapsu in fontem plenitudinem tribuit ad innocentiam, in confirmatione verò argumentum præstat ad gratiam & quia in hoc Mundo tota ætate victoris inter visibiles hostes, & pericula aggrediendum est, in baptismo regeneramur ad vitam, post baptismum autem confirmamur ad pugnam in baptismo ablnimur, post baptismum roboramur. Et quamuis continuò transituris sufficiant regenerationis beneficia, necessaria tamen sunt, grandæuis scilicet confirmationis auxilia.

Quid autem de hac confirmatione præceperint sequentia concilia, aut scripserint Summi Pontifices, & illi Patres vita, & doctrina præcipui, breuitatis causa non recensemus, sed his nobis satis fuit ostendere quantùm Matthias à vero declinauerit.

Missam verò isti sunt, qui antè, & propè Iustinum commemorant,

Clemens Martyr sic inquit. Summoperè omnibus Presbyteris, & Diaconis, ac reliquis Clericis attendendum est, vt nihil absq. licentia Episcopi agant, non vtique missas sine eius iussu quisquàm presbyter agat.

Sanctus Ignatius Mattiano, non licet sine Episcopo neque offerre, neque sacrificium immolare, neque missas celebrare.

Sanctus Alexander Matiio. In Sacramentorũ oblationibus, quæ inter missarum solemnia Domino offeruntur, passio Domini miscenda est, vt eius, cuius corpus, & Sanguis conficitur, passio celebretur.

Sanctus Ignatius Martyr. Omnes Basilicæ cum missa debent semper consecrari.

S. PIVS MARTYR.

Vt de oblationibus, quæ offertur à Populo vel de panibus, quos deferunt fideles ad Ecclesiam, presbyter partes conscias habeat, vt post missarum solemnia, qui communicare non fuerint parati, Eulogias omni die dominico exindè accipiant.

Hi omnes ante, vel propè tempora Instini scripserunt, nam post Iustinum aliquantò remotiùs Conciliorum, Pontificum decreta ac Patrum testimonia innumera sunt, quæ de missa statuunt, ac illius vsum commemorant.

Quod verò Eucharistiam sacrificium dici, & esse in ea Apologia Beatus Iustinus non explicauerit non mirum esse debet, quoniam vti diximus, ibi omnia, quæ ad religionem pertinent, prouinciam explicandi non sumpserat, vt verò aptiori loco, nimirum in Dialogo cum Triphone habito aduersùs Iudæus his verbis explicatum reliquit. Neque verò à quoquam hostias Deus accepit, nisi à suis Sacerdotibus. Itaque omnia sacrificia, quæ suo nomine facienda Iesus Christus tradidit: idest in Eucharistia panis, & poculi, qui in omni loco à christianis fiunt præ occupatione vsus, Deus sibi grata esse testatur quæ autem à vobis (de Iudæis loquens) vestrisque illis Sacerdotibus fiunt, improbat his verbis sacrificia vestra è manibus vestris non accipiam, quod ab Oriente sole ad occidentem nomen meum gloria affectum est in gentibus. Vos autem illud detestamini.

Et cum ante, & propè Iuliani tempora innumera sint Patrum testimonia, hoc tremendum Sacrificium demonstrantia nemini dubium esse debet B. Iustinum illud de eo sensisse, quod Patres illi senserunt, quorum nonnullas sententias hic producẽdas esse diximus

Et

Hanc Epistolam ante an. 400. Vulphelmus Abbas, deinde D. Bernard. non Auctor Belli de duplici Marty rio memorando.

Et primum S. Andreas Apostolus. Omnipotenti Deo, inquit, Qui viuus & verus est ego omni die sacrifico, non thuris fumum nec taurorum mugientium carnes, sed agnum immaculatum, cuius carnes postea quam omnis populus credentium manducauerit, & eius sanguinem biberit, agnus qui sacrificatus est integer perseuerat & viuit.

S. Matthias Discipulus, qui Christum in humanis vidit.

Epist. ad Bad. galen. cap. 7.

Sacrificium Deo locatur offertur in Ara, non homini, neque Angelo, nec solùm in Ara sanctificata, sed vbique offertur Deo oblatio munda, sicut testatus est, cuius corpus, & sanguinem in vitam æternam offerimus.

S. ALEXANDER MARTYR.

Epist. 1.

Nil in sacrificijs maius esse potest, quàm Corpus, & Sanguis Christi, nec vlla oblatio hac potior est, sed omnes præcellit.

S. IRENÆVS MARTYR.

Sed & suis DiscipulisChristus dans consilium primitias Deo offerre ex suis creaturis, non quasi indigent sed vt ipsi nec infructuosi nec ingrati sint, eum qui ex creatura panis est accepit, & gratias egit dicens. Hoc est corpus meum, & calicem, similiter, qui est ex ea Creatura, quæ est secundùm nos, suum Sanguinem confessus est, & noui testamenti nouam docuit oblationem, quam Ecclesia abApostolis accipiens in vniuerso mundo offert Deo, ei qui alimenta nobis præstat de quo in duodecim Prophetis. Malachias sic ait. Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus omnipotens, & sacrificium non accipiam de manibus vestris. Quoniam ab ortu solis vsque ad occasum nomen meum glorificatur Inter gentes;&In omni loco, incẽsum offertur nomini meo & sacrificium, Quoniam magnum est nomen meum in gentibus dicit Dominus Omnipotens, manifestissimè significans per hęc, quoniam prior quidem, populus cessauit offerre Deo. Omni autem loco Sacrificium offertur ei, & hoc parum.

TERTVLLIANVS.

De cultu fœminarum.

Vobis nulla procedendi causa non tetrica, aut imbecillis aliquis ex fratribus visitandus, aut sacrificium offertur, aut Dei verbi verbum administratur.

S. CYPRIANVS MARTYR.

Lib. 2. Epist.

Si Iesus Christus Dominus, & Deus noster ipse est Summus Sacerdos Dei Patris, eò sacrificium Deo Patri ipse primus obtulit, & hoc fieri in suam commemorationem præcepit, vtique ille Sacerdos vice Christi verè fungitur, qui id; quod Christus imitatur, & sacrificium verum, & plenum tunc offert in Ecclesia Deo patri, si sic incipiat offerre, secundùm, quod ipsum Christum videat obtulisse Et quia passionis eius mentionem in sacrificijs omnibus facimus, passio est enim sacrificium, quod offerimus. nihil quam quod ipse fecit facere debemus. Quotiescumque ergo calicem in commemorationem Domini, & passionis eius offerimus id, quod constat Dominum fecisse, facimus.

S. LAVRENTIVS MARTYR.

P. Ambro sium lib. offic. 1. ca. 41.

Quò progrederis fine filio Pater. Quo Sacerdos sancte sine Diacono properet? Numquam sine ministro sacrificium offerre consueueras, quid ergo in me displicuit Paternitati

Hæc testimonia fidelissima sunt, quæ ante: & paulò post Iustinum aduersùs Matthiæ commentum habemus, quæ si illis satis non sunt inter innumeros, qui pleno ore de hoc Sacrificio scripserunt legat saltem & probet D. Ambrosium Augustinum, Chrysostomum, quorum sententias cum doctrina Ecclesiæ suæ plerumque congruere ipse affirmat.

D. AMBROSIVS.

Vidimus Principem Sacerdotum ad nos venientem, vidimus, & audiuimus offerentem pro nobis sanguinem suum; sequamur vt possumus, Sacerdotes aut offeramus pro populo sacrificium, & si infirmi; meritò tamen honorabilis, quia & si nunc Christus non videatur offerre, tamen ipse offertur, imò ipse offerre manifestatur in nobis, cuius sermo sanctificat sacrificium, quod offertur.

S. IOANNES CRYSOSTOMVS.

Homi. 26. S. Matth.

Sacerdos altari adsistens pro vniuerso orbe terrarum, pro absentibus, atque præsentibus, pro his, qui ante nos fuerunt; sacrificio illo proposito, Deo nos gratias iubet offerre.

IDEM.

Ideò in mysterijs inuicem salutamur, vt multi vnum efficiamus, & communes pro non initiatis preces effundimus, & pro infirmis & terræ, & maris, & vniuersi orbis fructibus sacrificamus; Nostis profectò quid initiati estis, id quid dicimus siue sexta fero, siue Dominica die, sinè in celebritate martyrum eadem litetur hostia idem sacrificium consumatur.

EX D. AVGVSTINO.

Vis ne sanctimoniæ istius excellentiam aliquo miraculo suscipere? Ponito ob oculos Heliam illum, præterea, & infinitam illam turbam circumfusam, & sacrificium lapidibus superpositum, tùm verò reliquos omnes admodùm quietos, ac taciturnos, solum autem propheram preces fundentem secundùm id flammam de repente à cælo delabentem sacrificium ipsum lambentem. Mira sunt ista profectò, & stupore omni plena. Ab illis ergo sacris ad nostratia sacrare transfer nec ea mira modò esse videbitis, sed etiam omnem stuporem excedentia. Adest enim Sacerdos non ignem gestans, sedSpiritum sanctũ ipse preces diuturnas fundit, nõ quo flamma cælitus delapsa, sacra apposita sumat,

sed vt gratia sacrificium influas per illud ipsum omnium animos inflammet, & puriores reddat argento igne ex octo, purgatoque Hoc ergo mysterium omnium maximè hociendum, verendumque, quis tandem, qui insanus idem minime fit, quique è potestate non exierit, fastidire, ac despicere poterit? Ignoras futurum numquam fuisse, vt humanus animi captus sacrificij ignem illum sustineret, sed funditus omnes tum fuisse interituros, nisi magnum diuinæ gratiæ auxilium affuisset. Nam si quis consideret quantum id sit mysterium, vt is scilicet, qui homo ipse sit carne, & sanguine, etiamnum constans, iisque inuolutus, beatæ, ac immortali naturæ illi fieri propior queat, tum probè intelliget, quanto Sacerdotes honore, quanta dignitate Spiritus sancti gratia dignata fuerit. Operantibus enim illis, tum sacra hæc quæ dico initiantur, perficiunturque.

Lib. 2. Euan. quæst.

ITERVM AVGVSTINVS.

Quod Dominus dicit leproso mundato Vade ostende te Sacerdoti & offer munus videtur approbare sacrificium, quod per Moysem præceptum est, cùm id non receperit Ecclesia. Quod ideò iussisse intelligi potest quia nondum esse cæperat sacrificium sanctum sanctorum, quod corpus eius est.

Lib. 16. de Ciuit. ca. 33

Idem cùm Melchisedech Abrahæ benediceret, ipsi primum apparuit sacrificium, quod nunc à christianis offertur Deo toto orbe terrarum, impleturque illud, quod longè post hoc factum per Prophetam dicitur ad Christum, qui fuerat venturus in Carnem. Tu es Sacerdos in æternum secundùm ordinem, Melchisedech, non scilicet secundùm ordinem Aaron, qui ordo fuerat auferendus illucescentibus rebus, quæ illis vmbris prænotabantur.

Item lib. 18. cap. 33.

Item contra Faustum lib. 20. cap. 18.

Et eodem libro, & libro secundo contra aduersarium legis, & Prophetarum.

Et quamuis innumeri sint prisci Patres, vita, & doctrina clarissimi, qui hoc nouum dogma firmarunt, tamen illis contenti fuimus, quibus Matthia, & quidem meritò tantum tribuere videris.

Omissimus autem Concilium Nicænum Alexandrinum, Ephesinum, Toletanum, & Nicænum secundum, quæ aptè idem demonstrant, atque confirmant, tùm quia oblata occasione opportuniùs illa producemus, ac pressiùs de tremendo hoc sacrificio agemus tum etiam quia hoc loco sat fuit silentio Iustini illorum Patrum testimonijs supplere, qui sua ferè tempestate floruerunt, & alij quibus vti axiomatibus perpetuò cum isto Matthia vtemur, ex quo ipse vti diximus, & sæpiùs repetere expedit illorum Patrũ doctrinam cum suo congruere profitetur.

CLEMENS ALEXANDRINVS.

Refert Matthias Scriptorem istum de sacrificijs multa scripsisse, sed numquam vel minimam de Missæ Sacrificio mentionem fecisse, sed tempore, Sacrificium preces esse dixit, & altarem piam animam nominauit.

In septimo libro Stromatum, non tantùm preces Clemens sacrificium esse dixit, sed etiam laudes scripturarum, Lectiones, Psalmos, Himnos, & Orationes, & nos etiam huic sententiæ subscribimus. Profitemue enim hæc omnia instar sacrificij Deo offerri posse, quamuis, vt Clemens subiungit, ista ab homine fiunt, vt potissimùm per ea seipsum vniat Choro diuino; Sacrificium verò illud, per antonomasiam appellatum, non negauit, neque etiam supradicta sacrificia in Ecclesia dumtaxàt esse affirmauit, cætera secludens, & cum suptamemorato in loco de huiusmodi sacrificij genere Clemens loqueretur, admirandum, & tremendum illud Eucharistiæ sacrificium consultò memorauit; Nam illa, quæ remoto genere differunt eodem in loco immisceri non debent.

Extat tamen Clementis locus opportunus, qui vel Matthiam latuit, vel data opera illum prætermisit, quo apertè illud sacrificium ostenditur, quod iste falsò Clementi ademit.

In quinto enim, Stromatum, Platonem sic loquentem introducit, cùm sacrificauerimus non paruum, sed magnum aliquod, & dubium sacrificium, ità demum oportere de eo quærere, & sequitur Clemens.

Apostolus autem, & Pascha, inquit, nostrum immolatus est Christus, re vera inexplicabile sacrificium filius Dei, qui nobis sanctificatur, sacrificium autem Deo acceptum. Quodnam est hoc sacrificium Matthia? perquire deinceps diligentiùs semoto peruerso animi affectu, & inuenies.

Et subdit Matthias [haberi, inquit, ex eodem libro Clementem negare Christianos sacrificare] vtique negat, sed qua ratione neget, & quorum sacrificiorum ibidem meminerit, Clementis verba declarant, cùm inquit, nullius ergo indiget Deus, nec capitur voluptare, nec est, aut lucri, aut pecuniæ cupidus, cùm sit plenus, & cuilibet, quod dictum est, qui indiget, omnia præbeat, neque sacrificijs, sed neque donarijs, neque rursus gloria Deus inuocatur, neque aliquibus eiusmodi allicitur.

Quibus verbis duo potissimùm comperta habemus. Et quod Deus cùm nullius egeat hac ratione sacrificia Christianorum non exigit, neque nos quæ supra à Clemente memorantur, illi ea ratione offerre debemus, & quod intereà, quibus Deus non allicitur, tremendum illud sacrificium, de quo sermo est, minimè comprehenditur.

Adde etiam illud, quod supra memoratum est, nimirùm, quod cùm ante, & propè Clementis tempora complures fuisse Pastores, sanctitate, & doctrina præcipuos, qui sacrificium istud commemorarunt, temeritatis Clemens arguendus fuisset, si illis se opposuisset, vt interim Christum omittamus, quem Clementem non latebat in Cœna se obtulisse, ac discipulos præcepisse, quoriescumque idem præstaturi essent in sui memoriam id se facturos non ignorarent.

Non ignorabat etiam Clemens, Christum Sacerdotem fuisse secundùm ordinem Melchisedech, ac si illis verbis in cœna non obtulisset, otiosum Sacerdotem fuisse, qui numquam tali sacerdotij munere functus es-

set, nec in eodem sacerdotio suis successoribus formam offerendi ostendisset, sed de his lariùs aptiori loco, & hic sat sit demonstrasse, qua ratione, Clemens sacrificium Christianis vetuerit, eamdemque etiam seorsum, vt par erat, & supra declaratum reliquimus, quale Christianorum potissimùm sacrificium esset, declarasse, ac illud Pauli sententiæ innixum Deo à Christianis offerri debere, congruum ac pium esse.

[Eodem in titulo refert, Clementem coniugium non tantùm laicorum, sed & presbyterorum defendisse.] Et paulò post dicit illud Pauli sententijs firmasse, nimirùm. In nouissimis diebus deficient quidam à fide, attendentes spiritibus erroris, & doctrinis dęmoniorum prohibentium nubere, abstinere à cibis.

Item alligatus es vxori, ne quæras solutionem, solutus es ab vxore, ne quæras vxorem. Et rursùs vnusquisque suam vxorem habeat, nec tentet vos satanas?

Defendit quidem matrimonium Clemens indiscriminatim, tamen nulla prorsùs presbyterorum habita ratione, cuius sententiæ non subscribimus.

Neque etiam illa Diui Pauli verba Matthiæ proposito faciunt, qui cœlibarum detestatur. Coniugium verò Sacerdotum probat, quinimò & D. Paulus, & Clemens quid de his sanciendum sit, communi iudicio, eo in loco decernunt. Sic enim Clemens Diui Pauli doctrinam refert. Qui vxorem duxit ne expellat, & qui non duxit, ne ducat, & vt Matthiæ propositum prorsùs exploderet, statim sequitur. Qui ex proposito castitatis professus est vxorem non ducere, maneat cęlebs vtrisque ergo idem Dominus per Prophetam Esaiam conuenientes dat professiones.

Et quæ ex D. Paulo Clemens superiùs adduxit, iam idem Clemens declarare videtur cùm cœlibem vult esse illum, qui professus est vxorem non ducere, quemadmodum sunt sacris initiati, qui iuxtà eorum instituta castitatem nouerunt.

Præterea numquid Clementem eruditissimum latuit D. Paulum cælibem vitam consuluisse, cùm dicit. Si nupserit Virgo non peccauit, tribulationem tamen habebit huiusmodi, sed quænam tribulatio in coniugio est, nisi quædam mentis distractio, qua coniuges dum nimium sibi placere student, ac posteritati consulunt, à Dei cultu distrahuntur. Quod quidem statim D. Paulus demonstrat, cùm ait. Volo inquit vos sine sollicitudine esse, qui sine vxore est, sollicitus est, quæ Domini sunt quomodo placeat Deo, qui autem cum vxore est, sollicitus est quomodo placeat vxori, & diuisus est. Et quæ Matthias ex Clemente subiungit, putans se suum propositum suasisse, admodum illi aduersantur, ne tamen illi detrahamus, verba Clementis fideliter adducemus, quibus Clemens vitam cælibem coniugio comparat, vt demùm ex D. Pauli, & Clementis sententijs, quid de re hac sanciendum dignoscamus. Verba autem Clementis hæc sunt.

Vxorem autem ducere dico, si verbum dixerit vt conuenit. Qui enim fuerit perfectus exemplar habet Apostolos, & re verà vit ostenditur, non in eo, qui vitam elegerit monasticam, sed illos viros vincit, qui in matrimonio, & liberorum procreatione, ac domus cura, ac prouidentia citra voluptatem, & dolorem se exercet, & cum domus curatione est indiuulsus à Dei charitate, & insurgit aduersùs omnem tentationem, quæ affertur per filios, vxorem, & famulos, & possessionem; Ei autem, qui domum non haber, magna ex parte euenit, vt non tentetur; Qui ergo sui solummodò curam gerit vincitur ab eo, qui cùm sit inferior quidem in his, quæ pertinent ad suam salutem, superior in his tamen, quæ ad vitæ spectant dispensationem, exiguam re vera conseruat imaginem veritatis prouidentia. Hæc Matthias ex Clemente.

Quibus nil aliud innuit Clemens, quàm quod Paulus demonstrauit, nempè quale discrimen sit inter coniugatos, & cælibes, nec non, in quo vterque præest, nam quod potiùs eligendum sit, sequentia Clementis verba demonstrant, quæ tu Matthia vafra industria, vti soles, prætermisisti, & nos continuò infrà adscripsimus.

Principio autem Clemens quid faciendum sit ei, qui vult vxorem ducere instruit, nimirùm, vt dicat verbum, & vt conuenit, quod quidem nil aliud est, quàm mutuus consensus, ac præsentia verba liberè eorum consensum explicantia. Qui verò inter vxoratos fuerit perfectus, Apostolos habet, quos imitari potest, non quidem in vsu matrimonij, cùm idem sit omnibus vxoratis communis, sed Apostolos perfectus imitari debet in hoc, vt quemadmodum si qui ex illis fuerant, qui ante Apostolatum duxerant vxores, postea Christo præcipiente meliorem assecuti statim, à coniugio abstinuerant, ita illi perfecti si aliquod, Dei iussu in religione præstantiùs assumpti fuerint, à coniugio se abstinere debent.

Comparat deinde vxorem monacho, ad discrimen explicans infert vxoratum se virum ostendere, ac pręstare monacho in externis domus suæ curis perficiendis, monachus verò in his, quæ ad suam salutem faciunt, ac etiam subinfert Clemens; vxoratum re verà exiguam conseruare imaginem veritatis sua prouidentia.

Quod autem re ipsa monastica vita coniugato præstet, sequentia Clementis verba à Matthia prætermissa, apertè ostendunt, quę quidem hæc sunt; [Sed nobis quidem quàm fieri potest maximè priùs variè exercenda est anima, vt ad suscipiendam cognitionem sit operatu faciliùs. Non videtis quemadmodum molitur cera, & purgatur æs, vt accedentem suscipiat characterem, iam verò, vt mors est animæ separatio à corpore, ita cognitio est, veluti mors rationalis abducens, & separans animam à motibus, & perturbationibus, & deducens ad vitam beneficentiæ, & bonarum operationum, vt tunc Deo dicat liberè, viuo sicut vis, nam cuius est institutum vt placeat hominibus, is Deo placere non potest, quoniam non quæ conferunt, sed quæ delectant, multi eligunt. Qui autem Deo placet bonis hominibus ex consequenti fit gratus, & acceptus. Hæc Clemens, & complura alia prosequitur, quæ ad istius propositi explicationem faciunt. Si quis verò in re hac præter ista alia desiderat, consulat titulum

lum (Ecclesia Græca, & coniunctæ) nam hic sat fuit quid sentiret Clemens & cum eo Diuus Paulus explicasse. Distulit Matthias Concilium Gangrense, alio loco examinandum, in quo plura contineri contra cœlibatum affirmat, quod & nos, ne ordinem conuerteremus, similiter distulimus.

Affert etiam ex Clementis Hipotiposym hæc verba, quæ etiam Eusebius refert. [Petrus enim, inquit, & Iacobus, & Ioannes post assumptionem Saluatoris, quamuis ab ipso fuerint omnibus penè prælati, tamen non sibi vindicarunt primatus gloriam, sed Iacobum qui dicebatur Iustus, Apostolorum Episcopum statuunt. Vnde subiungit Matthias, non incommodè diuinare possis quid Clemens de Petri dignitate senserit, nempè exequar eum Iacobo, & Ioanni.] Quid sit de libro Hipotiposym, an sit in rerum natura, & si extat, an ex antiquo, & vero Clementis exemplari in latinum versum, siue ab hæreticis aliquid prauum, vel confusum, & dubium illi immistum; hic sat erit Matthiæ obiectis respondere.

Diximus igitur, & hic dennò summatim repetimus, tres illos Apostolos cæteris præcelluisse, ac ob id præ alijs illustribus nominibus donatos fuisse, nempè alterum Petrum nuncupatum, reliquos verò duos, Bonaergen, idest Tonitrui filios, necnon ad quædam admiranda Christi facta illos dumtaxàt, semotis cæteris, quasi arbitros adhibitos fuisse selectos, sed cùm audis à Clemente istos tres cæteris Apostolis præcelluisse, non definitum habes, Petrum his duobus iurisdictione, & regiminis facultate non præstitisse? Fuerunt quidem in aliquo pares, vti supra dictum est, sed Petrum, & illis omnibus prælatum fuisse iam Christi dictis, & factis, eiusdemque etiam Petri dictis, & factis Pontif. & Conciliorum decretis, ac sanctorum Patrum testimonijs adeò supra demonstratum, & repetitum reliquimus, vt hic iterum illud idem repetere superuacaneum sit. Quod verò neque tres Apostoli, neque Petrus seorsum ab illis post Christi assumptionem se cæteris præcellere non præsumpserint, supra etiam satis demonstratum est, nempè Ecclesiasticam auctoritatem, non veluti gentium principatum, sed in ministerio à Christo commissam fuisse, nimirùm, vt cùm paremus, qui præest pater sit; cùm verò delinquimus, præsertim pertinaciter, Iudex esse velit, & cùm in prima florente illa Ecclesia de reducendis dispersis ouibus potiùs ageretur, quàm de seuera regiminis norma exercenda, præsertim cum illis, qui nullam, vel paruam occasionem agendi cum Iudice dabant, recentem Christi memoriam de humilitate seruanda tamquam omnium agendorum mensuram retinebat. Sed interim cùm Petro occasio se obtulit, in Actis præsertim Apostolorum, quæ, & cum quibus opus erat suam auctoritatem demonstrare non distulit. Impium igitur est Petri modestiam, quando hoc Ecclesiæ commodum, aliorumque ædificatio exigebat, in eius auctoritatis conuerti iniuriam.

Qua igitur ratione Clemens tres illos Apostolos exequauerit, ex his, quę dicta sunt facilè patet quemadmodum etiam supra demonstrata est Petri præstantia, simulque causa, cur frequenter se supremum esse non ostendebat.

Verba autem illa quibus affirmatur, Iacobum Episcopum Apostolorum factum esse, apertè ostendunt ad verbum à græco esse versa nam cum Græci sexto casu careant genitiuo eius loco vtuntur; ac ob eam causam congrua versio esse debuit, Iacobum ab Apostolis Episcopum statutum esse, hoc est Petrus vnà cum Apostolorum Consilio, primum omnium Iacobum Hierosolymitanum Episcopum statuit, nam hoc ratio exigebat, hoc suprema Petri auctoritas quod quidem Chrysostomus eleganter innuit, cum dixit. [Si quis, inquit, à me percunctaretur, quomodo Iacobus Sedem Hierosolymorum acceperit, responderem ergo, hunc totius orbis magistrum præposuisse Petrum.

Idem etiam Beatus Anacletus discipulus Petri, in eadem cathedra successor, in epistola ad Episcopos per Italiam, quamuis inquit, Ioannis, & Iacobi filiorum Zebedæi consilium adiungat (sic enim in primitiua Ecclesia mos esse debebat) sicut hodie in Ecclesia Romana viget nimirum Episcopum Romanum DD. Cardinalium Consilio Episcopos constituere.

METHODIVS GRÆCVS.

Methodij Episcopi Tyri prophetias quasdam affere, quibus ille deprauatos mores in Ecclesia præuidit, simulque Ecclesię puritatem in sua Ecclesia Matthias restitutam esse contendit. Hæc prophetia, quæ, & qualis fuerit, aut istius methodi sit, nil mea refert, non enim negamus mores in ea puritate non esse, sicuti esse deberent. Sed cùm iste in suæ Ecclesiæ morum, & doctrinę sinceritatem restitutam esse affirmet toto aberrat cælo, cum clarè constet illam ab Ecclesia Catholica, scissam esse, ac ob id in sua Ecclesia nullum ordinem, sed perpetuum errorem, & horrorem inhabitare.

ÆLIVS LAMPRIDIVS.

Hic narrat, quod in primitiua Ecclesia Christianorum templa omninò simulacris caruerunt, sicut Lactantius, & complures testantur, in quibus, subiungit ipse Matthias, postea Papæ maximam Diuini cultus partem constituerunt. Quo tempore in Ecclesia legis Mosaicæ, & in Ecclesia legis gratiæ simulacra extiterint, & qua ratione veneranda, suprà demonstratum est consulat igitur superiora, qui de his cupit fieri certior.

Ecclesiæ Rauennas, Aquileiensis, & Mediolanensis.

Dicit has Ecclesias restitisse Papæ primæui, vt ex historijs ostendet, appellatque Platinam, cæterosque Paparum adulatores, quod dixerint istasEcclesias fuisse quidem anteà subiectas Romanæ Ecclesiæ, sed postea ab eius obedientia se subtrahere voluisse, ac Sabellicum quamdam Epistolam Papæ ad Vrsum Ducem Venetum scriptam narrare, in qua clarè Papa confitetur Rauennatem Ecclesiam esse multarum Ecclesiarum caput.

Cur historicis credendum magis sit, quàm tibi Matthia, non est cur hìc insistamus. Neque etiam Papæ adulatoribus egent, quando Christi sententias habent, qui suam supremam authoritatem statuunt, roborant, atque confirmant. Et tamen quod postremò intulisti nil ad rem facit. Nihil enim prohibet Rauennatem Ecclesiam, compluresque alias, capue esse multarum Ecclesiarum, & tamen ipsas omnes sub vna Romana, & vni Pontifici subesse.

Ecclesia Illyria.

Optimam consequentiam arbitratus est intulisse cum hic dicat [Ecclesias Illyricas adhuc hodierna die in publicis sacris vulgari vti lingua igitur non rectè Papa, & Papistæ ad Sermonem latinum omnes cogere volunt] Et adiicit [quod cum de auferendo hoc vsu ageretur, vocem tamdem cęlitus auditam, omnis spiritus laudet Dominum, & omnis lingua confiteatur ei, & tandem promittit in methodo Illyrica, se de hac re latiùs tractaturum.

Nos verò ne eadem repetantur, methodū hanc suo loco discutiendam expectamus, & hic tantùm innuere voluimus, arbitrio supremi Pontificis esse, sicuti Ecclesijs expedire videbit, illa vno loco, & tempore permittere, quæ alio prohibenda existimat. Vocem verò illam probamus, esto quod numquam fuisset, sed quid ad rei propositum, quis enim prohibet omnem Spiritum non laudare Dominum, ac omnem linguam Domino confiteri non debere? Ecclesia enim Romana, cultus Diuini maiestatem non nisi ea, quæ scripto inueniuntur, & in vsu Ecclesiarum sunt latina esse voluit, ne alia lingua prolata vilesceret, & cuiuslibet idiotæ arbitrio esset; illis auditis de grauibus Ecclesię dogmatibus disputare, ac decernere, sicuti hoc infelicissimo tempore, magna cum Ecclesiæ catholicæ iactura passim accidere videmus. Constat enim, & experimento didicimus, eam ob causam, non solùm ignaros homines, verùm etiam mulierculas factas esse Diuini verbi interpretatrices, ac iudices; Sed cùm huius rei status ad hęreticam doctrinam fouendam maximè conducat, ab hæreticis summopere laudatur, & Ecclesiæ Romanæ seriam, & prudentem deliberationem accusant, & detestantur,

Anglicana Ecclesia.

[Paleum quemdam cuiusdam cathalogi authorem citat, quem ex veeustis quibusdam scriptoribus affirmare asserit Augustinum quemdam à Papa Gregorio in Angliam missum puriorem Christianismum papisticis cæremonijs in deterius commutasse, de quo Gregorio subiungit. Dubitare, non poterat qui in tota occidentali Ecclesia Christianam pietatem suis nouis ordinationibus, & deformationibus longè fecit deteriorem] Hæc in summa Matthias.

Cum de rebus serijs agitur turpe equidē est, quæque testimonia admittere, quę quandoque vel non extant, & si extant nullius sunt nominis aut sunt de fide suspecti, sicuti huic Paleo accidit, quia adeò recens, & nullius authoritatis est, necnon Apostata, & in fide claudicans, vt nonnisi, penès malè affectos eius liber inueniatur. Quam ob causam quotiescumque hoc in libro, aut in centurijs vnà cum alijs cuiusuis generis libros, præsertim historiarum authores incognitos, aut suspectos producent, congruo iure eos refellere nobis licebit, si enim cuilibet liceret, vel incognitos historicos authores, vel eos probare, qui suis opinionibus arrident, quilibet etiam posset nouam religionem effingere, nouum rerum statutum constituere. Et vt ad Matthiæ titulum reuertamur Paleus iste suus, cuius cathalogi meminit, cùm in grauium virorum opinione non sit, eius testimonium nihili ducitur, cui quidem eatò minùs fides adhibenda est, quod Sanctissimus Gregorius Augustinum illum, quem citat vnà cum Melito & Ioanne, & Monachis compluribus, quos iste subticuit, in Angliam misit, non vt primùm Romanas cæremonias illius regni hominibus suaderet, vt Matthias inquit, sed Euangelium prædicandum, & gentem illam Anglorum ad Dominum Iesum Christum conuerteret, quæ magna ex parte idolatriæ dedita erat,

Quod si res ita se habet sicuti re vera est, quam regionem puram Augustinus Gregorij mandato, papisticis cæremonijs deteriorem fecit: numquid deterius aliquid inuenitur paganismo? si autem de ea exigua Britanniæ parte loquitur, quæ Euangelio quidem credebat, sed & schismate laborabat, quo antea Asianæ Ecclesiæ, nempe Iudaico more de quartadecima Luna obseruanda, historia ipsa, quam non Paleus hæreticus, & obscurus homo, sed venerabilis Beda Britannicus singula quæque infra narrabit. Si verò quispiam hac de re vlteriùs certior fieri cupit, legat sanctissimi Gregorij Epistolam supramemorato Augustino scriptam. In ea enim præter cætera hæc verba inserta sunt. Penual religiosus presbyter detulit à te missas literas, vbi indicasti, quod ager Dominicus, qui incultus latebat, & spinarum aculeis ex infidelitate riguerat, vomere tuæ doctrinæ exarante semen verbi suscepit, & fertilem messem protulit fidelitatis.

Deindè Augustinus in eadem Epistola Sanctiss. Gregorium consuluit, quid sibi agendum erat, in compluribus, quæ ad salutem illarum animarum, eorumque profectum erant necessaria, euidens coniectura, imò certa scientia quod non illorū pium vsum Augustinus in deterius mutauit, vt falsò Matthias imponit, sed post susceptam Christi rectam fidem quam quidam non omnes assecuti erant, de religionis susceptæ nonnullis circumstantijs Summum Pontificem consuluit, quo securiùs, & meliùs tenellam illam plantam corroborare ac firmare potuisset. Si verò Historicis credendum est, vti supradiximus venerabili Bedæ potiùs, quàm Paleo credendum est, qui præter vitæ Sanctimoniam, & maximam doctrinæ eruditionem Anglicus fuit, & centum triginta annos post D. Gregorium floruit; Is enim inter illustria, & ipsa Gregorij facta etiam commemorat.

Gregorius vir doctrina, & actione præcipuus Pontificatum Romanæ, & Apost. Sedis

for-

sortitus misit Seruum Dei Augustinum, & alios plures cum eo Monachos timentes Dominum prædicare verbum Dei genti Anglorum, qui cùm iussis Pontificijs obtemperantes memoratum opus aggredi cepissent, iamque aliquantulum itineris fuissent, timore perterriti redire domum potiùs, quàm barbaram, feram, incredulamque gentem, cuius nec linguam quidem nossent adire cogitabant, & hoc esse tutius communi consilio arbitrabantur. Hæc Beda.

Et paulò inferiùs cum ex literis Gregorij, ac Dei auxilio Augustinus animum, & vires resumpsisset, Britanniam peruenit cum inuenisset Edilbercht illius Prouinciæ regem Paganum permissum est Augustino illum adire, & sequitur venerabilis Beda.

Cumque ad iussionem Regis residentes verbum ei vitę, vnà cum omnibus, qui aderant eius comitibus prædicarent, respondit ille dicens. Pulchra sunt quidem verba, & promissa quæ affertis, sed quia noua sunt, & incerta, non his possum assensum tribuere relictis eis, quæ tanto tempore cum omni genere Anglorum seruaui, cui tamen, & socijs, inquit Beda regis iussu locus assignatus est, ac victui necessaria curare præcepit. Et sequitur.

At vbi sibi datam mansionem intrauerunt, ceperunt Apostolicam primitiuæ Ecclesiæ vitam imitari, orationibus videlicet assiduis, vigilijs, & ieiunijs seruiendo, verbum vitæ quibus poterant prædicando cuncta huius mundi velut aliena spernendo. Hæc venerabilis Beda, & huius generis etiam complura inferiùs narrat, quæ omnia an correspondeant his, quæ Matthias D. Gregorio tribuit ipse videtit. Et quidem cùm D. Gregorius Angliæ remotissimæ prouinciæ prospexerit, ac Augustinum Episcopum, illis constituerit, vniuersalem pastorem potiùs confiteri debuit, quàm illi immeritò d. trahere.

Quæ verò postmodum præcipiente Diuo Gregorio, & Dei gratia in Anglia facta sunt longum esset recensere, sat tamen erit, scire verbum Christi ibi vulgatum fuisse, ac illi Prouinciæ optimè consuluisse.

Quod autem ex Paleo Matthias referat, nonnullos illius Prouinciæ Episcopos, & Doctores noluisse Augustini præceptis, ac Romanis institutis parere, & ob eam causam quibusdam tyrannis ab eo incitatis illos omnes peremptos fuisse, vel historiam se non perlegisse demonstrat, vel si perlegit nimis dolosè ista retulit. Narrat enim Venerabilis Beda Augustinum illos Episcopos comiter suscepisse, & renuentibus eius monita communi consensu Eliam imitari, miraculis eorum proposita, declarari petierunt, quod cum nil illi suis precibus efficerent, & Augustinus suis orationibus quo visum restituit, perterriti. Episcopi illi alteram postulant fieri Synodum, quæ statuta, quemdam anachoriticam vitam ducentem consuluerunt, parendum ne, esset Augustini monitis, ac traditionibus, qui quidem respoudit illis in hæc verba. [Si homo Dei est sequimini eum, qui diaerunt.] Et vndè hoc possumus probare. At ille Dominus, ait, [Tollite iugum meum super vos & discite à me quia mitis sum, & humilis corde.] Si ergo Augustinus ille mitis est, & humilis corde credibile est, quia iugum Christi, & ipse portet, & vobis portandum afferat, sin autem superbus est, constat illum non ex Deo, neque vobis eius curandum. Qui rursus aiebant, & vndè, vel hoc dignoscere poterimus? Procurate inquit, vt ipse cum suis primùm ad locum Synodi veniat, & si vobis appropinquantibus assurexerit, scitote quia famulus Christi est, & obtempetanter illum audite; Sin autem vos spreuerit, nec coram vobis assurgere voluerit, cum sitis numero plures, & ipse spernatur à vobis. Hæc Beda, & cùm Augustinum in sella sedentem inuenisset, illumque eis minimè obuiam iuisse cernerent, ira accensi nil eorum, quæ Augustinus paulò ante miraculis firmabat, recipere voluerunt, & cùm obstinati, & rebelles persisterent, ac alijs sua falsa instituta suadere conarentur non tyranni, vt Matthias inquit, sed Rex ipse Britanniæ illos, ac Brocmalium quemdam potentem, qui eos tuebatur cum exercitu suo penitus profligauit.

An verò B. Gregorius in Occidentalem Ecclesiam Christianam pietatem deformauerit, vt ipse perperam illi tribuit, an verò pietate, & sanctissimis documentis eam illustrauerit, ne idem repetere contingat, in titulo Gregorius primus infrà, in quo alia longe peiora illi falsò tribuit, opportuniùs demonstramus.

Quod autem longo tempore illius Religionis homines Augustini ritibus reclamarunt grauis auctor illud non affirmat, esto quod complures fuerint, qui non statim veram religionis formam assecuti sint.

De coniugio verò sacerdotum falleris Matthia, quoniam neque Paleus, & Polydorus abs te citati vsque ad annum 1100. in Anglia illud retentum esse affirmare potuerunt, sicuti neque Germaniæ ademptum; extant enim Concilia longè ante hæc tempora, vti supra ostendimus, in quibus, & qua ratione sacerdotibus coniugium interdictum est demonstratur.

Quæ quidem Concilia ab vtraque prouincia probata, ac obseruata fuisse legimus, quamuis non defuerint praui homines postmodum, qui inter alia hoc etiam detestati sunt, quos tamen communione priuatos, & anathematizatos fuisse cognouimus.

APOLLONIVS.

Apollonium Scriptorem Ecclesiasticum à D. Hieronymo laudatum, referente Eusebio Montanum hæreticum acriter reprehendisse, qui leges ieiunio circumscripsit, Matthias narrat, vt idem necessariò quadam consequentia deduci posset eiusmodi exercitia in primitiua ecclesia libera fuisse. At miser profectò cur iste neque rem ipsam, neque Apollonij verba aduertetit, cùm scire poterat ieiunium diuino mandato institutum esse, de quo supra, & inferiùs, opportuniùs agitur. Montanus verò, qui leges illi circumscribere præsumpserit congruè quidem ab Apollonio reprehenditur, nam tempora, cæteræque ieiunij circumstantiæ ecclesiæ vniuersalis Doctoris, & pastoris iudicio circumscribendæ sunt, sicut iam aptè & licitè factum esse comperimus. Non igitur liberum cuicumque erat tale exercitium circumscribere, sed illi Lib 5. c.18.

dumta-

dumtaxat penes quem regendi, ac moderandi, quæ in ecclesia fiunt potestas erat, sequutia verò maledicta, quibus iste intimo odio permotus Romanum Pontificem Montano exequat Diuinæ vltioni relinquimus.

ATTALVS.

Hist. Eccl. lib. 5. c. 3. Rem admodum memorabilem iste ex historia Ecclesiastica se referre arbitratur, quam eo tempore euenisse narrat, quo Attalus martyrium perpessus est. Sic enim Eusebius, inquit. Alcibiades quidem erat in numero eorum, qui pro Christo vincti tenebantur. Hic Vitam satis arduam, & austeram gerebat, nihil cibi volens accipere, sed tantùm sale, & pane cum aqua vtebatur, cumque hunc vitæ rigorem vellet etiam in carcere posito obtinere Attalo post primam confessionem suam, quam in amphiteatro confessus est reuelatur, quia non rectè faceret. Alcibiades creaturis, Dei non vti, & alijs formam scandali relinquere. Quibus cognitis Alcibiades cæpit omnia cum gratiarum actione percipere, quia quæ illi reuelabat Spiritus, vt doceret, & huic vt sequeretur idem spiritus persuadebat.

Quibus verbis duo iste præcipuè obseruat Attali scilicet, monita & Alcibiadis obedientiam, nec non id Spiritu Sancto reuelante factum esse. Obseruat etiam Gallicanam ecclesiam quasdam epistolas ad Asiaticos, in quibus bis istud Attali, & Alcibiadis factum annulgandum inseritur.

Omisso quidquid de isto, alijsque Eusebij testimonijs dici posset nam qualis ipse in ecclesia aliquando fuerit satis constat. Primùm Alcibiadis factum, & Attali martyris monitum perpendenda sunt, quis enim vnquam in ecclesia Catholica fuit, qui præceperit, vel probauerit vitam cum solo pane, & sale perpetuò ducendam esse? Sed quoniam fortasse Alcibiades illius austeræ vitæ formam sibi ex religionis instituto fore necessariam putabat meritò reprehenditur, ac Spiritus Sanctus optimè illi per Attalum consuluit, cæterisque alijs, qui eius exemplo putassent vitæ genus illud seruandum Christianis omninò ex Christi, vel Ecclesiæ præcepto esse necessarium. Et cùm Spiritus Sanctus non reprehenderit illud idem, imò mains in alijs, quod reprehendit in Alcibiade rectè inferri potest, vel quod ista reprehensio Attali vera non sit, vel si vera ea ratione esse factam, vt supra demonstratum est. Quod verò permoti fuerint, qui Alcibiade vitam duxerunt asperiorem, & tamen reprehensi non sunt. Christus in nouo testamento vt sibi antesignanus, qui diuturno ieiunio lapsus esurijt, & post illum B. Ioannes Baptista tantoperè commendatus, qui præ cæteris non solum ieiunium coluit, sed genus alimoniæ non modò insiratum sed quidem inhumanum, insulsissimum, acerrimumque sibi præscripsit. De Diuo verò Antonio legitur. Erat eius vita, solus panis, & sal potus aqua prandijque tempus solùm occasus. Simillima quidem est Antonij ista viuendi forma illi Alcibiadis, & tamen à Spiritu Sancto improbata non fuit, neque prohibita, & his ferè similes in eremo idem fecisse inuenies plurimos.

TERTVLLIANVS.

De Tertulliano hæc Matthias scribit. Magna est omninò eius Scriptoris Auctoritas, magna etiam eruditio, & aliàs dono vitæ quoque feruens valdè laudatæ. Et paulò post. B. quidem Cyprianus tanti eum fecit, vt singulis diebus solitus is eum lectitare, & præceptorem suum vocare, vt quoties Amanuensem iuberet sibi eius opus porrigere diceret, da huc præceptorem.

Vtinam Auctor iste cæteros Ecclesiæ illustres veteres, istud duobus non impares bis enormis extolleret. Nos igitur non solùm in hac parte istius sententiæ subscribimus, sed eum hortamur, vt quotiescumque in euertendis suis commentis istorum Doctorum dicta producemus boni consulat illisque fidem adhibeat.

Quod verò in eodem titulo adiecit nimirum Tertullianum à Romano Clero inuidia, ac malenolentia Roma pulsum fuisse, idque teste Hieronymo cum nil nisi aliquorum hominum imperfectionem innuunt, quid Romanæ Ecclesiæ, eiusque Episcopi dignitati detrahit? quod eò minùs iudicati debet, quo D. Hieronymus non dixit à Romano Clero pulsum fuisse, quasi totus Clerus consenserit, sed indefinitè loquitur dicens Clericorum Romanæ Ecclesiæ inuidia, & contumelia Roma pulsum fuisse.

CYPRIANVS.

Complura ex Cypriano hìc affert, quorum summa hæc est. Eum contendere omnibus sanguinem Domini dandum, eumque asserere vocationem Sacerdotum, & Episcoporum esse in Ecclesiæ, seu plebis Christianæ potestate. Quod quidem Cyprianum explicasse affirmat in epistola ad Felicem Presbyterum his verbis. Plebs obsecrans præceptis Dominicis, & Deum metuens à peccatore præposito separari debet, nec se ad sacrilegi sacerdotis sacrificia immiscere, cùm ipsa maximè habeat in potestate, vel dignos eligendi Sacerdotes, vel indignos recusandi, quod & ipsum videmus de Diuina Authoritate descendere, vt Sacerdos plebe præsente sub omnium oculis eligatur, & dignus, atque idoneus publico iudicio, & testimonio comprobetur & addit, sicut in Numeris Moysi præcepit Dominus dicens. Apprehende Aaron fratrem tuum, & Eleazarum filius eius, & impones eos in monte coram omni Synagoga, & exue Aaron stolam eius, & indue Eleazarum filium eius, & Aaron appositus moriatur illic, & sequitur. Cyprianus coram omni synagoga iubet Deus constito Sacerdotem, idest instruit, & ostendit nonnisi sub populi assisteutis conscientia fieri oportere, vt plebe præsente, vel detegantur malorum crimina, vel bonorum merita prædicentur, & sub ordinatio iusta, & legitima, quæ omnium suffragio, & iudicio fuerit examinata. Quid postea secundùm Diuina magisteria obseruatur in actis Apostolorum, quando ordinando in locum Iudæ Eiscopo Petrus, ad plebem loquitur. Nec hoc in Episcoporum tantùm, & Sacerdotum, sed in Diaconorum ordinationibus

nibus obseruasse Apostolos animaduertimus, de quo in actis Apostolorum scriptum est. Hæc Cyprianus. Et quoniam alia quæ Cypriano hic producuntur alterius generis sunt, & Auctor admodum grauis est operæ pretium duximus sua dicta seorsum, & congruo ordine perpendere, & demonstrare.

Primùm omnium de sanguine Domini omnibus dando nil in hoc loco repetendum expedit, cum supra rem hanc satis explicatam reliquimus, & tamen innuimus vtrumque morem fuisse in Ecclesia, & id quod Cypriani tempore licebat, postmodum novis superuenientibus causis, inter quas & hæc est nempe ad vitandum illa pericula, quæ in vsu calicis innumeræ laicorum multitudini accidisse compertum est ecclesiam consultò prohibuisse cuius præcepto, eisdemque causis D. Cyprianus nunc viueret obtemperaret, ac Laicis seruandum præciperet.

Illud autem quod secundo loco ex eodem D. Cypriano de electione Episcoporum, & Sacerdotum productum est sanum habet intellectum, & ipsiusmet in eadem epistola sequentia verba suorum verborum congruum sensum explicant.

Dicit vtique D. Cyprianus plebem habere in potestate eligendi Sacerdotes, sed quænam sit hæc potestas statim explicat cum illico subdit dicens. Quod & ipsum videmus de Diuina Auctoritate descendere, vt Sacerdos plebe præsente sub omnium oculis eligatur. Præsentiam igitur, & testimonium plebis pro eodem habet D. Cyprianus cum potestate eligendi supra plebi tributa.

Sed quoniam his paucis supramemoratæ plebis facultatis tempus non apertè explicatus erat adiecit similitudinem, ac deinde talia verba subnectat, vt nulla cauillandi superaret occasio. Ait enim sicut in Numeris Moysi præcepit Dominus dicens. Apprehende Aaron fratrem, & Eleazarum filium eius, & impones eos in mortem coram omni synagoga, & exue Aaron stola eius, & indue Eleazarum filium eius, & sequitur, coram omni synagoga iubet Deus constitui Sacerdotem, idest instituit; & ostendit nominis sub populi assistentis conscientia fieri oportere, vt plebe præsente, vel detegantur malorum crimina, vel bonorum merita prædicentur. Hæc Cyprianus quibus iam Matthias conijcere poterit in Moyse munus Episcopale quale sit, hoc est vt Dei ministet sit, eiusque mandata exequatur. Plebis verò testimonium bonum, vel malum ferre. Quod quidem in Episcopo loco Iudæ constituendo ita factum esse in Actis Apostolorum. Cyprianus narrat nimirum Petrum dumtaxat electionem faciendam proposuisse, quamuis coram plebe eamet ratione, qua dictum erat. Non enim ignorabat Doctissimus vir aliud esse verè eligere, & electioni assensum, & bonum testimonium perhibere electum ordinare, & consecrare, ac potestatem suo officio congruentem tribuere, & ista omnia coram plebe efficere, & exequi, & inde testimonium, & consensu, habeatur. Quod verò ad Episcopum altiùs ratio repetenda est, nam in primis sacrisque sanctionibus proprium est, ne ciuitatis obtruderetur Episcopo, ne fortè ciuitas eum & odio prosequeretur, & fiat cunctas illa minùs religiosa quàm conuenit cui non licuit habere, quem voluit. Itaque non plebis, sed penes clerum facultas erat eligendi Episcopum quamuis eius esset electioni consentire, & bonum perhibere testimonium. Quod si in veteri lege huius rei formam quæris Samuelem obserua. qui cùm Saul à Deo electus esset, & ministri ministerio consecratus, & in medio populi constitutus ait. Certè videtis quem elegit Dominus, quoniam non sit ei similis in omni populo, nec curauit Samuel plebis consensum expetere, siue igitur Episcopum, siue Sacerdotis primam, & præcipuam electionem consideres à Deo esse D. Paulus vbique locorum demonstrat.

Secundò verò loco Ministri Dei esse, eiusdem D. Pauli doctrina, ac experientia nos docuit. Quod verò à Christo, & Spiritu Sancto primi Episcopi Sacerdotis institutio sit D. Paulus docet, cùm & ipse, & Timotheus, ac Titus eius præcepto per ciuitates Episcopos ordinauerint. Nec non alijs Ephesi dictum legimus. Attendite vobis, atque omni gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos ad regendam Ecclesiam Domini Iesu. Quod si præter D. Pauli testimonium Sanctorum Patrum dicta desideras in promptu habes D. Ignatium martyrem primitiuæ Ecclesiæ Heroem, habes Origenem, habes denique ipsummet Cyprianum. Dignum est inquit Ignatius vos obedire Episcopo vestro, & in nullo ei contradicere, non enim ipsum visibilem quis spernit, sed illum Inuisibilem in eo contemnit, qui non potest à quoquam contemni, hic enim non ab homine, sed à Deo habes promotionem. Origenes verò quid inquit; loquar de parentibus, & filijs. Si Iesus Filius Dei subijcitur Ioseph, & Mariæ, ego non subijciar Episcopo, qui mihi à Deo ordinatur, est pater? non subijciar presbytero, qui mihi Dei dignatione præpositus est. D. Cyprianus ad Papianum sibi reuelatum testatur, quod qui Christo non credat Sacerdotem facienti postea tandem incipit credere sacerdotem vindicanti. Et cùm hæc & huius generis sincera dicta D. Cyprianus probè nouisset, etiam in constitutione Episcoporum, & Sacerdotum, quæ partes essent Dei, quæ ministrorum eius, & quæ plebis minimè dubitandum est, sicut nec tibi Matthia nulla dubitandi, vel calumniandi, nisi voluntaria superest. In eodem etiam capite complura attulit, ac prolixo admodum sermone de eia differit, sed quoniam supra ferè idem disputatum est sat erit compendio illa æstimare, ac B. Cypriani verbis suis etiammet dictis satisfacere. In tractatu inquit de simplicitate Clericorum disputat idem fuisse alios Apostolos, quàm Petrum, & honore, & potestate. Quare Episcopos & successores pares dignitate, & potestate esse.

Item Papas Romanos sæpè in suis epistolis vocat fratres, Consacerdotes, & collegas, & omninò ita per omnia cum eis agit, ac cum suis dignitate, & auctoritate æqualibus. Hoc adeò Matthias nomen prælatorum immeritò abhorret, vt quod B. Cyprianus scripsit in tractatu, de simplicitate prælatorum, ipse clericorum esse asserit. Quo verò honore, & qua potestate Cypria-

prianus Apostolos pares fecisse supra latiùs declaratum est, nunc denuò repetimus, nempè in Apostolatus munere, & dignitate pares fuisse, & cùm Episcopi in Apostolatu Apostolis non succedant, Petri successoribus iurisdictione æquiparari non possunt, & nihilominùs in eadem Epistola vnà cum istis verbis quid pręalijs Apostolis Petro debeatur apertè insinuat dicens hoc erant vtique, & cæteri Apostoli, quid fuit Petrus pari consortio prędìti, & honoris & potestatis, sed exordium ab vnitate proficiscitur, vt Ecclesia vna monstretur. Et quoniam hæc Cypriani verba superiorum verborum quasi illationes sunt, illa hic adscripsit, vt in aperto esset, qua ratione Cyprianus Apostolos pares fecerit, & in quo Petrum illis prætulerit. Ait enim ante memorata verba. Loquitur Dominus ad Petrum. [Ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super istam Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersùs eam. Tibi dabo claues Regni Cœlorum, & quæ ligaueris super terram, erunt ligata & in cœlis &c.] Et eidem post Resurrectionem suam dicit. [Pasce oues meas,] & quamuis Apostolis omnibus post Resurrectionem, parem potestatem tribuat, & dicat. [Accipite Spiritum sanctum, si cui remiseritis peccata remittuntur eis &c.] Tamen vt vnitatem manifestaret, vnitatis eiusdem originem ab vno incipientem sua auctoritate disposuit, & ne quispiam hæc sua verba in alium sensum detorquere possit, quàm ipse de Petri suprema auctoritate sentiebat in Epistola tertia supra Cornelio Romano scripta declarat quanam ratione supramemoratam vnitatem eiusque originem intelligat, ait enim.

Neque enim aliunde hæreses obortæ sunt, aut nata schismata, quàm inde, quod Sacerdoti Dei non obtemperatur. Nec vnus in Ecclesia ad tempus Sacerdos, & ad tempus Iudex Vice-Christi cogitatur, cui si secundùm magisteria diuina obtemperaret Fraternitas vniuersa nemo aduersùs Sacerdotum Collegium quicquam moueret, nemo post diuinum Iudicium, post populi suffragium, post Coepiscoporum consensum iudicem se non iam Episcopi sed Dei faceret. Hęc Cyprianus. Et nos hunc Summum Sacerdotem, atque Iudicem Petrum fuisse dicimus, ac successores omnes in Cathedra ritè sedentes, hos Cathedra Fraternitas vniuersa vices Christi in terris supremas gerere cum Cypriano affirmamus. Quod verò B. Cyprianus Episcopum Romanum fratrem appellauerit, ac Consacerdotem suum optimè factum est; Nam Episcopus Romanus Episcopos omnes fratres venerabiles appellat, ac non solùm Episcopij verùm etiam Sacerdotes Sacerdotij ratione, hoc est conficiendi, & offerendi Episcopis pares sunt, quæ amoris ac beneuolentiæ nomina nil detrahunt, quominùs supremæ partes Episcopo Romano non debeantur. Cætera verò Metropolitanorum parem facultatem ex Concilio Nicæno desumpta, cùm in titulo Concilium Nicænum ex professo latiùs ab isto tractentur ad idem Caput illa discutienda differimus.

Refert etiam Matthias cùm de Cornelij Papæ electione tamquàm minùs rectè factam rumor in Africam esset allatus, ità Cyprianus ad Cornelium, & Romanos Sacerdotes scripsit petens vt probaret electionem, rectène factam esse, ac sibi aliquid iuris in eum iudicaret. Non enim temerè Cyprianus scripsit, vt iste illi tribuit, sed illis verbis & ea ratione vsus est, quibus si Episcopi Romani nunc electio rectè non fieret omnes rectè sentientes facerent, quinimmò illius electionis, sedula Cypriani cura nos certiores reddit Romanam Apostolicam sedem, eiusq; Pastorem omnibus Christi fidelibus esse communem omnibus præeminere sedibus, quemadmodum supramemoratis, ac memorandis Cypriani verbis hoc idem sentire satis constare videtur.

Rursus instat Matthias B. Cyprianum nullum Romani Episcopi primatum agnouisse, propterea quod Cornelium Papam ille monuit, quod minùs sceleratorum perterritus illis meritas pœnas non præceperit. Et cùm hæc friuola admodum sint dicimus tantum quod cùm illi perditi homines Africani essent ad Cornelium non confugissent, nec Cyprianus de exigendis pœnis scripsisset, si Cornelius omnibus mundi prouincijs non præfuisset. Sed Matthias hæc nostra dicta fortasse præuidens quædam ex Cypriano profert quibus putat suum propositum ostendisse, quem quidem sic loquentem introducit.

Singulos Episcopos suo grege contentos esse debere. Nam cùm statutum sit ab omnibus nobis, & æquum sit pariter, ac iuxta vt vniuscuiusque causa illic audiatur, vbi est crimen admissum, & singulis pastoribus portio gregis sit adscripta, quam regat vnusquisque, ac gubernet rationem sui actus Domino redditurí, oportet vtque eos, quibus præsumus non circumcursare, nec Episcoporum concordiam cohærentem sua subdola, & fallaci temeritate colligere, sed agere illic causam suam, vbi & accusatores habere, & testes sui criminis possit, ne paucis desperatis, ac perditis minor videatur esse auctoritas Episcoporum in Africa constitutorum; qui iam de illis iudicarent. Et quædam alia, quæ eodem tendunt. Cùm hæc verba Cyprianum Cornelio scripsisse Matthias legit, vel ad eumdem illa referri existimauit, vel alijs sua industria suadere posse excogitauit; sed quàm toto cælo aberret præcedentia, & subsequentia Cypriani verba non proteruientibus apertè ostendunt.

Præcedentia enim verba in eadem epistola hæc sunt. Per Felicianum autem inquit Cyprianus Cornelio significaui tibi frater venisse Carthaginem Priuatum veterē hæreticum in Pambesitana Colonia ante multos fere annos ob multa, & grauia delicta nonaginta Episcoporum sententia condemnatum, cùm in nostro Concilio causam meditare vellet, nec admissus fuit. Fortunatum istum Pseudoepiscopus dignum Collegio suo fecit, venerat etiam cum illo, & Felix quidam quem ipse extra Ecclesiam in hæresi Pseudoepiscopùm olim constituerat, sed Iouinus, & Maximus Comites, cum Priuato Hæretico adfuerunt ob nefanda sacrificia, & crimina in se probata sententia nouem Collegarū nostrorum condemnati, & iter arò quoque à pluribus missis anno priore in Concilio absenti,

cùm

cum his autem quatuor iunctus est, & Præpositus Saturnicensis, vel Quoturnicensis. Hi quinque cum paucis, vel sacrificantibus, vel malè sibi conscijs Fortunatum sibi Pseudo-Episcopum cooptarunt, vt criminibus in vnum conuenientibus talis esset scilicet Rector, quales illi, qui reguntur, & paulò post.

Hi autem sunt, vt scribis iactare viginti quinque Episcopos adfuisse, quod mendacium apud nos iactabant dicentes, vigintiquinque Episcopos de Numidia esse affuturos, qui sibi Episcopum facerent, quo in mendacio suo, posteaquam solis conuenienter naufragis, & à nobis abstentis detecti sunt, atque confusi Romam cum mendaciorum suorum merce nauigarint, quasi veritas post eos nauigare non posset, quæ mendaces linguas rei certæ probatione conuinceret, ea, quæ sequuntur crimina istorum, & fraudes enarrat, atque detestatur, post quæ adiecit. Nos in Episcopi persecutionis tempore, de hoc ipso literas misimus, nec auditi sumus Concilio frequenter acto, non consensione tamen nostra, sed & communicatione decreuimus fratres agerent, vt pœnitentiam non agentibus nemo temerè pacem daret. Illi contra Deum sacrilegi, contra Sacerdotes Dei impio furore temerarij, de Ecclesia recedentes, & contra Ecclesiam parricidialia arma tollentes elaborant, vt opus suum Diaboli malitia consummarent, & huius generis verba aduersùs illos completa sequuntur quousque ad illa verba perueniant, quæ Matthiæ commentum istud refellunt, ac prorsus euacuant, quæ quidem hæc sunt.

Post ista inquit Cyprianus adhuc insuper Pseudoepiscopi sibi ab Hæreticis constituto nauigare audent, & ad Petri cathedram, atque Ecclesiam principalem, vnde vnitas Sacerdotalis exorta est à schismaticis, & profanis literas ferre, nec cogitare eos esse Romanos, quorum fides Apostolo prædicante laudata est, ad quos perfidia habere non possit accessum. Hactenus ea producta sunt, quibus facilè discerni potest, an Cyprianus verbum illud, nimirum statutum est, quod Matthias tanti facit ad Cornelium, an verò ad supramemoratos hæreticos, suosque fautores potissimùm referri voluit. Quod verò non ad Cornelium referri possit Encomium Cathedræ Petri tributum impedit, quo Cyprianus se, suamque Cathedram Romanæ inferiorem, ac subditam esse profitetur. Sin autem ad illos referat his, quæ sequuntur percipies. Ait enim. Nec episcoporum concordiam cohærentem sua subdola, & fallaci temeritate collidere, sed agere causam suam, vbi accusatores habeant, & testes eius criminis esse possint, Et subdit, in propositum, de quo controuertitur, dicens. Nisi paucis desperatis, & perditis minor videatur auctoritas Episcoporum in Africa constitutorum, qui iam de illis iudicarunt. Et paulò inferiùs propositum his apertiùs explicat. Si eorum inquit, qui de illis priore anno iudicauerunt numerus cum presbyteris, & Diaconis computetur, plures tunc adfuerunt in iudicio, & cognitione, quàm sunt ijdem isti, qui cum Fortunato videntur nunc esse coniuncti. Controuersia igitur inter Episcopos est, non autem cum primæ sedis Episcopo, ad quem & illi, & Cyprianus tamquam ad caput confugiunt, quod si omnium caput non esset: quorsum illorum accessus, & tot ad illud Cypriani literæ ità conscriptæ, perinde ac ab illo sententiam essent expetituri. Ait enim infra Cyprianus. De isto verò quid dicam, qui nunc ad te cum infelicissimo omnium criminum reo nauigauerunt legati à Fortunato pseudo Episcopo missi, tam falsas literas afferentes, quàm est ipse, cuius literas ferunt falsas, quàm est & eius peccatorum multiplex conscientia, quàm execrabilis vita, quàm turpis, vt si in Ecclesia essent eijci tales de Ecclesia debuissent. Sed quorsum hæc Episcopo Romano, potiùs quàm Trinacriæ, vel alterius prouinciæ Episcopis vicinioribus, nisi ille omnium supremus non esset, qui quidem, & si prisca illa ætate ità apertè suam auctoritatem, & principatum non ostendebat, sicuti postea factum est, cuius causa Matthias inconsideratè illi sæpè obgannit, id fuit in causa, quod supra dictum est, & sæpiùs etiam expedit repetere, nempe Deum imitari Romani Pontifices, qui cùm paremus, pater est, cum verò delinquimus iudicem agit, de quibus, & prima illa Ecclesiæ ætate superiùs latiùs. Autea enim illa ætate cor vnum, & anima vna erat, ac ob id non nisi de mutua fraternitate sermo erat, & parum inter prælatos iudiciaria potestas discernebatur, cum verò bonitati, & puritati, iniustitia, & temeritas, vel ignorantia successit, qui priùs patrem agebat, Iudicem, & sæpius seuerum agere coactus est; Adde etiam, quod cùm suprema hæc potestas in ministerium collata sit, non minùs congruit, causa exigente, seruum agere, quàm Principem se ostendere. Et si quæ dicta sunt ad Cypriani mentem explicandam satis esse non videntur, exemplo, & testimonio esse possunt, quæ Diuus Augustinus, & Hieronymus de eo afferunt, deque Romana sede, præsertim cùm sub eo, & cum ipso de rebaptizandis hæreticis per peram deliberatum est.

Beatus itaque Augustinus. Puto, inquit, quod sine vlla sua contumelia Cyprianus Episcopus Petro Apostolo comparetur, quan- *Contra Donatistas.*
tùm attinet ad martyrij coronam, cæterùm magis vereri debeo, ne in Petrum contumeliosus existam. Quis enim nescit illum Apostolatus Principatum, cuilibet Episcopatui præferendum. Sed & si distet cathedrarum gratia, vna est tamen martyrij gloria. D. *Aduersus Luciferianos.*
verò Hieronymus propriùs accedens, inquit. Conatus est Beatus Cyprianus contritos lacus fugere, nec de aliena aqua bibere, & id circò hæreticorū baptisma reprobans ad Stephanum tunc Vrbis Romæ Episcopum, qui à Beato Petro vigesimus sextus fuit, super hoc Africanam synodum direxit. Sed conatus eius frustra fuit, non probante sede Apostolica: sed contendit adhuc Matthias ex Cypriano, ac vult verbum illud supramemoratum, nempè cùm statutum sit omnibus nobis, iam Cornelium Papam comprehendisse. Quod quidem pollicetur se ostensurum in Synodo Carthaginensi, in qua simillima Cypriani tempore controuersia fuit, nos verò eodem in loco cum peruenerimus nostro muneri non deerimus. Et tamen hic in mente

sincera res produceretur, non negaremus inter Episcopos, & in Concilio conuentum esse, non tamen sine sedis Apostolicæ auctoritate, & assensu, quinimmò ipsimet Romani Pontifices seorsum præcepisse, causas ab illis iudicari debere, vbi delicta commissa sunt, præsertim si delinquentes subditi fuerint, quod quidem adeò Romanæ Curiæ vsitatum est, vt si quando Summi Pontificis ministri huiusmodi causas ante prolationis sententiam sibi arripiunt, coguntur illas suis Episcopis iudicandas relaxare, sicut etiam liberum est supremæ sedis Episcopo post latam sententiam de subditorum grauaminibus iudicare, quemadmodum ante, & post Cypriani tempora declaratum, ac vsitatum esse demonstrauimus.

Neque Matthiæ proposito sanet, quod Cyprianus dixerit se de malo iudicio Deo redditurum esse rationem, cùm eo in loco de secreto animi delicto intelligat, nam si de exteriori ageret, cur tot verbis, & rationibus, & causæ instructionibus aduersùs illos hæreticos contendisset, illasque Cornelio retulisset, si nil ad Cornelij iurisdictionem pertinerent, sed de his etiam aliàs cùm iste afferret quod hic se facturum pollicetur.

GREGORIVS.

[Gregorius, inquit, per excellentiam dictus Theologus scribit in quadam Epistola, nullam adhuc se vidisse synodum, in qua non potiùs mali aliquid effectum sit, quàm boni, eoque dicit sibi in animo esse omnes synodos vitare.] Et subdit Matthias [Id cùm illis iam temporibus acciderit, quid mirum si postea crescente hominum spiritualium præsertim romanistarum in regenda Ecclesia, non tam negligentia, & inscitia, quàm scelerata malitia, infinita, falsa, ac impia in Concilijs decreta sint.]

Si Epistola illa ad Procopium, in qua hæc scripta sunt D. Gregorij est, procul dubio non de Oecumenicis Concilijs, sed de aliquibus prouincialibus sui temporis loquitur, & conqueritur, quibus fortasse ipse interfuit, quæ ad nostram notitiam minimè peruenerunt. Et nos etiam diuersis in Prouincijs litigiosa facta esse concilia, non ignoramus, ac ob id fortasse prouincialia Concilia in desuetudinem abiuisse, quæ modò cùm restituta sint, vtinam eorum progressus faustus sit, ne cogamur eadem ratione, & causa Diui Gregorij sententiam subscribere. Quod autem Concilia Oecumenica eius verba non comprehendant, non solùm ex eo patet, quòd talis, ac tantus vir in tam grauem errorem, quinimmò pestiferam heresim incidere non poterat, tum etiam quia ipse Nicœnum Concilium veneratus est, ac summis laudibus illud extulit. Siquidem in oratione funebri in B. Athanasium, cum de Arij, & Sabellij errore loqueretur de Nicœna Synodo hæc adiecit. Ac ideo primùm inquit in Synodo illa Nicœna, & prudentium numero; quos Spiritus Sanctus in vnum collegit, quantam in ipso erat, ægritudinem sedauit.

Item in Epistola secunda ad Clidonium inter cætera. Propterea, inquit, tuæ scriptimus reuerentiæ id, quod ante literas cognouerat, quod nihil æquè, ac fidem Nicœnam à Sanctis Patribus, qui illic ob Arrianę hęreseos purgationem conuenerant honoramus, aut honorare valemus, sed eiusdem fidei sumus, & Deo iuuante erimus.

Et in tractatu de fide fides inquit, conscripta apud Nicęam à rectè credentibus Episcopis trecentis decem, & octo. Credo in vnum Deum vsque ad finem. Et subdit. Eos autem, qui dicunt erat, quando non erat, & quæ sequuntur. Hos anathematizat Catholica, & Apostolica Ecclesia. Amen.

Ex quibus Matthias addiscere poteris, non modò œcumenicum Concilium Diuum Gregorium detestatum, sed illud Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam appellat. Cætera verò, quæ sequuntur istius maledicta, delirantis sunt. Et sequitur: [In quadam oratione negat opera pro mortuis facta, eis profutura.] Et subdit; [Et ità loquitur de altera vita, tamquam qui Purgatorium penitus ignorat.]

Quænam sit hæc oratio, in qua hæc verba continentur ignoramus, perlegimus enim omnes Gregorij orationes & nil tale inuenire potuimus, ideò cùm primùm Matthias, illam nobis ostenderit, præsto erimus. Asserit enim Gregorium ceremoniarum pietatem taxare, & carmina ipsius scribit, dicentia: [Flagitium est fidem habere in coloribus, & non in corde, & quæ sequuntur.] Quibus omnibus nos subscribimus carminibus, sed quid pijs ceremonijs detrahunt? Quis enim fuit, aut erit, qui colores cordibus præferat, aut colores dumtaxat esse pias ceremonias, illas, inquam, quæ ad ornandum Dei cultum, ac Ecclesiæ maiestatem consultò dispositæ inueniuntur.

LACTANTIVS.

Tria ex Lactantio loca commemorat, quibus simulacra, & candelarum oblationem insectari videtur. Nos autem etsi Lactantium in eo dicendi genere, quo præstat inter præcipuos viros collocemus inter tamen illustres Theologos ipse eumdem locum non habet, ac ob eam causam, quamuis de simulacris, ac candelis offerendis locutus non errauit, quia tamen minus dilucidè de his, Poetarum more locutus est, occasionem, quam consultò fortasse ipse non dedit, vir iste ad sui perniciem accepit, eaque hoc loco vsus est.

Ad dicta verò Lactantij dicimus, cùm ipse de ea adoratione, quæ soli Deo debetur, loquatur, & quam simulacris non deberi contendit, quid possumus, nisi eius sententijs nos subscribere?

Verba autem istius ex Lactantio hæc sunt: [Quæ igitur dementia est, aut ea fingere, quæ ipsi postmodùm timeant, aut timere, quæ finxerunt.] Et sequitur: [Non ipsum, inquiunt, timemus, sed eos, ad quorum imaginem ficta, & quorum nominibus consecrata sunt. Nempè ideò timetis, quos in Cælis esse arbitramini, neque enim si Dij sunt, aliter fieri potest. Cur igitur oculos in Cælum non tollitis, & aduocatis eorum nominibus in aperto sacrificia celebratis? Cur ad parietes, & ligna, & lapides potiùs, quàm

illò spectatis, vbi eos esse creditis? Quid sibi templa, quid aræ volunt, quid deoique ipsa simulacra, quæ aut mortuorum, aut absentium sunt monumenta.] Et subdit: [Deos igitur, in quorum numero reponemus, si in mortuorum, quisnam stultus, vt colat, si in absentium, colendi ergo non sunt, si nec vident, quæ facimus, nec audiunt, quæ precamur.]

Verba hæc Lactantij, cùm ad Deos referantur, & ad illos, qui imagines timent, ad nos minimè pertinent. Et quæ subinfert de templis, aris, & simulacris, cùm eòdem tendant, nihil superest, nisi paucis repetere, quæ supra de his egimus, nempè cum sexta Synodo sic profiteri. Venerabiles imagines, Christianos, non Deos appellare, neque seruire eis vt Dijs, neque spem salutis ponere in eis, neque ab eis expectare futurum iudicium, sed ad memoriam, & recordationem primitiuorum venerari, & adorare eas, & cum Gregorio aduersùs Episcopum Marsiliensem idem confirmamus, nimirum, cùm ait: [Aliud est enim picturam adorare, & aliud per picturæ historiam, quid sit adorandum addiscere.] Nàm quod legentibus scriptura, hoc, & idiotis præstat pictura cernentibus, quia in ipsa ignari vident, quid sequi debeant, & ipsis, qui literas nesciunt, pro lectione pictura est.

Quibus quidem cùm verborum Lactantij perspectus, & sanus sensus non detrahat, frustrà hoc loco ab isto allata sunt: Quæ verò de vana candelarum oblatione ex eodem Lactantio profert, hæc sunt: [Non igitur, inquir, mentis suæ compos putandus est, qui auctori, & datori hominis candelarum, ac cereorum lumen offert pro munere. Aliud verò ille à nobis exigit lumen, & quidem non fumidum, sed liquidum, atque clarum, mentis scilicet, quod exhibere non poterit, nisi qui Deum cognouerit.] Hæc ille.

Duo siquidem potissimùm ex Lactantio, vt ex præcedentibus, & sequentibus verbis colligitur habemus, nempè, quod illi, qui in lumine candelarum Deo offerendo, vel oblato absque mentis lumine fidebant, vt antentes reprehenduntur, & quod lumen, quod à nobis exigit Deus, nemo habet, qui Deum non cognoscit. Quibus omnibus subscribimus, sicut etiam Lactantius ipse mentis compotem, ac Deum, quantum ingenij nostri exiguitas patitur cognoscentem, non reprehendit, præsertim si ille mente sincera Deo debitas laudes, ac pro beneficijs dignas gratias, accenso candelarum lumine, potiùs offerat, quàm in caliginoso aere, & loco tenebrarum Principibus congruo; sed de his etiam alias.

EPIPHANIVS.

In capite contra Callyridianos, Epiphanium acriter reprehendere illos, qui Sanctissimam MARIAM adorandam esse sentiebant, vnà cum isto, & nos referimus, sed qua causa motus, & quid verè eo loco de hac adoratione Epiphanius senserit, diffidemus nec possum non admirari, cur iste de his ità frequenter agat, cùm sciat innumeros esse libros, in quibus præcipui Patres adorandi multiplex genus declarant, ac genus illud supremum adorationis, quod soli Deo, Christoque Filio eius tribuitur, nemini alteri deberi, neque à nobis exhiberi. An verò Epiphanius hoc dumtaxàt Sanctissimæ Virgini exhibendum esse neget, causa scribendi, eiusque verba demonstrant: [Causa, inquam, quoniam contra Collyridianos scribebat, qui Sanctissimam MARIAM adorandam esse credebant;] sed qua adoratione verba Epiphanij demonstrant, qui hæc habet: [Reuera, inquit, sanctum erat Corpus MARIÆ, non tamen Deus. Reuera Virgo erat ipsa, & honorata, sed non ad adorationem nobis data, sed ipsa adorans eum, qui ex ipsa carne genitus est.

Eodem capite Epiphanius, vt apertiùs suorum verborum intelligentiam aperiret, in hæc verba scribit: [Non enim, inquit, dominabitur nobis antiquus error, vt relinquamus viuentem, & adoremus ea, quæ ab ipso facta sunt, coluerunt enim, & adorauerunt creaturam præter Creatorem, & facti sunt stulti.]

Iam his verbis compertum est, quo sensu adorationem Virginì ademit, quæ cùm eadem sit Catholica, quam profitemur, nil isti prodesse potest. Sed quoniam fortasse in supramemoratis verbis de eo adorandi genere, quid callidè extorqueri posset, vt omninò cauillis auferatur occasio, apertissimè demonstrat, quam adorationem Sanctissimæ MARIÆ neget. Inquit enim: [Sit in maximo honore MARIA, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus adoretur.] Quis verò, & quantus honor sit ille, quem Dei Sanctissimæ Matri nos exhibendum doceamus, qui nouit qualis, & quanta sit Dei Mater, & quantum ei genus humanum debeat, si ignoratus, & amplus non est, illum esse affirmabit, quem iste, cæterique sui similes detestantur, & nos supra multis locis demonstrarum reliquimus. Alterum verò locū ex eodem affert, in quo cùm nihil aliud contineatur, præterquamquod vnum sit sacrificium, vna victima, quæ Christus est, nil addi, vel minui videtur, nisi quod sacrificium, istud illa cruenta hostia est, cui omnia alia innituntur, & quod eadem re ipsa est, diuersa tamen ratione, eum ea incruenta, quam nos sumimus, eamque Deo offerimus, non alia ratione nobis valituram, quàm virtute illius iustitiæ, quæ ab illa vnica cruenta in cruce nobis parta fuit.

Alia autem verba Epiphanij, nempè: [Nùm edoto carnes taurorum, & bibero sanguinem hircorum, & quod hæc aduentu Christi sublata sint. Ad legem figurarum, & vmbrarum pertinet, quæ præsenti re significata, omninò cessarunt. Tertio etiam loco ex Epiphanio ferè eadem de adoratione affert, quæ cùm nil prohibeant, præterquam solam adorationem Deo debitam, non est cur moremur. Quarto quoque loco ex eodem aduersùs imagines, quamdam epistolam affert, ad Ioannem Hierosolymitanum Episcopum, & cuius in latinum versionem Diuo Hieronymo tribuit, sed verba ipsius epistolæ referamus, vt quisque intelligat, quod estò, quod illa Epiphanij esset (quod non creditur) nil propterea suis fauet commentis: [Cùm quādam Ecclesiam, inquit, intrassem, vt orarem, inueni ibi velum pendens in foribus eiusdem Ecclesiæ tinctum, atque depictum, & habens ima-

imaginem quasi Christi, vel Sancti, cuiusdam, non enim satis memini, cuius imago fuerit. Cùm ergo hoc vidissem in Ecclesia Christi, contra auctoritatem Scripturarum, hominis pendere imaginem, scidi illud. Qui responsum à Custodibus refert. Si id scindere voluerat, iustum erat, vt aliud daret, atque mutaret.] Hæc summatim ille. Quod se fecisse Diuus Epiphanius refert, quilibet pius, & prudens Episcopus faceret, Quis enim videns nullius figuræ velum in aliqua Ecclesia pendere neminem repræsentantem tamquàm illius sacri loci indignum, illud non scinderet, tolleretque; quemadmodùm si Christi apertè effigiem Epiphanius prospexisset, non lacerasset. Incognita igitur in Ecclesia pendere prohibentur, perspicuæ verò imagines retinentur, ea tamen lege, quam sexta Synodus præfixit, de qua nos supra commemorauimus; sicut etiam non omisimus, quo tempore, & qua ratione imagines interdictæ fuerint. Et quamuis ex eodem iste similia hoc meo loco afferat, nil præter supradicta ei est repetendum. Addentes etiam, quod si Diuus Epiphanius tempore, quo floruit, Apostolicam Sedem, aut Oecumenicum Concilium statuisse, quod nos iàm statutum seruamus, sciuisset, esto quod aliter anteà sentiret, quod tamen verbis suis non exprimitur, suam dubio procul in nostram mutasset sententiam.

EVSEBIVS EMISENVS.

Narrat sub hoc capite istum Eusebium à Pontificijs erroribus fuisse alienum, & quod in suis scriptis nil de Romanæ Ecclesiæ primatu agit. Quinimò in quadam Homilia de Petro, & Paulo exponens illud Matthei. Tu es Petrus, &c. non super Petram, nec super Ecclesiam Romanam, sed super Christum, & fidem in Christum, quem Petrus confitebatur esse filium Dei viui, Ecclesiam ædificatam, & potestatem soluendi, & ligandi non soli Petro, sed etiam Episcopis, & Sacerdotibus concessam esse docet. Hæc existo compendio.

Omissis istius consuetis conuicijs dicimus D. Eusebium, cùm Petrum in memorata homilia primùm Apostolorum omnium declarauerit, iam Romanam Ecclesiam quam ille propriam sibi Sedem asciuerit, atque suo sanguine Domino consecrauit, primam obtinuisse censendum est. Quæ verò de Petro eo loco scripserit, hæc sunt. Electi duo præcipui ad duorum populorum salutem, Petrus ad Iudæorum, Paulus verò ad gentium, &c. Quorum autem discrimen faciens paulò inferiùs inquit.

Nam & si Petrus primus, alter verò præcipuus, & vtrumque munus, quo præstabant, demonstrans, ait. Petro quidem claues Regni Cœlorum, Domino committente, creduntur, sed Paulo in Paradiso arcana verba panduntur, quæ non licet homini loqui. Eorum verò, quæ vlteriùs iste hic adiecit, nec verbum quidem in memorata homilia inuenitur, quod si extarent, consulat superiora, quibus addiscet, quanam ratione D. Eusebius super Christum, super fidem in Christum, super Petrum fundatam esse Ecclesiam intelligere potuit. Quemadmodum etiam absoluendi, & ligandi facultatem, eiusque differentiam Petro, Episcopis, & Sacerdotibus traditam esse intellexerit, vt etiam isti eisdemmet exploratum esse deberet.

VIGILANTIVS.

Ex Diuo Hieronymo, huius Episcopi, hæc, quæ sequuntur verba affert. Quid necesse est te tanto honore, non tantùm honorare, sed etiam adorare illud, nescio quid, quod in modico vasculo transferendo colis? Quid puluerem, linteamine circumdatum adorando osculearis? Propè ritum gentilium, videmus sub prætextu religionis introductum in Ecclesia, sole adhuc fulgente, moles errorum accendi, & vbicumque puluisculum, nescio quod immodico vasculo pretioso linteamine circumdatum, osculantes adorant. Item quod dum viuimus, mutuò pro nobis orare possumus, postquam autem mortui fuerimus, nullius sit pro alio exaudienda oratio.

Idem prohibet Hierosolymam in vsus Sanctorum aliqua sumptuum solatia dirigi ac eos melius facere, qui suis vtuntur rebus, & melius esse paulatim de fructibus dare eleemosinam, quàm illis venundatis, semel omnia largiri.

Idem si omnes Monachi se clauserint, & fuerint in solitudine, quis celebrabit Ecclesias, quis sæculares homines lucri faceret, & reliqua.

Quæ hoc loco ex D. Hieronymo iste attulit, ab eodem declarata sunt, suæque stultitiæ correctionem recipere debet, & si sibi constare voluerit omnia, quæ D. Hieronymus Vigilantio respondet, eo animo suscipi debeter, quo in suis præfationibus, cum summis laudibus extulit, ac illius doctrinam cum sua, & suæ Ecclesiæ congruere affirmauit.

Quod quidem tantò libentiùs facere debet, quantò D. Hieronymus hanc nactus occasionem complura hæreticorum commenta refellit, ac sanam Ecclesiæ doctrinam, traditionesque, & ritus extollit, atque demonstrat. Ac ob eam causam, si tanti viri verba fusiùs recensuero, mihi vitio non detur, quando illa, & illius talia sint, quæ pro legibus apud orthodoxos retineri debeant.

Impatientes igitur instar Moysis, qui legis tabulas ob idolatriam sancta ira permotus confregit, simulque illos trucidari iussit, D. Hieronymus aduersùs, non Episcopum, sed Lupum Vigilantium sancto zelo, primo loco in hæc verba prorupit, Sola Gallia monstra non habuit, sed viris semper fortissimis, & eloquentissimis abundauit; Exortus est subitò Vigilantius, seu veriùs Dormitantius, qui immundo spiritu pugnet contra Christi spiritum, & martirum neget sepulchra veneranda, damnandas dicit esse vigilias, nunquam, nisi in Pascha, Alleluia, cantandum. Continentiam hæresim, pudicitiam, libidinis seminarium. Et æquiparans eum Iouiniano subdit. [Ille Iouinianus Romanæ Ecclesiæ auctoritate damnatus, inter phasides anes, & carnes suillas non tàm emisit spiritum, quàm eructauit]. Iste caupo Calagurritanus, & in diuersorio propter nomen vinculi, mutus Quintilianus, miscet aquam vino, & de artificio pristino suæ venena perfidiæ Catho-

tholicæ fidei sociare cònatur, impugnare virginitatem, odisse pudicitiam, in conuiuio sæcularium, contra ieiunia Sanctorum proclamare, dum inter phialas philosophatur, & ad placentas liguriens psalmorum, modulatione mulcetur, vt tantùm inter epistolas Dauid, & Iditum, & Asaph, & filiorum Chore cantica audire dignetur. Et verè sanctissimis his subiungit. Hæc dolentis magis effudi animo, quàm ridentis, dum me cohibere non possum, & iniuriam Apostolorum, & martyrum, surda nequeo aure pertransire, fas, nefas, Episcopos sui sceleris dicitur habere consortes, si tamen Episcopi nominandi sunt qui non ordinant Diaconos, nisi priùs vxores duxerint, nulli coelibi credenti pudicitiam, imò ostendentes quàm Sanctè viuant, qui malè de omnibus suspicantur, & nisi prægnantes viderint vxores Clericorum, infantesque de vlnis matris vagientes, Christi sacramenta non tribuunt. Hoc docuit Dormitantius, libidini fræna permittens, & naturalem carnis ardorem, qui in adolescentia plerumque feruescit, suis hortatibus displicans imò extinguens coitu fœminarum, vt nihil sit, quo distemus à porcis, quo differamus à brutis animantibus, quo ab equis, de quibus scriptum est, & reliqua. Et sequitur, & hoc est quod loquitur per Dauid Spiritus sanctus Nolite fieri sicut equus, & mulus, quibus non est intellectus. Et rursus de Dormitantio, & Socijs eius. In chamo, & fræno maxillas eorum constringe, qui non approximant ad te.

Hæc sunt Matthia, quæ tibi, & Dormitantio, vestrumque similibus ex D. Hieronymo primo congressu debeantur, sed demum audi quad ad singula, quæ iste hoc loco memoranda esse iudicauit, ipse respondet.

Et à verbis illis primæ Vigilantij sententiæ incipiens, nempè vbi reliquias in vasculo, nescio quid, scire desidero expone manifestiùs, vt tota libertate blasphemes, puluisculum nescio, quod in modico vasculo pretioso operiri velamine, & non vel pannis, vel cilicio colligari, vel proijci in sterquilinium, & solus Vigilantius ebrius, & dormiens adoretur. Ergo sacrilegi sumus, quando Apostolorum Basilicas ingredimur? Constantinus Imperator sacrilegus fuit, qui sanctas reliquias Andreæ, Lucæ, & Timothei transtulit Constantinopolim, apud quas dæmones, rugiunt, & inhabitatores vigilantes illorum se sentire præsentiam confitentur? Sacrilegus dicendus est, & nunc Augustus, Arcadius, qui ossa Beati Samuelis longo post tempore de Iudæa transtulit in Traciam? Omnes Episcopi non solùm sacrilegi, & fatui iudicandi, qui rem vilissimam, & cineres dissolutos in serico, & vase aureo portauerunt. Stulti omnium Ecclesiarum populi, qui occurrerunt sanctorum reliquijs, & tanta lætitia quasi præsentem, viuentemque prophetam cernerent, susceperunt, vt de Palestina vsque Chalcedonem, iungerentur populorum examina, & in Christi laudem vna voce resonarent, videlicet adorabant Samuelem, & Leuita, & propheta, quem mortuum suspicaris, & idcirco blasphemas.

Lege Euangelium Deus Abraam, Deus Isaac, Deus Iacob, non est Deus mortuorum, sed viuorum. Et paulò post aduersùs eumdem præsentiam Sanctorum, præsertim Apostolorum nobiscum esse probans, inquit: Tu Deo leges pones: Tu Apostolis vincula inijcis, vt vsque ad diem iudicij teneantur custodia, nec sint cum Domino suo, de quibus scriptum est. Sequuntur Agnum quòcumque vadit. Si Agnus vbique, ergo, & hi cum Agno sunt, vbique esse credendi sunt, Et cùm diabolus, & demones toto vagentur in orbe, & celeritate nimia vbique præsentes sint. Martyres post effusionem sanguinis sui arca operientur inclusi, & inde exire non poterunt? Hæc primo loco ex D. Hieronymo Matthia accipe, & attende quid Vigilantij loco, actus stultitiæ, qui illum probas ab eodem respondeatur. Si Apostoli, inquit, & martyres adhuc in corpore constituti possunt orare pro cæteris, quando pro se debent esse solliciti, quantò magis post coronas, victorias, & triumphos. Vnus homo Moyses sexcentis millibus armatorum impetrat à Deo veniam. Et Stephanus imitator Domini sui, & primus Martyr, in Christo pro persequentibus veniam deprecatur. Et postquam cum Christo esse cœperint, minùs valebunt. Paulus Apostolus ducentas sexaginta sex sibi dicit in naui animas condonatas, & postquam resolutus esse reperit cum Christo, tunc ora clausurus est, & pro his, qui in toto orbe suo Euangelio crediderunt, mutire non poterit, meliorque erit Vigilantius canis viuus, quàm ille Leo mortuus, rectè hoc Ecclesiæ proponerem, si Paulum in spiritu mortuum confitetur. Denique Sancti non appellantur mortui, sed dormientes, vndè & Lazarus qui resurrecturus erat dormisse perhibet. Et Apostolus vetat Thessalonicenses de dormientibus contristari. Tu vigilans dormis, & dormiens scribis, & proponis mihi librum apocryphum, qui sub nomine Esdræ ate, & similibus tuis legitur. Vbi scriptum est, quod post mortem nullus pro alijs audeat deprecari, quem ego librum numquam legi. Quid enim necesse est in manus sumere quod Ecclesia non recipit? Et post einsdem generis complura subdit in eumdem, propter quasdam fictas reuelationes à Vigilantio probatas: Legito inquit, fictas reuelationes omniũ Patriarcharum, & Prophetarum, & cum illas didiceris, inter mulierum textrinas cantato, imò legendas propone in tabernis tuis, vt faciliùs per has nænias vulgus indoctum prouoces ad bibendum. De cereis autem, quos ad sepulcra mortuorum non accendendos esse Vigilantius asserit, Idem Hieronymus prosequitur, cereos non modò ad fugandas tenebras parari, sed si hoc etiam inquit, pro honore Martyrum fit, quid inde perdis? Et Christi exemplo infert, quod quemadmodum reprehenduntur Apostoli murmurantes contra effusionem vnguenti, quo Dominus minimè egebat, ità quicumque accendunt cereos, estò quod Martyres illis non egeant, suam mercedem habebunt.

Tertiò verò loco, qui eòdem tendit, etiam bis respondet verbis. Malè facit ergo Romanus Pontifex, qui super mortuorum hominum Petri, & Pauli secundùm nos ossa veneranda, secundùm te vilem puluisculum offert Domino sacrificia, & tumuli eorum Christi arbitrantur altaria; & non solùm vnius vrbis, sed totius orbis narrant Episcopi qui cauponem Vigilantium contemnentes ingre-

grediuntur Basilicas mortuorum, à quibus puluis vilissimus, & fauilla, nescio quo linteamine conuoluta, & polluta omnia polluat, & quasi sepulcra pharisaica foris dealbata sint, cum intus immūdo cinere iuxta te, munda omnia oleant, atquè sordesnt. Et paulò post Rides, inquit de reliquijs martyrum, & cum Auctore huius hæreseos Eunomio Ecclesijs Christi calumniam struis, nec tali societate terreris, vt eadem contra nos loquaris, quæ ille contra Ecclesiam loquitur, & quo Cainus hæresis olim appellabatur, & multo tempore dormiens, vel sepulta nunc à Dormitantio suscitata est. Miror quod non dicas nequaquam perpetranda martyria. Deum enim, qui sanguinem hircorum, taurorumque non quærit, multò magis non requirere. Quod cum dixeris, imò si non dixeris ità habeberis, quasi dixeris. Qui enim reliquias Martyrum calcandas esse asseris, prohibes sanguinem fundi, qui nullo honore dignus est.

Respondet etiam tertio loco. Præterea, inquit, ijsdem ad me relatum est epistolis, quod contra auctoritatem Apostoli Pauli, imò Petri, Ioannis, & Iacobi, qui dexteras dederunt Paulo, & Barnabæ communicationis, & præceperunt eis, vt pauperum memores essent. Tu prohibebas Hierosolymam intus Sanctorum aliqua sumptuum solatia dirigi. Ego hoc loquor quod B. Apostolus Paulus in cunctis pene epistolis suis loquitur, & præcipit in Ecclesijs gentiū per vnam Sabbati hoc est in Die Dominico omnes conferre debere, quæ Hierosolymam in Sanctorum solatia dirigantur, vel per discipulos suos, vel per quos Episcopi probauerint, & si dignum fuerit, ipse aut dirigat, aut perferat, quod collectum est. Sed Apostolus facienda quidem etiam docet ad omnes eleemosynam, sed maximè ad Domesticos fidei; de quibus Saluator in Euangelio loquebatur. Facite vobis amicos de Mammona iniquitatis, qui vos accipiant in æterna tabernacula. Et paulò post super illud, venditarum possessionum pretium, semel eleemosynis distribuendum non esse dicis non ipse, sed Dominus respondet, cum inquit. [Si vis perfectus esse vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & veni, & sequere me.] Ad eum, inquit, loquitur, qui vult esse perfectus, qui cum Apostolis Patrem, nauiculam, & rete dimittit. Iste, quem tu laudas, secundus, & tertius gradus est, quem, & nos recipimus dummodo sciamus prima secundis, & tertijs preferenda. Et postremò ad ea quæ de monachis vigilantius dicit, etiam hoc pacto respondet. Nec à suo studio monachi deterrendi sunt à te lingua viperea, & morsu sæuissimo, de quibus argumentaris, & dicis. Si omnes se clauserint, & fuerint in solitudine quis celebrabit Ecclesias, quis sæculares homines lucrifaciet, quis peccantes poterit ad virtutem cohortari. Hoc enim modo, si omnes tecum fatui sunt, sapiens quis esse poterit? Et Virginitas non erit approbanda, si omnes enim Virgines fuerint, non erunt nuptiæ, interibit humanum genus infantes in cunis non vagient; obstetrices sine mercede mendicabunt, & grauissimo frigore solus, atque contractus Dormitantius vigilabit in lectulo. Rara est virtus, nec à pluribus appetitur; atque vtinam hoc omnes essent, quod pauci sunt, de quibus dicitur, multi sunt vocati, pauci verò electi, vacui essent carceres, monachus autem non doctoris, sed plangentis habet officium, qui vel se, vel mundum lugeat, & Domini pauidus præstolletur aduentum, qui sciens imbecillitatem suam, & vas fragile, quod portat, timet offendere ne impingat, corruat, atque frangatur vnde, & mulierum, maximèque adolescentulatum vitat aspectum, & intantum castigator sui est, vt etiam, quæ tuta sunt pertimescat. Cur inquies pergis ad Heremum? Videlicet, vt te non audiā, non videam, vt tuo furore non mouear, vt tua bella non patiar, ne me capiat oculus meretricis, ne me forma pulcherrima ad illicitos ducat amplexus. Respondebis. Hoc non est pugnare, sed fugere, sta in acie, aduersarijs armatus obsiste, vt post quam viceris, coroneris. Fateor imbecillitatem meam, nolo spe pugnare victoriæ; ne perdam aliquando victoriam. Si fugero gladium euitaui, si stetero, aut vincendum mihi est; aut cadendum. Quid autem necesse est, certa dimittere, & incerta sectari? aut scuto, aut pedibus mors vitanda est. Tù qui pugnas; & superari potes, & vincere. Ego cum fugero non vincar in eo, quod fugio, sed ideo fugio, ne vincar. Nulla securitas est, vicino serpente dormire, potest fieri, vt me non mordeat, tamen fieri potest, vt aliquando me mordeat. Matres vocamus, Sorores, & filias, & non erubescimus. Quid facit monachus in cellulis fæminarum? Quid sibi volunt sola & priuata colloquia, & arbitros fugientes oculi? Sanctus amor impatientiam non habet, quid de libidine diximus referamus ad auaritiam, sed omnia vitia, quæ vitantur solitudine, & idcirco Vrbium frequentias declinamus, ne facere compellamur, quæ nos non tam natura cogit facere, quàm voluntas. [Hæc sanctissimus religionis nostris præcipuum propugnaculum.

Cuius sententias fusiùs quam Matthias fortasse voluisset, hic adscripsimus, vt tanti doctoris iudicio non modò istorum commenta refellerentur, verùm etiam quibus verbis corrigendi sint addiscerent. Esto quod nos cum longè à D. Hieronymo, dispares simus his abstineamus, non possumus tamen ignauiam istius, & temeritatem non admirari & detestari, qui post allata Vigilantij verba ausus est sanctissimum istum Doctorem linguacitatis vitio arguere propterea quod Vigilantium immodestè, vt inquit, perscribit, & quod deterius est, cum Bulingero comparat, imò minorem facit, quando hæreticum hominem Hieronymo proponit quod ille Vigilantis stultitiam excusat, ac tuetur; & se immemorem, vel inconstantem præbeat; dum D. Hieronymum, quem præcipuè sibi imitandum suo exordio selegerat, suisque sententijs innitendum modò Vigilantio: & Bulingero imperitis hæreticis, ad illum relatis comparet, atque subijciat.

ANTONIVS HEREMITA.

Locus ex vita B. Antonij dicit se adscripturum contra cultum, qui sanctis reliquijs à nobis exhibetur, verba autem illius loci esse asserit, mos etenim Ægyptijs est, nobilium, & præcipuè Beatorum martyrum corpora linteamine quidem obuoluere, & studium funeri solitum non negare, terra verò non abscondere, sed super lectulos domi posita reseruare Hunc honorem quiescentibus reddi inueteratæ consuetudinis vanitas tradidit. De hoc Antonius sæpe Episcopos deprecatus est, vt populos Ecclesiastica consuetudine corrigerent, & Laicos Viros, & Mulieres rigidiùs ipse conuenit, dicens; nec licitum hoc esse, nec Deo placitum, quippe cum Patriarcharum, & Prophetarum sepulchra, quæ ad nos vsque perdurant, hæc facta conuincerent, Domini quoque corporis exemplum oportere intueri iubebat quod in sepulchro positum lapide vsque ad resurrectionis diem tertium clausum fuerit. Atque his modis vitium circa defunctos Ægypti, etiam si sancta essent corpora coarguebat, at illis repositis interra cadaueribus gratias Deo pro bono magisterio retulerint. Hæc iste ex Athanasio; & Antonio.

Sed adiecit iste quasi ex supradictis, inferens [At postea Antichristus docuit summam pietatem esse cadauera piorum, vel alia pro eis supposititia iam putrida ex terra effodere, in ornatissimis & prætiosissimis lectulis ponere, eaque pro Deo colere, & inuocare] supra allata verba vsque ad verbum Antonius D. Athanasij sunt, D. Antonij vitam describentis. Quorum verborum, nec non & D. Athanasij sequentium intellectus an cum impijs istius verbis congruant, videndum est. D. enim Athanasij, & D. Antonij verba Ægyptiorum morem detestantur, qui corpora mortuorum in lectulis Domi retinerent, ac conseruarent. An verò Episcopus Romanus corpora mortuorum domi retinenda, ac conseruanda esse præceperit, nobis mendax Matthias ostendat, vt in sepulchris Antonij sententiam secuti, sepeliantur. Si verò de sepulchrorum discrimine iste agere voluerit, iam non Antonij, sed suam agit causam, frustrà igitur hæc Antonij verba hoc loco ab eo allata sunt, quando Antonij, & nostra de sepeliendis mortuis, vna eademque est sententia. De sepulchrorum verò differentia, deque sepeliendis, aduersùs istum duplex controuersia insurgit, sed quoniam alijs locis ex professo iste susiùs hæc pertractat, nos etiam compendio paucis his suis maledictis tamen veritatem opponemus.

Et primò si inter sepulchra, & corpora sepelienda nullum fieri debet discrimen, cur in veteri lege Abraham, Isaac, Iacob, & Ioseph speciatim sepulchra selegerant?

Proinde si inter corpus Deus ipse talem effecit differentiam, vt aliqua maximis miraculis clarerent, ac à corruptione magno miraculo reseruare voluit, cur Ecclesiæ Pastor Dei obsequens nutui sepulchra corporibus congrua statuere non debuit? Quamuis in vniuersum corpora hominum mortua sub terra sepelienda esse suis decretis cauerit præceperitque seruandum.

Et vt cæteros sileamus manna quod à corporibus D. Matthæi, & D. Andreæ Apostolorum, ac Diui Nicolai, aquæ viuæ instar, scaturire, ac effluere cum oculis ipsis videmus monet ne sepulchrorum, ac corporum faciendum esse discrimen? Non igitur Romani Pontificis hæc commenta sunt, sed Dei præcepta, qui in suorum sanctorum corporibus, admirabilem se ostendens suum ministrum monet, ac illi præcipit, vt de mortuorum sepeliendis; ac conseruandis corporibus, discrimina statuat, ac præcipiat, quę Deus ipse suis miraculis in illis sanctissimis corporibus facienda esse demonstrauit. Quod quidem Heraclius Imperator cuidam se de sancti cuiusdam viri, iuxta morem, nec ne sepeliendi consulenti, Sic respondit, non teneri sepulturæ legibus, qui super leges vixerit.

Ad hæc cùm Christianorum deuotio friguerit, prælatorum præsertim summa prouidentia suppleri oportuit, vt quos primo aspectu illorum heroum, quorum illa corpora sunt memoria non excidat, saltem reuerentia quæ vasibus illis exhibetur eorum illustria facta imitanda efficaciùs reuocentur, illorum que precibus se commendent.

Quis verò, & qualis esse debeat istarum reliquiarum cultus, ac reuerentia illius curæ est, qui alia Ecclesiæ maiora necessaria tractat, atque gubernat, vt quemadmodum illis demandata sunt, suo arbitrio disponenda, ita istorum sanctorum corporum sepulturæ discrimen, ac reuerentia illis debita prædicanda, ac suis subditis præcipienda, quæ omnia, nec diuinis institutis, neque Diui Antonij consilio contradicunt.

An verò Summus Pontifex pro veris supposititia, ac putrida corpora ornatissimis vasibus ornanda, ac pro Deo colenda, & inuocanda præcipiat, vt iste falsò ei tribuit, nil aliud respondendum, quàm Deum precari, vt istius, & similium caligantes oculos aperire dignetur, vt ad cor reuertentes desinant aliquando mentiri, & suam Matrem Ecclesiam, eiusque visibilem pastorem debito prosequantur officio.

Et subdit [Improbauit, inquit, Antonius peregrinationes docens in omnibus terris esse regnum Cœlorum,] Sua sponte iste in æquiuoco laborat, nam cùm probè nosset, de quibus peregrinationibus D. Antonius loqueretur, confuso nomine vsus est, quo posset Diui Antonij sententia à suo sensu remotissima, sanctis peregrinationibus detrahere. Vt autem industria istius detegatur D. Antonij verba adscripsimus.

[Græci, inquit, studia transmarina sectentur, & in alieno orbe constitutos inauium literarum quærant magistros. Nobis verò nulla proficiendi, nulla transfretanci fluctus necessitas imminet, in omni sede terrarum constituta sunt regna Cœlorum. Hæc Antonius, quæ quidem si cum istius verbis conferas, quàm ineptè sophistam egerit iudicabis.

Et post quædam nullius momenti subiungit [Idem Fanè in Christum in primis inter docendum inculcauit, & iuinstitiæ operam confidentiam grauiter inuectus est.]

Hæc Diui Antonij sententia Diuina est,

&

& quam nos profitemur, nempè fidem in Christum, credere in Christum, sed cùm iste & sui similes Christo, & non in Christum credant, vt eorum commentis plerumque proterulunt, quid commune cum Antonio habent? Quid verò sibi velint hæc verba diuersa casu prolata, cùm iste seriò suo loco de his aget, illa explicabimus. Hoc vero loco sat est innuere, istorum verba nondum fidem profiteri, quæ mortua est, Antonij verò, ac nostra viua, quam D. Augustinus eleganter exposuit, cum verba illa, credere in Christum, declarauit, hoc est credendo in eum ire, ad de eius membris fieri, quod cum istorum fides cum Christo non congruat, quorsum iste Antonij verba probauit.

Quod verò secundo loco D. Antonio tribuit, quod scilicet reprehenderit illos, qui iustitiæ suorum operum fidebant, fateor me in eius dictis non legisse; cum tamen prolixam, ac exactam, quam Diuus Athanasius, qui eodem tempore floruit, de eo descripsit vitam per legere. Scripsit etiam D. Augustinus, scripserunt, & discipuli eiusdem D. Antonij, in quibus omnibus perlegendis, cum omnem diligentiam adhibuerim, neque id quod secundo loco iste protulit, neque alia, quæ sequuntur ab istis D. Antonio tributa inuenire potui. Et cum istius institutum sit sæpiùs pro arbitrio aliquid addere, vel minuere, non miramur, si consueta prosequitur. Et tamen esto, quod Diuus Antonius suaderet, non fidendum esse iustitiæ nostrorum operum, quid bonis operibus, & eorum meritis detrahit, aliud enim est, temerè plus iusto nostris operibus fidere, aliud verò quod bonis operibus, & meritis debeatur, primum cum Antonio nos dissuademus, secundum verò Christo, & Apostolis, præcipuè Patribus innixi profitemur, sed de his alias, & tamen quid verbis, & operibus D. Antonij dictum, & factum sit recensere non pigebit, vt iste, ac cæteri sui similes intelligant, quàm vafrè quæ imitanda sunt omittant, quæ verò non extant dolosè addunt, in vita enim quam Beatus Athanasius descripsit, hæc quæ sequuntur notatu digna leguntur.

Antonius, inquit, tantùm orabat, & ob vitæ eius merita cuncta Dominus largiebatur; si cuncta ob merita Deus largitur, potuit ne Antonius illis detrahere.

Habentur etiam duo notatu digna, nimirum quod ad Monacharum assumptus consecrari dicitur, & quod primo religionis ingressu omnia peccata à Deo illi dimittuntur. Raptus igitur in spiritu Antonius, inquit Athanasius, videbatur illi ab Angelis in sublime deferri, quod prohibere teurantes Dæmones, & peccata illi in sua prima ætate commissa exprobrantes, Angeli illis dixerunt, non debere eos à natiuitate eius delicta narrare, quæ à Christi essent bonitate sopita, si quæ tamen scirent ex eo tempore, quo factus esset Monachus, & Deo se consecrasset, licere proferri: Obseruare etiam iste potuit, quid de Monasterijs, de adoratione, ieiunio, & vigilia, & an Monachatus nuper institutus sit.

Erant, inquit in monte Monasteria tamquam tabernacula, plena diuinis choris psallentium, legentium, orantium, tantumque vigilandi, & ieiunandi ardorem, cunctorum mentibus sermo eius afflauerat, & diuina illa D. Antonij verba, cur non memoriæ iste mandauit? nempè credite mihi experto, pertimescit Sathanas, rectè viuentium vigilias, orationes, ieiunia, mansuetudinem, voluntariam paupertatem, & reliqua. Et quibus socios D. Antonius istos, similesque faciat, atque coniungat his, & alijs verbis intelligere potuit. Hostile, inquit, illis Dæmonibus, scilicet, contra omnes Christianos, maximè verò contra Monachos, & Virginem Christi odium est.

Et postremò ex Diui Antonij vita complura aduersùs sua commenta iste addiscere potuit, quæ quidem Athanasius his compendio complexus est. Inediæ autem, & vigiliarum in tantum patiens erat, vt crudelitatem viribus vinceret, per noctabat in oratione sæpissimè, edebat semel in die post Solis occasum nonnumquam biduò, tríduòque sic permanens, quarta demum die reficiebatur. Sumebat ergò panem, & salem, potumque aquæ per parùm, de carnibus verò, & vino, tacere meliùs puto, quàm dicere, quoniam nec apud plurimos quidem Monachorum istiusmodi escæ in vsu habentur. Quieti autem membra concedens, vno contexto, atque cilicio vtebatur, nonnumquam etiam super nudam humum iacebat. Et reliqua.

Hæc ex eodem D. Antonio, quem iste proposuit atrulimus, vt ipse quid hoc loco de Monachatu, Monasterijs, victu, ciborum delectu, vestitu, vigilijs, orationibus, psallendi more, ceremonijs, & demùm virginitate, aduersùs sua commenta scire tenetur, sciatque prosequi, ne cum D. Antonium, eiusque aliqua dicta probare videtur, nonnulla verò despicere leuitatis, aut obstinationis vitio, meritò argui possit.

CATHE-



CATHEDRÆ APOSTOLICÆ OECVMENICÆ AVCTORITAS.

EX OCCASIONE QVATVOR CLERI GALLICANI Propositionum Anno MDCXXCII. in Parisiensi Ecclesiastico Conuentu editarum, asserta & vindicata

AB AVCTORE INEXTINCTÆ Sacri Concilij Tridentini veritatis.

In quo tractatu vindicantur insuper tùm ea, quæ Emanuel à Schelestrate aduersùs Maymbourgum reposuit de sensu & auctoritate Decretorum Constantien. Concilij sess. 4. & 5. circa S. Potestatem Ecclesiasticam: Tùm quæ Auctor Regalis Sacerdotij, ac Leodien. S.T.D.M.C. in lucem ediderunt circa Cleri Gallicani prainsinuatas propositiones, unà cum resolutionibus de Iurisdictionis Episcopalis origine, ac erga ius Diuinum immediatione, necnon de axiomatibus variorum Scriptorum Gallicanorum Immunitati Ecclesiasticæ aduersantibus: Discutiuntur prætereà, quæ Ludouicus Ellies du Pin Theologus Parisiensis de antiqua Ecclesiæ disciplina differens, molitur contra dictos Schelestratum, atque Auctorem Leodiensem de Libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ: Expenditur denique causa Regaliæ speciatim contra Alexandrum Natalem.

Principum quotidianus mos est ab omnibus cognosci, & ambulare incognitos omnibus scientibus tamquam nescijs. Hoc similiter voluit Princeps iste Ecclesiasticus, & Regularis, omnibus agnosci, & nemini. Cognoscitur ergo ab omnibus tamquam in Religione innumeris Sanctis Pontificibus, Cardinalibus, & Doctoribus celeberrima, Abbas primis functus honoribus, ex decem tomis in folio vberrimè scriptis circa veritatem Oecumenici Tridentini Concilij veritatem inextinctam 1674. circa Annales Ecclesiasticos, & Baronium, circa tres tomos Theologiæ, &c. & præsentem. Nulli voluit cognosci vtpotè nomine ex industria occultato, & qui ponere debebamus sub litera A, ponimus sub litera C, Cathedræ Oecumenicæ Auctoritas, seu Confutatio 4. propositionum Cleri Gallicani, quæ benè sequitur ad Confutationem Matthiæ Illyrici, ita suadente purpurato sæculi nostri Phœnice, & efflagitante Auctore ipso, qui ideò nomen rectum habuit, ne dignosceretur. Quem morem nostra hac ætate viri non modò mediocres, sed & magni nominis tenuere lingua tùm latina, tùm Gallica, tùm Itala. Occasio autem scribendi fuere quatuor diuulgatæ Cleri Gallicani Propositiones quibus diuulgatis Emmanuel à Schelstrate S. T. D. ac Vaticanæ Bibliothecæ Præfectus contexuit dissertationem, qua ex professo impugnat secundam ex illis circa Constantiensis Concilij propositionem, in qua Concilij super Papam Auctoritas adstruitur. Quæ causa extitit Maymburgo scribendi tractatum histo-

historicum de Romana Ecclesia, eiusque prærogatiuis, ac Episcopis, in quo stabilire nititur quatuor prædictas propositiones impugnando specificè eam quoque dissertationem, quam præfatus Schelestratus ediderat. Qui proinde denuò compulsus fuit reponere tractatum de sensu, & auctoritate Decretorum Constantiensis Concilij sess. 4. & 5. circa potestatem Ecclesiasticam editorum, in quo adeo tractatu firmatur contra Maymburgum, quod primum sessionis 4. Decretum corruptum ad manus nostras peruenerit, nihilque si iuxta Acta Manuscripta corrigatur ad quæstionem de Superioritate Concilij faciat. Decreta verò duo priora sessionis quintæ sine deliberatione tantæ rei debita contradicentibus Cardinalibus, & Regis Galliæ Oratoribus edita sint ab vna dumtaxat ex tribus obedientijs, quæ generale Concilium non constituerat, quod demùm post trium obedientiarum vnionem, neque in Concilio in Auctoritatem admissa, neque à Martino V. vmquam comprobata fuerint. Interea in lucem prodijt Regale Sacerdotium Romano Pontifici assertum cum explicatione prætactarum quatuor Propositionum Auctore Eugenio Lombardo sacræ Theologiæ, & V.I. Doctore. Eodem tempore typis commissus est Leodij tractatus De Libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ vnà cum quatuor Cleri Gallicani propositionum examine, expenduntur insuper Iurisdictionis Ecclesiasticæ origo, Edmundi Richerij libellus de Ecclesiastica, & politica potestate, axiomata Petri Puteani, aliorumque Scriptorum sententiæ De Libertatibus, seu Regni, seu Ecclesiæ Gallicanæ vnà cum Appellationibus ab abusu. Successerunt de hinc Dissertationes Theologicæ, De antiqua Ecclesiæ disciplina editæ à Ludouico Ellies du Pin SS. Facultatis Theologicæ Parisiensis Doctore in suis ad Lectorem monitis grauiter conquerente tùm vniuersaliter aduersùs Pontificiæ Auctoritatis defensores quasi sub obtentu huius defensionis Ecclesiarum libertates conculcarentur iura regnorum attenuarentur, sacra Conciliorum, & Episcoporum Auctoritas, & solida Politiæ Ecclesiasticæ fundamenta conuellerentur. Tum specialiter agit contra Tractatum, qui præfert titulum De Libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ, tùm insuper aduersùs Schelestrati Dissertationem De Concilio Constantiensi, eiusdemque nuperrimam confirmationem. Quia potrò prædicto Conuentui Parisiensi causam dedit Regalia, contra quam prodijt in primis Tractatus Appamiensis, & è contra Natalis Alexander de isthoc iure singularem composuit Dissertationem, quæ habetur inter eius Selecta Historiæ Ecclesiasticæ capita. Idcirco huius rei explicationem è contrario concinnauit Auctor Leodiensis M. C. Sac. Theol. Doctor, & Auctor Galliæ Vindicatæ. Hæc omnia erant necessariò exprimenda, sicut exprimit Auctor in suo Proloquio, cùm istud opus non tam Auctor suum dicere arroget, quàm texturam quamdam ex præallegatis Auctoribus concinnatam. Videtur autem iste liber quasi appendix librorum de Inextincta Concilij Tridentini veritate, & ad illud spectans, cùm Oratores Regij se vehementer opponerent reformationi Principnm Sæcularium, & an Iurisdictio Episcopalis fuerit immediatè Iuris Diuini fuerit punctum multimodè propositum. Diuidit hic Auctor librum totum in quatuor Articulos, in primo agit: De Romani Pontificis erga Reges, & Principes sæculares Auctoritate. In secundo De Superioritate Papæ supra Concilium, vel è contra. In Articulo tertio agit De Pontificiæ potestatis plenitudine, ac vniuersalitate. Erga sacros Canones, ac Leges, seu vniuersalis, seu cuiusuis particularis Ecclesiæ Articulus IV. De Infallibilitate Romani Pontificis in decidendis fidei, seu etiam morum quæstionibus. Relinquimus autem totum tertium Articulum, quia in eo tangitur materia penè tota particularis, & pauca sunt folia, spectantia ad Vniuersalem Ecclesiæ tractatum, in quarta enim Disquisitione agitur de concordatis inter Leonem Decimum, & Franciscum Primum, in octauo, Quid possit Summus Pontifex, circa Ecclesiam Gallicanam, & quàmplura alia similia, quæ vtpotè ad nostrum intentum non facientes semper omisimus in Cœlestino Sfondrato, & alijs. Quo autem tempore floruerit iste Auctor res ipsa clamat, cùm scripserit post Modernos nostro sæculo viuentes, quos & vidimus, & videmus.

DISQVISITIO IV.

Quousque, saluis concordatis inter Leonem X. & Franciscum I. Galliarum Regem initis, extendi possit Papæ iurisdictio in ordine ad forum contentiosum Ecclesiasticum?

§. I.



AVCTOR tractatus de Libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ lib. 6. c. 5. tradit, à tempore præinsinuatorum Concordatorum emersisse sequentes difficultates, quarum prima est; [Verùm Papa possit alicuius negotij iudicium ad se immediatè trahere?] Secunda: [An possit aliquando negotia iudicare?] Tertia: [An formulis ordinis iudiciarij se accommodare teneatur?] Prima igitur controuersia frequenter occurrit de causis maioribus: quarum momenta, ad vertente Auctore præfato num. 2. expenduntur ex quadruplici capite. Primò ex rei magnitudine, vt v. gr. quando spectant ad fidem, ad Religionem, vel ad præcepta generalia morum, & disciplinæ, vt habetur Can. Præceptis dist. 12. cap. Maiores, de Baptismo, & alibi. Secundò causæ maiores dicuntur ex magnitudine difficultatis circa illas natæ. Interdum enim quasi synonima ponuntur, maiores, & difficiliores quæstiones; & ab hoc maximè capite Galli, saltem si Ioanni Gerbasio credimus, causarum magnitudinem metiuntur. Sic enim habet Doctor ille dissert. de causis maioribus art. 1. num. 10. [Galli nostri diuersam aliquatenus maiorum causarum ideam tradidere; neque enim causæ maiores apud eos statim dictæ sunt, quæ de rebus maioribus, ac præstantioribus essent, sed quæ plus obscuritatis haberent, ac difficultatis: quare tum tandem Apostolicam Sedem adeundam, eiusque consulenda oracula existimarunt, cùm aliunde lex non affulgeret, rationesque vulgò vsurpatæ minimè sufficerent. Exploratum illud sit, &c.] Tertiò vocantur causæ maiores ratione dignitatis personæ, v. gr. cùm de Episcopo agitur, vt patet ex cap. [Inter corporalia, de translatione Episcopi; & ex Doctoribus in illud cap. Denique maiores dicuntur ob difficultatem exequendæ rei iustæ, aut amoliendæ rei iniustæ. Sic anno 816. Ecclesia Rhemensis in Concilio Pontigonensi, cui Apostolicæ Sedis intererant Legati, maiora negotia, & maiores causas appellabat eas iniurias, quas à Ludouico Germaniæ Rege perpessa fuerat, & timebat, ne in posterum pateretur: [Paternis magisterijs instruimur, vt, si quæ maiora negotia, vel maiores causæ exortæ fuerint, ad Sedem Apostolicam, prout auctoritas docet, & mos antiquus obtinuit, semper referantur.] Quæ sine autem illa negotia, deindè notatur; [Calamitates, & miserias Ecclesiæ nostræ, ac ciuium nostrorum; quas hoc anno à Ludouico Rege, itemque à Ludouico filio eius, & complicibus eorum, cædes videlicèt, & homicidia, adulteria, fornicationes, rapinas, sacrilegia, & cætera flagitia, quæ nullus anumerare potest, Ecclesia nostra perpessa est.] Denique postulatur auxilium; [Ne de cætero talia, ac tanta mala Ecclesia nostra, ac Regnum patiatur, qualia hactenus passum est.] Sed hæc postrema duo causarum genera maiora non æstimantur, nisi cum aliqua rei magnitudine coniuncta, v. gr. nisi agatur de deponendo Episcopo, vel alio grauissimo negotio.

De hisce igitur causarum generibus prima procedit præsentis disquisitionis difficultas, quam vnà cum cæteris difficultatibus hic occurrentibus ex præcitati Auctoris verbis expediemus, quia ex vna parte, vt integrum redderetur hoc opus nostrum, vrgebamur ad materiam istam, vtpotè Ecclesiæ Gallicanæ libertates attingere visam, haud prætermittendam; ex altera verò parte lubenter profitemur nostram imperitiam in hisce rebus, quæ Galliæ Regno sunt peculiaria.

§. II.

An prima præinsinuati Gallici Regni causarum cognitio ad Sanctam Sedem, an ad Concilium Prouinciale spectet?

PErgit igitur præfatus Auctor. à num. 2. hunc in modum differere. Hac in re licèt Episcopale iudicium præmittendum, idque ex antiquis iuribus colligi, aliqui senserint, certum est, Concordata, cùm causas maiores ab ijs exceperunt, quæ deberent ab Ordinarijs definiri, primum earum iudicium Summo Pontifici reliquisse. Cùm enim contentiones circa iurisdictionem dirimere voluerint, hanc quæstionem, quæ maximi erat momenti, & à qua plurimæ, grauissimæque disceptationes oriti poterant, non reliquerunt indecisam: alioquin enim si determinandæ illi supersedendum partes iudicassent, de illa omninò siluissent. Cùm autem mentio facta sit eius, cur in aliud tempus definienda dilata fuisset, cum periculo, ne interim nouarum discordiarum esset fomes, ac sine spe nouorum ad eam in posterum commodiùs definiendam adiumentorum. Perspicua videtur Concordatorum sententia his verbis comprehensa tit. de causis. [Omnes, & singulæ causæ, exceptis maioribus in iure expressè denominatis, apud illos Iudices in partibus, qui de iure, aut consuetudine præscripta, vel priuilegio illarum cognitionem habent, terminari, ac finiri debeant.] Quod idem in Concilio Basileensi, & Pragmatica sanctione statutum fuerat.

Accedit, quòd tempore præcedenti, ac consequenti Concordata, Gallis persuasum erat, causas maiores in prima instantia esse ad Sanctam Sedem referendas, quia hæc erat Iuris Communis dispositio, & Canonici Iuris Interpretum sententia, etiam apud Gallos,

Guillielmus Durandus Epiſcopus Mimatenſis in ſpeculo Iuris particul. 1. tirol. de legat. §. Nunc oſtendendum, mum. t. Maiores cauſæ, inquic, ad Sedem Apoſtolicam ſunt referendæ, vt extra, de baptiſm. Maiores, exera, da translat. cap. 1. 11. queſt. 6. omnis oppreſſus, & ciratus ſuper iſtis coram Ordinario poreſt etiam abſque aliquo grauamine illaro, vel comminato ad Sedem Apoſtolicam appellare, vt s. quæſt. 4. Nullam, & qu. 6. Ad Romanam &c. Ideo §. Cùm ergo, quod ſpecialiſſimum eſt, vr probatur extranag. de appellat. vt debitus, iu fin. Ioannis Gerſonij, Concordatis non longè antiquioris, verba mox exſcribemus; ſed gloſſa ipſa Pragmaticæ Sanctionis, quæ ſemper in eo Regno maximi habita fuit in tit. de cauſis, §. Statuit, verb. Maioribus, rem confeciſſe videtur, addens; [Quæ ex natura ipſarum ſunr deferendæ ad Sedem Apoſtolicam, nec in ipſis compellebatur quis litigare coram Iudice inferiori.] Quod multis comprobat auctoritatibus. Rebuffus magni nominis in illo Regno Auctor eamdem doctrinam tradit his verbis; [In cauſis maioribus iu Iure expreſsè deſcriptis, & Sedi Apoſtolicæ reſeruatis.]

Ioannes Gerbaſius id vnum in tota ſua diſſertationa de cauſis maioribus explicandum ſibi propoſitum fuiſſe, profiretur in allocutione ad Lectorem; [Quid nempe Iuris in præſentia obtinere debeat apud Gallos de cauſis maioribus. Atque idcircò diſſertationem ſuam inſcripſiſſe, ad caput Concordatorum de cauſis. Cùm enim, inquit, Concordatorum leges ægrè quidem initio, vſu ramen inductæ, ſic iam videantur, vt municipalium inſtar legum nobis euaſerint, operæ pretium duxi examinare in primis; ſi quid fortè noui Concordara de cauſis maioribus ſtatuiſſenr, ſpeciatimque de Epiſcoporum cauſis, & iudicijs, quibus præſertim inhærere fuit animus.] Articulo aurem 3. num. 2. [Quamquam, air, diſſertatio hæc tota inſcripta ſit ad caput Concordatorum de cauſis; verumtamen capitis eius tractatio propria magis erit huius articuli, vbi ſententiam legis capite iſto comprehenſæ peculiari ſtudio, ac de induſtria magis examinabimus.] Qua quidem declaratione leuar nos onere diſcuriendi omnia exempla, quæ profert, iudiciorum ab Epiſcopis circa cauſas maiores diuerſis temporibus prolatorum, aut exceptiones, quas adhibet aduersùs prima Iudicia de huiuſmodi cauſis à Summis Pontificibus pronuntiata.

Itaque id vnum inquirendum eſt; quid nempe in Concordaris ea da re ſtarutum fuerit; quandoquidem Concordata municipalium inſtar Legum Gallis euaſerunt.] Atque quantum coniectura licet aſſequi; ſunt ex illis regulis, moribus, & inſtitutis à Regno, & Eccleſia Gallicana receptis,] quæ valere debere declarant Illuſtriſſimi Antiſtites Gallicani in hac tertia propoſitione. Sunr autem verba Concordatorum tit. de cauſis, quæ ſequuntur. [Statuimus quoque, & ordinamus, quòd in Regno, Delphinatu, & Comitatu prædictis, omnes, & ſinguIæ cauſæ, exceptis maioribus in Iure expreſsè denominaris, apud illos Iudices in parribus, qui de iure, aut conſuetudine præſcripta, vel priuilegio illarum cognitionem habent, terminari, & definiri debeant.] Iſtud caput, ſeu titulus nihil ampliùs contiriet. Quod enim attexuit, neſcio qua intentione, Ioannes Gerbaſius, alind caput eſt ſub titulo de friuolis appellationibus.

Agitur in capite modò exſcripto, vt per ſè patet, de primo Iudicio cauſarum definitiuo, non autem de ſupremo, & à quo appellari non poſſit. [Nam neque minores etiam cauſæ apud illos Iudices in partibus, qui de iure, aut conſuetudine præſcripta, vel priuilegio illarum cognitionem habent, ita terminari, & definiri poſſunt,] quin liceat appellare, vſque ad tertiam ſententiam conformem incluſiuè, vt in ſequenti Decreto ſtatuitur. Cùm igitur de prima ſententia ſit ſermo; conſtat, cauſas maiores in Iure expreſsè denominatas à lege Generali excipi, eiuſque exceptionis non aliam vim eſſe poſſe, quàm vt aliæ quidem à Iudicibus definiri queant, qui iure; aut conſuetudine, vel priuilegio illarum cognitionem habent, maiores verò nequaquam..

Quod adhuc magis confirmatur ex eo, quod notat Gerbaſius; [nempe quòd praua diu conſuetudo inoleuerat vocandi Romam, etiam à remotiſſimis partibus, leuiores cauſas, minimaque negotia, ſiue id fiebat in prima inſtantia, vt aiunt, & per calumnias, ſiue per friuolas appellationes.] Duobus igitur abuſibus, vt Gallorum more loquamur, mederi voluerunt tum Patres Baſileenſes, qui materiam Pragmaticæ Sanctionis ſubminiſtrauerunt, tum Auctores Pragmaticæ Sanctionis, cui ſubſtituta ſunt Concordata, tum Concordatorum ipſorum Auctores; primò quidem ne omnium cauſarum prima cognitio Romam euocaretur. Secundò ne friuolè, aut interturbato iuriſdictionum ordine, omiſſo medio, appellaretur. Primo malo occurritur ſtatuto ſuprà relato, quo prima cauſarum cognitio Iudicibus reſeruatur, ad quos de iure, aut conſuetudine, vel priuilegio pertinet. Sed dum excipiuntur cauſę maiores in iure expreſsè denominatæ, quid aliud operari poreſt illa exceptio, quàm vt cauſæ maiores etiam in prima inſtantia Summi Pontificis iudicio reſeruentur? Alteri abuſui medetur caput ſequens, vbi prohibentur appellationes, niſi ad immediatum Superiorem, & à ſententijs interlocutorijs, niſi grauamen inferant irreparabile. Itaque iſtud caput de cauſis, conſuetudinem vocandi Romam, etiam, à remotiſſimis partibus leuiores cauſas, minimaque negotia tollit, ſed exceptione firmat conſuetudinem illuc vocandi cauſas maiores, quæ paruis, & minutis rebus, ac negotijs opponuntur à Concilio Baſileenſi ſeſ. 31.

Id luce clariùs ſuadet, ſi notetur doctrina iuris Canonici, eiuſque Gloſſatorum, & Interpretum circa ordinem iudiciorum. Nam ex cap. Vt noſtrum, de appellar. Summus Pontifex cauſam moram apud inferiorem Iudicem ad ſe euocare poterat, quod de Principe ſupremo docent etiam Iuris Ciuilis Doctores, vt videri poteſt apud citatos ab Auguſtino Barboſa in hoc cap. verb. Ad noſtrum iudicium reuocauimus. Eaqua euocatio eumdem, aut maiorem, quàm appellatio, habebat effectum; [Cùm plus ſit, inquit Innocentius III. illius Decretalis Auctor, Romanum Pontificem ad ſe aliquod reuocare (aut, vt eſt in margine, euocare) negotium, quàm quemquam

quam

quam ad eum super aliquo negotio prouocare.] Poterat etiam ad Summum Pontificem appellari omisso medio, vt patet ex cap. Antiqua, de priuileg. vbi Gloss. verb. [Ab omnibus; hoc est, ait, priuilegium Apostolicæ Sedis, vt, omissis omnibus, possit appellari ad ipsam.] Idem docet hic Augustinus Barbosa, plurimorumque Doctorum auctoritate confirmat. Ius autem illud obseruabatur in Gallia, vt alibi. Non enim alio Iure Communi, quàm Decreto, & Decretalibus vtebantur Galli, vt tradit D. Petrus de Marca lib. 3. cap. 6. num. 5. verbis iam alibi relatis. Abusus igitur, qui circa hæc duo puncta irrepserant tollere voluerunt Patres Basileenses, Auctores Pragmaticæ Sanctionis, & auctores Concordatorum, solis causis maioribus primo sanctæ Sedis iudicio relictis, & sublatis appellationibus, omisso medio, vel à sententia interlocutoria grauamen irreparabile non inferente.

Agnouisse, vel inuitus videtur Gerbasius, Concordata aliquid statuisse circa causas maiores, & discrimen inter illas, & ordinarias posuisse; sed vult hoc tantùm, statutum, nempe, vt illæ referrentur ad Summum Pontificem, non istæ. [Esto (inquit num. 4.) determinata quoque sit in Concordatis ratio finiendarum causarum maiorum. Esto clausula ista, exceptis causis maioribus, &c. legem contineat, &c.] Et infrà; [Clausula itaque negat, cognitionem causarum maiorum debere omninò finiri à Iudicibus in partibus sine relatione ad Summum Pontificem.] Sed aliena est prorsus à mente Conditorum illius statuti hæc interpretatio, quatenus primum iudicium causarum maiorum Episcopis reseruare conatur. Primò enim iam dudum desierat ille relationum vsus, vt ne verisimile quidem sit, illum in mentem aut Pontificis, aut Galliæ Regis, aut Episcoporum venisse. Secundò non quærebatur, an Sancta Sedes esset consulenda super negotijs, sed in quo Tribunali, & quo ordine iudicanda essent? An nimirum passim omnia possent per euocationem, aut per appellationem ad Curiam Romanam trahi, vt patet ex integro Decreti Basileensis, Pragmaticæ Sanctionis, & Concordatorum contextu.

Non negabit Gerbasius Senatui Parisiensi veram Pragmaticæ Sanctionis intelligentiam, quippe cuius se illa Curia protectricem profiteatur. Atqui Senatus in oratione ad Regem Ludouicum XI. an 1461. circa libertates Ecclesiæ Gallicanæ habita, & inter Tractatus de illis libertatibus in 1. tomo Puteani secundo loco relata, declarat, primam cognitionem, & decisionem causarum ad Episcopos spectare, nisi sint maiores.

Idem declararunt Officiales Regij anno 1461. [Cautum est, vt Ordinarij tamquam veri Pastores cognitione, ac iurisdictione gauderent in suas oues, exceptis causis maioribus reseruatis à dicto Concilio,] scilicet Basileensi, apud Puteanum in probat. libert. Eccles. Gallican. cap. 36. num. 21.

Articulo 15. affert Gerbasius quædam exempla concordatis recentiora, quibus ostendit, Regem Christianissimum, vel Ecclesiam Gallicanam, vel Episcopos singulares intercessisse, vbi Summi Pontifices Episcopos deponere moliebantur, sed cùm affert exempla etiam contraria, quid ex illo conflictu resultat, nisi modò illud, modò aliud ius vsurpari, prout quisque suis rationibus commodum iudicat?

§. III.

An Maiorum causarum cognitio Iudicibus Delegatis in Regno Galliæ committere teneatur Summus Pontifex, vel vtrùm eas possit Romæ iudicare?

Audiamus hac in re præfati Auctoris iudicium cit. lib. 6. cap. 6. negantis, Papam obstringi ad causarum Maiorum cognitionem Iudicibus delegatis in Regno Galliæ committendas: quia non honoris tantùm causa, & in signum superioritatis Summo Pontifici reseruatæ sunt, quod de appellationibus in causis ordinarijs dici posset; sed quia propter rerum dignitatem, supremi Iudicis lumen, & auctoritatem requirunt.

Sunt multi alij casus, in quibus Summus Pontifex deberet causarum cognitionem ad se trahere, etiamsi aliàs nulla ei positiua lege reseruarentur; v. gr. primò, cùm Episcopi aut nolunt, aut non possunt Ecclesiarum necessitatibus prouidere. Attamen, inquit Ionnes Gerbasius de caus. maiori. artic. 19. §. 3. [Si quando Metropolitani, vel in Suffraganeorum suorum sceleribus conniuere visi sunt, vel certè ob fusum latiùs malum, nimiamque fortè corruptelam emendandis illis impares extiterunt; haud immeritò sanè Apostolicæ Sedis tum adfuit auctoritas, ad quam nempe spectat cæterorum Episcoporum excitare vigilantiam, immò, & eorum implere vices, si fortè deficiant, &c.]

Secundò, quando periculum est in mora, sic idem Gerbais artic. 11. in fine loquens de Commissarijs ab Vrbano VIII. datis die octaua mensis Octobris anno 1632. ad instantiam Ludouici XIII. Francorum Regis aduersùs quosdam eius Regni Prælatos, ait, formam illam Iudicis, vt scilicet Summus Pontifex supremum causæ iudicium immediatè committeret, necessariam fuisse, ob genus criminis, quod cùm præsentem imperio suo, Ludouici, ruinam intentaret, longiorem tametsi Canonicam, iudicij formam non sinebat vsurpari.

Tertiò, quando res sunt admodùm difficiles; præsertim si concurrat aliquod scandali periculum, vt fatetur ipsemet Gerbais artic. 4. §. 1. Quamuis aliundè contendat, primam maiorum causarum (quo nomine difficiliores, præcipuè in materia fidei, intelligit) cognitionem ad Episcopos pertinere. [Hæc itaque, inquit, regula constitui non ineptè poterit in fidei dirimendis quæstionibus. Nempè si controuersiæ forsan aliquæ in Prouincijs excitentur de rebus ad fidem spectantibus, vel res illæ obscuræ erunt, insolentes, neque satis aut scripturis, aut etiam traditione explicatæ, tùm consulenda erit Apostoli-

ſtolica Sedes, eiuſque expectanda ſententia, quæ prima eſse debet, vt inquit Facundus Hermianenſis.] Conſentit in hoc Ioannes Gerbaſius cum Ioanne Gerſonio, niſi quòd iſte primum earum cauſarum difficilium iudicium Summo Pontifici reſeruet. Hæc ſunt verba tract.de examinat. doctrin. conſider.3. [Aliquæ ſunt doctrinæ palàm hæreticales apud omnes; aliæ dubiæ ſimplicibus,ſed manifeſtæ ſapientibus, & peritis; tertiæ veluti neutræ; habentes pro ſe Doctores cum rationibus ad vtramque partem probabilibus: nec in vna tantùm Diœceſi, vel paucis, ſed apud omnes Chriſtianos, aut longè plurimos. Eſt ergo veritas, quòd in primis, & ſecundis auctoritas inferiorum Prælatorum ſe extendit, & ad ſuos tantummodò: in tertijs verò nequaquam, quoniam meritò dicuntur maiores cauſæ fidei propter difficultatem deciſionis cum periculo ſcandali: ideò ſunt ad Sedem Eccleſiæ, vel ad ſedentem in ea referendæ, iuxtà illud: Si quid ambiguum, vel difficile, &c.]

Quartò,ſi Epiſcopi etiam vicini ſuſpecti eſsent. Cùm enim iure tam naturali, quàm poſitiuo Iudices ſuſpecti recuſari poſſint, ſi omnes inferiores graui laborarent ſuſpicione, recurrendum ſine dubio eſset ad ſupremum, qui negotium ad ſe trahere poſset, ſi certè præuideret. Epiſcopos v. gr. ſecularis poteſtatis metu iniuſtitiam nullo modo, vel difficulter reparandam commiſsuros. Iſtud ſæpiùs accidit in negotijs Epiſcoporum. Quamobrem Hincmarus Epiſcopus Rhemenſis priuilegium a ſancta Sede iuſtanter efflagitauit, impetrauitque, ne ab alio,quàm à Summo Pontifice iudicari poſſet. [Nullius infeſtatio antè audientiam Romani Pontificis, quia nec regulę hoc permittunt Eccleſiaſticæ, iudicare te, vel condemnare præſumat. Quod etſi temerarius quiſquam fortè præſumpſerit, nullius excommunicationis, vel obligationis, vel condemnationis ſententia ſine decreto Pontificis tenearis obſtrictus, ſed ſi à quocumque, vel vndecumque fueris compellatus, vt debeas iudicari, Apoſtolici Papæ iudicio te reſeruari,noſtra,immò beati Petri auctoritate decernimus. Nec alteriuſ cuiuſcumque iuri, vel iudicio te ſubijci, excepta poteſtate Sedis Romani Pontificis, nec ad alterius Primatis Prouinciæ Synodum, niſi ex communi placito, poſſe conuocari, mandamus.] Nicolaus I. epiſt.1. in append. Miniſtrant huiuſmodi exempla oppreſſorum à proprijs Coepiſcopis Antiſtitum Hiſtoriæ Gallicanæ, Prætextati Rhotomagenſis à Childerico Rege oppreſſi, de quo Gregorius Turonenſis hiſtor. Franc. lib. 5. cap.19. ſancti Deſiderij Epiſcopi Viennenſis, Brunechilde Regina inſtigante, exauctorati in Concilio Cabilonenſi anno 603. illorum Epiſcoporum,de quibus Sigebertus in chron. anno 685. [Theodoricus Rex, inquit, Ebroinum in gratiam recipit, eius conſilio Synodum Epiſcoporum cogit, & in hac multos eorum ex ſententia Ebroini priuat:] Arnulphi, Hugonis Capeti præcepto vrgente à Sede Rhemenſi depoſiti, de quo lib.5. Aimoini, ſiue eius Continuatoris cap. 46. aliorum denique non paucorum,quos certè maximè iuuiſſet, ſi Romani Pontifices eorum cauſas ad ſe euocaſſent, ne à Coepiſcopis Principum voluntati cedentibus obruerentur.

Concilium Tridentinum dignitati, ac ſecuritati Epiſcoporum optimè ſe conſulere putauit, ſtatuens, vt cauſæ graues Epiſcoporum à ſolo Romano Pontifice iudicarentur, non permiſſa eorum cognitione Concilijs Prouincialibus, aut Epiſcopis Metropolitanis, niſi fortè ad ſumendam informationem, ſi quando id locorum diſtantia, vel alia ratio poſtularet. [Cauſæ criminales, inquit ſeſs.24. de reformat. cap.5. grauiores contra Epiſcopos etiam hæreſis, quod abſit, quæ depoſitione, aut priuatione dignæ ſunt, ab ipſo tantùm Summo Pontifice cognoſcantur, & terminentur. Quòd ſi eiuſmodi ſit cauſa,quæ neceſſariò extra Romanam Curiam ſit committenda, nemini protsùs ea committatur, niſi Metropolitanis, aut Epiſcopis à beatiſſimo Papa eligendis. Hæc verò commiſſio, & ſpecialis ſit,& manu ipſius ſanctiſſimi Pontificis ſignata, nec vnquam plus his tribuat, quàm vt ſolam facti inſtructionem ſumant, proceſſumque conficiant, quem ſtatim ad Romanum Pontificem tranſmittant: reſeruata eidem Sanctiſſimo ſententia definitiua.] Videri etiam poteſt ſeſs.13. de reform. cap.8. & iura vtrobique ad marginem citata. Cùm ad Epiſcoporum pertineat dignitatem,talem habere Iudicem, cuius iudicium, cur illi ipſi eius iudicium effugere nitantur, quo facilè poſſent indigere. An vt Concilijs Prouincialibus ſua ſequatur auctoritas? Sed deſijt in Gallia illorum vſus; & licèt congregarentur, ad tuendam innocentiam, ſi opprimeretur, vel ad plectendam iniuſtitiam, ſi à potentibus defenderetur, parum valerent.

Aliæ poſſent occurrere occaſiones, & legitimæ cauſæ perferendæ ad ſanctam Sedem primæ negotiorum cognitionis. Illic poſſe cauſas retineri, quotiès iuſta ſubeſſet ratio, expreſsè continebat olim pragmatica ſanctio his verbis, [aut aliam rationabilem cauſam,] quæ verba licèt deleta ſint, vt docet Gloſſa, ad inſtantiam Vniuerſitatis Pariſienſis, ne ſub illorum prætextu quælibet cauſa iuſta, & rationabilis ſupponeretur: tamen ſi reuera ſubeſſent huiuſmodi cauſæ iuſtæ, & rationabiles, ſi non ex iure Gallico, certè ex naturali, & Diuino, liceret Summo Pontifici poteſtate ſibi à Chriſto tradita vti.

Sic habet nunc pragmatica ſanctio tit. de cauſis §. ſi verò, vbi ſermo eſt de cauſa in partes remittenda. [Niſi fortè propter defectum iuſtitiæ, aut iuſtum metum etiam in partibus conuicinis, de quibus in commiſſione exprimendis legitimo priùs documento, aliàs quàm per iuramentum ſummariè conſtiterit, apud ipſam Sedem foret meritò retinenda.] Gloſſa ad verbum conuicinis; [ſequebatur in primo originali, aut aliam rationabilem cauſam; quæ clauſula ſublata eſt, inſtantibus Nuncijs Vniuerſitatis Pariſienſis: eò quòd minima cauſa, quæ in Romana Curia exponeretur, apud multos rationabilis, & legitima iudicaretur, & per hoc non eſſet prouiſum abuſibus. Ceſſante igitur fraude, ſi defectus iuſtitiæ, iuſtus metus,aut alia rationabilis cauſa poſtulet,negotium poterit apud Sanctam Sedem retineri.]

Si Concilijs Prouincialibus relinquenda eſt

est cognitio grauiorum causarum contra Episcopos, non est expectandum, vt quisquã puniatur; cùm iam pridem nulla illic Concilia celebrari videamus. Atque illud praecipuum videtur esse consilium eorum, qui tantoperè certant, vt Episcopi à Concilijs Prouincialibus iudicentur. Cùm enim frequentior erat Synodorum celebratio, securius, & honorabilius sibi arbitrabantur Praesules, solius Romani Pontificis subiacere iudicio. Si quis de admisso in Regem, aut Regnum crimine accusaretur, facilis quidem foret Concilij congregatio, sed accusato admodùm periculosa, essetque maximè optandum, vt illius causa immediatè ad sanctam Sedem defferretur, Romaeque iudicaretur, iuxtà Concilij Tridentini decretum.

§. IV.

Vtrùm Papa in ferendo circa illas causas iudicio, teneatur ordinem iudiciarium ex integro obseruare?

Auctor praeallegatus dicto libro 6. cap. 7. praesentem difficultatem ità resoluit. Haec quaestio, inquiens, egregiè tractata est à Ioanne Monacho Cardinali natione Gallo, patria Picardo supra Constitutione Bonifacij VIII. quae incipit, Rem non nouam, extrauag. de dol. & contumac. verb. Non obstantibus aliquibus priuilegijs. Antequam dubium resoluat, distinguit quinque genera legum, & iurium, scilicet Primò, legem aeternam, quam cùm sancto Augustino contra Faustum definit, esse Diuinam voluntatem, ordinem Vniuersitatis conseruare iubentem, & perturbari vetantem. Secundò, legem naturalem homini impressam, tamquam participationem quamdam legis aeternae, & principia rerum agendarum dictantem; putà bene esse agendum, nulli nocendum, bene agentes praemiandos, peccantes puniendos. Tertiò, legem Diuinam, hominem dirigentem ad finem supernaturalem, idest, naturalem virtutem, & facultatem hominis excedentem. Quartò, legem humanam ex naturali deductam, tamquam conclusionem à principio, necessariam cùm illo connexionem habentem. Quintò, legem humanam, naturalem determinantem in ijs, quae ab ipsa in communi tantùm praescribuntur; putà cùm lex naturalis dicter in communi, peccantes esse puniendos, non determinata poena, lex humana praescribat, homicidas esse puniendos tali, vel tali genere poenae.

Ex his quinque legum generibus quatuor prima cuiusuis hominis, etiam Summi Pontificis, potestatem superant. Cùm enim lex aeterna sit ipsemet Deus, lex autem naturalis, quasi quaedam copia, & impressio legis aeternae à Deo facta; lex Diuina ab ipsomet Deo constituta; ac denique lex humana à naturali tamquam conclusio deducta, virtualiter, ac radicaliter in suo principio contenta, eiusdem rationis cum illa censeatur, constat, illas omnes à solius Dei voluntate pendere, vndè interdùm earum quaelibet ab auctoribus legis Diuinae nomine donatur. His igitur non superiores, sed subiecti sunt cuiuscumque conditionis homines, nec ab eis recedere sine peccato possunt.

Itaque dùm quaeritur, an Summus Pontifex teneatur ordinem iudiciarium in aliquo sequi. Primò videndum est, an ille ordo sit à lege aliqua ex supradictis praescriptus. Quòd si ità esse constiterit, non poterit certè illi sese non accommodare: sed de hoc nulla est controuersia, praesertim in materia libertatum Ecclesiae Gallicanae, in qua frequentiores contentiones oriuntur ex violatis, aut praetermissis solemnitatibus, & formulis in Gallia seruari solitis, & à consuetudine, ac ordinationibus Regis, aut Senatusconsultis institutis.

Quocirca dicendum videtur, non debere quidem Summum Pontificem solitum illum ordinem praetermittere, vitandae perturbationis causa, & quia plerumque ad iustitiam conducere in qualibet regione censenda sunt, quae populi consensu, ac diuturno vsu comprobata sunt; non tamen ideò inualida esse Summi Pontificis decreta, dummodò in ijs nihil desideretur illorum, quae lex Diuina, vel naturalis praecipit, praesertim si praetermittere ordinem, necessitas, aut magna vtilitas suadeat; putà si eius conditionis sit negotium, vt nisi celerrimum afferatur remedium, plurima consecutura sint mala, qualia esse dogmata perniciosa, Sacramentorum prophanationes, &c. Immò in rebus minoris momenti, si per prouisionem, vt vulgò dicitur; sine partium iudicio, aliquid statuatur, alicuius periculi vitandi gratia, causae meritò maturiori examini, & discussioni à Iudicibus, ad quos pertinet, faciendae reseruato. Vel enim forma illa est à Rege, aut populi vsu constituta; & sic Summum Pontificem vtpote superiorem ligare nequit. Vel ab Ecclesia ipsa inducta est, & ità supremi Pastoris est, super ea dispensare, postulante necessitate, vel Ecclesiae vtilitate.

An minorem Summo Pontifici libertatem circa formulas in Iudicijs Ecclesiasticis concedemus, quàm Iurisconsulti Curijs Regijs in negotijs secularibus? [Curia Parlamenti (inquit Petrus Rebuffus in procem. ad Concord. num. 15.) ex bono, & aequo iudicare solet, & secundùm conscientiam, & debet veritatem attendere, non subtilitatem, seu formalitatem.] Omitto, quod vulgò Principem, & praecipuè Papam, esse supra legem, solutum à lege, ac lege superiorem. Verumtamen cùm id de vi coactiua intelligi debeat, Principes, praesertim Ecclesiastici, vim legis directiuam, amore iustitiae, accuratiùs sequi debent, quàm subditi vi coactiuae, timore poenae, sese accommodare.

Illustrissimi Praesules Gallicani, vt Summi Pontificis, quamplurimarum Ecclesiarum Galliae libertatem aduersùs Regaliam defendentis zelum sisterent, violatum ab eo in aliquibus negotijs iudiciarium ordinem obtéderunt; ac cùm deberent Christi Vicarium malis, & scandalis in illis ipsis negotijs perpetratis medentem iuuare, illa silentio inuoluentes de inuerso processus ordine grauissimas excitarunt quaerelas. Verùm quaecumque necessaria erant, ab eo obseruata fuisse,

& ea

& ea tantùm prætermissa, quæ vel impossibilia erant, vel ob conditionem negotiorum, promptum remedium postulantiū, adhiberi non poterant, ac denique rerum iustitiam adeò esse euidentem, vt nullo pretermissarum formularum pretexta eludi posset, egregiè demonstratum est varijs scriptis Gallico idiomate editis, præsertim libello, cui titulus [Considerationes circa Ecclesiastica negotia in proximis Comitijs Cleri Gallicani proponenda.] His igitur omissis, ad quæstionem redeamus.

Communia quidem à nemine negantur. Sed ea casibus particularibus applicare, in quibus tamen operæ pretium est, non tam facilè quilibet possit.

Duabus partibus omninò necessarijs, & quasi essentialibus constat iudicium, scilicet cognitione causæ, & prolatione sententiæ, ad quas reliqui omnes actus referuntur. Necesse quippe est, vt iudex causæ merita intelligat, & ijs intellectis, ius dicat. Verùm vt causæ cognitionem adipiscatur, opus est, vt vtraque pars ius suum exponat, ac partis aduersæ allegationibus respondeat, quod litis contestatio à Pragmaticis nuncupantur. Ex ea contestatione maximè pendet causæ instructio, eo quod nihil magis ad detegendam veritatem iuuet, quàm si omnes vtrinque rationes proponantur, vt contingit, cùm hinc Actor, illinc Reus: alter pro affirmatiua, alter pro negatiua, studiosissimè; vt fieri solet ab ijs, quorum interest, conquisita argumenta proferunt. Vnde illa litis contestatio, ceu præcipuum processus fundamentum habetur à Iurisconsultis. Vt autem ambæ partes in id concurrant, oportet, ve vel communi consensu, vel quod plerumque necesse est, per Rei citationem conueniane apud Iudicem. Quod si, vt ferè semper accidit, altera pars affirmet, altera neget; cùm neutri, quantumuis eximiæ dignitatis, credendum fit; probationibus opus est, quæ de veritate fidem faciant, ac iudices instruant. Detecta veritate pronuncianda est sententia, ac executioni demandanda, nisi fortè iniusta sit, & à superiore Iudice corrigenda.

Quamuis ergo ad hoc, vt iudicium validum sit iure naturali, ac Diuino, satis sit, ve iudex causam norit via publica (cùm enim vt persona publica, & ob bonum publicum procedat, non sufficit ei priuata cognitio, quantumuis certa;) & vt æquitatem, & iustitiam seruet in iure dicendo; tamen quia perfecta illa cognitio, partibus non auditis, vel saltem vocatis, & aliundè accersitis probationibus, haberi non potest; nec consequenter, nisi temerè indicari; necesse omninò est; Primò, vt partes citentur, nisi fortè vltro conuenerint, & vtraque iura sua tueatur, aut tueri possit. Secundò, vt si pars altera adesse nolit, quod ab altera asseritur, probetur. Tertiò, vt iudicium secundùm allegata, & probata, iuri præsertim Diuino, & naturali consentaneum, proferatur.

CONCLVSIO

Generalis relata ad vniuersos præcedentes Paragraphos.

CVm Papæ supra Reges auctoritas indirectè erga temporales quoque causas præcedenti articulo 1. multis fundamentis sit ostensa, nisi manifesto iure Diuino, irrationabile prorsus, & à Diuinæ doctrinæ regulis alienum foret, potestatem Pontificiam coarctare circa causas Ecclesiasticas, nisi quantum Summi Pontifices, seu pactione, seu lege vniuersali eam constrictam volunt, salua semper potestatis suæ plenitudine.

Explicatur, & probatur ex ijs, quæ Auctor Inextinctæ veritatis Concilij Tridentini tom. 4. in sess. 23. à pag. 226. digessit. Quæ qualis, quantaque sit Ecclesiasticæ Hierarchiç Præsidis auctoritas?

Hoc enim dubitari à nemine potest, quin tanta sit illi attributa à Christo auctoritas, cui commisit sui regni, & ouilis curam pastoralem, & regimen, quanta illi ad hoc ipsum sibi mandatum officium erat necessaria. Tantam autem illi prorsus necessariam, qui omnibus regendis debebat intendere, nemo non intelligit: vt in omnes eius efficacia pareat, omnes regiminis sui habens constrictos habeat, omnes eius dicto audientes esse teneantur, sine quo, vt nulla esset commissi sibi in eosdem regiminis efficacia, si eius mandata nobis liceret contemnere; ita non posset (quò maximè spectat illa eius, toti Ecclesiæ necessaria auctoritas) vnitatem religionis, & fidei, & vigorem disciplinæ Ecclesiasticæ conseruare in domo Ecclesiastica: neq; efficere, vt in ea omnia ordine decenterque gerantur, non posset omnes, qui eiusdem familiæ sunt, quemque in suo continere officio; ab vnoquoque eius rationem exigere: delinquentes punire: excessus corrigere: moderari vniuersa, quæcumque aguntur in domo Ecclesiastica. Quæ tamen necessariò pertinere ad auctoritatem Præsidis, etiam in quacumque bene institutæ humanæ societatis specie, euidens ratio demonstrat.

Deinde, & hoc necessariò ad eiusdem auctoritatem pertinere, alibi à nobis copiosiùs demonstratum est, & per se etiam ex ipsa forma, & specie societatis Ecclesiasticæ, & necessitate conseruandæ in eadem vnitatis, religionis, & fidei, notum est: vt ad ipsum referantur omnes de religione, & fide quæstiones, & controuersiç subortæ in domo Ecclesiastica, eiusque vnà cum sacerdorali Concilio (iuxta formam expressam in Lege Veteri) secum seruientium Domino in Cathedra Apostolica, aut etiam aliundè euocatorum (secundùm quod illius negotij qualitas exigere videbitur) terminandæ definitione, & iudicio. Sine quo nullam in Ecclesia conseruari posse vnitatem religionis, & fidei, sed tàm diuersas in ea necessariò forè opiniones, & sententias, quot sunt, & quàm diuersa hominum ingenia, ipsa loquitur rei euidentia.

Qua-

Quare secundùm ea, quæ præmissa sunt, oportere, quilibet intelligit, vt membra vniuersa Ecclesiastici corporis moderentur, & regulentur habenis, & imperijs sui illius hygemonicon, Ecclesiasticæ videlicet hierarchiæ rectoris, & præsidis: ne quolibet lato pro suo impetu, & arbitrio, necessariò subsequatur; & pugna inter se membrorum, & schisma, atque vnitatis diuisio.

PROBATIO I.

Ex indefinita Petri successori per Christum concessa ligandi, & soluendi auctoritate, & vnà, & exemplis praxis Ecclesiasticæ petita.

A Summi ergo Pontificis auctoritate nemo exemptus est, qui inter oues Christi connumerari voluerit: quas omnes indiscriminatè illius subiecit regimini: nec distinxit à magistratu plebeium: non Principem, non Regem, non Imperatorem excepit: [Sed pasce, inquit, regeque agnos meos, & oues meas.] Cui autem aliquorum commissum est regimen, necesse est, datam illi regendi eosdem potestatem: his autem obsequendi, & Rectoris imperijs obediendi, necessitatem impositam, sine quo nemo posset, vel viginti personarum familiam, & societatem regere. Neque elegit ad hoc Christus nobiles secundùm carnem, non Reges, non Imperatores, & huius mundi Principes sed infirma potiùs huius mundi elegit, vt confundat fortia: Sed Petrum piscatorem elegit & post eum ex infima plebe plurimos, sub quorum gubernatione, regimine, & imperio se humilient, necesse est, quicumque in Christi ouile, & regnum ascribi voluerint. Hæc enim lex huius regni est. Proinde obliuiscantur interim proprij regni, & Imperij, oportet, Reges, & Imperatores, quicumque in hoc ouile Christi, & regnum eius ingredi, admittique voluerint, aut admissi inrus manere: sub illo se humiliene, necesse est, quamuis piscatore, quamuis ex infima plebe assumpto, cui Christus eiusdem gubernationem committere dignatus est.

Fuit quidem hoc regnum Christi ab initio pusillum, & humile, instar grani illius sinapis, cui Christus ipsum comparat, quod acceptum, misit homo in hortum suum, & creuit, factumque est arbor magna: ita vt volucres cæli venientes in ramis eius requiescerent; quod impleri tunc cœpit, cùm Constantinus Imperator, & post eum Reges, & Principes alij, suos fasces, sua sceptra, suaque colla Regno Christi submittentes, sub ramis eius veram pacem, quietemque inuenitent. Quos omnes in hoc regnum ascriptos, non ampliùs instar Principum, & regum gentium, subditorum suorum, dominari sibi, sed Christo, iam oportet: illius, hoc quod diximus, regno suo illi regno seruire ad salutem suam, & suorum; illius zelare honorem, & gloriam.

Neque est, quod indignè ferant illi seruire, & non liberè Ethnico illo more dominari, sed subesse eius rectori, & præsidi. Quando nulli salus est, nisi qui huic regno libens seruierit: nulli ad illud cœleste beatitudinis regnum, nisi ex hoc, pater aditus. Quod Esaias, sub nomine Hierusalem hoc ipsum alloquens, & omnibus clarissimis verbis coureslans, affirmat. [Gens enim, & regnum, inquit, quod non seruierit tibi, peribit.] Expetenda igitur est omnibus hæc seruitus.

Quin & Dei ordinatione ita constitutum, vt hoc Christi regnum, inprimis deficientis Romani Imperij sibi subiectumm esset reliquias, & deinde comminuturum vniuersa mundi regna, ingrediente in ipsum pleniru dine gentium; iam olim Danieli ostensum est in visione, quam vidit ille Rex Babylonis in lapide illo scisso de monte sine manibus, ab initio modico, sed qui paulatim in montem magnum eacreuit: impleturus adhuc vniuersam terram, percussurusque statuam, quam idem ille viderat, succedentium sibi regnorum exprimentem imaginem, in suis pedibus ferreis, & fictilibus; quos eodem Daniele fideli interpret, reliquias Romani Imperij circa sui finem significare, certum est. Lapidem autem istum, esse hoc regnum Christi, & Ecclesiam, idem quoque ille ipse Daniel certissimus testis est: [In diebus autem, inquit, regnorum illorum suscitabit Deus cœli tegnum, quod in æternum non dissipabitur; & regnum eius non tradetur alteri populo. Comminuet autem, & consumet vniuersa regna hæc, & ipsum stabit in æternum, secundum quod vidisti, quod de monte abscissus est lapis sine manibus,] Nempè hoc regnum Christi, Catholica, inquam, eius Ecclesia, quod, inquit, consumet vniuersa regna hæc, sibique subijciet.

Nibil proinde indignandum est, hoc factum cernere: nempè, quod Ecclesia sibi subiecerit Reges, Imperatores, Principes, regna denique, & imperia; quod ab æterno ita futurum, præordinauit omnipotens illa Sapientia, & priusquam fieret, tantò ante fore præostensum ab eadem, & Prophetarum oraculis prædictum cernimus. Quæ tamen nihil sibi vi vsurpauit in quemquam indebitum; sed vltrò se ei submittentes ad salutem propriam Reges, & Principes, benigne suscepit. Audisti etenim, quid ille dixerit Ecclesiæ. [Gens enim, & regnum, quod non seruierit tibi, peribit.

Comminuit igitur Christi Ecclesia, & sibi subiecit; iuxta Danielis vaticinium, principatus, & regna, Reges, & Principes; sed illorum submissione vltronea: atque ita hoc volente, & ordinante Diuina prouidentia, pro conseruãda vnitate necessaria, & concordia in domo Ecclesiastica: atque hoc randem efficiente, vt non subesset solùm, sed planè dependeret eorum auctoritas, ab auctoritate Ecclesiastica: abolita paulatim omni illa seculari potestate, quæ se in gentilitatem quoquo modo referre posse videretur.

Itaque eadem illa, omnium regnorum successionem gubernante, ac disponente prouidentia, cum tamdem omne Occidentis Imperium subtractum esset Romano Imperio;

Romanus Pontifex Leo tertius, nouum inchoauit Imperium planè dependens ab authoritate Eccleſiaſtica in Carolo illo cognomento Magno, Pipini filio: à quo ad noſtra tempora ſupra annos ſeptingentos continua ſerie perdurat Chriſtanorum Imperatorum ſucceſſio. Qui vniuerſi nihil iuris legitimi habuerunt ad Imperium, quod non acceperunt ab Eccleſiaſticæ hierarchiæ rectoribus. Quod tamen ego magis legitimum nil dubitauerim, quàm vniuerſum illud, quod ante Carolum, ex Iulio Cæſare ducebat originem.

Et quanquam etiam illud ipſum ſeruire debuerat Chriſti Eccleſiæ, poſtquam eius principes, atque Imperatores ouile Chriſti ingreſſi ſunt: haud tamen ita ab Eccleſiaſtica authoritate dependebat vniuerſa eorum authoritas, ſed propriam, quam ante habuerant, introduxerant in Chriſti Eccleſiam, atque eius authoritati ſe reddiderant obnoxios. quos proinde liberiùs compellans Gregorius ille Nazianzenus, cùm aliquando modum ſuum non ſatis agnoſcerent in Chriſti Eccleſia [Suſcipitiſne, inquit, libertatem verbi? Libenter accipitis, quòd lex Chriſti Sacerdotali vos poteſtati ſubjicit, atque iſtis tribunalibus ſubdit? Dedit enim, & nobis poteſtatem, dedit, & principatum multò præſtantiorem principatibus veſtris. Aut nunquid iuſtum vobis videtur, ſi cedat ſpiritus carni? ſi à terrenis cæleſtia ſuperentur? & ſi diuinis præferantur hùmana?

Itaque, & cæteri Reges ac Principes hæc intelligentes, iam illuſtrati lumine fidei, ſua ſceptra; & vniuerſam prorſus authoritatem ſuam Eccleſiaſticæ authoritati non ſolùm ſubeſſe recognouerunt; immò, quò hanc ſubjectionem omnes magis intelligerent debitam & neceſſariam, iuxta illud Eſaiæ vaticinum (Diuina ita hoc ordinante prouidentia, quæ ſi in vniuerſa, in hæc maximè ſe extendit) vniuerſi ſuam authoritatem recipere ab Eccleſia, eiuſque auctoritate, re ipſa profeſſi ſunt.

Sic florentiſſimi Galliarum Regni ſceptra, & titulos, (cum in Hildeerico eatenus Rege ignauo, & ſocorde, deficeret illa ex gentilitate tracta, & reducta ſucceſſio (Pipinus à Zacharia Eccleſiaſticæ hierarchiæ præſide, pro ſe, ſuiſque ſucceſſoribus accepit, ſacra vnctione, Apoſtolica auctoritate ſibi impenſa à ſancto Bonifacio Moguntino Archiepiſcopo, & Chriſti Martyre, A quo in hodiernum vſque diem omnes ordine ſibi ſuccedentes Reges, quò hoc ipſam conteſtentur, & perpetuò in memoria habeant, non ſolùm Eccleſiaſticæ authoritati ſe ſubjici, ſed etiam ab eadem accepiſſe ſe illam ſuam dignitatem, & authoritatem Regiam, Eccleſiaſtica conſecratione, & inunctione, eamdem velue legitimo ritu ſuſceperunt. Eamdem formam, atque exemplum omnes Chriſtiani orbis Reges ſequuti, faſces ſuos vltrò ſubmiſerunt Eccleſiæ: re ipſa hoc conteſtantes, quòd non niſi Eccleſiaſtica iuunctione, & conſecratione legitimam authoritatem ſe fateantur recipere. Qua ex re adeò nihil authoritati eorum, & exiſtimationi apud fidelem populum deperijt, vt plurimum etiam acceſſerit. Ee quò quiſque fideliùs ſe impendit, vt ſeruiret Eccleſiæ, authoritatique Eccleſiaſticæ, tantò etiam plus authoritatis inuenit apud ſuos ſubditos, & Diuini Numinis fauorem ſibi efficaciùs ac patatiùs adeſſe ſenſit.

PROBATIO II.

Prioris continuatiua, & ab abſurdo, per oppoſitam ſententiam ſecuturo, petita.

Ex prætactis namque facilè quiſque intelliget, quale ſit, & quò ſpectet, quod docent Aduerſarij, Neoterici præcipuè, Romano Pontifici non competere vllam iuriſdictionis ſuperiorem authoritatem ſuper Epiſcopos, reliquoſque Eccleſiaſticos gradus, & ordines, nec ſuper magiſtratus ſæculares, Principes, Reges, Imperatores. Quam illi ſuper omnes, qui ad Chriſti Regnum, & ouile ſe pertinere agnoſcunt, ex eiuſdem Chriſti commiſſione competere, euidentiſſimum fecimus.

Et miroe ſanè, quod dubitare quiſquam poſſit, an in hoc ſuo Regno, & Eccleſia, quam ipſa conſtituit, & ordinauit Æterna illa Dei Sapientia, ipſa quoque prouiderit, & conſtituerit, quod in vnaqualibet humanæ ſocietatis ſpecie, neceſſaria ratione coacti inter ſe conſtituunt homines: vt ſit inter ipſos aliquis, penes quem ſit præcipua authoritas: cui teneantur deferre cæteri: qui ſingulis ſua habeat officia præſcribere, à ſingulis eorumdem rationem exigere, negligentias, defectus, exceſſus commiſſos, ſeu in officijs, ſeu ab vno adueeſùs alterum, conuenienti ſuæ authoritati, & formæ ſocietatis modo corrigere: ſinè quo nec ad momentum vlla poſſet ſubſiſtere ſocietas, vlla inter multos conſeruari vnitas. Quòd hoc illa ignorauerit ſuæ illi tam numeroſæ, quam congregauit, ſocietati Eccleſiaſticæ neceſſarium: ſinè quo nec decem hominum vnitam ſocietatem conſeruari poſſe, omnes homines intelligunt. Mihi ſanè quiſquis de hoc dubitare poteſt, videtur de Chriſto ſentire non admodùm piè, & ſobriè.

Quin, & ita hanc rem tecum æſtima. Si vna, vt eſt, à Chriſto inſtituta eſt eius Eccleſia, & ita vna, vt eius vnitatem ad finem vſque conſeruari voluerit: an dùbitare quiſquam meritò debeat: ab eodem eidem prouiſum fuiſſe de omnibus, quæ ad vnitatem eam conſeruandam ſunt, & fuerunt prorſus neceſſaria?

Finge cogitatione, qualem Aduerſarij à Chriſto inſtitutam volunt Eccleſiam, abſque vllo hygemonico principante, rectore, aut præſide, abſque vlla diſtinctione graduum ſacri Ordinis Eccleſiaſtici, abſque Primatibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis: imò abſque ſacerdotibus alicuius ſacratioris ordinis dignitate diſtinctis à laica multitudine: ſed tantùm, quos vna quælibet plebs ſibi deligit, Verbi, & Sacramentorum miniſtros, æquales omnes, & vnum in nullo ſubiectum alteri. Quid videres in hac Sunamite? nunquid choros caſtrorum? au non potiùs Babylonem confuſiſſimam: in qua vno anno tot eſſent, tamque pugnantes de fide, & religione ſententiæ, quot & quàm diuerſa ſunt capita? Et intro-

troducta semel in eandem istiusmodi pugna, & controuersia, quis foret modus resarciendæ alicuius vnitatis, & concordiæ? Istiusmodi fędissima, & confusissima Babylon dignumne tibi videretur tali artifice, & architecto opificium: cui nemo hominum, qui vel parum ratione, & mente polleret, non magis conuenientem ad suum illum finem, decentem, & decoram formam cogitatione effingeret?

Ad hæc cogita, quod res est in vna domo Ecclesiastica, aut Christi Regno multos esse principantes, qui ciuiles magistratus gerunt: quorum nemo subditur alteri, nec alium supra se recognoscunt principatum ciuiliter. vt Imperator, Rex Galliarum, Rex Hispaniarum, Lusitaniæ, Angliæ, Scotiæ, & alij quàm plurimi. Num tibi videretur, (si posses ipse, quam vtilissimam toti Ecclesiæ iudicares, formam, speciem atque ordinem solo cogitatu constituere) vtilius fore Ecclesiæ & conseruandæ eius congruentius, hanc tantam principantium in eadem Ecclesiastica domo multitudinem, vni superiori authoritati, totius Ecclesiasticæ rectori, subiectam facere; quæ posset subortas inter nos quæstiones & controuersias sua authoritate componere, cui deferre omnes tenerentur? An verò nulles hos cuiusquam obnoxios esse superioris authoritati, & iudicio? non puto, quemquam esse tam malè ad veritatem affectum, qui non intelligat, vtrum horum magis congruat conseruandæ vnitati ac paci in domo Ecclesiastica, nam ad secundum horum, necessariò sequeretur, continuis bellis intestinis tumultuari domum Ecclesiasticam. Necesse enim foret, quicquid inter hos tam multos oriretur quæstionis, & controuersiæ, in qua vni non videretur cedendum alteri, vt id armis decideretur. Cùm prior erat proposita Ecclesiæ forma, & species, superintendente illa omnibus authoritate, cui essent omnes obnoxij, omnes facilè omnium horum quæstiones, & controuersias tolleret, & componeret: & vt intus pulcherrimam pacis pulchritudinem facilè conseruaret: ita faceret eamdem omnibus hostibus suis externis formidabilem, & aduersùs vim omnem munitissimam, quippe omnibus omnium viribus conspirantibus, in vtilitatem, & salutem totius Ecclesiæ, per authoritatem illius hygemonicon super intendentis illis omnibus, & sui Imperij habenis ad communem vtilitatem, & salutem reuocantis omnia.

De quo, vt per se euidenti, cùm omninò dubitari non possit, nec de hoc quidem quisquam meritò dubitare poterit, hac ne, an illa forma, & specie Christus suam constituerit, atque ordinauerit Ecclesiam, nempe perfectissima: & ad conseruandam eius vnitatem, pacem, & concordiam, finemque, ob quem congregauit eamdem, quàm congruentissima: etiamsi nullis hoc ipsum Scripturis demonstraretur aliter. Nunc verò, cùm etiam Irrefragabili diuinarum Scripturarum authoritate euidentissimè demonstrauerimus, ita institutam, atque ordinatam fuisse à Christo, quis hic dubitandi locus est?

Intelligunt proinde, quibus affectu deprauatum non est, sed integrum, syncerumque rationis iudicium, quàm fine bene meriti de Ecclesia Christi, qui stulto quodam zelo authoritatis secularis aduersùs Ecclesiasticâ, huic illam nolunt subijci: Ethnicam adhuc & non Christianam dominationem meditantes animo, nec cogitantes, quod in alieno iam, hoc est Christi Regno, hæc ipsa geratur authoritas. In quo hæc ipsa recepta precariò, non vi introducta illi quoque debet seruire fideliter. Extra quod quamdiu fuit, subiecta illi non fuit: postquam verò illud ipsum ingressa est, vt subesse debeat rectori, quem ille nobis sui regni designauit, & constituit, nemo est qui non intelligit.

Itaque non fuerunt ab initio Imperatores, Reges, & principes subiecti Petro, & Apostolis: vt qui in ouile Christi nondum ingressi fuerant; nondum se, suaque sceptra, Christi regno submiserant: imò contra, Petrus, & Apostoli eorum, sub quibus degebant, authoritati illi ciuili erant obnoxij. At contra res habet de his, qui in regnum Christi iam intromissi sunt, In quos absque vlla distinctione, aut exceptione omnes data est Petro, & qui eius locum tenet, curæ pastoralis regiminis authoritas omnibus imposita est illi obediendi necessitas.

Æquè tamen verum est, quod nullum suo iure priuat Christiana religio: sed qui se illi astringunt vltro, seque Christi regno subijciunt necesse est, vt illius quoque legibus pareant: illius sacrosanctis magistratibus obedientiam dependant: vt membra se submittant imperio, & habenis hygemonicon, rectoris, & capitis. Quod cùm ab his doceantur negligere, & contemnere, sed quosque ferri suo impetu, iudicio, & arbitrio, tale nobis monstrum reddiderunt ex decentissimè ordinata, composita à Christo Ecclesia, quale foret animantis corpus, si cuique membro daremus proprium iudicium, & arbitrium, non subiectum Imperio hygemonicon: & ex pulcherrima pacis pulchritudine, quæ conseruata illa à Christo constituta eius forma, & specie in eadem vigeret, turbas, rixas, seditiones, & bella plusquam ciuilia, & penè perpetua, in eandem introduxerunt, pro inuicta eius aduersùs vim omnem externam fortitudine, eamdem prædæ ac direptioni hostium suorum omnium exposuerunt. Quæ enim causa est alia bellorum inter nos crudelissimorum, quibus Christiani homines in Christianorum fratrum sæpe innocentum viscera ferrum stringimus, & omnia crudelitatis plusquam Ethnicæ, plusquam barbaricæ exempla edimus in nos mutuò nisi quia Principes nostri ab illis pestilentissimis consiliarijs persuasi, rectoris Christi ouilis authoritati non deferunt, quam tenentur obedientiam: eius monitis ad Christianam pacem omni studio ipsos exhortantis, (quod certè perpetuò faceret, nisi suam ab ijs negligi, contemnique auctoritatem cerneret) in totius Christianæ Reipublicæ confusionem, excidium, & perniciem, rebelles & contumaces sunt? Quæ causa Turcas ita nobis fecit formidabiles? tot de nobis spolijs, victorijs, ac trophæis diuites, potentes, & gloriosos reddidit? Ea vna certè, quia non valet, quantum oportet, in corpore societatis Ecclesiasticæ hygemonicon, eiusue auctoritas: quia eius habenis & imperijs obsequi recusant membra singula: & proinde conseruari non potest illa omnium,

& ſingulorum in totius vtilitatem & ſalutem, qualem vnitas corporis neceſſariò requirit; conſpiratio: ſed quodque fertur ſuo impetu, ſuo arbitrio & iudicio, quiſque ſuum tantùm vnius curat, atque agit negotium: totius vtilitatem & ſalutem negligit. Hi ſunt fructus præclaræ illius doctrinæ, quam cum ſuis docent aduerſarij, Euangelio & doctrinæ Chriſti planè aduerſantem & contrariam.

Iam & hoc tecum perpende & cogita: ſi eſſet liberum tibi, quam conuenientiſſimam putares, & ſola cogitatione poſſes, Eccleſiæ Chriſtianæ dare formam & ſpeciem: an nullam eſſe velles in ea auctoritatem, quæ enormiter peccantes Imperatores, Reges, Principes, & tyrannicè opprimentes ſuos ſubditos, poſſet corrigere, & punire coactiua quadam potentia? Certè, talem requiri, euidens docet ratio: ne, ſi omnia ipſis impunè liceant, vertantur in tyrannidem, atque adeò belluinam quamdam truculentiam. Hoc itaque quin inter nos conueniat, illud quoque conueniat, neceſſe eſt, prouiſum eſſe, oportere, vt correctio eiuſmodi fiat ſine grauiori nocumento Communitatis, aut Reipublicæ, cui præſident delinquentes corrigendi. Iam cogitet quilibet, à quo, aut quibus velit Imperatores, Reges, Principes, qui nullum magiſtratum ciuilem ſupra ſe recognoſcunt, enormiter delinquentes corrigi? Certè à ſubiecta illis multitudine, & ſubditis hoc ipſum vtiliter fieri non poſſe, non ſolùm euidens ratio, ſed etiam omnium ab initio Regnorum, & Monarchiatum hiſtoria comprobat, & ſemper ceſſiſſe infeliciſſimè, quoties eiuſmodi aliquid à multitudine præſumptum, aut tentatum eſt. Habet enim princeps ſibi obæratam, & in quidnis obſequentem militarem manum, quam faciIlimè immitteret in multitudinis rebellis, & ſeditioſæ exidium. Ad hæc coercitionem, ſeu correctionem eiuſmodi delinquentis principis, neceſſe eſt, ordinem iudiciarium præcedere: ita vt ante accuſetur, & conuincatur de crimine, deinde legitimè condemnetur. Multa enim ſuperiorum facta aliter æſtimantur à ſubditis, quàm ad rectam rationem diſcuſſa æſtimari, oporteat. Sed vniuerſitas multitudinis, eiuſmodi actibus iudicialibus aduersùs ſuum principem, neutiquam eſt idonea. Quæ nec conuenire poſſet ad huiuſmodi, inuito principe, nec eoſdem ſuper illum exercere.

Ita proinde res ſe habet, ſine hygemonicon aliquo non poſſe rem communem, aut publicam aliquam ſubſiſtere: eiuſque felicitatem, ex principis bonitate, ad Commune Bonum præcipuè reſpicientis, maxima parte pendere. Attamen quia homines ſunt etiam principes, etiam in malum procliues vt cæteri, imò & licentia, & quodam etiam rerum ita ipſos trahentium, & tranſuerſos rapientium impetu ſæpenumerò peiores cæteris, & legitimam dominationem haud ratò conuertentes in tyrannidem: nec principatum propter hoc abolere oportet, nec ſubijcere ſubiectæ multitudini, quod omnem vigorem Reipublicæ ſolueret, ſed omnes vni totius Eccleſiæ rectoris auctoritati, vt conuenientiſſimè ſubijci, demonſtrat recta ratio: ita ſubiectos à Chriſto euidenter à nobis demonſtratum eſt. Qui in omnes iuriſdictionem exercens, vnius Chriſti, cuius inter nos agit Vicarium, eſt ſubiectus iudicio.

Quare non immeritò in Lateranenſi vniuerſali Concilio ſanè quàm celeberrimo, quod ſub Innocentio III. celebratum eſt, cuique interfuere Hieroſolymitanus, & Conſtantinopolitanus Patriarchæ. Metropolitani LXX. Epiſcopi CCCCXII. inferioris ordinis Prælati Eccleſiaſtici. DCCC. Regum verò Franciæ, Hiſpaniæ, Angliæ, Hieruſalem, & Cypri Oratores. In hoc, inquam, Concilio, ex omnium Patrum, atque adeò totius Concilij ſententia non immeritò decretum eſt, aut potiùs ex ipſis Chriſti verbis, & forma Hierarchiæ Chriſtianæ Eccleſiæ ita neceſſariò fieri, oportere, ab omnibus eſt recognitum, vt quoties Chriſtiani Orbis Principes, qui nullum alium, cuius iuriſdictioni ſubiacerent, ſupra ſe recognoſcerent, delinquerent alter in alterum, aut in ſuos ſubditos, correctionem eorum ad Romanum pertinere Pontificem.

PROBATIO III.

Obiectionis in contrarium oppoſita confutatoria.

QVispiam fortaſſis cauillabitur, Summo Pontifici, vti Petri Succeſſori, non competere coactiuam vllam auctoritatem ſuper ſeculares Principes, quòd ipſe Petrus gladio ferire à Chriſto ſit prohibitus, & iuſſus, vt gladium in vaginam recouderet, quem vt exercerent, & vibrarent, poteſtatibus ſecularibus commiſſum eſſe.

Verùm quiſquis, hæc obijcit, is meritò intelligat, non ignoraſſe Æternam Dei Sapientiam, paſtori ad exercendum ſuum paſtorale officium, non ſolùm pera, ſed etiam baculo opus eſſe. Non ignoraſſe id, quod intelligunt omnes homines, omnem, regendi quamcumque multitudinem, auctoritatem inefficacem, imò planè fruſtratoriam eſſe, niſi coactiua quoque auctoritate aliqua conuenienter armata ſit.

Sed varij coactiuæ auctoritatis, & coactionum modi ſunt, quæ omnibus quidem, quibus aliorum commiſſa eſt gubernatio, in ſubiectos ſibi neceſſariò competit: non tamen eadem omnibus, ſed cuique ſua: patribusfamilias in filios, vniuerſamque familiam, dominis in ſeruos: pædagogis, aut magiſtris in diſcipulos: Abbatibus in ſuos Monachos: ciuilibus magiſtratibus in ſibi ſubiectos: Eccleſiaſticis verò, quos dicimus, in commiſſos ſuæ curæ, & regimini: in omnes verò & ſuper omnes, qui ad Chriſti familiam pertinent, diſpenſatori, & vicem patriſfamilias nobis referenti totius domus Eccleſiaſticæ, atque eius Hierarchiæ vniuerſali præſidi. Omnibus, inquam, his, in ſibi, ſuæque gubernationi commiſſos & ſubditos, neceſſariò competit etiam coactiua quædam auctoritas, qua poſſint delinquentes punire, & errata eorumdem corrigere, ſed non eadem; quando nec vnus coercendi modus conuenitet omnibus. Alius enim patri in filium: alius domino in ſeruum; magiſtro, aut pædagogo in diſcipulum: Abbati in ſuos Monachos: ſecu-

secularibus principibus, & potestatibus in sibi subditos: alius denique totius Ecclesiæ rectori, in omnes, in Reges, Principes, Regna, & Imperia. Vni enim virgæ conueniunt, alteri ferulæ, alteri flagra, compedes, carceres, alteri etiam gladius. At quæ hæc omnia in officio continere debet, potentior, & terribilior sit omnibus, oportet: quæ etiam armatos, & gladium portantes principes sibi subijcere, sine tamen cæde, possit, sine orbis tumultu, & incendio. Hic autem est spiritualis gladius ille, quo Ecclesiasticæ rector familiæ, contumaciter sibi inobedientes, potest interdicere ingressu Ecclesiæ, & communione Christi fidelium: potest resecare à corpore Ecclesiæ, atque ita illis cœlum claudere, ad quod nulli, nisi ex Ecclesia patet aditus. Quæ pœna Christifidelibus omnibus meritò est omni morte terribilior, magisque formidanda omnibus armis secularium Principum: omni eorum coactiua potentia delinquentes coercet, frenat, & cohibet efficaciùs, vbi viget Christi religio. Cuius vim expertus in se Theodosius ille, verè Christianus, & sapientissimus Imperator, ob seditionem & suorum magistratuum cædem, in Thessalonicenses inconsideratiùs vltam, verè humiliatus, in puluere sedens & cilicio, atque ex intimis præcordijs singultus trahens & suspiria, Ruffino se consolari volenti: [Meorum, inquit, sensu malorum haud tangeris. Ego verò gemo, lamentorque in consideratione calamitatis meæ: quòd, cùm seruis & mendicis pateat diuinum Templum, illique liberè ad deprecandum Dominum suum ingrediantur, mihi cum illud inaccessum, tum insuper & cœlum occlusum est. Memoria enim teneo Dominicam vocem, qua manifestè dicit.] Quemcumque alligaueris in terra, is & in cœlo ligatus erit. Hic illi, & illo tempore, de gladio spirituali sensus erat: qui datus est Ecclesiæ Principibus, ad faciendam vindictam in nationibus, & increpationes in populis: ad alligandos Reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis. Cuius mucro, quòd nunc hebescit, quòd nostris principibus nunc minùs sit, quàm illo seculo fuerit formidabilis, non est, quia hi plus illis sapiunt, sed quòd plus desipiunt: quod fidei, religionique minor apud hos locus sit. Nam quantum vbicumque viget Christi fides & religio, tantum viget illius gladij efficacia, & auctoritas. In promptu, inquit ille, habentes vlcisci omnem inobedientiam, cùm impleta fuerit vestra obedientia. Tantum ille cuique terrori est, quantum quisque credit Christo: qui contumaciter inobedientes Ecclesiæ, atque eius rectori, fieri extrà Ecclesiam, & ab eius vnitate præscindi affirmat: extra quam nulli salus, sed omnibus clausum cœlum est.

Ex his mihi satis demonstratum videtur, Romano Pontifici, successori Petri, velut pastori, rectorique totius Christi ouilis, iure diuino superiorem iurisdictionis auctoritatem competere, non solùm in Episcopos cæteros, Presbyteros, vniuersosque ordines Ecclesiasticos, sed etiam in omnes, qui inter Christi oues censeri volunt: etiam Imperatores, Reges, Principes. Non equidem, qua tollatur illis sua illa ciuilis auctoritas: sed qua eosdem delinquentes in eius exercitio punire possit secundum leges diuinas, & Ecclesiasticas, atque etiam dignitate, ac magistratu priuare incorrigibiles, ac turbantes pacem Ecclesiæ, aut etiam illi gerendo prorsùs inutiles, & in locum eorum alios sufficere de consensu eius, cui præsunt, vniuersitatis, ac multitudinis: aut sufficiendos mandare per eos, ad quos eorum electio speciali aliquo iure pertinet. Quemadmodum non semel fecisse illos, approbante vniuersa Christi Ecclesia certissimæ fidei historiæ comprobant. Quod iniquè ab illis factum, atque vsurpatum, iniquissimè calumniantur aduersarij.

Quibus nihil aduersantur, quæ contra inducunt Aduersarij: & inprimis verba illa Christi apud Lucam, quæ contendentibus inter se de primatu Apostolis, interloquutus est Christus. [Reges gentium dominantur eorum, & qui maiores sunt, potestatem exercent in eos: vos autem non sic, sed quicumque voluerit in vobis primus esse, erit omnium seruus. Nam & Filius hominis non venit, vt ministraretur ei: sed vt ministraret, & daret animam suam redemptionem pro multis.] Quibus verbis, quod illi volunt, omnem superioritatem, aut iurisdictionis auctoritatem supra se inuicem, aut alios exercere, suis interdixisse Christum, toto abest diametro. Quin potiùs voluisse, vt esset aliquis inter illos maior, & primus illis ipsis verbis apertè innuit: sed simul, nemini sua ipsius causa, suæ dominationis, sui honoris, ambiendum esse primatum eiusmodi, significauit. Nemo inter vos sit altero maior, Princeps, Rex, aut primus: sed Principatus vt à Christiano, atque inter Christianos geri debet, onus & officium describit. Non enim debet is, qui præest, siue ciuiliter, aùt politicè, siue in Hierarchia Ecclesiastica, præesse sibi, ad suum commodum, gloriam, honorem, libidinem, ostentationem (hoc enim esset tyrannicam, non legitimam potestatem exercere) sed solam vtilitatem eorum, quibus præest, ad solius Christi, & Dei honorem, & gloriam. Debet meminisse eius, quod D. Ambrosius Theodosium Imperatorem admonuit, subditos se habere coniunctos sibi solùm genere, sed communi seruitio vnius Dei. Vnum enim esse Dominum, & Imperatorem, huius vniuersitatis fabricatorem: proinde ita sibi commissum principatum, ac magistratum gerere oportere, tamquam in oculis cuncta cernentis Domini: & qui paulò post districtissimam ab ipso rationem sibi commissorum omnium exacturus sit.

Hæc vna, & sola ratio est, inculpatè, & dignè gerendi inter Christianos Principatus, aut magistratus cuiusque, quam nihil esse præter meram grauemque sarcinam, quis non intelligit? Quis, secundùm hanc principantes, esse aliud dicet, quàm meros seruos seruorum Dei? Ad quæ respiciens numquid Principatum, aut primatum, seu Ecclesiasticum, seu ciuilem quisquam ambiendum duceret? Tamen vt geratur ab aliquo, vt hanc nobis mutuò seruitutem impendamus, ille omnium Dominus vult, & præcipit.

Nec est, quòd quisquam, hæc dicta à Chri-

Christo, pertinere ad solos, quos nunc dicimus, Ecclesiasticos, existimet: suis omnibus loquitur: [Scitis, inquit, quia Principes gentium dominantur eorum, & qui maiores sunt, potestatem exercent in eos. Hoc est,] inquit Origenes, [non sunt contenti tantùm regere subditos ad vnam ipsorum vtilitatem, sed violenter eis dominari.] Aut, vt Chrysostomus, [Principes mundi ita gerunt principatum, vt dominentur minoribus, & eos seruituti subijciant, vt expolient, & ad mortem vsque eis vtantur ad suam vtilitatem, & gloriam. Sed hæc Principes gentium, qui ignorant Deum, vos autem non sic: non instar illorum, qui Deum ignorant, sed velut in oculis communis Domini, super conseruos, & confratres vestros, non ad vestram (quæ tyrannis esset) sed ad eorum tantùm vtilitatem, & communis Domini gloriam, principatum, ac primatum exercebitis.

Hæc sibi dicta nouerint, æquè omnes, qui Christi subesse volunt magisterio, qui se Christi haberi discipulos. Non sibi persuadeant Reges, Imperatores, aut ciuiles Principes, ad Ecclesiasticas, quas dicimus, prælaturas, Ecclesiasticumque primatum, ea tantùm pertinere: ad omnes pertinent, qui Christi sunt. Vos, inquit, mei scilicet, quos tantùm distinguit à gentibus ignorantibus Deum. Quid igitur? Nunquid his verbis prohibuit inter suos Christus esse Reges, Imperatores, Principes? numquid quemquam vllam super alios præcipiendi, aut obligandi authoritatem habere? numquid omnes pares, & æquales esse voluit? Quæ à Deo sunt, inquit ille, ordinata sunt. Noluit suum regnum Christus esse Babylonem, sed quò omnia ordinatè agerentur à nobis, vni super omnes auctoritatem præcipiendi, & mandandi commisit: vni dixit, vt regeret vniuersum ouile suum, vt quæcumque obligaret in vniuerso orbe terrarum: modò intrà domum Ecclesiasticam, aut sui illius Regni limites, is ille ad hoc obligaretur coram Deo: voluit, vt ille superintenderet vniuersis membris Ecclesiæ, sacris, & profanis magistratibus ac officijs.

Quæ proinde fusior dissertatio huc relata, & repetita fuit, vt appareat, quid Papæ sit auctoritatis, si Reges causas Ecclesiasticas ad se trahere quoquo modo attentarent.

§. V.

Corollarium.

EX dictis infertur. [Quanta in illis Ponticficijs circa causas Galliæ Regnum concernentes processibus fit necessitas citationis ac probationum? Auctor Libert. Gallic. eod. lib.6.cap.8.rem ita prosequitur. Citationem, inquiens, de iure naturali ac Diuino necessariam esse consentiunt omnes ferè Doctores; ita scilicet, vt nemo condemnetur, nisi se defendendi facultatem habuerit. In eam sententiam adducuntur varia sacræ scripturæ loca, præsertim Genes.4.vers.9. [Ait Dominus ad Cain, &c.] vbi Glossa Interlinearis sic ait; [Non quasi ignorans vt discat, sed vt reum puniat;] quia scilicet nemo puniendus est, nisi aut conuictus, aut sponte confessus. Non patitur Bonum publicum, vt impunita remaneant scelera: sed multò minùs, vt plectantur insontes, qualis autem quisque sit, nemo meliùs nouit, quàm ipse; nec alijs meliùs innotescere potest, quàm ipsius verbis; quæ si sincera sint, veritatem manifestant; si mendacia, non ita componi, aut promi possunt, vt vel ex contextu, vel ex modo, vel ex collatione, cum alijs indicijs, & probationibus bus, aliquam non præbeant Iudici criminis detegendi ansam; vt neque fama, neque testibus solis, neque alia quauis ratione tutè omninò, ac expeditè, reo non audito, ad criminis, vel innocentiæ cognitionem perueniri possit. Etenim licèt factum ipsum possit omninò notorium, & euidens esse: tamen eius bonitas, & malitia plurimùm ab adiunctis, seu circumstantijs pendet, quarum saltem aliquas nemo alius præter ipsum facti auctorem certò nouisse potest, v.g. qua intentione ductus fuerit, quod maximè in ferendo de qualibet actione iudicio attendendum est; quia, vt diuina docent Oracula, si oculus intentionis fuerit simplex, totum corpus actionis, quæ benè, ac malè fieri potest, erit lucidum, si autem nequam fuerit intentionis oculus, tenebrosum erit totum actionis corpus. Iurisperiti etiam in criminibus, an dolus intercesserit, diligentèr inquirendum monent.

Ea de causa inhumana semper habita sunt illa iudicia, quæ contra absentes non auditos, nec vocatos prolata fuerant. Ipsimet Pagani ab eis abhorruerunt. [Non est consuetudo Romanis, damnare aliquem hominem, priusquàm is, qui accusatur, præsentes habeat accusatores, locumque defendendi accipiat ad abluenda crimina. Verba sunt Festi ad Iudæos Sancti Pauli damnationem vrgentes, relata Actor.25.v.16. Seneca eam esse putabat, ante sententiam audiendæ vtriusque partis necessitatem, vt sapienter pronunciauerit; [Qui parte inaudita altera, aliquid statuerit, licèt æquum sit, quod statuit, haud æquus fuit. In Med. vers.199.& 200.

Eam iniustitiam sibi à suis Aduersarijs factam grauissimè conqueritur S. Ioannes Chrysostomus in Epistola ad S. Innocentium Romanum Pontificem. [Quæ ab ipsis facta, contra omnem ordinem, contra omnes leges, contra Ecclesiasticos Canones. Et quid dico, Ecclesiasticos Canones. Neque in Gentilium iudicijs, neque in Barbarorum Tribunalibus talia attentata sunt vnquam, imò verò neque Scythæ, neque Sauromatæ vnquam iudicarunt, iudicium dandum vni parti, absente ea, quæ accusatur, &c.

Sanctus Augustinus epist.162. ita in Donatistas inuehitur: [Vbi est, quod Scriptura clamat: Antequam interroges, ne vituperes quemquam, & cùm interrogaueris, corripe iustè, si ergo nec vituperari, nec corripi nisi interrogatum Spiritus sanctus voluit, quantò sceleratiùs non vituperari, aut correpti, sed omninò damnati sunt, qui de suis criminibus nihil absentes interrogari potuerunt.

Nec puto, à quoquam dubitari, quin audiendus, vel saltem citandus sit reus, antequàm

tequàm in eum, vel etiam pro eo feratur sententia: de citandi tantùm ratione interdum ambigitur. Bonifacius VIII. in Constitutione rem non nouam de dol.& contumac. in Extrauag.commun. quam occasione dissidij cum Philippo IV. Francorum Rege dicitur edidisse statuerat, vt citationes auctoritate Apostolica de quibuscumque personis, vndecumque, & vbicumque essent, præsertim, si impedirent, ne citationes ipsæ ad se peruenirent, siue loca tutè, ac liberè adiri non possent, factæ in Aula Palatij, postmodùm affigendæ in valuis maioris Ecclesiæ loci, in quo Romana Curia resideret, sic valerent, ac arctarent citatos, sicut si eos personaliter apprehendissent, seu ipsismet significatæ fuissent. Quia verò vox illa, præsertim indicare videbatur, id etiam in alijs casibus, vltra expressos in Constitutione, locum habere debere, cæteros omnes Clemens V. in Concilio Viennensi exclusit, his verbis; [Præfatum modum citandi restringimus ad illos tantùm, & in illis locum volumus sibi vendicare, qui faciunt, impediunt, vel procurant, per se, vel per alios, quoquo modo, ne ad eos possit citatio peruenire, vel quorum domicilia, siue loca non possunt tutè liberèue adiri.] Clement. Dudum de iudic.

Ergo de iure Diuino, ac Naturali est, vt nemo condemnetur, nisi sese defendendi facultatem obtinuerit. Quamobrem oportet, vt citetur, meliori, quo potest modo; ita tamen, vt quantum est iure Diuino, vel Naturali, satis sit, quòd citatio ad eius cognitionem perueniat, aut vt, ne peruenire possit, ipse vel efficiat: vel procuret. Cæterùm quantum ad specialis citationis conditiones, pro varijs personarum, & negotiorum circumstantijs, Canonibus, & Legibus standum est, quamdiu aliqua vrgentissima causa diuersum ordinem sequi non suadet. Si autem huiusmodi causa subsit, iustitia præscriptis formulis, quæ propter commodiùs seruandam Iustitiam excogitatæ sunt, anteponenda est præsertim à supremo Iudice.

Porrò si reus sincerè crimen suum, aut aliud quid sibi contrarium fateatur; vlteriori probatione non est opus; præsertim si de scelere non agatur, cui pœna mortis debeatur (quo casu non esset audiendus, perire volens) quia non est verisimile, homines, ad priuatum sui amorem propensissimos, velle suis rebus nocere, etiam cum veritatis dispendio, quam è contra plerique propriarum rationum conseruationi postponunt. Sed cùm deest rei confessio, necesse est, immò cùm adest confessio, est vtile, alias conquirere probationes; vt nonnisi plenè comperto facto, ius dicatur.

Cuiusmodi autem debent esse probationes, vt plenam fidem facere censeantur, vel vt iudex ad ferendam certam sententiam procedere queat: pro causis quidem ordinarijs duo testes omni exceptione maiores ex iure Diuino, in varijs Scripturæ locis promulgato, & ex multis legibus humanis, requiruntur, & sufficiunt. Frequenter tamen plures necessarij sunt, seu probationes maiores: aliquando sufficiùnt pauciores probationes prò rerum, & personarum conditione, prout crimina, de quibus est quæstio, clam, aut palam solent perpetrari; prout pœna grauior, aut leuior infligenda est, ac pro cæteris circumstantijs. Quocirca id sequendum est, quod præscribunt leges, & consuetudines, aut Iudicis arbitrio standum, vbi res à legibus ei permissa est, vt vbi Iudex supremus est, cuius sententia legis vim habet, quoties iuri Diuino, aut naturali apertè non repugnat.

Dubitatur autem, vtrùm, si pœna pro vero, sed non comperto crimine imponeretur, valeret sententia? Eam certè rescindendam esse, probat Ioannes Monachus plurimis, grauissimisque rationibus. Vnde necessariò consequitur, abstinendum esse à ferendis huiusmodi iudicijs. Reus non tam sui, quàm aliorum causa punitur à Iudice, vt scilicet similis pœnæ timore à malo retrahantur. Si autem crimen confessione, aut alia iuris ratione ad publicam lucem deductum non fuerit, non magis malis, quàm bonis terror incutitur, nec potiùs culpæ Reorum, quàm iniustitiæ Iudicum pœna adscribitur. Euidentia patrati sceleris non indiget clamore Accusatoris,]vt habet Glossa in cap.4.Genes. vers. 10. Indiget tamen examine, vt patet in cap. 18.Genes. vbi Deus, cùm de peccato Sodomorum & Gomorrhæ dixisset, [Clamor Sodomorum, & Gomorrhæ multiplicatus est, & peccatum eorum aggrauatum est nimis;] subiungit nihilominùs; [Descendam, & videbo, vtrùm clamorem, qui venit ad me, opere compleuerint, an non est ita, vt sciam.] Vbi Glossa; [Vt à præcipitatione iudicij compesceret, mala Sodomæ priùs voluit probare, quàm iudicare.

Cæterùm Superiorum sententia, etiam iniusta, præsertim si iniustitia circa modum dumtaxat versetur contemni non debet, ne contemptus dignum reddat pœna, quæ fortè iniustè fuerat inflicta. Quocirca sapienter monet S.Gregorius homil. 26. in Euang. Pastor ergo vel absoluere indiscretè timeat, vel ligare. Is autem, qui sub manu Pastoris est, ligari timeat, vel Iniustè, nec Pastoris sui iudicium temerè reprehendat: ne, etsi ininstè ligatus est, ex ipsa tumidæ reprehensionis superbia, culpa, quæ non erat, fiat.

DISQVISITIO V.

De Iure Appellationum ad Romanum Pontificem.

PRÆFATIO.

HVius Disquisitionis intentum Elliesius in suæ de antiqua Ecclesiæ disciplina Dissertationis secundæ Praeloquio reducit ad tria principia. [Quorum primum sistit in hoc puncto, quod scilicèt in omni societate sit necessum, aliquos esse controuersiarum iudices, nec non aliquam reperiri formam iudicandi circa res illas, quæ finem & salutem societatis respiciunt. Cùm ergo finis societatis fidelium sit vita æterna, per fidem, & bonos mores adipiscenda, bonumque illud commune sit conseruatio Fidei, & integritas morum in singulis Ecclesiæ membris, subinfert is Parisiensis Theologus, haud dubium esse, quin Ecclesiæ suos habere

debeat

debeat iudi ces, qui de causis eiusmodi statuant ex legi timâ, & certa quapiam iudicandi formâ.

Secundum principium est huius tenoris: [quòd inter omnes constet, illos esse in Ecclesia controuersiarum Iudices, qui Christianos in fide, & moribus instituunt, quales fuerunt Apostoli, & post Apostolos Episcopi, & Pastores, qui singuli in Ecclesijs, quibus præsunt, iudices dici possunt. Si verò aliqua grauior quæstio sit exorta, tunc Iudices illos oportere, vt in communi conueniant ad mutuò deliberandum, & finem controuersiæ imponendum: quemadmodùm Apostolos conuenientes, cum senioribus Hierosolymis finijsse quæstionem de Legalibus. Post quos eandem cõsuetudinem mansisse, & certam quamdam iudicandi formam esse statutam. Cùm enim Episcopi in singulis Ecclesijs essent constituti, qui supra Presbyteres eminebant, his personarum, quæ in illorum Ecclesijs degerent, controuersiarum illic ortarum iudicium attributum esse; sed ita, vt simul cum Clero, hoc est, cum alijs Presbyteris iudicarint. Ab horum autem iudicio prouocationem concessam fuisse ad Metropolitanum Episcopum, cum quo iudicabant cæteri Episcopi Prouinciæ.

Tertium principium inuoluit istam controuersiam; Vtrùm scilicèt à Metropolitani, & Synodi Prouinciæ iudicio ex veteri Ecclesiæ disciplina concessa fuerit prouocatio ad Romanum Pontificem? [Pro cuius resolutione, ait Doctor ille Parisiensis, solere duplex distingui causarum genus, quarum aliæ maiores, aliæ minores dicantur. Maiores esse illas, quæ vel Episcopos, vel grauiorem aliquam disciplinam respiciunt: minores verò dici eas, in quibus agitur de Presbyterorum, & Clericorum iudicio, vel de leuiori aliquo disciplinæ capite, priuatam aliquam Ecclesiam attingente. De quo proindè vtroque causarum genere quæri; Vtrùm prouocatio detur ad Romanum Pontificem? Alios namque in omnibus, alios verò in maioribus tantùm prouocationem habere locum, contendere: cæteris negantibus, antiquitus à iudicijs quibuslibet Synodorum prouocatum esse ad Romanum Pontificem. Ad hanc igitur controuersiam decidendam, cum prætacto Auctore inpræsentiarum discutiemus;] Quid de iure sentiendum sit circa appellationes ad Romanum Pontificem.

§. I.

Quid iuris circa Appellationes ad Romanum Pontificem statui possit ex quinto Concilij Nicœni Canone?

Hic Canon ita se habet. [De his, qui communione priuantur, seù ex Clero, seù ex laico ordine, ab Episcopis per vnamquamque Prouinciã, sententia regularis obtineat, vt hi, qui abijciuntur, ab alijs non recipiantur. Requiratur autem, ne pusillanimitate, aut cont‹e›ntione, aut alio quolibet Episcopi vitio videatur à congregatione seclusus. Vt hoc ergo decentiùs inquiratur, placuit, per vnamquamque Prouinciam bis in anno Concilia celebrari, vt communiter omnibus simul Episcopis congregatis prouinciæ, discutiantur eiusmodi quæstiones, & sic qui suo peccauerunt euidenter Episcopo, excommunicati rationabiliter ab omnibus æstimentur; vsquequò vel in communi, vel Episcopo placeat, humaniorem pro talibus ferre sententiam. Concilia verò celebrentur, vnum quidem antè quadragesimam Paschæ, vt omni dissensione sublata, munus offeratur Deo purissimum; secundum verò circa tempus Autumni.] Ex quo proinde Canone Elliesius præsenti Dissertatione 2. §. 1. infert, omne in causis Ecclesiasticis iudicium definiuum Episcopis Prouinciæ committi sine vllo recursu, aut prouocatione. Quæ conclusio, quanti sit momenti, accuratiori trutina hìc expendere lubeat.

Primò namque prætendi solet, quod in eo Canone agatur de minorum dumtaxat Clericorum in causis criminalibus iudicio, non de Episcoporum damnationibus: veluti euincitur ex ipsismet Canonis verbis disertè statuentis de illis, qui suo euidenter peccauerunt Episcopo. Verùm Elliesius in fine citati §. reponit: Canonem illum specialiter quidem loqui de Clericis Episcopo subiectis, qui à illæ causæ erant frequentiores; sed prætereà ex Canone illius verbis colligi, eandem fuisse disciplinam seruatam in iudicijs Episcoporum, imò Canonis eiusdem fuisse intentionem, vt eadem in Episcopis atque Clericis inferioribus proportionaliter seruaretur disciplina: nam si quæ Episcoporum prærogatiua, ac peculiaris quæpiam ad eos iudicandos forma in vsu fuisset, vtique oportuisse, vt Concilium Nicænum in suo Canone casum hunc exciperet.

Verùm in ista Elliesiana exceptione occurrit notatu dignissima primæ instantiæ cõfusio cum secunda appellationis instantia. Dum enim causa cuiuspiam, qui vel ex Clero, vel ex laico erat ordine, ab Episcopo, cui peccauerat, seù quem offenderat, priùs erat discutienda, clarè insinuatur primæ coram ipsius tribunali instantiæ iudicium, cui nullus alius Episcopus poterat esse subiectus; sicque adeò istud iudicium in Clericos dumtaxat Episcopo inferiores exercendum fuerat. Quando autem prætactus Canon Nicænus sanciebat, bis in anno per vnamquamque Prouinciam esse celebranda Concilia, quibus coram omnibus Prouinciæ Episcopis simul congregatis, discuterentur huiusmodi quæstiones ad effectum, vt, qui suo peccauerunt euidenter Episcopo, excommunicati rationabiliter ab omnibus æstimarentur, tunc ista secunda iudicij instantia erat ad modum appellationis, [cuius sententia regularis obtineret in tantum, vt hi, qui à communione abijcerentur ab Episcopis per vnamquamque Prouinciam, non reciperentur ab alijs.] Quandoquidem igitur ea sit primæ ac secundæ in iudicijs instantiæ natura, vt huius, seù appellationis iudicium protendi non possit vltra id, quod iudicatum erat in primæ instantiæ Iudicio, istud verò iuxtà præallegatum Nicænum Canonem, fuerit de ijs, qui suo peccauerunt Episcopo, adeòque de illis, qui inferioris

rioris Episcopo Ordinis erant; quos proindè in Prouinciali Episcoporum Concilio oportebat, rursùs trahi ad iudicium, vt excommunicati rationabiliter ab omnibus æstimarentur: manifestum hinc euadit, totum Canonis illius tenorem, quatenus procedit tum de prima Episcopi, tum de Concilij Prouincialis per appellationis viam secunda instantia, non decernere de Episcoporum, sed de Clericorum inferiorum causis iudicandis.

Et hinc facilè euanescit præallegata Elliesij exceptio contendentis, eumdem circa Episcoporum, ac inferiorum Clericorum iudicia ex prætacto Nicæno Canone statutum morem esse tenendum, [cùm, si quæ peculiaris ad Episcopos iudicandos forma in vsu fuisset, oportuisset, vt à Concilij Niceni Canone fuisset exceptus.] At numquid iudicij erga Episcopos forma per eum sacrum Canonem satis noscitur excepta à norma iudicij erga Clericos inferiores exercendi; dùm ex eiusdem Canonis verbis elucet, primam iudicij instantiam contra Presbyteros, & Diaconos eatenus competere Episcopo, nullum super alio Episcopo iudiciariam potestatem obtineri, vt consequenter secundæ quoque instantiæ, seu appellationis iudicium ibi descriptum, non valeret vlteriùs progredi; sed in ordine ad Episcopos ex causa alicuius delicti iudicandos, non nisi primæ instantiæ iudicium in Concilio Prouinciali locum habere posse. De qua proinde prima Episcoporum iudicandorum instantia superest iam quæstio; [An penès prouincialem Synodum sit vltimata, quæ ad nullum altius tribunal per viam appellationis trahi possit?

Hanc quæstionem priusquàm decidamus, lubeat pro secundo, rursus audire Elliesium loco cit. prætendentem, quòd Canon ille Nicænus non modò latus sit de iudicio vnius Episcopi in Clericum, aut laicum, sed etiam generatim de iudicio plurium Episcoporum in quemlibet: iuxtà isthæc eiusdem Canonis verba, de his, qui communione priuantur ab Episcopis, per vnamquamque Prouinciam, &c. Vndè non dicit, vt, qui abijciuntur ab vno Episcopo, ab alijs non recipiantur; sed, vt, qui abijciuntur, ab alijs non recipiantur. Quare Concilium loqui de omni excommunicationis genere, siuè ab vno Episcopo, siuè à pluribus lata fuerit, tum aduersùs Clericos, tum aduersùs laicos: [Episcopum autem ex Clero esse, & excommunicari posse à Synodo Prouinciali.

Verùm is Parisiensis Theologus denuò redarguendus venit de primæ, ac secundæ instantiæ per dictum Canonem Nicænum tàm iuculenter distinctarum attentata confusione. Eius namque Canonis verba initialia, quibus de his, qui ab Episcopis per vnamquamque Prouinciam excommunicantur, seù abijciuntur, sancitum fuit, vt ab alijs non recipiantur; hæc, inquam, verba intelligi possunt, vel de singulis per prouinciam Episcopis aliquem de Clero, seu laico ordine ob peccati contra se reatum, siue offensam excommunicantibus: vel de Episcopis in vnam Prouinciæ Synodum coadunatis [ad excommunicationis, an rationabiliter ab Episcopo facta sit, quæstionem dijudicandam:] veluti hoc vtrumque dilucidè insinuat prædicti Canonis cõtextus, duplicem adeò iudicij erga inferiores Clericos Episcopis, horumque proindè singulari tribunali subiectos statuens instantiam, primam scilicèt, à quouis sigillatim Episcopo determinandam, & secundam ab omnibus Prouinciæ Episcopis intrà Synodum collectis decidendam. Et sic verum equidem dicit Elliesius, quòd Canon ille non modò latus sit de vnius Episcopi, sed generatim de plurium Episcoporum in Clericum iudicio, ità tamen, vt hoc secundæ instantiæ ab Episcopis in Prouinciæ Concilio ferendum, extendi non possit vltrà illos, qui à singulis Episcopis in prima instantia iudicati fuerant. Vndè quantumuis Episcopus sit etiam de Clero, nequeunt tamen eius Canonis verba de ipso intelligi, vtpotè nulli singulari Episcopo, quoad primam instantiam subiecto, nec adeò secundæ quoque per appellationem instantiæ intrà Concilium Prouinciale discutiendæ capace; tametsi ab hac Episcoporum per Prouinciam colligendorum Synodo iudicari queat in primæ instantiæ quæstione, de qua tamen Canonis illius litera nihil disposuit.

Sed pro tertio replicat idem Elliesius. Eo ipso, quòd excommunicationum ab Episcopis in Clericos latarum examen præallegatus Canon Nicænus concedat Concilio Prouinciali, oportere, penès istud stare iudicium de Episcopo; adstipulante etiam vsu, & disciplina temporis Synodo Nicænæ coæui, quo erat consultum, causas Episcoporum in Synodis Prouinciæ tractari, & iudicari.

Verùm is Theologus meritò distinxerit tum id, quod ex rei quasi natura subsistit, nempè Episcopum Concilio Prouinciali eatenus esse subiectum, vt ad hoc de illius iudicio, imò vt Episcopus pro prima etiam instantia trahi queat ad Synodi Prouincialis tribunal: tum id, quod ex præallegato Canone Nicæno perperam exposito prætenditur, ac si sanxisset quæstiones aduersùs Episcopum motas, & in Concilio Prouinciali decisas, non posse appellando ad sublimius Tribunal trahi. Illud ergo prius tam ex rei natura, quàm per litteram, vel etiam consequentiam illius Canonis, minimè verò posterius euinci potest: ipsomet Elliesio circa finem præcedentis Dissert. 1. §. 13. fatente, per Concilij Chalcedonensis Canonem sextum dari recursum à Synodo Prouinciæ ad Synodum Diœceseos: quod minimè cohæreret prædaducto Nicæno Canoni quinto, si per hunc interdiceretur vlterior à Synodo Prouinciali recursus ad superius Tribunal faciendus.

At pro quarto reponit Elliesius. Iudicium Synodi Prouinciæ, cuius in Nicæni Concilij Canone quinto fit mentio, esse vltimum, nec ab eo dari vllam prouocationem. Iuberi enim à Synodo, excommunicatos tamdin extra communionem manere, donec eisdem Episcopis visum fuerit, humaniorem ferre sententiam. Si verò post illorum sententiam, aliqua fuisset concessa prouocatio, non hoc dicturum fuisse Concilium, sed potiùs asserturum fuisse, [dummodò Superior, ad quem prouocatio facta fuerit, confirmet iudicium.

Verùm priusquàm directè respondeamus, sciscitari lubeat ex illo Parisiensi Theologo: si Rex Christianissimus supremo alicu-

lus Prouinciæ Gallicæ Senatui concesserit facultatem super causis criminalibus ad iudicium suum delatis catenus pronuntiandi, vt sententia ab eo lata inuiolabiliter tenenda sit, donec eidem Regio Senatui visum fuerit humaniorem ferre sententiam; num per hoc dicere fas sit, ipsimet etiam Regi adimi, seu negari auctoritatem mitigandi, seu iudicialiter corrigendi sententiam ab illo supremo Senatu prolatam? Neutiquam: sed secundùm ipsam rei naturam, excepta censenda est Regiæ authoritatis potestas, omnimodæ cujuscumque Senatus Regiæ iudiciariæ facultati supereminens. Sic profectò ex illo Elliesiano argumento haud euincitur (dum Canon Concilij Nicæni non adiecit eam exceptionem, [modò Superior, ad quem facta fuerit prouocatio, iudicium confirmet] denegari superiori authoritati potestatem mitigandæ, seu iudicialiter moderandæ sententiæ, à Concilio Prouinciali latæ, sed iuxta ipsam rei naturam dicendum est, abstrahi ab illa exceptione: vt proindè Concilio Chalcedonensi superiùs allegato fas fuerit, adhuc statuere, admittendum esse à Concilio Prouinciæ recursum ad Concilium Diœceseos. Quidni ergo perinde, imò à fortiori dicendum erit, sub illa Canonis Nicæni recursum ad superiorem Ecclesiæ authoritatem haud denegantis, sed ab hoc dumtaxat abstrahentis, dispositione, debere [ex ipsa rei natura] subintelligi supremæ in Ecclesia per Christum tum Papæ, tum Concilio Oecumenico immediatè concessæ authoritatis sacrosanctum tribunal?

Cuiusmodi exceptionis pro quinto sequentem ex præfato Nicæno Canone accipe rationem. In hoc enim notatu dignissimum est, quòd teste Elliesio, ita sit legendum, [vt, qui abijciuntur ab vno Episcopo, ab alijs non recipiantur. Numquid enim ille, qui abijcitur ab vno Episcopo, recipi potest à Concilio Prouinciæ? Quomodò igitur verborum illorum veritas subsistet, nisi dicatur per Tò ab alijs, (ceu voce similium repetitiua) non sublimiori auctoritati, qualem respectu cuiuslibet Episcopi sigillatim sumpti Concilium Prouinciale obtinet, sed pari dumtaxat, seu simili singulorum aliorum Episcoporum auctoritati denegari potestatem, illos, qui ab vno Episcopo excommunicantur, recipiendi ad communionem? Quandoquidem igitur tum Concilium Diœceseos, tum multò magis Concilium Oecumenicum, tum absoluta clauium in Papa potestas sit longè sublimioris auctoritatis, quàm prouinciæ Synodus; omninò dicere oportet, ab eiusmodi Concilij Prouincialis iudicio dari adhuc recursum, tum à fortiori ad Diœceseos Concilium, tum à fortiori ad Synodum Oecumenicam, tum etiam ad Papæ absolutam clauium auctoritatem, Canone illo Nicæno nec quidquam obstante: ita ut, tametsi verba Canonis illius, iuxta nouissimam Parisiensem editionem tali modo essent accipienda [quod ij, qui excommunicantur ab alijs, haud debeant ab alijs recipi ad Communionem] nihilominùs ex propria illius vocis similium repetitiuæ significatione, oporteat, id intelligere de illis, qui paris solummodò, non autem superioris sunt auctoritatis.

§. II.

Canonis Nicani expositio præinsinuata firmatur ex variarum Synodorum decretis.

ELliesius præsentis Dissert. 2. §. 2. nititur intentum suum firmare ex sequentibus Synodorum decretis, quæ mox demonstrabimus, nostræ sententiæ apprimè inseruire.

Inducitur primò secunda Generalis Synodus Can. 2. Tom. 2. Conciliorum col. 954. relata, administrationem rerum Ecclesiasticarum Synodo Prouinciæ vi præallegati decreti Nicæni commissam, affirmans sub his verbis: [Seruata, quæ præscripta est, de gubernationibus regula, manifestum est, quòd illa, quæ sunt per vnamquamque Prouinciam, ipsius Synodus Prouinciæ administret, sicut Nicæno constat decretum esse Concilio. At inter ea, quæ per vnamquamque Prouinciam occurrunt (subsumit is Theologus) est Episcoporum delinquentium correctio, & depositio. Hæc igitur ex sententia Nicæni, & Constantinopolitani Concilij tota pertinet ad Synodum Prouinciæ.

Verùm isthac argumentatione prorsùs admissa, suppono imprimis, quæ per vnamquamque Franciæ Prouinciam occurrunt causæ iudiciariæ, administrari à Regio illius Prouinciæ supremo Senatu. Hinc verò sciscitor ex illo Parisiensi Doctore, an ex illa Regij Senatus auctoritate iudiciaria inferre ausit, illam administrationem supremo in qualibet Prouincia Senatui, in causis iudiciarijs etiam criminalibus commissam, priuariuè ad Regem intelligi debere, ita vt dicendum sit, ex ea Regi ademptam esse, & cumulatiuam & supereminentialem in administratione huiusmodi, causisque iudiciarijs eidem annexis auctoritatem? Quo modo igitur Elliesius, vtique negatiuè, respondebit ad isthanc quæstionem, eo modo stabit in saluo auctoritatis Ecclesiasticæ Synodo Prouinciali superioris, imò in Papa, & Concilio Oecumenico supremæ, non cumulatiua dumtaxat, sed etiam supereminens potestas. Et hinc quando Innocentius III. in Epist. ad Victricium Rhotomag. cap. 3. dicit: causas, vel contentiones inter Clericos tam superiores, quàm inferiores exortas, ab Episcopis eiusdem Prouinciæ secundùm Synodum Nicænam congregatis esse terminandas, absque tamen præiudicio Romanæ Ecclesiæ; immeritò contendit Elliesius, hanc clausulam indebitè superaddi, cùm per ipsam rei naturam debeat subintelligi, dum non priuatiuè ad Sedem Apostolicam accipiendus est ille Nicænus, & Constantinopolitanus Canon, sed saluâ nedum cumulatiua, verùm supereminente etiam, clauium Cathedræ Apostolicæ Romanæ ex Christo concessarum auctoritate.

Secundò inducitur ex opposito Africanum Concilium in Epist. ad Cœlestinum, vbi sic eum alloquitur, [Præfato debitæ salutationis officio impendio deprecamur, vt deinceps, ad vestras aures hinc venientes,

non faciliùs admittatis, nec à nobis excommunicatos in communionem velitis admittere, quia hoc etiam in Nicæno Concilio definitum, facilè aduertit Venerabilitas tua: nam etsi de inferioribus Clericis, vel Laicis videtur ibi præcaueri, quantò magis hoc de Episcopis voluit obseruari, ne in sua Prouincia à communione suspensi, à tua Sanctitate vel festinatò, vel præproperè, vel indebitè videantur communioni restitui, quia & nulla Patrum definitione hoc Ecclesiæ derogatum est Africanæ, & Decreta Nicæna siue inferioris gradus Clericos, siue ipsos Episcopos suis Metropolitanis apertissimè commiserunt. Prudentissimè enim, iustissimèque prouiderunt, quæcumque negotia in suis locis, vbi sunt orta, finienda, nec vnicuique Prouinciæ gratiam Sancti Spiritus defuturam, qua æquitas à Christi Sacerdotibus, & prudenter videatur, & constantissimè teneatur.] Ex quo infert Elliesius, apertissimè constare, Episcoporum non secùs, ac Clericorum iudicia in Concilio Prouinciæ, iuxtà Nicænæ Synodi regulam, terminari debere.

Verùm præterquàm, quòd illa iudiciorum terminatio à Synodo Prouinciæ facienda iuxta dicta superiùs nequeat priuatiuè ad auctoritatem Concilio Prouinciali superiorem intelligi: sed saluam supponat nedum cumulatiuam, sed supereminentialem Concilij Diœceseos, & à fortiori Synodi Oecumenicæ, atque Petri Cathedræ Apostolicæ auctoritatem: meritò insuper in illis Africani Concilij literis annotandæ hìc occurrunt sequentes clausulæ, [tùm quòd Patres inibi deprecentur Papam, ne deinceps faciliùs admittat, & ad communionem restituat à se, nempe Prouinciæ Synodo, excommunicatos.] Quomodò autem huiusmodi deprecatio ad excommunicatos non facilè admittendos subsisteret, nisi ab illa Synodo fuisset in Romano Pontifice agnita superior auctoritas, cùm cæteroquin non facilè tantùm illi non fuissent admittendi, sed nullo prorsùs modo fas fuisset Papæ, illis à Synodo Prouinciali ad ipsum recurrentibus, restituere communionem. Tum quòd in eadem Epist. dicatur, videri [de inferioribus dumtaxat Clericis, vel Laicis à Nicæno Concilio præcaueri. At si huius Concilij Canon per apertam literam sanxisset etiam de Episcopis, quomodò videri posset, eo dumtaxat cautum esse de inferioribus Clericis, vel Laicis? Attenta quidem Canonis Niceni ratione, ne scilicet per nimios ad Sedem Apostolicam ex remotioribus prouincijs recursus, iusto maior fieri posset quietis Ecclesiasticæ perturbatio, subinferebant exinde Patres Africani, præfatæ Synodi intentioni, ac menti consonum esse, vt de Episcopis etiam obseruaretur, ne, [qui in sua Prouincia à communione suspensi sunt, à Pontifice Romano vel festinatò, vel præproperè, vel indebitè restituantur communioni.] Sed ad quid tantæ restrictiones adhibendæ fuissent ab Africanis, nisi isti agnouissent in Papa recursum eiusmodi admittendum potestatem, cuius tamen circumspectam deprecabantur moderationem ex causa, quòd [prudentissimè, iustissimèque sit prouisum, quæcumque negotia in suis locis, vbi sunt orta, esse finienda.]

Ad cuiusmodi proinde circumspectæ moderationis rationem prudentialem, auctoritatis tamen Concilio Prouinciali semper supereminentis, minimè, peremptoriam respiciebat Cyprianus Epistola 24. in hæc scribens verba.

[Cùm statutum sit omnibus nobis, & æquum sit pariter ac iustum, vt vniuscuiusque causa illic audiatur, vbi est crimen admissum, & singulis Pastoribus portio Gregis sit adscripta, quam regat vnusquisque, & gubernet, rationem sui actus Domino redditurus; oportet vtique eos, quibus præsumus, non circumcursare, nec Episcoporum concordiam cohærentem sua subdola, & fallaci temeritate collidere, sed agere illic causam suam, vbi & accusatores habere, & testes sui criminis possit.]

Inducuntur tertiò Canones Concilij Antiocheni à Synodo Oecumenica Chalcedonensi, ac in Ecclesia vniuersa in auctoritatem admissi: quorum decimus quintus ita habet. [Si quis Episcopus de certis criminibus accusatus condemnetur ab omnibus Episcopis eiusdem Prouinciæ, cunctique consonantes eamdem contra eum formam Decreti protulerint, tunc apud alios minimè iudicari, sed firmam concordantium Episcoporum Prouinciæ manere auctoritatem.] Quod si verò Episcopi non conuenissent in vnam sententiam, statuit eadem Synodus Can. 14. [vt Metropolitanus Episcopus à vicina Prouincia Iudices alios conuocet, qui controuersiam tollant, vt per eos simul & comprouinciales Episcopos, quod iustum fuerit, approbetur. An non igitur hìc extat manifestè sancitum; vt omnis causa, ipsos etiam Episcopos concernens, Prouincialis Episcoporum Synodi, si conueniant, vel si varient, finitimorum, vnà & Comprouincialium arbitrio plenè terminetur, nullo relicto loco appellationis ad superius aliquod Ecclesiasticum tribunal?

Verùm dum Elliesi gloriaris, eos Concilij Antiocheni Canones in auctoritatem admissos esse à Concilio Chalcedonensi, à quo tamen, superiùs asseuerabas extare statutum, vt à Synodo Prouinciæ detur recursus ad Synodum Diœceseos: quomodo absque aperta contradictione fas tibi fuit, asserere, quòd ex præallegatis Concilij Antiocheni Canonibus, nullus posteà relictus sit locus appellationi ad superius aliquod Ecclesiasticum Tribunal interponendæ? Sicuti ergo Chalcedonense Concilium illos Antiochenos Canones non ita intelligendos censuit; vt per eos esset denegata appellatio, sed ab hac, vt potè quæ per ipsum res naturam subsistebat, ibi abstraheretur, sicque adeò recursus adhuc pateret ad Concilium Diœceseos; ità planè, imò à fortiori, nullatenus dici potest; per eos Canones fuisse eliminata appellatio ad Sedem Apostolicam. Quinimò si, vti aperta profiteris, in eiusdem Concilij, Antiocheni [Canone duodecimo ad maiorem adhuc Synodum à Concilio Prouinciæ datur recursus, quando obtentum fuit ab Imperatore rescriptum, causa iam iudicata retractari iubebatur.] an non Sedis Apostolicæ maior habendus fuisset respectus, vt ea iubente causam retractari, ad alterius Syno-

do Prouinciæ maius, ipſius etiam Apoſtolicæ Cathedræ tribunal admitti deberet recurſus? Eò vel maximè, quòd Canone ſexto, Concilij Conſtantinopolitani eſſet quoque prouiſum, (Si eueniret, vt Prouinciales Epiſcopi crimina, quæ Epiſcopo intentata fuerant corrigere non poſſent, tunc accederent ad maiorem Synodum Diœceſis illorum Epiſcoporum, pro hac cauſa conuocatorum.) Qui dni ergo iſtud haberet locum erga ſacroſanctum Apoſtolicæ Cathedræ tribunal, vel iubente Papa, erga Concilium quoque Oecumenicum, ipſius auctoritate conuocandum.

Quo igitur iure, mi Ellieſi, audiendos contendis Orientales, quos dicis Occidentalibus ſuccenſuiſſe, quod vellent iudicia in Oriente finita (non vtique coram alio quàm Sedis Apoſtolicæ auctoritate inſignitoTribunali) refricare, ideoque illos in Concilio Philippolicano fuiſſe conqueſtos, quòd Athanaſius in Oriente damnatus, ad communionem ab Occidentalibus eſſet receptus, quam ob cauſam Orientales noluiſſe Occidentalibus communicare in Synodo Sardicenſi, eò quòd Epiſcopos à ſe damnatos non proieciſſet, ſicque Concilio Orientis non tribuiſſent dignum honorem. Numquid verò æquum fuerat, tam Orientales, quàm Ellieſium cum ſuis aſſeclis magis deferre Sardicenſi Concilij Apoſtolicæ auctoritatis, ſicque Oecumenicæ Synodi charactere dotati decretis proximè referendis, quàm proprio ſuo iudicio, nullius Oecumenici Concilij, vti hactenus viſum eſt, definitione nixo? Numquid ipſimet per Chriſtum Matth. 18. conſtitutæ ſanctioni deferre potiùs fas eſt, iuxta quam vniuerſos Eccleſiæ Epiſcopos, adeòque cum Occidentalibus ipſos etiam Orientales in vnum Oecumenicum, vicario Chriſti penes Papam Romanum exiſtente charactere inſignitum, ſicque vniuerſalis Eccleſiæ repræſentatiuum Concilium, conuenire oportet. Nefas igitur eſt, eam Orientalium ab Occidentalibus fieri & probari diuiſionem, per quam, iuxta Euſebianorum deteſtabilem prætenſionem, res Orientis nonniſi in Orientali Concilio, res verò Occidentis, non niſi in Occidentali Synodo terminari deberent.

§ III.

Quid à Concilio Sardicenſi de appellationibus ad Apoſtolicam Romani Pontificis Cathedram interponendis, fuerit ſancitum.

Ellieſius præſentis diſſert. 2. §. 3. præloquitur in hæc verba. Cùm Occidentales viderent ab Orientalibus iudicia quædam iniuſtè in Epiſcopos Orthodoxos v. g. in Athanaſium eſſe lata, cogitaſſe de Synodorum Prouincialium auctoritate per Synodum Sardicenſem imminuenda, & idcirco non quidem ius appellationum, ſed aliam prærogatiuam Pontifici Romano detuliſſe. Ita verò ſe habent præinſinuati Sardicenſis Concilij, ad præſens inſtitutum facientes Canones.

Canon III. Sardicenſis Concilij.

Oſius Epiſcopus dixit, illud quoque neceſſariò adijciendum eſt, vt Epiſcopi de ſua Prouincia ad aliam Prouinciam, in qua ſunt Epiſcopi non tranſeant, niſi fortè à Fratribus ſuis inuitati, ne videamur ianuam claudere charitatis. Quòd ſi in aliqua Prouincia aliquis Epiſcopus contra Fratrem ſuum Epiſcopum litem habuerit, ne vnus è duobus ex alia Prouincia aduocet Epiſcopum cognitorem. Quòd ſi aliquis Epiſcoporum iudicatus fuerit in aliqua cauſa, & putat, ſe cauſam bonam habere, vt iterum Concilium renouetur, ſi vobis placet, S. Petri Apoſtoli memoriam honoremus, vt ſcribatur ab his, qui cauſam examinarunt, Iulio Romano Epiſcopo, & ſi iudicauerit, renouandum eſſe iudicium, renouetur, & det Iudices, ſi autem probauerit, talem cauſam eſſe, vt non refricentur ea, quæ acta ſunt, quæ decreuerit, confirmata erunt, ſi hoc omnibus placet; Reſpondit Synodus, placet.

Canon IV. Sardicenſis.

Gaudentius Epiſcopus dixit, addendum ſi placet, huic ſententiæ, quam plenam ſanctitate protuliſti, vt, ſi quis Epiſcopus fuerit depoſitus iudicio Epiſcoporum, qui ſunt in vicinia, & dicat, rurſus ſibi defenſionis negotium competere, non priùs in Cathedram alius ſubſtituatur, quàm Romanus Epiſcopus, cauſa cognita, ſententiam tulerit.

Canon V.

Oſius Epiſcopus dixit, placuit, vt, ſi quis Epiſcopus delatus fuerit, & congregati eiuſdem Regionis Epiſcopi eum gradu mouerint, ac veluti appellans confugerit ad beatiſſimum Romanæ Eccleſiæ Epiſcopum & velit ipſum audire, & iuſtum eſſe exiſtimauerit, eius rei examinationem renouari, Coëpiſcopis ſcribere dignetur, qui ſunt propinqui Prouinciæ, vt ipſi diligenter, & accuratè ſingula perſcrutentur, & ex veritatis fide de re ſententiam ferant. Si quis autem poſtulet, ſuum negotium rurſus audiri, & ad eius ſupplicationem Romanum Epiſcopum mouere viſum fuerit, vt è proprio latere Presbyteros mittat, ſit in poteſtate ipſius id, quod placuerit, & ſi decreuerit, Romanus Epiſcopus aliquos, oportere, mitti, qui cum Epiſcopis ſint iudicaturi, habentes auctoritatem eius à quo miſſi ſunt, & hoc ponendum eſt, ſi autem ſufficere crediderit ad rei cognitionem Epiſcopi (lege, Epiſcoporum ſententiam) faciet, quod prudentiſſimo eius conſilio rectè habere videbitur, Reſponderunt Epiſcopi, quæ dicta ſunt, placuerunt.

Quibus præſuppoſitis, audiamus Ellieſium

sium, illa Synodi Sardicensis decreta consentientem cum Nicæni; & Antiocheni Concilij statutis, quæ, ait, conuenire cum illis, quod Prouinciæ Episcopis vtrinque tribuatur primum circa Episcopos iudicium, sed inter se dissidere, quod in Synodo Antiochena cautum fuerit, [vt dissidentibus Prouinciæ Episcopis, finitimi accerserentur.] Concilij è contra Sardicensis Canonibus vetantibus ne aduocentur finitimi Episcopi.

Verùm is Parisiensis Theologus meritò debuisset, acuratiori examine expendere quintum dicti Concilij Canonem, in quo placitum fuit, [Vt, si Episcopi Regionis alterum coram se accusatum Episcopum de gradu suo deiecerint, ipso appellante, & confugiente ad Romanæ Ecclesiæ Episcopum, in huius staret arbitrio, scribere Episcopis, qui in finitima & propinqua sunt Prouincia, quatenus omnia diligenter requirerent, & iuxta fidem veritatis definirent.] An non igitur ex clarissima horum verborum litera patet falsitas asserti Elliesiani, ac si Concilij Sardicensis Canonibus vetitum fuisset, finitimos accersiri Episcopos ad iudicium contra Episcopum à Concilio Prouinciali latum reuidendum, & pro causæ meritis definiendum, si placeret Romano Episcopo? An non hac Canonis Sardicensis parte cum eiusdem subsequentibus verbis collata, demùm patet, optimè inter se cohærere, quòd causa Episcopi ita possetà Prouinciæ Concilio pro prima instantia terminari, vt hoc tamen minimè obstante, ius esset confugere ad Romanæ Ecclesiæ Episcopum, in cuius tunc esset arbitrio vel finitimis tantùmmodò Episcopis causæ iudicium committere, vel in hunc finem mittere Legatos de latere, habituros eius, à quo destinarentur, auctoritatem? Qua igitur ratione ex hoc, quòd Concilium Antiochenum Synodi Prouincialis de Episcopo aliquo deijciendo sententiam trahi permiserit ad plenius, ex finitimis quoque Episcopis adaugendum Concilium, Elliesius inferre ausus est, ac si per hoc esset sublata facultas recurrendi ad Romanum Pontificem, cùm tamen isto recursu etiam admisso, locus adhuc superesset illi ex finitimis Episcopis accersendis, per Synodum Antiochenam præscripto remedio.

Secundò. Sed pergit Elliesius, à Concilij Antiocheni statutis, in eo præsertim differre Sardicensis Synodi sanctionem, quod hæc definiat, posse Prouincialis Synodi iudicium in Episcopum latum renouari, si ita videatur Romano Pontifici, ad quem proinde confugere possit Episcopus damnatus non quidem, vt eius causa Romæ indicetur; sed tantùm, vt ibi inquiratur, num causa eius sit talis, quæ nouum desideret examen. Et, si Romanus Pontifex intellexerit, causam in Prouincia non satis examinatam fuisse, concedi ei, vt [præter Episcopos Prouinciæ ex finitimis Prouincijs Cognitores tribuat, qui renouent examen, data etiam illi facultate, vt Legatos à latere mittat ad iudicium istud posterius, Si verò intellexerit causam non esse talem, quæ retractari debeat, mansurum firmum Prouinciæ iudicium.

Verùm in hac Canonum Sardicensium summaria relatione duo meritò displicent, tum quòd eis aliqua cum Antiochenis Canonibus contrarietas affingatur, tum quòd dicatur, à Prouinciæ iudicio eatenus dumtaxat licere confugere ad Romanum Pontificem, vt eiusmodi tamen causa Romæ non iudicetur. Sub hac namque assertione, si intendat Elliesius, positiuè excludi facultatem, per quam liceat Romano Pontifici personaliter, seu in suo proprio tribunali, atque adeò Romæ causam illam iudicare, id prorsus alienum est à sensu dictorum Canonum Sardicensium. Cùm enim per istos agnoscatur in Romano Pontifice facultas inquirendi de meritis causæ, ad effectum, seu constituendi ex Prouincijs finitimis cognitores, seu mittendi Legatos de latere tanquam delegatos iudices, quomodò potest non implicitè saltem, ac virtualiter ibidem supponi potestas Pontificis, ad causam eiusmodi suo etiam iudicio immediato terminandi, quippe cùm facultas delegandi per ipsam rei naturam in delegante debeat necessariò supponere auctoritatem iudiciariam super causa delegabili, per se, vel per Tribunal suum, decidenda?

Deinde ex antecedentibus constat, per Canones Antiochenos non fuisse positiuè negatam Romani Pontificis facultatem, quam postea statuerunt Sardicensia decreta, sed ad hæc habuisse illam se dumtaxat abstractiuè. Quia ergo abstrahentium non est affirmatio vel negatio, ideircò, quæ per Canones Sardicenses est sancita Romani Pontificis auctoritas, ad eam nullatenus contrariè se habebant Antiocheni Canones, sed intactam relinquebant, ceu ex ipsa natura quasi præsuppositam Pontificis à Sardicensi Synodo postea expressam potestatem. Vnde prorsus concludendum est, Canones Antiochenos Concilio Prouinciali potestatem iudicij super Episcopis concedendo, minimè intendisse imò nullatenus potuisse, pernegare supereminentiorè cum Synodi Diœceseos à Concilio Chalcedonensi posteà sancitam, tum Apostolicam Petri Cathedræ ex Christi concessione inexistentem auctoritatem.

At pro tertio contendit Elliesius. Illi Sardicensibus Canonibus noui quidpiam statui, veluti colligatur ex Osij verbis; [Si vestræ, inquientis, dilectioni videtur, Petri memoriam honoremus.] Vbi consultò animaduertendum esse; [non dici, ius Romanæ Ecclesiæ conseruemus, sed tantùm, Petri memoriam honoremus, si vobis videatur:] Quare commentitiam esse horum Canonum explicationem, qua nonnulli contendunt, verbis illis, [Petri memoriam honoremus;] significari, quòd appellationes Episcoporum ad Summum Pontificem, ceu Petri successorem, primatu adeò Apostolicæ auctoritatis doratum, sint iuris Diuini. Cùm enim Osius [non absolutè,] sed sub ista clausula restrictiua, [si vobis placet, dixerit, Petri memoriam honoremus,] fore consequens, quòd præfatus Osius Synodi Sardicensis arbitriò permisisset Petri primatum, si iste sub ijs verbis significaretur.

Verùm in eo, quòd Osius efflagitabat à Sardicensi Concilio, vt iuxta huius placitum honoraretur Petri memoria: oportet, discernere id, quod iuris, & quod facti erat. Circùm

cumspectam namque facti ponderationem, respiciebat quæstio huiusmodi, vtrùm scilicet in eo rerum statu, [quo Episcopi per Romanum Pontificem restituti denuò spoliabantur, insimulabanturque, appellando ad istum, crimina cumulare criminibus;] expediret, consultiusque videretur, placeretque adeò Patribus, Canone Synodali firmare recursum ad Sedem Apostolicam? Ad istam facti quæstionem applicandam punctò iuris hac in re versantis, vtique debebat requiri placitum, seu consultum Patrum in Concilio Sardicensi coadunatorum. Non ergo id, quod iuris erat, nempe Romani Pontificis primatus, vnà cum appellationum ad Cathedram Apostolicam deferendarum iure permittebatur Synodi Sardicensis iudicio, sed ius illud pro indubitato supponebatur sub illis verbis, Petri memoriam honoremus. In quo enim isthæc Petri memoria se teneret, apertè declaratur quinto Sardicensi Canone, quo placitum Synodi exaratum habetur: [Vt ab his, qui causam examinarunt, Romano scribatur Episcopo, atque hoc iudicante, renouandum esse iudicium ab ipso deputentur iudices.] En igitur, Romano Episcopo haud nouum illis Canonibus tribui ius auctoritatis iudiciariæ, sed causæ statum ita debere deferri ad ipsius iudicium, vt eius arbitrio stet deputatio Iudicum. Atqui deputatio huiusmodi ad causam iudicialiter decidendam supponit in delegante radicatam iam auctoritatem iudiciariam, quæ transfundi valeat in Delegatos. In aperto igitur est, illo Sardicensi Canone nihil noui sancitum esse pro iudiciaria Romani Pontificis auctoritate, sed hanc in Apostolica Petri Cathedra iam fundatam, supponi ad Episcoporum appellationes tum coram suo tribunali iudicandas, tum committendas Iudicibus à semet delegandis.

Pergit pro quarto Elliesius præcitatus in id incumbere, vt probet; [Synodum Sardicensem ius reuisionis tantummodò concessisse Romano Pontifici, non autem potestatem iudicandi appellationes ab Episcopis factas.] Cuius asserti sui argumentum profert ex eo, quòd Episcopus damnatus hoc vnum sperare possit, tum vt iudicium, seu Concilium renouetur ex Can. 3. tum, vt Pontifici scribatur, quatenus ipse videat, num opus sit, iudicium renouari, tum, si iudicauerit, iudicium esse renouandum, vt ipse det iudices, non Romæ iudicaturos, sed ex finitima, & propinqua Prouincia accersendos. Ex Can. 7. Vnde Theologus ille Parisiensis concludit, Romanum Pontificem non habuisse ius causæ intrà Curiam Romanam iudicandæ, sed ad summum ipsi concedi, vt Legatum mittat ad secundum iudicium. Nec inquirere Romanum Pontificem in suo iudicio, vtrùm malè, vel bene iudicatum sit, sed vtrùm causa sit talis, quæ iterum iudicari debeat: nec confirmare iudicium Prouinciæ, rescindendo appellationem, sed tantùm declarando, causam non esse talem. quæ iterum ventilari debeat, seu potiùs non decernendo, vt iterum iudicium renouetur.

Verùm, quomodocumque, mi Elliesi, torquere nitaris sensum præadductorum Sardicensium Canonum, vniuersa molimina tua perimuntur, vel ex sola illorum litera nimis clara, & aperta. Nam in tertio Canone expressè decernitur, vt, si Romanus Pontifex iudicauerit, renouandum esse iudicium, renouetur, ab ipsoque denrur iudices. At contextus ostendit, in quo facienda sit ista renouatio iudicij, nempe in causa, in qua iudicatus fuerat Episcopus, putans, se iustam habere causam, vt iudicium renouetur. Quandoquidem igitur ista renouatio iudicij est efflagitanda à Romano Pontifice, cuius tunc erit dare Iudices, euidenter hinc euincitur, causam Episcopi iudicati à iudicio Prouinciæ, ita deuolui ad iudiciariam Papæ potestatem, vt hanc delegare, sicque medianre suo delegato, in secunda appellationis instantia terminare possit. Cui conformiter in Can. quarto ita sancitur, [vt, cùm aliquis Episcopus depositus fuerit coram Episcoporum in vicinis locis commorantium iudicio, ipseque proclamauerit, agendum sibi Romæ, post appellationem eius alter Episcopus non ordinetur, nisi causa fuerit in iudicio Episcopi Romæ determinata.] En igitur, quàm clarè appellatio cum suspensiuo etiá sententiæ à Prouincialibus, seu finitimis Episcopis latæ effectu, concedatur ad Romanum Pontificem, cuius iudicio sit causa determinanda. Hinc in subsequente Canone quinto statuitur, Episcopo à Regionis suæ Episcopis condemnato, & deiecto, ad Romanæ Ecclesiæ Episcopum appellante, ita stare debere in arbitrio eiusdem Summi Pontificis, vt vel solis finitimæ, ac propinquæ Prouinciæ Episcopis, vel suis de Latere Legatis, vnà cum illis causam terminaturis, faciat suæ iudiciariæ Potestatis delegationem. Quid ergo luculentius desiderari posset pro appellatione ad Romanum Episcopum à Concilio Prouinciali per Episcopum ab hoc condemnatum interponenda cum effectu tum suspensiuo iudicij prioris instantiæ, tum deuolutiuo ad iudiciariam Summi Pontificis auctoritatem cum potestate, vel iudicandi, causamque terminandi, vel dandi Iudices in partibus, vel mittendi etiam Legatos de latere, eisque impertiendi delegatam facultatem iudicandi, vnà cum finitimæ, seu propinquæ Prouinciæ Episcopis?

At pro quintò pergit Elliesius, illos Canones explicare per similitudinem sequentis exempli. Nempe sicuti, dum causa aliqua ciuilis in supremo Senatu Regio est terminata, non datur prouocatio, sed qui manifestè oppressi sunt, aut contra formam Iudiciorum damnati, supplicem libellum Regi, eiusque Consiliarijs offerunt, à quibus non de ipsa causa iudicatur, sed inquiritur, num causa sit benè, & conuenienter discussa, an non præualuerit quorumdam gratia, & ambitus, & an non manifestè læsa sit iustitia, & si quod istorum vitiorum in Senatus iudicio deprehenderint Regis Consiliarij, ad eosdem remittunt Iudices, iubentque, causam iterum examinari, & iudicari. Sic prætendit ille Parisiensis Doctor; si Episcopus, à Concilio Prouinciæ depositus ostendere non possit, iudicium in se iniustè, ac per violentiam contra præscripta Canonum esse latum, tunc in vi statutorum Sardicensium ei non concedi renouationem iudicij, neque Romanum Pontificem iudicare posse de causa ipsa, sed tantùm de iudicio Episcoporum, nec inquirere, vtrùm

dam-

damnatus sit nocens, nec ne, sed vtrùm sententia in ipsum lata, sit contra formam iudiciorum, an non per vim extorta, aut ex odio, & gratia sit profecta. At verò ab omnibus sciri, quantum sit discrimen inter ius istud reuisionis decernendæ, & ius appellationis admittendæ; cùm appellatio causam in inferiori tribunali iudicatam ad superiorem transferant in ordine ad litem excutiendam, & in suo tribunali definiendam, itaut, quam diù durat appellatio, sententia inferioris non possit executioni demandari.

Verùm ex Elliesio hunc in modum ratiocinante disquiro inprimis, an, dum Regi suo super causis à Senatu supremo decisis concedit ius reuisionis, per hoc velit sublatum ius appellationis? Eo ipso sanè, quòd Regi concedatur auctoritas de Senatuum suorum iudicijs iudicandis, nequit non ipsi concedi iudiciaria potestas super ipsa etiam causa per Senatum præiudicata, cùm hæc non minùs, ac illud Senatus iudicium contineatur sphæra iudiciariæ Regi inexistentis auctoritatis. Pari ergo ratione iure reuisionis penes Summum Pontificem erga Concilij Prouincialis contra quempiam Episcopum latam sententiam præsupposito; ex hoc ipso iure auctoritatem Synodo Prouinciali superiorem subinferente, rectè concluditur ius quoque appellationis super causa Episcopi ab eiusmodi Concilio præiudicata, sed per appellationem deuoluta ad tribunal iudiciariæ Romani Pontificis auctoritatis in causis Ecclesiasticis supremæ, ex cuius proindè stabit arbitrio, causam eo modo deuolutam, vel per se, vel per Delegatos suos, seu Iudices à se constitutos vltimatè terminandi.

Cuius vlteriorem rationem accipe Elliesi ex ipsa per temer allata appellationis definitione. An non enim causa in Prouinciæ Synodo iudicata, vi quarti Canonis Sardicensis, per appellationem ita transfertur ad tribunal Romani Pontificis, vt huius iudicio sit determinanda, ac inter ea sententia Synodi Prouincialis de aliquo Episcopo deponendo lata, nequeat demandari executioni? Quia porro, mi Elliesi, contendis, hoc fieri per modum dumtaxat reuisionis, qua iudicium Episcoporum in Prouinciæ Concilio præiudicantium, à Romano Pontifice indicetur: numquid per hoc dilucidè iam fateris, tribunal Romani Pontificis esse superius, non singulorum dumtaxat Episcoporum tribunali, sed horum in Prouinciali Concilio aggregatorum iudicio? Quid ergo, quæso, iuxtà appellationis à temet allatam definitionem deest, quò minùs stricta per Canonem quartum Sardicensem dicatur sancita, & comprobata, à Concilio Episcoporum Prouinciæ ad Romanum Pontificem appellatio?

Quibus ita se habentibus, pro sexto facilè euanescunt, quas vlteriores Elliesius facit exceptiones. In primis dum in Canone quarto Sardicensis Concilij decernitur, [si Romanus Episcopus iudicauerit, renouandum esse iudicium Prouincialis Concilij, & ab ipso Iudices esse dandos] per; hoc intelligi Iudices, qui non Romæ, sed in Prouincia, vnà cum huius Episcopis retractent iudicium ab illis priùs latum.

Verùm isthoc integrè concesso, noscitur iam esse in confesso, quòd non de circumstantijs dumtaxat, vti Elliesius priùs contendebat, sed de substantia iudicij retractanda disponatur in Concilio Sardicensi, agnoscente in Romano Pontifice auctoritatem dandi iudices pro causæ noua discussione ac terminatione. An non igitur hinc etiam elucet causæ in inferiori tribunali iudicatæ deuolutio ad superius Pontificis Romani suam auctoritatem delegaturi tribunal? Quando idem porrò Elliesius excipit, [Romanum Pontificem iuxta Canones Sardicenses non aliter infirmare posse iudicium à Concilio Prouinciæ latum, nisi indicendo aliud iudicium;] numquid per hoc dilucidè profiteri dicendus est, quod in quarto Sardicensi Canone statutum habetur, vt scilicet post appellationem Episcopi à Prouinciæ Concilio depositi, ita debeat suspensiuus effectus de alio non ordinando prævalere, vt hæc suspensio non priùs sit relaxanda, quàm causa fuerit determinata in iudicio Romani Episcopi? Numquid verò hinc strictè etiam à Prouinciæ Concilio ad Romanum Pontificem appellationis vires prorsus integræ dignoscuntur? Quando præterea Elliesius contendit, [iudicij à Concilio Prouinciæ lati ex appellatione ad Pontificem Romanum facta suspensiuum effectum, non tollere Episcopi appellantis depositionem, sed prohibere, ne alius intereà in eius locum ordinetur Episcopus:] cuperem hinc ab ipso edoceri, ex quo adeò fundamento illa noua Episcopi suffectio impediatur, nisi ex hoc, quòd ius Episcopatus ob interpositam appellationem non fuerit sublatum ab Episcopo, quem deponendum indicauerat Prouinciæ Synodus? An non igitur effectus præiudicij à Prouinciæ Concilio lati, quod depositionem iuris Episcopalis peremptoriam suspensiuis integrè substitit, in vi illius ad Romanum Episcopum interpositæ appellationis? Quando denique Elliesius excipit, vi Canonum Sardicensium non statui, [vt in Concilio Romani Pontificis determinetur causa per appellationem delata ad eius iudicium, sed vt inquiratur, an causa sit retractanda in Prouincia, nec ne:] vellem, vt hic Theologus accuratiùs expendisset quartum, & quintum dictæ Synodi Canones, per quos stat in arbitrio Pontificis, tùm causam determinandi in iudicio suo Romano, tùm eam delegandi vel Prouinciæ Episcopo condemnato propinquæ, vel vnà cum istius Antistitibus suorum de latere Legatorum iudicio. Quo ità constituto, quid luculentiùs adferri posset pro appellationis per Episcopum à Concilio Prouinciæ depositum ad Romanum Pontificem interponendæ iure demonstrando? Et hinc dignoscitur dilucidè euanescere hæc quoque Elliesiana exceptio, ac si in illis Canonibus nomen appellationis non esset strictè accipiendum, sed latè pro quolibet confugio ad superiorem.

Nihilominùs pro septimo. Cùm Elliesius iàm fassus sit, ex Sardicensis Concilij Canonibus euinci ius confugij à Prouinciali Synodo Episcopum deijciente ad Romanum Pontificem tamquam superiorem: perquiro ex ipso, in quo principio sit fundatum hoc ius confugij? Illud equidem in præsentis cap. 5. vltimo, discutiemus ex instituto; inpræsen-

ſentiarum tamen ſufficiat, id reducere in Cathedræ Apoſtolicæ à Romauo Pontifice poſſeſſæ, & ſuper vniuerſos Eccleſiæ Epiſcopos, eorumque cauſas protenſæ ſupremam auctoritatem. Qua præſuppoſita, vti nefas foret, Regi Franciæ ſupremo Monarchæ reuiſionis dumtaxat, non verò appellationem à Senatibus per Regnum ſuum, cum ſupremi etiam tribunalis iute conſtitutis, ad ſuam Maieſtatem intetponendarum ius attribuere: ſic profectò nefas erit, in præallegatis Sardicenſibus Canonibus vncem appellationis, nonniſi ſúb reſtrictiori ſignificatione accipere, atque coarctare velle ad præciſam reuiſionem. Cæterùm circa Sardicenſes Canones plura adhùc diſſetendi locus ſuperetit in ſubſequentibus.

§. IV.

Quenam circa appellationis ad Romanum Pontificem Epiſcoporum recurſus, poſt Sardicenſem Synodum ſancita fuerit diſciplina?

AB Ellieſio ſuæ præſentis diſſertat. 2. §. 4. inducitur primò aliqua Canonum Sardicenſinm immutatiò facta à Concilio Chalcedonenſi, tùm Canone 9. ità ſe habente; [Si Cleticns cum proprio, vel etiam alio Epiſcopo negotium, aut litem habeat, à Prouinciæ Synodò iudicetur: ſi autem cum ipſius Prouinciæ Metropolitano Epiſcopus, vel Clericus controuerſiam habeat, Diœceſis Exarchum adeat, vel Imperialis Vrbis Conſtantinopolis Thronum, & apud eum litiget.] Tùm Canon. 17. cuius tenor eſt talis: [Si quis autem iniuria afficiatur à proprio Metropolitano, apud Exarchum Diœceſis, vel Conſtantinopolitanam Sedem litiget.] Circa quos equidem Canones viſum eſt Petro de Marcha, Pariſienſi Archiepiſcopo, in vi illorum tribui Conſtantinopolitano Patriarchæ omnium omninò, qui erant in Oriente, Metropolitanorum iudicium, Ellieſio è contra arbitraute, mentem non fuiſse Concilij Chalcedonenſis, vt Metropolitani Exarchatui Alexandrino, & Antiocheno ſubiecti, traherentur ad indicium Conſtantinopolitani Epiſcopi, ſed illas ſanctiones decernere dumtaxat de Metropolitanis Aſiæ, & Ponticæ Diœceſeos.

Verùm quomodocumque accipienda videatur illa Chalcedonenſis Conſtitutio, nihil propterea derogatur Epiſcoporum ab Orientis Concilijs Prouincialibus damnatorum recurſui ad Apoſtolicum Romani Pontificis tribunal, ſed hic potiùs indè firmatur. Etenim ille ad Diœceſis Exarchum, vel Conſtantinopolitanam Sèdem contra Metropolitanos recurſus incæperat habere locum, ex quo huic Sedi conceſsa fuit præeminentia Patriarchalis dignitatis. Quòd ſi ergo in Romano Pontifice non tam conſideretur Patriarchalis per Occidentem prærogatiua, quàm Apoſtolicus per totum Chriſtianorum Orbem Primatus, licebit per illius Chalcedonenſis ſanctionis argumentum à fortiori concludere, fas eſse, ad ipſius ſupremum quibuſcumque eccleſiaſticis iudicijs ſupereminens tribunal in caſu grauaminis à quocumque Eccleſiaſtico Iudice ab ipſomet etiam Prouinciæ, ſiue Diœceſeos Concilio illati, appellando recurſum habere:

Ab Ellieſio inducitur ſecundò edictum Gratiani Imperatoris ad preces Synodi Romanæ pro compeſcenda Vrſicini factione latum ſub hoc tenore: [Volumus, vt quicumque iudicio Damaſi, quod ille cum Conciliò quinque, vel ſeptem habuerit Epiſcoporum, &c. ſi iniuſtè voluerit Eccleſiam retinere, vt qui euocatus ad Sacerdotale iudicium per contumaciam non iuiſset, aut ab illuſtribus viris præfectis Prætorio Galliæ, atque Italiæ, ſiue à Proconſulibus, ſiue Vicarijs auctoritate adhibita, ad Epiſcopale iudicium, vt ad Vrbem Romam ſub proſecutione proueniat: aut ſi iu longinquioribus partibus alicuius ferociras emerſerit, omnis eius cauſæ dictio ad Metropolitæ in eadem Prouincia Epiſcopi deducatur examen, vel ſi ipſe Metropolitanus eſt, Romam neceſſariò, vel ad eos, quos Romanus Epiſcopus Iudices dederit, ſine dilatione contendat. Quòd ſi vel Metropolitani Epiſcopi, vel cuiuſcumque iniquitas eſt ſuſpecta, aut gratia, ad Romanum Epiſcopum, vel ad Concilium quindecim finitimorum Epiſcoporum accerſitum, liceat prouocare, modò ne poſt examen habitum, quod definitum fuerit, inregretur.] Quam Imperatoriam legem prætactus Pariſienſis Theologus conferendo cum Sardicenſis Concilij conſtitutionibus, ſubinfert: nonnulla ibi tribui Romano Pontifici, quæ Sardicenſis Synodus ipſi non tribuerat, nempè tùm vt cauſas Epiſcoporum Galliæ, atque Italiæ, necnon Metropolitanorum in longinquioribus Prouinciæ partibus degentium poſſit ad ſe euocare: tùm vt ijs, cui ſuſpecta eſt gratia, vel iniquitas Metropolitani, ſiue Prouinciæ Epiſcoporum, poſſit immediatè ad Romanum Pontificem prouocare. Contra quam proindè legem Imperatoriam, idem Ellieſius excipit, quòd numquam fuerit promulgata, nec vſu recepta.

Verùm quia illud Gratiani edictum eſt latum ad preces Romani Concilij, auctoritatiſque in Pontifice Romano a refractarijs ſpretæ manutentionem, Imperatori, ceu Eccleſiæ Romanæ Aduocato incumbentem decernit, idcircò haud eſt contemnendum, eius tamen expoſitio, [quatenùs in ordine ad Galliæ, ac Italiæ Metropolitanos, prætenditur diſponere de Patriarchali Romani Pôtificis intrà Occidentem præeminentia:] meritò reijcienda eſt: ſed perindè, ac de Sardicenſibus Canonibus conſtat, dicenda eſt illa Gratiani lex de Apoſtolica, non autem Patriarchali Romani Pontificis auctoritate loqui: cuius euidens eſt argumentum, quòd extendatur etiam ad longinquiores, extrà Occidentem ſcilicet poſitas Prouincias, ac Metropolitas, cuiuſmodi extenſio neque Metropolitanæ, neque Patriarchali dignitati, ſed Apoſtolico Romanæ Eccleſiæ, per Chriſtum ſancito Primatui competere dignoſcitur.

At pro tertio excipit Ellieſius. A ſe

neu-

neutiquam concedi, quòd, vti Gratiani lex sancire videtur, [Galliæ Metropolitani, omisso medio, subiecti vnquam fuerint Romani Episcopi iudicio.] Tùm quòd Gallicani Antistites Canones Nicænos, Antiochenos, & Africanos, necnon licèt seriùs, Sardicenses in auctoritatem admiserint, & pro regula eos habuerint, per quos administratio Prouinciæ, iudiciumque Metropolitanæ ipsius Synodo defertur. Tùm quòd lex Gratiani nusquam à Pontificibus Romanis allegata legatur, quamquam illi nihil non moliti fuerine, vt iudicia Episcoporum, ac præsertim Metropolitanorum ad se traherent. Tùm quòd Innocentius I. in epistola ad Victricium disertè asserat, [omnes omninò causas Galliæ non antè iudicium Prouinciæ ad Sedem Apostolicam referri deberis.] Tùm quòd innumeris exemplis constet, Metropolitanos à Synodo Prouinciæ deiectos fuisse: ipsamet etiam Gallicana Ecclesia Canonibus suis, nempè Synodi Aurelianensis 3. Canon.4. & 15. id sanciente.

Verùm, dùm is Theologicæ Parisiensis facultatis Doctor vnicè iàm negat, [Galliæ Metropolitanos, omisso medio Prouincialis Synodi, fuisse subiectos Romani Episcopi iudicio;] vel ex hoc euincitur, fateri Metropolitanorum Gallicanæ Ecclesię erga Romani Pontificis tribunal in secunda appellationis instantia subiectionem. Quare totum præsens institutum nostrum ex hac ipsius confessione videtur euictum, ipsomet insuper confitente, Sardicenses Canones, licèt seriùs (quamquam antiquæ Gallicanæ Ecclesiæ ergà Romanam Apostolicam Sedem Religio, neque hanc moram faciat credibilem) fuisse in Francia admissos in auctoritatem, habitosque pro regula, vnà cum Nicænis, & Antiochenis Canonibus: quos superiùs ostendebamus, nihil præiudicij fecisse tùm supereminentiali, tùm cumulatiuæ cum Metropolitanis, & Prouincialibus Concilijs, iudiciariæ super Episcopis quibuscumque Apostolicæ Sedis auctoritati.

Sed mirum est, Elliesium ex eo, quòd Romani Pontifices legem Gratiani nusquam allegasse legantur, contendere, statim extinctam fuisse. Cùm enim brachium seculare Imperatoris, ceu Aduocati Romanæ Ecclesiæ semper exciterit in potestate Summorum Pontificum, quid opus fuerat ad hoc impiorandum, allegare Gratiani legem, quando ipsæ auctoritatis Apostolicæ vires ad id obtinendum (vt sæpè factitatum noscitur) prævaluerant? Quando portò Innocentius I. loco citato asseruit, [Galliæ causas maiores non antè iudicium Synodi Prouinciæ, vel post Episcopale iudicium referendas esse ad Sedem Apostolicam:] oportet, in hoc discernere inter id, quod iuris est, & quod secundùm prudentiæ, ac benignitatis Apostolicæ ordinationem est facti. Huius namque posterioris ratio, vt plurimum expostulabat, vt priusquàm causæ Ecclesiasticę deuoluerentur ad Sedem Apostolicam, in quarumcumque Prouinciarum partibus ventilarentur: quamuis attento iure Oecumenicæ in Papa super cunctas Ecclesiarum causas supereminentis Apostolicæ auctoritatis, in hac fundaretur non pro appellationis dumtaxat, sed prima quoque iudicij instantia; iudiciaria etiam cumulatiua potestas, cum qua tamen optimè cohærere posset Synodi Prouinciæ tribunal, ad Metropolitanos deijciendos in prima instantia præpotentes, conformiter præinsinuatis Gallicanæ Ecclesiæ Canonibus, speciatim cap. Carolin. lib.7. cap.251. vbi decernitur, vt, [si aduersùs eiusdem Prouinciæ Metropolitanum Episcopus, vel Clericus habuerit querelam, petat Primatem, & apud ipsum iudicetur, aut apud Sedem Apostolicam.] Quid proinde clariùs adduci posset, ad ipsius etiam Apostolicę Sedis iudiciariam potestatem cumulatiuam cùm Primates Galliarum, (adeòque Prouincialis etiam Synodi,) tribunali comprobandam? Quas porrò Elliesius aduersùs Christiani Lupi argumenta inpræsentiarum profert exceptiones, has non tam præterire, quàm paulisper differre, ac inferiùs discutere placuit, vbi præsertim de Africanæ Ecclesiæ, hanc in rem prætensionibus disserendi maior se offeret occasio.

Intereà pro quarto haud prætermittendum est, quod Elliesius in præsenti §. 4. aduersùs sanctum Leonem Papam conqueritur, ac si iste Pontifex contra Canones Sardicenses contendisset, [primam cognitionem causæ Metropolitanorum ad Sedem suam pertinere, appellationesque à Synodo Prouinciæ faciendas, posse à se Romæ iudicari.]

Verùm ex præaliegatis Canonibus Sardicensibus manifestè constat, Romano Episcopo esse potestatem Episcopi à Prouinciæ Synodo deiecti causam post appellationem, vel in iudicio suo determinandi, vel eius decisionem finitimæ Prouinciæ Antistitibus, vel etiam suis à latere Legatis committendi. Et tùm Metropol. intrà Occidentem, nulli præter Roman. Episcopum Patriarchæ, seu Exarcho subiecti, de iure agnoscunt Papam, tanquam suum ex Sedis Apostolicæ Primatu immediatum Superiorem, quomodo prima causarum ipsos concernentium cognitio, non attribuenda esset eidem Romano Pontifici, Canonibus Sardicensis Concilij (vti ex ipsorum patet litera) ne quidquam in contrarium statuentibus? Ad cuiusmodi proinde, immò maiora adhuc Sedis Apostolicæ iura manutenenda, Imperator à S. Leone imploratus, ceu Ecclesiæ Romanæ Aduocatus, isthanc edidit sanctionem: [Ne scilicet quid tam Episcopis Gallicanis, quàm aliarum Prouinciarum contra veterem consuetudinem liceat sine viri Venerabilis Papæ vrbis æternæ auctoritate tentare, sed illis omnibus pro lege sit, quidquid sanxit, vel sanxerit Apostolicæ Sedis auctoritas, ita vt quisquis Episcoporum ad iudicium Romanis Antistitis euocatus, venire neglexerit, per moderatorem eiusdem Prouinciæ adesse cogatur.

Sed quid pro quinto ad istam sanctionem respondeat Elliesius, lubeat ex ipso audire. Ait enim, legem illam, tametsi ob Galliam fuerit specialiter condita, non esse in hoc Regno obseruatam; immò ipsos etiam Romanos Pontifices Leonis Successores appellationes tantùm causarum, in Prouincijs iudicatarum, ad se traxisse, solosque Metropolitanos immediatè à se iudicari postulasse reliquorum Episcoporum iudicio Metropolitanis, & Prouinciarum Episcopis relinquentes;

tes; quamquam Vigilius in epist. ad Eucherium; & Pelagius in epist. 2. ad Ioann. Constanop. quarumlibet appellationum ad Romanam Sedem ante Prouinciæ Episcoporum sententias, iudicia sibi reseruauerit, si ij, qui iudicandi erant in Prouinciæ Synodo, ante huius cognitionem prouocauerint ad iudicium Romani Pontificis.

Addit is Theologus, Gregorium quoque Magnum duo sibi vindicasse, nempè tum appellationes à Iudicijs Episcoporum in Prouincia, circa quas liberum esse sibi, arbitratus est, vel eas Romæ iudicare, vel iudicandas in Prouinciam remittere; tum primam cognitionem causarum, quæ Metropolitanos attinebant, quas sibi reseruari voluit si quis contra Metropolitanum, inquiens lib. 7. epist. 8. aliquid causæ habuerit, ob hoc Sedis Apostolicæ petat iudicium, quod per Canones antiquorum Patrum est institutione permissum. Subdit denique, per tempus illud, quod à Leone ad Gregorium effluxit, Sardicenses Canones in auctoritatem esse admissos, & Episcopis ad Sedem Romanam appellantibus post iudicium Prouinciæ, concessum fuisse, vt illic iudicarentur.

Numquid autem pro sexto illa Summorum Pontificum primam etiam super Metropolitis cognitionem sibi vindicantium praxis, dicenda est pugnare cum Lugdunensi Concilio anno 567. primam circa Episcoporum causas cognitionem Metropolitanis concedente? Præterquam quod isthoc primæ circa Episcopos instantiæ iudicium, dici queat cumulatinè spectasse tum ad Metropolitas, tum ad Romanum Pontificem, vtpotè cuius œcumenica auctoritas non sit supereminens dumtaxat, sed etiam concurrens cùm qualibet inferiore eidem subordinata iurisdictione Ecclesiastica: dicendum planè est, ab Elliesio ineptè notari quamdam prætacti Concilij Lugdunensis cum Romanæ Sedis præinsinuata praxi contrarietatem; quippe cum ista de Episcopis per metropolitanos iudicandis; illa verò de Metropolitanorum, vel etiam Episcoporum ante Prouinciæ iudicium ad Romanum Pontificem prouocantium causis disponat: illo ipso Theologo Gallicano insuper fatente, circa annum 374. extare exempla nonnulla appellationum in Gallia ad Romanam Sedem, fuisseque hanc consuetudinem, diu post hanc ætatem capitulis Adriani I. & capitulis Caroli Magni in Gallia receptis cap. 13. firmatam, cui proinde haud potuit derogari per Concilij Francofordiensis Canonem sextum, vtpotè qui contra Ecclesiasticæ immunitatis iura, Clericorum prouocationes à Metropolitano ad Principem perperam admiserit.

Sistendo prætereà intrà Galliæ Regnum pro septimo, Elliesius præsenti pag. 132. in Decretales octauo labente, vel nouo incipiente sæculo editas, imposturæ eas redarguendo improbè inuehitur, eo quod in ijs non modò ius appellationis Romano Pontifici tribuatur, sed etiam à nonnullis earum iudicium Episcoporum Synodis Prouinciæ interdicatur, inconsulto Episcopo Romano; & sine Sedis eius auctoritate assumendum. Quas proinde Decretales à Summis Pontificibus (in quorum gratiam calumniatur, esse confictas) auidè acceptatas, & vbique promulgatas esse inprimis verò Nicolao I. in epist. ad Episc. Galliæ in causa Rotadij Suessionensis. Sed Gallicanos Episcopos ferre minimè potuisse prætacti Nicolai, Episcopum se inconsulto, à Prouinciæ Synodo deponi potuisse negantis propositionem: tametsi ei non negarent appellationes, seu Episcoporum confugia, secundùm Canones Sardicenses facienda & expedienda. Pariter Adrianus II. in causa Hincmari Laudunensis adduxit auctoritatem earumdem Decretalium, quibus tamen non attentis, Gallicanos Episcopos ad Hincmarum deponendum processisse, ait Elliesius, vlteriùs asseuerans, dictos Episcopos Romam propterea vocatos, parere renuisse, Sardicensis Concilij decreta pro se allegando. Et quia his minimè obstantibus, Summi Pontifices Romam vocabant Episcopos Gallicanos Hincmarum Rhemensem nomine Caroli Calui egregiam scripsisse epistolam, qua disciplinam à Nicænis, & Sardicensibus Canonibus sancitam defenderit, & nouam fictis (per calumniam ita vocitatis) Decretalibus inductam reiecerit, solemniter aduersùs eam protestando.

Verùm in eo inprimis, quod Elliesius Decretales tam calumniosè tractet, vix dignus est integri Theologi nomine, dum earumdem auctoritas ex Catholicorum Canonistarum, ac Theologorum in publicis etiam scholis, & probatis vniuersitatibus concordi sententia, maximum habere pondus iam dignoscitur. Quod autem in causis Episcoporum primæ quoque instantiæ iudicium, absque Sedis Apostolicæ auctoritate, non sit permittendum Prouinciæ Concilio, quin ad Romani Pontificis tribunal in vi prædictarum Decretalium euocari queant; hoc Elliesius cum Gallicanis Episcopis immeritò contendit, repugnare Sardicensibus Canonibus. Qua enim auctoritate nisi Apostolica, Oecumenicis per Christi Vicarium, Papæ in terris proprium nomen, ceu formam sui constitutiuam subsistentibus Concilijs, diuinitus impertita, illi Canones primam iudicij erga Episcopos instantiam Prouinciæ Synodis concedebant? Num verò rationi consentaneum est dicere, ex Canonibus illis factam fuisse qualemcumque Apostolicæ, ex qua tamen subsistere debebant, auctoritatis tum Concilio Oecumenico, tum etiam extra Concilium Pontifici Romano inexistentis diminutionem? Hoc asseuerare foret perindè, ac si diceretur, substantificum illorum Canonum principium fuisse per hos euacuatum, seu peremptum, quod planè absurdissimum esse, luce meridiana clarius appareat. Quare in vi Canonum Sardicensium nonnisi ex Apostolica auctoritate subsistentium, quatenus Concilio Prouinciali primam iudicij erga Episcopos instantiam permittebant, nihil obstaculi fuit positum, quò minùs per eamdem Apostolicam auctoritatem, seu Concilio œcumenico, seu Papæ inexistentem, statui posset, vt iudicia Episcoporum in prima etiam instantia Romam vocarentur, vel non nisi sub aliquo Pontificis Romani desuper consulendi moderamine, valerent decidi à Prouinciæ Synodo.

Hoc vtique pro octauo integerrimæ pro-

fectò

fectò rationis trutina expendebant Gallicani Episcopi, quos minùs decenter, ac prorsus indecorè ait Elliesius, sub tertia Regum Francorum Dynastia ita molles fuisse, vt sæpe sæpiùs passi sint, Episcopos Gallicanos apud Romanos Pontifices primùm accusari, & ab ijsdem Romam vocari, ac ibidem iudicari contra antiquos Canones (quæ tamen contrarietas est ficta) moresque in Gallia receptos: Pontifices quoque Romanos tunc temporis causarum omnium maiorum, in prima etiam instantia Romæ iudicandarum, priuilegium audacter sibi vindicasse. Sic Leonem I. in epist. 4. ad Africanos negare, Episcopos sine sententia Romani Episcopi damnari posse, vel deponi, eo quod sanctis Canonibus esset institutum, vt omnium Ecclesiarum maiores, & difficiores causæ, per sanctam, & principalem beati Petri Sedem à successoribus eius definirentur. Gregorium VII. in dictatu suo magna confidentia affirmare, quod Papa solus possit deponere Episcopos, vel reconciliare: Ac demum Innocentium III. asseruisse, Iure Diuino sibi competere depositiones, cessiones & degradationes Episcoporum Quin etiam tempore Concilij Basileensis rem eò redijsse, vt leuibus omninò de causis patres Romam vocarentur etiam ante iudicium in Prouincia latum; vtque post iudicium, vel tempore iudicij, friuolè appellaretur: cui malo remedium afferre conatos esse Basileensis Concilij Patres sess. 31.

Verùm cuius auctoritatis pro tunc fuerit Basileense Concilium, legitimæ œcumenicæ Synodi charactere quàm destitutum, ex ijs, quæ circa secundum Cleri Gallicani articulum differebamus, liquidò constat, vt propterea posset meritò hic præteriri. Nihilominus vt ostēdatur Elliesianarum in præsentis etiam quæstionis statu contra auctoritatem Pontificiam exceptionum infirmitas; ob oculos ponimus ipsissimum illum, quem Elliesius prætactus profert Sanctionis prædictæ sensum, sub hisce relatum verbis; statuisse nempè Synodum, (ne quisquam amplius Romam vocetur, aut ad Romanum Pontificem antè iudicium ordinarij prouocet, sed vt omnes causæ, exceptis maioribus in iure expressis & electionum Ecclesiarum Cathedralium, & Monasteriorum, primò in Prouincia iudicentur, deinde vt nulla fiat appellatio à grauamine, sed tantùm post iudicium terminatum &c.] En igitur de minoribus dumtaxat, non autem de maioribus Episcoporum causis Romam non statim euocandis, agi in illa Basileensi sanctione, prout eruditissimum quoque Parisiensis facultatis Doctorem profiteri, ipse Elliesius fatetur.

Sed longiùs adhuc progressus pro nono confitetur, Concilium Tridentinum sess. 24. de reformat. cap. 5. omnem prorsus iudicandorum Episcoporum potestatem alijs ademisse, solique Pontifici Romano seruasse sub hisce verbis: [Causæ criminales graniores contra Episcopos, etiam hæresis, quod absit quæ depositione, aut priuatione dignæ sunt ab ipso tantùm Summo Pontifice cognoscantur, & terminentur.] Subdit ille Parisiensis Theologus, hoc vnum, immò præcipuum videri ex capitibus disciplinæ, in Concilio Tridentino sancitæ, quod à Gallicana Ecclesia improbatum fuerit. Verùm in hoc, & quouis alio intrà Concilium Oecumenicum; infallibili Spiritus sancti assistentia munitum sancito disciplinæ sacræ decreto, oportet distinguere obligationem, tum in fide radicatā moralem virtutis cuiuspiam honestatem præferentis specificationis, tum practicæ ex prudentiali circumstantiarum moralium conuenientē circumspectione statuendæ, quoad exercitium necessitatis. Ad hanc equidem exercitij moralem necessitatem, seu obligationem practicam, requiritur legis promulgatio ex varijs circumstantijs prudenter pensanda; cuius intermittendæ consilium, talibus quandoque rationibus moralibus inniti potest, vt prudentiæ prorsus consentaneum sit, ne intra Prouinciam quampiam, seu Regnum eiusmodi Legis obligatio fuerit actualiter introducta; de qua proinde actuali intra Galliæ Regnum per præsumptam præsertim Legislatoris voluntatem non introducta prætacti Tridentini decreti obligatione, nolumus hic differere.

At sufficiat, decretum illud à sacrosancto Concilio Tridentino sancitum, attenta eiusdem in fidei principijs radicata, & virtutum moralium honestati consentanea, specificatione, siue quoad specificationem (vti Theologi loquuntur) necessitate, ita se habere, vt ab omnibus Concilij œcumenici, Spiritus sancti assistentia muniri infallibilitate agnoscentibus Theologis comprobari debeat; nefasque adeò sit, illud, ceu à fide, ac Religione alienum reprobare, quamuis actualem sui in exercitio obligationem intrà Galliam ex defectu, v. g. promulgationis, non obtinuisset.

Ex quo proinde honestatis, & quoad specificationem in fide, ac religione radicatam, necessitatis moralis fonte pro decimo indubiè scaturiebant varij, quos Elliesius pergit enumerare, præsenti instituto conuenientes, publicos etiam actus: quantumuis aduersùs illos postmodùm reclamasset Clerus Gallicanus. Hand leue scilicet, (ait idem Parisiensis Theologus) fuisse libertati Gallicanæ Ecclesiæ inflictum vulnus temporibus Cardinalis Richelij, cùm is Breue quoddam Apostolicum obtinuit ab Vrbano VIII. à quo quatuor Episcopi Gallicani sunt delegati, quorum opera Episcopos quosdam ex Aquitania, & Atemorica maiestatis reos deijci procurauit. Et licèt super hoc actu Cleri Gallicani conuentus fuerit protestatus, hæc tamen protestatio non in tantum præualuit, quin Episcopi Gallicani in causa Iansenij postmodùm à Sede Apostolica iudicium popoſcerint, hæc præfati: [Maiores causas ad Sedem Apostolicam referre solemnis Ecclesiæ mos est, quem fides Petri nunquam deficiens perpetuò retinere pro suo iure postulat, æquissimæ huic legi obsequentes, de grauissimo circa Religionem negotio Sanctitati Suæ scribendum esse, censuimus.]

Tametsi autem pro vndecimo Antistites Gallicani factū hoc suum posthęc anno 1660. excusarint, eò quòd tunc temporis Synodus, aut conuentus Generalis Cleri Gallicani haberi non potuisset, & idcircò necesse fuisset, ad eiusmodi remedium recurrere. Nihilominùs postmodùm in causa quatuor Episcoporum, qui accusabantur vt minùs obsequentes

tes Constitutioni Innocentij X. & Alexandri VII. circa quinque Iansenij propositiones emissæ; ipsemet Christianissimus Rex, teste Elliesio, petije à Pontifice Alexandro VII. vt duodecim Episcopos in Gallia nominaret, qui de quatuor illis Episcopis, omni appellatione remota, iudicarent. Vnde clarum deducitur argumentum, Episcoporum iudicium, cum potestate delegandi, fuisse in Papa recognitum ab ipsomet Galliarum Rege. Nec obstare potest, quòd idem Christianissimus Rex indignè tulerit responsionem à Romanis factam, mentem Pontificis fuisse, vt vnus tantùm nominaretur Episcopus, velut executor iudicij Romæ lati, in gratiam tamen Regis Christianissimi tres ab eo fore nominandos, qui vt meri executores agerent. Sic adeò quorumdam, vel etiam plurium de Clero Gallicano, aduersus Sedis Apostolicæ erga eiusdem Regni Episcopos primæ etiam instantiæ iudicium prætensa reclamatio, non fuerat tantæ efficaciæ, quin dictæ Apostolicæ Cathedræ iudiciaria in causis Ecclesiasticis supereminens, semper prænaleret auctoritas: diuinorum nempe Oraculorum mox adducendorum veritate semper, ac vbique prædominante.

§. V.

Ex sacris Literis ostenditur Romani Pontificis in quibuscumque causis Ecclesiasticis, seu quoad primam etiam instantiam, cum Episcopis, & Metropolitis, siue Patriarchis, Conciliisque tum Prouinciæ, tùm Diœceseos cumulatiua, seu in via Appellationum præcipuè, supereminens iudiciaria auctoritas.

QVis namque ausit negare, hæc Matth. 16. ad Petrum, eiusque successores prolata Christi Domini, verba: [Quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in Cœlis, & quodcumque solneris super terram, erit solutum & in Cœlis;] non in foro dumtaxat interno conscientiæ, sed in externo etiam iudicij Ecclesiastici foro habere locum? At nihil in quibuscumque Ecclesiastici iudicij foris, seu pro prima instantia, seu pro cuiuscumque ad superius Tribunal prouocationis, & appellationis recursu est intelligibile, quin contineatur sub illo, Regni cœlorum, seu Ecclesiæ clauibus subiecto [Quæcumque.] Pro nulla igitur siue primæ instantiæ, siue quorumcumque vlteriorum recursuum, atque appellationum statu, est quippiam in causis Ecclesiasticis excogitabile, quod non subijciatur Cathedræ Apostolicæ sacrosancto foro iudiciario.

DISQVISITIO VI.

Quænam in via Facti circa appellationes ad Romanum Pontificem exhiberi queant solida probationis argumenta.

QVatuot paragraphis hoc argumentorum genus expedit Elliesius. In primo referuntur, ac examinantur iudicia, quæ Synodum Nicænam præcesserunt. In secundo discutiuntur exempla appellationum in Iudicijs quarto sæculo latis. In tertio expediuntur exempla causarum Africanorum quinto, & sexto sæculo ad Sedem Apostolicam delatarum, & iudicatarum. In quarto denique nonnulla iudiciorum Ecclesiasticorum, in Occidente præsertim, peractorum exempla perstringuntur. Quibus tandem sublungetur discussio epilogi ab Elliesio inpræsentiarum factæ.

§. I.

Examinantur Episcoporum iudicia ad Sedem Apostolicam deuoluta, Synodum Nicænam antecedentia.

IN notis ad Concilium Sardicense tom. 3. Concil. edit. Parisiensis collat. 72. relatis lit. L. habetur, Iure Diuino non tantùm permissum, vt Episcopi iniuriam passi, ad Summum Ecclesiæ, & Romani Pontificis Tribunal prouocarent; verùm & frequenter ante hæc (Concilij Sardicensis) tempora de facto obseruatum fuisse, vt tam Presbyterorum, quàm Episcoporum appellationes ad Apostolicam Sedem admitterentur; adeò, vt verissimum sit, quod scribit Leo epist. 89. ad Episcopos Galliæ, hanc esse antiquissimam Ecclesiæ consuetudinem. Ad Pium I. Marcion, ad Cornelium Fortunatus & Felicissimus in Africa: ad Stephanum Pontificem Basilides in Hispania depositus appellarunt. Vnde manifestum est, quòd Patres Concilij Sardicensis de iure, & appellandi potestate nihil nouiter concesserint, sed tantùm declararint vsum, & exercitium huius potestatis, de quo dubitabatur, num Ecclesiæ vniuersali omninò expediret, partìm, ne si omninò appellationes sine discrimine causæ admitterentur, nullus litigandi finis esset: partim, ne si omnis appellandi potestas adimeretur, inferiores Iudices Episcopi tunc tyrannidis occasionem adipiscerentur.

Aduersùs hunc igitur appellationum in antiqua Ecclesia vsum insurgens Elliesios præf. §. 1. excipit primò. Perperam induci Marcionis ad Ecclesiam Romanam appellantis exemplum, cùm ipse à patre suo damnatus, non petierit causam suam Romæ retractari, sed tantùm deprecatus sit, vt in communionem reciperetur: nec porrò Ecclesia Romana sibi tunc arrogarit ius rescindendi iudicij, aut causæ retractandæ, sed à

Senio-

Senioribus Romanis, teste Epiphanio, retulerit responsum, [Contra ipsius Patrem Episcopum, vtpote cuius vna secum esset fides, & consensio animorum, se non posse quidquam moliri.] Vnde infert is Parisiensis Theologus, Presbyteros Romanos censuisse, quòd non possent hominem ab alio Episcopo communione priuatum, sine huius assensu communioni restituere, cùm, si credidissent, appellationis, seu remissionis ius sibi iure Diuino competere, sine Episcopi assensu potuissent causam eius retractandam decernere.

Verùm insistendo Epiphanij ab ipsomet Elliesio adductis verbis, liquidò constat, Seniores, seu Presbyteros Romanos Marcioni absolutionem excommunicationis ab ipsius Patre Episcopo inflictæ denegasse prætendendo, [se non posse quidquam contra hunc moliri.] An non ergo hinc euadit manifestus Marcionis ad Romanam Sedem recursus contra Patrem suum Episcopum, ad huius scilicet sententiam retractandam susceptus, quamquam ex defectu legitimæ de istius iniustitia probationis, præsumptione propter integram eiusdem Episcopi fidem, & cum Romana Ecclesia consensionem merito præualente, Marcioni denegata fuerit petita absolutio, seu Patre non consentiente, communionis restitutio. Nullius ergo valoris, est præadducta Ellie sana illatio, cùm appellationis, seu reuisionis ius Sedi Apostolicæ iure Diuino concessum, non der facultatem, sine probabilibus innocentiæ argumentis rescindendi sententiam ab Episcopo latam. Qualis probabilitas Marcioni defuisse dignoscitur.

Secundò excipit Elliesius. Cùm in causa Paschatis tempore legitimo celebrandi, Victor Romanus Pontifex in Asianos Episcopos commotus, à communione sua istos resnouisset, non hos dumtaxat, sed alios multos Galliæ præsertim Antistites, vnà cum Irenæo mouisse Victorem, [vt ea potiùs sentire vellet, quæ paci, & vnitati, charitatique erga proximum congruebant, literis suis grauiter perstringendo illum Pontificem:] cuius tamen obiurgationem iniquam futuram fuisse, si ipsi licitum fuisset, iudicia intra Asiam lata retractare, Asiaque parere debuisset iudicijs à Romano Pontifice latis.

Verùm huius in Romano Pontifice ad Asianorum Episcoporum iudicia retractanda, atque ad hos in suorum Decretorum obedientiam adigendos, & cùm non parerent, à communione sua remouendos potestatis, clarum argumentum elucescit ex illo Victoris exemplo, quem non tam oportuisset dehortari, vt ex maiori pacis, atque charitatis studio mitiùs ageret, quàm pro nullo habere eius iudicium, si ad hoc ferendum, nulla ei fuisset legitima potestas. Cùm equidem potestate sua abuti Galli, de statu causæ needum plenè edocti crediderant: posteà tamen compertum fuit, optimè, ac prudenter fuisse actitatum à Victore; quippe cùm sententiæ, ab hoc reprobatæ auctor præcipuus fuerit Blastus, teste Tertulliano de præscript. in fine paulatim iudaismum introducere conatus, ac docens, Pascha non aliter custodiendum esse, nisi secundùm legem Moysis decimaquarta die Mensis Martij: hanc enim hæresim suam cœpisse Blastum, Victoris Papæ tempore etiam Romæ seminare, testatur Eusebius lib. 5. hist. cap. 15. Cui proindè hæresi maturè occurrendum censuit dictus Romanus Pótifex, grauiùs ea propter agendo aduersùs Asianos Episcopos, tali errori adstipulantes. An non igitur hinc patet, auctoritatiuæ in Papa erga Episcopos potestatis solemnis, & publicus actus.

Tertiò. Aduersùs sequens pro recursibus ad Romanam Sedem allegari solitum, & à Cypriano lib. 1. epist. 3. relatum exemplum, quando scilicet Fortunatus, & Felix in Africa à Cypriano depositi, Romam nauigauerunt, atque ad Cornelium Papam appellarunt, aduersùs hoc, inquam, exemplum excepit Elliesius, Cornelium Romanum Episcopum neque de causa Felicis, ac Fortunati Romæ iudicasse, neq; eius retractationem decreuisse; immò ne quidem illos, vtpotè ab Episcopis suis damnatos, audire voluisse: de quorum proinde confugio sic iudicasse Cyprianum in sua ad Cornelium Episcopum epistola. [Nauigare, inquiunt, audent ad Petri Cathedram, atque ad Ecclesiam principalem, vnde vnitas Sacerdotalis exorta est, à schismaticis & prophanis literas ferre. Quæ autem causa veniendi, & Pseudoepiscoporum contra Episcopos factum nunciandi, aut enim placet illis, quod fecerunt, & in suo scelere perseuerant, aut si displicet, & recedunt, sciant, quò reuertantur: nam cùm statutum sit omnibus nobis; & æquum sit pariter ac iustum, vt vniuscuiusque causa illic audiatur, vbi est crimen admissum, & singulis Pastoribus portio gregis sit adscripta, quam regat vnusquisque & gubernet, rationem sui actus Domino redditurus; oportet vtique eos, quibus præsumus, non circumcursare, nec Episcoporum concordiam cohærentem sua subdola, & fallaci temeritate collidere; sed agere illic causam suam, vbi & accusatores habere, & testes sui criminis possint; nisi, si paucis desperatis & perditis, minor videtur esse authoritas Episcoporum in Africa constitutorum, qui iam de illis iudicauerunt, & eorum conscientiam multis delictorum laqueis vinctam iudicij nuper grauitate damnarunt. Iam causa eorum cognita est, iam de ejs dicta sententia est. Nec censuræ congruit Sacerdotum, de mobilis, atque inconstantis animi leuitate reprehendi.

Verùm numquid ex his ipsis Cypriani verbis patet, dictorum in Africa damnatorum seu Episcoporum, seu Presbyterorum ad Cathedram Petri confugium? Quemadmodùm autem verus appellationis recursus subsistere potest, dum Iudex, à quo ad iudicem ad quem mittit literas refutatorias: sic profectò literæ Cypriani confutatoriæ querelarum, & allegatoriæ rationum, quibus legitimarum probationum substantialium ex parte appellantium defectum subesse demonstratur, minimè obsunt, quò minùs ille ad Petri Cathedram recursus à Cornelio Pontifice propterea repulsam passus, in numero verorum de appellationibus ad Sedem Romanam exemplorum reponatur. Nisi enim tale ius de appellatione ex remotioribus etiam regionibus à Romano Pontifice recipiendis, & discutien-

tiendis, re ipsa substitisset, ad quid Cypriano opus fuisset, literas refutatorias ad Cornelium dare. dum vel ipsa appellationis nullitas securos fecisset Africanos Episcopos de sententia sua, aduersùs Felicem, & Fortunatum lata, validè, & cum effectu nequaquam retractanda, seu immutanda.

Quartò. Pro appellationum ad Romanam Sedem vsu antiquo adferri solent Cypriani epistola 67. ad Stephanum Romanæ vrbis Episcopum scripta sub hoc tenore (Dirigantur in Prouinciâ, & ad plebem Arelatæ consistentem à te literæ, quibus abstento Marciano, alius in locum eius substituatur. Hinc enim apertè ostenditur Romani Pontificis in Episcopo Marciano hæresis Nouatianæ reo abdicando, primæ etiam cognitionis iudicij suprema potestas.

At Elliesins excipit, Cyprianum non rogasse Stephanum, vt iudicet Marcianum, sed vt ad plebem Arelatensem Marciani ad Nouatianos deficientis impietate commotam, eius tamen societati adhuc addictam literas scribat, quatenus omni cum eo societate rupta, alius in eius locum eligatur Episcopus.

Verùm quomodò Cyprianus in Stephano Romano Pontifice, agnoscere potuisset potestatem decernendi nouam Episcopi Arelatensis, Marciano remoto subrogationem, nisi ei præ alijs cunctis Episcopis talem in Episcopo ob dictum Nouatianæ hæresos reatum remouendæ, ac deponendo, authoritatem inesse, pro certo habuisset? Quomodò enim plebi Arelatensi fas fuisset, sua priuata potestate absque altioris publicæ authoritatis interventu in Episcopè priùs legitimè instituti locum subrogandi alterum? & si isthæc authoritas non specialiter ac supereminenter extitisset in Romano Pontifice, cur non à Galliæ Episcopis per Cyprianum æquè efflagitaretur?

Quintò. De Basilidis Episcopi à Prouinciali Hispaniæ Synodo ad Romanum Pontificem recursu sic scribit Cyprianus Epist. 68. [Basilides post crimina sua, & conscientiam, etiam propria confessione nudatam, Romam pergens Stephanum Papam longè positum, & gestæ rei ac tacitæ veritatis ignarum fefellit, vt exambiret iniustè, se reponi in Episcopatum de quo fuerat depositus]

Sed excipit Elliesius, eundem Cyprianum ab Hispanis Episcopis consultum censuisse non obstante hoc recursu eatenus validam fuisse alterius in Basilidis locum suffecti Episcopi ordinationem, vt Papa non posset hanc iure perfectam ordinationem rescindere Verùm nisi Episcopi Hispaniæ decentem illi recursui respectum habuissent, quomodò tam sollicitè fuissent, vt à Cypriano peterent consilium, acceptumque haberent responsum, vbi alterius Episcopi ordinatio iure iam esset perfecta, non posse hanc à Romano Pontifice rescindi: maximè cùm Basilidis depositi non tam abolita fuerint delicta, quàm ad superiora eius peccata crimen quoque fallaciæ, ac circumuentionis accesserit? En igitur, non ex defectu legitimæ in Papa ad appellationis erga se recursum faciendum, & admittendum potestatis, sed propter ius alteri in Basilidis locum subrogato Episcopo iam quæsitum, & propter cuiuscumque à Papa per falsitatem, & circumuentionem acquirendi rescripti inualiditatem, negasse Cyprianum, quòd Stephanus Papa posset [ordinationem iure iam perfectam rescindere.]

Sextò. Cùm Dionysius Alexandrinus perperam, licèt accusatus de Arianismo, Filium Dei creaturam asserente, proptereaque à Concilio, Dionysioque Romano reprobatus fuisset, fert historia, ipsum sui purgandi causa edidisse apologiam. An non igitur licet cum Baronio, alijsque hinc concludere, primarum præcipuè Sedium Episcopos rectè accusari posse apud Summum Pontificem. Nec obstat Elliesij exceptio, ac si Dionysius apud Romanum Pontificem non iuridicè fuisset accusatus, vt in eum ferretur sententia, sed sinistri eius mentis interpretes de eo fuissent corã Papa duntaxat conquesti. Vt quid enim, si hæc querela non erat interposita ex respectu superioris in Romano Pontifice authoritatis, Romam vsque propterea recursus intentaretur? Et licèt Iuridica sententia inde non emanasset, sufficiebat tamen, ab ipso fidei rationem non priuata vtique, sed eo ipso, quòd ad Concilium res esset delata, publica etiam authoritate fuisse ab ipso exactam.

Septimò Cùm Paulus Samosatenus ad duplex Antiochiæ habitum Concilium delatus, in prima quidem Synodo Orthodoxam Ecclesiæ fidem simulans, euitasset depositionem, in altera, autem hæreseos conuictus, fuisset depositus, Domno in eius locum substituto, sed domo Episcopali excedere abnuisset: exinde Imperatoris Aureliani brachio implorato, fuit ab hoc illius Decreti Conciliaris executio sub illis imperata verbis [vt scilicet Ecclesiæ traderentur illis, quibus Religionis Christianæ Antistites, & Romanus Pontifex scriberent, eas demandandas. Vt quid verò ab Imperatore facta fuisset ista ad Pontificem Romanum remissio, nisi sublimior circa instituendos, ac destituendos Episcopos in eo fuisset recognita authoritas?

Octauò. Quod præsentis instituti argumentum adferri solet à Cæciliani Episcopi à nefario Africano Conciliabulo depositi, sed per Melchiadem Papam restituti, id accipe ex ipsismet sancti Augustini verbis Epist. 162. ita scribentis: Iudicante Melchiade tunc Romanæ vrbis Episcopo, cum collegis suis, quos ad preces Donatistarum miserat Imperator, in Cæciliano nihil probari potuisse, ac per hoc in Episcopatu fuisse confirmatum, Donatum verò, qui aduersùs eum tunc auderet, improbatum. Quid profectò clarius dici posset ad ostendendum, iudicium Cæciliani stetisse vnicè penes Melchiadem Romanum Pontificem, nullo prorsùs apice asseuerante, eos, qui ad preces Donati ab Imperatore Romam fuerant cum Cæciliano missi Episcopi, pares cum Melchiade Iudicis partes egisse, quin potiùs Donatus ipse fuerat in eo iudicio improbatus, Cæcilianus verò à Melchiade in Episcopatu confirmatus?

Hinc quando idem S. Augustinus infeeiùs ita pergit scribere (An fortè non debuit Romanæ Ecclesiæ Episcopus Melchiades cum collegis trasmarinis Episcopis illud sibi vsurpare, quod ab Aphris septuaginta, vbi Primas Tisigitanus præsedit, fuerat terminatum?

Quid,

Quid, quod nec ipse vsurpauit? Rogatus quippe Imperator iudices misit Episcopos, qui cum eo sederent, & de tota illa causa, quod iustum videretur, statuerent] Ex quibus, si cum præcedentis S. Doctoris verbis conferantur, planè manifestum redditur, quos Imperator miserae iudices assessores, principaliter reduci in solum Melchiadem, atque hunc ex propria sua, non Imperatoria sibi delegata potestate vsurpasse sibi iudicium, quod ab Africano Prouinciali Concilio prius fuerat terminatum, nec profectò iudices assessores Imperator fuisset ad ipsum missurus, nisi in eo agnouisset supremam Iudiciariam in causis Ecclesiasticis authoritatem, quam idem Diuus Augustinus in eadem epistola contestatus fuerat scribendo, Cæcilianum paratum fuisse dicere causam in Romana Ecclesia, in qua semper Apostolicæ Cathedræ viguerat Principatus.

§. II.

In quo fit discussio causarum quarto Ecclesiæ sæculo iudicatarum.

QVatuor ex quarto Ecclesiæ sæculo argumentorum genera contra ius appellationum ad Sedem Apostolicam deferendarum Elliesius præs.sup 2. Differt §.2. proponit Primum petitur ex illis, qui à Patriarchali, seu Metropolitana, siue Prouinciali Synodo damnati, non prouocarunt ad Romanum Pontificem. Secundum genus desumitur ab illis, qui per iniuriam, seu vim depositi, suisque Episcopatibus priuati, nulla licèt interposita prouocatione, à Pontifice Romano fuerunt restituti. Tertium genus est illorum, qui recurrebant quidem ad Romanum Pontificem, quorum tamen causa non fuit ab hoc recepta. Quartum genus est illorum, qui ad Sedem Apostolicam, vel concilium aliquod Oecumenicum appellantes, huius authoritate restituti sunt.

In primo igitur non appellantium genere numerantur primò Arius, & Melitius. Hic à Petro Alexandrino depositus, Romam non prouocauerat, vt restitueretur, nec alterum maius requisiuit iudicium, sed cùm nullam aliam retinendæ auctoritatis viam sibi superesse arbitraretur, ab Elliesio dicitur, hanc ob causam schisma conflasse. At quia hic nequam vel ex causæ suæ diffidentia, vel ex superioris authoritatis, Apostolicæ præsertim Cathedræ contemptu, maluit schisma potiùs conflare, quàm per appellationem, quippè cùm istanc, hæresi non ablutata, haud proficuam sciebat, sibi consulere, num hinc momenti alicuius argumentum aduersùs Sedis Apostolicæ iura proferre fas est?

Similis profectò indignitatis est argumentum ab Ario desumptum, de quo Elliesius ait, cùm Verbi Diuinitatem negaret, ab Alexandro Episcopo Alexandrino, dein à Synodo Ægypti damnatum, & gradu deiectum, nullam sibi superesse prouocationem putasse, Episcopos Palestrinæ sibi fauentes confugisse, ne tunc quidem, vbi dissidium in dies cresceret, prouocatum esse ad Romanam Sedem, neque causæ huius cognitionem ad se traxisse Pontificem Romanum, sed Imperatorem huius controuersiæ sopiendę causa, Synodum Generalem indixisse. Nunquid verò ex appellationis ob causam sibi per heresim obdurato planè infensam intermissæ nou actu, argumentari licet ad negandam potentiam, tum appellandi, tum causam ex appellatione deferendi ad Sedem Apostolicam, tum per huius iudiciariam sententiam controuersiæ finem imponendi? Ariana hæresi inualescente, cur Constantinus Imperator ad remedium tanto malo ac dissidio adeò pernicioso adferendum tamquam Ecclesiæ sanctæ Aduocatus non se solo, sed vti in VI. Synodi actione 18. fertur, vnà cum Syluestro Papa indixerit Generale Nicænum Concilium, sicque Romanum Pontificem præ omnibus Orientis Episcopis in ista causa interpellarit, eundemque per suos Legatos Concilio præsidere passus sit, quæ alia potest esse ratio, nisi quia in illo agnouit authoritatem Oecumenicam, ex qua ceu Vicario Christi charactere ita subsistere deberet substantia legitimi Concilij Generalis, vt meritò iam dici debeat, recursum, quem Constantinus Magnus in causa extirpandæ hæreseos fecit ad Concilium Oecumenicum, necessariò respexisse ad Pontificiam, quoque authoritatem, ceu primariam, & quà cum Synodo Generali coniunctam, fidei controuersiarum vltimam decisiuam? Ex illo igitur exemplo elucet recursus ad Sedem Apostolicam ab ipso etiam Imperatore Ecclesiæ sanctæ Aduocato facti manifestum argumentum.

Secundò. Sub primo illo non appellantium genere recenser insuper Elliesius sequentes Episcopos; nempè Eustachium. Antiochenum, Paulum Constantinopolitanum, Lucium Hadrianopolitanum, Saturninum Arelatensem. De Eustathio igitur Antiocheno refertur, cùm ab Orientis, siuè Diœceseos suæ Episcopis iniustè fuisset damnatus, ex amore sanctæ quietis ac quieuisse iudicio, nec ad Pontificem, aut aliam Synodum prouocasse. At numquid, vbi eueniret, quempiam à Regio Senatu etiam iniustè damnatum non prouocare, sed quibusdam ex causis acquiescere iudicio, hinc arguere liceret, nullum superfuisse ius ad Regem prouocandi, seu appellandi?

De Paulo autem Constantinopolitano scribitur, quòd damnatus iudicio, non quidem prouocarit ad Romanum Pontificem, sed, inuitis etiam aduersarijs, Sedem retinnerit, donec per vim ex ea eijceretur. Numquid verò, si, quos Regia Maiestas Franciæ propter hæresim damnauerat, vi & armis resistere valuissent, ac Regis iudicium aduersùs ipsos præualere potuisset, num propterea supremum in Rege iudiciariæ auctoritatis tribunal fas esset negare?

De Lucio Hadrianopolitano, & alijs fermè omnibus, quos Ariani iniustè damnauerant, dicit Elliesius, neque prouocasse ad Romanum Pontificem, neque ab eo literas, per quas restituerentur, obtinuisse. Verùm, dum isti apud Papam non se insinuabant, quomodò illis præbuisset auctoritatis suæ brachium, vel dum spes non erat, alicuius ex auctoritate Pontificia apud Arianos proficui re-

remedij, quomodò manum suam pro ijs, quos iniquè oppresserant, saltem absque præuio ad se recursu indifferenter extendere ex prudentiæ rationibus potuisset?

De Saturnino Arelatensi à Gallicanis Episcopis deposito ait Elliesius pag. 162. ipsos Synodi Parisiensis Episcopos testari, quòd nullus ei superesset appellationis locus. At istud minimè dicit ea Synodi Parisiensis attestatio, sed ait, [dumtaxat, ipsum ceù saluberrimorum statutorum violatorem, propterreàque excommunicatum, ab omnibus Gallicanis Episcopis ob vetera insuper iam diù denudata crimina, nouæque temeritatis epistolis suis editam indignitatem, se fecisse indignum nomine Episcopi.] Esto igitur, hæc scelera, cæteraque indignitas eius ipsum ceù staturorum saluberrimorum temeratorem cohibuissent ab appellatione, an prætereà fas est, hinc inferre, nullum Sedi Apostolicæ appellationum admittendarum ius fuisse?

Quod reuerà ius neque Priscilliani à Synodo Burdegalensi in Gallia depositi ad Imperatorem, non ad Romanum Pontificem recurrentis temeritas obscurare valet; quamquam in hoc Elliesius sibimet videatur contradicere subiungendo, ipsum insuper Priscillianum cum Instantio & Saluiano damnatum à Cæsaraugustana Synodo, confugisse Romam, vt illic sibi obiecta purgaret, Damaso licèt eos non suscipiente, sed ne in conspectum quidem admittente, eò quòd in Synodali aduersùs eos sententia additum fuerit, vt, si quis damnatos in communionem susciperet, in se eamdem sententiam esse promendam, sciat.

Num verò credere fas est, sub ista adiectione fuisse à Cæsaraugustana Synodo intentum, vltra suæ potestatis sphæram, atque adeò aduersùs Romanum quoque Pontificem extendere excommunicationis comminatoriam sententiam? An non è contrario Priscillianus vnà cum Instantio, & Saluiano, vt obiecta sibi crimina purgaret, Romam confugiens huius Tribunalis supereminentem auctoritatem agnouit, Damaso licèt eos reijciente, non vtique ob Excommunicationis, à Synodo Cæsaraugustensi intentatæ metum, sed ob illorum causæ indignitatem.

Tertiò. Sub secundo præsentis instituti genere numeratur Marcellus, quem Iulius Pontifex cum Athanasio in communionem suscepit damnatum ab Orientalibus in Constantinopolitana Synodo. At contra istud exemplum excipit Elliesius præs. pag. 159. Marcellum non appellasse ad Pontificem, nec ab eo fuisse restitutum, sed à Synodo Sardicensi: imò hac etiam restitutione facta, neminem in Oriente ipsum pro hæretico non proscripsisse, quamuis Athanasius à ferendo in eum iudicio abstinuerit.

Verùm quia Concilium Sardicense ex Apostolica Papæ auctoritate noscitur substitisse, an non oportet igitur, Marcelli ex Sardicensis Concilij Decreto restitutionem in ipsum etiam Iulium Summum Pontificem reducere? Et licèt quàm plures Orientales, tum Synodo Sardicensi, tum Iulio Pontifici se se opposuerint, num isthæc pertinacia derogare potest, vel Oecumenicæ Synodi, vel Summi Pontificis auctoritati? Ex eo proindè exemplo liquidum euadit Papæ, sinè solius, siuè Concilio generali stiparim auctoritatem supereminuisse Synodo Constantinopolitanæ, illo Christi Vicario Papæ proprio, Concilijque quà Oecumenici substantifico charactere destitutæ.

Quartò. Progredimur ad tertium contra appellationum ad Sedem Apostolicam iuta ab Elliesio allatum argumenti genus, in quo vnicè occurrit Bonosus. Cuius de hæresi circa Mariæ Deiparæ virginitatem delati iudicium cùm à Synodo Capuensi fuisset remissum ad Thessalonicensem Metropolitanum, vicinosque Episcopos, hi verò causam eiusmodi grauiorem arbitrati, cùm Syricium Papam consuluissent, atque istius sententiam rogassent, hunc in modum respondit præfatus Romanus Pontifex: nempè sibi competere non posse iudicandi formam, eò quod Concilij Capuensis iudicium fuerit, vt finitimi Bonoso, eiusque accusatoribus iudices tribuerentur præcipuè Macedones, vnà cum Episcopo Thessalonicensi, de eius factis cognitionem accepturi, quorum proindè sit, hoc facere iudicium, sententiamque ferre de omnibus, nulla vel accusatoribus data refugiendi, siuè elabendi copia. Cùm porrò Bonosus Episcopus post præinsinuatum Papæ iudicium, misisset ad Ambrosium Episcopum pro consilio petendo; [An liceret interdictam sibi Ecclesiam irrumpere, atque ingredi, ait Elliesius, fuisse eidem responsum, quòd nihil temerandum foret, sed omnia modestè, patienter & ordine gerenda sint, neque contra sententiam sit aliquid tentandum.] Ex quo duplici rescripto, ait prætactus Elliesius, patere, tum quòd Papa sit fassus, sibi non competere formam iudicandi, vbi causa Bonosi Metropolitano, ac Episcopis vicinis est commissa, sed ita horum esse, ferre sententiam, vt nulla accusatoribus, vel accusato sit copia refugiendi, aut elabendi: cum quòd Papa, & Ambrosius censuerint, post Synodi Prouinciæ iudicium nihil contra hoc tentandum esse, nec licere vlli etiam Romano Antistiti, causam ad se ampliùs euocare, sique adeò nullis alijs, quàm vicinis Episcopis, ipso etiam Syricio teste, formam iudicandi competere.

Verùm, si penès Romanum Pontificem non existeret circa Episcoporum iudicia aliqua Concilio, vel ex Prouinciæ, vel ex finitimis Antistitibus consistente, supereminentior auctoritas, ad quid Metropolitanus Thessalonicensis cum Episcopis Macedonibus recurrisset ad Sedem Apostolicam, priusquàm suum super Bonoso ferret iudicium? In hoc enim ad Syricium Papam recursu fuisse ab illa Episcoporum Synodo requisitam stricti iudicij formam, euincitur ex hoc, quod responsio conuenire debeat cum peritione; Syricius autem responderit, sibi non competere iudicandi formam (quam ipse quoque Elliesius de stricto intelligit iudicio) postquam Concilij Capuensis iudicium iam erat latum, vt finitimi, Macedones scilicet Episcopi cum Thessalonicensi Metropolitano de Bonosi factis (iudicialiter) cognoscerent. Vt igitur illud Pontificium responsum cum Macedonum Episcoporum petito cohæreat, oportet, id ealiter intelligere, vt Pontifex non absolutam iudicandi formam ab illis Episcopis requisitam

tam, sed iudicij ad se trahendi decentiam dumtaxat negare, vbi causa iam erat in manibus eiusmodi Thessalonicensis Concilij à Capuensi Synodo requisiti. Quare Syricius eatenus dixit, Macedonum Episcoporum esse hunc iudicium, vnà cum potestate ferendi mandatum prouidendi, ne vel accusato, vel accusatoribus detur refugiendi, aut elabendi copia. Numquid verò istud Syricij mandatum præsupponebat in hoc superiorem Concilio illo auctoritatem? Quando proindè Ambrosius à Bonoso consultus, negauit, eidem licere, interdictum temerare, ingrediendo Ecclesiam, atque negauit, licere contra sententiam illorum Iudicum aliquid tentare, ita in his probauit iudiciariam auctoritatem, vt summa sit ineptia, ex hac inferre velle, ac si nulla eius causæ, si huius meritum ac rei status tulisset, iudiciaria, eaque supereminentior auctoritas subsistisset in Romano Pontifice.

Quintò. Circa præinsinuatum argumenti genus quartum occurrit in primis S. Athanasius, qui in Tyri Synodo, & posteà in Antiochena Synodo damnatus, Romam confugit, atque à Pontifice Iulio benignè exceptus, in suum Episcopatum fuit restitutus, Concilio Sardicensi, innitis eius aduersarijs, confirmante illud restitutionis iudicium.

At Elliesius præf. Differt. 2. pag. 158. reponit, Athanasium non à Synodo Prouinciæ, aut Dicecesos, sed à Synodo extraneorum Episcoporum fuisse damnatum, Constantino Imperatore istorum iudicium, vtpotè contra leges latum, non habente ratum, ac propterea ad se euocate Episcopos eius Concilij, vt facti sui rationem redderent. Quare Athanasium ita damnatum non prouocasse ad Romanum Pontificem, nec ab eo petijsse, vt videret, num eius causa esset talis, quæ deberet iterum examinari, sed confugisse ad Imperatorem, vt hic rescinderet, quæ contra formam iudiciorum ac leges ab aduersarijs facta fuerant: quem proindè non ex Synodi Decreto, sed Imperatoria auctoritate fuisse eiectum in exilium, suaque priuatum Sede, neque vt hanc recuperaret, Romani Pontificis auxilium impetrasse, sed à filio Constantini fuisse restitutum: Cùm deinde Eusebiani iterum accusationes in eum renouarent, non Athanasium, sed illos ipsos Iulio Romano Episcopo causæ arbitrium detulisse, & ab eo Synodum petijsse, Iulio rescribente, instum esse, vt vbicumque vellent, Synodum fieri. Vnde Iulium à partibus electum iudicem, potuisse equidem Eusebianos ad se euocare, & detrectantes damnare, ac Athanasium absoluere: neutrum tamen fecisse, nec vllum tulisse iudicium, sed audita Athanasij Apologia, suam cum eo communicationem confirmasse, & pro Episcopo habuisse, neque hoc feci sse solùm, sed Concilium ad Eusebianorum preces esse conuocatum; prout id constat ex literis Iulij apud Athanasium. Quia porrò Orientales falsò supponebant, Iulium id iudicium à se vltrò ipsi delatum vsurpasse, fuisse illos exinde conquestos, eum contra Canones, & regulas iudicasse: Iulio ea propter aduersùs Eusebianorum expostulationes factum suum defendente, eò quòd ab ipsis fuerit electus iudex, missis etiam ad se Legatis. In qua etiam defensione Iulium non suam, sed Concilij à se ad illorum preces congregati iactare auctoritatem, in vi cuius potuerint acta Synodi Orientalis in alia Synodo examinari: cùm præsertim Athanasius contra formam iudiciorum absens damnatus fuerat. Nec proindè Athanasium à Iulio Sedi suæ restitutum esse, sed in Occidente subsistisse, donec à Sardicensi Concilio restitueretur, Sardicensem verò Synodum retractasse Athanasij causam ex rescripto Imperatorum. Ipsum præterea Athanasium Occidentalium per Sardicense Concilium lato iudicio haud contentum, Orientalium quoque iudicium postulasse, & ab ijs cum subscribentibus epistolæ Synodicæ Concilij, tùm seorsim per eorũ literas esse pronuntiatum innocentem. Quibus ita se habentibus, facilè intelligi, [tum quòd Athanasius nihil egerit, ex quo concludere possit, eum ad Iulium appellasse, tum quòd Iulius nihil sanxerit, ex quo perspici possit, eum ius habuisse retractandæ causæ, sed iudicium in Athanasium latum fuisse necessariò irritum, quia factum fuerat ab extraneis contra formam iudiciorum per vim, & ambitum, eùm absens foret, cumque innocentia eius esset omninò manifesta, non solius Iulij, sed omnium Occidentalium sententia, additis etiam Ægyptiorum, & Orientalium quamplurimorum suffragijs.

Verùm ne historicæ contentioni immorando, longioribus hinc inde contradictionibus inuoluamur, sufficiat, paucis ob oculos hic ponere, quæ circa Athanasium purior fert relatio, quòd nempe è sua Ecclesia sæpè eiectus, sæpè etiam in eamdem, & Iulij Romani Pontificis auctoritate, & Constantis Imperatoris, Constantijque fratris patrocinio, decretis quoque Concilij Sardicensis, ac Hierosolymitani sit restitutus. Quo supposito, pergo ad argumentandum ex ipsissima Elliesij relatione. Dum enim hic Theologus ait, ab Eusebianis in Athanasium accusationes renouantibus fuisse Iulio Romano Pontifici delatum arbitrium, num credere fas est, hos Athanasij infensissimos hostes tantùm delaturos fuisse Papæ, nisi huius supereminentiorem existimassent authoritatem? Sed Synodum petijsse Papam, ait idem Elliesius? Cur hoc? Nisi quia in eius authoritate sciebant situm, vt Synodus Oecumenicum ex eo reciperet characterem. Et verò cùm idem Parisiensis Doctor fateatur, Iulium ab ipso etiam Athanasio fuisse electum Iudicem, quomodò hinc non paret eiusdem ad Romanum Pontificem recursus?

Dum autem reponitur, Iulium non aliter nisi quà Iudicem à partibus electum potuisse ad se vocare Eusebianos, detrectantesque damnare, ac Athanasium absoluere: quomodò in tantùm contra detrectantes præualere potuisset, nisi altiori potiretur Iurisdictione, qua inuitos constringere, imò damnare valuerat? Dum insuper Iulius, audita Athanasij Apologia, communicationem cum eo confirmauit, & pro Episcopo eum habuit, numquid authoritatis publicæ in Iulio actus contra Eusebianorum attentata hinc comprobantur? At id non à solo Iulio, sed vnà & Concilio eam ob causam congregato fa-

Pp ctum,

ctum, replicat Elliesius. Numquid verò istud quoque Concilinm dicere fas est, habuisse authoritatem ex solo arbitrio Ensebianorum? Hoc profectò cum sacro Euangelio repugnans, quàm nefariè asseritur, tam euidenter probat Iulij in Concilio Sardicensi congregando, & per Vicarium Christi characterem suum authorizando, Prouincialibus, vel quibuscumque siue legitimis, siue illegitimis Synodis supereminentem authoritatem, quam eo ipso venerati sunt, quotquot ex Orientalibus etiam Episcopis subscripserant Synodicæ Epistolæ, indeque Athanasium suis quoque litteris innocentem pronuntiarunt.

Sextò. Vnum prætereà in causa Athanasij sibi objici posse, ait Elliesius, quòd nempe Iulius in sua Epistola videatur innuere, non licuisse Orientalibus, Athanasium damnare absque sua authoritate. Nam si, inquit, [vt dicitis, omninò in culpa fuerunt, oportuit, secundùm Canonem, & non isto modo, iudicium ferri, oportuit, scribere omnibus nobis, vt ita ab omnibus, quod iustum esset, decerneretur.] Et posteà. [An, inquit, ignari estis, hanc consuetudinem esse, vt primùm nobis scribatur, vt hinc, quod iustum est, definiri possit. Quapropter si isthic huiusmodi suspicio in Episcopum suscepta fuerat, adhuc ad nostram Ecclesiam referri debuit.] Quid clarius scribi potuisset ad demonstrandam Sedis Apostolicæ super causis Episcoporum authoritatem?

At excipit ille Parisiensis Theologus, [Iulium non loqui de sua sententia, sed de omnium Occidentalium consensu: queri enim, quòd Orientales Athanasium Antistitem sinè consensu Occidentalium, imò his inscijs, damnassent. Hinc reciprocam ab Orientalibus factam esse querelam: quòd hanc nouitatem molirentur (Occidentales) inducere, quam horret vetus consuetudo, vt in Concilio Orientales Episcopi, quod fortè statuissent, ab Occidentalibus refricaretur.] Prætendisse igitur Orientales, se pares haberi cum Occidentalibus, quorum iudicia in Nouatum v. g. Sabellium, & Valentinianum lata, siuè nouo examine fuerint confirmata ab Orientalibus.

Verùm hæc ipsa Elliesiana exceptio egregium pro intento nostro præbet argumentum. Cur enim Iulius Pontifex succensuisset Orientalibus, quòd absque communi Occidentalium quoque consilio in causis grauioribus statuendi potestatem sibi arrogauerant, dum tamen Orientales è contra, Occidentalibus vnà cùm Papa fidei Dogmata Conciliariter sancientibus, nullam refricandi causam & potestatem habebant: nisi quia illis, contra quas Iulius conquestus fuit, Orientalium Synodis defuerat authoritas Pontificia, vnicus Concilij qua Oecumenici character, Christum eatenus vicariè representans, vt exindè Synodus in nomine Christi congregata dici valeat, potiri infallibili Christi, & Patris Æterni, una ac Spiritus Sancti assistentia? Non est igitur paritas inter præcisam Orientalium Synodum tali vicario Christi charactere destitutam, & Occidentalium (inter quos Papa recensetur) Concilium authoritate Christi vices gerente insignitum.

Septimò. Inseruit instituto nostro exemplum Eustathij Sebasteni. Hic depositus in Synodo Constantinopolitana, & ab Arianorum factione vexatus, Romam confugit ad Liberium, à quo literas obtinuit, per quas restitueretur; vti habet S. Basilius Epist. 74. At Elliesius præs. pag. 163. hoc Basilij Magni testimonium refutare nititur, asserendo, [Eustathium non venisse in Occidentem ad Liberium, vt restitueretur, quippe qui depositus non fuerat à legitimis Iudicibus, sed à Synodo Constantinopolitana Anni 359. quæ erat Acacianorum.] Numquid verò authoritatis supereminentis est, non tantùm contra Iudiciariam sententiam inferioris legitimi Iudicis, sed etiam contra vim alterius per violentiam sibi vsurpantis iudicium, facere restitutionem illius, qui passus est iniuriam? Quòd autem Liberius eum non priùs Sedi suæ restituerit, quàm fidei Nicænæ de Liberij mandato emiserat professionem, vtpotè qui suspicionem hæreseos ex Semiarianorum ad Liberium legatione incurrisset; hoc rursus probat, huius Pontificis in ipsis etiam fidei causis authoritatem, in vi cuius idem Eustathius receptus in communionem, & tamquam vetus Catholicus Tyanensi Synodo per Liberium declaratus, meritò ab hoc Concilio obtinuit executionem mandati Pontificij, de ipso in Sedem suam restituendo, & sic à Liberio restitutum fuisse, optimè scripsit prædictus Basilius.

Octauò. Paris argumenti energiam adfert exemplum Maximi Episcopi, qui Constantinopoli pulsus, ad Occidentales confugiens, in Synodo, quæ videbatur ex totius orbis Episcopis præscripta, causam suam egit. Nec obest, Occidentales solos cum Summo Pontifice non eatenus sibi vsurpasse iudicium, quin Orientales in communis arbitrij consortium vocauerint. Etenim Oecumenici Concilij per Christum Matth. 18. instituti natura penitùs inspecta, ita est vniuersorum, ac quorumcumque Sedis Apostolicæ communionem obtinentium Episcoporum par suffragium, seu paris in Concilio arbitrij consortium, vt eorum tamen iudicium haud subsistat, nisi ex accessu authorizatiui per Papam, Christi vicarium nomen præferentem præstiti consensus. Et hinc dum Maximus exemplo Athanasij, & aliorum Orientalium Episcoporum ita confugit ad Occidentales, vt hi paris cum Orientalibus arbitrij consortium, non nisi sub vicario Christi charactere Papæ proprio intrà Generale Concilium pro causa illa decidenda expeterent, manifestum hinc redditur, illud Maximi ad sublimiorem auctoritatem confugium, vel maximè respexisse Romanum Pontificem seu Caput eiusmodi Generalis Concilij. Et hinc conficitur, quàm indebitè Orientales, postquàm in Synodo Constantinopolitana Flauianum deposuerant, reclamantibus Occidentalibus, atque Concilium Generale pro ea causa examinanda postulantibus, contenderint. Nectarium loco Flauiani à Constantinopolitana Synodo substitutum, secundùm Canones Nicænos esse manutenendum, quippe cùm isti Canones, velut in antecedentibus extat probatum, nullatenus exclusam vnquam voluerint Concilij Oecumenici, per Vicarium Chri-

Christi characterem auctorizati, omnibus seu Diœceseon, seu Prouinciarum Synodis supereminentis ex Papa simul qua Capite, & totius Christiani orbis Episcoporum conuocatorum, in pauciori licet numero comparentium Hierarchico Ecclesiæ sanctæ corpore subsistentis auctoritatem. Sic sic adeò Elliesius suis machinationibus haudquaquã præualere potest, quin semper superemineat Papæ, seu Capitis Ecclesiæ, Apostolica Christi vicaria auctoritas.

Nonò denique hìc occurrit S. Ioannis Chrysostomi exemplum, ex Elliesio pag. 166. verbis sequentibus referendum ac explicandum. Nempe sanctus hic Episcopus in Synodum ad Quercum vocatus, iudicium istud recusauit, hanc præcipuè ob causam, quòd [oporteat, in quibuscumque Prouincijs negotia tractari, nec adeò congruum sit, vt hi, qui in Ægypto sunt, iudicent eos, qui in Thracia.] Cuius tamen, aliarumque contestationum nulla habita ratione, cùm Chrysostomus abdicaretur absens, ad maiorem Synodum prouocauit. Hinc reuocatus ab Imperatore, cùm suæ ad Synodum maiorem appellationi insisteret, hisce minimè attentis, ab altera Synodo fuit damnatus, eò quòd iudicatus à Synodo, sinè alterius Synodi auctoritate Sedem suam recepisset, post quam damnationem eiectus, cùm nihil reliquum esse sibi videret, literas ad Innocentium Romanum Pontificem scripsit, quibus obsecrabat, vt ab eodem Papa rescriberetur, [quòd hæc tam iniquè contra se absentem, & iudicium non declinantem facta non habeant robur: sicut neque natura sua habeant: illi autem, qui nec conuicti fuissent redarguti, neque habiti vti rei, communione fruerentur.] Quibus ita se habentibus, concludit dictus Parisiensis Theologus, ex ijs, quæ in causa Chrysostomi gessit Innocentius, probari, [eum sibi non arrogasse ius rescindendi iudicij in eum lati, sed quòd contra Canones esset factum, ipsaque adeò natura sua irritum, solummodò improbandi: quale iudicium, teste Gelasio Epist. ad Faustum non solùm Apostolico Præsuli, sed cuicumque Pontifici facere licere.

Verùm accuratiori trutina expendendum relinquo ipsimet Elliesio: si Episcopus à Synodo, non attentis vllis etiam de incompetentia Fori contestationibus, iudicisque suspecti recusationibus, indebitè, ac per vim depositus, prouocet ad maiorem Synodum, nec ab Imperatore reuocatus, à sua ad maiorem Synodum appellatione desistere volens, coram altera proinde Synodo eapropter aggregata damnetur, [eò quòd iudicatus à Synodo, sine alterius Synodi authoritate Sedem suam recepisset: indeque eiectus ad Romanum Pontificem recurrat eidem supplicando, vt rescribat, quòd talia, reo etiam absente, & iudicium non declinante, tam iniquè facta nullum habeant robur, sicuti ipsa etiam natura vigorem non obtineant, ideoque illi, qui iniquè egerunt, pœnæ Ecclesiasticarum Legum subiaceant, ipse verò reus nec conuictus, nec redargutus, nec habitus tamquam reus, literis dicti Romani Pontificis declaretur innocens, ad aliorum, prout antea fruebatur, societatem admittendus: Pontifex autem sic requisitus iudicium à Synodis dicto modo latum ceu contra Canones factum, & natura sua irritum improbet, an non hæc improbatio auctoritatem Synodis supereminentem probet? Quomodò enim quis superiori eiusmodi potestate carens, cum aliqua efficacia (vel absque ludibrio in ipsum relapsuro) per literas Apostolicæ etiam Cathedræ characterem præseferentes, facere posset talem authenticam iudiciorum à Synodis latorum, seu sacris Canonibus repugnantium, ipsaque adeò natura sua irritorum improbationem, iurisdictionis, ac Processus Iudiciarij substantialium in prioribus iudiciibus, integris etiam Synodis, defectuum declaratoriam?

Excipit equidem Elliesius, ex Gelasij Epist. ad Faustum sententia non solùm Præsuli Apostolico, sed cuicumque Pontifici licere talem facere improbationem iudicij, contra Canones facti, ipsaque adeò natura sua irriti declaratoriam.

At hoc discriminis est inter Apostolicum, alterumue Præsulem, quòd hic intra suam solummodò sphæram in ordine ad iudices sibi subordinatos, ille verò contra Episcoporum etiam Synodos, suæ adeò Apostolicæ auctoritati de iure subiectos tale, quid facere possit. Cùm igitur in causa Sancti Chrysostomi status ita se habuerit, quemadmodùm superiùs fuerat repræsentatus, prorsùs euincitur inde, Romani Pontificis super Synodis (formaliter saltem non Oecumenicis) quibuscumque supereminentia, vt proinde recursus ad illum prætacto modo facti, & hinc iudiciorum anteactorum, qua cum sacris Canonibus pugnantium, & natura ipsa irritorum declaratoria improbatio, in Papa præferant clarum superioris iudiciariæ auctoritatis, appellationumque adeò admittendarum iuris argumentum.

§. III.

Expenduntur exempla Appellationum quæ circa causas Africanorum Episcoporum proferri solent.

PRimò ad præsens institutum producitur causa Cælestij Pelagiani, qui in Synodo Carthaginensi anno 412. damnatus, ab Africanorum sententia appellauit ad Innocentium Romanum Pontificem. Qua appellatione minimè obstante, nec exspectato Innocentij, ad quem fuit appellatum, iudicio, ait Elliesius præf. pag. 172. Africanos iterum damnasse Cælestium: quod argumento esse, Innocentium non admisisse appellationem Cælestij, cùm cæteroqui posterius Africanorum iudicium haud comprobasset, sed aut ipse de Cælestio sententiam tulisset, aut indices in Prouincia dedisset.

Verùm & hoc superioris in Iudice, ad quem auctoritatis argumentum est, si appellatione ad se interposita, vel hanc non acceptet, vel sententiam à priore Iudice latam comprobet, permittendo etiam Iudici à quo

facultatem, vt ſententiam à ſe priùs latam recenſeat, & confirmet. Mortuo equidem Innocentio, ad eius ſucceſſorem recurrebat Cæleſtius, nouum (vti Elliesſius fatetur) ab eo petens examen, ſuamque prætexendo innocentiam, non parum fauentem obtinuit Epiſtolam, qua citabantur Africani ad ipſum accuſandum: quibus non comparentibus, grauiter expoſtulauerat Zoſimus, vt propterea Epiſcopi Africani in vnum conuenientes, Cæleſtij & Pelagij errores anno 417. damnauerint, & apud Zoſimum conqueſti fuerint, nimiam ab ipſo eſſe fidem Cæleſtio adhibitam, miſſis ad eumdem cauſæ actis, ſeu geſtis cum Cæleſtio. Vnde Pontifex ille æquior factus, poſtquàm Sedis Apoſtolicæ commendauerat auctoritatem, negabat, ſe in omnibus Cæleſtio fidem accommodaſſe, conteſtando præterea, ſe nihil definiuiſſe, aut ſine maturo examine definiturum eſſe.

Quibus proinde, iuxtà ipſius etiam Elliesſij relationem, ita ſe habentibus, an non hinc apparet prævalidum iuris ad Sedem Apoſtolicam appellandi argumentum? Maximè cùm Iudicij ab Africanis Epiſcopis lati examine per Cæleſtium perito, illi fuerint per Zoſimum citati, & licèt non comparuerint iuxtà terminum præfixum, quòd ſcilicet Synodus, quæ Cæleſtium damnauerat, tam citò haud potuiſſet denuò conuenire ad cauſæ ſtatum communi voto Pontifici Papæ reſcribendum: nihilominùs quia hæc ipſa Synodus, præhabito communi conſilio, cauſæ acta, & cum Cæleſtio geſta miſerat ad Zoſimum, manifeſtè hinc euincitur; ab illius Prouinciæ Epiſcopis agnitam fuiſſe Romani Pontificis in cauſis, per appellationem ad ſe delatis auctoritatem iudiciariam, quam ipſemet quoque Zoſimus claris verbis conteſtabatur, quando Apoſtolicæ Sedis auctoritatem ſuo reſcripto commendans, aſſeruit, ſe nihil definiuiſſe, aut ſine maturo examine definiturum eſſe. Quomodo enim hoc dicere ipſi licuiſſet, niſi ex actis ad ſe tranſmiſſis meliùs informatus (ipſomet iterùm Elliesſio fatente) cauſæ illius definiendæ poteſtatem in ſe agnouiſſet? Imò quia hic Pontifex ad iudicium poſteà vocauit Cæleſtium, atque hunc adeſſe renuentem, ex vrbe profugum prædamnauit, an non iudiciariæ ſuæ auctoritatis euidens tunc ſpecimen dedit?

Secundò. In ijs quidem, quæ deinceps quoad appellationis iura inter Romanos Pontifices, ac Africanos Epiſcopos agitabantur, ipſimet etiam noſtratum temporum Neoterici, auſam præripiunt, aſſeuerandi, Concilium Carthaginenſe anno 419. celebratum appellationes tranſmarinas ad Sedem Romanam exploſiſſe:

Verùm appellationes Epiſcoporum à Concilio Prouinciali ad Sedem Romanam fuiſſe illo etiam tempore ab Eccleſia Africana ratas habitas, conſtat ex ſancto Auguſtino Epiſt. 162. & 261. in quorum priori dicitur, ius fuiſſe Carthaginenſi Epiſcopo ad Romanam Eccleſiam, in qua ſemper viguerit Apoſtolicæ Cathedræ principatus, prouocare, cauſamque ſuam ibi dicere. In poſteriori autem recenſentur aliquot exempla appellationum ab Epiſcopis Africanis ad Sedem Romanam interpoſitarum, & ab hac ſancta Sede iudicatae, vel iudicia primæ inſtantiæ (vti Auguſtinus citatus loquitur) firmantè terminatarum. In qua porrò epiſtola hic ſanctus Eccleſiæ Doctor apertis verbis defert appellationem cauſæ ad Sedem Romanam interpoſitæ.

Tertiò. His prælibatis, agendum nobis eſt cum Elliesſio præſ. Differt. 2. pag. 174. multis recenſente Apiarij Presbyteri à ſui Siccenſis Epiſcopi iudicio contra ſe lato recurſum habentis ad Zoſimum Romanum Pontificem. Ex quo recurſu magna Africanorum, arbitrantium, Papam in recipiendo Apiario, antiquos violaſſe Canones, eſt facta commotio, fuitque propterea aggregata magna eorumdem Epiſcoporum Synodus, in qua Apiarius non quidem Eccleſiæ Siccenſi reſtituebatur, honor tamen presbyterij eidem fuit ſeruatus, graui hinc inter Africanos, & Romanum Pontificem exorta controuerſia circa Epiſcoporum appellationes, & formam iudicandi Clericos, pro cuius controuerſiæ deciſione Pontificij Legati ad Synodum illam deſtinati ſeptimum Canonem Sardicenſem ſub nomine Nicæni Concilij allegabant, vbi verò iſte Canon neque in ſuis, neque in alijs ab Alexandrino, & Conſtantinopolitano Antiſtite ad ſuam inſtantiam tranſmiſſis dictæ Synodi Nicænæ exemplaribus fuiſſet repertus, in malam partem ab Africanis Epiſcopis accepta fuit ea Pontificiorum Legatorum allegatio.

Verùm Sardicenſe trecentorum ſeptuaginta ſex ex triginta ſex Prouincijs vniuerſi Orbis Chriſtiani Epiſcoporum Concilium, æquè ac Nicænum fuiſſe Oecumenicum ac legitimum, conſtat ex ſancto Athanaſio in princ. Apol. 2. Auguſtino Epiſt. 165. Sulpitio lib. 2. ſac. hiſt. Socrate lib. 2. cap. 16. hiſt. Eccleſ. ac ex actis Concilij præſertim in fine: nec adeò aliquis auctoritatis maioris fucus fieri potuiſſet, etiamſi Canon à Sardicenſi Concilio editus ſub nomine Nicæni Concilij eſſet allegatus. Et verò Concilium Sardicenſe nullibi ponitur ſeparatim à Concilio Nicæno, ſed poſt illud ſecundo loco ſtatim numeratur Conſtantinopolitanum. Quæ igitur huius eſt ratio? niſi quia Sardicenſis Synodus cum Nicæna cenſetur vna & eadem, partim quòd vtrique interfuerint ijdem ferè Patres, nihilque aliud in Sardicenſi Concilio conſtituerint, quàm quòd Nicænam Synodum confirmarint, eiuſque Canones dumtaxàt explicatint; partim quòd Canones vtriuſque Concilij, Sardicenſis nimirum, ac Nicæni in Romana Bibliotheca, & in quodam exemplari Concilij Nicæni, quod Dionyſius ante mille annos è Græco conuertit, quodque etiamnum adhuc Atrebati in Monaſterio ſancti Vedaſti extat, ita coniuncti habeantur, quaſi vnius Concilij Canones eſſent, ex tom. 1. Concilior. edit. Colon. pag. 446.

His taliter conſtitutis, pro quarto, Synodus Africanorum Epiſcoporum Sardicenſis Concilij Canonibus circa Epiſcoporum, & Clericorum iudicia diſponentibus meritò detuliſſet non illo dumtaxàt intermedio tempore, quo ex Alexandrino, & Conſtantinopolitano Antiſtitibus exquirebantur Concilij Nicæni exemplaria, ſed licèt iſthæc non complectebantur ſeptimum, ac reliquos in Sardicenſi

censi Concilio postmodùm sancitos Canones, isti nihilominùs, ceu ab Oecumenica Synodo compare Concilio editi, fuissent recipiendi à Patribus Africanis, quos tamen è contrario, ait Elliesius, peremptorio statuisse decreto, [non esse tolerandas Episcoporum ad Romanum Pontificem appellationes, nec Clericorum improba refugia probanda esse;] talibus in hanc sententiam literis sub Aurelij, aliorumque Concilio Carthaginensi antehàc præsentium nomine ad Cælestinum Papam rescriptis: quòd scilicet impendio deprecarentur, ne ad Romanam Sedem ex Africa venientes faciliùs admittantur, nec ab Africanis excommunicati, à Papa excipiantur in communionem: cùm hoc etiam Niceno Concilio definitum facilè aduerti queat; quamuis enim de inferioribus clericis, vel laicis videatur ibi præcaueri, quantò magis hoc de Episcopis voluisse obseruari, ne in sua Prouincia à communione suspensi, vel præproperè, vel indebitè videantur à Pontifice communioni restitui. Subdebatur ibidem deprecando eumdem Cælestinum, vt Presbyterorum quosque, & sequentium clericorum improba refugia repellat, [quia & nulla Patrum definitione hoc Ecclesiæ derogatum est Africanæ, & Decreta Nicæna, siue inferioris, siue superioris gradus clericos, siue ipsos Episcopos, Metropolitanis apertissimè commiserunt, prudentissimè enim, iustissimèque viderunt, quæcumque negotia in suis locis, vbi orta sunt, finienda, nec vnicuique Prouinciæ gratiam sancti Spiritus defuturam, qua æquitas à Christi Sacerdotibus, & prudenter videatur, & constantissimè teneatur: maximè quia vnicuique concessum est, si iudicio offensus fuerit Cognitorum, ad Concilia suæ Prouinciæ, vel etiam Vniuersale prouocare.]

Hæc igitur sunt, in quibus præallegatus Doctor Parisiensis tantoperè gloriatur, ac si Cælestinus videns, Afros Episcopos ius suum tam constanter tueri, à proposito deterritus esset, [vtpotè qui non ampliùs fuerit conatus Apiarium restituere; nec Legatos in Africam miserit, nec appellationes Episcoporum susceperit, nec Clericos Afros ad se confugientes, restitui curauerit, nec tamen propterea ab illorum communione discesserit, sed se ab ijs victum esse, haud ægrè passus fuerit.]

Verùm mi Elliesi, quid sibi vult, quòd Africani Episcopi sint solummodò deprecati Cælestinum, ne faciliùs (non absolutè ac omnimodè) admittat Transmarinorum ad Sedem suam recursus? Num hi ipsi fortassis Antistites in quinto Nicæni Concilij Canone animaduertebant, dum in hoc extat statutum, ne, qui abijciuntur, seu excommunicantur, ab alijs recipiantur; per vocem ab alijs (similium scilicet repetitiuam) illo Decreto Nicæno non imponi legem supereminentiori Apostolicæ Sedis auctoritati, sed suppari dumtaxàt potestati, ita vt Episcopo nefas sit, ab altero Episcopo, & à fortiori, à Synodo Prouinciali excommunicatum recipere? veluti apertè sonat sexti quoque Nicæni Canonis litera.

Quid rursùs sibi quintò vult, quòd in eadem Aurelij Pulchri, aliorumque fortassis Africanorum Episcoporum epistola expressè dicatur, Concilij Nicæni Decretum videri quidem de clericis Episcopo inferioribus, vel laicis præcauere, voluisse tamen hoc de Episcopis eatenus obseruari, ne in sua Prouincia suspensi, præproperè ac indebitè restituantur communioni? Quia porrò ipsissimis verbis istis Africani Episcopi expressè fatentur, literam præadducti Niceni Canonis non complecti Episcopos, sed Clericos hisce inferiores, attamen Decretum istud ex eiusdem Synodi mente extendendum esse etiam ad Episcopos, [ne si isti in sua Prouincia fuerint à communione suspensi, præproperè vel indebitè per Romanum Pontificem communioni restituantur,] numquid dicendum est, per huiusmodi restrictiuas voculas, non tam recursus ad Romanum Pontificem interdici, quàm Concilij Nicæni insinuationem exprimi, ne sub istis recursibus per præproperum, & indebitum iudicium fiat transgressio limitum, ipso etiam naturæ Iure requisitorum ad iudiciarij processus substantiam?

Dum prætereà in prætactis Africanorum Præsulum literis supplicatur Romano Pontifici, vt repellat Presbyterorum ac subsequentium Clericorum improba refugia, tum quòd [nulla Patrum definitione hoc derogatum sit Ecclesiæ Africanæ; tùm quòd Nicæna Decreta, siue inferioris; siue superioris gradus Clericos. siue ipsos Episcopos apertè commiserint Metropolitanis.

Num quia iuxta apertam Africanorum confessionem VI Concilij Nicæni interdicta refugia non nisi Presbyteros ac subsequentes Clericos complectuntur, fas erat, eiusmodi interdictum ad ipsos etiam Episcopos extendere? Quo etiam posito, minimè tamen concesso, dum secunda Generalis Synodus Can. 2. omnem rerum Ecclesiasticarum administrationem Synodo Prouinciæ iuxta Concilij Nicæni Decretum. asserit commissum, num dicere fas est, hanc Synodo Prouinciæ commissam administrationem priuatiuè ad sublimiorem etiam auctoritatem demandari, vt ne ad Oecumenicum quidem Concilium superesse possit recursus? Quod vti negabit Elliesius, ita fateri debebit. ex tali Canone non intelligi exclusum Apostolicæ auctoritatis sublimius iudicium.

Et hinc dum in ijsdem Africanorum literis subditur. [Decreta Nicæna ipsos etiam Episcopos apertissimè committere Metropolitanis, num dicere fas est, hanc commissionem ad sublimioris potestatis quæcumque tribunalia recursus per ipsam etiam rei naturam grauatis concessos interdicere. Quantumuis enim iustissimè, ac prudentissimè sit prouisum, vt quæcumque negotia in suis locis, vbi orta sunt, finiantur, ipsissimæ tamen illæ Africanæ literæ disertis verbis asserunt. vnicuique concessum esse, si iudicio Cognitorum fuerit offensus, posse ad Concilia suæ Prouinciæ, vel etiam Vniuersale prouocare. Quid ni ergo sit æquè concessum, ad Apostolicæ Sedis auctoritatem Concilio Prouinciali superiorem, & Synodo vniuersali haud inferiorem prouocare. Sicuti enim Concilium vniuersale non in eo statim loco, vbi negotium cœpit, celebrari potest; sic periude, ac in causa Cælestij faciebat Africanæ Prouinciæ Synodus ad Romanum Ponti-

tifi-

tificem mitti poterant acta, per quæ integer causæ status valeat dijudicari. Nullum ergo illis Africanorum Episcoporum literis solidioris rationis argumentum adduci potest, per quod Episcoporum ad Romanam Sedem appellationes expugnentur.

Sed pro sexto pergit Elliesius, Africanos Episcopos rogasse Pontificem, [ne fumosum sæculi typum in Ecclesiam inducat, mittendæ executores Clericos.


At quis sit iste mundi fumosus typus; constat ex S. Augustini Epist. 161. Nempe cùm Antonius Fussatensis Episcopus ab Episcopis Africanis ad Romanum Pontificem appellasset, causamque suam ibi egisset, rumor sparsus fuerat, de ipso per publicam militaris manus à Pontifice submittendæ potestatem restituendo. Quam proinde militarem manum ceu fumosum (vt Concilium Carthaginense ad Cælestinum Papam scripsit) siue tanquam violentum (vti Augustinus citatus scribebat) inter fratres dominatum deprecabantur Episcopi Africani. At ex hoc ipso clarè constat, ius appellationis ad Romanam Sedem non fuisse vocatum in dubium, sed de executionis modo (quem rumor publicus prædicebat) habitum fuisse recursum ad illius Sedis Pontificem.

Ad præsens intentum nostrum vlteriùs firmandum, pro septimo faciunt antiquissima appellationum ad Romanum Pontificem exempla, quorum in præcitata Diui Augustini Epistola fit rememoratio. Existunt (inquit hic sanctæ Ecclesiæ Doctor) exempla, ipsa Sede Apostolica iudicante, vel aliorum exempla firmante, quosdam pro culpis quibusdam nec Episcopali spoliatos honore nec relictos omnimodis impunitos; quæ vt à nostris temporibus remotissima non requiram recentia memorabo. Clamet Priscus Prouinciæ Cæsariensis, & clamet alius eiusdem Prouinciæ Victor, & clamet tertius eiusdem Prouinciæ Laurentius &c.

Sed hoc Diui Augustini tam disertum testimonium elidere nititur Elliesius præf. pa. 184. dicendo, hæc oratorio more, & captandam Cælestini gratiam, fuisse scripta, quam ob causam Augustinum minimè commemorare antiqua exempla, sed tantùm recentia, quæ nihil sibi obsint, cùm eo contigerint tempore, quo fiebat conquisitio Græcorum exemplarium Nicæni Concilij, ad videndum, an Canon à Legatis Pontificijs allegatus, verè sancitus esset à dicta Nicæna synodo.

Verùm idem Elliesius meminisse hîc debuerat, quod pag. 178. scripserat, non diu post illam conditionem, (quâ Africani promiserant, se appellationibus ad Romanam Sedem delaturos, vsque dum ex Græcia afferentur Nicæni Concilij exemplaria) nempe eodem adhuc anno à Græcis Antistitibus fuisse in Africam transmissa illa exemplaria. Quomodò igitur dicere fas fuit, intra tam breue interuallum contigisse vniuersa illa recentia appellationum à Diuo Augustino ad suum de Fussatensi Episcopo iudicium firmandum recensita exempla? Quod verò de isthoc sanctæ Ecclesiæ Doctore dictum fuit ac si oratorio tantùm more ad captandam Cælestini gratiam, locutus fuisset in rememorandis antiquis appellationum ad Sedem Romanam exemplis, videtur exceptio hæc prorsus indigna, Doctore Theologiæ Parisiensis Facultatis.

Reliqua Articuli tertij omittuntur. Cætera aliorum Tractatuum integra sunt, quæ ideò ponuntur hoc ordine.



ARTI-



ARTICVLVS PRIMVS.

De Romani Pontificis erga Reges, ac Principes seculares Auctoritate.

§. I.



CAVSÆ huius statum præliminariter exponit Auctor Regalis Sacerdotij lib. 1. §. 1. asseuerando, quòd prima Parisiensis propositio omnem in Reges potestatem adimat Vicario Christi, iubeatque vna claue contentum, qua Cælum aperit, alteram terræ destinatam Regibus relinquere, cùm tamen cælestium tanta sit cum terrestribus coniunctio, vt Principes eodem sceptro, quo Regna moderantur, Religionem simul, fidemque aut concutiant, aut custodiant. Quemadmodùm igitur ægro corpore, anima quoque laborat, nec operationibus naturæ congruis defungi potest: sic ægra, corruptaque Republica, non potest Religio florere, quod nimiùm demonstrant exempla eorum Principatuum, in quibus ex Principum erroribus, inertia, mutationeque Religionis, eadem mala in populos deriuata sunt, & tandem cum animarum tanta, æternaque clade, fides Catholica penitùs deleta. Non potuit ergo Summo Ecclesiæ Pastori vna potestas sine altera concedi, spiritualis videlicèt sine temporali, cùm vnam sine altera tueri non possit.

Subdit idem Auctor, hanc tamen Summi Pontificis in Reges potestatem non esse directam, & ordinariam, idque probat ipsorum Pontificum confessione: Nicolai scilicet I. in epist. 8. ad Michaelem Imperatorem. Stephani Papæ VI. in epist. ad Basilium Imperatorem. Gregorij II. ad Leonem Isauricum Imperatorem. Item Alexandri III. relati in cap. 7. De appellat. Et cap. 7. Qui filij sint legitimi.

Summi Pontificis indirectam erga Reges auctoritatem sacri aduersùs hæreticos vindicati Concilij Tridentini Inextincta Veritas tom. 3. in præfatione sic explicat, vt illius Auctor probabiliter habeat sibi persuasum, à Clero Gallicano haud quaquam fuisse intentum, quòd eam erga Reges Apostolicam auctoritatem penitùs denegaret Romano Pontifici, sed quòd illa dicti Cleri declaratio ad eum esset reducenda statum, quem sacra Scriptura simul, & ratio ibidem exposita suggerit. De quo inferiùs in finali huius Articuli Corollario differendi maior occurret opportunitas. Intereà, quam in præsenti Articulo discutiendam suscipimus propositionem, sub hisce formalibus verbis expressam accipe.

[Beato Petro, eiusque successoribus Christi Vicarijs, ipsiusque Ecclesiæ, rerum spiritualium, & ad æternam salutem pertinentium, non autem ciuilium, aut temporalium à Deo tradita est potestas, dicente Domino: [Regnum meum non est de hoc mundo.] Et iterum: Reddite ergo, quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo; ac proinde stat illud Apostolicum: Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: non enim est potestas, nisi à Deo, quæ autem sunt à Deo, ordinata sunt: itaque qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit. Reges ergo, & Principes in temporalibus nulli Ecclesiasticæ potestati Dei ordinatione subijciuntur, neque auctoritate clauium Ecclesiæ directè, vel indirectè deponi, aut illorum subditi à fide, atque obedientia, ac præstito fidelitatis Sacramento solui possunt. Eaque sententia publicæ tranquillitati necessaria, nec minùs Ecclesiæ, quàm Imperio vtilis, & Verbo Dei, Patrumque traditioni, & Sanctorum exemplis consona omninò retinenda est.]

Circa quam proindè propositionem sequentes hic occurrunt disquisitiones, accuratiori methodo Theologica discutiendæ. Prima; Vtrùm, & in quantum ex sacris Literis demonstrari possit Romani Pontificis in Reges auctoritas Apostolica? Secunda; In quantum hæc potestas ostendatur ex Sacris Canonibus? Tertia; In quantum ex sacris Concilijs? Quarta; In quantum ex historijs Ecclesiasticis, actisque Summorum Pontificum? Quinta; Qualiter ex Patribus, Doctoribusque Ecclesiæ probetur? Sexta; Quid ratio valeat pro euincendo isthoc intento?

DISQVISITIO I.

Vtrùm, & in quantum ex sacris Literis demonstrari possit Romani Pontificis erga Reges auctoritas Apostolica?

§. I.

AD veritatis centrum maiori cum energia eruendum, secundùm methodum Scholastico Theologicam, plurimum iuuat, aliorum Doctorum sententias in prima cuiusque disquisitionis fronte proponere, ac super argumentis tum aduersariorum, tum nobiscum sentientium Theologorum talem facere reflexionem, vt ex intimo rei propositæ fundamento veritas tandem possit erui, ac magis stabiliri. In quem finem hic ponimus ob oculos, quæ Auctor tract. de libert. Ecclesiæ Gallicanæ lib. 4. cap. 3. expendit sub ista quæstione: [An scilicet Verbo Dei consona sit sententia; Reges in temporalibus ab omni Ecclesiastica potestate omninò subducens?] Cuius quæsiti resolutionem sequentem adfert præcitatus Auctor. Meum non est (inquiens) certos limites præfigere alterutri potestati: hoc tantùm probare contendo, non posse Principes, etiam in temporalibus, prout ordinem habent ad spiritualia, omninò Ecclesiasticæ potestati subduci. Sed qui veras olim libertates Ecclesiæ Gallicanæ coram Philippo VI. Rege Francorum Anno 1329. tanta cum laude propugnat Petrus Bertrandi Episcopus Eduensis tractatu de origine iurisdictionum quæst. 3. respondet; [Ad tertiam rationem, inquit, de Christo, qui abiecit à se, vt dicunt, omnem iurisdictionem temporalem, dicendum est, quòd, qui dicit, Christum non habuisse omnem potestatem sæcularem, seu temporalem, & spiritualem, contradicit eius verbo Matth. cap. vlt.] Data est mihi omnia potestas in Cælo, & in terra. Et Apocal. 1. dicitur Princeps Regum terræ. [Et infra; Verumtamen, quia principaliter venerat nos redimere, & saluare, quasi omnes actua eius versabantur circa eruditionem nostram, & pauci, aut nulli circa exercitium cuiuscumque iurisdictionis; non quòd vtramque potestatem non haberet, sed vt saluti nostræ totaliter se impenderet, sicut dicit Ioann. 3. Non enim misit Deus Filium suum in mundum, vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum. Expleto autem sacramento nostræ salutis per mortem Christi, & eius resurrectionem, Christus commisit Petro regimen eantum, quantum necessarium erat, & expediebat, eum regimine Ecclesiæ. Et quia vtraque potestas temporalis, & spiritualis est ad hoc necessaria, ideo vtramque potestatem commisit Petro.

Qui ergo dixit Ioann. 18. quod primo loco in declaratione refertur; [Regnum meum non est de hoc mundo,] dixit Matt. 28. [Data est mihi omnis potestas in Cælo, & in terra: Euntes ergo docete omnes gentes.] Itaque cùm verum vero contrarium non sit, multò minùs prima, & suprema veritas, sibi ipsi duo hæc oracula ita concilianda sunt, prout vtriusque circumstantiæ postulant. Christus, cùm hæc verba proferret, [Regnum meum non est de hoc mundo.] ad mentem Pilati respondebat interrogantis, an esset Rex Iudæorum, eiusmodi scilicet, quales extiterunt Saul, Dauid, & alij, qui per se ipsos populum regebant in rebus politicis, bella gerebant, & cætera omnia implebant Principis sæcularis munia. In eo igitur sensu negauit Christus, Regnum suum esse de hoc mundo. At verò cùm Apostolis officium imponeret docendi, & baptizandi, ne dubitarent, collatam cum officio plenam auctoritatem, quæcumque ad spirituale regimen necessaria essent, præstandi, non solùm in Cælo, sed & in terra datam sibi omnem sine exceptione potestatem asseruit. Ex primis enim verbis, [data est mihi omnis potestas in Cælo, & in terra,] quasi concludendo infert: [Euntes ergo, &c.] quia potestas Ecclesiastica directè ac præcipuè circa spiritualia versetur, circa temporalia autem nonnisi, quatenus spiritualia requirunt.

Itaque Apostoli, eorumque successores ex Dei ordinatione Regalia officia non exercent, atque adeò rectissimè cum Christo dicunt; [Regnum meum non est de hoc mundo.] Hinc tamen nulla legitima consequentia infertur, non posse Christi Vicarios, & Apostolorum successores, Reges, & Principes, præsertim cùm iam per characterem baptismalem Ecclesiæ filij facti sunt, eique subditi, si fidei, ac Religioni perniciem afferunt, monere, compescere, ac medijs congruentibus, & efficacibus impedire, ne potestate temporali abutantur contra Supremi Regis cultum, & obsequium. Nec in hoc Reges, sed Apostolos, & Pastores agunt. Vnde qui hanc Ecclesiæ potestatem impugnant, æquivocatione colorem suæ sententiæ obducunt, quasi potestas Ecclesiæ ad arcendos ab euertenda Religione Principes sibi per baptismū subiectos, etiam per absolutionem subditorum à iuramento fidelitatis, deficientibus alijs remedijs, idem esset, quod posse Regna sibi adscribere, atque instar Principum ipsorum regnare.

Addunt secundò Illustrissimi Antistites, dictum esse à Domino, Reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo, Matthæi 22. versic. 21. sed illius oraculi primam partem secunda exponit. Quis enim negat; reddenda esse, quæ sunt Cæsaris, Cæsari, dummodò reddantur, quæ sunt Dei, Deo, quorum alterum alteri contrarium non est, licèt hominum vitio interuertantur. Verùm si Cæsar non solùm, quæ Dei sunt, Deo non reddat, sed subditos etiam suos à fide solemniter Deo promissa reuocet, ac per vim retrahat, nonne poterit, qui Dei vice fungitur, nisi aliundè mala grauiora timeantur, fidelibus declarare, obediendum Deo magis, quàm hominibus, iuxta oraculum Principis Apostolorum. Act. 5.

At, inquies, hinc tantùm sequi, non esse patendum Principi aliquid contra Deum præcipienti, non autem propterea, in alijs ab eius obedientia recedendum, cùm vtrique satisfieri

fieri possit; si, vt Christianos decet, bonorum, aut etiam vitæ iacturam patiantur, ne vel Deum offendant, vel à Principe desciscant. Landabile quidem id foret. Sed quotusquisque nunc est, qui tanto Christi amore incensus, tanto rerum temporalium, ac vitæ contemptu præditus sit, vt paupertatis, exilij, ac mortis metu à Dei seruitio non deterreatur, cùm tot videamus minora mala reformidantes, aut caduca bona sperantes ad Principum, quàm ad Dei mandata promptiores. Nonne igitur, vt innumerorum hominum ruinæ occurreretur, liceret Ecclesiæ, Christiano Principi, pluries monito, contumaci, & incorrecto potestatem nocendi adimere, ac populos ab eius tyrannide subducere, si hoc sine maiorum malorum periculo fieri posset?

Profertur caput 13. epistolæ beati Pauli ad Romanos, [omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, &c.] Sed se ipsemet Apostolus explicat, addens; [nam Principes non sunt timori boni operis, sed mali, vis autem non timere potestatem, bonum fac? & habebis laudem ex illa: Dei enim minister est tibi in bonum, &c.] Quid ergo si Principes sint timori boni operis, non mali? Si timenda sit potestas bonum facienti? Si diaboli minister sit in malum?

§. II.

Referuntur, ac expenduntur Aduersariorum argumenta, vnà cum responsionibus, & conclusione super eisdem reflexiua.

ARGVMENTVM I.

Aduersariorum.

EX parte Cleri Gallicani licet 1. argumentari. Regia potestas immediatè subsistit ex Dei ordinatione, iuxtà illud Roman. 13. [Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: non est enim potestas nisi à Deo, quæ autem sunt, à Deo, ordinata sunt; Itaque qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit.] Ad quam Dei ordinationem vtique respiciebat Christus, Matth. 22. præcipiens: [Reddite, quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo.] Eadem ex ratione Petrus 1. suæ epistolæ cap. 2. iussit: [Obedite Regibus etiam discolis.] Nequit ergo Pontifex Imperium Regibus abrogare, maximè cùm etiam discoli Principes tolerandi sint in tantum, vt oporteat, ipsis obedire.

Responsio.

Auctor Regalis Sacerdotij præf. §. 18. num. 2. respondet. Isthæc vniuersa verissima esse ordinariè, ac pro casu, de quo loquuntur illi sacri textus, vt nemo videlicet subditorum, obtentu Reipublicæ malè administratæ, possit in suos Principes insurgere, absurdissimum enim videri, & plenum latrocinijs, singulis priuatorum, aut ignorantia, aut odio, aut cupiditate correptis, arbitrium, & ius in suum Principem committere, hoc enim remedium esse extremis periculis reseruatum, nec alia, quàm Pontificis Maximi manu applicandum, de quo proinde textus citatos nihil loqui, & ideò nihil probare, cùm non possint magis probare, quàm loquantur.

Obiectio.

Instabit pars aduersa, vt exprimatur casus ille extraordinarius, quo per sacras Scripturas liceat Summo Pontifici insurgere sua auctoritate in seculares Principes.

Responsio.

Hoc sequentibus paragraphis ex antiqui, ac noui Fœderis tabulis ostendetur, in præsenti autem sufficiat demonstrare, sacros textus ex aduersa parte allegatos præsentis quæstionis instituto haud officere, sed è contra intentioni nostræ non parum deseruire. Ex ijs equidem Diuinis oraculis firmum stat principium, quòd Regia potestas subsistat ex Deo, sitque constituta ex Dei ordinatione, atque adeò auctoritas illa sit iuris Diuini. At hinc minimè infertur, Regiam potestatem temporalis regiminis sphæra circumscriptā, licet ipso iure Diuino sit constituta, non tam ex se formaliter, quàm quoad sui morale exercitium, atque subiectum in nullo etiam extraordinario casu subiacere Apostolicæ Summi Pontificis auctoritati.

Quinimmò ex ipsomet illo ad Romanos cap. 13. textu sacro dilucidè probatur, cùm ea, quæ sunt à Deo, ordinata sint, oportere, in potestatibus Diuinitùs constitutis seruari quemdam ordinem ab ipso etiam Deo institutum. Neque verò iste ordo teneretur, nisi inter ipsas Diuinitùs constitutas potestates seruaretur subordinatio, si quæ per Deum esset sancita. Et ideò, si potestatis Regiæ quoad aliquem casum, esset quæpiam erga Apostolicam Summi Pontificis auctoritatem, à Christo sancita subordinatio, huic non tantùm refragaretur, sed suffragaretur ille Apostolicus textus. Vndè argumentationis ex hoc petitæ vis protsùs euanescet, immò pro Apostolica supra Reges potestate emphatico quodam modo stabit, vbi ea potestatis temporalis erga spiritualem Apostolicam auctoritatem subordinatio ex sacris literis inferiùs adducendis demonstrabitur.

Cuiusmodi proindè subordinationem videtur Christus in præallegata ex Matth. 22. capite desumpta sententia, insinuasse dicendo: [Reddite Cæsari, quæ Cæsaris sunt, & quæ sunt Dei Deo.] Per hoc enim iurium Cæsari inexistentium subordinatio quædam ad ea, quæ Dei sunt, non obscurè innuitur; firmo sanè argumento, talem subordinationem ex Christi iussu tenendam esse, vbi Vicaria Christi auctoritas ab ipsomet, etiam qua Deo constituta, eam exigit in vi indefinitæ potestatis soluendi, & ligandi, quidquid est super terram; & in vi Pastoralis muneris super omnes Christi oues protensi, dùm certè Reges Christiani nolent dici, se esse alterius, quàm Christi oues, neque præsument negare potestatis suæ Regiæ exercitium esse super

terram, indefinitæ adeò illi super terram ligandi, & soluendi Christi Vicariæ potestati subiectum; veluti maiori efficacia hæc vrgebimus inferiùs.

Quare ex præadducto 1. Petri 2. capite, oportet quidem, Regibus etiam dyscolis obedire, hoc tamen nemo dixerit locum habere, nisi quamdiu Regia pollent auctoritate, neque verò ibi decernitur, nullum dari posse casum, in quo per ius seu naturale, seu Diuinum positiuum Reges exui possint sua dignitate, eritque adeò casus iste posteà examinandus, dùm intereà iàm palàm est redditū; argumentum ex præadductis sacris textibus formatum, ad præsentis disquisitionis statum nihil habere efficaciæ.

ARGVMENTVM II.

Aduersariorum.

EX parte Cleri Gallicani licet 2. argumentari ex Nouella 6. init. de Nouella 73. §. 1. Imperatoria potestas est immediatè à Deo collata. Ergo à Pontifice aut restringi, aut adimi non valet.

Responsio.

Auctor præcitati Regalis Sacerdotij dicto §. 18. numero 14. optimè respondet. Quidquid sit de hoc, [an Regia, vel Imperatoria potestas sit instituta seu Diuina, seu humana auctoritate,] illud certum videri, quòd à Deo non immediatè conferatur. Cùm enim sit merè temporalis, nec ad actum dirigatur, cuius Respublica non sit capax, immò hæc potestas penès Communitatem aliquando fuerit, atque ab hac translata in Principem. Ideò quando Imperatores dicunt, se à Deo accepisse Imperium, oportet, hoc in eo sensu accipere, quòd ex speciali Dei prouidentia, & gratia sint potiti Imperio, non verò, quòd eorum potestas nequeat ab alio, quàm à Deo immediatè conferri, qualis est Pontificia auctoritas, quæ sicut penès nullam Communitatem esse potest, ità à Deo immediatè confertur, præcedente electione humana, non tamquam huius potestatis causa, sed tamquam conditione, sine qua Deus illam non conferret.

Obiectio.

Instabit pars aduersa, rectè equidem discerni inter Regiam, seu Imperatoriam potestatem in se formaliter spectatam, & inter eamdem subiectiuè consideratam, idest, quà applicabilem certæ indiuiduæ personæ. Sed desiderari, vt clariùs exponatur fundamentū illud, in vi cuius sub consideratione priori Regia potestas dicitur quidem esse iuris Diuini naturalis, sicuti è contra Pontificia Christi Vicaria auctoritas est iuris Diuini supernaturalis per Christum fundati, & sanciti. Attamen sub posteriori consideratione inter Regiam, ac Pontificiam potestatem interuenire eam differentiam, vt huius, non illius collatio sit iuris Diuini.

Responsio.

Huius igitur differentiæ ratio in hunc modum exhibetur. Nempè, quia Christus Oecumenicam erga vniuersas oues suas Pastoralis officij auctoritatem contulit Petro, cum ordine ad Ecclesiæ ab inferi portis nunquam superandæ statum perpetuum, sequitur, hac Christi ordinatione potestatis Pontificię ad certam indiuiduam personam applicabilitatem ipso iure Diuino determinatam esse ex successione Petri. In cuius proindè successionis designatione interuenit quidem humana electio, sed hac præsupposita, per ipsissimum illud ius Diuinum, auctoritatis Pontificiæ pro perpetuo Ecclesiæ statu determinatiuum, confertur legitimo Petri successori ipsissima ea Christi Vicaria auctoritas, quam Christus Oecumenico Pastorali muneri ad finem Mundi vsque annexam sanciuit.

Secùs res se habet in Imperatoria, & Regia potestate subiectiuè spectata, & quà ad certam indiuiduam personam applicabili. Quemadmodùm enim ea potestas sub primæuo suo statu per ipsummet ius naturale fuerat in populo, poteratque adeò hæc suprema regiminis temporalis auctoritas reseruari Communitati, iuxtà modum ab eadem designandum. Sic vbi translata est in vnum regiminis politici Caput, sub electionis cuiuspiam norma, seu hæreditariæ successionis, iure determinandum, redditur iàm consequens, eiusdem potestatis Regiæ, seu Imperatoriæ collationem non esse iuris Diuini, sed humani dumtaxat. Sicuti ergo ista Regię auctoritatis collatio est iuris humani, sic meritò dicenda est, subesse iuri Diuino tùm naturali, tùm supernaturali, debereque adeò sui moderationem accipere non ex naturalis dumtaxat, sed fidei quoque supernaturalis luminis directione. Etsi verò Summus Pontifex nihil potestatis habeat super iure Diuino, seu naturali, seu supernaturali, eiusdem tamen, quà Oecumenici Pastoris auctoritas protenditur super ouium sibi commissarum actionibus externis præcipuè, quà dirigendis in viam salutis æternæ, sicque adeò, quà moderandis secundùm exigentiā luminis fidei. Et quia ipsum etiam naturale super nos signatum lumen, est eleuatum, & condecoratū supernaturali fidei lumine, itaut illud perpetuam cum isto debeat in sui exercitio habere conformitatem, redditur hinc vlteriùs consequens, debere potestatem quoque Regiam luminis naturalis sphæra circumscriptam, tùm quoad subiectiuam suæ applicabilitatem, tùm quoad sui debitum exercitium subordinari supernaturali fidei lumini, cuius directio concredita est Oecumenico Ecclesiæ Pastori.

Ex qua adeò Regiæ potestatis, luminisque, cui innititur, naturalis ad fidei lumen subordinatione, cuius directio Pastoralis Ecclesiæ muneri incumbit, meritò iàm disquiritur: [An pro casu aliquo extraordinario Ecclesiæ sanctæ publicum bonum, secundùm ipsammet fidei Diuinæ exigentiam, obstringere valeat Apostolicam Oecumenici Pastoris auctoritatem ad prouidendum, ne Rex

Ec-

Ecclesiæ Dei subiectus, Regia sua auctoritate præsumat perturbare, & inuertere sanctæ Ecclesiæ vnitatem, & tranquillitatem?] Hoc vbi fecerit Summus Pontifex, nihil faciet aduersùs Regiam potestatem in se formaliter spectatam, quatenus est iuris Diuini, sed quatenus subiectiuè consideratam, vt sic iuri humano subiectam, tùm quoad applicationem sui ad certum subiectum, tùm quoad sui exercitium, quà in viam salutis æternæ, seu ipsius Regis, seu Fidelium præcipuè vniuersorum dirigibile, tùm quoad amotionem scandaloeum, & publicorum Ecclesiæ sanctæ imminentium præiudiciorum; prout hęc suauiori quapiam methodo Auctor inextinctę Concilij Tridentini veritatis in finali præsentis articuli corollario referendus explicat, demonstrabitur que efficaciter ex sacris Literis in subsequentibus, dum intereà manifestum iàm redditur, ex tali supra Reges auctoritatis Pontificiæ præeminentia, nec quidquam à Summis Pontificibus arrogari potestatis super iure Diuino formaliter in se spectato, sed super einsdem vel subiecto, vel exercitio, Ecclesiæ clauibus indubiè subiacente in Rege, qui audire vult oues Christi, agnoscitque indefinitam Christi Vicariam erga id, quod est super terram, ligandi, ac soluendi potestatem. Sicque adeo obseruato tali discrimine, ex integro euanescie partis aduersæ superiùs deductum argumentum.

ARGVMENTVM III.

Aduersariorum.

EX parte Cleri Gallicani licet 3. argumentari. Duæ sunt in terris de Mundo ritè gubernando potestates Diuinitus cōstitutæ. Vna est spiritualis, & Ecclesiastica, cōcessa Petro, eiusque successoribus Christi Vicarijs ipsiusque Ecclesiæ; protendens se ad regimen rerum spiritualium, & ad æternam salutem pertinentium. Altera est temporalis, & politica, Regibus, & Imperatoribus competens super Ciuilium, & temporalium causarum regimine, & moderatione. Quæ vtraque potestas, sicuti vtrinque est iuris Diuini, sic quælibet earum habet suos à Deo circumscriptos limites, neque fas est, vnam commisceri alteri, sed oportet, vtramque sua sphæra esse contentam, eò vel maximè, quod potestatum einsmodi confusio fieri nequeat absque discordijs, Principumque indignatione, Reique publicæ grauissimo detrimento hinc secuturo.

Responsio.

Auctor Regalis Sacerdotij conuenientèr respondet cit. §. 18. num. 3. multa esse, quæ instar hellebori, rarò vsurpata sint medicinæ lethalia futura, si crebrò vsurparentur: talem esse potestatem, quæ Summis Pontificibus in Reges, & Principes conceditur, hæc namque si ordinaria esset, nociturum potiùs, quàm Ecclesiæ profuturam: & ideo locum non habere, nisi premente necessitate cum Religionis bono: tunc enim temporalem potestatem ex natura sua submitti Ecclesiasticæ, cùm temporalia sint propter spiritualia. Et hoc ad pacem Reipublicæ, non ad dissidium pertinere, turbata siquidem Religione, etiam Regna turbari; & ideo quidquid tuendæ Religioni, tuendis etiam Imperijs seruire: expedireque, immensæ Regum potentiæ terminum aliquem figi, vt non excurrat, arasque fidei transcendat, quod fieret, si extra omnem metum, & Iudicem essent, cupiditate regnandi Religionem vincente.

Obiectio.

Instabit pars aduersa, vt sibi probetur effatum illud, quo dictum erat, [premente necessitate, cum Religionis bono, Summis Pontificibus competere potestatem auctoritatiuam super Regibus, & Principibus.] Si enim temporalis potestas in aliquo casu ex natura sua subijciatur auctoritati Ecclesiasticæ, quomodo huic subiectioni locus non fuisset in statu puræ etiam naturæ, in quo tamen nulla strictè Ecclesiastica, Regiæ saltem auctoritati supereminens extitisset potestas, vtpotè ex natura sua super fidei lumine fundata? Num ex natura rei, vel potiùs ex eleuatione gratiæ prouenit, quod temporalia sint propter spiritualia, non naturali dumtaxat lumini, cuius sphæram ambit suprema Regia potestas, sed supernaturali etiam fidei lumini Ecclesiasticæ potestatis fundamento proportionata? Quod si vtraque, seu naturalis, seu supernaturalis luminis, eique proportionata gubernatiua potestas non commisceretur, quomodo pax Reipublicæ in causis temporalibus turbaretur; dum, vbi eam contingeret, turbari in causis Religionis, Regibus etiam discolis, sicque à vera religione deficientibus, intra suæ Regiæ potestatis sphæram essee adhuc obtemperandum? An non ergo si vtrique illi potestati relinquerentur impermixti sui limites, politica præcipuè pax, & tranquillitas maneret integra, & illæsa, quamdiù huic se non immisceret potestas Ecclesiastica? Numquid igitur rationes istæ suadere videntur, duas (illas potestates sua vtrinque sphæra circumscriptas, ita debere esse impermixtas, vt neutri congruat, se ingerere in causis ad alteram pertinentibus?]

Responsio.

Vt argumentum ex parte aduersa superiùs adductum solidè refutetur, singulariter inspiciendum est, cuius censuræ digna sit sententia illa, quæ politicam; & Ecclesiasticam auctoritatem contendit, se habere ad inuicem, ceu duas disparatas potestates, ostendendumque proinde erie, hasce non tam ex natura rei, quàm ex supernaturalis eleuationis iure Diuino, ita inter se comparari, vt politica potestas non equidem in se formaliter spectata, sed quoad sui, seu applicabilitatem, seu exercitium quà in finem supernaturalem eleuabile, debeat subordinari potestati Ecclesiasticæ. Quod equidem In conclusionibus inferiùs sanciendis, per sacræ Scripturæ fundamenta speramus efficaciter euincendum: intereà quantùm argumento in contrarium adducto solidè dissoluendo, est necessarium, id sequenti ratione præstabimus.

Conferendo igitur lumen naturæ cum supernaturali fidei lumine, certum est, lumen intelligentiæ creatæ naturaliter inditum cum suis moralibus principijs, cuiuis rationis capaci perspicuis, ita esse immutabile, vt pee altius fidei lumen in se ipso formaliter spectato, nequeat vlli subiacere mutationi. Quo tamen minimè obstante, fidei luminis, superior est auctoritas, non protendens se suprà illud, quod est formale in lumine naturali, sed quod in hoc est merè materiale. Etenim verissimum est, verum naturali lumini commensuratum, non posse veritati, per fidei lumen reuelatæ vllatenus esse contrarium, vbi tamen contingeret quempiam fidei articulum videri dissentaneum alicui principio, secundùm naturæ lumen conspicuo, neutiquam ex hoc esset fidei veritas determinanda, & explicanda, sed ad huius mensuram prorsus infallibilem esset definienda, principij lumine naturæ noti intelligentia.

Pari proinde ratione Regia ipso naturæ lumine constituta potestas, se habet erga Ecclesiasticam, lumini fidei superstructam auctoritatem. Quæ vtraque proinde potestas indubitanter est iuris Diuini, nec potest suprema Ecclesiæ auctoritas illam formaliter spectatam immutare, restringere, vel etiam ex parte dumtaxat destruere. Vbi tamen contingeret, potestatis Regiæ exercitium exorbitare extra luminis naturalis sphæram, progrediendo, ad decernendum aliquid æquitati naturali dissentaneum, an nefas erit, quod Ecclesiastica suprema potestas se reflectendo super huiusmodi iniquitate, lumini etiam naturali repugnante: eam auctoritatiuè reprobet? Ex quo namque humana natura iam non subsistit, in puris narutalibus, sed etiam quoad lineam moralitatis est eleuata ad statum supernaturalem, impossibile est, vllam, iam dari iniquitatem, naturali lumini aduersantem, quin etiam pugnet cum honestate supernaturalis ordinis. An ergo Summus Pontifex super hanc se reflectendo, Vicariæ Christi auctoritatis ad vniuersas eiusdem Domini nostri oues se extendentis, indefinitæque erga omne morale consistens super terram ligandi, & soluendi potestatis gladium stringere cohiberetur, aduersus illam iuri naturali, & consequenter Diuino, supernaturalis quoque moralitatis iuri repugnantem nequitiam?

Leges Imperatoriæ olim firmabant validam, etiam mala fide peractam præscriptionem. Quod vbi Pontifices agnoscebant, non cum naturali dumtaxat honestate, sed cum supernaturalis quoque moralitatis rectitudine pugnare, ex auctoritate Christi Vicaria improbabant tamquam iniquum. Nec, quia nulla est excogitabilis iniquitas, iuri naturali repugnans, quin supernaturalis quoque honestatis rectitudini aduersetur, poterat malæ fidei præscriptio damnari, quà æquitati supernaturalis moralitatis contraria, quin abolenda decerneretur sub moralitate, quà præciso etiam lumini naturali aduersante, cùm cæteroqui hac subsistente, semper adhuc locus esset difformitati aduersùs supernaturalis luminis moralitatem, vtpote infallibiliter connexam cum illa, postquam homo cum tota moralitatis sibi coagenitæ, luminisque naturaliter inditi sphæra sua, est eleuatus ad statum supernaturalem.

Concurrunt quandoque circa eamdem materiam politica, & Ecclesiastica potestas, veluti cõtingit in iuramento, quatenus cõtractuum Ciuilium confirmatorio. In hoc enim considerare licet non Religionis dumtaxat supernaturale vinculum, sed lumini quoque naturali commensuratam, & contrahenti quæsitam specialem firmitatem ex iureiurando, secundùm lineam moralitatis, purè etiam naturalis obortam. Quandoquidem igitur Iura Ciuilia olim decreuerint, iusiurandum ex metu initum esse inualidum, sacri autem Canones è contrario vinculum Religionis indè obortum validum, sed auctoritate Ecclesiæ rescindendum sanxerit; [An dicere fas est, non attenta eiusmodi Canonica sanctione, posse intra lineam moralitatis naturalis, defendi illius iurisiurandi inualiditatem, vtpotè stabilitum ab Imperatoria suprema politica auctoritate?] Hoc si quispiam tueri vellet, profectò fateri deberet, dari honestatem quampiam naturalis ordinis, quæ supernaturalis moralitatis honestati esset contraria, quod tam impossibile est, quàm indubitanter verum est, verum naturalis ordinis, pugnare haud posse cum vero supernaturalis ordinis: neque tamen veritas supernaturalis ex naturalis ordinis veritate, sed hæc vicissim ex illa est dijudicanda.

Contingere rursus potest, quod Imperator in iura S. Ecclesiæ inuolans, vel aduersùs supremam Ecclesiasticam auctoritatem insurgens, Ecclesiasticæ potestatis gladio coerceatur à Summo Pontifice: indeque Imperator hostili etiam exercitu contra eam agat. Quis iam Catholicorum bellum eiusmodi auctoritate Imperatoria indictum Summo Pontifici, iustum probare posset? Quis è contra Catholicorum, vsum armaturæ Ecclesiasticæ, per censuras à Summo Pontifice armaturæ Imperatoriæ oppositum, in eo casu ausit dicere iniquum? Quo tamen haud attento, si Imperator pergeret in sua pertinaci aduersùs auctoritatem Pontificiam impugnatione, an nefas foret, hanc aduersùs Imperatorem insurgere? Profectò quisquis iura coronæ suæ Regiæ inuaderet, aduersùs hunc Rex Christianissimus iustum decerneret bellum, iuridicam quoque ferendo sententiam aduersùs coronæ suæ hostem, æquè Regia licèt, supremaque adeò potestate præfulgentem. Quo igitur iure auctoritatem in supremum etiam, auctoritate sibi coæqualem Regem, sibi assumeret Rex Christianissimus? Non alio sanè titulo, nisi ex illo per naturale lumen constituto principio, quod quisque supremus Rex habeat auctoritatem procedendi, & iudicialiter, & militariter aduersùs manifestum perturbatorem coronæ suæ Regiæ.

Quod si ergo ista potestas Regia præualere possit erga alterum, supremum licèt, sibique coæqualem Regem: quomodo vir verè Catholicus negare iam auderet, supremæ quoque Ecclesiasticæ auctoritati inesse potestatem tum via Iudiciaria, tum executoria per spiritualia censurarum arma procedendi aduersùs quemcumque Regem, Maiestatis

Pontificiæ perturbatorem. Ac verò, vbi Rex in bello eiusmodi Victor existeret, meritò aduersùs illum, Regiorum ipsius iurium perturbatorem Regem, à se deuictum, prætendere posset facultatem indicialiter etiam procedendi, sicque eum destituendi iure sui Regni, ipsumque adeò deponendi non in via facti dumtaxat, sed etiam in via iuris. Quidni ergo par, aut maior asserenda sit potestas in Summo Pontifice, ad deponendum Regem Maiestatis Pontificiæ turbatorem, ac inuasorem?

Replicabit fortassis nonnemo, quidni ergo Rex illa sua suprema auctoritate æquè vti possec etiam aduersùs Summum Pontificem, iurium suorum Regiorum perturbatorem, si ipsum ius naturæ, cuique supremo Regi talem concederet, iudicialiter, & militaliter procedendi auctoritatem contra quemcumque Coronæ suæ Regiæ inuasorem iniquum?

Verum ad hoc responsio in promptu est, quod, sicuti lumen naturale cum tota moralitatis sibi proportionatæ sphæra, est eleuatum ad statum supernaturalem, sic Regia suprema Maiestas, quoad omnimodam moralitatis lumini naturali commensuratæ sphæram, sic in vi supernaturalis totam moralitatis naturalis lineam complectentis eleuationis, iam subordinata supremæ Ecclesiasticæ potestati. Quemadmodum igitur cum hac ad statum supernalem vniuersæ moralitatis naturalis eleuatione, haud subsistit, quod lumen naturale possit sibi arrogare officium quasi Iudicis, super fidei lumine supernaturali, sic neque Politica Regia Maiestas, naturalis luminis sphæra circumscripta, super extendere se vmquam potest super Ecclesiasticam potestatem, præcipuè supremam, altiori fidei lumini superstructam nec adeò Rex, seu Imperator sibi arrogare vmquam potest vel iudicium, vel bellum aduersùs Summum Pontificem, ex Vicaria Christi auctoritate, supremaque adeò Ecclesiastica potestate procedentem, ad Regis Pontificię Maiestatis infensi hostis depositionem. Cuiusmodi proindè Theologicorum argumentorum solidum ex sacris Literis fundamentum inferiùs deducetur.

ARGVMENTVM IV.

Aduersariorum.

Ex parte Cleri Gallicani licet 4. argumentari. Papa est Vicarius Christi, non quà Dei, sed quà hominis, & Capitis Ecclesiæ. At Christus, vt homo, nullam habuit in Regna, & Principatus, ac temporalia iurisdictionem: ipsomet Ioannis 18. contestante: [Regnum meum non est de hoc Mundo.] Et Lucæ 12. [O homo, quis me constituit Iudicem, aut diuisorem inter vos?] Quis ergo maiorem Papæ, quàm Christo super causis ciuilibus, ac temporalibus tribuat iurisdictionem?

Responsio.

Auctor prætacti Regalis Sacerdotij cit. §. 18. num. 5. respondet, constantem Diui Thomæ, Principis Theologorum esse sententiam, quòd Christo Domino quà homini vtraque dignitas, Regia videlicet, & Sacerdotalis fuerit communicata, vti expressè habetur in eiusdem S. Doctoris lib. 1. de Regim. Princ. cap. 12. ac seq. & par. 3. quæst. 59. art. 4. [Manifestum est, inquiuntis, Christo quà homini esse potestatem iudiciariam ex Regia consequentem, quoad omnes res humanas: cuicumque enim committitur principale, committitur & accessorium, omnes autem res humanæ ordinantur in finem beatitudinis, quæ est salus æterna, ad quam omnes homines admittuntur, vel etiam repelluntur iudicio Christi, vt patet Matth. 25.] Adstipulatur sacra quoque Scriptura, Christo Matth. vlt. asseuerante: [Data est mihi omnis potestas in Cælo, & in terra.] Vndè & Paulus ad Hebræos ait, Christum esse institutum hæredem Vniuersorum. Et Apocal. 1. [Christus dicitur Rex Regum, & Dominus Dominantium.]

Hoc igitur Ius Regium, Christi Humanitati in vi hypostaticæ cum Diuinitate vnionis communicatum, Christus equidem, qui venerat in forma serui ad pœnitentiæ, & humilitatis exemplum nobis præstandum, noluit ordinariè exercere quamquam sui in temporalia Dominij iurisdictionis supremæ actus aliquos exhibuerit, mulierem adulterij conuictam, contra legis præscriptum Ioan. 6. absoluendo: ficulneam, quæ in alterius bonis, & patrimonio erat, Matth. 21. aresaciendo, dæmonesque in gregem porcorum, qui ad alios pertinebant, Matth. 21. immittendo, & præcipites in aquam agendo. Cuiusmodi adeò erga aliorum dominia supereminens in Christo potestas, licèt non fuerit communicata Ecclesiæ, attamen huic negari non debet aliqualis saltem communicatio illius Christi Humanitati collatæ potestatis, in quantum temporalium rerum dispositio Ecclesiæ gubernandæ, consumandæque redemptioni, erat necessaria, Diuo Thoma vbi plura asseuerante, cuicumque committitur principale, committi etiam accessorium.

Obiectio.

Instabit pars aduersa, vt ostendatur, quod Christi Humanitas de Regno sibi ex vi vnionis hypostaticæ super rebus quoque temporalibus competente, aliquam fecerit participationem suo in terris Vicario Petro, eiusque successori.

Responsio.

Ex ipsamet Christi verborum proprietate euincitur, Dominum nostrum asseuerando: [Regnum meum non est de hoc Mundo:] eo ipso asseruisse sibi Regnum aliquod, hoc autem noscitur esse duplex, alterum spirituale est Ecclesia, cui Petrum iàm tunc destinauerat præficiendum, quà sui Vicarium, cum indefinita ligandi, & soluendi super terram auctoritate, cumque perpetuitate successionis ad finem vsque Mundi duraturæ. Alterum verò Christi Regnum erat temporale, quod iuxtà præcitatam S. Thomæ lib. 1. de regimine Princip. cap. 12. sententiam, protendebatur supra totum Mundum, saltem

quoad

quoad ius, & potestatem, itaut posset Reges quoslibet è Regno deponere, aliosque creare, licèt hac potestate non sit vsus. Verumuis ergo duorum istorum Regnorum, si attendatur origo, ex ipsa Christi sententia dicendum est, neutrum esse de hoc Mundo, quia ambo radicantur in vnione hypostatica, quæ minimè est de hoc Mundo. Etsi verò fateamur, posterioris illius Regni, Christo qua homini erga totum etiam Mundum competentis communicationem, non esse factam Ecclesiæ: eo ipso tamen, quòd Ecclesiæ sit à Christo potestas super quodcumque morale in terris ad Regnum Cælorum ordinabile, oportet, hoc spirituale Regnum indirectè saltem protendi super temporalia, quà in Regnum Cælorum ordinabilia; vti ex sacrarum Literarum fundamentis infra adducendis, efficaciùs demonstrabitur.

CONCLVSIO.

Non absque maximo Regiæ charactere Christiano insignitæ potestatis dedecore, detruditur Princeps Christianus ad Regis, quasi Ethnici statum, si negetur esse subordinata Christi Vicariæ, Romani Pontificis auctoritati Oecumenicæ.

EXplicatur. Quisquis enim negaret, Regiam in Principe Christiano potestatem, ex vi characteris in Baptismate Diuinitùs infusi, non eleuari ad statum quempiam sublimiorem, ac fuisset in puræ naturæ statu, profectò Regem Christianum eo collocaret loco, ac si auctoritatis suæ Maiestas non altiùs esset attollenda, quàm politicæ potestatis, secundùm lumen naturæ circumscriptæ, sphæra permittat. Eiusmodi verò luminis naturalis limitibus circumscripta, politicæ potestatis suprema etiam Maiestas, secundùm integram sphæram suam est in Rege Ethnico. Ergo quisquis negat, Regem Christianum, ex vi characteris in sacro Baptismate Diuinitùs inditi, non tantùm quoad suam personam, sed quoad Regiam quoque potestatem in sublimiori iàm statu, etiam quà Regem esse constitutum, is profectò Regem eiusmodi cum suæ potestatis suprema Maiestate detrudit ad subsellia Regum Ethnicorum.

Quo præsupposito, disquirere placeat ex illo, qui Christianissimi Regis Maiestatem conaretur ità deprimere; [quo iure hic Christianissimus Rex processerit aduersùs Regni sui hæreticos ?] Neque enim credere fas est, processum fuisse aduersùs illos, qua Regni sui politici solummodò, sed etiam qua Ecclesiæ Sanctæ perduelles, atque ad huius debitam obedientiam compellendos ? Tantum profectò potestatis ipsi haud fuisset ex Regiæ potestatis sphæra, quà præcisis luminis naturalis limitibus circumscripta, sed quà sublimata ex characteris Christiani eleuatione, per quã ipsius Regia quoque potestas recipit talem respectu Ecclesiæ, eiusque Oecumenici Pastoris subordinationem, in vi cuius esset constituens Christi Vicariæ auctoritatis instrumentum, ad publicum Ecclesiæ sanctæ bonum, in suo præcipuè Regno, æternæque salutis in suis charactere Christiano æquè insignitis subditis commodum, pro viribus promouendum. Quæ proindè ad Oecumenicam Ecclesiæ Sanctæ auctoritatem, Regiæ in Christiano Principe potestatis subordinatio, ampliat auctoritatis politicæ sphæram, luminis naturalis, limitibus, cæteroqui circumscriptam eleuando, & condecorando eamdem excellentia singulari, se protendente ad ea etiam, quæ fidei luminis sphæra continentur. In qua proindè Regiæ intrà lineam naturalem supremaꝰ, ad Oecumenicam Ecclesiasticam, in linea supernaturalis luminis summam potestatem, subordinatione ex sacris Literis comprobanda, toti quanti nos impendemus, ex ipsissimis etiam illis sacræ Scripturæ textibus, qui ex parte Cleri Gallicani opponebantur, initium facturi.

PROBATIO I.

In qua fit retorsio primi aduersariorum argumenti ex Rom. 13. Matth. 22. & 1. Petri 2. *oppositi, & supra n. 7. adducti.*

ETenim Apostolus cit. 13. ad Romanos capite iubendo, [vt omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit;] sub hisce verbis talem facit potestatum à Deo ordinatarum in sublimitatis inæquali gradu comparationem, vt prorsus necessum sit, vnam alteri subordinari, vt sic ordinatè procedant potestates, à Deo constitutæ, quatenus scilicet sublimiori semper, oporteat, subiectam esse potestatem, quæ non tantæ est eminentiæ. At verò quemadmodùm fidei lumen, cui superstructa est auctoritas Ecclesiastica, est sublimius naturali lumine, ad cuius sphæram mensuranda est politica Regia potestas, sic oportet, illam esse hac sublimiorem. Quia ergo ex præadducto Apostolico textu, oportet, [vt omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit,] consequens omninò est, Regiam potestatem debere subditam esse Oecumenicæ Ecclesiasticæ auctoritati.

Atque hanc subordinationem haud obscurè insinuauit Christus Matth. 22. præcipiens: [Reddite Cæsari, quæ sunt Cæsaris, & quæ sunt Dei, Deo.] Sicut enim hoc ius Cæsareæ Maiestatis, ex vi cuius, ipsi reddendus erat census, totam energiam suam obtinebat ex iure Diuino, in vi cuius reddere oportet, quæ Dei sunt: sic illa Diuini iuris cum iure Cæsari competente, Christi verbis facta combinatio, Cæsarei licèt supremi iuris indubitatam præfefert subordinationem erga ius Diuinum. At licèt hic sermo fuerit de iure inexistente Cæsari, Ecclesiæ Christi minimè subiecto, ea tamen verba Christus Dominus protulit, cum ordine ad perpetuum Ecclesiæ statum, in quo adeò oportet, vt, quod debetur Regibus, ac Imperatoribus, ipsis reddatur in vi altioris iuris, nempè Diuini, cui Cæsareæ, ac Regiæ Maiestatis ius est subordinatum. Quemadmodùm autem Christus

stus ea verba pronunciando, indubiè cogitabat de Oecumenica in Petro, eiusque successoribus fundande Ecclesiæ auctoritate, hac enim de causa Christus Cæsareo iure minimè obstrictus Matth. 17. iubebat, [pro se, ac Petro eumdem tributi loco dare staterem:] ità Cæsareæ Maiestatis ius combinando cum iure Diuinæ Maiestatis, ceu fundamento, cui illud subordinatum, & subiectum existeret, idem Christus vno mentis obtutu, etiam quà homo vniuersa complectens, reflexionem vtique faciebat ad suam in terris Vicariam potestatem Apostolicam, à se in Ecclesia instituendam, quam quisquis (nemine, ne Rege quidem excepto) esset auditurus, Deum audiret, atque adeò sub illis verbis: [Reddite Deo, quæ Dei sunt,] Dominus noster Regiam quoque potestatem, in Principibus Christianis, destinauit subordinatam Diuino, Vicariæ Christi auctoritati annexo iuri. In vi cuiusmodi adeò, Regiæ Maiestatis, ad sublimiorem Vicariæ Christi potestatis iure Diuino sancitam auctoritatem, subordinationis, inferiùs ostendetur, quantum hæc præualere possit aduersùs Christianos Reges discolos exauctorandos, vt ex tunc in ipso etiam Dei, & conscientiæ foro non ampliùs reputandi sint inter veros Reges, quibus Petrus 1. suæ epistolæ cap. 2. iussit obtemperandum.

PROBATIO II.

In qua fit retorsio secundi argumenti petiti ex eo, quòd Regia potestas sit iuris Diuini.

Etenim hac Regiæ potestatis, quòd in se formaliter sit iuris Diuini, prærogatiua spontè admissa, solemnis mox emergit quæstio: An in ijs, quæ iuris Diuini sunt, non possit esse substratum quoddam materiale, ex humano seu iure, seu morali hominis operatione dependens, quo sublato, per consequentiam, ac indirectè, non equidè formaliter, sed ex parte sui materialis corruat iuris Diuini obligatio, non quatenus actiuè quasi spectata, Diuina est, sed quatenus passiuè considerata, est quid humanum, vel subiectiuè receptum in homine, vel effectiuè promanans ex humani arbitrij voluntate? Numquid si Rex quispiam Christianus sit obnoxius peccato mortali, Ius Diuinum sancit æternæ gehennæ ab eo contractum reatum? Num verò Regem Christianum tam infelicem dixeris, vt hoc Diuinum Ius respectu ipsius ne quidem indirectè materialiter solui possit auctoritate Clauium Ecclesiæ concessarum? Hæc verò solutio non aliter fiet, nisi quatenus per Ecclesiæ sanctæ Claues applicatur satisfactio Christi pro illo reatu, ceu materiali, cui supersternitur illud Diuinæ Iustitiæ ius vindicatiuum. Quo proindè materiali sublato, non tam in se ipso formaliter tollitur ius Diuinum, quàm in suo dumtaxat effectu, iustæ cæteroqui vindictæ, in inferno exercendæ.

Solemnis etiam est inter Theologos disquisitio; [An, & quomodò votum siuè solemne, siuè simplex, ipsumque adeò ius Diuinum eidem superstratum dispensari possit à Summo Pontifice?] In quo puncto libenter damus, Summi Pontificis auctoritatem non posse præualere Iuri Diuino, atque illud in se formaliter spectatum immutare, ac tollere. Sicuti autem voti tam solemnis, quàm simplicis obligatio, sic & ius Diuinum hanc obligationem voluntariè susceptam acceptans, superstruitur morali vouentis actui virtualiter perseueranti, quamdiù voto non est satisfactum. Hic ergo moralis in vouente actus, eiusque adeò virtualis ex libera illius voluntate promanans perseuerantia, numquid subest Oecumenicæ Ecclesiasticæ potestati?

Quòd huius indefinita ligandi, ac soluendi auctoritas extendatur indefinitè super omne id, quod morale est super terram, constat ex apertis Christi Domini ad Petrum Matth. 16. prolatis verbis. Quodcumque autem ex hominis libera voluntate contractum vinculum, consistens in morali actus voluntarij perseuerantia, non est Diuinum quid, sed est quidpiam consistens super terram. Quod si ergo auctoritas Pontificia ad omne id, quod morale est super terram, se protendens, soluat illud liberè contractum vinculum, cum sua morali per vouentis actum voluntariè contracta perseuerantia virtuali, nequiquam dicendus est Pontifex immutare, seù tollere ius Diuinum formaliter in se spectatum, seù quà Deo inexistens, sed sublato vinculo morali hominis, quod est super terram, ceù Iuris illius Diuini quasi substrato materiali, per indirectum cessat iuris Diuini efficacia ad extra constringens, ac exigens voti taliter soluti obligationem.

Quo sic constituto tametsi Regia potestas in se formaliter sit Iuris Diuini, num dicere fas est, ipsius ad certum subiectum applicationem, vel etiam exercitium liberum, non esse aliquid Morale consistens super terram? Quo rursus posito, num asseuerare licebit, quòd indefinita, omne morale, quod est super terram ambiens soluendi potestas Oecumenica, Regiæ potestatis ad certum subiectum applicationem, eiusque exercitium morale nullo prorsùs modo habeat sibi subordinatum, seù subiectum?

De hac ergo potestatis Pontificiæ Oecumenica ad Ecclesiam spectanee auctoritate, videbimus deinceps, in quantum etiam specificè se extendat, pro hac autem vice sufficiat, iuramenti à subditis erga Principem præstiti æquiparationem facere cum voto. Sicut enim huius, sic quoque illius vinculi radix moralis est actus humanus, eiusque moralis perseuerantia, passiuam in vouente, seù iurante importans Religionis obligationem, verè est quid morale subsistens super terram, sicque indefinita cuinscumque super terram vinculi in actu hominis morali, Oecumenicę Ecclesiasticæ potestati subiecto, radicati, soluendi potestas, pari ratione præualere poterit, ad iuramenti Principi præstiti passiuam ex Religione obligationem, catenus soluendam, vt talis solutio etiam in foro Celi, atque adeò in conscientia rata sit habenda, nec adeò ex tunc subditi à iuramento Regi præstito per Ecclesiæ auctoritatem liberati, coarctentur ad fidelitatis homagium, ex Religionis ne-

neceſſitate ampliùs obſeruandum; vti ſacri quoque Canones ſuprà num. 28. tememorati tradunt.

PROBATIO III.

In qua fit retorſio tertij Aduerſariorum argumenti petiti ex hoc, quòd duæ in terris gubernatiuæ poteſtates, Regia ſcilicet, & Pontificis, non debeant inter ſe commiſceri, ſed vtramque oporteat, ſua ſphæra contentam eſſe, ne pax & tranquillitas publica turbetur.

VErùm hac etiam poſita, minimè tamen admiſſa, ſed in antecedentibus præualidè confutata propoſitione, contingeret tamen, duas illas, abſque vlla inter ſe ſubordinatione, merè diſparatas poteſtates, aliquando inter ſe committi: quemadmodùm duorum Regum ſupremæ poteſtates ad ſe inuicem haud quaquam ſubordinatæ,ſed merè diſparatæ,grauiter quandoque inter ſe committuntur, dum vna in alterius iura innolat. Quid ergo aſſerendum videbitur, ſi v. g. Rex quiſpiam æquè ſupremus, Gallicæ Coronæ Iura Regia inuaſerit, an non Rex Chriſtianiſſimus iuſto aduersùs ipſum indicto bello, victor euadens, non ſuæ dumtaxat Maieſtatis iura ſibi vendicabit, ſed Regni ſui aggreſſorem ſuis quoque Regijs erga vrbes æquo prælio occupatas, iuribus ſpoliandum decernet? Sed quo iure? Non vtique directæ in eum ſupremum Regem iuriſdictionis auctoritate, ſed ex iure vindicandi iniuriam ſibi, Coronæque ſuæ Regiæ illatam.

An non igitur pari, imò maiori iure, ſi Rex terrenus inuadat iura Maieſtatis Pontificię, Eccleſiæque Sanctæ Bonum publicum perturbet; & legitimè admonitus, contumaci nequitia ſua peſſumdare contendat, ius erit Summo Pontifici, ſupremam auctoritatem ſuam eòuſque protendere aduersùs illum Eccleſiæ ſanctæ publicum hoſtem, quouſque Rex Galliæ prætendit, Supremæ Maieſtatis ſuæ poteſtatem præualere, ad Coronæ ſuæ iurium aggreſſorem æquè licèt ſupremum Principem, ſuis iuribus exuendum?

Ad huius confirmationem, ſequens accipe argumentum Theologicum ex vno per naturæ lumen conſpicuo, & altero per fidei lumen certificato principio, ſub legitima conſequentia deducendum. Nempe luminis naturalis certum ac indubitatum eſt morale principium, quòd ſupremæ Maieſtatis ius ſit, ſe ipſam & iura ſua propria eòuſque vindicare, vt ſub præuio iniuſtæ aggreſſionis iudicio etiam publico, poſſit iniuſtum ſuæ Maieſtatis aggreſſorem, Regem licèt æquè ſupremum, armis ſuis ſubigere, eumque ſic deuictum, ex parte ſaltem, vel ſi cauſæ æquitas, ſeù neceſſitas exigat, etiam ex toto deturbare Regno ſuo, exuereque Regia ſua ſuprema auctoritate. At fidei lumine certum eſt hoc alterum principium, quòd Vicaria in Eccleſia Chriſti poteſtas ſaltem vnà cum Concilio Oecumenico ſit ſuprema quædam auctoritas à Chriſto Domino inſtituta, obtinens ſummæ intrà Eccleſiam Maieſtatis, Iura, nulli alteri in terris ſubiecta, & ſubordinata, ſed ſoli Chriſti Iudiciariæ poteſtati ſubdita. Hiſce igitur duobus protſus certis, altero naturalis luminis, altero fidei principijs præſuppoſitis, quæ inde per legitimam conſequentiam Theologicam inferenda erit concluſio, niſi quòd Oecumenica ſupremæ Eccleſiæ poteſtas æquè, ac Regia ſupremi Principis auctoritas poſſit quemcumque ſupremum etiam Regem, ſanctæ Eccleſiæ, eiuſque ſupremæ Maieſtatis Iurium aggreſſorem, tùm iudiciaria poteſtate, tum ſpiritualis armaturæ potentia ſua, perſequi vſque ad ipſius exauthorationem.

PROBATIO IV.

In quà fit retorſio quarti Aduerſariorum argumenti deſumpti ex Chriſti Domini verbis Ioan. 18. pronuntiantis: Regnum meum non eſt de hoc mundo.

COarctemus rei præſentis argumentum ad illud præcisè Chriſti Regnum, quod eſt Eccleſia. Hoc myſticum Chriſti regnum non eſt de hoc mundo, tam originatiuè, quoad ſui inſtitutionem, quàm formaliter, quoad intrinſecam ſui cum fidei lumine, & ſupernaturalis Religionis infuſa virtute commenſurationem,quam etiam,quoad ſpecificationem petitam ex formali ſuo obiecto, quòd Clerus Gallicanus in primo articulo ſuo circumſcribit ſphæra rerum ſpiritualium, & ad æternam ſalutem pertinentium. Num verò Catholico Theologo digna vox eſſet, aſſeuerare, quòd vlla ex humano arbitrio dependens ſit moralitas, cui non ſuperſtruatur ordo ad ſalutem æternam, in tantum, vt quæuis dtordinatio à luminis naturalis moralitate, ex ſtatu ſupernaturalis eleuationis, inſeparabiliter importet deficientiam à ſupernaturali quoque moralitate, eiuſque ſpecificatiuo fine vltimo æternæ ſalutis? Num Eccleſiæ porrò regimen dicere fas eſt, conſiſtere in præciſa, priuatorum, & culuſuis Chriſtiani propriorum actuum ad ſalutem æternam ordinatione, non verò obtinere normam publici quoque Regiminis, fidelium ſub vno Capite, & Paſtore Oecumenico in vnitatem fidei coadunatorum, ſicque vnam Chriſtianam Rempublicam conſtituentium, moderantis, atque vniuerſale ſacræ Religionis Bonum ſub publico etiam Dei cultu, auctoritatiuè ordinantis ad æternæ ſalutis Finem Vltimum? Numquid ab hoc publico ſanctæ Eccleſiæ Regimine, ſub fidei vnitate omnimodam honeſtatem ſupernaturalem, cum æternæ ſalutis Fine vltimo, publicoque Religionis cultu myſterioſo proportionabilem, conuenienter ordinante, ac dirigente, excludere fas eſt, qualecumque Principis ſæcularis Regnum Politicum? Num huius ad æternam ſalutem ordinis tum priuati, tum publici, capacia negaueris Regiæ poteſtatis in Chriſtiano Principe reſidentis, exercitia, & actus morales etiam publicos.

Quan-

Quandoquidem ergo Regni Christi, nempè Ecclesiæ sphæra sit, quorumcumque Christianorum, moraliumque in his actuum, in salutem æternam, publicumque Dei cultum, communeque sanctæ Ecclesiæ Bonum ordinabilitas, sub hac autem sphæra contineantur etiam Regna, Regiæque potestates, nec non quicumque Christianorum, ipsorum adeò Regum actus morales, in salutem æternam, publicæque Religionis Bonum commune ordinabiles, consequens est, secundùm hanc ordinabilitatem, Regno Christi, nempè Sanctæ Ecclesiæ, eiusque Oecumenicæ potestati subesse quoque Regna, Regumque actus morales, circa rerum temporalium dispositionem versantes, secundùm dictam ordinabilitatem spectatos, atque ad hanc, ceù specificatiuum Ecclesiasticæ potestatis obiectum formale, se habentes, tanquam obiectum materialem. Quandocumque igitur Rex, quantumuis in linea politici regiminis supremus, molitur aliquid aduersùs publicum illud Sanctæ Ecclesiæ Bonum, ac regimen, suæ Regiæ potestatis actibus non tantùm desciscendo ab illa sphæra supernaturalitatis, in Sanctæ Religionis etiam publicæ, atque salutis æternæ finem ordinabilis, sed istud Ecclesiæ sanctæ publicum Bonum euertere conando, atque per schisma, seù peruersa, aduersùs Oecumenicum S. Ecclesiæ Pastorem, eiusque regimen conamina, turbando pacem, & tranquillitatem vnitatis fidei, ac Religionis etiam publicæ, ex tunc speciali etiam publici Ecclesiæ sanctæ Boni proterue violati titulo, incipit esse subiectius Ecclesiasticæ potestatis iudicio, eiusque auctoritati iudiciariæ.

Neque hoc mirum cuiquam videri debet expendenti, quòd, licèt hæresis crimen de natura sua non subsit potestatis Politicæ tribunali, vtpote cuius sphæra per se, ac directè loquendo, luminis naturalis limitibus circumscripta, super extendi haud valeat super fidei dogmata, atque adeò errores eisdem aduersantes dijudicandos. Nihilominùs, quia moraliter est impossibile, scissa religione in aliquo Regno, seruari posse illæsam tranquillitatem, & publicam politici quoque regiminis pacem, ideò propter hæreseos, huic publicæ pacis Ciuilis, Bonique Politici tranquillitati ineuitabiliter aduersantis nequitia, Rex suæ Regiæ Maiestatis potentia, seù iudiciaria, seù militari aduersùs hæreticos, imò ipsas etiam hæreses in suo Regno enascentes, vel ibidem iam adolescentes, meritò insurgit, non quidem per se, ac directè, sed quatenùs hæreses Politici regiminis Bono, & pacis publicæ tranquillitati nocent, vt sic enim tamquam obiectum materiale subduntur Politici regiminis ordinabilitati, ceù formali Regiæ potestatis specificatiuo obiecto, sub se adeò complectenti etiam hæreses, non formaliter, sed materialiter spectatas, quà nempè cum publico regiminis politici Bono pugnantes, vt sic enim respectu potestatis Regiæ, subeunt ratione obiecti materialis.

Cuius vlterior confirmatio desumitur ex eo, quòd Iuramenti vinculum sit de se spirituale, formaliter ac directè spectans ad solum Ecclesiæ Sanctæ tribunal. Nihilominùs Regia potestas legitimam habens auctoritatem super contractu Ciuili, qui eius subijcitur foro, potest hunc irritando, per consequentiam facere: vt, si iureiurando firmatus fuerit, huius quoque vinculum tunc per indirectum tollatur. Quam indirectam iuramenti solutionem Rex suprema sua auctoritate potest insuper præstare, ex causa legitima nomine alterius sibi subiecti contrahentis, remittendo obligationem contractus Ciuilis: vel etiam sanciendo, vt contractus, super quo adhiberi solet Iuramentum, ex causa publici Boni Ciuilis, sit illicitus, ac iniquus: hoc enim vtroque modo per indirectum soluitur iurisiurandi vinculum, spirituale licèt, ac solius Ecclesiæ, non Regiæ potestati per se formaliter ac directè subiectum.

Quòd si ergo Regia potestas, sphæra naturalis dumtaxat regiminis circumscripta, super spiritualia, tamquam obiectum materiale extendi valet, quatenus annexam habent aliquam, Politico regimini proportionatam ordinabilitatem, vel quatenus eum huius publicæ tranquillitate oppositionem præseferunt, quidni à fortiori dixeris, Ecclesiæ sanctæ Claues posse supra iura, & Regna temporalia, tamquam obiectum materiale superextendi, quatenus vel publicæ Religionis, ac Fidei vnitatis, atque cum æternæ salutis fine congruitatis ordinabilitatem, vel ab harum aliqua deficientiam, imò positiuam etiam repugnantiam præseferunt?

§ III.

Nostratis sententia Argumenta ex Antiqui Fœderis tabulis deducta resecruntur ac expenduntur cum conclusione super ijs reflexiua.

ARGVMENTVM I.

Ex 2. Paralip. 26. capite petitum.

Auctor Regalis Sacerdotij lib. 1. §. 2. o. r. argumentatur e. Oziam Regem, quamdiù Pontificis Azariæ mandato, & consilijs paruit, gloria, & victorijs floruisse: vbi verò Sacerdotis officium vsurpauit, lepra percussum, Templo, & Regno à Pontifice pelli, & Imperium filio tradi. Verba Scripturæ hæc sunt: [Sed cùm roboratus esset Ozias, elevatum est cor eius in interitum suum, & neglexit Dominum Deum suum, ingressusque Templum Domini, adolere voluit incensum super altare thymiamatis. Statimque post eum ingressus est Azarias Sacerdos, & cum eo Sacerdotes Domini octoginta, viri fortissimi restiterunt Regi, atque dixerunt: Non est tui officij Ozia, vt adoleas incensum Domino, sed Sacerdotum, hoc est, filiorum Aaron, qui consecrati sunt ad huiusmodi ministerium. Egredere de Sanctuario, ne contempseris, quia non reputabitur tibi in gloriam hoc à Domino Deo. Iratusque Ozias, tenens in manu thuribulum, vt adoleret incensum, minabatur Sacerdotibus. Statimque orta est lepra in fronte eius coram Sacerdotibus in Domo Domini super altare thymiamatis. Cumque respexisset

sum Azarias Pontifex, & omnes reliqui Sacerdotes viderunt lepram in fronte eius, & festinatò expulerunt eum: sed & ipse perterritus accelerauit egredi, eò quod sensisset illicò plagam Domini. Fuit igitur Ozias Rex leprosus vsque ad diem mortis suæ, & habitauit in domo separata, plenus lepra, ob quam eiectus fuerat de Domo Domini. Porrò Ioatham filius eius rexit Domum Regis, & iudicabat populum suum. Ea quo sacro textu talis efformatur argumentatio. Nempè Rex Ozias non tantùm, vt templo exiret, rogarus, sed etiam compulsus, & à reliquo populo, Summo Pontificis arbitrio separatus, & hoc ipso regno cautus est: sic enim haberur Leuitici 13. vers. 4. [Quicumque ergo maculatus fuerit lepra, & separatus est ad arbitrium Sacerdotis, &c. solus habitabit extra castra.] Sicut ergo ad Sacerdotem pertinebat de lepra Principis cognoscere, & si reperisset infectum, à commercio populi excludere, sicque inhabilem Regno pronunciare: sic multò magis in Noua Lege ad Summum Sacerdotem pertinet, de lepra spirituali iudicium ferre, & si periculum ea illa fidelibus immineat, Regnū Principi adimere, ne exemplo, imperio, & potentia Ecclesiam corrumpat. Quæ causa fuit Adriano, Leoni, & Stephano Romanis Pontificibus, vt Imperatoribus Græcis non tantùm in hæresim lapsis, eamque decretis & supplicijs Oriente toto propagantibus, sed etiam Occidentem inuasuris, Imperium abrogarent. Et quamuis illud præceptum de lepra corporali à Sacerdote cognoscenda, iudiciale fuerit, potuit tamen etiam in Lege Euangelica locum habere. Imò quoad lepram spiritualem, est præceptum morale fundatum in Iure Diuino naturali.

Obiectio.

Excipi potest ex aduersa parte, quomodò subsistat proximè adductum principium, quo asserebatur, [illud de leprà corporali à Sacerdote cognoscenda veteris Legis præceptum iudiciale, potuisse etiam in lege Euangelica locum habere?]

Responsio.

Reponi equidem potest, per principium proximè assertum minimè intendi; ac si illud præceptum formaliter sub Diuina, nempe Veteri Legi annexa, at per Christum euacuata formalitate sua, etiamnum locum haberet in Lege Euangelica, sed ipsomet Regalis Sacerdotij Authore insinuante, hoc tenere dumtaxat in vi Canonis I. de homicidijs: vbi sancitur: [Homicidij per industriam, vel insidias perpetrati authorem esse ab altari, ad quod confugit, auellendum, & Curiæ sæculari eradendum, vt moriatur.

Verùm neque ex isto Canone probatur Iudiciale illud de lepra corporali per sacerdotem cognoscenda præceptum, adhuc vigere in Noua Lege. Veteris equidem Testamenti leges, ceu Euangelicæ veritatis figuræ, quoad rem figuratam, & præsignificatam ita fuerunt consummatæ à Christo, vt veritas sic præfigurata re ipsa iam subsistat sub statu Euangelij. Vnde sicuti lepra corporalis per Sacerdotem cognoscenda, erat figura Diuinitùs instituta, ad præsignificandum Sacerdotij Christi super lepra spirituali indicium, sic indubitatum hinc desumitur argumentum, de ista Sacerdotij Christi propria iudiciaria super fidelium peccatis, seu lepris spiritualibus cognoscendis auctoritate. An verò ea ea figura efficaciter probari queat, quòd Sacerdotij Christi præsignificata potestas iudiciaria procedere valeat, ad ipsos etiam Reges exauchorandos, non immeritò dubitare licet, accuratiùs expendenti eam figuram.

Ea præadducto namque sacro textu non euinceitur, quòd Ozias per auctoritatem Summi Pontificis Azariæ sit exutus Regia dignitate, sed verba illa sacra Oziam lepra licèt percussum, & separatum, expresè appellant adhuc Regem ad mortis vsque suæ diem, sicque adeò vnà eum Scripturarijs, Salianus vsque ad Annum mundi 3277. sicuti etiam Isaias Propheta cap.6. pro eo anno, quo mortuus est Ozias, ipsum adhuc Regem nominat. Vnde Ioatham filius ipsius, nonnisi administratoria potestate regebat populum, vsque dum Ozias mortuus fuerat. Ex illo igitur Azariæ Summi Pontificis aduersùs Oziam Regem exemplo haudquaquam euincitur, potestatem exauctorandi Reges, fuisse annexam summo Veteris Legis Sacerdotio, sed potestatem dumtaxat cognoscendi super lepra corporali, sicque infectum separandi ab hominum consortio. Nec iuuat, si dicatur, illam super lepra corporali cognoscenda, leprosoque separando, præfiguratiuam Antiquæ Legis Sacerdotio competentem, potestatem, manere iam in Noua Lege, quatenùs in ordine ad lepram spiritualem, morale continet præceptum, in Iure Diuino naturali fundatum, vi cuius scilicet, Summo Pontifici incumbat, Ecclesiæ sibi commissæ prospicere aduersùs Reges, Fidei, ac Religionis Orthodoxæ inimicos, ne exemplo, imperio, & potentia eamdem Ecclesiam corrumpant. Hoc enim morale Iuris Diuini naturalis præceptum, num dicere fas est, præcontentum fuisse in præadducta Veteris Legis iudiciali lege? Vel potiùs ea alio fonte, ac fundamento desumendum est? Hujus quæsiti decisio ea præadductis sacræ Scripturæ verbis haud elucet, meritòque adeò istud difficultatis præcipuè punctum, reseruatur accuratè ponderandum, in conclusione inferiùs sancienda.

ARGVMENTVM II.

Ex 2. Paralip. 23. & 4. Regum 2. capite petitum.

Actor præinsinuati Regalis Sacerdotij, vbi supra argumentatur. Ioiada Pontifex loco allegato Athaliam, quæ Regno iniustè occupato, Idolorum cultum inuexerat, puniri iubet, & legitimum Regem solio restitui. Verba Scripturæ sunt ista: [Produxitque Ioiada filium Regis, & posuit super eum diadema, & testimonium, feceruntque eum Regem, & vnxerunt, & plaudentes manu, dixerunt, viuat Rex.] Et post pauca: [Præcepit autem Ioiada centurionibus, qui erant super exee-

exercitum, & ait eis. Educite Athaliam extra septa Templi, & qnicumque eam secutus fuerit, feriatur gladio. Pepigit ergo Ioiada fœdus inter Dominum, & Regem, & inter populum, vt esset populus Domini, & inter Regem, & populum.

Ex qua proinde historia euincitur, Pontificem maximum, cùm alios animos deficeret, Reginam tyrannidis damnare, milites conscribere, legitimum Regem solio imponere, fœdus non tantùm inter Deum, & Regem, sed etiam inter Regem, & populum pangere, & conditiones dicere, remque ciuilem iuxta, & militarem curare. Sed quo iure? nisi Iure naturæ, & necessitatis, ne scilicet impio Principe in thronum sublato, Religio Sacerdotibus commissa profligetur.

Si dicatur. [Notoriam hanc fuisse Athaliæ tyrannidem nullo iure Regnum inuadentis, & ideò non à Sacerdote tantùm, sed quolibet subditorum potuisse Regno, quod iniuria tenebat, repelli.] Aduersus hanc aduersariorum exceptionem pergit præcitatus Author, hunc in modum argumentari. Quemadmodùm, inquiens, Athaliam Summus Pontifex Regno eiecit, quia nullo iure regnabat: eodem modo, si Regnum aliquis sic administret, vt Religioni, & fidei noceat, deponi imperio potest, quia ius regnandi aut amittit, aut illo est indignus: potest enim aliquis, vel ab ipsis initijs regno indignus esse, quia nullum ius regnandi habuit, vt Tyranni: potest iterum indignus esse, quia licèt Regnum legitimè ingressus, posteà tamen ius regnandi amisit, aut meretur, ve amittat. Vtroque casu nullo iure regnatur, primò, quia non habuit: secundò, quia amisit, seu delicto perdidit; vti patet exemplo Oziæ. Sunt autem paria, non habuisse, & perdidisse. Hoc tamen iudicium, cùm sit de re grauissima, & Capita Reipublicæ tangat, quibus omni iure venerationem debemus, soli Pontifici Maximo reseruatur, cui soli dictum est: [Pasce oues meas.] Vt infra ex Cap. Ne aliqui. De Priuilegijs in 6. dicetur: alioquin Respublicæ latrocinijs plenæ, & parricidijs essent, quolibet, qui Principi vim inferre vellet, causam & salutem publicam prætendere. Simile exemplum de Phinees summi Sacerdotis filio Num. 25. habetur, cuius factum ex eo capite Diuus Thomas excusat 2. 2. q. 160. art. 6. ad 8. Quia licèt non esset summus Sacerdos, erat tamen Summi Sacerdotis filius, & ad eum hoc videbatur pertinere, sicut & ad alios Iudices, quibus hoc erat præceptum.

Obiectio.

Excipi potest in contrarium, ex quo fundamento illi, qui nullum ius regnandi habens, in via Iuris est Tyrannus, æquiparetur is, qui regnum legitimè ingressus, abutens suo iure regio, in via Facti est Tyrannus. De prioris equidem generis Tyranno, tenent Theologi communiter, cum Diuo Thoma 2. Sentent. dist. vlt. q. 2. art. 2. ad 5. posse à quouis de regno interfici, non tamen Iure vindictæ, sed Iure defensionis, eò quòd talis Tyrannus non sit Princeps, sed iniquus inuasor, & oppressor Reipublicæ, ac singulorum etiam ciuium: iniustus autem inuasor Reipublicæ, dum non superest aliud remedium, possit Iure defensionis per quemlibet ciuem è medio tolli: sic enim Aod sustulit è medio Eglon Regem Moabitarum, Tyrannicum Israelitarum oppressorem Iud. 3. & Iudith pari defensionis iure interfecit Holofernem, iniustum populi Dei impugnatorem. Hoc naturali defensionis iure attento, nullum est dubium, à Ioiada Summo Sacerdote 4. Reg. 11. & 2. Paralip. 23. iustè reprobatam esse Athaliam, regnum Iudaicum tyrannicè, absque vllo titulo sibi arrogantem, ipsaque adeò iustitia exigebat, vt Rex legitimus solio imponeretur. Verùm in hoc Ioiadæ Summi Sacerdotis facto needum ostensum est, [an iuris dumtaxat naturalis æquitate nitatur, vel speciali etiam Summi Sacerdotij iure aliquo.

Responsio.

Huius quæsiti elucidationem faciemus in sequenti conclusione nostra. Intereà obseruanda hic venit de posterioris generis Tyranno Theologorum sententia recepta. Nempe quamdiu manet Princeps, non posse à priuatis occidi, iuxta Concilij Constantiensis sess. 15. decretum de errore damnantis hunc articulum: [Quilibet Tyrannus potest, & debet licitè, & meritoriè occidi per quemcumque vassallum suum, vel subditum.] Etenim princeps, quamuis Tyrannicè imperet, manet re ipsa superior. Scriptura verò Christianos primitiuæ Ecclesiæ iubebat in rebus licitis parere Principibus, qui Ethnici erant, maximèque tyranni, ac persecutores Ecclesiæ. Hæc equidem sententia, & ratio procedit de Tyranno, quamdiu Princeps manet. At ex quibus, seu naturæ, seu sacræ Scripturæ principijs demonstrare licet, Regem legitimè ingressum iure Maiestatis Regiæ priuari ipso facto, si eius regimen fuerit tyrannicum? Vbi tyrannis eousque excreuerit, vt non videatur ampliùs tolerabilis, nec aliud supersit remedium, docent quidem aliqui Theologi à Republica, seu Comitijs Regni esse à Regia dignitate deponendum talem Tyrannum, declarandumque hostem, priusquàm in ipsius personam quidquam liceat attentare. Hæc autem Comitiorum potestas nititur, tum defensionis naturalis Iure, tum primæua origine Regiæ auctoritatis, penes populum Iure naturali primitùs subsistentis, nec nisi sub ista connaturaliter indita æqui regiminis conditione, & pactione, in vnum Caput Politicum, eiusque, seu hæredes, seu successores translati.

Quòd si proinde tyrannica eiusmodi gubernatio intrà puros naturæ lumini commensuratos limites subsistere posset, super ea dijudicanda fortassis extendere haudquaquam se posset Oecumenici Pastoris auctoritas, eo ipso tamen, quòd moralitatis naturali quoque lumini proportionatæ transgressio, propter eiusdem ad supernaturalem statum eleuationem, nullatenus subsistere iam possit, quin moralitatis quoque supernaturalis violatio, Pontificiæ Christi Vicariæ potestati indubiè subiecta, simul interueniat, [an non ex hoc saltem titulo super illam extendere se

Re 2 me-

meritò potest, ac debet supremi Pontificis auctoritas, maximè si emergat publicum etiam Ecclesiæ damnum? velut infra ex instituto probabitur ex sacris Litteris.

ARGVMENTVM III.

Ex Ecclesiastici 48. capite.

AVctor præallegatus argumentatur 3. Eliæ Prophetæ hoc elogium ponit Spiritus Sanctus Ecclesiastici 48. [Quis potest similiter gloriari tibi? Qui deiecisti Reges ad perniciem, & confregisti facilè potentiam ipsorum, & gloriosos de lecto suo, qui vngis Reges ad pœnitentiam, & Prophetas facis successores post te. Ex quo sacro textu hunc in modum ratiocinatur præfatus Author. Reges, quos vnxit Elias, fuere Azael Rex Syriæ, & Iehu Rex Israel. 4. Reg.19.

Si dicatur Elias id fecisse Dei iussu, non sua sponte: id quidem verum est, sed idem Dei mandatum Summi Pontifices acceperunt, cùm illis commissæ sunt oues Christi, quarum custodia necessariò requirit potestatem lupos arcendi, eosque, qui Ecclesiam inuadunt, exarmandi, ne, si velint, possint nocere. Hoc enim naturale ius defensionis, cùm singulis natura permittat, quantò magis Summo Pontifici in eos, qui Ecclesiam, ouesque Christi, ac sibi commissas animas aggrediuntur]. Hoc adeò casu poterit Summus Pontifex Eliæ exemplo, [deijcere Reges ad perniciem, & Reges vngere ad pœnitentiam.] Nam teste Diuo Ambrosio lib. 1. de Offic. cap.36.& S.Thoma 2.2. q.60. art.6. ad 2. Qui non repellit iniuriam à socio, cùm potest, tam est in vitio, quàm ille, qui facit.

Obiectio.

Excipi potest ex parte aduersa, illam argumentationem vnicè resolui in defensionis Ius naturale. At desiderari, vt ostendatur, [quomodò tale ius naturale in supernaturali Oecumenici Pastoralis muneris potestate sit eatenus diuinizatum, vt ex ipsismet fidei principijs per argumentum verè, ac strictè Theologicum firmari valeat?]

Responsio.

Hoc petitum sequenti ratione præstamus. In Elia etenim non præcisum ius Naturale defensionis præualere potuisset, nisi Dei mandatum extraordinarium ad deijciendos Reges, ipsorumque potestatem confringendam interuenisset, quo Diuino mandato vnicè nitebatur ille Eliæ spiritus. Sicuti ergo in hoc Propheta erat spiritus quidem non Oecumenicus, sed potiùs priuatus, illius dumtaxat personæ annexus, sic operæ pretium est, indagare, an ex sacris Literis probari valeat, [quòd pro perpetuo Ecclesiæ statu sit Pastorali Christi Vicario muneri annexus spiritus altioris ex Diuino mandato, quasi Diuinizatæ auctoritatis, ad confringendam iniquorum Regum potentiam, ipsosque adeò Reges Ecclesiæ sanctæ perturbatores, ac contra Christi Vicarium perduelles deijciendos?] Quod in sequentibus præstare totis viribus conabimur.

CONCLVSIO.

Regiæ potestatis erga Oecumenicam sanctæ Ecclesiæ auctoritatem, subordinatio ostenditur ex Veteris Testamenti superiùs allegatis sacris textibus.

EXplicatur. Sacerdotio Antiqui Testamenti fuisse iudiciariam quoque potestatem, ambigui Legum iudicialium populo Dei præscriptarum sensus, eatenus declaratoriam, vt super ipsis quoque Ciuilibus causis tamquam obiecto materiali se extenderet, euincitur ex Deuteronomij 17. vers. 8. vbi Deus ita sanxerat: [Si difficile, & ambiguum apud te iudicium esse perspexeris inter sanguinem, & sanguinem, causam, & causam, lepram & lepram, & iudicium intra portas tuas videris verba variari, surge, & ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, venies que ad Sacerdotes Leuitici generis, & ad Iudicem, qui fuerit illo tempore, quæresque ab eo, qui indicabunt tibi iudicij veritatem, & facies quodcumque dixerint, qui præsunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te, sequerisque sententiam eorum, nec declinabis ad dexteram, vel sinistram; qui autem superbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Deo tuo, & decreto Iudicis, morietur homo ille.] Ex quo sacro textu in tantum patet iudiciariæ sæcularis potestatis ad Sacerdotij Veteris auctoritatem subordinatio, vt iudicem sæcularem oportuerit, iudicij veritatem requirere à sacerdotio, faceteque, quodcumque ex huius iudicio fuerat sancitum, ac strictè sequi Sacerdotum sententiam.

Dici equidem fortassis posset, in Veteri Testamento leges iudiciales fuisse Diuinas, quarum adeò interpretatio meritò petenda erat à sacerdotali auctoritate, in Nouo autem Testamento Leges fori Ciuilis in causis, seu ciuilibus, seu criminalibus moderatrices, haudquaquam esse iuris Diuini, sed iuris humani, ab ipsis Regibus, & Imperatoribus latas, vt secundùm eorum normam peragetetur iudicium. Nihil ergo cum istis habere, quod agat suprema sacerdotij Christiani auctoritas, sed totum eiusmodi iudicium cum legum eiusdem moderatricum interpretatione, remittendum esse ad Reges, & Imperatores, seu iudices ab iisdem constitutos.

Verùm licèt hæc discrepantia inter Noui, & Antiqui Fœderis status Leges iudiciarias reuera, vti dicitur, ita se habeat, ex præaddncto nihilominùs sacro textu constat, quòd sacerdotale iudicium ita directè ferebatur super legis iudiciariæ Diuinitus constitutæ interpretatione, vt tamen indirectè per modum obiecti materialis attingeret ipsas quoque Ciuiles causas, præuiæ de legitimo legis sensu Sacerdotis sententiæ conformiter

miter diiudicandas; eodem sacro textu dilucidè sanciente: [Si difficile, & ambiguum apud sæcularis fori iudices perspectum fuerit iudicium inter sanguinem, & sanguinem, causam & causam, verè ciuilem, super qua intra laicæ potestatis portas, seu tribunalia existat iudicum variatio, eatenus debuisse iudicij veritatem indagari ex iudicio Sacerdotij,] vt in eiusmodi specifica causa oportuerit, iudices laicos, sequi sententiam Sacerdotum. In aperto igitur est, Sacerdotij auctoritati talem in Antiquo etiam Fœdere, debitam fuisse ciuilis potestatis subordinationem, vt illa indirectè se extenderet ad causas quoque Ciuiles, ceu obiectum materiale iudicij sacerdotalis, super iudiciariæ legis sensu per se formaliter, super eiusmodi verò causis Ciuilibus indirectè, & materialiter se protendentibus.

Et verò licèt Leges, secundùm quas fit iudicij ciuilis moderatio, non iam sint specificè Diuinæ, sed ab ipsismet Regibus, seu Imperatoribus, pro suo, seu Regno, seu Imperio latæ: attamen cuiuscumque legis ratio transcendentalis exigit ad essentialem sui valorem, vt non sit difformis, sed positiuè conformis Iuri Diuino, vel naturali, vel positiuo. Hæc autem cum iure Diuino etiam naturali conformitas, ex statu supernaturalis hominum eleuationis iam subsistere nequit, si qualemcumque habeat cum lege Diuina sacris Literis nobis patefacta dissonantiam. Sub qua adeò cuiuscumque cum honestate, sacris Literis sancita difformitatis formalitate, ad Ecclesiasticæ potestatis sphæram spectante, lex à Rege, vel Imperatore lata, per modum obiecti materialis, indirectè saltem subijcitur sanctæ Ecclesiæ auctoritati, ac iudicio.

Quemadmodùm igitur Deuteronomij 31. cap. 5. Deus imperanit, [vt ad verbum Sacerdotum omne negotium, & quidquid mundum, vel immundum est, finiatur. Sic in Noua Lege iudicium Regalis Sacerdotij, super legibus Regijs, & Imperatorijs, & consequenter super ciuilibus ex harum norma decidendis causis quibuscumque superextenditur, non quidem directè, ac per se, sed indirectè, & materialiter, quatenus Summi Oecumenici Pastoris officium requirit, prouidere, ne quid à Iure Diuino, seu naturali, seu positiuo distortum irrepat, siquidem deuiatio à naturali æquitate subsistere nequeat, quin habeat repugnantiam cum fine salutis æternæ, honestateque etiam supernaturali, ipsiusque etiam Religionis sanctæ decore. Sub qua adeò repugnantiæ formalitate, si quando in legibus Ciuilibus interueniat, istæ ceu obiectum materiale necessariò subesse debent iudicio Pontificiæ auctoritatis.

Quibus proinde suppositis, ad argumenta circa Pontificię super Regia potestate materialiter saltem spectata, causisque Ciuilibus auctoritatis extensionem, ex Veteris Testamenti sacris textibus petita, accuratiùs ponderanda procedemus, visuri, [quanta polleant vi, & energia ad demonstrandam politicæ potestatis respectu Ecclesiasticæ auctoritatis subordinationem?

PROBATIO I.

Desumpta ex 2. Paralip. 26. capite.

Etenim quia Veteris Testamenti Sacerdotio potestas erat, per Verbi Diuini interpretationem formandi, ac ferendi sententiam super veritate iudicij, causam etiam Ciuilem concernentis, vti liquet ex præallegatis Deuteronomij sacris textibus, à fortiori dicendum est, id Sacerdotium habuisse talem auctoritatem super causis spiritualibus, qualis erat Oziæ arrogata præsumptio: [Vt templum ingressus, adoleret incensum super altare Thymiamatis. Super hac igitur Diuini ordinis transgressione non ex priuato dumtaxat, sed sacerdotalis auctoritatis publico iudicio, Azarias Sacerdos Summus, vnà cum reliquis octoginta Sacerdotibus ferebat sententiam, positiuè resistendo, sicque auctoritatiuè dicendo: [Non est tui officij, Ozia, vt adoleas incensum, sed Sacerdotum, qui consecrati sunt ad huiusmodi ministerium. Quòd si ergo in Noua Lege contingeret Regem quempiam Christianum inuolare in Iura Sacerdotij supremi, Ecclesiæque sanctæ pacem, eiusque supremam auctoritatem iniquis machinationibus perturbare, ac pessumdare, imò sibimet arrogare & vsurpare, an minus dixeris esse in Nouæ Legis, ac in Antiqui Fœderis Summo Sacerdote auctoritatis ad pronunciandum iudicialiter super tali Regis quantumuis supremi arrogantia. Equidem lubens dabo, Azariam Summum Sacerdotem non exauthorasse Regem Oziam in tantùm, vt ipsi adimeretur Regiæ potestatis ius, exutus tamen fuit eius exercitio.

Nec porrò dicere fas est regiminis publici administrationem Regi Oziæ ademptam fuisse, non tam ex sententia Summi Sacerdotis, quàm per [consequentiam dumtaxat, quòd à Domino percussus lepra, exinde à consortio hominum separatus degeret.] Nam sacer textus expressis verbis ait, Oziam eum Sacerdotibus; vbi vidisse, lepram ex Oziæ Regis fronte apparere, festinatò eum expulisse, non alio vtique, quàm auctoritatis publicæ potestate. Ex qua etiam auctoritate iuxta Leuitici decimum tertium caput penes Sacerdotem stabat arbitrium separandi leprosum. Quod adeò arbitrium Azariæ erga Regem Oziam non operabatur dumtaxat localem ab hominum consortio separationem, sed formalissimam à Regio regimine auulsionem, ita vt Iure Regio penes ipsum habitualiter adhuc subsistente, eius tamen exercitium ipsi abrogaretur in tantum, quòd Ioatham filius ipsius iudicaret ex tunc populum, vtique non patris nomine, cùm de hoc nihil dicat Sacra Scriptura, [sed absolutè absque vllius erga Oziam in administrando regno dependentiæ mentione asseueret, Ioatham ex tunc rexisse domum Regis, & populum terræ.]

Sicuti ergo quisque priuatus leprosus arbitrio Sacerdotis erat à consortio hominum separandus, veluti ciuiliter mortuus, adeòque iure ciuilis societatis spoliatus; sic

Oziæ Regis per Sacerdotis arbitrium ab humano consortio separatio, facta erat etiam quoad politicæ cum subditis communionis auulsionem Regiæque adeò potestatis, vel per se; vel per alium, seu Vicarium suum exercendæ priuationem, cum ceteroqui non tam Ioatham, quàm Ozias pater dicendus esset illo adhuc tempore regnasse, quemadmodùm haud simpliciter, & absque addito Vicariam dumtaxat potestatem denotante, dicendus esset regnare; subiens vices Regis qui actualis adhuc regiminis per alium scilicet exercendi clauem, seu ius Regiæ administrationis non radicaliter dumtaxat, sed quoad actualis per alium suo nomine peragendæ administrationis adhuc obtineret. Quia igitur Summi in Antiquo Fœdere Sacerdotis iudiciaria potestas se protendebat super Regis Oziæ, Sacerdotale munus sibi arrogantis scelere, eiusque lepra à Deo percussi quoad ciuilem quoque & politicam gubernationem separatione, atque adeò Regiæ administrationis exercitio adimendo, quid ni dixeris, Oecumenicam Summi in Nouo Fœdere Pontificis auctoritatem prorendi super Regum temporalium, in Iura sanctæ Ecclesiæ insolantium præsumptuosam arrogationem, eorumque hinc à fidelium publica communione separationem, imò & Regiæ administrationis, quinimò Iuris quoque Regij, si publicæ necessitatis ratio expostulare videbitur, priuationem, prout hæc in subsequentibus per Noui Testamenti paginas luculenter ostendentur.

PROBATIO II.

Desumpta ex 2. Paralip. 23. & 4. Regum 11. capite.

Libenter damus, Athaliam, de qua in hisce sacræ Scripturæ locis est sermo, fuisse de genere illorum, qui non tantùm in via Facti, sed etiam in via Iuris sunt Tyranni, quorum ea est conditio, vt à quouis Regni concione non quidem Iure vindictæ, sed Iure defensionis occidi possint, vti ex S. Thoma, & communi Theologorum sententia est traditum supra num. 56. Num verò dicere fas est, Ioiadam Pontificem ex hoc priuato dumtaxat Iure defensionis naturalis, egisse aduersùs Athaliam Regni Iudaici tyrannicam Dominatricem? In hoc Summo Pontifice ex constitutione Diuina 6. cap. Deuteronomij erat auctoritas iudicij veritatem definiendi, ex sacrosanctis status illius Mosaici legibus. Hæc verò auctoritas Pontifici Summo Diuinitus attributa, extendebat se ad omne negotium, omnemque causam, ciuilis quoque status propriam, vti apertè liquet ex 17. & 21. Deuteronomij ca. Hoc igitur auctoritatis Diuinitus constitutæ Iure: quis negare ausit, visum fuisse Ioiadam Summum Sacerdotem aduersùs Athaliæ tyrannidem, coùsque procedendo, vt & ipsam Regni possessione spoliandam decerneret, & ad eam ab vsurpata regiminis possessione detrudendam, milites conscriberet, legitimumque Regem solio imponeret, fœdere inter Deum ac Regem, nec non inter Regem, & populum sancito, non ex priuato sensu suo, sed ex publica auctoritate Sacerdotij, ius Diuinitus sancitum habentis super eiusmodi iudicij veritate; & iustitia.

In prææallegato equidem Deuteronomij cap. 17. habetur vt, postquàm Sacerdos docuisset veritatem Iudicij, Iudex proferret huic conformiter sententiam executioni demandandam: sub ipsa etiam mortis pœna inobedienti Diuinitus destinata. At in casu illo Athaliæ Regnum iniustè occupantis, dum nullus erat constitutus Iudex Laicus, Rege legitimo exturbato, & pro tunc in ius suum restituendo, ipsemet Pontifex proferens veritatem iudicij (quod tamen per Iudicem laicum huic iudicio suo ex Diuinæ Legis dispositione subordinatum, executioni demandari pro tunc haud poterat) qua, nisi sua Summi Sacerdotij per Deum constitura auctoritate progrederetur ad finem, tali negotio imponendum, Deo, Deuteronomij 21. v. 5. statuente, vt omne negotium ad verbum Sacerdotum finiatur.

Iuxta hoc igitur Ioiadæ Summi Sacerdotis exemplum, quis Summo Noui Testamenti Sacerdotio negare ausit potestatem aduersùs tyrannos absque legitimo iuris titulo Regni cuiuspiam inuasores, procedendi ex publica, etiam iudiciaria auctoritate.

Illorum equidem Tyrannorum, qui legitimum Regni ius obtinent, sed in via Facti tyrannicam obeunt gubernationem, nulla erga subditos iustitiæ, ac æquitatis attentatione, alia sors & ratio est, ita vt secundùm Concilij Constantiensis Decretum nefas sit à priuatis quibuscumque ipsos interfici. Attamen eorum tyrannica iudicia, æquitatis & iustitiæ ordinem peruertentia, imò funditus euertentia, ex eo, quòd supernaturali honestati; indeque saluti æternæ positiuè oppositam contineant dissonantiam, ipsimet etiam Pontificiæ super omnes Christianos, atque adeò super quoscumque Christianos Reges, nec non super omnem, quæ super terram est, mortalitatem protensæ auctoritati sunt subiecta, eousque, vt potestatem istam Ecclesiasticam non audiens, instar Ethnici sit habendus. Attendant igitur Reges Christiani hoc Diuinum Ecclesiæ sanctæ Iudicium, ne eousque iniqui regiminis nequitijs se faciant reos, vt in statum Ethnicum nempe omnimodæ Diuinorum charismatum; & Ecclesiæ sanctæ beneficiorum communicationis expertem, sua censuris Ecclesiasticis digna iniquitate, se se conijciant.

PROBATIO III.

Petita ex Ecclesiastici 48. capite.

IBi namque agitur de Eliæ spiritu, coùsque Diuinitus subleuato, vt mandato Dei, & Reges inungeret ad pœnitentiam, & Reges deijceret, & confringeret ipsorum potentiam.] Hoc equidem Dei mandatum Eliæ, quà Prophetæ factum, non erat cum successionis iure propagandum in posteros, hinc tamen elucet, quoùsque spiritus Dei in Antiquo

aliquo etiam Testamento fuerit operatus. An ergo nefas erit, asseuerare talem Dei spiritum gratiæ non gratum facientis, sed gratis datæ, habere etiamnum locum in statu Legis Euangelicæ. Hanc profectò Christus, vt Regni sui mistici, Ecclesiæque suæ sanctæ statum sublimiùs adornaret, voluit condecoratam clauibus Regni Cælorum, Petro, eiusque successori perpetuò destinatis, cum potestate ligandi, & soluendi; quidquid esset super terram, in cælis etiam rato habito, atque adeò intrà conscientiæ forum comprobato, quidquid ex hac auctoritate in terris vel ligaretur, vel solueretur. In hac igitur soluendi & ligandi Oecumenica auctoritate subsistere etiamnum illum Eliæ spiritum non priuati, sed publici iam Regiminis, pro Religionis sanctæ, seu propagatione, seu conseruatione perquàm necessarium, mox elucidabitur ex Noui Fœderis sacris textibus, deinceps accuratiùs expendendis;

§. IV.

Nostratis sententiæ Argumenta ex Noui Testamenti sacris textibus desumpta referuntur, ac expenduntur, vnà cum, conclusione super ijsdem reflexiua.

ARGVMENTVM I.

Desumptum ex Matth. 16. v. 18.

AVctor præfati Regalis Sacerdotij cit. §. 2 n. 5. argumentatur I. ex verbis Christi Domini ad Petrum loco proximè citato prolatis, Et ego inquiuntis, dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersùs eam, & quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis. Ex his namque Christi Domini verbis sequens construitur ratiocinatio. Omnium Patrum tum Latinorum; tum Græcorum sententia est hisce verbis Petro promissum esse supremum, & Monarchicum Ecclesiæ regimen in his, quæ pertinent ad bonos mores, sanamque doctrinam. Ergo etiam omnia media necessaria promissa sunt, sinè quibus illa conseruari non possunt, & consequenter in bona, & Regna temporalia, quæ omnium consensu sunt propter bona spiritualia, eamquam media propter finem, concesso enim fine conceduntur omnia media illi necessaria; alioquin concessio finis foret inutilis. Quæ consequentia ex Matthæi verbis adducta, non est imaginaria, sed ex natura rei desumpta, & à legislatoribus, ipsisque Principibus approbata; sic enim loquuntur in Leg. 2. ff. De iurisdiction. Cui Iurisdictio data est, ea quoque concessa esse intelliguntur, sinè quibus iurisdictio explicari non potest. Quòd optimè animaduertit Gregorius VII. lib. 8. Epist. Habet enim, inquiens, potestatem Ecclesia Romana singulari priuilegio concessam aperire, & claudere ianuas regni cælestis, quibus voluerit. Cui ergo aperiendi, claudendique Cæli data potestas est, de terra iudicare non liceat. Et S. Leo IX. id Epist. aduersùs præsumptionis Michaelis Constantinopolitani cap. 13. His, inquit, & alijs quàm plurimis testimonijs iam vobis satisfactum esse debuit de terreno & cælesti Imperio. imò de Regali Sacerdotio S. Romanæ & Apostolicæ Sedis, præcipuè super eius speciali dispositione in cælis, si quo modo Christianis esse vel dici, optatis & si ipsam Euangelij veritatem apertè, quòd absit, non impugnatis.

Obiectio.

Excipi potest ex parte aduersa. Indubitatum equidem esse fidei principium, quòd Petro cum ordine ad perpetuum Ecclesiæ statum, eiusque adeò successoribus, illis Christi Domini verbis fuerit promissum supremum Ecclesiæ regimen. At dum additur, hoc regimen se tenere in ijs, quæ ad bonos mores, sanamque doctrinam pertinent, mox reproducitur difficultas iam sæpe attacta, & partim discussa cùm duplex sit moralitatis, adeoque sanæ doctrinæ linea, naturalis vna, & altera superuaturalis, in quantum super illa naturalis etiam moralitatis linea extendatur Ecclesiæ, ex fidei lumine potestatis suæ sphæram circumscribentis regimen?

Responsio.

Si hoc quæsitum definiendum videatur ex eo argumento, quòd Bona, Regna temporalia sint propter bona spiritualia, tanquam media propter finem, concesso autem fine, sinè concessa etiam media ad finem necessaria. Exinde mox enascitur ista difficultas; an Regna, & bona temporalia non tantùm ex personali cuiusque Christiani Charactere, ingenito debito, sine propter spiritualia, seu supernaturalia ita vt quisquis Christianus Rex est, in suæ Regiæ potestatis administratione teneatur habere salutis æternæ per eam consequendæ, Christique gloriæ promouendæ sollicitudinem sed verùm insuper Regna, & Bonam temporalia sint in Christiano propter supernaturalia æternæ felicitatis bona, secundùm publicæ etiam iudiciariæ potestatis respectum, ita vt huic propterea authoritati, ac iurisdictioni sint aliqualiter subiecta, & subordinata?

Hoc equidem optimo iure hic supponitur, sed nondum extat probatum, vel ex claro fidei principio, vel ex naturalis luminis indubitato fundamento, vt sic ex vtroque huiusmodi principio, inter se combinato, in vi demonstrationis strictè Theologicæ, inferretur conclusio de aliquali Imperij Ecclesiastici super Regni temporalibus iudiciaria potestate. Istud igitur conabimur præstare inferiùs, interea obseruare compellimur, quòd vix efficax ad hoc intentum fiat instantia ex Leg. 2. ff. de iurisdictione. Quilibet enim Rex supremus negabit, se hac lege obstrictum, nisi quatenus foret primi iuris naturalis, quod ostensu difficile est. Neque si concessa iurisdictione, censeantur propterea concessa ea omnia, quæ ad iurisdictionis exercitium sunt necessaria, exinde demonstratur, sed supponitur, iurisdictionis supra Regna temporalia, quoad causas ciui-

uiles, & status Politici proprios spectatæ, potestatem esse necessariam ad exercitium Oecumenici Pastoralis officij in Romano Pontifice residentis.

Et licèt Gregorius VII. ex potestate clauium ad cælum vsque claudendum, & aperiendum protensarum, inferat, oportere, vt Romanę Ecclesię liceat de terra iudicare, hinc tamen necdum euadit liquidum, an hoc de terra qua supernaturalis status limitibus circumscripta iudicium extendi valeat ad causas Ciuiles secundùm naturam suam hisce limitibus haud comprehensas?

Neque Leo IX. præcitatus ait, Regale Sanctæ Apostolicæ Sedis Romanæ Sacerdotium aliter supereminere terreno Imperio, nisi quatenus illud sit fundatum super speciali in cælis dispositione; ex quo haud quaquam elucescit, comprobati Sacerdotis illius Apostolici super terrenis Regnis quoad causas de natura sua ciuiles iurisdictionem. Præadducta igitur Christi verba ad hanc Cathedræ Apostolicæ potestatem Theologicè demonstrandam, altiori adhuc indigent indagine.

ARGVMENTVM II.

Petitum ex Ioann. vltimo capite.

ARgumentatur 2. præallegatus Regalis Sacerdotij Author c.6. Christum ibi dixisse Simoni Petro: Pasce oues meas; item pasce agnos meos. Ex quo talis formatur ratiocinatio. Non est dubium, omnes Christi fideles, omnesque magnates ad Christi oues pertinere, & hoc ipso eorum custodiam Petro, Petrique successoribus commissam esse, saltem quoad regimen spirituale, & illa, quæ ad salutem æternam spectant, sed fieri potest, imò sæpe factum est, vt eorum saluti expediat, aut etiam necessarium sit eos in ordinem redigere, aut potestatem, qua sibi, & alijs noceant, constringere. Cùm ergo ad ouium custodiam, curamque hæc potestas fuerit necessaria, Summo Pastori omninò concessa est, aut si concessa non est, ergo in necessarijs defuit Deus, imperato quidem fine, sed negatis medijs.

Obiectio.

Excipi potest ex parte aduersa. Ex dilucidis ratiocinationis illius verbis constare equidem argumentum eò collimare; quòd vniuersarum Christi ouium, inter quas sint etiam Magnates, Petro, eiusque successoribus commissa cura Pastoralis complectatur regimen saltem spirituale vnà cum suis, quæ ad salutem æternam spectant cohærentijs. At mox hinc emergere duas difficultates: quarum vna à viris Catholicis mota intra sacrum Concilium Tridentinum, sed non decisa quæstio in hoc se tenebat [An hæc cura complectatur non singulas dumtaxat Christi oues seorsim spectatas, sed quà constituentes vnam Christi Ecclesiam?] Cui conformiter prætendi posset, Reges, quoad suam particularem solummodò personam, non quoad Regiæ gubernationis ex Diuino Iure prætensam authoritatem, subesse Pastorali Summi Pontificis muneri;

Altera difficultas est [An cura illa Pastoralis ad vniuersa, quæ ouium Christi, ipsorumq; adeò Regum saluti æternę sunt consentanea, sese extendens, complectatur virgam coercitiuam, & non merè directiuam Pastoris nomini vti videtur proportionatam potestatem, quemadmodùm Pseudoreformati prætendunt?

Responsio.

Neutra equidem harum quæstionum in argumento superiùs deducto, adhuc apparet discussa, neque tamen euincitur inde Deus in necessarijs defuisse, imperato quidem fine, sed negatis medijs: quippe cùm illa necessitatis ratio, per quam adstrui debet Ecclesiasticæ auctoritatis super regimine Politico extensio, maneat adhuc suspensa, donec demonstretur, quousque voluerit Deus protensam virtutis suæ virgam, Eclesiæ sanctæ concessam. De quo proinde difficultatis duplicato puncto erit opportunitas differendi in sequentibus.

ARGVMENTVM III.

Ex Matth. 18. vers. 15. petitum.

AVctor prætactus cit. §. 2 n. 7. argumentatur 2. ex preallegato sacro textu hisce Christi verbis constituto [Si peccauerit in te frater tuus, vade, & corrige eum, inter te, & ipsum solum: si te audierit, lucratus eris fratrem tuum: si te non audierit, adhibe tecum adhuc vnum, vel duos testes, vt in ore duorum, vel trium stet omne verbum. Quòd si non audierit eos, dic Ecclesiæ, si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & publicanus. Amen dico vobis, quæcumque alligaueritis super terram, erunt ligata, & in cælis] Ex quo sacro textu sequens efformatur ratiocinatio.

Exinde namque patet, penes Apostolos, eorumque successores esse potestatem iudiciariam circa omnia delicta, & iniurias in proximum commissas, sicque adeo in defectu Magistratus secularis, iustitiam non administrantis, posse recurri ad Ecclesiæ Tribunal, ceu vltimum asylum aram innocentiæ; exemplo Theodosij propterea castigari, ac inde permoti ad sanciendam legem 20. Cod. De pœnis. Sic adeò Principis huis delictum ab Episcopo iudicatum, ac punitum fuit, illo nequaquam excipiente, aut iustè in populum perduellem fuisse sæuitum, aut ad Episcopos non pertinere iudicium super pœna, quam Princeps in subditos suos statuerit.

Circa illum porrò ex Matth. 18. capite allegatum textum, singulariter annotare licet, illic sermonem esse non de fraterna tantùm, seu occulta correctione, sed etiam de publica & coercitiua, veluti Interpretes communiter docent cum SS. Patribus, adstipulante Diuo Thoma in 4. sentent. dist. 18. quæst. 2. a. 1. Idque manifestè patet ex eo, quòd testes sint adhibendi: &, qui Eclesiam non audierit, sit instar Ethnici, & publicani habendus hoc est, ab Ecclesia separandus, adeò vt nec cibum cum illo sumere liceat Christianis 1. Corinth. 5. nec eum salutare 2. Ioan. v. 10. amittatque iurisdictionem, & authoritatem iudicialem Cap. ad probandum. De sent. & re iudicata.

Et

Et Cap. Sanctorum, 15. quæst. 6. Ex quo, alijsque Capitulis eadem causa 15. q. 6. & ca. Grauem. De pœnis patet, id extendi etiam ad Principes, modò sine non tolerati excommunicati; nam toleratis non adimi iurisdictionem, quales hodie sunt Principes hæretici, & olim Cæsares Romani, sed hisce omninò obediendum esse constat ex Cap. Iulianus 2. quæst. 3. & Cap. Sacerdos. causa 3. q. 7. in fine.

Obiectio.

Excipi potest ex parte aduersa, quod qualiscumque ex prææallegato Matth. cap. 18. sacro textu probetur coercitiua erga vniuersos Christi fideles se protendens auctoritas, hęc videatur mensuranda iuxta mensuram ab ipsomet Christo constituta, vt, qui Ecclesiam non audierit, instar Ethnici, & publicani habendus sit dum scilicet contumax Ecclesiæ rebellis cunctis instar Ethnici spoliandus est supernaturalibus Dei beneficijs, ex sacra cum fidelibus communione participandis. At intrà hanc sphæram nequaquam videtur côtineri Regia potestas, vtpote naturalis luminis sphæra circûscripta, iuxta prææadductos sacros textus, Ethnicis perinde, ac Christianis conueniens.

Responsio.

Altiori adhuc indagine dignum superest istud quæsitum, quomodò ex illa coercitiua Ecclesię potestate deponi possint Reges, atque sic per auctoritatem Ecclesiasticam vlteriùs procedi valeat, quàm ad Ecclesiæ rebellem detrudendum ad statum quasi Ethnici, cui statui, luminis naturalis sphæram haud excedenti, ex ipsa rei natura competit, in eoque, pee sacræ scripturæ auctoritatem comprobatur, subsistere integra Regia potestas?

Author præfatus equidem illius ex Matth 18. cap. desumpti sacri textus explicationem facere côtendit ex sacris Canonibus, vbi supra adductis [per quos à Iuramento fidelitatis liberantur subditi erga Principem, seu Regem Ecclesiæ rebellem] Attamen in præsentis disquisitionis puncto non tam conuenit ex sacris Canonibus exponere Ecclesiasticæ coercitiuæ potestatis sphæram, quam inuestigare certum fide principijs fundamentum, quo nitantur eiusmodi Ecclesiasticæ sanctiones. In quo proinde centro eruendo, hoc opus, hic labor est.

ARGEMENTVM IV.

Ex 1. Corint. 6. cap. desumptum.

Author prææadductus dicto §. 2. n. 4. argumentatur 4. Efficax iu hanc rem est locus Diui Pauli, loco citato sic loquentis [Audet aliquis vestrum habens negotium aduersùs alterum, iudicari apud iniquos, & non apud Sanctos? An nescitis, quoniam Sancti de hoc mundo iudicabunt? Et si in vobis iudicabitur mundus, indigni estis, qui de minimis iudicetis? Nescitis, quoniam Angelos iudicabimus, quantò magis secularia] Ex quo proinde sacro textu apparet, S. Apostolum agnoscere in Sacerdotibus, & Apostolorum successoribus potestatem de rebus sæcularibus iudicandi, eamq; probare à maiori ad minus per illa verba. Nescitis, quoniam Angelos iudicabimus, quantò magis secularia? Quasi diceret: Qui idoneus est ad maiora, multò magis est idoneus ad minora; vt ibi loquitur Diuus Thomas: idque ob periculum, ne ex crebro cum infidelibus commercio, eorumque gratiam captandi causa, fideles subuertantur. Sed Apostolis circa maiora occupatis, hanc potestatem iudiciariam vult ab alijs rerum forensium peritis exerceri, quos Beatus Apostolus contemptibiles in Ecclesia vocat, hoc est, respectu eorum, qui propugnandæ Religioni, lucrandisquè animabus student.

Hunc locum sic intellexit B. Clemens SS. Petri, & Pauli auditor in Constitur. Apostol. lib. 2. cap. 51. Quòd oporteat, in secunda Sabbathorum cognoscere causas. Adsint autem iudicio Diaconi, & Presbyteri, integrè iudicaturi, velut Dei homines cum iustitia. Cùm vtraque persona venerit, prout lex iubet, ambo, qui litigaur, statuantur in medio tribunali, ijsque auditis, sanctè iudicium pronunciate, studentes ante sententiam Episcopi, eos conciliare, ne exeat supra terram iudicium in peccatorem; prout in tribunali consortem, participemque causæ habet Christum Dei.

S. Anacletus Epistola ad omnes Episcopos, & Christi fideles: [Si fuerit sæculare negotium, apud eiusdem ordinis viros terminetur, iudicio tamen Episcoporum, cùm Apostolus priuatorum Christianorum causas magis Ecclesijs deferri, & ibidem sacerdotali iudicio terminari voluerit: omnis enim oppressus, liberè Sacerdotum appellet iudicium, & à nullo prohibeatur, sed fulciatur, & liberetur.]

Eadem Gregorij VII. est sententia lib. 8. Epist. 21. [Habet, inquientis, Ecclesia Romana potestatem singulari priuilegio concessam, aperire, & claudere ianuas Regni cælestis, quibus voluerit. Cui ergo aperiendi, claudendique cæli data est potestas, de terra iudicate non liceat? Absit. Num retinetis, quod ait Beatissimus Paulus Apostolus, quia Angelos iudicabimus, quantò magis secularia?]

Idem docuit Beatus Gregorius Magnus 2. par. Pastoralis cap. 7. vbi ex allegato Apostoli textu agnoscit quidem [potestatem in secularia Pastoribus datam, sed ea vti non vult, vt tantò spiritualibus negotijs attentiùs operam nauent.]

Meritò proinde Tyrinus in hunc locum Apostoli: [Nota, inquit, hæc iudicia causarum secularium inter Christianos committi consueuisse Episcopis, vel delegatis ab Episcopo Presbyteris, vt constat ex Clemente Romano, ex lege Theodosij, & Caroli Magni, & ex antiquo Ecclesiæ vsu: iudices enim in his causis sederunt Gregorius Thaumaturgus, SS. Ambrosius, Augustinus, Sinesius, alijque Episcopi. Sed crescente nimis numero Christianorum simul & litium, onus hoc reiectum est in humeros iudicum secularium iam Christianorum, vt ab initio sanctus Petrus apud eundem Clementem rectè monuit, Episco-

pus præfocatus secularibus negotijs, non possit vacare Verbo Dei.

Obiectio.

Excipi potest ex parte aduersa, desiderari, vt exponatur fundamentum illud, ex quo Episcopis fuerit olim concessa ea potestas diiudicandi causas seculares? Si enim radix potestatis eiusmodi esset ex vi iurisdictionis spiritualis in charactere Episcopali radicatæ, profectò Episcopi Gallicani hanc negando, aduersùs se ipsos pugnarent. Sed hac radice inuestigata, restabir discutiendum, [an eiusmodi Iudiciaria potestas propterea dicenda sit protendi super ipsam etiam Regiam potestatem, vel eius saltem exercitium?]. De hoc enim, quod est præsentis quæstionis punctum, nihil habetur saltem expressè constitutum in illo textu Apostolico. An ergo ex huius fonte erui possit argumentum, eorum aliquid concludens, hoc opus, hic labor erit.

Responsio.

Cornelius à Lapide in citat. sacrum textum num. 89. huius iudiciariæ in Episcopis, & Presbyteris potestatis fundamentum ponit tum ex hoc, si iudicium eiusmodi ad ipsos deferatur à partibus litigantibus, quasi arbitrium eorum postulantibus; tum ex eo, si huic Iudicio præferantur ab Ecclesia, vel à Republica: quemadmodum lex quoque in capit. Quicumque, & cap. Volumus, 11. quæst. 1. relata, adstipulatur. Ibi namque Theodosius Imperator, confirmante idipsum Carolo Magno, legitur sanxisse, [vt quisque siue reus, siue actor possit, relicto Tribunali seculari, etiam post litem contestatam, adire Iudicem Ecclesiasticum.] Supra qua proinde lege Imperatoria dignum est fieri reflexionem, an hæc potestas ab ipsis Imperatoribus fuerit liberaliter concessa Ecclesiastico Iudici, vel potiùs in potestate Ecclesiastica, quam Imperatores illi ex Christianæ Religionis decentia reuerebantur, sit radicata?

Benedictus Iustinianus in eit. 1. ad Corinth. cap. 6. ait, fuisse, qui existimarent, illum Apostoli textum taliter accipiendum esse, quòd ciuitas Corinthiorum in Gentilium, & Christianorum partes diuisa, duplicem habuerit Magistratum secularem, vnum pro Christianis, alterum pro Gentilibus constitutum. Verùm de hoc meritò ambigitur, minùsque cohærere videtur cum præadductis Apostoli verbis. Quare idem Iustinianus censet probabilius; [Illam constitutionem Apostolicam non tam intelligi de legitimis iudicijs, quæ à Magistratibus, publicisque Iudicibus exercerentur, quàm de sponte susceptis, seu potiùs publica Ecclesiæ auctoritate constitutis, & ad lites dirimendas, & controuersias componendas adhibitis, ne cogerentur fideles Gentilium tribunalia non sine scandalo adire, quod in rebus quidem ciuilibus, iam inde ab initio nascentis Ecclesiæ, ita ferè vsurpari consueuisse, vt, quoniam Episcopus Ecclesiasticorum criminum Iudex erat, & quæ Ecclesiastica censura corrigenda essent, suo iudicio, sententiaque statuebat, idem etiam ciuiles controuersias sedaret, prout perspicuè cognoscitur ex Clemente, alijsque seu Pontificibus, seu antiquæ Ecclesiæ sanctis Episcopis ibidem fusiùs relatis.]

Sed in hac ipsa etiam Iustiniani ratiocinatione difficultas persentitur, quo iure Episcopus ex eo, quòd ius haberet, ea, quæ Ecclesiastica censura essent corrigenda, suo iudicio & sententia statuere; [potestatem suam protenderet super quibuscumque ciuilibus causis sedandis?]

Auctor inextinctæ sacri Tridentini Concilij Veritatis tom. 4. tract. 10. sect. 2. §. 8. Ecclesiasticorum Tribunalium sphæram circumscribit hisce verbis: [Quæ causæ diuino iure propriè pertineant ad iurisdictionem sacerdotalem, seu ad Forum Ecclesiasticum, ex dictis intelligere, non est difficile: omnes nempè, quæ concernunt societatem Christianæ Ecclesiæ, veluti quæcumque ordines, gradus, & officia ministrorum eiusdem respicientia, necnon stipendia Diuino Iure deputata ministris Ecclesiæ, hoc est decimæ, item causæ v. g. Matrimoniales, ex Sacramento aliquo Ecclesiastico dependentes, item Processus instituendi via, & modo correptionis Euangelicæ, insuper ea; quæ ad correctionem ciuilium Magistratuum pertinent, nullum alium super se Magistratum Politicum recognoscentium, in suo officio negligentium, seu delinquentium, vel aduersùm se mutuò, vel etiam erga subditos. Præter has verò causas, si quæ aliæ ad Ecclesiasticum, & Episcoporum Iudicium sunt alicubi translatæ, vel longa consuetudine hoc obtentum est, vel donatione Regum, aut Principum, siue vltronea populorum submissione iurisdictionem etiam secularem obtinent Episcopi.]

Illa igitur Ecclesiasticæ potestatis sphæra, si attendatur taliter circumscripta, semper adhuc remanet difficultas, quomodo Ecclesię auctoritas tribunal aliquod potuerit vmquam erigere, super causis merè ciuilibus, & à fortiori, [quomodo Regia potestas quoad causas sui fori proprias possit vmquam prætendi subiecta supremę Pontificis Maximi auctoritati?]

Ad præallegati igitur sacri textus Apostolici energiam magis elucidandam, sequens argumentum Theologicum hic breuiter, in subsequentibus autem fusiùs deducendum, in medium proferimus. Etenim in illis etiam causis, in quibus interueniat aliqua ratio, statum supernaturalem concernens, si concurrat simul ratio quæpiam, respiciens luminis naturalis sphæram, non meritò prætendit Politicus Magistratus, sibi præueniendo saltem, esse ius, causam eiusmodi cognoscendi, diiudicandi, ac defendendi. Quidni ergo indubitatum teneat vicissim hoc iuris principium quotiescumque in causa luminis naturalis sphæræ commensurata, sicque adeò ad Tribunal seculare spectante, concurrit moralitas ad supernaturalis status sphæram indubitanter pertinens, posse consequenter trahi ad tribunal, Ecclesiæ clauium, ex indefinita ligandi, & soluendi quodcumque super terram, potestate consistentium, cum ordine ad salutem æternam vnicum supernaturalis status finem, adeòque mensuram sphæræ causarum, ad Ecclesiasticum Tribunal spectantium? At indubitata fidei veritas est, nullum esse actum à

lu-

luminis etiam naturalis moralitate deficientem, quin eo ipso consistat simul sub sphæra deordinationis à fine salutis æternæ, atque adeò sub hac formalitate spectet ad iudicium Ecclesiasticum.

Etsi verò in omnibus circa causas etiam ciuiles controuersijs, ex alterutra litigantium parte interueniat aliquid à iure æquitatis saltem naturalis exorbitans, quæ exorbitantia ineuitabiliter infert deuiationem à fine supernaturali, vt sic subiectam potestati, statui supernaturali proportionatæ, indefinitaque supra omne id, quod est super terram morale, ligandi & soluendi auctoritate munitæ. Nihilominùs quia ista cum æquitatis naturalis transgressione ineuitabiliter connexa moralitatis supernaturalis deordinatio, necdum est determinatè manifesta, quòusque causæ ciuilis controuersiæ fit decisio, & ex parte condemnata, contumax contradictio; ideò Forum Ecclesiasticum causis ciuilibus litigiosis nòn tam facilè se immiscet, quousque accedente pertinacia, apertè agitur de reatu, salutis æternæ dispendium subinferente: quamquàm aliàs ea præadducto fundamento, Ecclesiastica auctoritas se omninò posset ingerere, accedentibus præsertim causis specialibus, Christiannrum salutis respectum habentibus, vti euenerat in Corinthijs, ex quorum occasione Paulus propterea Apostolica sua, licèt non ordinaria, sed extraordinaria, & per Christum quasi delegata potestate considerat statutum superiùs adductum.

Atque hæc profectò causa est, cur Theodosius Imperator, & ipsi conformiter Carolus Magnus sanxerit legem, [in vi cuius Christianus quisque siue reus, siue actor possit, relicto Tribunali seculari, etiam post litem contextatam, adire iudicium Ecclesiasticum.] Sed hæc fusiùs discutientur infra, vbi patebit quoque, qua ratione Ecclesiastica potestas in vi præadducti fundamenti, extendi valeat ad causas ciuiles, Regio Tribunali alioquin subiectas, ac super ipsomet quoque Regiæ potestatis exercitio publico.

CONCLVSIO.

Regiæ potestatis erga Oecumenicam Summi Pontificis auctoritatem subordinatio, demonstratur ex noui Fœderis tabulis, textibusque sacris superiùs adductis.

EXplicatur. Etenim Oecumenica Summi Pontificis auctoritas Petro fuit promissa hisce Christi Domini verbis Matthæi 16. cap. ver. 18. & 19. exaratis. [Ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersùs eam. Et tibi dabo claues Regni cœlorum. Et quodcumque solueris super terram, erit solutum & in cœlis, & quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis.] Quæ adeò clauium potestas promissa Petro, non erat alligata ad ipsius personam, sed ex vi verborum Christi habet ordinem ad perpetuum Ecclesiæ, à portis inferi numquam superandæ statum. In vi ergò huius ad perpetuum Ecclesiæ statum connexionis, potestas illa determinabatur, propaganda per successionem, atque adeò in vi eiusmodi diuinitùs determinatæ successionis, quisquis legitimè designatur Petri successor, immediatè ex ipsa Christi constitutione; adeòque ex Iure Diuino accipit indefinitam auctoritatem ligandi, & soluendi, quidquid morale est super terram, quatenus tamen habet respectum ad Regnum Cœlorum, in ordine ad quod à Christo definitæ sunt claues, cum potestate illa indefinita soluendi, & ligandi super terram. Quandoquidem ergo Christus nihil de eo genere, quod super terram morale est, aliquo ad Regnum Cœlorum respectu vestitum, excipiat ab illa indefinitæ ligandi, & soluendi potestate, venit hìc specificè iam indagandum, [an de tali regnum cœleste respicientium rerum genere sint etiam Reges, eorumque potestas regia,] si non in se ipsa formaliter spectata, saltem qua applicata subiecto insignito charactere Christiano, vnà cum eorumdem vniuersis actibus moralibus, ipsoque adeò Regiæ potestatis exercitio, vt euincatur inde, subesse Summi Pontificis, Petro legitimè succedentis, Oecumenicæ potestati? Quod sequentibus adeò probationibus per sacræ Scripturæ textus firmare in præsenti est animus.

PROBATIO I.

Ex allegatis Christi Domini verbis Matthæi 16. præscriptis desumpta.

ETenim, quis vlli Christiano Regi eam inurere contendet ignominiam, ac si ex charactere Christi, quo in Baptismate est insignitus, non æquè: ac cæteri homines Christiani, haberet signum Diuinitus impressum coordinatiuum animæ ad regnum Cælorum, subiectæ adeò clauibus Regni Cælorum? Harum verò Petro, eiusque successori perpetuo, illis verbis promissarum clauium sphæra, ibidem describitur ex indefinita ligandi, & soluendi potestare supra omne morale protensa, quod ita est super terram, vt tamen respectum habeat ad Regnum Cælorum. At verò vniuersi hominis, Christiano præsertim charactere insigniti, actus eatenus habent respectum ad Regnum Cælorum, vt, si moraliter boni sint intrà lineam supernaturalem, eo ipso habeant, in peccatore quidem congruæ, ad gratiam dispositionis, seu impetrationis valorem, in homine autem iusto obtineant condignitatis valorem respectu vitæ æternæ meritorium. Si verò actus moraliter boni fuerint intrà lineam honestatis purè naturalis, non quidem positiuam habent respectu gratiæ, ac gloriæ æternæ proportionem, sed negatiuam dumtaxat, quatenus vbi non vrget aliquod supernaturalis actus pro hic, & nunc eliciendi præceptum, pro tunc faciunt, ne homo ponat obicem gratiæ, neue peccati cum vita æterna pugnantis reatum aliquem eo instanti contrahat. Quòd si verò actus quicumque morales soli etiam naturæ luminis dictamini

repugnare videantur, eo ipso tamen, quòd homo sit eleuatus ad statum supernaturalem; & , si Christianus sit, talis suæ eleuationis signum præferat ipso, per baptismum sibi indito charactere, nequit fieri, quin talis actus moralitas à naturali bonestate deflectens, non contrahat reatum peccati, fini etiam supernaturali, cælestis Beatitudinis repugnantem, sitque adeò subiecta clauibus Ecclesiæ.

Sub cuiusmodi adeò ad regnum Cælorum respectu indubitatum esse debet, omnis Christiani hominis moralitatem, seu naturalem, seu supernaturalem, seu bonam, seu malam subijci clauibus Regni Cælorum, indefinitæque adeò Petro, eiusque successori promissæ ligandi, & soluendi, quidquid est super terram, auctoritati. Cui proindè auctoritati indubitanter subiacet non cōscientiæ dumtaxat eatenus, quà per Sacramentalem absolutionem soluendus: sed quodcumque morale hominis Christiani vinculum est fori quoque externi iudicium, sub eo tamen ad Regnum Cælorum ordine respiciens; siquidem Christus indefinitè, absque vlla ad certum dumtaxat debiti moralis genus restrictione, sed eum protensione ad omne id, quod morale est super terram, pollicitus sit, illam ligandi, & soluendi potestatem. At in hoc genere actuum moralium, vel bonitatis in regnum Cælorum ordinabilis, vel malitiæ, à vitæ cælestis fine declinantis moralitatem obtinentium, est quodcumque Regiæ potestatis exercitium, eiusque vniuersi, vtpote ad moralitatis lineam verè spectantes actus, à politica cæteroqui, homini tamen ad statum supernaturalem eleuato inexistente potestate, super terram editi, cum ineuitabili ordine, vel deuiationis, vel tendentiæ ad Regnum Cælorum. Nefas igitur foret negare potestatis Regiæ homini ad statum supernaturalem eleuato inexistentis (præsertim si huius supernaturalis status sibi à Christo in Baptismate inditum signum in animæ suæ fronte gerat) qualiacumque exercitia, subesse Oecumenicæ Summi Pontificis Petro succedentis auctoritati, siue huiusmodi Regiæ potestatis actus proprij se habeant per modum legis, siue per modum sententiæ iudiciariæ, respiciantque non priuatum dumtaxat subditorum, sed etiam publicum politici regiminis Bonum, cùm vt sic etiam obtineant talem super terra moralitatem, quæ ipsum Regnum Cælorum respicere debeat.

Neque verò claues Regni Cælorum Petro, eiusque Successori commissæ, cum indefinita sua ad omne morale, quod est super terram, ligandi, & soluendi auctoritate ita coarctantur, vt instar Oeconomicæ potestatis, priuatum dumtaxat salutis æternæ commodum, in sibi subiectis ouibus, solùm sigillatim, ac diuisim spectatis, attendere debeatis, sed eo ipso, quòd secundùm Christi Domini sacrorum verborum contextum, habeant respectum ad Ecclesiam, quæ est Regnum quoddam ex cunctis Christi fidelibus coadunatum, oportet, illam indefinitam ligandi, & soluendi potestatem protendi etiam super publico Ecclesiæ, fideliumque in vnum Christi corpus mysticum coadunatorum Bono, quà in Regnum Cælorum tum æternæ fidelium salutis, tum Diuini honoris etiam publici finem respiciens ordinabili. Ex hac ipsa verò in publicum Ecclesiæ sanctæ Bonum ordinabilitate, oportet, vt Oecumenica Summi Pontificis auctoritas ferre possit etiam leges Ecclesiæ publico Bono conuenientes, exerceretque in foro externo iudiciariam, potestatem, pro exigentia non priuati dumtaxat fidelium erga salutem æternam commodi, sed communis Ecclesiæ sanctæ vtilitatis, atque publici sanctæ Religioni propagandæ, & conseruandæ proficui regiminis. At hæc ipsa publica Ecclesiæ auctoritas æquè sub indefinita, super omni eo, quod est morale super terram, protensa potestate comprehensa, nullam iterum habet exceptionem, sed vniuersalem, ex Christi verbis protensionem erga omnimodam moralitatē, quorumcumque, etiam Regum, Christi charactere insignitorum, atque adeò erga eorumdem vniuersas actiones morales, sicque proindè protendi debet etiam ad leges, sententias iudiciarias, aliosque actus politicos moralitatis ad Regnum Cælorum ordinabilis, formalitate, ineuitabiliter vestitos. Imò ipsa etiam Regiæ potestatis erga certum subiectum applicabilitas, atque eius auctoritatis in tali subiecto continuatio, non sunt quid merè physicum, sed morale, quempiam habens ordinem ad Regnum Cælorum, atque adeò spectat ad huius clauem, indefinitamque soluendi, & ligandi potestatem, complectentem id omne, quod est morale super terram: quod nempe est respiciens salutem æternam, sacræque Religionis, seu priuatam, seu publicam vtilitatem. Quid ergo in Rege Christiano est quocumque modo excogitabile, quod non sit subiectum Ecclesiæ sanctæ Clauibus, Oecumenicæque Summi Pontificis auctoritati, nisi fortè excipere velis Regiam potestatem quà formaliter spectatam, & quà Iure Diuino constitutam, prout in se, secundum suam præcisam essentiam consideratur, non verò quà subiectiuè recepta est in homine Christiano, atque ab huius morali exercitio, quoad actus sibi proprios dependens, quamquam hoc ipsum etiam Ius Diuinæ Regiæ potestatis formaliter constitutiuum, non quidem, vt sic, sed materialiter spectatum, prout scilicet prauitatis hæreticæ eam abrogare aliquando contenderetis est obiectum materiale, vt sic materialiter sub esse debebat etiam Oecumenicæ Ecclesiæ potestati, vtpote ex Diuino verbo eam, suarum Clauium auctoritate, defendere, ac tueri obstrictæ.

PROBATIO II.

Petita ex Ioannis vltimo capite.

His namque verbis, quam Christus Dominus cit. Matth. 16. cap. potestatem clauium promiserat Petro, cum perpetuo intra Ecclesiam ad finem mundi vsque duraturam, successionis ordine, eam post gloriosam suam Resurrectionem actualiter contulit eidem Apostolorum Principi, per verba dicta vlt. Ioannis cap. exarata. [Pasce oues meas, pasce agnos meos.] Hæc namque pascendi potestas ita habebat respectum ad singulos Christi fideles, verbo Dei, & correctione salutifera pascendos, vt simul habeat ordineas

ad

ad publicum Ecclesiæ regimen, Ecclesiamque sanctam, mysticum Christi corpus, ac Regnum, publica adeò auctoritate pascendum, sicque gubernandum in ordine ad communem sacræ Religionis vtilitatem. Cui proinde publici quoque regiminis, seu Christiani regni ordini subduntur, quotquot sunt Christi oues seu agni. Quis ergo Reges Christianos ab hoc Christi ouium ordine, ac regimine etiam publico exclusos velit, dum tamen Christus nullam suarum ouium, charactere nempe suo in Baptismate insigniatarum, ab illo pastorali munere, publici Ecclesiæ sanctæ regiminis normam præferente, exclusam voluerit?

Quòd si ergo Rex non pro sua dumtaxat persona extra sacrosancti einsmodi regiminis, ceu vniuersalis ouium pascui, limites aberret, sed alios insuper Christi fideles ab hoc Christi ouium grege abducat, imò ipsam etiam Ecclesiam, quoad publicum sacræ Religioni propagandæ, & conseruandæ conforme, Diuinitus constitutum regimen, infestet, eius Iura inuertat, ac peruertat, vnitatem fidei conturbare nitatur, seu eius perturbatores tueatur, & defendat, sanctamque Religionis publicæ pacem euertere moliatur, quomodò talis Rex Christianus, quoad omne id, quod in se super terram morale est, respiciens Regnum Cælorum, eiusque Claues, non subiacebit haud priuatæ dumtaxat correctioni, sed publicæ etiam correptioni Oecumenicæ supremi Pastoris auctoritatis?

PROBATIO III.

Desumpta Matthæi 18. cap. ver. 15.

IBi namque quisquis peccauerit, si correptus à fratre Christiani nominis consorte, altero etiam, vel tertio ad iteratam eiusdem correctionem assumptô, se non emendauerit, à Christo Domino decernitur denuntiandus Ecclesiæ, eousque processum suum protensuræ, vt, vbi Ecclesiam non audierit, sit habendus instar Ethnici, & publicani. Quæ proinde Ecclesiæ à Christo præcepta procedendi norma, non potest non esse iudiciaria, cùm nefas esset, absque substantiali processus iudiciarij solemnitate, quempiam spoliare Christianæ communionis luce, eumque eijcere extra Ecclesiæ communionem, ita vt ex tunc habendus sit instar Ethnici, & publicani. At verò ista correctoria, & coercitiua, publicæ Christianæ communionis priuationem inducens censura, Ecclesiasticæ auctoritatis indicio inferenda, à Christo Domino protenditur erga omnes, qui sub Christiani nominis consortio dici possunt ac debent, esse fratres; ex aperto sacro Textu. Hac autem Christiani nominis propria prærogatiua exutos se, vtique nolent Reges Christiani. Quos proinde oportet, omninò fateri, se subiectos illi correctoriæ, & coercitiuæ virgæ iudiciariæ Ecclesiasticæ auctoritatis. Etsi verò ex illis Christi Domini verbis dicti 18. capitis Matt. v. 17. exaratis, euinci videatur, istam iudiciariæ Ecclesiasticæ potestatis virgam correctoriam, & coercitiuam, in hoc terminari, & consumari, vt, postquàm Ecclesia processerit ad, eum, qui contumax est, à sui communione auellendum, ex tunc vlteriùs procedere haudquaquam valeat; Christo dicente: [Si taliter correctus Ecclesiam non audierit, habendum esse instar Ethnici.] communionis nempè Christianæ iure destituti, nulla vlteriùs ex tunc processus faciendi, sub illis Christi verbis mentione ibi habita.

Nihilominùs combinando ea Domini verba cum sacro contextu, nempè eiusdem capitis versu decimo octauo, ex hoc statim euiucitur potestas illa ad communionis Christianæ priuationem indicendam à Christo constituta, esse connexa, cum istis verbis: [Amen dico vobis, quæcumque alligaueritis super terram, erunt ligata in Cælo, & quæcumque solueritis super terram, erunt soluta, & in Cælis.] At verò hæc Apostolis etiam sigillatim, ac distrubitiuè spectatis, per modum tamen legationis dumtaxat concessa potestas (penes Petrum sollummodò existente ordinaria Oecumenica, in successores transferibili Marth. 16. promissa, & Ioannis vltimò collata auctoritate) ea, inquam, Apostolica potestas indefinitè complectitur auctoritatem soluendi, & ligandi quodcumque super terram est morale. Sub cuiusmodi adeò moralitatis linea comprehenduntur quæcumque, seu Regna, seu bona temporalia, quæ moralibus hominum actibus, & ordinationibus sunt subiecta. Quemadmodùm ergo ista ligandi, & soluendi potestas Apostolica protenditur super omni, quod super terram est morale, hominum arbitrio libero, eiusque ordinationi morali subiaceus, sic coercitiua illa, seu correctoria, per Christum cit. vers. 17. asserta, & concessa virga, cum illa Apostolica æquè per Christum, proximè subsequente decimo octauo versu tradita potestate, æqualem sortitur mensuram, in vi cuius protendatur super omne id, quod supra terram est morale, quale est quodcumque Regiæ potestatis exercitium, atque illius ad certum subiectum applicabilitas, cum eiusdem in hoc indiuiduo subiecto conseruatione, & continuatione.

Scio equidem, nonnullos prætendere, illam ligandi, & soluendi à citato versu 18. definitam potestatem Apostolicam, fuisse Apostolis collectiuè sumptis, adeoque in Concilio Oecumenico aggregandis, cum ordine ad Ecclesiæ quoque perpetuitatem, à Christo Dono communicatam: mox enim versu 20. & 21. subscribitur Concilij Oecumenici norma, sub qua Christus pollicitus est: [Vbi duo, vel tres in nomine suo fuerint congregati, se fore in medio eorum.]

Nihilominùs quomodocumque intelligatur illa Apostolorum ad ligandum, & soluendum potestas, siue dicatur fuisse respectu singulorum Apostolorum delegata, cum ipsorum adeò personis exspirstuta, & in solo Petro secundùm successionis Matthæi 16. definitæ ordinem perpetua, & ordinaria, in successores adeò transferibilis mansura, siue asseratur, Apostolis collectim spectatis, qua in Concilium aggregandis, tamquam ordinaria ad perpetuum Ecclesiæ statum propaganda, fuisse per Christum ibidem repromissa, hoc semper remanet liquidum, & ex verbis Christi mani-

manifestum, ne quidem Concilium Oecumenicum ex proprijs sui characteris essentia posse vllatenus subsistere, nisi sub nomine Christi, Vicariaque adeò ipsius auctoritate. Arqui ex hac Vicaria Christi auctoritate Oecumenica, (vbi in reliquis Apostolis delegata Christi erga vniuersum Christianum orbem potestas Apostolica, cum ipsorum personis iam est extincta) in nullo alio, quàm Petri successore, Romano Pontifice iam existente, subsistit essentialis character Concilij Oecumenici, debetque adeò huius super omni morali, quod est super terram, protensa ligandi & soluendi potestas indefinita, necessariò iam resolui in Oecumenicam Romani Pontificis auctoritatem supremam, Christi nominis prerogatiua eatenus præfulgentem, quatenus eiusdem Domini nostri, in Cœlis ad Patris dexteram sedentis, est Vicaria. Sed de hoc puncto singulariter agendum erit in sequenti articulo secundo.

PROBATIO IV.

Desumpta ex 1. Corinth. 6. capite.

Hic equidem Apostolus voluit, vt, qui secularia iudicia habuerint, id est, controuersias super rebus temporalibus iudicialiter decidendas, iudices, qui (respectiuè, nempe in comparatione ad altiores Dei causas) contemptibiles sunt in Ecclesia, constituantur ad iudicandum. Quod explicans Iustinianus ibi aduersùm quartum ait, Apostolum minimè loqui de legitimis iudicijs, quæ à Magistratibus, publicisque Iudicibus auctoritate publica exercentur, sed de ijs, qui communi sensu designati essent Ciuilium controuersiarum disceptatores. Quæ tamen expositio non videtur adæquata, attento integro Apostoli sacro textu, sic argumentantis versu 3. [Nescitis, quoniam Angelos iudicabimus, quantò magis sæcularia?] Vnde præcitatus Iustinianus rectè subdit ibidem, ex eo loco apparere, quòd Apostolus, Ius, & auctoritatem in res humanas, & politicas vsurparit, vtpote qui præcipiat, vt fideles fratrum lites decidant, quod deinceps omnes fere Episcopi suo Iure frequentarint.

Super quo proinde Iure fundatur hæc Apostolicæ, seu Episcopalis erga res humanas, & politicas auctoritatis radicatæ extensio, prout supra num. 108. deductum videre licet. Vnde præualidum desumitur argumentum pro Apostolicæ in Petri successore residentis, super causis etiam temporalibus, ac ciuilibus iurisdictionis protensione. Si namque inquiras; vnde Paulus talem potestatem sibi adsciuerit, in promptu est responsio, quòd cæteris, præter Petrum Apostolis, fuerit etiam à Christo immediatè commissa Apostolica auctoritas, seu generalis erga vniuersalem Ecclesiam iurisdictio, extraordinaria tamen, & quasi delegata, potestatique Petri quodammodò subordinata, vti Diuus Antoninus tract. de schismat. qu. 45. & Theologi communiter tradunt. Etenim quam Christus Dominus Matthæi 18. vniuersis Apostolis (vti supra num. 108. dictum est) promisit indefinitam ligandi, & soluendi potestatem, ijsdem hanc actualiter commisit Ioannis 20. dicens: [Sicut misit me Pater, & ego mitto vos.] Sub hisce quippe verbis secundùm Patres significatur legatio Apostolis commissa, de qua Paulus scribebat. [Pro Christo, inquiens, legatione fungimur.] Quam portò legationem fuisse respectu totius mundi, constat ex Matth. vlt. [Euntes prædicate Euangelium omni creaturæ.]

In vi cuius adeò legationis, Paulo, erga totum orbem in vnitate Ecclesiæ coadunatum, erat iurisdictio Apostolica, verè etiam Legislariua, quam ad Thessalonicenses 4. à se exercitam disertè profitetur. In vi cuius insuper potestatis Apostolicæ, Paulus præcitatus aiebat: [Nescitis, quia & Angelos iudicabimus, quantò magis secularia?] Quantò igitur magis talis super ciuilibus Christianorum causis iudiciaria potestas conuenit Petro, eiusque successorum ordinariæ, super ipsos etiam Apostolos, vtpote Christi oues, & Agnos, secundùm moralitatem ex arbitrio suo libero dependentem prætensæ auctoritati Apostolicæ, eo ipso, quòd nulla sub statu omnimodæ moralitatis ad supernaturalem quampiam participationem eleuatæ, sit intelligibilis humana libera actio, quæ non inuoluat aliquam respectu salutis æternæ, ac publicæ etiam Religionis, sanctæque Ecclesiæ boni communis, vel ordinabilitatem, vel ab hac deficientiam moralem, quam in hominibus Christi charactere insignitis subdi Ecclesiæ clauibus, indefiniteque ad soluendum, & ligandum potestati Apostolicæ, multimodè patet ex antecedentibus.

§. V.

Corollarium finale præsentis primæ Disquisitionis.

Infertur 1. Qualiter verificetur illa propositio, qua dicitur, Christi Vicarius Romanus Pontifex debere contentus esse claue Regni cœlestis. Etenim cuiuscumque potentiæ, seu potestatis duplex noscitur esse obiectum; formale scilicet ac specificatiuum, & materiale, seu terminatiuum. Oecumenicæ igitur Pontificiæ, ac Ecclesiasticæ potestatis obiectum formale, ac specificatiuum importat quidem ordinem ad Regnum Cœlorum, sicque adeò spiritualia per se habentia talem respectu Regni cælestis ordinabilitatem, per se primò subduntur Ecclesiæ clauibus, seu Ecclesiasticæ potestatis regimini, & auctoritati; quidquid tamen participat de tali ordinabilitate, est hoc ipso eius Apostolicæ potestatis obiecto materiali, atque adeò non per se primo; sed vel per accidens, vel secundariò sub eius formalitatis participatione, subijcitur sanctæ Ecclesiæ clauibus, earumque Oecumenicæ potestati. At verò quidquid moralitatis est in hominibus Christianis, eorumque actibus, & negotijs, seu causis quibuscumque, etiam ciuilibus, est vel ordinabile in regnum Cœlorum, vel ab hac ordinabilitate est deficiens. Sub tali ergo moralitatis, ipsiusmet etiam Regiæ potestatis exercicio conuenientis, seu debitæ ad certum

subiectum applicationi, eiusque regimini, de scilicet politico, inexistentis, ad Regnum Cæleste, tum triumphantis Ecclesiæ, salutem nimirum æternam pro cunctis Christianis à Deo destinatam, tum militantis Ecclesiæ bonum publicum ordinabilitate, quævis causæ ciuiles, & temporales, etiam publicæ, ac Regales, subeunt rationem obiecti materialis respectu Apostolicæ Oecumenicæ potestatis.

Infertur 2. Sub illa formalis, & materialis obiecti, potestatis Ecclesiasticæ seu specificatiui, seu terminatiui distinctione, ac descriptione facilè intelligi, quomodò Oecumenica Petri, eiusque successorum auctoritas, duplici potiatur gladio; altero super res spirituales: & quidem primò, & per se; altero super temporalia, sed quasi per accidens, seu directè, ac consequenter, siue secundariò se protendente. Etenim Auctor Regalis Sacerdotij præf. lib. 1. §. 2. num. 8. rectè ait, super Christi, ad Discipulorum verbum [Ecce duo gladij hic;] responso, Lucæ 22. prolato, satis est, varias equidem sanctorum Patrum tum mysticas, tum literales adhiberi expositiones, inter quas tamen sic præcipua: [Voluisse Christum duplici gladio duplicem potestatem exprimere Petro commissam: Spiritualem videlicet & temporalem: istam verò infisse in vaginam recondi, hoc est non manu, sed nutu & præcepto Apostolicæ Oecumenicæ auctoritatis, nec vindictæ, sed necessitatis causa exercendam.] prout sanctus Bernardus lib. 4. de consid. ad Eugenium. Sanctus Anselmus in Matth. cap. 27. Bonifacius VIII. in Extrauagante, Vnam sanctam, de maiorie. & obedientia. Abbas in cap. nouit, de iudicijs; doceant. Quibus adstipulando, Cornelius à Lapide in cap 26. Matthæi num. 5. inquit: [Allegoricè verba illa interpretantes passim per duos gladios accipere duplicem Ecclesiæ potestatem, spiritualem, videlicet, & temporalem.]

Quod vlteriùs firmatur sequenti argumentatione Theologica, ex duobus nempe omninò certis, altero fidei, altero lumine naturæ noto, principijs deducta. Etenim lumine naturæ notum est, cuiusuis potentiæ, seu potestatis sphæram extendi super omne id, quod ita comparatur ad ipsius formale specificatiuum, vt propterea respectu illius, superinduat rationem obiecti materialis. At ex fidei veritate compertum est, Oecumenicæ Petro commissæ clauium potestatis proprium, & formale specificatiuum esse ordinabilitatem ad Regnum Cælorum, [iuxta apertum Christi Domini verbum.] Quidquid ergo superinduit istam respectu Regni Cælorum ordinabilitatem, ita superuestitur formali specificatiuo Oecumenicæ Petro commissæ clauium potestatis, vt consequenter ad istam se habeat per modum obiecti materialis, & terminatiui. At quidquid in homine Christiano est morale, secundùm fidei principia, vel positiuè, vel priuatiuè participat de formalitate ordinabilitatis ad Regnum Cælorum. Ergo quidquid in homine Christiano est morale, per modum participationis, vel per modum priuatiuæ oppositionis, ita superinduit formalitatem Oecumenicæ Petro commissæ Clauium potestatis specificatiuam, vt consequenter sit de eius obiecto materiali, ac terminatiuo. At verò ipsius etiam Regiæ potestatis ad certum subiectum æquitati consona applicabilitas, vnà cum vniuerso regimine, ac exercitio libero eiusdem Regiæ auctoritatis, secundùm fidei principia superinduit de moralitate, vel ordinabilitatis ad Regnum Cælorum, atque salutem æternam, nec non publicum Ecclesiæ sanctæ Bonum, sacræque Religionis vniuersale vtilitatem, vel ab ista deficiendo, importat deordinationem saluti æternæ, atque Religionis Bono moraliter oppositam, & repugnantem. Ergo principia lumine naturæ conspicua combinando cum fidei principijs, per consequentiam verè Theologicam rectè infertur, Regiam quoque potestatem, cum sui ad certum subiectum applicabilitate, nec non publico etiam exercitio; superinduendo moralitatem in Regnum Cælorum ordinabilem, vel ab hoc ordine deficientem, ita superuestiri Oecumenicæ Petro commissæ Clauium potestatis formali specificatiuo, vt consequenter sit de Istius obiecto materiali; sicque adeò vnam (de scilicèt simplicem) Oecumenicam Summi Pontificis auctoritatem virtualiter continere duplicem gladium; primariò equidem spiritualis, secundariò autem temporalis super ipsos etiam Reges protensæ potestatis. At conclusio partim ex fidei, partim ex luminis naturalis certis, & indubitatis principijs, per consequentiam Theologicam ritè illata, ita reducitur in fidei principium, vt virtualiter saltem sit de fide. Videant ergo, qui Reges Summi Pontificis Oecumenicæ auctoritati subiectos negare contendunt, quomodo securè ambulent in fide orthodoxa?

DISQVISITIO II.

In quantum secundùm Sacrorum Canonum sanctiones supremi Reges Christiani subijciantur sanctæ Ecclesiæ clauibus, Summique Pontificis Oecumenicæ potestati?

§. I.

SAcri Canones reduci possunt in Verbum Dei, seu Christi, tum qua fontem, & fundamentum sanctionis ex Oecumenica per Christum constituta auctoritate promanantis, atque sic ex verbo Dei, ceu principio fidei demonstratur à priori Sacrorum Canonum, Christianos in conscientia etiam foro constringens auctoritas: tum reduci possunt in Verbum Dei, quatenus, dum inter Doctores super alicuius sacri textus legitimo sensu est disquisitio, ex sacrosanctis Canonibus, quasi à posteriori demonstrari potest intelligentia Verbi Diuini, ex quo, ceu fonte, sanctiones Ecclesiasticæ profluere, atque cum ipso conformari debent. In præsenti proinde disquisitione ex sacris Canonibus argumentando, vtramque viam tenebimus, tum à priori sanctionum eiusmodi firmitatem demonstrando per reductionem ad fundamentum

tum Verbi Diuini, tum à posteriori ex sacrosanctis Ecclesiasticis constitutionibus ostendendo Pontificiæ, ex qua promanant, auctoritatis sphæram, Christi Domini Verbo inconcusse stabilitam.

Huic igitur posteriori à nobis præintentæ viæ præit Auctor tractatus de libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ lib.4. cap.11. varia potestatis Ecclesiasticæ super Reges, ac Imperatores exempla allegando. Imperatoriam namque dignitatem, ait Carolo Magno à Leone III. Papa collatam Historici tum Græci, tum Latini, ac præcipuè Gallici perhibent. [Ipse autem Carolus, inquit, Eginhardus in Annalibus,scilicet ad annum 801.) cùm die sacratissima Natalis Domini ad Missarum solemnia Basilicam beati Petri Apostoli fuisset ingressus, & coram Altari, vbi ad orationem se inclinauerat, assisteret Leo Papa, Coronam capiti eius imposuit, cuncto Romanorum populo acclamante, Carolo Augusto à Deo coronato, magno, & pacifico Imperatori Romanorum vita, & victoria; post quas laudes à Pontifice more antiquorum Principum adoratus est, ac deinde, omisso Patritij nomine, Imperator, & Augustus appellatus.] Ne quis autem putet, Carolum quidem Imperatoriam dignitatem armis obtinuisse, à Leone autem ei coronam tantùm ex ceremonia, vt etiamnum in Gallia fit ab Archiepiscopo Rhemensi, fuisse impositam; scribit idem Eginhardus in vita illius Imperatoris, eum ab illo honore ambiendo ita fuisse alienum, vt si sibi deferendum præsensisset, abfuturus ab Ecclesia fuisset. [Quo tempore, inquit, & Imperatoris, & Augusti nomen accepit: quod primò in tantùm auersatus est, vt affirmaret, se eo die, quamuis præcipua festiuitas esset, Ecclesiam non intraturum fuisse,si consilium Pontificis præscire potuisset.

Summo Pontifici acceptam retulerunt Imperatoriam dignitatem Successores Caroli Magni. Egregium est huius professionis testimonium apud Andream du Chesne tom.3. scilicet epistola Apostolica Ludouici II. Imperatoris Occidentis, Lotharij filij, Ludouici Pij, Nepotis ad Basilium Orientalem Imperatorem missa anno 871. in qua sic eum alloquitur; [Cùm & ipsi Patres nostri gloriosi Reges absque inuidia Imperatorem non vocitent, & Imperatorem, esse procul dubio fatentur, non profectò ad ætatem, qua nobis maiores sunt, attendentes, sed ad vnctionem, & sacrationem, qua per Summi Pontificis manus impositionem Diuinitus sumus ad hoc culmen prouecti, & ad Romani Principatus Imperium, quo superno nutu potimur aspicientes.... Matrem omnium Ecclesiarum Dei defendendam, atque sublimandam suscepimus, ex qua, & regnandi auctoritatem prosapiæ nostræ seminarium sumpsit. Nam Francorum Princeps primo Reges, deinde verò Imperatores dicti sunt, ij dumtaxat,qui à Romano Pontifice ad hoc oleo sancto perfusi sunt.... Porro si calumniaris Romanum Pontificem,quod gesserit,calumniari poteris, & Samuel, quod spreto Saule, quem ipse vnxerat, Dauid in Regem vngere non renuerit.

Ad sanctam Sedem recurrerunt alij ad eamdem impetrandam dignitatem, quæ ipsis ex sola sanguinis cum præcedentibus Imperatoribus propinquitate, non debebatur, vt exemplum Caroli Calui demonstrat apud Sirmondum inter Concilia Galliæ, & apud alios.

Fusco Archiepiscopus Rhemensis, natalibus, doctrina, ac pietate celeberrimus, & à Regione, Baronio, & Molano Martyribus annumeratus, eò quod mors illi ob propugnata Ecclesiæ iura illata fuerit (vt rursus videas, doctrinam istam exemplis Sanctorum esse consonam) cùm audisset, Carolum Regem Francorum, vulgò simplicem nuncupatum, cui aliàs strictè adhærebat, velle cum Northmannis inire societatem, grauissimam ad eum epistolam scripsit, in qua hæc habet inter alia; [Deprecor vos itaque per Deum vt tale deseraris consilium, ne velitis vos in æternum præcipitare interitum; & mihi, cæterisque, qui secundùm Deum vobis fideles sunt, æterni doloris afferre dispendium. Melius enim fuerat, vos non nasci, quàm diaboli patrocinio velle regnare, & illos iuuare, quos deberetis per omnia impugnare. Sciatis enim, quia si hæc omnia feceritis, & talibus consilijs acquieueritis, nunquam me fidelem habebitis, sed & quoscumque potuero, à vestra fidelitate reuocabo, & cum omnibus Coepiscopis meis, vos, & omnes vestros excommunicans; æterno anathemate condemnabo. Pro fidelitate, quam vobis seruo, hæc gemebundus scribo.

Iuo Carnotensis Episcopus, doctrina & pietate illustris Epist. 46. quæ est ad Vrbanum II. supponit auctoritatem Philippo I. Francorum Regi per excommunicationem ademptam; quandoquidem scribit Summo Pontifici: [Hac ratione ex parte vsuri (Philippi Nuncij)Regem cum Regno ab obedientia vestra discessurum, nisi coronam restituatis, nisi Regem ab anathemate absoluatis.

Vnde inerat, nisi à pietate, atque à Religione, antiquis Gallis illa erga Ecclesiæ in Reges auctoritatem reuerentia, quam illorum perhibent historiæ? Nam v. g. Regibus excommunicatis officia etiam vitæ aliquatenus necessaria: nedum alia Principibus exhiberi solita, negabant. An pios magis, magisque religiosos efficiet illius Regni fideles declaratio Cœtus Parisiensis, dum eis suadebit, Ecclesiam, neque directè, neque indirectè quidquam in Principes posse, quantùm ad temporalia, quæ sola ferè, proh dolor, ab hominibus hodie attenduntur.

Si Gallicanis externa addenda sunt exempla, quidni autem addantur, cùm propositio Cleri Gallicani ad Principes omnes generatim pertineat, nec sit ad Galliæ Reges restricta, qui fortè aliquo iure speciali, vel priuilegio tueri sese posse obtenderent, alia non pauca suppetunt. Nam præter Romanos Imperatores, de quibus iam diximus, mortuo Zenone Imperature,Ariadne eius coniux, spreto Longino Zenonis fratre, Anastasium ad Imperium euehendum curauit, sed obstitit Euphemius Episcopus Constantinopolitanus donec Anastasius fidem Orthodoxam scripto professus est;[Cùm Ariadne haberet in animo Anastasium habitu induere purpureo, Euphemius Episcopus vsque eò consentire noluit,

quo-

quoad Anastasius chirographum iureiurando confirmatum ei dedisset, quod planè, declararet, eum si sceptra susciperet, Imperij fidem sinceram seruaturum, nihilque rerum nouarum introducturum in sacrosanctam Dei Ecclesiam: quod chirographum Macedonio Sacri Thesauri Custodi tradidit. Factum autem est illud ab Euphemio, quod Anastasius putabatur à nonnullis errore Manichæorum infectus esse.] Euagrius histor. lib.3.cap.32. Idem Theodorus collect. ex histor. Eccles. lib.1.

Cumque iterum Anastasius in hæresim lapsus esset, & Catholicos persequeretur, ei sese Symmachus Papa opposuit; vt in epistola eius apologetica videre est, in qua docet Summus ille Pontifex, quis sit verborum sensus, quæ Prælati Parisienses ex Diuo Paulo attulerunt: [Fortassis dicturus es scriptum esse: omni potestati nos subditos esse debere. Nos quidem potestates humanas suo loco suscipimus, donec contra Deum suas erigunt voluntates. Cæterum si omnis potestas à Deo est, magis ergo, quæ rebus est præstituta Diuinis. Defer Deo in nobis, & nos deferemus Deo in te. Cæterùm si tu Deo non deferas, non potes eius vti priuilegio; cuius iura contemnis.

Eleonora primùm Galliæ, deinde Angliæ Regina epist. 2. ad Cœlestinum III. Papam pro liberatione filij Richardi Regis Angliæ à Leopoldo Duce Austriæ capti, & Henrico Imperatori consignati, & traditi, quæ epistola est 145. Petri Blesensis, sic scribit: [Nonne Petro Apostolo, & in eo vobis à Deo omne Regnum, omnisque potestas regenda committitur? Benedictus autem Dominus, qui talem potestatem dedit hominibus, non Rex, non Imperator, aut Dux à iugo vestræ iurisdictionis eximitur: vbi est ergo zelus Phinees? Vbi est auctoritas Petri? Vbi est, qui dicat, zelus domus tuæ comedit me? Appareat, quod non in vanum dati sunt vobis, & Coepiscopis vestris gladij ancipites in manibus vestris. Dicite iniquis, nolite iniquè agere, & delinquentibus nolite exaltare cornu. Non degeneret in hærede Petri dignitatis Apostolicæ reuerenda successio, vestrum agnoscite Principatum, probate zelum, accingimini ad opus fortitudinis, & honorare ministetium vestrum. Gloria vestra deriuetur ad posteros, & cognoscat generatio altera, quàm inaniter Tyrannus ille præsumpserit, & quàm potenter præsumptionem eius Romana Sedes punierit.

Leoni quoque Isauro in hæresim Iconoclastarum lapso, & Catholicos in Oriente persequenti, Gregorius II. pluries frustra monito, à Romanis, & ab Italia tributum solui prohibuit ex Theophane in Chronologia. [Hoc anno, inquit, scilicet Gregorij II. primo irreligiosus Leo de proscribendis, & deponendis Sanctis, & venerandis imaginibus primum tractatum habere cœpit: comperto cuius proposito, Gregorius Papa Romanus, scripta priùs ad ipsum Leonem decreali epistola; qua de fide quicquam statuere, & antiqua Ecclesiæ sancita à Sanctis Patribus firmata innouare, aut conuellere non decere Imperatorem commonet. Italiæ tandem, ac Romæ tributa ad ipsum deferenda prohibuit.] Idem testatur Zonaras in tom.3. Annal. his verbis: [Qua de causa Gregorius qui tum Romæ veteris Ecclesiam gubernabat repudiata societate Præsidis nouæ Romæ, nec non eorum, qui illum sequerentur, illos vnà cum Imperatore Synodico anathemate obstrinxit, & vectigalia, quæ ad id vsque tempus inde pendebantur, inhibuit, icto cum Francis fœdere. Et adhuc; sub Leone Isauro temporis illius Papa Gregorius ob pernersam opinionem defecit ab illo Imperatore impio, eique tributum pendere recusauit, neque sibi quidquam esse rei voluit cum impijs Ecclesiæ Constantinopolitanæ Gubernatoribus, omissisque bellis, pacem cum Francis fecit.]

Ex quibus Summorum Pontificum exemplis toti Christiano orbi notis, ac receptis, quis ambigat, de Pontificia super Reges, & Imperatores potestate fidelium vnanimi consensu comprobata? Sed ejusdem qua cum Verbo Dei consentaneæ, ex sacris Canonibus probationes accuratiori Scholastica methodo expendere in præsenti est animus.

§. II.

Referuntur Aduersariorum argumenta.

Hæc in quantum licuit corradere, maximè, qua possumus, energia exponere intendimus, vt veritas hinc magis elucesat.

ARGVMENTVM I.

Aduersariorum.

Ex parte aduersa ad præsens institutum accommodè argumentari licet 1. Summorum Pontificum super Reges auctoritas singulariter nititur extrauag. vnam sanctam, inter communes Bonifacij VIII. tradita, de maior.& obedient. quæ ità se habet, vbi, cùm dictum fuisset, [beato Petro vtrumque gladium esse commissum, temporalem videlicet, ac spiritualem: temporalemq; auctoritatem spirituali subiectam esse, eamque Diuino ore à Christo Domino, per illa verba Petro, eiusque successoribus commissam: Quodcumque ligaueris, &c.] Exindè subiungitur in hæc verba: [Quicumque huic potestati à Deo sic ordinatæ resistit, Dei ordinationi resistit: porrò subesse Romano Pontifici omnem humanam creaturam, declaramus, dicimus, & definimus.] Ac verò hæc Bonifaciana constitutio per aliam extrauagantem, quæ incipit: Meruit relatam inter communes, de priuilegijs, est reuocata, saltem quoad Reges Galliæ. Ergo ruit præcipuum Canonicæ de Pontificia super Reges potestate constitutionis fundamentum.

Responsio.

Auctor Regalis Sacerdotij citato lib. 1. §.13. num.4. respondet. Extrauagantem Meruit Regibus nihil adimere, nihilque concedere, sed eos in eo statu relinquere, in quo

erant antè conciliationem Bonifacij VIII. superiùs adductam., cùm enim ex rationibus aliàs adductis constet, potestatem Regiam, & temporalem Ecclesiasticæ semper subiectam fuisse, neque hoc subsistat ex Bonifacij VIII. præadducta constitutione, sed iure Diuino, & naturali, consequens esse, quòd Clemens V. neque voluerit, neque potuerit illi derogare, quando de Bonifacio tantùm VIII. nouisque obligationibus loquitur, non de Diuina, & naturali.

Obiectio.

Ex parte aduersa instari potest. Totum ea responsione eneruari argumentum, ex Bonifacij VIII. preadducta constitutione vrgeri solitum, quòd nempè ista Bonifaciana constitutio in vi Ecclesiasticæ sanctionis Diuino, & naturali iuri superaddat nouum pondus specialis fundamenti ad firmandam Pontificiam super Reges potestatem; dùm tamen præcitatus Regalis Sacerdotij Auctor ex vi Extrauagantis Meruit à Clemente V. editæ, illum Bonifacij VIII. Canonem moderantis asseuerare videtur, superesse iàm vnicam iuris Diuini, & naturalis auctoritatem, per quam Regia potestas dici debeat subiacere auctoritati Ecclesiasticæ.

Responsio.

Comparacionem inter illam Bonifacij VIII. & Clementis V. constitutiones faciendo, apertum prodit, quòd ius illud Diuinum, per quod Regia potestas à Bonifacio VIII. dicebatur subiacere auctoritati Ecclesiasticæ, reducatur in sacræ Scripturæ textus ibidem allegatos. Quibus à Clemente V. nec quidquam derogarum esse, optimè respondit præadductus auctor Regalis Sacerdotij: sicque adeò Canon ille Bonifacianus suam intentionem fundando super Diuini Verbi oraculis, ex sua Pontificia supra petram fundata auctoritate concludendo, specialis auctoritatis pondus adiecit illi sententiæ, quæ Reges Papæ auctoritati Oecumenicæ subiectos asseuerat.

ARGVMENTVM IV.

Aduersariorum.

Ex parte aduersa licet 2. argumentari. Ex hac in Principes, eorumque ditiones exercita potestate multa incommoda, & mala euenisse. Censuræ enim, & anathemata in Henricum VIII. Angliæ Regem vibrata quid euicere, quàm vt iugum excuteret, Ecclesiam vastaret, proscripta toto Regno Religione? Iisdem armis Elisabetha in Catholicos grassata, nec priùs desijt, quàm Regio Stuartæ sanguine secures imbueret, specioso titulo crudelitate velata, quòd diceret, Catholicos seditionem in Reginam, & Regnum moliri. Et denique numquam sæpiùs cædes, intestina bella, procerum discordiæ, parricidia in Gallijs sunt obseruata, quàm Henrico IV. Nauarræ Rege à Summis Pontificibus diris percusso, Regnoque alienis exposito. Potestas igitur illa, quæ Summo Pontifici supra Reges asseritur, minimè spectat Ecclesiæ bonum; sed perniciem magis, & excidium, cùm tamen Ecclesiæ sanctæ claues non sine constitutæ Diuinitùs, nisi ad ædificationem, non verò in destructionem, atque adeò Canonicis sanctionibus ealem Papæ auctoritatem attribuentibus sub tanto boni publici Ecclesiæ, ac Religionis discrimine, haud videatur esse locus.

Responsio.

Auctor Regalis Sacerdotij citato §. 18. num. 7. respondet, exercitium potestatis, quam Pontifices Romani in Reges, & Regna acceperunt, ad remedia extrema pertinere, alijs consumptis, vltimisque morbis adhibenda esse. Sicuti ergo iustum bellum nemo non admittit, quantumuis innumera sint mala, quæ ex bellis proueniunt, sed maiora prouenirent sublato bello, dataque iniurijs licentia: sic in casu, de quo agitur, esse dicendum, ea ipsa, quæ in contrarium afferuntur, satis ostendunt. Illæ namque calamitates, quæ Henrico Nauarræ Rege diris percusso, Galliam affligebant, Regem tandem ad Catholicam Religionem impulerunt, numquam aliàs Regno potiturum: sicque à discordijs, & bellis cessatum est. Elisabetha Angliæ Regina, quantum abfuit, vt Regno exciderit, armata in illam potentissima classe? Quòd verò sapienter agitata, potentior fortuna discusserit, non hic error potestatis Pontificiæ, sed euentus fuit; ex quo nemo prudens sapientiam, & consilium metitur. Henricum VIII. Angliæ Regem, quod attinet, sunt, qui velint præcipitatum remedium esse, plaga necdum ferrum patiente; sunt, qui excusent. Sed demus, in hoc peccatum esse, quid tandem sequitur? Si potestatem hanc Pontifici abroges, quia aliqui aut incircumspectè, aut ex impetu potiùs, quàm ratione, & consilio sunt vsi, oportebit, eodem modo omnes humanas artes, hominumque conditiones, ipsam quoque Regiam potestatem è medio tolli, vtpote in quibus longè pluries peccatum est, quàm in illa, quam defendimus, auctoritate. Percurre historias, atque videbis, Summos Pontifices hac in Reges potestate feliciter vsos esse, magnoque Ecclesiæ bono, quòd verò malè cessit aliquando, hic est communis rerum morbus, & conditio. Illud verissimum est, huiusmodi pœnas, interdicta, excommunicationes, depositiones, &c. cum summa circumspectione, rarissimo casu, nec citrà necessitatem explicandas esse, quod à Patribus quoque Tridentinis prudenter omninò obseruatum, præmonitumque est sessione 25. de reformatione cap. 3.

Confirmatur hæc responsio sciscitando ex Gallicanę Ecclesiæ Clero. Quandoquidem ex hæreticis secularis potestatis impetu ad professionem fidei Orthodoxæ adactis, plerumque sine magna pericula simulationis, indeque quàm plurimorum in Sacramentis ficto animo suscipiendis sacrilegiorum, quo iure Christianissimus Galliarum Rex compulerit Regni sui heterodoxos, spontè sua nequàm propensos, ad sanctæ Romanæ Ecclesiæ fidem profitendam cum frequentatione

Pascha-

Paschalis saltem communionis exercendam, cùm tamen sanctus Augustinus lib. 1. contra partem Donati expressè doceat: [Sibi non placere, vllius secularis potestatis impetu schismaticos ad communionem violenter arctari;] vtique ob certum sacrilegiorum ab inuitis, ac fictè conuersis supra modum adaugendorum?

Non dubito, Clerum Gallicanum responsurum, à Rege suo id factum esse, quòd instigabatur ex ipsomet Christi charactere, quo in sacro Baptismate fuit insignitus, in vi cuius Regiæ ipsius potestati incumbit, ad fidei integritatem, & conseruationem in suo præcipuè Regno, præ cunctis negotijs curandam: quod Christiani Regis officium obseruando, in gratia Dei confidens, meritò sperare potuerit, Deum corda subditorum, hæreticæ prauitatis abiurationem facere compulsorum, intrinsecæ salutiferæ motionis vi, permoturum ad veram fidei intus à Deo suscipiendæ conuersionem, Sacramentorumque religiosam susceptionem, Diuo Augustino lib. 2. retract. cap. 5. propterea scribente; [In primo libro contra partem Donati dixi, non placere, vllius potestatis secularis impetu schismaticos ad communionem violenter arctari. Et verè tunc mihi non placebat, quia nondùm expertus eram, vel quantum mali eorum auderet impunitas, vel quantum in melius mutandis conferre posset diligentia disciplinæ.]

Quid ni ergo pari, vel maiori ex ratione dicere fas sit. Pontificiæ auctoritati aduersùs Ecclesiæ sanctæ, publicæque Religionis, ac fidei perturbatores Reges, & Imperatores adhibitis sanctæ per Christum sancitæ correctionis remedijs, incumbere, cogitare vel quantum mali eorum auderet impunitas, vel quantum in melius conferre posset diligentia disciplinæ, etiam seuerioris ad depositionem vsque processuræ? In quo adeò statu haud imputabitur Oecumenico Pastori, si eiusdem virga correctoria consultò, & circumspectè adhibita, distortum aliquem effectum experiri debuerit; sed sufficiet, posuisse exemplum, ne contumaciæ prauitas trahatur in consequentiam, multò plures à vera Religione, sanctaque Ecclesia perquàm alienos deinceps effectus progenitura, sed de hoc dicemus infrà in conclusione 1. argumento 2.

ARGVMENTVM III.

Aduersariorum.

EX parte aduersa licet 3. argumentari. Cùm olim Philippus IV. aduersùs Bonifacium VIII. contenderet, Regnum Franciæ à Summo Pontifice non pendere, hunc Regem professum fuisse, se quidem Regni, non tamen Ecclesiæ profiteri libertatem. E contra Bonifacium Pontificem contendisse, se libertatem Ecclesiæ aduersùs Regaliam, eiusque iura circa alia puncta propugnare. Petrum de Marcha lib. 2. de concord. cap. 1. num. 1. duo Ecclesiæ Gallicanæ posuisse fundamenta, vnum, idque primum constituisse in suprema Romanæ Ecclesiæ auctoritate, alterum, ac secundum in suprema Regis Christianissimi per Gallias auctoritate, quod tamen minoris momenti duxerit, quàm primum. Petrum Pithæum in Senatu Parisiensi Aduocatum in tract. de libertate Ecclesiæ Gallicanæ singularia illarum Regni, & Ecclesiæ capita ad duo axiomata retulisse, quorum alterum est de suprema Regis intrà Galliam auctoritate: alterum & equidem primarium est axioma; Summos Pontifices nihil præcipere, vel ordinare posse, siue in communi, siue particulari circa temporalia, quantum ad loca supremo Regis Christianissimi dominio supposita, ac si præcipiant, vel ordinent, Regis subditos ad obediendum in his nequaquàm teneri.

Responsio.

Auctor tractatus de libertate Ecclesiæ Gallicanæ lib. 4. cap. 1. respondet, difficile in primis intellectu esse, qua ratione Gallicani Antistites libertates illius Regni defendendas suscipientes, auspicati sint à propositione, quæ iuri Ecclesiæ potiùs aduersetur, asseuerando: [Reges, & Principes in temporalibus nulli Ecclesiæ potestati Dei ordinatione subijci.] Immutatam hinc vide postremis istis tẽporibus vel naturam, vel ideam libertatum Ecclesiæ Gallicanæ. Clerus namque Gallicanus vtique libertates suas defenderat (impugnasse enim certè nemo dixerit) cùm anno 1329. coram Philippo IV. Rege conuenit, vt querelis ministrorum Regiorum responderet. Tunc enim Episcopi contendebant, Ecclesiasticam iurisdictionem sese ad temporalia extendere, saltem ratione peccati, quod pluribus probauit Electus Senonensis in prima responsione: [Prætereà, inquiens, num. 34. nullus dubitat, quin cognitio de peccato ad personas Ecclesiasticas pertineat.] Cùm ergo talia non perpetrentur sine peccato alterius partis, patet, quòd Ecclesia cognoscere potest, & hoc satis deducitur ex cap. Nouit, Extra de iudicijs.

Nullus re vera de hoc dubitabat, quandoquidem Petrus de Cugnerijs acrior iurisdictionis Regiæ Patronus fatebatur, Decretalem [Nouit] habere locum in Rege Franciæ, vtpote superiorem non agnoscente, tantumque id negabat de iudicibus Regijs, quippe qui à Rege corrigi possent. Idem dicebat (in replica pro Rege) [quòd ratione peccati non poterat ad eos (Iudices Regios) pertinere Decretalis Nouit: quia loquebatur de facto Regis Franciæ, qui superiorem non habebat, sed in alijs secùs dicebat. Si Acta illius altercationis, quæ habentur in Bibliotheca Patrum, conferantur cum ijs, quæ nuper gesta sunt à Clero Gallicano, maximum sanè discrimen obseruabitur, nec video, quomodò hodiernas libertates Ecclesiæ Gallicanæ antiquitas non destruat.

Sed alia ne hodie est Ecclesia Gallicana ab ea, quæ anno 1614. tam generosè restitit tertio Regni Ordini, illam primam, aut certè simillimam propositionem statuere conanti? Nec enim egregia illa oratio à doctissimo Cardinale Perronio tunc habita ipsius erat propria. Illam quippe se totius Cleri, imò & Nobilium Regni nomine pronunciare affirmabat: [Non enim,] inquiebat, [ego

hac in causa oro; sed totus ordo Ecclesiasticus, & totus Ordo Nobilium ipsi coniunctius &c.] Cæterum iste Cardinalis nomine totius Cleri, ac Nobilitatis asserebat doctrinam suam, modernorum Antistitum propositioni sanè contrariam omnibus Ecclesiæ Catholicæ Patribus, immò, & toti Ecclesiæ Gallicanæ communem esse à tempore, quo institutæ sunt inibi scholæ Theologicæ vsque ad Caluini aduentum. Eamdem fuisse mentem Ecclesiæ Gallicanæ postremis etiam temporibus ad vltimum vsque Cœtum Parisiensem, proditur manifestum indicium ex hoc, quòd illa Perronij oratio, tamquam proprium Ecclesiæ Gallicanæ momentum, inserta sit inter Acta Cleri Gallicani Anno 1673. edita iussu Comitiorum Generalium Cleri. Distinctas esse potestates Regum, & Pontificum nemo Catholicus negat, sed maior esset necessitas, Regiam ad suos limites reuocandi, quàm Pontificiam intrà suos concludendi. Confessi sunt in suo processu verbali Episcopi Parisijs anno 1681. congregati, extinctam postmodùm esse in Gallia iurisdictionem Ecclesiasticam. Nouis in dies vulneribus affligitur sæcularium libris, & Regiorum Iudicum placitis, & tamen libertates Ecclesiæ non opponuntur à Prælatis, quin, & illæ seruitutes inter libertates numerantur à multis. Cùm autem Romanus Pontifex oppressis Ecclesijs manum porrigit, etiam ab Episcopis, obiectis libertatibus, arcetur.

Firmatur hæc responsio ex duplici animaduersione. Vna est, ex communi Cleri Gallicani consensu sub annum 1326. efficacissimis rationibus, & fundamentis solidissimis contendentis, Ecclesiasticam iurisdictionem sese ad temporalia extendere, prout videre licet ex tomo quarto Bibliothecæ SS. Patrum Parisijs editæ anno 1610. pag. 155. sub titulo libelli à Bertrando Cardinale Eduensi edito aduersùs Magistrum Petrum de Cugnerijs. De cuius altercationis pro Ecclesiastica auctoritate monumentis, & argumentis exactiùs disseremus inferiùs.

Altera animaduersio est circa id, quod præcitatus Auctor in medium affert, qualiter Gallicana Ecclesia anno 1614. tam generosè restiterit tertio Regni Ordini propositionem illam à moderno Clero Gallicano assertam, aut certè simillimam statuere conanti.

Altercationis huius Acta accipe ex Gabriele Bartholomæo Gramondo sacri Regij Consistorij Senatore, & Parlamenti Tolosani Præside. Anno nempe 1614. à Christianissimo Rege inductus fuerat Parisijs Conuentus trium Ordinum, quorum primum Clerus, secundum Nobilitas, tertium Magistratus subalterni, ac Oratores populi obtinebant. Sub horum Comitiorum progressu Clerus anno 1615. in caput Magistratuum petijt, abrogari nouam legem, per quam officia ipsorum in hæredes transibant sub cautione tributi in singulos annos præstari soliti. Id vbi tertij ordinis Oratoribus agnitum fuit, tacti, vt res erat, peti Ordinem, statim proponunt thesim, toties Clero obstrepente, agitatam: [Nullam esse potestatem in temporalibus supra Regiam, vnique immediatè Deo debitam coronam à Gallis Regibus, nullis obnoxiam interdictis.] Proposita item à Clero Concilij Tridentini promulgatio. Molliendaque inuidiæ, adiecta articulo clausula, in hæc verba. [Sinè præiudicio Coronæ Regiæ, libertatum Ecclesiæ Gallicanæ, priuilegiorum & exemptionum, si quæ Capitulis, aut Monasterijs concessa, quibus conseruandis studebit impensiùs Clerus, habitis in id rei ad Summum Pontificem precibus: quæ priuilegia interim salua erunt, non obstante promulgatione Concilij.] Cleri, & Nobilitatis contra tertium ordinem vota, & calculi, ne dum pro Concilij promulgatione, iurisque extinctione annui, sed & reijciendæ thesi, quæ Summo Pontifici ius negat in regna.

De Summi Pontificis in Reges potestate, pluribus tum actum in vtramque partem non ante doctiùs, nou agitata quæstio elegantiùs; missi persæpe Oratores Cleri, ad tertium Ordinem, à tertio Ordine ad Clerum. Questus hic, bis, terque Aquensi primùm Archiepiscopo, ex in Fenolieto Episcopo Mompessulano disertè perorantibus, quòd Ordo tertius expers Theologiæ falcem improbè mittebat in messem alienam: [Non posse redigi à populo in acta sua thesim pro articulo fidei valiturā: sutorum extra crepidam iudicia esse: nisi post consultum Cleri oraculum narrari à populo de fide fabulas; Cleri vnius, quod ne ipse tertius Ordo negauerit esse de fide responsa interceffit tertius ordo vehemēti, & docta oratione; quam habuit Marmiessæus Capitolinus Tolosæ, vir eloquens, & in omnes scientias expeditus. [Non eam tertio Ordini mentem esse, vt fidei præcepta distribuat. Cleri, prædicationem Euangelij, quo fides continetur: tertij Ordinis partes esse nulla causæ cognitione, vt credat. Arcam Dei nusquam nisi puris manibus permissam: deiectos exanimes, qui olim tangere ausi, prophana è gente, quanquam in casum iret. Ast plura fidei inesse quasi parerga, in dignitatem ipsius extrinsecam adinuenta: his ornari Ecclesiam, sponsam Christi, vt in decus, & propagationem eius institutis, quorum sit capax Ordo quilibet, si agnoscit matrem. Habituros se, quæ de fide sunt, salua, & intacta, dumque radix seruabitur matrix, vnde arbori incrementum est, per quam stat, frondescit, & viret, radicum filamenta sparsa temerè, quæ terram persæpe inanibus surculis circumquaque sugunt, quasi purgamento arboris excisuros. Posse intacta fide disciplinam, iurisdictionem, fructuum Ecclesiæ dispensationem, & pleraque his similia attingi, vt quandoque diuersis ab antiquo vsibus in praua degenerasse constat; vnde paganis in Ecclesiam Dei contemptus est hæreticis odium, Catholicis Orthodoxis dolor, ne dicam, scandalum; præscindi posse hæc filamenta salua fide, quæ radix est. Fidem, primum esse lapidem, in quo firmatur Ecclesia per totum propagata orbem: id agnoscere tertium Ordinem, præceptaque ipsius profiteri, & adorare, vt Dei sunt. Cæterùm si, quæ ita hærebunt firmitùs fidei, vt auelli nequeant ea incorrupta, daturos operam se, idque sedulò, ne quid ipsi in deterius fiat. Solitos olim nascente Ecclesia Christianos, quando templis domos ita contiguas, vt vix separati possent, destruebant, ne simul, & ipsa templorum superficies corrumperetur.

saluam habere circum insulam. Ita Ganymedem amasium Iouis raptum in æthera alitis ope, cuius complicati in obtusum vngues pelle molliter circumfusa, demulcebant magis, quàm lacerabant artus. Sic se fidei connexa, castè contrectaturos, & innocenter. Plura his addidit Orator facundus, quibus succensuit Clerus per Episcopum Mompessulanum: Communicanda sibi quæcumque fidem qualibet ratione contingerent, idipsummet opus Ecclesiasticum esse, nosse, verùm propositæ quæstiones de fide forent. Itum eandem in vnam sententiam communibus tertij Ordinis votis, missique ad Clerum articuli tres, quorum hæc summa.

I. [Sacrilegum esse, Reges, vnctos Dei, quolibet prætexru in necem dare.]

II. [Debitam immediatè vni Deo Regum in subditos potestatem.]

III. [Nullis Sedis Apostolicæ interdictis subiacere imperia Regum, subditosque nunquam sacramento fidei exsolui posse.]

Hisce legibus intempestiuè vulgatis firmabat Regiam auctoritatem tertius Ordo, Regno Gallico pro fundamentalibus haberi petens: hoc interest inter leges, quòd ex varijs causis infecti aliquæ possunt, aut tolli penitus, fundamentales manent nulli obnoxiæ mutationi. Consensit primæ Clerus; eamque Romanæ Ecclesiæ sententiam esse, pluribus probauit Cardinalis Rupifulcaudius vir sanctus, maximè ex recenti censura, qua condemnatus Becanus tyrannicidas impunè in Regum capite prouocans. Laudatum exin Concilium Constantiense Oecumenicum habitum anno 1414. productaque Sessio XV. confirmandis Regibus in hæc verba.

[Præcipua sollicitudine volens hæc sacrosancta Synodus ad extirpationem errorum, & hæresum in diuersis mundi partibus inualescentium prouidere, sicut tenetur, & ad hoc collecta est, nuper accepit, quòd nonnullæ assertiones erroneæ in fide, & bonis moribus, ac multipliciter scandalosæ, totiusque Reipublicæ statum, & ordinem subuertere molientes dogmatizatæ sunt, inter quas hæc assertio delata est. Quilibet tyrannus potest, & debet licitè, & meritoriè occidi per quemcumque vassallum suum, vel subditum, etiam per clanculares insidias, & subtiles blanditias, vel adulationes: non obstante quocumque præstito iuramento, seu confœderatione facta cum eo: non expectata sententia, vel mandato iudicis cuiuscumque. Aduersus hunc errorem satagens hæc sancta Synodus insurgere, & ipsum funditus tollere, præhabita deliberatione matura, declarat, decernit, & definit, huiusmodi doctrinam erroneam esse in fide, & in moribus, ipsamque tamquam hæreticam, & fraudulosam, scandalosam, & ad fraudes, deceptiones, mendacia, proditiones, periuria vias dantem, reprobat, & condemnat. Declarat insuper, decernit, & definit, quod pertinaciter doctrinam hanc perniciosissimam asserentes, sunt hæretici, & tamquam tales, iuxta Canonicas sanctiones puniendi.]

Ita Concilium Constantiense, vindicandis à coniuratione Regibus etiam tyrannis: vt de fide sit, dubio procul, articulus: [Sacrilegum esse, Reges vuctos Dei, quolibet prætextu in necem dare.] In id trium Ordinum calculi. Intercessere secundo, & tertio Clerus, & Nobilitas, quatenus de fide vulgabantur. Politicam esse secundam thesim, quæ ita concipitur: [Debitam immediatè vni Deo Regum in subditos potestatem.] Veram, si de Gallis Regibus: dubiam, & plerumque falsam, si de Principum promiscuè omnium in subditos potestate intelligas; nullo casu de fide. De Regum & Principum potestate mediata (quod vocant) aut immediata, plerque tum in publicum data ab incerto Auctore, per quæ Regibus, & Principibus Christianis, si Gallum demis, & Venetos, assignabatur suus cuique author; adeò vt nemini illorum immediatam à Deo potestatem concederet. Horum quia curiosa indagatio est, vt in transitu memorabo, non ex me, neque enim id mihi arrogo, vt de Regnis, aut Regibus Iudicem, sed ex Authore Anonymo, qui sic scripsit.

[Pauci Principes vni immediatè Deo coronam debent. Imperator electioni, & dietis Imperialibus subiacet. Angliæ Regnum parlamento obnoxium magis, quàm Regi, Sedis Apostolicæ beneficium est. Scotia Angliæ feudum est. Dania Imperij: Noruegiam, & Daniam plerique Romanæ Sedis feuda esse contendunt. Syriæ, & Solymæ Regna Summo Pontifici fidem debent. Regna item Neapolis, & Siciliæ, Arragoniæ, Sardiniæ, Corsicæ, Canariæ, Nugariæ, & Gorgonides. Poloniæ Reges Imperatori coronam primitus debent, Summo Pontifici nomen ex Ducali Regium: Hungariæ Regnum, feudum est Apostolicæ Sedis, Prostant in Curia Romana, acta probantia, ex quibus patet, feuda item Apostolicæ Sedis esse, Regna Granatæ, Lusitaniæ, Castellæ, Irlandiæ Balearium, Noruegiæ, Sueciæ, Daniæ, hæc de Regibus. Reliqui Principes, Archiduces, Duces, Marchiones, Comites, seu liberæ Respublicæ sunt, dempto Summo Pontifice, & Republica Veneta, authorem omnes agnoscunt. Magnus Equitum Melitensium Magister, Hispano Regi beneficium debet; & præstat pro homagio Milnum, nempe pro insula: principatus nomine, quo Christianis Equitibus cum iure supremi dominij præpositus est, Summo Pontifici fidem præstat. Heluetiorum Respublicæ sancti Imperij feuda sunt: Flandriæ Comitatum Regibus Galliæ feudi iure subiectum, nemo negauerit. Belgici Ordines facto suo Gens libera, sub Hispana dominatione fuere. Dux Lotharingiæ sancti Imperij Princeps est. Archidux Austriæ, primùm Comes, exin beneficio Imperatoris Dux fuit. Germaniæ Principes quotquot sunt, Archiduces, Duces, Palatini, Marchiones, Comites, Landgrauij, Burgrauij, Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, pars magna pro munere. Imperatoris ministrant, quia à sancto Imperio feuda sua possident. Vrbes Ansiaticæ, & quæ tota passim Germania libertate gaudent, feuda item Imperij sunt empta ab Imperatoribus libertate, aut gratis accepta. Sabaudiæ Dux, Imperij Vicarius est. Pedemontium eidem Imperio subiacet. Mediolani, Tusciæ, Mantuæ, Mutinæ, & Regij Duces, vrbes item in liberas Respublicas in Italia euectæ, Cæsaribus debent, quòd sui iuris sunt. Parmæ, & Vrbini Duces

Sedi Apostolicæ fidem debent. Romam tenet Summus Pontifex, neminique obsequium præstat, nempe ex prærogatiua characteris, parrem subesse filijs præter naturam essee. Certè nemo ambigat, Romam primitus à Cæsaribus deriuatam, conseruatamque sæpiùs Apostolicæ Sedi à Regibus Gallis; vnus inter Reges Christianissimus, iure suo regnat, vnus immediatè Deo debet, quòd Rex est. Quo fit, vt vera in omnem casum sit ea thesis. Regum Galliæ immediatam à Deo potestatem esse, vsque adeò, vt neminem in terra auctorem agnoscat. Hæc Auctor Anonymus.

Redeo ad Oratores nostros, qui hisce Controuersijs diuexabantur, nullo in populum ex vanitate quæstionum obuentu: in quo peccatum maximè à delegatis, neque enim indicta Comitia ea mente, vt trium Galliæ Ordinum Conuentus transiret in scholæ munia.

Ordo Ecclesiasticus perorante doctissimè Perronio Cardinale, iuxtà Constantiensis statuta Concilij, thesim in tyrannicidas esse de fide, respondet, quod pridiè Cardinalis Rupisulcaudius doctè conuicerat: alteram, qua ità cauetur: [Debitam immediatè vni Deo Regum in subditos potestatem,] de fide negauit; quamquam humanitus, & historicè defendi possit. Adiecit, [Nihil moueri se Innocentij III. rescripto asserentis, Regem Galliæ nulli in temporalibus potestati subiectum esse, vnde malè concluditur de fide assertio: historicam esse, ast non de fide. Eo modo habenda de fide quæcumque Decretalibus continentur, quod absurdum.] Difficultatem præcipuè monit Articulus III. cuius hæc verba: [Nullis Sedis Apostolicæ interdictis subiacere Regna, subditosque numquam sacramento fidei exsolui posse.] Vindicabat vir doctus Summi Pontificis in Regum sceptra potestatem, certis casibus; [Nempè si in hæresim, aut idolorum cultum prolapsi, subditorum animis noua insinuant dogmata: seù quod peius, si reluctantes adigunt, vt fidem abdicent. Præposterè proponi velut de fide Orthodoxa contrariam opinionem, quæ ad summum vix problematica dici possit: probabat, potestati Romanæ Sedis in Reges hæretica labe infectos subscripsisse, quotquot Caluinum antè Theologica tractauere. Contrariam opinionem nouam esse, Luthero & Caluino fautoribus nuper natam. Sacramento vinciri Reges Galliæ, vbi inaugurantur, pellendis Regno suo hæreticis: si peierauerint in hæresim ipsi degeneres, si fautores hæresiarcharum, si noui dogmatis assertores, deberi vltionem Vicario Dei, ad quem vnum ex lege spectat periurij pœna. In eam sententiam exactis sæculis itum iri, & hodie passim toto orbe Catholico, si Galliam demis. Ipsos Doctores Galliæ, eius opinionis auctores, numquam de ea scripsisse, in hanc sententiam, vt de fide sit: veram & politicam asseruisse; est numquam de fide. Exemplis plena esse historiarum volumina, quibus confirmatur Summæ Sedis in Reges potestas à fide degeneres. Ità Euphemium Patriarcham Constantinopolitanum Anastasio Imperatori negasse obsequium, & fidem, donec Concilio Chalcedonensi subscripsisset. Ita eidem Imperatori, in Euthychis hæresim relapso, restitisse acriter Symmachum Summum Pontificem. Ita Clotarium Regem Gallorum, ob scelus immane in Ecclesia Dei, nece Iuetoti patratum, post mundatum sanguine innocenti altare, luisse pœnas arbitrio Pontificis Summi condignas culpæ. Ita Iustinianum secundum: ità Philippicum Imperatores à Sergio, & Constantino Summis Pontificibus mulctatos. Ità Leonem Isauricum imperio deiectum, Gregorij II. decreto, quia Iconoclastarum heresi infectus, dogma propagabat exemplo, & vi. Ita Carolum Magnum euectum ad Imperium Occidentis ope Romanæ Sedis. Ità Childericum regno deiectum. Ita substitutum homini per otium eneruí, fastigioque Regiæ dignitatis impari Pipinum, assensu Sedis Apostolicæ, quam à Gallis consultam tradunt historiarum monimenta. Ita Fulconem Archiepiscopum Rhemensem intentasse Carolo Simplici minas, velut clienti suo. Ita Philippum primum Gallorum Regem, semotum ab Ecclesia Dei, adulterij manifestum palam commissi, post repudiatam sine causa vxorem, euectamque in solum pellicem, qua vtebatur velut sua, marito superstite. Ità Gregorium septimum sacris interdixisse Henrico IV. Imperatori, subditosque soluisse obsequij nexu. Ita excommunicatos Philippum Augustum Gallorum, Ioannem Anglorum Reges. Ita Othonem Imperatorem: ità Raymundum Comitem Tolosanum, quorum hic per socordiam in Albigensium hæresim lapsus, succubuit Pontificiæ potestati, in augmentum Gallici Regni, cui Comitatus Tolosanus adiunctus est, dono Prouincialium, ita fidei sacramento solutos olim ab Innocentio IV. Friderici Imperatoris subditos, debitum Lugdunensi tunc Concilio fulmen. Ita deiectum Petrum Aragoniæ Regem, Martino IV. Summo Pontifice procurante, ob infamiam horrendæ laniena, cui à Vesperis Sicilianis nomen. Ita ab Vrbano V. contra Petrum crudelem (id illi nominis à sæuitia datum) Castellæ Regem, indictam, promulgatamque excommunicationem, quia hæreticus, Ecclesiæque Orthodoxæ hostis erat.

His probabat exemplis Perronius, Summo Pontifici ius esse in Regna, & Reges, certis casibus. Postmodùm Theologorum auctoritate nitebatur: laudabat ve suæ opinionis fautores, [D. Thomam, Okam, Ioannem Parisiensem, Iacobum Almainum, Gersonem, & passim reliquos, qui de vtraque iurisdictione scripsere. Laudabat, & Iurisconsultos, Ioannem Siluam Præsidem Lutetianum, Ioannem Fabrum, Stephanum Aufrerium Tolosani Parlamenti Præsidem, Preslium libellorum supplicum in Regia Magistrum, Gregorium Tolosanum: vrgebat ex eo, quòd Galli essent scriptores, eoque nomine Gallis minimè suspecti: illis, quotquot sunt, vnam esse pro Summo Pontifice in id sententiam, vt lapsis in hæresim Regibus, maximè si fidem Orthodoxam insectantur, communione interdicere possit, & Regno. Absurdam esse thesim: quæ contrarium velut de fide promulgat: cui veterum subscripsit nemo, recentiorum pauci; tanquam dogma politicum defendi posse, ad summum: eo errore primam fuisse Henrico VIII. Angliæ Regi viam in hæresim, ex iniusto repudio iustè condemnatum, rebellas-

se

se contra iudicem suum; per lubrica quassatam fidem, procacique licentia tyrannicè vsurpata iura Sedis Apostolicæ, à Rege, nullo deinde fulminum Ecclesiæ metu grassante. Facilem esse in schisma lapsum; at resurgere, opus arduum, Deique vnius beneficium; non aliud præcinere thesim, quàm apertam rebellionem in solium Petri. Neque noua opus condemnatione. Apostolico rescripto iam diu condemnatum dogma, hæreticumque pronuntiatum, nempe vt de fide Orthodoxa proponitur. Pati Clerum Gallicum, problematicè disputari thesim, quò fiat satis auctoritati Ecclesiasticæ, & seculari: non eam Regi Christianissimo mentem esse, vt Sedi Apostolicæ obluctari velit, neque sub tanto Rege timenda interdicta, qui nedum Ecclesiæ filius, sed protector & liberator est; id Clerum agnoscere, & orare continuò Deum, vt Regem Regno Gallico, primogenitum conseruet Ecclesiæ Matri.

Ità Cardinalis Perronius doctè & eleganter.

Ex quibus manifestum iam redditur, propositionem illam primam moderni Cleri Gallicani sub iisdem profectò, quibus iam dictus Clerus articulum suum firmare nititur, Sacræ Scripturæ perperam allegatis textibus, à tertio populari in generalibus Comitijs, Ordine assertam, constanter reiectam, ac refutatam fuisse tam à Cleri, quàm Nobilitatis Ordinibus; vt mirum profectò sit, Galliæ Episcopos in postremo suo Parisiensi Conuentu, ab antiquo Gallicano Clero desciuisse in perniciem apertam status Ecclesiastici, dum, si quæ deinceps Ecclesijs intentarentur præiudicia, nulla iam auctoritas Regem cohibere posset, adeòque Apostolicæ, ac Oecumenicæ Summorum Pontificum supra Reges potestatis relaxato fræno, impunè, ac liberè possent Ministri Regij inuolare in iura Ecclesiastica: Clero proinde Gallicano, nisi illam suam propositionem moderetur, fortè ad sensum in primi huius articuli Corollario finali expositum, serò nimis persensuro vulnus sibimet, suisque Ecclesijs inflictum, & magis magisque in dies dilatandum.

ARGVMENTVM IV.

Aduersariorum.

EX parte aduersa fortassis excipietur, illam Cleri Gallicani propositionem primam, saltem ab auctoritate eorum, qui illam tenent, mereri probabilitatem.

Responsio.

Auctor Regalis Sacerdotij circa finem num. 11. respondet. Mensuram & regulam honesti, ac veri esse legem, non nomina Doctorum, quorum opiniones, si ab hac regula deflectant, tam nequeunt esse veræ, ac honestæ, quàm paries, aliùnde corpus nequit esse rectum, si à linea & amussi excedat. Auctoritas namque docentium, ex eo capite pretium aliquod, & pondus habet, quia non præsumuntur aliud, quàm leges dicere. Si ergo hæc præsumptio cesset, & euidenter appareat, Doctores cum legibus pugnare, præsumptio veritati cedit, & auctoritas illa præsumptione nixa penitùs euanescit. Quemadmodum ergo non numerus, aut inscriptio, sed pondus, & metallum nummis pretium addunt: ita sententijs non numerus, aut nomen Doctorum, sed rationes, & Canones, & cum Patrum doctrinis harmonia probabilitatem, & auctoritatem adferunt.

Confirmatur ex censura, quam S. Gregorius lib. 4. Regist. epistola 2. ex Sacræ Scripturæ fundamento tulit: [Considerent, inquiens, cur Zacharias Papa Regem Francorum deposuit, & omnes Francigenas à iuramenti vinculo absoluit? sed fortè volunt, quòd, quando Ecclesiam suam B. Petro commisit Christus, Reges excepit. Cur non attendunt, vel potiùs erubescendo confitentur, quia Deus, vbi B. Petro potestatem ligandi dedit, nullum excepit, nihil ab eius potestate subtraxit, & qui hoc imprudenter negat, se à Christo sequestrat.] Expendant igitur primæ illius propositionis, Reges à Summi Pontificis Oecumenica auctoritate excipientis assertores, an probabilitate vlla niti possit assertio cum Christi verbis, secundùm Diuum Gregorium apertè pugnans, ità vt à Christo se sequestret, quisquis Petro, eiusque Successori concessam potestatem denegat, quæ nullum, ne Regem quidem, excipit.

CONCLVSIO.

Oecumenica in Summo Pontifice supra Reges sacris Canonibus asserta, & sancita auctoritas, ità reducenda est in Diuini Iuris per Christum sanciti oracula, vt speciale tamen robur accipiat ex Canonicis sanctionibus.

EXplicatur. Ea enim fidei Theologicæ natura est, vt motiuè, ac specificatiuè reducatur quidem in solum Dei Verbum, seù scriptum, seù traditum, attamen quia huius Diuina reuelatio latet sub ænigmatica obscuritate, oportet, vt Verbi Diuini veritas sub prudentiali quodam supernaturali lumine, priùs applicetur voluntati, intellectum Fide Diuina informatum in Primæ Veritatis obsequium captiuanti, vt sic prudenter valeat per Fidem Theologicam assentiri. Inter hæc prudentialis luminis, præuiam fidei assensui facem subministrantia argumenta, præcipuum locum obtinent non Conciliorum dumtaxat Oecumenicorum definitiones, sed Summorum quoque Pontificum sanctiones, vtpote quorum auctoritas firmata sit supra petram, cui portæ inferi præualere haud quaquam possint. Quare ex Pontificijs sanctionibus, Oecumenici intrà Ecclesiam Christi, Pastoralis muneris auctoritati innitentibus, firmum deducere licet argumentum Theologicum, in vi cuius, prudentialis ad fidem directiua ratio pateat, quòd, dum Pontificiam supra Reges Christiano charactere insignitos potestatem ex Diuinis oraculis traducunt, eidem fide etiam Theologica credendæ argumentum, in via prudentialis ad fidei assensum directricis euidentiæ protsùs securum, ac in linea superna-

naturalis moralitatis certam ſubminiſtrent manuductionem.

PROBATIO I.

Ex Extrauagante Vnam ſanctam. De maiorit. & obedientia deſumpta, vna cum retorſione argumenti in contrarium adducti ex Clementina Meruit De priuilegijs.

ADuerſæ igitur partis primum argumentum eò collimat, vt, quòd Pontificiæ ſupra Reges poteſtatis firmamentum euinci videtur, ex prællegata Extrauagante Vnam ſanctam; hoc totum eneruari aſſeratur ex prætacta Clementina Meruit. Ad quod argumentum elidendum, duo hic veniunt accuratiùs expendenda, primum concernit illam Extrauagantem Vnam ſanctam. Alteram reſpicit huius ex Clementina Meruit. eneruationem.

Incipiendo igitur ab ea Extrauagante, accipe ſequentem huius à Bonifacio VIII. editæ conſtitutionis tenorem: [Vnam ſanctam, inquit Pontifex, Eccleſiam Catholicam, & Apoſtolicam, vrgente fide credere cogimur, & tenere. Igitur Eccleſiæ vnius vnum Corpus, & vnum Caput, non duo Capita quaſi monſtrum, Chriſtus videlicet, & Chriſti Vicarius Petrus, Petrique Succeſſor, dicente Domino ipſi Petro: Paſce oues meas: non ſingulariter has, vel illas, ſed generaliter, per quod commiſiſſe ſibi intelligitur vniuerſas &c. In hac, eiuſque poteſtate duos eſſe gladios, ſpiritualem videlicet, & temporalem, Euangelicis dictis inſtruimur. Nam dicentibus Apoſtolis: Ecce duo gladij hic, in Eccleſia ſcilicet, cùm Apoſtoli loquerentur, non reſpondit Dominus, nimis eſſe, ſed ſatis. Certè qui in Petri poteſtate temporalem gladium eſſe, negat; malè verbum attendit Domini proferentis: Conuerte gladium tuum in vaginam: Vterque ergo eſt in poteſtate Eccleſiæ, ſpiritalis ſcilicet gladius, & materialis. Sed is quidem pro Eccleſia, ille verò ab Eccleſia exercendus. Ille ſacerdotis, is manu Regum, & militum, ſed ad nutum, & patientiam Sacerdotis. Oportet autem, gladium eſſe ſub gladio, & temporalem auctoritatem ſubijci poteſtati: cùm dicat Apoſtolus: Non eſt poteſtas, niſi à Deo, quæ autem à Deo ſunt, ordinata ſunt: non autem ordinata eſſent, niſi gladius eſſet ſub gladio, & tanquam inferior reduceretur per alium in ſuprema. Nam ſecundùm B. Dionyſium lex Diuinitatis eſt, infima per media in ſuprema reduci &c. Ergo, ſi deuiat terrena poteſtas, iudicabitur à poteſtate ſpirituali: ſed ſi deuiat ſpiritualis, minor à ſuo Superiore: ſi verò ſuprema, à ſolo Deo, non ab homine poterit iudicari &c. Porrò ſubeſſe Romano Pontifici omnem humanam creaturam, declaramus, dicimus, definimus, & pronunciamus, omninò eſſe de neceſſitate ſalutis.]

Ex qua proinde Bonifaciana conſtitutione hunc in modum argumentari licet. Quando Chriſtus Petro, ipſiuſque Succeſſori dixit: Paſce oues meas: intelliguntur eidem commiſſæ vniuerſæ Chriſti oues, eſtque adeò de neceſſitate ſalutis credere, quòd Romano Pontifici, ſeu Petri Succeſſori ſubſit omnis humana creatura in Eccleſiæ vnitatem aggregata ſub vno Capite Chriſto, eiuſque Vicario. Sub ea autem paſtoralis muneris poteſtate continentur duo gladij, ſpiritualis videlicet, & temporalis auctoritas, Chriſto Domino, vbi Apoſtoli dixerant: Ecce duo gladij hic, id eſt in Eccleſia, reſpondente, ſatis eſſe. Inter quos duos gladios temporalis poteſtas fuit à Chriſto deſignata Allegoricè, quando dixit ad Petrum: Conuerte gladium tuum in vaginam. Ex hoc autem euincitur, non ſpiritualem dumtaxat, ſed etiam temporalem gladio illo Petri, deſignatam poteſtatem, ſubeſſe auctoritati Eccleſiæ, ſub ea quidem differentia, vt ille poteſtatis ſpiritualis gladius manu Sacerdotis, hic verò temporalis poteſtatis gladius manu Regum, ſed ad nutum, & patientiam Sacerdotis, ſit exercendus. Hinc autem rurſus euincitur, gladium eſſe ſub gladio, & temporalem auctoritatem quoad ſui exercitium ſubijci ſpirituali poteſtati, Apoſtolo id ipſum quoque confirmante, dum dicit: [Non eſſe poteſtatem niſi à Deo, quæ autem à Deo ſunt, ordinata eſſe. In vi cuius proinde ordinationis oportet, gladium eſſe ſub gladio in tantum, vt poteſtas temporalis inferior, per ſpiritualem, ceu ſuperiorem poteſtatem, reducatur in ſuprema: quatenùs ſcilicet poteſtas terrena, ſi deuiet, iudicanda eſt à poteſtate ſpirituali, ſi verò deuiet ſpiritualis poteſtas, minor à ſuo Superiore, ſi autem deuiet ſuprema Pontificia auctoritas, à ſolo Deo, non ab homine iudicari poteſt.

Quandoquidem igitur inter vniuerſas Chriſti oues Romano Pontifici, ſeu Petri Succeſſori commiſſas, reputentur etiam Reges, Chriſti charactere inſigniti, ſub poteſtate autem Paſtorali per Chriſtum ſuo Vicario Petri Succeſſori conceſſa, contineantur duo gladij, auctoritatis ſpiritualis, & temporalis, ea tamen cum ſubordinatione, vt hæc tamquam inferior per illam, ceu ſuperiorem reducenda ſit in ſuprema; temporaliſque adeò poteſtatis gladius materialis per Reges quidem, ſed ad nutum, & patientiam Sacerdotis Summi Pontificis, ſit exercendus, manifeſtè, & clarè euincitur ex ſacræ Scripturæ textibus à Bonifacio VIII. taliter applicatis, Reges cum ſuæ temporalis poteſtatis gladio, quoad huius exercitium ſubeſſe Romani Pontificis ſpirituali auctoritati.

Obiectio.

Excipitur ex parte aduerſa. Illam Bonifacij VIII. Extrauagantem pro Galliæ ſaltem Regibus, Regno, ac Regnicolis eſſe correctam per Clementinam Meruit. De priuilegijs, cuius tenor ita ſe habet: [Meruit chariſſimi filij noſtri Philippi Regis Francorum illuſtris ſinceræ affectionis ad nos, & Eccleſiam Romanam integritas, & progenitorum ſuorum præclara merita meruerunt. Meruit inſuper Regnicolarum pietas, ac deuotionis ſinceritas, vt tam Regem, quàm Re-

Regnum fauore beneuolo persequamur. Hinc est, quòd Nos Regi, & Regno per definitionem, & declarationem bonæ memoriæ Bonifacij Papæ VIII. quæ incipit: Vnam sanctam, nullum volumus, & intendimus præiudicium generari, quòd per illam Rex, Regnum, & Regnicolæ prælibati ampliùs Ecclesiæ sint subiecti Romanæ, quàm anteà existebant, sed intelligantur in eodem esse statu, quo erant ante definitionem præfatam.

Responsio.

Verùm hanc Clementis V. constitutionem cum Bonifacij VIII. prædducta Extrauagante conferendo, in hunc modum argumentari licet. Regem Franciæ cum vniuersis Regnicolis suis computari inter oues Christi, nullatenus dici potest, esse præiudicium à Bonifacio illatum. In illa ipsa verò potestate Pastorali super vniuersas Christi oues protensa, ex Christi instituto continentur duo gladij, potestatis scilicet spiritualis, & temporalis, ita vt hæc sit quidem in manu Regum, ad nutum tamen & patientiam Sacerdotis exercenda. Nequit verò, quod ex Christi instituto exstat sancitum, non esse antiquius illa Bonifaciana definitione. Nihil ergo istorum potest à Clemente V. in Extrauagante Meruit esse correctum, quippe cùm ista præcisè statuat, quòd per Bonifacij VIII. Extrauagantes Vnam sanctam nullum Regi, Regno, & Regnicolis Franciæ, debeat generari præiudicium, [ita vt isti ampliùs exinde sint subiecti Romanæ Ecclesiæ, quàm anteà existebant, sed intelligantur in eodem esse statu, quo erant ante definitionem præfatam.] At verò ista definitio ex ipso Iure Diuino exigit subordinationem gladij temporalis erga gladium potestatis spiritualis, ita vt si illa deniet à recta ratione, sit iudicanda à potestate spirituali. Hoc autem iudicium spirituale, Oecumenici Ecclesiæ Pastoris potestati concessum, est in vi clauium Ecclesiæ, Petro, eiusque Successori commissarum intantum, vt, quodcumque ligauerit, seu soluerit super terram, sit vel ligatum, vel solutum in cœlo. Eo ipso autem, quòd Regiæ potestatis exercitium ita sit super terram, vt in Christiano Rege dicat ordinem ad Regnum cœlorum, oportet, vt sub respectu suæ ad æternam salutem, seu sacræ Religionis vtilitatem publicam ordinabilitatis, sit inter illa quæcumque, quæ super terram continentur sub Oecumenica Ecclesiæ clauium potestate, seu soluendi, seu ligandi. Quoad hanc igitur potestatis Regiæ erga auctoritatem Oecumenicam Summi Pontificis, subordinationem, Bonifaciana illa Extrauagans constitutiò nullum præiudicium generauit Regi, Regno, & Regnicolis Franciæ, sed hos relinquens in statu, in quo vi Iuris Diuini ante eam definitionem erant, non potest quoad debitam illam respectu Romanæ Ecclesiæ subordinationem, ac subiectionem, per Clementinam Meruit. De priuilegijs esse correcta.

PROBATIO II.

In qua fit confutatio secundi Aduersariorum argumenti.

SI namque sub forma per Christum Matth. 18. sancita, seruato, seu Diuini, seu naturalis, seu super hisce fundati Canonici Iuris debito ordine, Summus Pontifex procedat aduersùs Reges, Iuris Diuini temeratores, eousque progressos, vt Ecclesiam audire contumaciter detrectent, indeque ex Christi iussu, Communionis Ecclesiasticæ Iure destituantur, sed needum correcti, quinimò in reprobum sensum dati, sacræ Religionis, ac Ecclesiæ interitum, quantum in se est, peruersa sua contumacia moliantur, sintque adeò in eo statu positi, vt meritò persentiant virgam illam à Christo Apostolis cir. 18. Matth. eapite promissam, & sacro de Euangelicæ correctionis norma per Christum præscripta, textui immediatè subiectam sub his verbis: [Quæcumque alligaueritis super terram, erunt ligata, & in cœlis, & quæcumque solueritis super terram, erunt soluta, & in cœlis:] Si, inquam, in vi huius virgæ Apostolicæ, Summus Pontifex Ecclesiæ rebellem, ac hostem publicum, & liget censuris, & soluat, seu iuramentorum, & homagiorum à subditis præstitorum vincula, meritò computanda sub illo (quodcumque est super terram ad æternam salutem, Ecclesiæ publicam vtilitatem, sacræque Religionis non priuatum dumtaxat, sed publicum bonum etiam in Regibus ordinabile, sicque adeò subiectum regni cœlorum clauibus) quinimò si sub dicto ordine seruato, Romanus Pontifex ius Regiæ potestatis homini erga Ecclesiam rebelli inexistens, ab ipsaque Regia potestate formaliter spectata prorsùs diuersum (inter quæcumque super terram Ecclesiæ clauibus, seu soluenda, seu liganda, meritò computatum) tali iuris Diuini contumaci temeratori, per regni cœlorum claues ad Ecclesiæ sanctæ conseruationem traditas adimat: numquid vel Christo, qui taliter procedendi seu mandatum fecit, seu Ecclesiæ, eiusque Oecumenico Pastori talem potestatem tradidit, vel Papæ, qui ex Christi, seu mandato, seu potestate vi officij Diuinitus commissi necessariò vsurpanda, eali modo processit, impuranda erunt mala inde prouenientia? Vel non potiùs, dum Pontifex stringit gladium, ad bonos in obedientia sanctæ Ecclesiæ continendos, & malos extirpandos, communioneque fidelium, ne ab ipsis præcipirentur in ruinam, priuandos, eosque, ne potestatis temporalis gladio aduersùs sanctæ Ecclesiæ pacem, & Religionem publicam, liberè vti ampliùs possint, exauthorandos; ipsissima hæc iustitiæ aduersùs Ecclesiæ sanctæ rebelles, publicæque Religionis perturbatores demonstratio, ex se ipsa est tantum bonum, vt in respectu illius, quoad moralem imputationem, handquaquam præualere possint mala per accidens, & præter intentionem, non nisi ex prauorum Ecclesiæ rebellium contumacia euentura?

Obiectio.

Sed replicabit fortè aliquis, oportere, vt Vicarius Christi agat ex eius spiritu, qui non ad perdendum, sed ad lucrandum animas, venit in spiritu lenitatis, ac mansuetudinis, Apostolis non aliter concedens Ecclesiæ clauium auctoritatem, quàm vti Ioan. 20. præscripserat: [Sicut misit me Pater, ita ego mitto vos:] cùm tamen Christus fuerit contestatus, regnum suum non esse de hoc mundo, nec vnquam legatur coercitiuæ iurisdictionis actum aliquem in terris fecisse.

Responsio.

Ne modernis heterodoxis hec replicatio fauere videatur, eius discussio iuxta ipsius Christi verba accuratiùs venit in præsenti facienda, prout in Inextincta sacri Tridentini Concilij veritate tract. 6. sect. 6. cap. 1. argum. 3. à nobis exhibetur, sub hisce verbis. Ita profectò est, Christum Ioann. 20. disertè testatum fuisse, sicuti misit me viuens Pater, & ego mitto vos. At Psalm. 2. in spiritu prophetico inducitur Æternus Pater locutus ad Christum [Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, reges eos in virga ferrea] Hanc autem virgam importare auctoritatem Directionis, quà ferream verò dicere potestatem Coactionis, & Iustitiæ, explicat S. Augustinus in dictum Psalm. 2. Hæc ipsa verò Christi potestas Gubernatiua, & Coercitiua Luc. 1. prædicta fuit [Dabit illi Dominus sedem Dauid Patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum] Eo ipso autem, quòd regnum istud Ecclesiæ dicatur æternum, oportet, in terris fuisse à Christo relictam eam Gubernatiuam potestatem, per quam regimen hoc spirituale perpetuò duraret. Quamuis ergo Christi Regnum non fuerit, nec modò sit de hoc mundo, vtpote cuius ratio sit transcendens mundi regimen, respiciatque æternam hominum salutem: hoc ipsum tamen supernaturale, ac spirituale Ecclesiæ regnum importat virgam ferream Christo concessam, & ab hoc Apostolis, eorumque successoribus communicatam, adeoque vnà cum Gubernatiua Coercitiuam quoque auctoritatem, vt sic intelligantur Apostoli eo modo à Christo missi, quomodo ipse à Patre Æterno missus fuit cum authoritate regnandi in æternum, atque adeò eum potestate Gubernatiua, & Coercitiua in suos, quoque in terris relictos Vicarios transfusa.

PROBATIO III.

Refutatoria tertij Aduersariorum argumenti.

ADuersùs quorumdam Gallorum principia in eo tertio argumento producta præcitatus Auctor tractatus de libert. Ecclesię Gallicanæ efficacissima cum energia posuit antiquæ Ecclesiæ Gallicanæ sub Philippo IV. Rege aduersùs Petrum de Cugnerijs anno 1313. reposita fundamenta, quæ nos supra ver. 31. ac seq. publicæ luci exposuimus, ad disiudicandam moderni Cleri Gallicani Parisijs congregati ab illa antiqua Ecclesia sua difformitatem; eramus interea contenti argumentum illud stabilire ex nouiori etiam Cleri Gallicani, aduersùs parem probationem anno 1614. Cardinale Perronio Antesignano facta vnanimi renitentia, & oppositione.

Quia verò dictus Auctor memiolr etiam prioris sub Philippo IV. Parisijs aggregati Archiepiscoporum, & Episcoporum Conuentus, in quo pro Clero Gallicano Oratorē egit Bertrandus Cardinalis Eduensis, operæ pretium est visum, hìc proferre luculentam super causa præsenti in illo Conuentu habitam, & in Bibliotheca SS. Patrum quarto tomo edit. Parisiensis pag. 1098. exhibitam eiusdem Cardinalis ex sacræ Scripturæ fundamentis solidissimè deductam dissertationem.

Primò, Inquit, quoad personas dicendum est, quod omnes Christiani cuiuscumque gradus, vel status, seu conditionis existant subsunt iurisdictioni Ecclesiasticę: cuius ratio est, quòd scriptum est ad Romanos [Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, non est enim potestas nisi à Deo] Inter Christianos enim duplex est potestas: Temporalis scilicet, & spiritualis, siue secularis, & Ecclesiastica: & vtraque est à Deo secundùm modum in præcedentibus expositum: & ideo vtrique potestati subsunt Christiani, sed differenter, quia potestati temporali, vel seculari subsunt Christiani, quia inter Christianos potest esse, & est, & fuit illa potestas legitima, sed solùm vt ciues. Potestati autem spirituali, & Ecclesiasticæ subsunt vt Christiani, & Fideles, quia potestas illa fundata est super fidem, per Christum nobis traditam. Igitur omnes Christiani, & fideles, viri, & mulieres Clerici, & Laici, Reges, & Principes subsunt iurisdictioni spirituali, & Ecclesiasticæ. Et cùm prædictam iurisdictionem habeat Papa sinè limitatione loci, & personarum: ideo omnes Christiani vbicumque sint, debent ei obedire: cæteris verò Prælatis Episcopis, & Archiepiscopis, Patriarchis in territorijs, seu Diœcesibus sibi commissis, tenentur obedire omnes Christiani manentes in eis. Et ideo Clemens Papa dicit, & habetur Extrauag. De maiorit. & obed. Cap. Omnes: quòd omnes Christiani Principes terræ, & cæteri homines Episcopis obedire debent, vt beatus Petrus præcipiebat.

Ab hac tamen obedientia, seu subiectione Papa, qui est supremus in Ecclesia, potest aliquos eximere: & sic patet, quòd omnis Christianus, cuiuscumque status, vel conditionis existat, subiectus est iurisdictioni spirituali seu Ecclesiasticæ. Vtrùm autem iurisdictio Ecclesiastica, seu spiritualis extendat se ad omnes actiones personales omnium Christianorum non solùm Clericorum, sed laicorum: dicendum est, quòd de se, & suo iure extenditur ad cognoscendum, & iudicandum de omnibus peccatis; non solùm de illis, quæ sunt contra articulos, & Sacramenta, in quibus principaliter fundatur Religio Christiana: sed etiam de omnibus peccatis mortalibus quod patet primò ratione irrefragabili sic. Cuius est considerare finem, eiusdē est iudicare de his, quæ debent ordinari ad finem, quia ratio

tio eorum, quæ ordinantur ad finem, sumitur ex fine; debet enim intendens aliquod bonum, finem eligere, & ea, quæ sunt congrua fini, & tollere ea, quæ finem impediunt: v.g. Medicus considerat sanitatem corporum: & certè eius est, iudicare de ijs, quæ seruant sanitatem, & de his, quæ eam impediunt, vt ab eis abstineatur: & consimiliter est in omnibus. Sed corpus ordinatur ad animam, etiam secundùm Gentiles Philosophos: & temporalia ordinantur ad spiritualia, & omnes actiones Christianorum debent ordinari ad consequendam vitam æternam tamquam nostrum finem vltimum secundùm fidem Catholicam in sacra Scriptura traditam. Ergo cuius, vel quorum est, considerare de salute animæ, & de spiritualibus: sicut est Prælatorum, curam, & regimen habentium, vt sunt Papa, & alij Episcopi, & Archiepiscopi, eorum est iudicare de actionibus personalibus hominum, per quas possunt deuiare à salute æterna contra quamcumque materiam; siue contra articulos fidei, & Sacramenta, siue contra bonos mores peccando in seipsum, vel in proximum verbo, vel facto, seu quocumque alio modo: & in hac ratione fundatur, Cap. Nouit. Extrauag. De iudicijs.

Secundò patet ex authoritate Diui Matthæi, vbi dicit sic [Si peccauerit in te frater tuus, corripe eum inter te, & ipsum solùm, si te audierit lucratus eris fratrem tuum, si te non audierit, adhibe tecùm vnum, vel duos testes, vt in ore duorum, vel trium testium stet omne verbum, quòd si non audierit, dic Ecclesiæ, si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi tamquam Ethnicus, & publicanus: id est excómunicatus. Et constat, quòd loquitur de iurisdictione Ecclesiæ, quam habent Prælati. Nam ibidem subditur [Amen dico vobis, quæcumque ligaueritis super terram, erunt ligata, & in cælo [igitur sine vlla dubitatione ad Ecclesiam pertinet) iure sibi à Deo collato) cognoscere, & iudicare de quocumque peccato. Vnde beatus Paulus excommunicauit fornicatorem notorium, vt legitur in Epistola priore ad Corinthios, & 24. quæst. 7. Cap. Audiuimus circa medium. Cùm igitur peccata contingant circa actiones personales hominum, & circa contractus, de omnibus his pertinet ad Ecclesiam iudicare: maximè si intentetur actio per modum iniuriæ, vel cuiuscumque alterius peccati tam inter Clericos, quàm inter Laicos, vel inter Laicum & Clericum, quicumque eorum sit actor, vel reus.

Nec in prædictis potest dici, quòd reus trahatur extra forum suum: quia omnes Christiani; in quantum Christiani sunt, pertinent ad forum Ecclesiæ, vt supra dictum est. Et hoc est, quod expressè dicitur in Canone 11. qu. 1. Cap. quæcumque. vbi dicitur sic: Quæcumque contentiones inter Christianos ortæ fuerint, ad Ecclesiam deferantur, & ab Ecclesiasticis viris terminentur: &, si obedire noluerint, quòusque obediant, à limitibus Ecclesiæ excludantur. Nec propter hoc coercetur iurisdictio Principum sæcularium, qui de actionibus, & contractibus subditorum suorum, videlicet laicorum, habent cognoscere, & etiam iudicare: quæ prædicta iurisdictio eis non aufertur, nec impeditur. Si enim actor voluerit, poterit reum trahere ad iudicium sæculare, & tunc iudex laicus cognoscet: si autem vult reum trahere ad iudicium Ecclesiæ, potest: præcipuè intentando actionem iniuriæ, vel peccati: quia quilibet laicus Christianus est vtrique iudicio subiectus, sicut subditus, vni, vt ciuis; alij, vt Christianus. Et quælibet potest in eum exercere iudicium suum, si ad illud euocetur. Sed in optione actoris est, euocare reum ad hoc, vel illud iudicium, & non ad vtrumque, & sic potest intelligi illud, quod habetur in Decretis dist. 21, cap. vbi dicitur, quòd Christus, commisit beato Petro iura cælestis imperij & terreni: & qui hoc priuilegium Romanæ Ecclesiæ detrahit, in hæresim labitur, & hæreticus est censendus.

Verùm quamuis hoc ius sit Ecclesiæ, sibi à Deo collatum, tamen ipsa non semper vsa est isto iure, nec vbique partim ad vitandum scandalum, ne putaretur, quòd Ecclesia magis quæreret emolumentum pecuniæ, quàm correctionem vitiorum, partim propter malitiam aliquorum tyrannorum, in quorum terris plures Ecclesiæ sunt fundatæ, qui propter suam violentam potentiam non permiserunt Ecclesiam vti iure suo. Sed in regno Franciæ Christianissimo, in quo Reges fuerunt Ecclesiæ deuoti à principio, quo fuerunt Christiani, Ecclesia liberiùs est vsa iure suo, & tantò liberiùs, quantò plus appropinquat sedi Regni. Sic igitur patet primùm, scilicet quantum extendit se iurisdictio spiritualis ad aliqua, quæ videntur pertinere ad iurisdictionem temporalem. Quantum ad secundum, scilicet quantum extendit se ex vsu, & consuetudine, non potest vno verbo dici; quia non omnes Ecclesiæ habuerunt, nec habent eosdem vsus, & consuetudines: sed quædam vtuntur pluribus, quædam verò paucioribus.

Verùmtamen vsus, de quo supra dictum est, non est acquisitio iuris noui, cùm hoc competat Ecclesiæ iure suo, vt statim dictum est executio iuris primi dati à Deo, quod fuit forsitan a Deo impeditum, quantum ad executionem; tunc illud ius dicendum est duplici titulo competere Ecclesiæ. Si autem vsus ille sit circa actiones merè reales; vt dicitur esse in quibusdam Ecclesijs, paucis tamen; dicendum est, quòd ad hoc consuetudo potest in talibus locum habere, & dare iurisdictionem; Sicut expressè dicitur Extrauag. de iudic. cap. Nouit, vbi dicitur sic [Non enim intendimus iudicare de feudo, cuius ad ipsum, scilicet Regem, spectat iudicium: nisi forrè iuri communi per specialem priuilegium, vel contrariam consuetudinem aliquid sit detractum. Igitur per consuetudinem potest alicui acquiri ius cognoscendi, & iudicandi de feudo alterius: alioquin frustra poneretur illa exceptio: nisi fortè. Et fortiori ratione potest consuetudo locum habere in alijs merè realibus, non feudalibus. Istas rationes proposuit ergo Petrus Bertrandi coram Domino Rege Philippo, qui nunc est in illa persecutione, quam habuit tunc Ecclesia Gallicana, quæ tamen per gratiam Dei sopita fuit sins scandalo. Hoc igitur antiquioris in Christianissimo Regno à Clero Gallicano de iurisdictione Ecclesiastica doctrinæ tam viriliter propugnatæ exemplum, meritò imitetur modernus

quoque Chriſtianiſſimæ Eccleſiæ ſacer Clerus.

PROBATIO IV.

Refutatoria quarti Aduerſariorum argumenti.

SI quæ doctrinę ex parte aduerſa circa Oecumenicæ Pontificiæ ſuper Reges poteſtatis reſtrictionem propoſitæ eſſet probabilitas, oporteret, rationes, quibus nititur, ſaltem non eſſe oppoſitas cum Diuinæ ſacris Literis traditæ doctrinæ fundamentis. Quod tamen dici haud poſſe, niſi propoſitio illa redigatur ad ſenſum in Corollario finali primi huius articuli exponendum, conſtat ex ijs, quæ hactenus fusè deducta fuerunt.

Sed neque aliquod authoritatis pondus accedere poſſe illi, cæteriſque propoſitionibus ex Conuentu Pariſienſi, in quo editæ fuerunt, oſtendit Author tractatus de libertatibus Eccleſiæ Gallicanę lib. 3. cap. 14. Quæ inquiens, Cœtus Pariſienſis declarauit, eius ſunt conditionis, vt, ſi vera eſſet Gallorum doctrina de poteſtate Concilij Oecumenici ſupra Papam etiam extra caſum ſchiſmatis, à Concilio Oecumenico, non autem a Comitijs Cleri Gallicani, vel à Concilio Nationali fuiſſent determinanda.

Nam agitur de iure non ſolùm Summi Pontificis, ſed etiam Concilij Generalis, imò de Eccleſiæ vniuerſæ ſecuritate, nempè ad quem pertineat auctoritas Decreta irreuocabilia circa fidem edendi; an poteſtas Eccleſiaſtica habeat aliquam poteſtatem in temporalia Regum, & Principum, &c. Quomodo ergo poteſt Eccleſia Gallicana, vbi de fide, de moribus, ac generalibus diſciplinæ capitibus eſt quæſtio, ſententiam, inauditis etiam partibus, proferre? Numquid cauſæ iſtæ inter maiores referri non merentur?

Reſpondebunt fortaſſis, ſe, quod iam à Concilio Conſtantienſi definitum fuerat, declaraſſe, ne à fidelibus ignoraretur. Sed primò quoad poteſtatem Eccleſiæ ſupra temporalia Principum, Concilium Conſtantienſe contrarium ſenſit, vt inferiùs oſtendetur. Secundò, quoad auctoritatem Concilij ſupra Summum Pontificem, non ſolùm plurimi Pontifices (quorum fortaſſe ſententia in ſuſpicionem traheretur, licèt non minùs ſuſpecti ſint Epiſcopi, cùm ſibi non quidem diuiſim, ſed coniunctim ſupremum Pontificem ſubijcere conantur) ſed etiam quamplurimi Doctores ex vniuerſis Eccleſiæ partibus decreta Concilij Conſtantienſis de caſu ſchiſmatis dumtaxàt interpretantur. An ergo ad Eccleſiam Gallicanam pertinet, obſcurum Concilij generalis ſenſum interpretari? Decretum, inquies, clarum eſt, verùm ſecùs alijs videtur; ad quem pertinet huius controuerſiæ iudicium?

Nec iuuat reponere, Antiſtites Gallicanos materiam, quæ ad Eccleſiam vniuerſalem videtur ſpectare, pro ſuis tantùm gregibus declaraſſe, non autem toti Eccleſiæ articulos Fidei, aut diſciplinæ Canones propoſuiſſe. Hoc, inquam, non iuuat. Nam primò declarationes illæ generales ſunt, & terminis communibus conceptæ. Non enim v.g. declaratur, Reges Galliæ in temporalibus non ſubeſſe poteſtati Eccleſiaſticæ; ſed Reges, & Principes abſolutè. Secundò, cauſas illas maiores, aut etiam maximas eſſe, Galli negare non poſſunt. Nonne ergo ad ſanctam Sedem, vel ſi ſuſpecta erat, ad Concilium generale ex antiquis Decretis, & ex ipſis etiam Francorum legibus erant referendæ? Sed ſuſpectum etiam foret Oecumenicum Concilium, cùm eius quoque interſit, debereque ei Summus Pontifex præſidere. Ideòne igitur debuit Eccleſia Gallicana, tamquam ſuprema inter Romanum Pontificem, & Concilium Oecumenicum arbitra, controuerſiam dirimere?

Non adeò faciles erant huiuſmodi controuerſiæ, vt omiſſa Romani Pontificis, aut, ſi mauis, Concilij Oecumenici conſultatione, definiri poſſent; decebatque, vt Epiſcopi Gallicani apud Curiam his S. Petri Chryſologi Epiſcopi Rauennaris verbis ſeſe excuſarent; [Nos enim pro ſtudio pacis, & fidei extra conſenſum Romanæ Ciuitatis Epiſcopi cauſas fidei audire non poſſumus.] Epiſt. ad Entychem inter Acta Concilij Chalcedonenſis par. 1. num. 15. Si quid interim, & , vt vulgò dicitur, prouiſionaliter ſtatuendum fuiſſet, longè maioris erant ponderis rationes, quæ in alteram partem ſuadebant declinare.

Quin etiam hęc declaratio Eccleſiæ Gallicanæ, vel Clero Gallicano tribui non debet, cum, qui Comitijs interceſſerunt, procuratione caruerint, quæ ad res adeò arduas, & difficiles ſpecialiſſima requirebatur; conſenſus autem, qui fortè ab alijs quibuſdam præſtabitur, vix libet habebitur, cùm Intentatis pœnis, & iam quibuſdam inflictis, exigatur.

Accedendum iam ad ſingularum propoſitionum examen. Quocirca niſi demonſtrauero, propoſitiones in declaratione Cleri Gallicani contentas vniuerſaliter, vt iacent, acceptas eſſe falſas, ſaltem conſtabit, longè minùs eſſe probabiles, minùſque tutas, quàm earum contradictorias. Atque adeò Comitia Pariſienſia maximam iniuriam illius Regni fidelibus erga Summum Pontificem benè affectis intuliſſe, dum Edicto Regio, pœniſque adiectis, ad aſſentiendum doctrinæ ad minus de falſitate plurimùm ſuſpectæ, atque aliunde ſanctæ Sedi aduerſæ, cogendos curarunt. Tantùmque abeſt, vt illa agendi ratio libertas Eccleſiæ Gallicanæ nuncupari poſſit, vt duriſſima, & Chriſtianæ libertati infenſa ſeruitus vocari debeat.

Nec puto, reperiri quemquam, qui hac declaratione ſpectet reuocandos ad gremium Eccleſiæ hæreticos; quippe qui arbitrentur, vt eorum aliqui non ſine opprobrio noſtræ Religionis iam ſignificarunt, Comitia Cleri Gallicani non parum ad ipſorum doctrinam acceſſiſſe, iam plurimùm Summi Pontificis, cuius obedientiæ ſeſe ipſi vſquequaque ſubduxerunt, auctoritatem imminuere cœpiſſe, potiùſque Catholicos à viſibili Eccleſiæ Capite defecturos, quàm ei ſeſe coniungere illi medicentur. Ego quidem ſic habeo Regem Chriſtianiſſimum, qui tam glorioſè in reducendis ad Chriſti ouile Regni ſui hæreticis incumbit,

ex

ex ea declaratione ad tam præclarum opus, parum accepisse subsidij. Etenim cùm Summus Pontifex sit centrum vnitatis, qui arctiùs illi adhæret, intrà sinum Ecclesiæ arctiùs stringitur. Imò, vt notauit Hincmarus alibi relatus, Rex, & Episcopi Christi Vicario obedientes, illo exemplo debitam sibi à propijs subditis obedientiam faciliùs obtinent.

§. III.

Referuntur argumenta nostratis sententiæ, petita ex sacris Canonibus, speciatim cap. Nouit, 13. de iudicijs, & cap. Licèt, 6. de votis.

ARGVMENTVM I.

Auctor Regalis Sacerdotij cit. lib. 1. §. 3. num. 1. argumentatur 1. ex auctoritate præallegati Canonis Nouit. editi ab Innocentio III. rescribente in hæc verba: [Non putet aliquis, quòd iurisdictionem Illustris Regis Francorum perturbare, aut imminuere intendamus, sed cùm Dominus dicat in Euangelio: Si peccauerit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te, & ipsum solum; si te audierit, lucratus es fratrem tuum, si te non audierit, adhibe tecum vnum, vel duos: quòd si eos non audierit, dic Ecclesiæ; si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & publicanus. Et Rex Angliæ sit paratus, sufficienter ostendere, quòd Rex Francorum peccet in ipsum, & ipse circa eum in correptione processit secundùm regulam Euangelicam, & tandem, quia nullo modo profecit, dixit Ecclesiæ, quomodo nos, qui sumus ad regimen vniuersalis Ecclesiæ superna dispositione vocati, mandatum Domini possumus non exaudire, vt non procedamus secundùm formam ipsius? Non enim intendimus iudicare de feudo, cuius ad ipsum spectat iudicium, sed de peccato, cuius ad nos pertinet sine dubitatione censura, quam in quemlibet exercere possumus & debemus. Non igitur iniuriosum sibi debet Regia dignitas reputare, si super hoc Apostolico iudicio se committat, cùm Valentinianus inclytus Imperator suffraganeis Mediolanensis Ecclesiæ dixisse legatur: Talem in Pontificali Sede constituite, cui & nos, qui gubernamus, sincerè nostra capita submittamus, & eius monita (cùm tamquam homines deliquerimus) suscipiamus necessariò velut medicamenta carnis. Nec sic illud humillimum omittamus, quod Theodosius statuit Imperator, & Carolus innouauit, de cuius genere Rex ipse noscitur descendisse:] Quicumque videlicet litem habens, siue petitor fuerit, siue reus, si iudicium elegerit sacrosanctæ Sedis Antistitis, illicò sine vlla dubitatione, etiamsi pars alia refragetur, ad Episcoporum iudicium dirigatur. [Cùm enim non humanæ constitutioni, sed potiùs diuinæ innitamur, quia potestas nostra non est ex homine, sed ex Deo, nullus, qui sit sanæ mentis, ignorat, quin ad officium nostrum spectet, de quocumque mortali peccato corripere quemlibet Christianum: & si correctionem contempserit, per districtionem Ecclesiasticam coercere.]

[Sed forsan dicetur, quòd aliter cum Regibus, & aliter cum alijs est agendum. Cæterùm scriptum nouimus:] Ita magnum iudicabis vt paruum, neque erit apud te acceptio personarum, quam B. Iacobus interuenire testatur: Si dixerit ei, qui est indutus veste præclara, tu sede hic bene, pauperi verò sta illic, aut sede sub scabello pedum meorum.

[Ideòque vniuersis vobis per Apostolicam Sedem mandamus, quatenus sententiam nostram recipiatis humiliter, & faciatis ab alijs obseruari: licèt enim hoc modo procedere valeamus super quolibet criminali peccato, præcipuè cùm contra pacem peccatur, quæ est vinculum charitatis.]

[Postremò cùm inter Reges ipsos reformata fuerint pacis fœdera, & vtrinque præstito iuramento firmata, numquid non poterimus de iuramenti religione cognoscere, quod ad iudicium Ecclesiæ, non est dubium, pertinere. Ne ergo tàntam discordiam videamur dissimulando fouere, prædicto Legato dedimus in præceptis, vt (nisi Rex solidam pacem cum prædicto Rege reformet, vel saltem humiliter patiatur, vt idem Abbas, & Archiepiscopus Bituricensis de plano cognoscat, vtrùm iusta sit querimonia, quam contra eum proponit coram Ecclesia Rex Anglorum, vel eius exceptio sit legitima (quam contra eum per suas nobis literas duxit exprimendam) iuxtà formam sibi datam à nobis, procedere non omittat.]

Ex quo proinde sacro Canone præcitatus Regalis Sacerdotij Auctor sequentem efformat argumentationem. Nempè ex illo Canonico textu constat, non esse equidem Pontificis, directè & immediatè se causis feudalibus, & negotijs Regum immiscere: posse tamen & debere ab eo id fieri, cùm Ecclesiæ interest, cùm scilicet de peccato, periurio, ac fœdere violato agitur, tunc enim partes Pontificis sunt, Regibus pacem imperare, eorum causas cognoscere, appellationes ad se factas in causa etiam temporali recipere. Neque hoc nouum est, sed iam antiquis legibus constitutum; vti ex Euangelio constat Matth. 18. explicantque D. Thomas 2. 2. qu. 33. & Maldonatus in Lucam 18. Idipsum patet tum ex edicto Valentiniani Imperatoris relati in cap. Valentinianus, dist. 63. tum ex lege Theodosij Imperatoris, quæ est prima titulo de Episcopali iudicio in Cod. Theodosiano, refertur que à Gratiano in cap. quicumque, & cap. seq. causa 11. quæst. 1. Neque hanc Pontifici auctoritatem negauit Philippus Rex. cùm & ipse ad eumdem Pontificem prouocauerit, teste Æmilio rerum Francicarum scriptore lib. 6. & Spondano ad annum 1203.

Confirmatur solidissima hæc argumentatio, primam Cleri Gallicani superius positam propositionem conferendo cum illa, quam in Archiepiscoporum Bituricensis, Stuuitani-Turonensis, Rothomagensis, Lenonensis, Beluacensis, Cathalaunensis, Laudunensis, Pa ctiensis, Nouionensis, Carnotensis, Constantiensis, Andegauensis, Pictauiensis, Meldensis,

ſis, Camerſcenſis, ſancti Plori, Briocenſis, Cabilonenſis, & Eduenſis conuentu coram Rege Philippo Pariſijs coadunato anno Domini 1329. propoſuit Petrus de Cugnerijs d. Domini Regis Conſiliarius ſub hac forma: [De iure communi, cognitio cauſarum, quæ tangunt realitatem, ſiue ſint in poſſeſſione, ſiue in proprietate, pertinet ad iuriſdictionem temporalem: & Officiales Prælatorum impediendo iuriſdictionem temporalem, nituntur ſibi attribuere cognitionem cauſarum realium ſpecialiter ſuper poſitione, & ſuper omnibus interdictis.

Pro qua proinde propoſitione firmanda, dictus de Cugnerijs contendebat, ſpiritualem & temporalem iuriſdictionem, eſſe diſparatas, neque hanc illi ſubordinatam exiſtere, in probationis ſubſidium aſſumpta tum Chriſti Domini ſententia Matth. 22. capite iubentis: [Reddite, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo.] Quaſi per iſtum ſacrum textum eſſet facta diuiſio iuriſdictionis ſpiritualis, ac temporalis: tum ex eiuſdem Domini noſtri Lucæ 22. effato reſpondentis Petro ſufficere duos gladios, ac ſi per hos intelligenda eſſet duplex ea iuriſdictio diſpar, & quoad ſubiectum ſeparata. Vnde concludebat, Sacerdotium, & Imperium eatenus diſtingui, vt iſtud rebus humanis, illud verò diuinis rebus præeſſet.

Verùm è contrario BertrandusCardinalis Epiſcopus Eduenſis nomine totius Cleri ſeu Epiſcoporum & Archiepiſcoporum Conuentus, reſpondebat primò ex Veteris Teſtamenti tabulis præter alios ſacros textus allegando decimum ſeptimum Deuteronomij caput, vbi ſic habetur. [Si difficile & ambiguum apud te iudicium peſpexeris inter ſanguinem & ſanguinem, cauſam & cauſam lepram & lepram, ſurge & aſcende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, & venies ad ſacerdotes Leuitici generis, & ad iudicem, qui fuerit illo tempore, quære ab eis, qui indicabunt tibi iudicij veritatem, ſequere eorum ſententiam, qui autem ſuperbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio & decreto iudicis, morietur homo ille.] Ecce igitur (ſubinfert Cardinalis ille) quàm manifeſtè dicat ſacra Scriptura, quòd ad Sacerdotem pertinebat, iudicare non ſolùm inter lepram & lepram: quantum ad Cæremonialia & irregularitates legis; ſed inter ſanguinem, & ſanguinem, quantum ad Criminalia, & inter cauſam, & cauſam; quantum ad Ciuilia.

Secundò idem Cardinalis ex Nouo Teſtamento probabat, à Chriſto iudicariæ ſuæ poteſtatis quamdam participationem factam eſſe Petro, vtpote conſtituto ſuo in terris Vicario, qui proinde Act. 5. Ananiam & Saphiram pro crimine furti, & mendacij iudicialiter condemnauit, ſicuti etiam Paulus 1. Corinth. 5. conuictum fornicatorem iudicauit, ſuperadditque, videri etenim ex Matt. 18. capite: quòd Chriſtus voluerit, tale iudicium eſſe penes Eccleſiam, ita ſaniendo, Si correptus à fratre, alijs quoque duobus, vel tribus in ſubſidium adhibitis, ſe non emendauerit, denuntiandum eſſe Eccleſiæ, & ſi hanc non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus, & publicanus. Amen dico vobis adijciens, quodcumque ligaueritis ſuper terram, erit ligatum & in cælis. & quodcumque ſolueritis ſuper terram, erit ſolutum & in cælis.] Ecce igitur (concludit idem Cardinalis) quàm expreſsè vult Chriſtus, quòd in omni re: in qua eſt peccatum vnius aduersùs alterum, ſi ille, qui deliquerit, monitus charitatiuè non emendauerit, debeat negotium ad iudicium Eccleſiæ referri, quam Eccleſiam, ſi non audierit, debeat vitari ſicut Ethnicus, & publicanus, ideſt, ſicut ab Eccleſia excommunicatus.

Ex illa porrò vniuerſalitate poteſtatis ſoluendi, & ligandi ad quæcumque ſuper terram ſe extendentis, pergit Bertrandus inferre, nihil eſſe, in quo Eccleſia non poſſit ligare & ſoluere. Et ideo, quando Petrus de Cugnerijs contendebat, ſub duobus gladijs, quos ſufficere, aiebat Chriſtus Lucæ 22. intelligi duas iuriſdictiones, ſpiritualem ſcilicet, ac temporalem, conſultò monet prætactus Cardinalis, oportere, vt animaduertatur, Chriſtum voluiſſe, quòd illi duo gladij eſſent penes Petrum, & Apoſtolos. Quia proinde illi duo gladij ſignificabant duplicem poteſtatem, nempe ſpiritualem ac temporalem, conſequenter (inferebat is Epiſcopus) voluiſſe Chriſtum, vt vtraque illa poteſtas ſit penes Eccleſiam.

Tertiò intentum hoc probabat idem Cardinalis ex Paulo 1. Corinth. 6. vbi Apoſtolus hìc tale fecerat argumentum. [An neſcitis, quomodò Sancti de hoc mundo iudicabunt, & ſi in vobis iudicabitur mundus, indigni eſtis, vt de minimis iudicetis. An neſcitis, quoniam Angelos iudicabimus, quantò magis ſæcularia. Sæcularia igitur iudicia ſi habueritis, contemptibiles, ſi qui ſunt in Eccleſia, illos conſtituite ad iudicandum.

Hiſce igitur probationibus ex Iure Diuino præſuppoſitis, pergit idem Bertrandus ex Iure quoque naturæ ſequens adſerre argumentum. Nempe ex ſacris Literis extra dubium eſt, quin cognitio de peccato ad perſonas Eccleſiaſticas pertineat non in interno dumtaxat tribunali pœnitentiali, ſed in foro etiam externo, Cùm igitur litigia circa cauſas etiam temporales non eueniant, ſinè alterius partis peccato, ſiue huius ſaltem diſcrimine, manifeſtè ſequitur, quòd Eccleſia poſſit ſe ingerere, vti ſatis deducitur ex cap. Nouit. de iudicijs.

Adſtipulatur etiam Ius Ciuile, dicit enim lex Si tamen 6. Col. Vt differ. iudices, ſi iudex laicus fuerit ſuſpectus adiungendum ei eſſe Epiſcopum ciuitatis, ſi autem fuerit negligens, totum iudicium ad Epiſcopum referri. Præterea Theodoſius Imperator talem condidit legem. [Quicumque litem habens, ſiue petitor, ſiue actor, ſiue cùm peieratur ſiue cùm inexperit periuri ſenteuria, ſi iudicium elegerit ſacroſanctæ ſedis Antiſtitis illicò ſinè aliqua dubitatione ceſſet, ſi alia pars refragatur, ad Epiſcoporum iudicium cum ſermone litigantium dirigatur.] Quam legem poſteà Carolus Magnus, qui erat Rex Franciæ, confirmauit in cap. Quicumque 1 c. qu. 1. Volumus, inquiens, ac præcipimus, vt omnes noſtræ ditioni ſubiecti tam Romani, quàm Franci, cæterique nobis ſubiecti, ſiue

fiue vinculo legis videantur obstricti, fiue consuetudinario more connexi, hanc sententiam perpetua lege teneant, vt quicumque litem habent &c.] iuxta dicta superiùs in lege Theodosij.

Hoc ipsum patet etiam de Iure Canonico per infinita Capitula 22. dist. item per cap. Omnes Patriarchæ 2. q. 5. Cap. Si quis Presbyter 11. q. 3. Cap. Ecce, extra, De iudicijs. Cap. Nouit. De foro comper. &c. & in multis alijs imò in tantum procedunt iura Canonica, quòd quicumque talem iurisdictionem habentem de consuetudine nititur impedire, sententiam excommunicationis ipso facto incurrat. Cap. Quoniam vt intelleximus. De immunit. Eccles. lib. 6.

Id ipsum patet etiam de consuetudine notoria & approbata, & tanto tempore obseruata, quòd memoria in contrarium non existat & temporibus Regum Christianorum & sanctorum. Talem autem consuetudinem violare, sacrilegium est: Cap. 31. q. 1. tit. 1. Consuetudo autem secundùm iura dat iurisdictionem; maxime personæ capaci, imò consuetudo, de cuius contrario memoria non est, habetur loco constituti iuris inter omnes personas, & multò magis pro Ecclesia. [Extra De præscriptionibus. Capit. Episcopum, in fine libri sexti. Cùm ergo Ecclesia Gallicana (Bertrando communi Galliæ Episcoporum & Archiepiscoporum nomine sic perorante, & concludente) consueuerit: inter Laicos cognoscere in actionibus personalibus, & etiam in realibus alicuius Ecclesiæ, patet: quòd consuetudo potuit sibi dare illam iurisdictionem.

Quæ consuetudo (ita pergente eodem Cardinale) ex eo etiam confirmatur, quia fuit in contradictorio iudicio obtenta. Frequenter enim, reclamantibus Baronibus, responsione Prælatorum obtenta, fuit per prædecessores Reges Franciæ consuetudo eiusmodi firmata Ecclesiæ, & pacificè obtenta per Ecclesiam, quæ adhuc potest hoc sibi vindicare per præscriptionem, ad hanc enim non nisi tria requiruntur, titulus nimirum, bona fides, & continuatio temporis. Certum est autem, quod Ecclesia iustum titulum habuit, sicut est priuilegium concessum à Theodosio Imperatore, & confirmatum à Carolo Magno mandante id inuiolabiliter obseruari, habuit quoque titulum ex iure Diuino, naturali, & humano, sicut superiùs est expressum & allegatum, habuit etiam bonam fidem cui noscuntur tot, & tam clari tituli suffragari, conuenit denique continuitas temporis & tanti quod sufficit ad præscriptionem etiam contra Fiscum non enim fuit continuitas solùm centum annorum, imò etiam sexcentorum & vltra.

Huic Bertrandi anno 1329. nomine totius Cleri Gallicani coram Rege editæ demonstrationi tum iuri Diuino, & positiuo, & naturali, tum Canonico, ac Ciuili, tum consuetudine & præscriptione etiam sexcentenaria innitenti, si superaddatur, quod post modum anno 1615. vniuersi iterum Ecclesiastici Ordinis nomine adstipulante quoque Nobilitatis Ordine, aduersùs popularium Magistratuum Ordinem perorando, æquè firmis argumentis comprobauit Petronius supra adductus, meritò sibi condoleat modernus Clerus Gallicanus, quòd in nouissimo sub annum 1682. Parisijs celebrato Conuentu suo: Ecclesiæ Gallicanæ libertates, Iura & priuilegia vno quasi ictu peremerit, negando Ecclesiæ super causis ciuilibus, & temporalibus vllam esse à Deo traditam potestatem; nisi fortè huic suæ propositioni, eam adhibuerit moderationem. per quam suorum Antecessorum, imò ipsorum etiam Franciæ Regum Christianissimorum pro Ecclesia Dei, eiusque libertatibus; iuribus, ac priuilegijs antiquis, seu conseruandis, seu innouandis sanctus zelus resslorescere valeat.

ARGVMENTVM II.

Petitum ex Cap. Licèt. De votis. in 6.

AVctor Regalis Sacerdotij argumentatur 2. ex præcitata Decretali eiusdem Pontificis Innocentij III. ad Andreã Hungariæ Ducem Regis Hungariæ filium rescripta sub hoc tenore: [Accepimus, quòd, cùm Rex Hungariæ pater tuus agens in extremis votum, quod vouerat Domino, Hierosolymitanam prouinciam in forti manu, & humili corde visitare, sub interminatione maledictionis commiserit tuæ fidei exequendum, & tu assumpto Crucis signaculo, te adimpleturum sine dilatione qualibet promisisti. Verùm eodem patre tuo sublato de medio, cùm Hierosolymitanum hoc iter te arripere simulasses, assumptæ peregrinationis oblitus quoniam contra inimicos Crucis dirigere debueras; in fratrem tuum, & Regnum Hungariæ conuertisti aciem bellorum, & multa contra serenitatem Regiam, malignorum vsus consilio commisisti. Nos autem, quos diebus istis ad Pontificatus officium, licèt immeritos, Dominus euocauerit, tam paci Regni Hungariæ, quàm tuæ volentes vtilitati consulere, Nobilitatem tuam rogamus, & monemus, & exhortamur in Domino, ac per Apostolicam Sedem mandamus, quatenus postpositis cæteris sollicitudinibus; vsque ad festum Exaltationis sanctæ Crucis debitum acceptæ Crucis exsoluens, propositum iter arripias: & humiliter prosequaris, nisi onus à patre tibi iniunctum, & à te spontè susceptum, occasione qualibet detrectaueris paterna te reddas successione indignum, & hæreditatis emolumento priueris, cuius recusaueris onera supportare, sciturus ex tunc anathematis vinculo te subiacere, & iure, quod tibi, si dictus Rex sinè prole decederet in Regno Hungariæ competebat ordine geniture, priuandum, & Regnum ipsius ad minorem fratrem tuum appellatione postposita, deuoluendum,

Super quo sacro Canone præallegatus Regalis Sacerdotij Auctor animaduertendum proponit, suam in Reges auctoritatem iterum exercuisse Innocentium in tantum, vt non satis habuerit, spirituales pœnas denunciare, quas plerumque Principes haud magni faciunt, sed temporales adiunxerit, quæ plus doloris habent, Regni videlicet priuationem, cùm enim de bello sacro ageretur inferendaque Catholica fide terris à barbaro vsurpatis. tanti hanc rem momenti visam esse

vt

vt poſſet à Vicario Chriſti quauis honeſta ratione vrgeri.

Confirmatur ea argumentatio ſingulariter adhuc animaduertendo, qualiter præfatus Pontifex Euangelicæ correctionis partes adimpleuerit, inprimis fratres aſſumendo perſonam rogans, poſteaque exhortans in Domino, indeque, ſi neque fraterna illa admonitio quaſi priuata, neque ſolemnior Domino in teſtem quaſi inuocato; exhortatio proficeret Eccleſiæ, ſeu Apoſtolicæ Sedis mandatum adhibens. In quo adeò Apoſtolico mandato ſub conditione recuſandæ paritionis, intentabat etiam anathematis vinculum, vnà cum comminatione priuandi inobedientem iure hæreditatis paternæ, & in Hungariæ Regnoſucceſſionis. De qua proinde poſteriori commiuatione dubitare quis poſſet, quomodò ſubſtiterit in via correctionis Euangelicæ. eò quòd Chriſtus Matth. 18. illam ſanctæ Eccleſiæ conceſſam virgam correctoriam videatur eo circumſcripſiſſe limite vt, qui Eccleſiam non audierit, inſtar Ethnici, & publicani habendus ſit, nulla vlterioris ad pœnas temporales, ſeu, Regni priuationẽ procedendi auctoritatis mẽtione facta?

CONCLVSIO.

Ex ſacris Canonibus Cap. Nouit. 13. De iudicijs & Cap. Licèt 6. De votis, efficaciter demonſtratur Pontificia, ſuper Reges auctoritas.

Explicatur. Si expendatur textus Canonicus dicti Cap. Nouit. clarè patet, Pontificiæ ſuper Reges poteſtatis fundamentum teduci in virgam correctoriam Matth. 18. Eccleſiæ conceſſam erga vniuerſos illos, qui ſunt in vnitate Eccleſiæ coadunati Fratres, quales vtique ſunt vniuerſi Reges Chriſtiani. Hæc autem virga correctoria ex aperto Chriſti verbo protenditur indefinitè ſuper correptione quorumuis peccatorum, Laicæ adeò poteſtati quoque ſubiectarum cauſarum Criminalium, ac ciuilium, in quantum important aliquam à Regno cælorum, ſeu priuatæ, ſeu publicæ etiam Religioni infeſtam deuiationem. Ex huius igitur virgæ correctoriæ auctoritate Summus Pontifex ad vniuerſæ Eccleſiæ regimen Diuina diſpoſitione vocatus, iure diuino præcepit ad quemlibet, adeoque regem etiam, ſi Chriſtianus ſit, diſtrictione Eccleſiaſtica coercendum: ſicque adeò Innocentius III. in ea Decretali, ex ipſiſſimo illo ſacræ Scripturæ fundamento ſic concludit: [Licèt hoc modo procedere valeamus ſuper quolibet criminali peccato, præcipuè tamen id ſe poſſe, cum contra pacem peccatur, quæ eſt vinculum charitatis. Quandoquidem igitur iſta concluſio ex ſacris Litteris non priuato Doctoris alicuius ſenſu, ſed Pontificiæ auctoritatis ſanctione habeatur deducta, & definita, quid ni dixeris, hac Oecumenica ſupra fidei petram fundata auctoritate ſuper Eccleſiæ candelabrum eſſe poſitam illam de Eccleſiaſtica ad vniuerſos Chriſtianos, atque adeò Reges etiam protenſa virga correctoria, & coercitiua?

Sed dicet fortaſſis non nemo, videri huic virgæ correctoriꝫ eſſe ſolummodò locum pro caſu euidentis peccati, non autem pro caſu, quo agitur cauſa, ſeu ciuilis, ſeu criminalis ad Magiſtratum politicum pertinens, dum nondum conſtat; [An, & ex qua parte ſubſit peccati mortiferi reatus, ſuper quo Innocentius ibidem dicit prorendi ſuam auctoritatem correctoriam?

PROBATIO I.

In qua fit diſcuſſio caſus proximè expoſiti.

Non abſimilis videtur propoſitioni huic, exceptionique proximè allatæ, oppoſitio Heideggeri Pſeudoreformatæ Tigurinꝫ Eccleſiæ publici Profeſſoris, aduersùs Seſſionis 13. ſacri Concilij Tridentini ſuper iuriſdictione Eccleſiaſtica decretum, & illum Innocentij Tertij Canonem. Nouit. proteruè excipientis. [Viſum quidem fuiſſe Innocentio Tertio ſub virgæ correctoriæ per Chriſtum ſancitæ prætextu poſſe ad iuriſdictionem ſuã omnia omnium contumacium peccata, etiam Principum, & Regum controuerſias, ſeu quatenus in illis peccati quædam conſpicua eſt ratio, reuocari, adeoque hac ratione immenſam in omnes Chriſtianos poteſtatem coactiuam fundari. Sed huic Innocentianæ probatione Nauarrum in cap. nouit. de indicijs norat. 6. n. 55. multa oppoſuiſſe, ac præcipuè hoc; quòd inde fororum maxima orietur confuſio, cùm tamen nemo extra forum ſuum ſit trahendus. Cùm enim nulla ſit fori politici cauſa, quꝫ non contineat ininſtitiam, ſeu formalitatem peccati, patere ſanè à foro politico nullam non cauſam ad forum Eccleſiaſticum ſic trahi poſſe.

Verùm Auctor [Inextinctæ ſacri Concilij veritatis Tom. 3. Tract. 6. ſect. 6. c. 2, arg. 7. num. 6. ac ſeq. hanc Pſeudoreformatoris ſpiritus exceptionem confutaturus, ſupponit in primis, cauſæ cuiuſpiam Ciuilis in controuerſiam tractæ ſtatum poſſe ita ſe habere, vt neuter litigantium agnoſcat ſuperiorem iudicem ciuilem, vnus tamen liquidum habeat ius ab altero arrogatum, de cuius adeò vſurpatione euidenter iniuſta, iuxta normam ſacri Euangelij abſq; vllo tamen emendationis fructu corripitur.

In hoc igitur ſtatu clarè conſtat, locum eſſe mandato Chriſti Matth. 18. v. 17. iubentis, taliter correptum deferre ad Eccleſiam, cui in tantum fas ſit, proferre iudicium, ac cenſuram, vt, ſi alteruter eam non audierit, Ethnici inſtar, ac publicani ſit habendus. Quamuis proinde in tali ſtatu fas non eſſet Eccleſiæ, ſiue eius ſupremo Capiti Oecumenico, Directè cognoſcere de iure Ciuili poteſtati ſubiecto, attamen ex ſacro Euangelio clarum eſt, Eccleſiæ incumbere, ſententiam ferre de peccato, atq; adeò indirectè cognoſcere de iure, quatenus huius notitia requiritur ad diſcernendam peccati formalitatem, ſub qua ex prætacto Chriſti mandato ea cauſa trahitur ad iudicium, ac cenſuram Eccleſiæ.

Quòd

Quòd si equidem clarum, ac liquidum non sit inter litigantes, ex qua parte stet causæ iniquitas, dum tamen clarum est, oportere, vt ex vna parte deficiat æqui, & iusti ratio, tunc in statu publici imminentis scandali, Ecclesiæ habenti à Christo sibi demandatam virgam correctoriam, incumbet, prudenter prospicere, & indagare, ex qua parte adhibenda sit correctio: sicque adeò per indirectum, ac ex consequenti incumbet Oecumenico Ecclesiæ Capiti, indagare, ac iudicium facere super statu causæ, alioquin Ciuilis, vt correctionis à Christo præceptæ virga ex æquo, & iusto valeat applicari. Atque hoc est, ad quod collimat Innocentij Tertij Decretum in cap. nouit. de iudic. circa finem, demandantis Archiepiscopo Bituricensi, vt de pleno cognoscat controuersiæ inter Galliæ, & Angliæ Reges versantis causam, & vtrùm iusta sit huius querimonia ad Ecclesiam: seu Papam delata, sicque comperta eius iustitia, iuxta formam sibi à Pontifice datam procedere non omittat.

Sed qua fronte ausus est ille Pseudo reformationis minister inducere Nauarrum, ac si in cit. Cap. nouit. annot. 6. num. 55. ei Innocentij Tertij ex sacris tamen Literis desumptæ probationi ausus esset multa opponere argumenta? Hic equidem Author, postquam ibid. notab. 5. pluribus argumentis comprobauerat illud Innocentij Tertij rescriptum, postea notab. 6. adducit nonullas oppositiones, mox tamen easdem sequenti dissoluit ratione Actor, inquiens, [conuenire qnidem potest hoc modo reum Indirectè coram Ecclesiastico iudice super quocumque peccato lethali, & Index ipse de illo cognoscere, id si reus excipiat. Reus autem excipere potest, non quidem, quòd Iudex Ecclesiasticus non est competens ad cognoscendam causam tali modo (sub formalitate nempe peccati Ecclesiasticæ censuræ subiecti) propositam: sed quòd actor malitiosè dolo, ac fraude videtur eum trahere ad forum Ecclesiasticum, omisso sæculari, cuius iudicio se ait paratum esse stare. Et hanc exceptionem admittere tenebitur Ecclesiasticus: eo quod sacrosancta Mater Ecclesia fraudem, & dolum plurimùm odit non vult videri arrogans, quippe, quæ simplex columba est, & simplicitatem columbæ cum suo sponso laudat, nec est alieni vsurpatrix, nec vexare vllum cupit omnes leuare desiderat. At qui potest directè conuenire Laicum Christianum coram Laico iudice, super aliquo tamquam ciuem, & hominem, & sperat, vel sperare debet, ius suum sibi ab eo reddendum, & conuenit indirectè illum coram Ecclesiastico, meritò videtur potiùs simulare se quærere, quàm verè velle ea, quæ sunt Christi, scilicet vt conuentum pœniteat peccati, quo mortuus iaceat, & satisfactione conueniente, Deo fiat gratus. Videtur (inquam) hoc simulare, cùm potiùs credatur velle principaliter suam satisfactionem: & ita meritò præsumitur id facere animo frandandi potestatem laicam, aut reum artibus exquisitis vexandi. Et, si Ecclesia non admitteret eiusmodi exceptionem, arrogans videretur, & alieni cupida, & potiùs velle quærere potentiam, quàm facere iustitiam. Et ideò meritò non admittit talem actorem, cùm tamen admittat alios, qui destituti remedio in foro sæculari, ad Ecclesiasticum recurrunt. Qua ratione illa Hostiensis, & Ioannis Andreæ, à quibus nemo recedit, antiqua doctrina defenditur, quam etiam satis sensisse videtur Innocentius. Atque hæc Nauarri cautela videtur prorsus consentanea dictæ Decretali Nouit. in cuius initio protestatur Innocentius, nolle se iurisdictionem Regis Francorum super causa feudali perturbare, aut minuere, seu impedire, sed virgam Evangelicæ à Christo sibi demandatæ correctionis, quatenus opus sit, eum summaria suo delegato commissa causæ cognitione exercere.

Quo taliter constituto hunc in modum licet Theologicè argumentari. Inter moralia iure naturali conspicua axiomata numeratur istud quoque principium, vbique receptum: cuilibet Magistratui fas esse, potestatem suam iudiciariam extendere super omni causa fori sui limitibus contenta in qua scilicet reperitur moralis quædam ratio, seu moralitatis ad publicum iudicium spectantis formalitas, iudiciariæ cuique Magistratui competentis potestatis sphæram circumscribens. At ex fide certò constat, à Christo Domino fuisse Matthæi 18. Ecclesiæ concessam virgam correctoriam, atque huius potestatem eousque progredi, vt qui Ecclesiam non audierit, instar Ethnici habendus sit, communione adeò Fidelium priuandus.

Ex eadem Insuper sancta fide per aperta Christi verba apertò liquet, eam virgam correctoriam extendi indefinitè super peccato, atque adeò super omni peccati genere. At verò ex sacro contextu rursus manifestum est, illam super omni peccato protensam correctoriam virgam reduci in potestatem ligandi & soluendi indefinitam, protensam ad quodcumque super terram, velut ipsemet Christus hanc potestatem ligandi, & soluendi in subsequenti mox versu contexuit cum illa virga correctoria. Hæc verò potestas ligandi & soluendi quodcumque super terram, eo Matth. 18. capite ita referebatur ad Apostolos, vt Matth. 16. sub pari ad quodcumque super terram extensione fuerit soli Petro, cum ordine ad perpetuum Ecclesiæ statum, adeoq; eius successori promissa, & postmodum Ioannis 21. cum Pastorali Oecumenico munere actualiter collata. Ex hisce igitur fidei principijs cum illo morali naturaliter conspicuo principio collatis, certò infertur, illam Ecclesiæ concessam virgam correctoriam super omni peccato protensam, subsistere etiam penes Petri successorem Romanum Pontificem.

Atque hæc virgæ correctoriæ super omni peccato extensio in regni cœlorum clauibus Petro, eiusque Successori demandatis comprehensa, iuxta Christi verba Matth. 16. exarata, fundatur in debita omnimodi actus moralis ad regnum cælorum ordinabilitate, cuius deniatione ex quo moralitatis in homine linea ad supernaturalem statum est eleuata, iouoluit iam omne, præcipuè mortale peccatum. Hæc verò moralitatis ad statum supernaturalem eleuatæ in regnum cœlorum ac salutem æternam ordinabilitas, in vi Indefinitæ clauium auctoritatis obseruanda incumbit Oecumenico Ecclesiæ Pastori, non

eo dumtaxat casu,quo eius deuiatio per peccatum actualiter commissum iam est facta,sed vel maximè ad prospiciendum, ne tales à supernaturalis status, siue committantur deuiationes; veluti hoc euincunt Christi verba Ioan 21. pascendi munus erga cunctas oues suas Petro, eiusque successori committentis: hoc enim seu pascendi, seu gubernandi officium malè administraretur, si pastor ouibus primùm post patrata peccata, non verò antecedenter, maximè vbi imminet peccati periculum, Prouidere vellet. At verò in plerisque causis etiam ciuilibus, quando duo inter se altercantur, præcipuè dum nullum (veluti Reges) suprase in foro politico agnoscunt superiorem, & hinc per viam facti, vel ex proprio arbitrio procedere affectant, non potest non euidenter imminere periculum peccati, quamquam euidens non sit ex qua parte stet iniustitia, quamdiu hoc ex publica auctoritate non fuerit decisum. Ex debito igitur peccati imminentis periculum manifestum auertendi, secundùm fidei de Ecclesiæ clauibus Petro, eiusque successori commissis nos edocentis, certissima principia, incumbit illi ipsi, qui ex muneris Pastoralis Oecumenici super omnes Christi oues, ipsosque adeò Reges Christianos protensi officio, prospicere debet aduersùs quodcumque non patratum dumtaxat, sed de futuro moraliter certò patrandum peccatum. Est autem euidenter conspicuum, pro tali casu prouideri haud posse ab Oecumenico Christi ouium Pastore, nisi huic sit auctoritas decisoria altercationis inter Reges exortæ, cum certo ac euidenti peccati ex alterutra saltem parte, seu iam incursi, seu incurrendi discrimine. Combinando igitur fidei principia cum moralibus naturali lumine indubitatis principijs, secundùm sacram Theologiam redditur omninò consequens, Oecumenico Christi ouium Pastori esse potestatem etiam iudicialiter, & auctoritatiuè decisoriam causarum quoque Ciuilium, inter ipsos etiam Reges controuersarum, vbi interuenit, vel peccatum, vel manifestum saltem, ac moraliter certum peccati periculum. Quæ proinde iudiciaria in tali casu Oecumenici Pastoralis à Christo instituti muneris potestas continetur clauibus regni Cælorum, indefinitaque quodcumque super terram soluendi, & ligandi auctoritate.

Quam igitur auctoritatem in Petri successore fuisse agnitam à Theodosio, & Carolo Magno Imperatoribus in præcitato cap. Nouit de iudicijs, asseruit Innocentius III. [Nec sic, inquiens, illud humillimum omittamus, quòd Theodosius statuit Imperator, & Carolus innouauit, de cuius genere Rex ipse noscitur descendisse, quicumque videlicet litem habens siue petitor fuerit, siue reus, siue initio litis, vel decursis temporum curriculis, siue cùm negotium peroratur,siue cùm iam cœperit promi sententia, si iudicium elegerit sacrosanctæ Sedis Antistitis, illicò sine aliqua dubitatione (etiamsi pars alia refragetur) ad Episcoporum iudicium cum sermone litigantium dirigatur.] Hinc ergo Gallicanus Clerus meritò studeat, supparem Carolo Magno, qui (in moderno Christianissimo Rege inter Magnos Galliarum Reges iure extollendo, videtur cum sanctæ Religionis, ac fidei sancto zelo reuixisse, ac reflotuisse) Oecumenicæ super causas etiam Ciuiles sub peccati,qua cum supernaturalis status fine saltem, pugnantis formalitate protensæ, Summi Pontificis auctoritatis, obseruantiam religiosam non tantùm non extinguere, sed fouere, & conseruare.

PROBATIO II.

Desumpta ex cap. Licèt. De votis eiusque cum præadducto capit. Nouit, combinatione.

Hvc inprimis reuocatur illa præcedent. num. 81. circa capit. Licèt. De votis insinuata difficultas; [Quomodò scilicèt Ecclesiæ correctoria virga ex Christi Domini verbis eo circumscripta limite, vt videatur terminata, vbi Ecclesiam non audiens, declaratus fuerit dignus haberi instar Ethnici. communione adeò fidelium priuatus;estendi valeat ad pœnas quoque temporales, regni præcipuè, ceu fidelitatis paternæ priuationem?] Hæc proinde difficultas videri posset iam soluta ex principijs superiùs consolidatis. Nihilominùs ad maiorem rei huius firmitatem, sequens adhuc deducitur probatio. Inprimis ex præcitato cap. Nouit in eiusdem fine constat, Innocentium III. postremò hoc punctum reduxisse ad suæ super causis Ciuilibus, peccato interueniente, potestatis fundamentum: [Cùm nempe inter Reges ipsos reformata fuerint pacis fœdera,& vtrinque præstito iuramento firmata: quæ tamen vsque ad tempus prætaxatum seruata non fuerint, sibi vtique fas esse, de iuramenti religione cognoscere, hoc namque citra omne dubium pertinere ad iudicium Ecclesiæ, vt rupta pacis fœdera reformentur.] Ex quo proinde principio hunc in modum argumentari licet. Ex ipso equidem naturali lumine eatenus subsistit iurisiurandi religio, ex naturali super nos signato lumine nos inducens,ac præpollens, ad Deum, ex quo facta sunt omnia, cognoscendum, ac sub iuramento præcipuè reuerendum in tantum, vt, licèt homo esset in statu puræ naturæ, periurium tamen importaret rationem sacrilegij intrà honestatis moralis naturalem lineam grauiter peccaminosi. Hæc autem tota moralitati naturali repugnans sacrilegij in periurio malitia peccaminosa, vnà cum iurisiurandi secundùm lumen naturę nobis cognita religione, etiamnum subsistit, quantumuis homo sit iam eleuatus ad statum supernaturalem. In vi autem huius ad supernaturalem in fide radicatum statum eleuationis, indubitatum iam est, iurisiurandi religionem, vnà cum opposito sacrilegij reatu, subijci iudicio Ecclesiæ. Pari ergo ratione, vbicumque reperitur malitia Diuini honoris, secundum religionis iam supernaturalizatæ transcendentalem saltem exigentiam, debitæ obseruantiæ repugnans, dicendum est sub tali formalitate, qualecumque peccatum, atque adeò causam quamcumque hac formalitate vestitam, pertinere ad iudicium Ecclesię. Ac violatio voti non tantùm quoad illam transcendentalem,sed etiam quoad specificam reli-

religionis supernaturalizatæ rationem euidenter importat formalem cum hac repugnantiam. Quandoquidem igitur Hungariæ Regis filius reus fuerit violati voti, proficiscendi ad terram sacram Hierosolymytanam cum manu forti, ac militari, meritò Innocentius III. causam eiusmodi traxit ad iudicium sanctæ Ecclesiæ. Ac cuiusque iudicij in cognoscendis, & puniendis delictis auctoritas publica secundùm ipsum etiam supernaturale lumen extenditur ad omne genus pœnæ ipsius foro subiectæ, atque delicto proportionatæ. Eo ipso autem, cùm Christus quodcumque super terram, quà in regnum Cælorum ordinabile subiecerit clauibus Ecclesiæ, indefinitæque eiusdem Oecumenico Pastori Petri successori concessæ ligandi, & soluendi potestati, oportet, sub hac ordinabilitate regna, & quæuis temporalia, nempe quà in regnum Cælorum Diuinitus ordinata, subijci præfatæ Oecumenicæ auctoritatis clauibus Apostolicis. At quia Dux præinsinuatus Regis Hungariæ filius in se susceptit patris votum de Hierosolymytana prouincia in manu forti visitanda, atque adeò ad hoc sub paternæ maledictionis interminatione fidei suæ commissum se obstrinxit, assumpto Crucis signaculo, ideo non sub illa generali dumtaxat formalitate debitæ ad regnum Cælorum ordinabilitatis, sed sub specifica voti eiusmodi ratione, earenus obstringebatur, vt maledictionis paternæ reatum contraxerit, sub voti sui violatione. Hic verò maledictionis paternæ reatus vtique importabat aliquam, seu condignitatem, seu condignitatis cuiuspiam decentiam, vt per auctoritatem publicæ, cui talis reatus specificè subijciebatur, iudiciatiæ potestatis meritò priuaretur paterna hæreditate, atque, hinc, si ad ipsum deuolueretur, Regni successione. Quia igitur naturæ quoque lumine notum est, tribunali cuiuscumque iudiciariam potestatem protendi super omnem causam, fori sui sphæra circumscriptam, sibique adeò subiectam, nec non pœnam tum foro eiusmodi, tum delicto ad id spectanti proportionatam. Quia insuper ex fidei principijs notum est, illam voti violationem cum pœna eidem proportionata subijci Oecumenicæ ad quodcumque super terram ligandi, & soluendi protensæ potestati, per argumentum Theologicum sub Oecumenicæ auctoritatis sanctione super Ecclesiæ candelabrum positum, euincitur prorsus manifestum, in vi iuris Diuinitus sanciti, Innocentium III. in casu Canonis Licèt, 6. De votis, istè procedere potuisse ad hæreditatis paternæ, Regnique priuationem comminatoriè indicendam.

§. IV.

Referuntur nostratis sententiæ argumenta desumpta ex cap. Venerabilem dist. 34. de elect. & ex Clementina vnica, de iureiurando.

ARGVMENTVM I.

Petitum ex Imperij Occidentalis in Francos per Pontificiam auctoritatem facta translatione.

Argumentari licet 1. in medium proferendo, quæ ad vtriusque illius Canonicæ sanctionis intelligentiam ab Auctore Regalis Sacerdotij præf. lib. 1. §. 5. contexta est summaria hanc in rem historia. Is igitur Auctor ibi num. 1. ostendit inprimis, Imperium Orientem simul, ac Occidentem olim complectens, fuisse in filios diuisum à Constantino Magno, Occidentem assignante Constantino iuniori, & Constanti: Orientem verò Constantio, quod bipartitum Imperium durabat vsque ad annum 476. quo Eruli, Gothique Italiæ dominari cœperunt, à Belisario, & Narsete postmodùm deuicti, expulsique sub Imperatore Iustiniano, vtrumque Orientis scilicet, & Occidentis, Imperium rursus coniungente, vsque dum Alboinus Longobardorum ex Pannonia excitorum Rex Italiam subegit, ex quorum Ecclesiæ infensa hostilitate, permotus Gregorius Papa, Martellum Francorum Regem in subsidium vocat; veluti n. 2. dicti Summarij habetur, vnà cum Actis Concilij Romani ab eodem Gregorio conuocati aduersùs Imperatorem Leonem Isauticum, eiusdem Synodi auctoritate condemnatum hæreticum, dirisque adeò percussum, omnique tributo, quod populus pendebat, Gregorij, Romanum consulatum Martello deferentis, sententia priuatum, eidem tamen Summo Pontifici reconciliatum. Anno dein 729. Luitprandus Longobardorum Rex rursus infestare cœpit Romanam Ecclesiam, Gregorio III. proinde anno 749. iterum, iterumque in subsidium vocante dictum Martellum Francorum Regem, sed satis mox defunctum. In tertio præfacti Summarij numero edocemur, qualiter extincto Martello, Regnum Franciæ Childerico inter otia, & voluptates marcenti ademptum, auctoritate Zachariæ Pontificis anno 751. fuerit concessum Pipino aduersùs Longobardorum iteratas molestationes, implorato in auxilium anno 753. dum ex Copronymo Imperatore nullum aliud bellum, quàm cum sanctis imaginibus agitante, nulla subsidij spes superesset. Vndè prout in dicti Summarij num. 4. enarratur, euenit, vt Stephanus Papa III. ius Regium Pipino anno 754. confirmarit, & tradita sibi à Deo potestate, Franciæ Proceres iuramento adstrinxerit, numquam, ex alia, quàm Pipini, atque adeò Carolina stirpe Reges à se admissum iri. Pipinus exinde dicto anno Aistulpho Longobardorum Rege victo, Italiæ pacem resti-

tuit, sed Aistulpho pactorum fidei, ac iuramenti immemore, seque in Pontificem denuo armante; Pipinus denuo in Italiam cum exercitu progressus anno 755. victor euadens, Rauennam Exarchatum, aliasque ciuitates omnes, Ariminum, Pisaurum, Anconam, Auximum, Vrbinum, Rhegium, Mantuam, Ducatus Spoletanum, & Beneuentanum, in potestatem suam redegit, ac Romanæ Ecclesiæ dono dedit, confutatis Copronymi, eas ciuitates Imperio vindicare uitentis, postulationibus.

Hinc Pipino demortuo succedit Carolus Magnus dictus, qui (vti in Regalis Sacerdotij Summario num.5. describitur) vnà cum Carolomanno successit, ac anno exinde 771. totius Regni Franciæ regimine ex Episcoporum, atque Optimatum decreto potitus, indeque ab Hadriano Papa III. contra Desiderium Longobardorum Regem vocatus in auxilium, huue prostrauit, Copronymo Imperatore Constantinopoli in delitijs otium trásigente, quousque ab Aldagiso Desiderij filio Classis Græca in Italiam prorupie. Quibus tamen fortuna, & virtute Caroli deuictis anno 778. Aldagisus fuit interemptus, & ita vltimæ Regni Longobardorum fauillæ in ipso micandi conatu penitus extinctę fuerunt, bellumque hinc in Græcos est auersum, dum etiam fides de Caroli filia cum Imperatore Constantino copulanda, eidem Regi violata fuerat.

Exinde anno Christi 800. vti prætactum Summarium num.6. exponit, Carolus non tam Leonis Papæ III. quàm Christi iniurias vindicaturus, Romam veniens, rebus feliciter compositis, à præfato Summo Pontifice Occidentis Imperator Augustus constituitur ob causas in dicto Summario num.7. exaratas. Nempe Clodouæus morti proximus coronam auream, gemmisque distinctam, quam Regnum vocant, B. Petro dono miserat, quasi Francorum Regnum Ecclesię defendendę oppignorasset. Hincmarus in vita sancti Remigij. Eosdem Francos tot iam Pontifices, cùm periclitabantur, appellauerant Pelagius, Gregorius, Stephanus, Adrianus, Leo, felici semper euentu. Pipinus bis cum exercitu in Italiam descenderat, Sedemq; Romanam à Barbaris iam vltimè expectantè liberauerat, donarisque amplissimis patrimonijs ex serua Reginam fecerat. Carolus ipse in præfatione ad sua capitularia inter alios titulos hunc velut maximè Regium suo nomine præfixerat: [Carolus Rex Francorum deuotus sanctæ Ecclesiæ defensor, humilisque adiutor.] Et ad Episcopos Hispaniæ in literis contra hæresim Nestorianam: [Carolus Rex Francorum, & Longobardorum, Patricius Romanorum, filius, ac defensor sacræ & Romanæ Ecclesiæ.] Et in testamento filijs Regibus ante omnia mandauit, vt curam, & defensionem Romani Pontificis assumerent. Verba Testamenti sunt: [Super omnia autem iubemus, vt ipsi tres fratres curam, & defensionem sancti Papæ simul suscipiant, sicut quondam ab auo nostro Carolo, & beatæ memoriæ Pipino genitore, & à nobis postcà suscepta est, vt cum omni adiutorio ab hostibus defendere nitantur.] Quod testamentum, eòque contentam Regnorum inter filios diuisionem Leoni III. per Eginhardum à secretis, confirmandum postea transmisit. Idem denique Carolus iam quarta vice armatus in Italia, & pro Ecclesia stabat, cui ergo Pontifex maiori iure, maiorique merito Occidentis Imperium deferret? Accedebat iam à tempore D. Augustini vulgatum inter Patres vaticinium: [Francorum Regnum perpetuum fore, nec ante finem mundi desiturum.] Meminit huius vaticinij D. Augustinus in libello de Antichristo tom.9. quæ omnia, si cessarent. necessitas tamen extorquebat omni ratione maior. Quis enim tum temporis Romanam Sedem, arcemque Religionis contra barbaros, Græcosque alius tueretur? Orientis imperium olim sub Theodosio tota Asia, Africa, & Europa florentissimum iam barbari maiori ex parte obtinebant: Bulgari videlicet, Auares, Saraceni. Vix tanti dominatus reliquias in minori Asia, Thracia, Græcia, Macedonia Imperatores Græci possidebant, & hanc ipsam tantulam partem hæreses multæ, sæuæ, cruentæque vastabant, & præsertim Iconoclastarum, quæ à Leone Isaurico nata per Constantinum Copronymum, & Leonem Armenum Imperatores ducta, plus Catholici sanguinis hausit, quàm sub Cæsaribus Ethnicis antiquæ persecutiones, nec contenta Orientem corrupisse, per edicta & insidias Exarchorum in Occidentem, & Italiam deuolabat, summo Religionis discrimine. Accedebant domesticæ clades, discordiæque, Irene Imperatrice cum filio Constantino de Imperio pugnante. Solus ergo, qui pulsatæ tot periculis Ecclesiæ subueniret, Carolus Magnus supererat & vicinus, & potens, & pietate potentiam æquante. In hunc igitur summa rerum deposita est, præstitumque iuramentum, cuius forma in libro rituum habetur, & videri potest apud Spondanum anno 1300. num.3.

Quibus fusiori stylo expositis à dicto Regalis Sacerdotij Auctore præf.§.5.num.8.post medium, sequens fit conclusio: quòd nempe pateant plures actus potestatis à Summo Pontifice in Reges exercitæ. Cùm nempe Gregorius II. Caroli Martelli protectionem aduersùs Longobardos implorat, defertque Romanum Consularum. Cùm idem Gregorius Leoni Isaurico in Catholicos sæuienti tributum à Romanis pendi solitum abrogat. Cùm Zacharias à Childerico stupido in Pipinum Regem potestatem & Regnum transfert. Cùm Stephanus Papa Pipino, & filijs eius Regnum confirmat, Regnique Proceres solemni iuramento adigit, nunquam se ex alia, quàm Pipini, idest, Carolina stirpe Regem admissuros. Cùm Adrianus Papa agit aduersùs Desiderium Longobardorum Regem. Cùm denique Leo III. Carolum Augustum dicit, corona & Imperio Occidentis dignum.

Obiectio.

Aduersùs istam de Imperij Occidentalis in Carolum Magnum translatione, historicam enarrationē occurrit Ludouicus Maymbourg. in hist.Iconoclast.lib.4. ad annum 800. dicens, [Carolum Magnum Imperium Occidentis, & ipsam Italiam iure belli occupasse,

se, Romam verò populi Romani donatione, nec aliud à Leone Papa, quàm coronam, hoc est, non ipsum Imperium, sed insignia tantùm, nudamque ceremoniam accepisse, immò nec istam, nisi Ciuium Romanorum precibus compulsum, etiam sine fine Augustum acclamantium, tunc enim, nec priùs à Leone fuisse coronatum.

Responsio,

Huic namque Maymbourgi exceptioni iam anticipatè occurrerat præfatus Regalis Sacerdotij Auctor cit. §.5. disserendo in hunc modum: Enimuerò factam esse hanc Imperij translationem auctoritate Leonis III. Summi Pontificis, probat Bellarminus testimonijs triginta quinque historicorum, quorum verba describit, duodecim Imperatorum, aliorumque Principum, & septem Summorum Pontificum suffragijs, quorum testimonia eo prætextu reijci vtique non possunt, quòd in propria causa testari videantur: cùm supremus Princeps non tantùm testis, sed iudex esse possit etiam in sua causa, l. vnica, Cod. si quis Imperatori maledixerit, leg. 54. Cod. de Decurionib. cap. cùm venissent 12. de iudic. & ibi Abbas num. 6. Godefred. ad cap. ne quis in sua causa, Azor. par. 3. lib. 2. cap. 7. qu. 4. Laym. lib. 1. de conscientia cap. 5. num. 7. Estque communis sententia, posse Episcopum, vel alium Prelatum esse iudicem in causa propriæ Ecclesiæ, Abbas in cap. 1. de maledicis: & ipsa experientia, & praxis etiam in Gallijs recepta conuincit. vbi lite circa Regiam dignitatem, & iura Coronæ orta, nullus alius præter Regem, aut Regis Ministros iudex admittitur, ab eoque, cuius causa agitur, sententia fertur, & bellum iam indicitur, quantò id verius erit in Vicario Christi? Cùm enim tribunal Vicarij sit tribunal ipsius Principis, adeò vt à Vicario ad Episcopum appellari non possit, cap. 2. de consuet. in 6. cap. Romana, de appellat. in 6. Eodem modo dicendum erit, tribunal Papæ esse tribunal Christi, nec ab alio lites Pontificiæ dignitati motas, quàm ab eodem Papa finiri posse, & consequenter eius testimonium, immò sententiam tamquam suspecti non posse recusari, quod omnes etiam Præsules, & Optimates Galli confessi sunt, qui teste P. Maymbourg. in histor. Iconoclast. initio anni 800. in Senatu Romano conclamarunt: [Romanum Pontificem à nullo iudicari posse, sed iudicem sibi esse.]

Verùm vt res ista de translatione Imperij per Pontificem Romanum facta, omni prorsus suspicione, & vel vmbra careat, dabimus testimonia historicorum, quorum aliqui aut Galli, aut Reformatæ Religionis, fuerunt, nullamque admittunt exceptionem.

Zonaras auctor Græcus tomo 3. Annal. in vita Constant. & Irenes: [Roma prorsus Franci potiti sunt, Carolo à Leone coronato, Romanorum Imperatore appellato.] Et infra: [Sub Constantino, & Irene, Papa Leo Francos etiam Romam admisit.]

Paulus Diaconus, qui tempore Caroli Magni floruit, lib. 23. rerum Romanar. [Leò, inquit, vicem Carolo recompensans, in Imperatorem coronauit eum.] Obsecro, hanc coronationem beneficium Leonis appellari, & consequenter eius voluntate, & iussu factam.

Otho Frisingensis ad annum 801. [Carolus, inquit, Rex à Summo Pontifice, ablato Patricij nomine, coronatus, omni populo tunc acclamante:] Carolo Augusto, à Deo coronato, Magno & Pacifico Romanorum Imperatori vita & victoria.

Abbas Vespergensis in Chronico anno 796. [Leo Papa ordinatur, hic Carolum fecit Imperatorem.] Et infra, Anno 801. [Carolus Magnus Rex Francorum consecratus est Imperator, cùm enim Natale Domini Romæ celebraret, in ipsa die sacratissima ad Missarum solemnia veniens, nihil minùs speranti Leo Papa coronam imposuit, & Imperatorem Romanorum pronuntiauit.]

Lupoldus Bambergensis in Procem. lib. de iuribus Imperij de sacri Regni, & Romanorum iuribus à tempore translationis ipsius Imperij de Græcis Imperatoribus ad Reges Francorum, & ad Germanos, per sacrosanctam Ecclesiam factæ tractaturus, &c.

Ioannes Trithemius. [Leo Papa III. natione Romanus, sedit annis 20. vitæ sanctimonia clarissimus, Carolum cognomento, & opere Magnum, ad Imperium Romanum vnxit, & hanc dignitatem à Græcis in Francos transtulit.]

Albertus Krantzius. [Non habetur Imperator, nisi quem Romanus Pontifex confirmarit, & consecrarit. Domini enim est terra, & plenitudo eius: ipse transfert Regna, & Imperia, dignissimèque ad suum Vicarium hoc sacrum ministerium delegauit.]

Spondanus Gallus non tantùm referens, sed etiam approbans, quæ Baronius de hac translatione scripserat (vt patet ex appendice minusculis adiecta) ad annum 800. sic loquitur: [Non tantùm Eginhardus, aut Anastasius de collata per Leonem Romanum Pontificem dignitate Carolo Magno sunt testes, sed & fatentur id ipsum Latini omnes, & Græci auctores. Quòd autem eiusmodi translatio Imperij ab Oriente in Occidentem Diuino consilio facta fuerit, magno Reipublicæ Christianæ emolumento, & Imperij Orientalis desolatio, & alia euenta satis superque demonstrarunt.]

Horatius Tursellinus in Epitome historiarum Lugduni edita, Lugduni approbata, & à Regio Aduocato edi permissa: [Pontifex, inquit, illustria in Ecclesiam Romanam Caroli merita remunerans, eum Imperatorem appellat, tutela Ecclesiæ tradita. Ita Romanum Imperium ob destitutum à Græco Imperatore Ecclesiæ patrocinium, peruenit ad Francos.]

Ioannes Cluuerus homo Reformatæ, vt vocant, Religionis, eòque, vt ex toto historiæ contextu patet, Pontifici infestus, ad annum 798. [Leo III. inquit, Hadriano Pontifici successor datus, populum in Caroli verba adegit, vexillo Romanæ Vrbis ad ipsum transmisso: ob id, & ob crimina, quæ illi obiectabant æmuli, indignissimè habitus, oculorum suorum priuatione damnatur.] Et infra ad annum 800. [Leo gratiam relaturus benefactori tanto, Carolum in D. Petri Basilica solemniter pronuntiat Augustum, corona

capi-

capiti impoſita, acclamantibuſque Romanis: Carolo Auguſto, à Deo coronato, Magno & pacifico Imperatori Romanorum vita, & victoria.

Daniel Pareus, & ipſe Reformatus in Medulla hiſtoriæ, vbi agit de Leone III. Iſaurico: [Extinctis bellis, Leo in Religionis reformationem incumbens, idola omnia deſtrui, templiſque Chriſtianorum eijci iuſſit (ſic imagines ſacras homo Lutheranus appellat) propterea Iconomachum ipſum vulgus appellauit. Gregorius III. Pontifex Romanus ea in re tantùm offenſus eſt, vt excommunicationis fulmine feriendum Leonem cenſuerit, ſubditos etiam Imperatoris in Italia, hoc eſt, Regimine Exarchorum, omni tum fidei nexu, tum tributorum pendendorum neceſſitate ſoluit; quod auellendæ à Græcis Italiæ, Francoſque ad Imperium vocandi initium fuit.]

Vide, quid veritas poſſit, quæ illis etiam confeſſionem extorſit, qui tamen, ſi poſſent, maximè vellent negare.

Sed addemus coronidis loco teſtimonium omni maius exceptione, in quo vel ipſa inuidia nihil habeat, quod rodat. Anno 871. Baſilius Macedo Orientis Imperator, ad Ludouicum II. Caroli pronepotem legationem cum literis adornauit per Ioannem Patritiũ, [Quibus cum eodem Ludouico acriter conqueſtus eſt, quòd dignitatem, & nomen Imperatoris, & Baſilei vſurparet; vnum tantùm Imperatorem eſſe, qui Orienti & Occidenti imperet: rogauitque, hoc nomine deinceps abſtineret, ſibi, nec alijs debito.] Ludouicus & ipſe Autprandum Conſtantinopolim Legatum cum literis Baſilio miſit, quas Baronius ad annum 871. recitat, vbi inter alia hæc ſcribit: [Et ipſi Patrui noſtri glorioſi Reges abſque inuidia Imperatorem nos vocitant; attendentes ad vnctionem & ſacrationem, qua per Summi Pontificis manus ſumus ad hoc culmen prouecti, &c. Et infra. Præterea mirari ſe dilecta fraternitas tua ſignificat, quòd non Francorum, ſed Romanorum Imperator appellemur: ſed ſcire te conuenit, quia niſi Romanorum Imperator eſſemus, vtiq; nec Francorum. A Romanis enim hoc nomen, & dignitatem aſſumpſimus, quorum gentem & vrbem diuinitus gubernandam, & matrem omniũ Eccleſiarũ Dei defendendam, atq; ſublimandam ſuſcepimus, ex qua, & regnandi priùs, & poſtmodum imperandi auctoritatem proſapiæ noſtræ ſeminarium ſumpſit. Nam Francorum Principes primò Reges, deindè verò Imperatores dicti ſunt, ij dumtaxat, qui à Romano Pontifice ad hoc oleo ſancto perfuſi ſunt, &c. Præſertim cùm tales ſæpè ad Imperium ſunt aſciti, qui nulla Diuina operatione per Pontificum miniſterium propoſiti ſolùm à Senatu, & populo Imperatoria dignitate potiti ſunt; nonnulli verò; nec ſic, ſed tantùm à militibus ſunt clamati, & in Imperio ſtabiliti, aut alio modo ad Imperij Romani ſceptra promoti ſunt. Porrò ſi calumniaris Romanum Pontificem, quod geſſerit, calumniari poteris & Samuel, quod ſpreto Saule, quem ipſe vnxerat, Dauid in Regem vngere non renuerit. Sed interim ſi paginas reuoluas Græcorum Annalium, & ſi quæ à veſtratibus Pontifices Romani pertulerint, perſcruteris, profectò inuenies, vnde iſtos iuſtè non valeas redarguere: vndè merito apoſtatis deſertis, adhæſerunt genti adhærenti Deo, & ipſius Regni fructus facienti, &c.]

Videa ex hiſce Ludouici literis, eum apertè fateri, ſe Pontificis opera ad culmen Imperij prouectum. Imperium à maioribus ſuis non vſurpatum, ſed Dei nutu, & Eccleſiæ iudicio, Summique Pontificis obtentum eſſe. Obſerua, non illum ius belli, hæreditatis, vel electionis à populo, Senatuque Romano factæ prætexere, ſed ſolam Pontificis auctoritatem: qua Imperium, ſuique Maiores etiam Regnum acceperint, opera videlicet Zachariæ Papæ, qui Childerico in ordinem redacto, Regnum Francicum ad Carolinos tranſtulit. Immò expreſſiſsimè Ludouicus diſtinguit; [Alioſque à Senatu, populo, exercitu, alio modo Imperium adeptos: ſe verò Diuina operatione per Pontificum miniſterium, ſacramque vnctionem, & à Matre omnium Eccleſiarum regnandi priùs, & poſtmodum imperandi auctoritatem. proſapiæ ſuæ ſeminarium ſumpſiſſe.] Hæc omnia verba ſunt Ludouici Imperatoris, quibus noſtro iudicio nihil clarius dici potuit. Vnde Spondanus literarum ſummam compendio referens ad annum 870. num. 3. [His literis acceptis, inquit, Ludouicus miſſo ad Baſilium Imperatorem legato, acrem ſatis dedit epiſtolam apologeticam, qua inter alia multa fusè oſtendit, eiuſmodi appellationem Baſilei non eſſe peculiarem Græcis Imperatoribus ſed etiam competere alijs principibus: maximè verò Francis; qui eam dignitatem accepiſſent à Sede Apoſtolica ob egregiam ipſorum fidem in Deum, Eccleſiam Romanam, &c.]

Hæc Spondanus; quæ nunquam ipſe Gallus ſcripſiſſet, nec Eccleſia Gallicana, cui librum dedicauit, ſcribi paſſa eſſet, niſi vera crediḋiſſent; maximè cùm Spondanum ob pietatem, eruditionem, zelumque præſertim Catholicæ Religionis; tota Gallia veneretur Ludouico XIII. præcharus, & cui ob merita Epiſcopatum detulit. Ac denique teſtatur in ſuo Dictionario Gallico Morerus, & ipſe Gallus, Spondanum ob aſſiduos in Eccleſiam labores à Pontifice Maximo elogia, à Rege ſuo amicitiam, ab omnibus Chriſti fidelibus æternam memoriam, & benedictionem retuliſſe.

Notandum tamen ad maiorem huius rei intelligentiam; duplicem fuiſſe coronationem, & electionem Imperatorum, alteram priuatam tantùm, & quæ Pontificis auctoritate non indigebat: qua ratione Carolus filium Ludouicum Aquiſgrani in conuentu optimatum Imperatorem dixit, teſte Eginhardo in vita Caroli. Alteram publicam ſolemnem, & per quam ius plenum ad Imperium dabatur, & hæc teſte Ludouico, vt audiuimus, ad ſolùm Pontificem ſpectabat, adeò, vt Carolus in celebri teſtamento apud Pithæum, & Baronium ad annum 806. cùm Regnum filijs diuiſiſſet, nullam Imperij Romani mentionem fecerit; quamuis enim Imperium eſſet hæreditarium; ex graui tamen, & omninò publica, ac neceſſaria cauſa ſuberat Pontificum diſpoſitioni, vt audiuimus,

& ideò Imperator Carolus conditum testamentum per Eginhardum à secretis aulicum ad Leonem Pontificem subscribendum misit. Verùm ulteriori de his dissertationi locus erit infra in præsentis §. conclusione nostra.

ARGVMENTVM II.

Desumptum ex Imperij Occidentalis penes stirpem Carolinam continuatione, & huius ad Saxones translatione.

Argumentatur 2. Auctor Regalis Sacerdotij præs. §.3, à num. 12. præinsinuatam duplicem successionem deducendo. Nempè Carolo Imperatore Aquisgrani sub annum 814. defuncto, successit in Imperio ipsius filius, Ludouicus cognomento Pius, qui anno 817. in comitijs Aquisgranum indictis, confirmauit omnia, quæ à Pipino auo, & Carolo patre Ecclesiæ Romanæ donata fuerant, seu restituta. Exindè anno 833. filijs aduersùs patrem Ludouicum conspirantibus, Gregorio IV. Papa intercidente, res fuit composita, sed renascentibus diffidijs, Lugduni habito procerum conuentu, Imperium Augusto ademptum fuit, quod decretum à dicto Pontifice Maximo rescissum fuit, teste Æmilio rerum Francicarum in Ludouico Pio.

Ludouico Augusto circa annum 838. defuncto successit Lotharius, qui postmodum anno 851. & anno 852. à fratribus prælio deuictus, in Conuentu Aquisgranensi Regno, & Imperio deijcitur, duobus fratribus Ludouico, & Carolo ab Episcoporum Conuentu suffectis, cui tamen Lotharingia fuit relicta, teste Æmilio in initio vitæ Caroli Calui. Successit posteà in Imperio ad annum 855. Ludouicus II. Lotharij filius, qui à Carolo Caluo ruptis fœderibus grauiter impetitus anno 860. potestatis Pontificiæ brachium implorauit à Nicolao I. ipsissimum tamen Regem hunc anno 862. ob amores extra thorum progressos grauibus de Imperij ademptione minis compescente ad legitimam vxorem recipiendam. Exinde anno 868. Carolum Caluum ad Regnum illegitimè vocatum à Proceribus, Hadrianus II. Papa cohibuit, grauiter puniendum, ni cederet Ludouico Imperatori, Ludouici defuncti fratri, legitimoque adeò successori. Ex Aimoino lib. 5. cap. 24. Sed anno 876. Carolo Caluo à Ioanne VIII. Pontifice maximo tandem collatum est Imperium excluso Ludouico maiore natu, eo quod è Carolo speraretur auxilium aduersùs Saracenos, quæ collatio à Prælatis Franciæ est confirmata in Synodo Pontigonensi; vti refert Aimoinus lib. 5. cap. 33. Carolo defuncto anno 877. successit Ludouicus Balbus fatis cedens anno 879. indeque anno 881. à Ioanne VIII. Augustus creatus Carolus Crassus Calui frater, cui à suis deiecto solus è Regia stirpe Regni hæres supererat Carolus Simplex, sed impar discordijs, quæ gliscebant in Imperio Francico, à pluribus tyrannis tunc dissipato.

Quamuis proinde iure legitimæ successionis Regnum Germaniæ ad eumdem Carolum Simplicem Franciæ Regem spectasset, vtpotè natum ex Carolina familia, è qua vnicus inter mares supererat: attamen Magnates Germaniæ Carolo ob ignauiam contempto, Saxoniæ Ducem Ottonem ad Imperium vocabant; vti constat ex Baronij Annalibus Ecclesiasticis.

Ex qua historiæ serie prætactus Auctor cit. §. 5. sub finem nu. 12. iterum animaduertit ex hoc Imperij intra Francicam stirpem continuatione, ac inde secuta in Saxoniæ Duces translatione multa iterum occurrere exempla à Summis Pontificibus in Reges exercitæ potestatis. Nam Concilij Compendiensis; & Procerum Franciæ decretum, quo Ludouico Pio imperium abrogabatur, filijs tradendum Gregorius IV. rescindit, & Augustum loco restituit. Lotharius Imperator in Conuentu Aquisgranensi ab Episcopis Regno, & Imperio deijcitur. Nicolaus I. Lothario, nisi abdicata pellice, Theutpergam vxorem recipiat Regni iacturam minatur. Hadrianus II. iubet, Carolum Caluum Regnum, quod inuaserat, Ludouico Imperatori legitimo hæredi restituere, & non obtemperanti pœnas indicit. Ioannes Octauus Carolo Caluo, excluso fratre maiore natu, Imperium confert, & hanc collationem Episcopi Galli in Synodo Pontigonensi ratam habent.

Obiectio.

Ex dictis namque manifestum iam redditur, Imperium in stirpe Carolina ex successione hereditaria fuisse in posteros deriuatum neque certum esse, quod primæua etiam Imperij Occidentalis Græcis adempti in Carolum Magnum translatio, facta sit per auctoritatem Pontificiam: Maymbourgo in citat. histor. Iconoclast. lib. 4. ad annum 800. ita hanc in rem disserente: Primò, ait, certum est Carolum Magnum iure partim hæreditatis partim belli tantum in Occidente terrarum possedisse, quantum alius ante illum Occidentis Imperator. Quid potuit ergo à Leone Papa præter titulum accipere, & insignia, Imperio iam dudum potitus? Immò ne titulum quidem, & coronam à Leone necessariò accepit: cùm enim toto Occidente iam dominaretur, potuit suo iure Imperator Occidentis appellari. Secundò cum dono: & spontanea Senatus, populique Romani subiectione Romam ipsam caput Imperij tenuit, nihil Carolo defuit, quod à Pontifice posset obtinere: sicut enim Odoacer, & Theodoricus Italia, Romaque potiti, nomen Imperatoris induerunt, repugnante nullo, multò magis id potuit Carolus; sed abstinuit modestiæ causa, dum tamdem populo impatienter id flagitanti cederet.

Responsio.

Huic Maymbourgianæ exceptioni præallegatus regal. sacerdotij Auctor citat. §. 5. num. 10. occurrit sequentibus argumentis, studiosè hic reproducendis, ad intentum nostrum posteà sequenti conclusione prosequendum. Olim, ait, Imperatoris nomine appellabantur omnes, qui bello alicui præerant propriè tamen nemo id nominis consequebatur, nisi re bene gesta, atque aliquot millibus hostium cæsis, tunc enim acclamatione militum,

tum, vel Senatus decreto Imperatoris nomine donabatur. Cicero 2. epiſtolarum epiſt. 10. Poſtea nomen Imperatoris proprium, perpetuumque Principis Romani ex Senatuſconſulto eſſe cœpit; & auctore Suetonio, prænomen Imperatoris, cognomen Patris patriæ primus aſſumpſit Iulius Cæſar in eius vita cap. 77. Octauius verò Iulij ſucceſſor, tum reliqui ab eo Cæſares, Imperatores ſunt appellati: nec verò poterat aliquis, quantumuis potentiſſimus, latèque dominans, nomen & iura Imperatoris vendicare, niſi qui legitimo ordine Imperatoribus, & Principibus Romanis ſuccederet: hi ſoli Imperatores, & Græcè Baſilei vocabantur, alij Reges tantùm quæ cauſa fuit Baſilio Imperatori Græcorum, per literas, legatoſque grauiter cum Ludouico Secundo expoſtulandi, quod Imperatorem non Regem ſe diceret. Spondanus anno 871. Et in Synodo vniuerſali Conſtantinopolitana nomen Imperatoris Ludouico à Pontifice datum dolo Græcorum in literis Apoſtolicis expunctum eſt, teſte Anaſtaſio in vita Hadriani. Et anno 968. Legati ab Ottone primo pacis & nuptiarum cauſa Conſtantinopolim miſſi à Nicephoro Phoca peſſimè habiti, quod Otho ſe Imperatorem vocaret. Anno 1055. Legati ab Henrico Secundo ad Concilium Turonenſe miſſi: grauiter ea cauſa conqueſti ſunt, quod Ferdinandus Magnus Caſtellæ, & Legionis Rex iura, ſibi titulumque Imperatoris vendicaret, & Henrico Cæſari parere nollet: qui tamen Ferdinandus Victori II. Pontifici, vt alienis titulis abſtineret, & Regio contentus eſſet, monenti, modeſtè acquieuit. Immò antequam ius eligendi Imperatorem ad Septemviros transferretur, iniuſſu Pontificis Imperator nemo dici potuit. Audi Glabrum lib. 1. in fine circa annum 1013. huiuſmodi decretum recitantem: [Cùm Henricus I. Romam veniret, huiuſmodi decretum factum eſt, ne quiſquam audacter Imperij Romani ſceptrum præpoperus geſtare Princeps appetat, ſeu Imperator dici, aut eſſe valeat, niſi quem Papa Sedis Romanæ morum probitate delegerit aptum Reipublicæ, eique commiſerit inſigne Imperiale.] Cuius decreti hanc idem Glaber affert rationem.] Quod olim vbique terrarũ quilibet tyranni ſeſe procaciter impellentes, ſæpiſſimè eſſent Imperatores creati, quamquam minùs apti Reipublicæ.] Nec annus Imperij priùs numerari cœptus, quàm Corona, Imperioque à Summo Pontifice acceptis; ſicque non à die ſucceſſionis, vel obitu Imperatoris, ſed à die coronationis per Romanum Pontificem calculus ducebatur, vt de Carolo Magno expreſsè Abbas Vrſpergenſis ad annum 801. De Carolo Craſſo ex eius diplomate Metis dato apud Baronium ad annum 881. De Arnulpho ex Synodo Moguntina anno 888. quæ Arnulphum Regem tantùm, non Imperatorem vocat. De Henrico Sancto ex priuilegio eiuſdem Monaſterio ſancti Vincentij ad fontes Vulturni conceſſo, & alio Eccleſiæ Nouarienſi, manifeſtum eſt.

Ex quibus omninò conſtat, coronationem illam non fuiſſe honorariam, nudamque ceremoniam, vt poſt Illyricum (cuius planè nec alijs argumentis vtitur) voluit P. Maymbourg. alioquin non ab hac velut à re neceſſaria, ſed à ſucceſſione in paternum Regnum anni ſupputarentur, quemadmodum hodie, poſtquàm poteſtas eligendi in Septemviros translata, nec coronatio neceſſaria, ſed nuda ceremonia eſt, vidimus annos Imperij non à coronatione, ſed ab electione duci. Et patet vel ex ipſo Maymbourgo, qui lib. 4. hiſtor. iconoclaſt. ad annum 800. ex geſtis Ludouici cap. 16. hæc verbatim ad marginem notat: [Qui Stephanus, poſtquàm Pontificatum ſuſcepit, iuſſit omnem Populum Romanum fidelitatem cum iuramento promittere Ludouico.] Hæc Maymbourgus, quæ ex Thuano deſcripſit in lib. de geſtis Ludouici Pij Caroli Magni filij cap. 16. 17. & 18. Non ergo intra ceremonias hæc coronatio ſtabat, ſed eum ſubiectione, & iuramento fidelitatis coniungebatur, qua Imperatori ſe omnes ſubmittebant, in eoque iura, & dignitates non Regis tantùm, ſed etiam Imperatoris agnoſcebant. Et Ludouicus II. in epiſtola ad Baſilium data anno 871. profitetur, ſe, ſuoſque maiores non titulum, ſed dignitatem Imperialem beneficio Romani Pontificis accepiſſe, vt iam ſupra notatum.

Et denique, vt res iſta omni careat dubitatione, exſtant poſt annales Francicos à Pithæo editos, & apud Aimoinum lib. 5. 33. acta Synodi Ticinenſis, quæ Baronius, & Spondanus etiam recitant ad annum 876. & 877. in quibus Ioannes VIII. & Patres in Synodo congregati, Imperium Carolo Caluo nuper collatum iterum confirmant, anathemate damnatis, qui pro legitimo Imperatore illum non agnoſcerent. In hac Ticinenſi Synodo expreſsè, & luculentis verbis declaratum, Imperatoris coronationem non fuiſſe nudum miniſterium, externumque ritum, ſed veram electionem, & ſecundùm priſcam conſuetudinem, prouectionem ad Imperij Romani ſceptra. Videantur acta Concilij 5. Vndè nos tantis indicijs, &c. Quæ acta ab Epiſcopis Galliæ confirmata omninò, & recepta ſunt in Concilio Pontigonenſi in 2. actione apud Aimoinum lib. 5. cap. 23. num. 4. Et fatetur Spondanus ad annum 876. num. 2. Vide Gretſerum apolog. Baronianæ cap. 15.

Vbi animaduerte, cùm hanc à Ioanne VIII. factam coronationem, aliaſque ſimiles adducimus, non eſſe nobis animum, omnes Pontificum actiones tueri, quos fuiſſe homines, & in huiuſmodi errori obnoxios fatemur, ſed poteſtatem ſolùm oſtendere, ab illis exercitam, ab omnibus agnitam: vt planè agnouerunt Epiſcopi Galliæ in Concilio Pontigonenſi, qui, cùm Anſegiſus Archiepiſcopus Senonenſis primatum affectaret, potentia Imperatoris, & priuilegio ſubornato fretus, conſtanter obſtitere, immò hoc ipſum Imperatori minaciter, & importunè vrgenti, animosè à Rhemenſi Archiepiſcopo reſponſum: id ſacris Canonibus, & Eccleſiæ Gallicanæ priuilegijs obuiare, nec aliud ab Epiſcopis reſponſum impetrari potuit, ne ad Synodum quidem comparere volentibus. At verò vbi de Imperatoris electione, & coronatione à Pontifice facta cœptum agitari, continuò ab omnibus recepta, & approbata eſt, vtique repugnatùris, ſi poteſtatem in Pontifice non agnoſcerent.

Hiſce animaduerſis, manifeſta eſt reſpon-

sponsio ad obiecta Illyrici potiùs, quàm Maymbourgi: Carolum videlicet Magnum, antequam à Pontifice Romano Augustus renunciaretur, potuisse Franciæ, & Germaniæ, Italiæ Regem, non Imperatorem vocari, viuente adhuc, & dominante, Orbis vtriusque Occidentis, & Orientis Imperatoribus, Constantino videlicet, Irene, Nicephoro, &c. quod vel ipse Carolus ingenuè fassus est, affirmans, se ne quidem Ecclesiam ingressurum, si consilium Papæ præuidisset, adeò nomen, & dignitatem Imperatoriam auersabatur, teste Eginhardo in vita Caroli. Quid recusabat Carolus Imperium, si iàm habebat? aut insignia, titulumque dignitatis iàm bello parta? non ergo omnis, qui Prouincias etsi multas, magnasque Romanis aliquando subiectas tenet, continuò Romanorum est Imperator, alioquin Reges plerique, Hispaniæ, Galliæ, Britanniæ, aliique Imperatores essent. Immò ius Imperij, Monarchiæ, Reipublicæ, vel in vna Ciuitate, & exiguo terræ spatio conseruari potest argum. l. 7. ff. Quod cuiusuis vniuersitatis, & docet Clariss. Doct. Herman. Hermes plures allegans in fasciculo iuris publici lib. 1. qu. 3. num. 30. Quantò igitur veriùs est, penès Græcos ius Imperatorium stetisse, tam multis Ciuitatibus, & Prouincijs in Occidente à Carolo Magno numquam occupatis (Hispania videlicet, Britannia, Apulia, Calabria, Illyrico, &c.): antequam à Summis Pontificibus illo donaretur ipse Carolus? Quid ergo præter titulum, & insignia à Leone Carolus accepit? Respondemus, vt ea ipsa, quæ iam habebat, non iure tantùm Regis, & Patricij Romani, vt antè coronationem; sed etiam Imperatoris, & Augusti retineret, videlicet cum prærogatiuis, præcedentijs, superioritate, alijsque, si quæ Imperatoribus erant propria; fuisse enim aliqua, multòque ampliora, quàm nunc habeant in supremos Europæ Principes Cæsares nostri, patet ex ijs, quæ alibi diximus; Henricum videlicet II. de Ferdinando Magno Hispaniæ Rege conquestum esse, quòd non titulum modò, sed etiam ius Imperatorium sibi vendicaret, nolletque Cæsaris Imperio, & mandatis parere. Deindè hac Leonis coronatione, id est consecutus, vt non tantùm, quæ ad Longobardos bello victos, sed etiam, quæ ad Græcos pertinebant, sibi acquireret, cum iure occupandi omnia, quæ constaret, iniustè ab alijs in Occidente possideri.

Ad aliud, quod affert Maymbourgus, Carolum videlicet deditione Romanorum ipsam Vrbem Imperij caput, & arcem tenuisse: multi sunt, qui hoc negant, non tantùm nostrates, sed etiam Acatholici scriptores, vt videre est apud Illyricum à Bellarmino citatum lib. de translatione Imperij cap. 1. num. 5. & cap. 13. ad 11. & Centuriatores centuria 8. cap. 10. Vndè mirum est, Maymbourgum inter duo illa principia, quæ Sole clariora, & à nemine dicit, posse negari, rem ponere adeò controuersam, hoc est, noua demonstrandi methodo rem dubiam probare per principium æquè dubium. Demus à Carolo missos, qui Romanum Populum iuramento sibi obstringerent, num potuit iussu, & auctoritate Pontificis hoc fieri? Immò sic factum esse, patet exemplo Ludouici Pij; quod ipse Maymbourgus allegat, & nos aliàs notauimus; non tam ergo hæc Populi, Senatusque Romani, quàm Pontificis voluntas, & mandatum fuit. Vix aliquem reperias Imperatorem Romanum à Senatu, Populoque creatum; sed omnes vel successione, vel à Principe, aut exercitu nominati; quis ergo credat, Populum, Senatumque Romanum, auctoritatis vix vmbram aliquam seruantem, id ausum facere, quod florens, vigensque numquam fecerat? Sed demus hæc omnia: acceperit Carolus dono Senatus, Populique, Romanam Vrbem: non sequitur tamen, etiā dignitatem Imperialem accepisse, quæ loco, & Vrbi non est alligata, alioquin qui hanc haberet, continuò Imperator Romanorum esset; qui non haberet, non esset: quæ omnia sunt absurdissima, cùm illic quoad iura, & potestatem sit Roma, vbi est Romanorum Imperator, iuxtà illud Poetæ:

Seios habitante Camillo
Illic Roma fuit.

Vide laudatum Hermen lib. 1. cap. 3. num. 25.

Ad exempla Odoacris, & Theodorici, quos nomen Imperatoris prætulisse, Italia, Romaque expugnatis, Maymbourgus dicit, multò igitur magis id Carolum suo iure potuisse, sed modestia retentum. Respondemus: mirum esse, duos & tyrannos, & barbaros, ac infideles in exemplum adduci, qui eodem iure vsurpabant nomen Imperatoris, quo Italiam inuaserant, hoc est, nullo. Theodorico Constantinopoli educato, & contra perduelles pro Zenone egregiè bellis defuncto, ab eodem Zenone triumphum, Consulatum, Equestrem in foro statuam præmio data, oblatamque insuper spem Occidentalis Imperij, cùm in filium ab Imperatore iàm esset adoptatus, testantur Euagrius libro 3. cap. 25. Enodius in Panegyr. Iordanes Episcopus Gothus in Oratione, &c.

Non ergo Theodoricus, vt vult Maymbourg. ob Romam, Italiamque occupatam, sed dono Zenonis Imperatorium nomen accepit, quod in tyranni postea mutauit; cùm tentato frustrà Oriente, arma in Italiam vertit, benefactori suo ingratus: nihil ergo exemplum Theodorici probat; nec etiam, quod additur de modestia Caroli: modestiæ siquidem est, aliena non vsurpare, nec plùs, quàm deceat, sibi sumere: cæterùm si Carolus antè coronationem à Leone factam, iàm Imperium bello, aliove iusto modo quæsierat, non erat, cur titulum recusaret, sibique conscientiæ duceret, illis nomen adimere, quibus rem ipsam, & Imperium ademerat; non hæc planè modestia, sed hypocrisis fuerit, à qua nemo magis, vt Carolus, abhorruit, Princeps videlicet bello, victorijs, & pietati, non fraudibus, & imposturæ natus.

Ex his ergo, quæ hucusque disputata sunt, palàm est, multa esse in historia P. Maymbourgi, quæ notam mereantur. Primò, quòd præfatur, se in hoc translationis argumento sententiam non dicturum, adeò tamen dicit, vt videatur ex professo id

agere, damnatis, qui aliter ſentiunt, vanitatis, & imperitiæ. Secundò, quòd opinionem ſuam nullo ex hiſtoria, aut ſcriptoribus teſtimonio, & ſuffragio muniat, duabus contentus rationibus, quæ, vt oſtendimus, ne quidem leuis coniecturæ titulum merentur:quaſi verò hiſtoriam ex arbitrio, ſuoque ingenio texere liceat, & non potiùs ex authenticis teſtimonijs; & quamuis Maymbourgus aliquot ad marginem citet,nemo tamen ad rem facit, cùm nemo illorum dicat, tranſlationem Imperij auctoritate Leonis non eſse factam, de quo agitur, & quod Maymbourgus probandum ſumpſerat, ſed tantùm magnam partem Occidentis ad Carolum perueniſſe, Romanos Carolo fideliratem iuramento pactos, eidem à populo tamquam Auguſto applauſum eſſe, quæ omnia, vt patet, extrà quæſtionem vagantur. Tertiò, quòd, cùm Bellarminum Maymbourg. de tranſlat. Imperij, eiuſque cap. 1. 13, legerit, citetque, ibique ſuas rationes iàm dudum ab Illyrico productæ inuenerit, eas quidem ſtudioſè, & vix non verbatim hiſtoriæ ſuæ inſerat, diſſimulet tamen reſponſa, & ſolutiones à Bellarmino ſolidè appoſitas; quod à candore, & ſimplicitate hiſtorica planè alienum eſt: oportebat enim, aut neutrum, aut vtrumque dici. Quartò, quòd ſententiæ noſtræ, tot auctoribus, hiſtorijs, rationibus, praxique continua vallatæ,ſuam tam leuiter probatam non tantùm præferat, ſed etiam ſomniare dicat, deludique, qui illam profitentur: enimverò merces ſuas nec raras, nec nobiles, & quarum apud Reformatos tanta copia eſt, nimis magno hic auctor venum exponit. Quintò, quòd poteſtatem transferendi Regna, & Imperia, quam Pontifici negat, optimatibus Regni, immò populo concedat. Vide hiſtoria iconoclaſtica libro 2. fol. 186. & libro 4. folio 186. & libro 4. folio 42. & folio 61. Non verò longè magis infrà dignitatē Principis eſt, populo ſubmitti, cui imperat, ab eiuſque arbitrio in ſumma rerum pendere, quàm Summo Pontifici, Chriſtique Vicario, nec facilè Principem reperias, qui malit proprijs ſubditis, quàm Sacerdotum Maximo ſubijci: nec tàm ſuo, quàm Dei nomine imperanti. Quòd ſi iudice Maymbourgo, nihil derogat Principum dignitati, ſi ex populi iudicio pendeant, cùm illis videbitur, Regnum & poteſtatem amiſſuri, magis derogabit, ſi hoc Papæ concedamus? & Regni cauſas non infimæ plebi, quæ leuitate, odio, partium ſtudijs, lucroque facilè corrumpitur, deferamus; ſed Apoſtolicæ Sedi, à qua vt pote remota, magiſque placabili, minùs etiam periculi eſt; &ſi concedatur dari aliquem caſum, in quo ſubditis iuramento ſolutis, Regnum Principi abrogari poſſit,concedi omninò debet; eſſe in Summo Pontifice poteſtatem iudiciariam declarandi hic & nunc, ſubditos iuramento non obſtringi, ſed poſſe, & debere Principem abdicare, eumque iure imperandi excidiſſe: interpretationem ſiquidem iuris Diuini, quantum videlicèt, & in quibus circumſtantijs obligeet, vel non obliget; ſicut etiam cauſas iuramenti ad forum Pontificium pertinere, vtpotè ſpirituales, in confeſſo eſt apud omnes, propter textum apertum, & notatu digniſſimum Deut. 17. v. 8. Vide Sanchez de Matrim. lib. 8. d. 6. n. 4. Abbatem in cap. 1. De poſtulat. Prælat. num. 18. Laym. De legibus cap. 18. Quidquid ergo dicatur, vel ex ipſa ſententia Maymbourgi, negari tamdem Summo Pontifici non poteſt Reges deſtituendi poteſtas, ſiue dicas, hanc poteſtatem eſſe veræ iuriſdictionis, ſiue neceſſariæ, generalis & auctoritatiuæ declarationis, & interpretationis, quæ in cauſis, maximè arduis, qualis eſt, de qua nunc agimus, ad ſolum Pontificem pertinet.

Denique, vt memoriæ cauſa, quæ hucuſque de tranſlatione Imperij dicta ſunt, breui dilemmate complectamur. Aut Græci ius aliquod in Occidentis Imperium habebant, cùm Carolus Imperator acclamatus eſt, aut nullum? Si nullum, cur ergo Nicephorus Logotheta, qui Conſtantino, & Irenæ ſucceſſit, tamdem in tranſlationem Imperij conſenſit, & Neapoli, Sicilia, Calabria, Apuliaque retentis, Occidentem Carolo ceſſit? Maymbourgus lib. 4. hiſt. Iconoclaſt. Morer. in Dictionar. hiſt. Cur Imperatores Græci,teſte eodem Maymbourgo, adeò indignati ſunt Carolo, vt hæc Leoni Armeno cauſa fuerit, Catholicos tota Græcia perſequendi, quòd ſpem omnem Occidentis amiſiſſet? Et denique, cur omnium hiſtoricorum vox,& ſententia eſt, Imperium à Græcis ad Carolum anno 800. victis Longobardis, tranſlatum, ſi iam antè Imperio caruerant? Si verò Græci ius aliquod Imperiale in Occidente adhuc habebant, hoc dicimus in Carolum à Leone tranſlatum, non bello quæſitum, quod cum amicis nullum erat, nec eſſe poterat, iuſtitia integra. Quid enim Græci in Carolum offenderant, vt illos Imperio Occidentis exueret, iam compoſita pace? Planè Maymbourgus Carolum non victorem, ſed vſurpatorem alieni facit. Eſt enim notandum, victo Adalgiſo Deſiderij filio, qui cum claſſe Græcorum in Italiam tranſmiſerat, anno Domini 798. veniſſe Aquiſgranum ab Irene ad Carolum Legatos, qui pacem offerrent, & animum prætentarent ad nuptias cum Imperatrice iungendas: hæc enim cùm thronum extincto filio Conſtantino,inſediſſet duorum Procerum Stauracij, & Aetij potentiam veritata, animum ad nuptias cum Carolo adiecerat. Miſſi hoc anno Legati, & Amores cum Imperio promiſſi. Cauſa legationi prætexta, Siſinij fratris Taraſij Patriarchæ, nuper bello capti liberatio: Legati à Carolo benignè accepti, & omnia, quæ poſtulabant, conceſſa. Contigit hæc Legatio bienuium ante Caroli Imperium: nam audita Conſtantinopoli eiuſdem coronatione, miſſa alia eſt apparatior legatio ab Irene, thorum, & thronum offerente.Meminerunt legationis primæ Annales Francici auctore Adelmo Benedictino ad eumdem annum. Spondanus ibidem, & omnium clariſſimè Maymbourgus lib. 4. hiſt. Iconoclaſt. Anno 801. fol. 70. Qui auctor (vt hoc quoque ingenuè dicamus) ſanctiùs vtique veritati defendendæ, quàm impugnandæ calamum locaſſet, antiquitate oppreſſa; nec deerant alia contra hæreticos argumenta, quibus ingenium, & eloquentiam impenderet; ſed maluit claſſicum diſcordijs canere fatali noſtrorum temporum malo, quibus oſtentando ingenio antiquis noua præponi-

ponimus; non quia meliora, sed quia recentia, & ideò admirationi, & plausui coniuncta; quàm enim difficile, tàm gloriosum egreditur, contra omnes potiùs, quàm cum omnibus sapere: & ipsa tamen, quæ nouitate placebant, fastidio eunt, cùm insenuerint, antiquis in gratiam receptis.

Hæc est ergo celebris illa Imperij ad Francos per Leonem III. facta translatio, quam nos temporibus suis distinctam dedimus, vt tantò euaderet clarior. At vlteriorem huius rei discussionem faciemus in præinsinuata conclusione nostra.

ARGVMENTVM III.

Petitum ex Canonico textu præinsinuati Cap. Venerabilem 34. De electione.

AVctor Regalis Sacerdotij in fine dicti §. 5. argumentatur 3. inducendo præallegatum Canonem, in quo Innocentius III. Duci Caringiæ siue Thuringiæ rescripsit in hæc verba: [Nos, qui secundùm Apostolicæ seruitutis officium sumus singuli in iustitia debitores, sicut iustitiam nostram nolumus ab alijs vsurpari, sic ius Principum nolumus nobis vendicare. Vnde illis Principibus ius, & potestatem eligendi Regem, in Imperatorem postmodum promouendum, recognoscimus, ad quos de iure, ac antiqua consuetudine noscitur pertinere, præsertim cùm ad eos ius & potestas huiusmodi ab Apostolica Sede peruenerit, quæ Romanum Imperium in personam magnifici Caroli à Græcis transtulit in Germanos. Sed, & vtique recognoscere debent & vtique recognoscunt, sicut ijdem in nostra recognouere præsentia: quòd ius, & auctoritas examinandi personam electam in Regem, & promouendam ad Imperium, ad nos spectat, qui eum inungimus, consecramus, & coronamus. &c. Numquid enim si Princeps non solùm in discordia, sed etiam in concordia sacrilegum quemcumque, vel excommunicatum in Regem tyrannum, vel fatuum hæreticum eligerent, aut Paganum, nos iniungere, consecrare, & coronare hominem huiusmodi deberemus? Absit omninò. Obiectioni ergo Principum respondentes, asserimus, quòd Legatus noster approbando Regem, & reprobando Ducem, nec Electoris gessit personam, nec cognitoris, sed denuntiatoris officium, quia personam Ducis eiusdem indignam, & personam Regis denuntiauit idoneam, quoad Imperium obtinendum, non tam propter studia eligentium, quàm propter merita electorum, quamuis plures ex illis, qui eligendi Regem, Imperatorem promouendum de iure, & consuetudine obtinent potestatem, consensisse perhibeantur in ipsum Regem, & ex eo, quòd fautores Ducis, absentibus alijs, & contemptis, ipsum eligere præsumpserunt, pateat, eos perperam processisse, vndè priuilegium meruerunt amittere, qui permissa sibi abusi sunt potestate, &c. Nos vtique non Ducem, sed reliquum reputamus, & nominamus Regem, Iustitia exigente. Quòd autem, cùm in electione vota Principum diuiduntur, post admonitionem, & expectationem alteri partium fauere possimus, maximè postquàm à nobis vnctio, consecratio, & coronatio postulantur, iure patet pariter, & exemplo. Numquid enim si Principes admoniti, & exspectati vel non potuerunt, vel noluerunt in vuum propositum conuenire, Sedes Apostolica Aduocato, & Defensore carebit? eorumque culpa ipsi redundabit in pœnam, &c. Nobilitatem ergo tuam monentes per Apostolica scripta mandamus, quatenus à præfato Duce recedas omninò, non obstante iuramento, si quod ei ratione Regni fecisti, eùm (eo quantum ad obtinendum Imperium reprobato) iuramentum huiusmodi non debeat obseruari.]

Ex qua Decretali præcitatus Auctor circa finem §. 5. obseruat, ipsos etiam Principes Electores agnouisse, & fassos esse, quòd ius & auctoritas examinandi personam electam in Regem, eamque ad Imperium promouendi, ad Pontificem spectet. Neque hoc Pontificem vnquam dicturum fuisse, multòque minùs scribere, nisi compertum, & planè certum foret: alioquin facilè, claroque sole falsi conuincendus.

Deinde in eadem Decretali insinuari ab Innocentio rationem, ob quam Regna, & Imperia indirectè, & casualiter subiaceant Pontificum auctoritati, vbi dicit: [Numquid enim, Si Principes, vel non potuerunt, vel noluerunt in vuum propositum conuenire, Sedes Apostolica Aduocato, & Defensore carebit, eorumque culpa ipsi redundabit in pœnam?

Obiectio.

Ex parte aduersa in dubium vocari potest, an, quando Innocentius dicit, Principes Imperij agnouisse, quòd ius & auctoritas examinandi personam in Regem, & ad Imperium promouendam, spectet ad Sedem Apostolicam, perinde hoc sonet, ac si ijdem Principes fassi essent, quòd ius personam sic electam ad Imperium promouendi pertineat ad Pontificem.

Responsio.

Hoc equidem discutiendum reseruamus in conclusionem sequentem, vbi plura ex eadem Decretali argumenta haud inefficacia ponderabimus.

Intereà, vt pateat Pontificiæ auctoritatis ius in Rege Romanorum iam electo absque Sedis Apostolicæ placito à Principibus Electoribus neutiquam promouendo, nouissimis adhuc sacri Concilij Tridentini temporibus fuisse adhuc in vigore, audire placeat eam in rem actitata inter Pontificem, seu Paulum IV. seu Pium IV. & Ferdinandum I. ex placito quidem Pontificis titulo Regis Romanorum iam potitum, sed inconsulto Papa, ab Imperij Principibus electum Imperatorem. Quæ acta exactè describuntur à Pallauicino hist. sacri Concilij Tridentini lib. 14. cap. 6. à n. 6. exponente ibidem causas, propter quas Paulus IV. renuntiationem Caroli V. ac Ferdinandi Regis I. ad Imperium euectionem improbarit.

Pro detrimento namque Pontificis adducebatur, quòd, cùm Imperatores Occidentis, eorumque Electores fuissent ab Apostolica Sede instituti, obtinuissentque Romani Pontifices antiquissimum ius, ne quis ea po-

tiretur Corona absque ipsorum Pontificum confirmatione; videbatur neque Caroli abdicatio, adeòque neque Ferdinandi subrogatio, tamquam legitima esse comprobanda absque interuentu Pontificiæ auctoritatis: fuisse quidem Ferdinandum assensu Pontificio iam electum Romanorum Regem; sed per huiusmodi conditionem non effici, vt ille legitimus esset successor, nisi quando Sedes Imperatoria morte Cæsaris vacasset: in quouis alio vacationis genere noua Pontificis comprobatione opus est.

Periculum verò duplex considerabatur: alterum, quòd consentiretur, vt ex septem Electoribus tres, qui ab Ecclesia iam desciuerant, suffragij ius retinerent ad creandum Cæsarem in Republica Christiana: hi enim studuissent imposterum, vt is eligeretur, qui aut addictus foret, aut non infensus illorum sectæ. Alterum, quòd tunc Imperatoria potestas deueniret in Ferdinandum, qui suam auctoritatem impertierat tot Comitiorum Decretis Religioni perniciosis, maioremque natu filium, à se Imperij successioni destinatum, penè Lutheranorum lacte nutriebat. Itaque Gusmanno per viam significandum curauit Pontifex, illum non posse per eos dies excipi à se tamquam Cæsareum Oratorem, cùm dedisset negotium cœtui conflato ex septem præcipuis Cardinalibus Austriaci nominis studiosis, vt ea de re deliberarent.

Quare Guzmannus Romam haud ingressus, Tybur se contulit, quæ vrbs extra viam dimidio die inde distat. Illinc reuocatus est à Ferdinando, qui sibi incomparabili ducebat dedecori eam Pontificis repulsam, nisi ab eodem quamprimùm Guzmannus exciperetur. Is itaque, seù verè, seù ex arte laudabili procurandæ concordiæ, pietatem præ se tulit, cuius gratia Romam priuatus adiret ad sacra loca veneranda, excipiendamque Pontificiam benedictionem; sperans fortasse, pro eo, ac suæ quisque linguæ nimiùm confidit, suis persuasionibus Paulum consensurum. Sine vlla solemni pompa Romam accessit, exceptusque est non tamquam Cæsaris Orator, neque publicè in Senatu Purpuratorum, sed tamquam Ferdinandi Regis Nuntius, & priuato penè ritu in Aula, quæ Aula Audientiæ appellatur, coram aliquot Cardinalibus. Exposuit Guzmannus ægrimoniam, doloremque sui Principis, quòd à Paulo vti Cæsar non agnosceretur, æquitatemque causæ monstrauit, quòd ille, non comprobante solùm, sed etiam adiuuante Pontifice Clemente, Rex Romanorum renunciatus fuisset. Proinde dixit, opus non esse Ferdinando alia electione, quo Imperio succederet, quacumque forma illud vacaret, nulla vmquam super eo habita distinctione de modo vacandi; atque vt vacaret, aliud non desiderari, vbi sponte à possessore abdicaretur. Indicauit præterea, quàm gratum futurum foret spectaculum hostibus Catholicæ Religionis in Germania, si sibi aduersarentur inuicem duo illa potestatis fastigia, quæ geminæ veluti columnæ erant omnium validissimæ ad Religionem sustinendam: gemioique scopuli, à quibus hæresis naufragium sibi maximè formidabat. Infatigabili Austriacorum studio deberi, quòd quispiam in illis prouincijs superesset, qui Pontificem vt Ecclesiæ principem veneraretur: quàm vehementer perturbatum iri animum Ferdinandi (cuius ingenio pro more Principum, acerrima inceat honoris cura) si dignitatem Cæsaream impugnatam sibi cerneret ab eo solùm, cuius Pontificiam dignitatem ipse, & Carolus frater tanto impendio, tanto discrimine, tanto multorum populorum, magnorumque Dynastarum odio propugnauerant. Quale obseruaretur exemplum reliquis Principibus, tum exteris, tum Germanis, atque vniuerso Christianorum generi, ad sustinendum Pontificem, à quo posteà ipsi per obtentus adeò tenues non modò desererentur, sed oppugnarentur? Rationes hasce perpenderet Pontifex eximiæ pietatis, ac prudentiæ suæ trutina; neque committeret, vt nimis religiosi studij sui fructus non alius colligeretur, nisi extremum Religionis exitium.

Contrà Pontifex se tueri, causatus ipsam rei grauitatem, quæ quò maiorem ad Principem, adeòque ad spectabiliorem pertinebat, eò maiorem consilij maturitatem ex ipsa nouitate postulabat. Pro certo haberet, se, Patresque ad id destinatos omni vsuros arbitrio, vt Regi satisfieret; cui & honoris gratia, & quo rei ratio redderetur, nuntium designauerat Boncompagnum, aliàs a nobis laudatum, qui fuit posteà Gregorius XIII. eique per eam occasionem Ecclesiæ Vestinæ Infulas dedit; quamquàm deinde Paulus octauo post discessum Guzmanni die, ad ampliorem honoris significationem erga Ferdinandum, quæ ipsum deliniret, Legatum destinauit Rebibam, vsus opportunitate, quòd eundem illum in Poloniam etiam mittebat, vt obsisteret hæresi in ea regione in dies gliscenti.

Cæterùm in Ferdinandi causa Pontificij Consiliarij duriorem in sententiam ibant, siue quòd in rebus ambiguis ministrorum sententia solet Principis propensionem subsequi, siue quòd Consiliarij seligi solent à Principe, propensionem gerentes sibi concordem. Vnus Ioannes Gropperus discrepabat, qui post recusatam magnanima demissione animi Purpuram, venerat Romam, accersitus à Pontifice, vt eo in destinata morum emendatione vteretur, ibique in summa doctrinæ, prudentiæque existimatione versabatur, præsertim super Germaniæ negotijs, in quibus nec eum quispiam experientia æquabat, nec post gloriosam repulsam, humanæ vtilitatis suspicio in eundem cadebat. Auctor is erat, habita temporum ratione, summam iuris seueritatem exquirendam non esse, cùm publicæ res non tam prosperè succederent, vt liceret prudentiæ optimum seligere, sed tolerabile. Sæpè non modò à patrefamilias, sed etiam à cauto tutore portionem aliquam æris alieni remitti creditoribus; & sæpe homini detrectanti parum quiddam pacificè largiri, multum violenter auferri. Errasse tum Carolum, tum Ferdinandum, debito aliquo ritu prætermisso: at nunc erratum ipsi faterentur, & Pontifex ob pieces tantorum petitorum, quales erant Ferdinandus & Philippus, erratum benignè condonaret: ita fore, vt hinc nullam pateretur iacturam, quin confirmaretur Apostolicæ Sedis aucto-

auctoritas; hinc error ipse admissus prodesse, vt Pontifex ea indulgentia haud parum promereretur apud eos Principes, quibus tam ingens inerat potentia gratiæ referendæ. Vt alius quàm Ferdinandus Cæsar crearetur, non solùm haud potis esse, sed nec expetendum. Germanos Cæsarem Germanum omninò velle, idque vtilitatis gratia, tam propriæ ipsi Germaniæ, quàm communis Christianæ Reipublicæ. Inter Germanos Principes alium non numerari, in quo tanta Religionis firmitas coniungeretur cum tanta potentia, & ob hæreditarias ditiones, & ob consanguinitatem cum Hispaniæ Rege. Quæ Ferdinandus hæreticis indulserat, esse necessitati, non voluntati imputanda; quod etiam Delfinus Nuntius affirmabat. Iam verò vbi pro certo poneretur, Imperatoriam potestatem esse in eo Principe retinendam, velle Pontificem, vt Caroli abrogatio, ac Ferdinandi suffectio tamquam irritæ disertè pronuntiarentur, adeòque vt res integra recuderetur; idem esse, ac velle præteritæ negligentiæ mederi portione nimis amara, nimiamque nauseam mouente palato delicatissimo Principum tam sublimium. Posse iura Pontificis absque huiusmodi duorum Cæsarum dedecore illæsa persistere. Ac prudentiæ quidem esse, in concordiæ negotio ita proprium honorem quærere, vt alterius partis dignitas non lædatur; aliter pacificationes aut non confici, aut si necessitas eas extorserit, quàm ocyssimè quasi iniurias vindicari, adeòque in acerbiores iniurias degenerare. Neque tamen Gropperi consilia, neque Philippi Regis suasio flectendæ Pauli seueritati satis fuere.

Interea diem obijt Carolus V. 21. Septembris anno ætatis suæ, & sæculi 58. Delatis Romam eiusce mortis nuntijs, actum est in Senatu de celebrandis in Sacello Pontificio iustis funebribus, quæ Cæsaribus persolui solent. Pontifex verò huiusmodi verbis Decretum edidit: [Nolens Pontifex, vt hoc Religionis officium prætermitteretur ob rumorem aliquem, seu famam diffusam de certa quadam abdicatione Imperij à Carolo habita, cuius tamen legitima notitia ad Pontificem non peruenit, statuit, exequias ritu consueto celebrandas esse; declarans tamen, nullum per eas afferri detrimentum Sanctitati suæ, Apostolicæ Sedi, suæque auctoritati, ac iurisdictioni, nec Ius vllum cuicumque alteri acquiri.] Quo autem die itum est in sacellum ad rem peragendam, & solemne sacrificium à Paceco Cardinali decantatum, Pontifex dum pergeret, in coacto Purpuratorum cœtu dixit: [Imperium Caroli morte, non eiusdem abdicatione vacasse; cùm ea non in manu Pontificis, vti ius postulabat, sed Septemuirum fuisset peracta.

Ex hisce quidem Pauli verbis Suauis Polanus, eiusque sectatores contendunt euincere, [ac si Paulus arrogasset sibi potestatem creandi Cæsarem, quemcumque voluisset, quandoquidem vacabat Imperium non ex obitu possessoris, in quo solo euentu Septemuiris tributa est ab Apostolica Sede potestas successoris eligendi, sed ex illius cessione, in quo vacationis genere nullum Septemuiris ius datum est.] Sed hoc Pontifex minimè enunciauit in memorata declaratione, sed vnicè dixit, abdicationem Cæsaris non fuisse legitimam, vtpote in manu Pontificis non peractam, adeòque Imperium nonnisi Carolo defuncto, vacasse.

Post illius equidem Pontificis obitum duritia quædam in ipso ex iure, at nimis rigidè agente, fuit notata, quam mitigare studuit Ferdinandus, datis ad illius Successorem Pium IV. litteris, quibus suam electionem à Pontifice ratam haberi postulabat, quippe cùm satis animaduerteret, sine huius placito Cæsareum diadema nondum satis firmum suo habere vertici, ob summam Sedis Apostolicæ auctoritatem in omnes Christianos Principes, ac potissimùm in Germaniæ Ecclesiasticos. Quod etiam consecutus Ferdinandus, grates agebat Pio propter amota obstacula à Paulo iniecta, ipsismet etiam heterodoxis ex ore Heideggeri in sess. 17. S. Concilij Tridentini argu. 6. fatentibus, à Ferdinando Oratorem Germanum pro eius confirmatione Romam missum fuisse: claro sanè argumento, hoc ius confirmandi Electum Imperatorem, ne hostes quidem fidei, ac Religionis Pontificiæ aduersarios pernegare ausos fuisse.

ARGVMENTVM IV.

Desumptum ex Clementina vnica De iureiurando.

Avctor Regalis Sacerdotij præf. lib. 2. §. 6. circa medium n. 3. argumentatur 4. ex præallegata Canonica constitutione à Clemente V. in Concilio Viennensi edita sub hoc tenore: [Romani Principes, Orthodoxæ fidei professores sacrosanctam Romanam Ecclesiam, cuius caput Christus Redemptor noster, ac Romanum Pontificem, eiusdem Redemptoris Vicarium feruore fidei venerantes, eidem Romano Pontifici, à quo approbationem personæ ad Imperialis celsitudinis apicem assumendæ, nec non vnctionem, consecrationem, & Imperij coronam accipiunt, sua submittere capita non reputabant indignum, seque illi, & eidem Ecclesiæ, quæ à Græcis Imperium transtulit in Germanos, & à qua ad certos eorum Principes ius, & potestas eligendi Regem, in Imperatorem postmodùm promouendum, peruenit, adstringere vinculo iuramenti, prout tam in obseruationis antiquæ temporibus nouissimis renouatæ, quàm forma iuramenti huiusmodi sacris inserta Canonibus manifestarit, &c.] Ex qua Pontificia simul, & Conciliari sanctione notat supra citatus Auctor. Concilium Viennense sub Clemente V. celebratum, in illa constitutione apertè testari, Imperium à Græcis in Germanos auctoritate Sedis Apostolicæ esse translatum, & ab hac ius Electorale constitutum fuisse: antiquissimo insuper more electos Imperatores Pontifici Romano se iuramento obstrinxisse: Reges, & Imperatores Romanæ Sedis Aduocatos, & Defensores esse: iuramenta Sedi Apostolicæ à Principibus præstari solita, esse vera iuramenta fidelitatis, cuius obligatio qualis, & quanta sit, quasque partes complectatur, videri posse in epistola Ducis

Aqui-

Aquitaniæ Fulberti Carnotenſis doctrina, & ſanctitate celeberrimi, cuius fragmentum haberi in Cap. De forma cauſa 22. q. 5. Ex quibus Pontificiam ſupra Reges, & Imperatores poteſtatem ſummoperè confirmari, cùm non à ſolo Pontifice Romano, ſed à Concilio vniuerſali fuerit declarata, & ab Epiſcopis Gallicanis non tantùm non impugnata, ſed poſitiuè confirmata, & ſancta habita ſit, vt proinde non doctrina tantùm Clementis V. aut Concilij cenſenda ſit, ſed Eccleſiæ totius Gallicanæ.

Obiectio.

Huic ratiocinationi occurrit prima ſaltem fronte non qua aduerſarius, ſed qua eiuſdem doctrinæ aſsertor Maymbourgua in hiſtoria de Imperio lib. 2. ad annum 996. §. vlt. tradens: [certiſſimam, & omni exceptione maiorem eſse veritatem, quòd ius eligendi Imperatorem, à Sede Apoſtolica ad Principes Germaniæ prouenerit: Idque Innocentium III. Concilium Viennenſe, Electorea ipſos, & denique Imperatorem Albertum teſtatum facere, velut appareat ex monumentis authenticis, fide dignis, quæque in dubium reuocari haud poſſint, niſi fundamentis fidei, hiſtoriæque humanæ conuulſis.

Reſponſio.

Si expendantur reliqua etiam principia per eundem Maymbourgum ibidem poſita, infertur inde, ſecundùm huius Auctoris ſententiam, oportere, duo in Imperatore diſtinguere: Vnum, quòd ſit Caput, ſupremuſque Princeps, & Monarcha Germanici Imperij, à quo Principes alij dependeant. Alterum, quòd Electus, excluſis alijs omnibus, habeat ius poſtulandi à Pontifice coronam. Quoad primum igitur, nec Electores, nec Imperatorem à Romano Pontifice quidquam accepiſſe, cum iure naturali, diuinoque, vt in alijs Regnis electiuis, ſic & in Germanico Imperio poſſint Optimates ſibi Caput, & Principem eligere. Quoad ſecundum verò, dici debere, coronationem Imperatoris fluxiſſe quidem à Romano Pontifice, eſſe tamen ritum haud neceſſarium, ſine quo nempè Maieſtas tota conſtet Imperatori.

Hæc proinde Maymbourgi diſtinctio cùm minimè cohæreat cum aſſertione, quam prima fronte expoſuerat, ad illam confutandam, ſic progreditur Auctor Regalis Sacerdotij cit. §.6. n. 9. 4. circa medium. Etenim ſub ea priori loco allegata aſſertione Maymbourgus Innocentij III. in cap. Venerabilem. Concilij Viennenſis in Clementina vnica de iureiurando. Electorum, ac Imperatorum teſtimonia tamquam veriſſima, indubitata, & adeò fide digna admittit, vt ea non tantùm negari non poſſe dicat, ſed ne quidem vocari in dubium. At verò ex his ipſis Pontificum, Principumq; teſtimonijs clariſſimè babemus, non ius tantùm eligendi quoad coronam, ritumque externum, Germanis Principibus conceſſum à Sede Apoſtolica fuiſſe, [ſed eligendi Aduocatum & Defenſorem Eccleſiæ; Electoribuſque diſſidentibus, poſſe Romanum Pontificem non tantùm Imperatorem, ſed Regem etiam eligere, alio reiecto, omnique auctoritate exuto, poſſe Pontificem declarare electum à Principibus, propter hæreſim, cenſuram, aliudue impedimentum inhabilem Regno eſſe; poſſe, imò teneri ſubditos ab eo, quem Pontifex, ciuſue Legatus excluſerit, omninò deficere, & iuramento ſolui: Imperium auctoritate Pontificis à Græcis in Germanos tranſlatum eſſe: Imperatorem ab eodem Pontifice per Electores recipere temporalis gladij poteſtatem, &c.]

Ex quibus proinde ipſiſſimis Innocentij, Concilij Viennenſis, Alberti Cæſaris, & Principum Electorum verbis tam clarum eſt, eam non poſſe ad ſolam coronationem, ritumque externum, ac ceremoniam haud neceſſariam referri, vt mirum ſit, Maymbourgum voluiſſe diſtinctione tam fragili, nullis nixa fundamentis, ſed proprij duntaxàt cerebri adinuentionibus, cauſam tanti momenti ſuſtinere. Neque enim iuuat, quod prætendit Maymbourgus; iure naturali, diuinoque quamlibet Rempublicam poſſe ſibi Caput eligere. Ibi enim hoc principium haud ſubſiſtit, vbi in Regno aliquo ius ſucceſſionis eſt hæreditarium, ſic nihil prohiberet, Summum Pontificem ius Imperij Græcis optimo iure ademptum, ſuo arbitrio conferendum ſibi referuaſſe, qui tamen Carolinæ ſtirpi hæreditarium, & poſt huius extinctionem, ita voluit eſſe electiuum, vt certis Germaniæ Principibus conceſſerit Imperatorem eligendi poteſtatem, ſibi vnicè reſeruato confirmationis (vti ſupra viſum eſt) non inanis coronationis iure, vnà cum ſupereminentiali illa Oecumenici erga vniuerſalem Eccleſiam Paſtoralis muneris prærogatiua, per quam in Eccleſiæ neceſſitatibus ita exigentibus, poſſit publico ſacræ Religionis, ac fidei Bono in conſtituendo Imperatore proſpicere, prout infrà vlterius demonſtrabitur.

ARGVMENTVM V.

AVctor Regalis Sacerdotij cit. §.6. argumentatur 5. Quo tempore ius eligendi Romanum Imperatorem, ad Principes Germaniæ peruenerit, incertum eſſe. Auentinus lib.5. Annal. & Onuphrius Panuinus lib. de Comitijs, volunt Collegium Electorale à Friderico II. inſtitutum, & à Gregorio X. confirmatum. Obijt autem Fridericus II. 1250. Gregorius verò anno 1276. Onuphrius cre-it, ius eligendi ad Septemuiros reſtrictum in Concilio Lugdunenſi, quod anno 1274. auctoritate Gregorij X. conuocatum eſt. Alij Gregorio V. attribuunt, natione Germano, nepoti Othonis Tertij, qui anno 990. deceſſit. Hanc opinionem Bellarminus, & ſæpè laudatus Morerus in ſuo Dictionario hiſtorico, vbi agit de Gregorio Quinto tuentur. Eamque multæ probant, magnæque rationes. Primò: Quòd Sigebertus ad annum 1002. ſcribat, Othonem Tertium inter alia cum Papa Gregorio Quinto de ijs, quæ Imperij iura ſpectant, egiſſe. Secundò: Quòd Otho I. alijque deinceps vſque ad Othonem III. priuilegio Leonis VIII. quod habetur cap. in Synodo, diſt. 63. ſucceſſorem elegerint, idque propagatum, vt diximus, vſque ad Othonem Ter-

Tertium, post quem ius eligendi penes Germaniæ Principes fuit; oportet ergo; hoc tempore mutationem antiquam circa Electores factam esse, alioquin Imperatores eo priuilegio tam magno, tamque vtili successores nominandi, numquam abstinuissent. Tertiò: Quòd Otho Tertius liberis, & spe liberorum carens, ne post eius mortem causa electionis, discordiæ Germaniam agitarent, viciuo maximè & vigilante ad omnia Gallo, cum Pontifice sic conuenerit.

Illud saltem vero propius est, numerum septem Electorum non à Gregorio Quinto fuisse institutum, sed ab Innocentio Quarto in primo Concilio Generali Lugdunensi anno 1245.

Sed quidquid de tempore, & Pontifice in indiuiduo sit, qui ius eligendi ad septem Germaniæ Principes transtulit, certum est, ab aliquo Summorum Pontificum translatum esse; præter enim scriptores, quorum plurimos videre est apud Bellarminum lib. 3. cap. 3. de translat. Imperij; docent ipsi Lutherani Centuriatores: quorum tamen primæ, potissimæque, & innatæ velut partes sunt, quidquid Ecclesiæ Romanæ decorum, & gloriosum est, pertinaciter negare.

Sanctus Thomas, cui & sanctitas & doctrina cælitùs infusa voluntatem errandi, & facultatem ademit, in tract. de regimine Principum, quem Regi Cypri dedicauit, lib. 3. cap. 9. [Ex tunc (hoc est, post Othones) vt historiæ tradunt, per Gregorium V. genere similiter Theutonicum prouisa est electio, vt videlicet per septem Principes Alemanniæ fiat: quæ vsque ad ista tempora perseuerat, & tantum durabit, quantum Romana Ecclesia, quæ supremum gradum in Principatu tenet, Christifidelibus expediens iudicauerit, in quo casu, vt ex verbis Domini supra inductis est manifestum, videlicet pro bono statu vniuersalis Ecclesiæ videtur Vicarius Christi habere plenitudinem potestatis.]

Fatentur ipsi Principes Electores, quorum maximè res agitur, vt videre est in literis Marchionis Brandenburgici, Ducis Saxoniæ, & Comitis Palatini apud Baronium Anno *996*. num. 44. Et denique Alberti Imperatoris, qui in literis ad Bonifacium Octauum Anno 1303. Regni sui quinto, decimosexto Kalendas Augusti hæc habet. [Profiteor, Beatissime Pater, me bonorum omnium largitori, ac vobis, sanctæ Ecclesiæ Tuæ fore pro innumeris misericordijs, & immensis beneficijs obligatum, &c. Et infrà. Recognoscens igitur, quòd Romanum Imperium per Sedem Apostolicam de Græcis translatum est in personam Magnifici Caroli in Germanos, &, quòd ius eligendi Romanorum Regem, in Imperatorem posteà promouendum, certis Principibus Ecclesiasticis, & secularibus est ab eadem Sede concessum, à qua Reges, & Imperatores, qui fuerunt, & erunt, pro tempore recipiunt temporalis gladij potestatem ad vindictam malefactorum, &c.]

Et ipse Summus Pontifex Innocentius Tertius in Decretali Venerabilem. de electione: [Vnde, inquit, illis Principibus ius, & potestatem eligendi Regem, in Imperatorem postmodùm promouendum, recognoscimus, vt debemus, præsertim cùm ad eos ius, & potestas huiusmodi ab Apostolica Sede peruenerit.]

In publico etiam Instrumento ad Nicolaum Tertium Pontificem Maximum Anno 1269. indictione septima Rodulphi Imperatoris Anno sexto, ijdem Principes sic loquuntur: [Nos Principes Imperij vniuersis præsentem paginam inspecturis. Complectens ab olim Romana Mater Ecclesia quadam quasi germana charitate Germaniam, illam eo terreno dignitatis nomine decorauit, quod est super omne nomen temporaliter præsidentium super terram: plantans in ea Principes tamquam arbores prælectas, illud eis dedit incrementum mirandæ potentiæ, vt ipsius Ecclesiæ auctoritate suffulti, per ipsorum electionem illum, qui fręna Romani teneret Imperij, germinarent, &c.] Vide integrum hoc Instrumentum apud Bellarminum de translat. Imperij l. 3. c. 3. Videndus etiam Serarius lib. 1. Rerum Mogunt. c. 26. & Gretserus in defensione Bellarmini cap. 28.

Ludouicus etiam Morerus in recentissimo Dictionario historico, quod Ludouico Decimoquarto Gallorum Regi dedicauit, tomo 2. & Spondanus Episcopus Gallus ad annum 916. idem affirmant.

Ipse P. Ludouicus Maymbourgus loco paulò post citando illa, quæ citauimus, Electorum, Imperatorum, ac Innocentij Tertij testimonia & monumenta dicit esse fide digna, authentica, reuocatque ad veritatem omni exceptione maiores, quantumuis ipse in alium sensum, interpretetur.

Et denique si alia omnia desint, superat omnem exceptionem testimonium Concilij vniuersalis Viennæ in Gallijs celebrati Anno 1309. præsentibus Galliæ, Angliæ, & Aragoniæ Regibus, Patriarchis Alexandrino, & Antiocheno, Episcopis centum quatuordecim, vel, vt alij, trecentis, præter Abbates, & Doctores, & præside ipso Clemente Quinto Gallo, ipsisque Gallis addictissimo, vt præter alia patuit ex Sede Pontificali Auenionem translata, Christiano Orbe, & Italia præsertim indignante.

Obiectio.

Aduersùs hanc argumentationem occurrit inprimis, quòd tractatus de Regimine Principum Diuo Thomæ inscriptus, non sic genuinus huius Angelici Doctoris partus; vti ostendit Bellarminus de potestate Papæ: quia præter certissimas alias coniecturas, hæc vna est, quod lib. 3. cap. 20. meminerit successionis Adolphi Imperatoris post Rodulphum, & successionis Alberti post Adolphum, quæ contigere, prima quidem anno 1292. Altera anno 1299. D. autem Thomas obijt anno 1274.

Deinde occurrunt Maymbourgi sequentes haud prætermittendæ propositiones, quin accuratiori subdantur examini: quarum prima est, [certum esse, dominante stirpe, & familia Carolina, iure legitimæ successionis Regnum Germaniæ deferri, vel potiùs transmitti ad proximos agnatos consueuisse: hancque fuisse legem Francis fundamentalem: donec ea extincta, Reges eligi cœperint. Sic Conradum I. Henricum Aucupem, eiusque filium Otho-

Othonem Magnum à Principibus tum Ecclesiasticis, tum secularibus, Vrbiumque deputatis electos esse.]

Secunda est: [Imperio in Othonem I. & Alemannos translato, durasse ius electionis vsque ad Fridericum Secundum.]

Tertia est: [Quoad Electores sæpè variatum esse, admisso aliquamdiu ad suffragia etiam populo, eiusque deputatis, imò Principibus, Vrbibusque Italiæ, ipsoque per suos Legatos Pontifice: quia tunc Italiæ Regnum pars Imperij Germanici censebatur. Sic Henricum VI. Lotharium II. Fridericum I. promotos esse.]

Quarta est: [Cùm penès Principes, Officiales, Ministrosque Imperij maior potestas, & auctoritas staret, mutato electionis ordine, ad hos suffragandi ius deuenisse, alijs Principibus, Ciuitatibus, deputatis, Imperatorem aliquem præsentantibus tantùm, qui tamen, si primi dissiderent, ipsi Augustum pronuntiabant.] Hoc apparere ex cap. 34. de elect. quod est Innocentij Tertij.

Quinta. [Per electionem Conradi Tertij solos Principes vassallos, & Beneficiarios Imperij tam Ecclesiasticos, quàm seculares fuisse ad eligendum admissos, & post electionem Friderici Primi solos Germanos, vt apparet ex Decretali Innocentij Tertij ad Ducem Zaringhiæ: post electionem verò Friderici Secundi in quam plerique Germani Principes conuenerant, istorum consensu, & voluntate potestatem eligendi Principibus Septemuiris delatam esse, omnibus alijs suffragio exclusis, idque asseri ab Alberto Abbate Stadensi, Martino Polono, Friderico Secundo coæuis; ex quibus apparere, collegium Electorale intrà annum 1220. & anno 1240. institutum fuisse, quem deinde Septemuiratum Aurea Bulla à Carolo IV. aduersùs omnem mutationem fuisse confirmatum.

Responsio.

ADuersùs istas Maymbourgi nullis, quæ in medium proseferantur, fundamentis nixas assertiones, prætee Alberti Stadensis, & Martini Poloni, ex ijs, quæ mox proferemus, facilè disparituras auctoritates, processuri, operæ pretium duximus eisdem Baronij ad annum 996. à n. 36. optimis rationibus stabilitas opponere assertiones. Quarum prima ita se habet. Hoc ipso anno 996. compositis rebus, restituta pace Ecclesiæ Gregorius Papa V. consilio Ottonis III. ad stabiliendum statum Ecclesiæ, adijciens animum, nec non ad electionum Imperatorum pacificè ab electionem Imperatorum Pacificè absque tumultu in postremum faciendam, Concilium Romæ collegit Episcoporum, cuius fragmenta saltem supersunt. Ad quod proinde Concilium referri debere videtur, quod de Imperatoribus, & Electoribus ab eodem Pontifice, multorum assertione traditur constitutum.

Hinc Nouatores Centuriatores Magdeburgenses, quantumuis infensi Romanis Pontificibus, cent. 10. cap. 556. fateri compulsi sunt, Gregorium eius temporis Papam sanxisse, [vt penes solos Germanos esset ius eligendi Regem, qui post diadema à Romano Pontifice acceptum, Imperator, & Augustinus appellaretur. Nituntur hi Centuriatores auctoritate Blondi, cuius verba inseruut ijdem cent. 10. cap. 16. pag. 720. quæ ita se habent: Gregorius Papa eam fecit de Imperatoris electione sanctionem, vnam hucusque super annos quadringentos seruatam vidimus, solis licere Germanis, qui inde Electores dicti sunt, Principem deligere, qui Cæsar tunc, & Romanorum Rex dictus, si à Romano, Pontifice coronabitur, Imperator appelletur.

Consule de his Extrauagantem Innocentij III. ad Ducem Thuringiæ scriptam, quæ incipit Venerabilem 34. De electione, à nobis superiùs §. 4. argumento 3. relatam, in qua disertè dicitur, ius eligendi Regem, in Imperatorem posteà promouendum, Principibus Germaniæ concessum, prouenisse à Sede Apostolica, quæ Romanum Imperium in personam Magnifici Caroli à Græcis transtulit. Consule etiam Clementinam De iureiurando. In qua disertis verbis asseritur [Imperator se Romanæ Ecclesiæ, quæ à Græcis Imperium transtulit in Germanos, & à qua ad certos Principes ius, & Potestas eligendi Regem Imperatorem promouendum peruenit, adstringere vinculo iuramenti.

Hoc ipsum firmant litteræ à Principibus Electoribus, ac inter hos à Comite Palatino Rheni, Duce Bauariæ anno 1279. datæ, ac ex Bibliotheca Vaticana in Castrum S. Angeli translatæ, ibique reseruatæ, atque à Baronio ad dictum annum 996. n. 54. recitatæ. Idem confirmant Alberti Imperatoris litteræ anno 1303. ad Papam exaratæ, quarum dictus Baronius n. 48. meminit, in quibus iterum expressa fit contestatio, quòd Romanum Imperium per Sedem Apostolicam fit de Græcis Translatum in personam Magnifici Caroli ad Germanos [& quòd ius eligendi Romanorum Regem, Imperatorem posteà promouendum, certis Principibus Ecclesiasticis, & sæcularibus sie concessum ab eadem Sede, à qua Reges, & Imperatores recipiant temporalis gladij potestatem]

Secunda eiusdem Baronij ab omnibus constanter comprobata assertio est: sicut Imperium auctoritate Romani Pontificis ex Oriente in Occidentem translatum est, ita ius eligendi Imperatorem Germanis concessione manasse.

Tertia dicti Baronij assertio est circa normam Imperatoris eligendi à certis Germaniæ Principibus fulciendam sequenti dissertatione: Sanè quidem, inquiuntis, dum Otto Romæ fuit, tractasse inter alia, quę ad Regni iura pertinent, Sigebertus affirmat. Si Concilij Romani, de quo agimus monumenta extarent, nobis hand laborandum esset in perquirendo, qualis fuerit ista ab ipso Pontifice ijsdem Electoribus tributa concessio: num scilicet ipsa fuerit omnibus Germaniæ Principibus generatim collata, an tantùm sex, vel septem certis, nominatisque expressis Principibus) vt sunt Ecclesiasticis atque laicis exhibita. Certè quidem reuocandum non est in dubitationem, generalem saltem concessam Germaniæ Principibus omnibus eamdem facultatem eligendi Regem Imperium promouendum. Etenim id omninò asserere, etiamsi alia

alia quæque testimonia deessent, facta ipsa non modò suadent, sed cogunt. Cùm enim (vt audisti concessum fuerit à Leone VIII. Ottoni I. eiusq; successoribus successores eligere in Imperium promouendos, & ab eis factum vsque ad tertium Ottonem constat, & post ipsum nunquam id tentatum ab ipsis fuisse, inueniatur: planè dicendum est, eam facultatem demptam fuisse Imperatoribus ipsis penitus, & Germaniæ collatam Principibus, nec ab alio, quàm à Romano Pontifice, cuius dumtaxat id esset authoritatis, quod (vt nuper audisti) Electores, & electi Imperatores publicis scriptis ingenuè sunt professi.

Vt autem non ab alio, quàm ab ipso Gregorio id factum sit, multa sunt, quæ id affirmare cogunt. Atque in primis, quem diximus ipse rei vsus, cùm post ipsum Gregorium Otthone Imperatore defuncto, non ampliùs per Imperatores, sed Electores Principes constet fuisse successores electos, quod Scriptores omnes affirmant, & quæuis vetera monumenta testantur, speciatim verò complures auctores, qui suorum temporum res scripserunt, id absque controuersia aliqua asserunt; quod, & ipsi etiam refractari, Nouatores (vti dictum) profitentur.

Ista autem decernendi Gregorio ipse Otto Imperator fuisse auctor videri potest. Cùm enim absque liberis esset, & spes omnis dempta, vt in filium (quod fecerunt prædecessores, transferret Imperium) ne post eius obitum inter omnes sibi consanguinitate, & affinitate coniunctos, & alios æmulos eiusdem honoris Principes, exoriri possent bella ciuilia, quibus idem conflagrans perderetur Imperium, in Electores eam refundendam potestatem auctoritate Pontificia, consultiùs existimauit. Et quòd videret æmulos gloriæ Germanorum Francos, explosis Carolinis, ignominiæ nomine suggillatos, nouos, eosdemque pugnacissimos habere cœpisse ex alia linea Reges, ne illis Imperium pariter affectandi, & ad Francos, è quibus in Germanos fluxerat, reuocandi aliqua quærentibus pateret occasio: bene consultum rebus Germanorum putauit, si Apostolica auctoritate firmaret, vt ijdem tantùm essent Germani, quibus facultas esset creandi Regem, quem idem Romanus Pontifex promoueret in Imperatorem, ita tamen, quòd si causa aliqua esset, id negandi, liberè facere posset, nec aliquo necessitatis nexu, quem ipsi elegissent in Regem compelleretur probare, atque vngere Imperatorem. Nam audi Innocentium III. idipsum Electoribus his verbis insinuantem (Sed, & Principes recognoscere debent, & vtique recognoscunt (sicut ijdem in nostra recognouere præsentia) quia ius, & auctoritas examinandi personam electam in Regem, & promonẽdam ad Imperium, ad nos spectat, qui eum inungimus, & coronamus. Est enim regulariter, & generaliter obseruandum, vt ad eum examinatio personę pertineat ad quẽ impositio manus spectat. Numquid enim si Principes non solùm in discordia, sed etiam in concordia sacrilegum quemcumque, vel excommunicatum in Regem, tyrannum, vel futurum hæreticum eligerent, aut paganum: nos inungere, consecrare, ac coronare huminem huiusmodi deberemus? Absit omninò. Hæc Innocentius. Porrò quis non intelligat, quòd, si personam electam in Imperatorem assumendam, ex causa ipse potest reijcere Pontifex, multò magis ipsos Electores repellere potest ex causa, præserrim verò si inquinatus sit hæresi, in qua nec recipiendus, sed spernendus ab eo esset Imperator electus?

Porrò non sic ius eligendi in alios transtulit Romanus Pontifex, vt illud apud se noluerit remansisse, & cùm opus fuerit, & necessitas exegerit, eo pro arbitrio vti posset, hunc recipiendo, aut illum prout opportunitas postularet. Nam audi, quid dicat Glaber Rodulphus horum temporum probatus scriptor, vt qui ab hoc tempore vsque ad millesimum quadragesimum quintum historiam scripserit ad sanctum Odilonem Abbatem suum (Illud inquit nihilominùs nimiùm condecens, & per honestum videtur, atque ad pacis tutelam optimum decretum, scilicet, vt, ne quisquam audactèr Romani Imperij sceptrum præproperus gestare Princeps appetat, seu Imperator dici, aut esse valeat, nisi quem Papa Sedis Romanæ morum probitate delegerit aptum Reipublicæ, eique commiserit insigne Imperiale. Hæc Ipse, haud ignorans, quæ assiduè ante eius oculos versabantur, per Principes Imperij feudatarios eligi, qui esset in Imperium promouendus, probè noscens, summam rerum penes Pontificem esse, vt probaret, vel non probaret, quem elegissent.

Quarta denique Baronij assertio est de indaganda origine Septemviratus ad Imperatorem eligendum instituti, de quo Baronius à citato n. 54. ita disserit. Illud reperitur magnoperè controuersum, & prolixa disceptatione agitatum: num septem tantùm Electorum selectio, & electio, qui Romanorum Regem crearent, fuerit eiusdem Gregorij Papæ V. institutio, vel alterius Romanorum Pontificum. Huius rei occasione, scimus, Panuinum commentarium de Comitijs Imperatorijs elaborasse, quo nihil aliud probare nititur, quàm septem Electores non à Gregorio V. institutos fuisse, sed à Gregorio eiusdem nominis X. nullum alium habens suæ sententiæ, quem sequatur Authorem, nisi infectam hæresis scabie bestiam, Auentinum, quem indignè nimis ipse homo Catholicus pectine scalpit eburneo, dum eum prædicat virum esse disertum: quem si cominùs inspexisset lucerna Cleantis, eum potiùs sicut pietate, ita & doctrina intellexisset omninò desertum, nullo autem modo disertum, vt cum ex multis alijs, tum ex ipso, in quo sequitur eum, quem laudat, & in quo laudat errantem, intelliges, quos ambos turpiter errantes, egregiè corrigit, quem iure laudauimus, Bellarminus verè doctissimus ostendens (quod ipsos latuit (complures, eosdemque fide integros, scripsisse ante Gregorium X. Auctores de septem Electoribus iam antea constitutis, adeò, vt nequaquam fingi potuerit, eosdem ab ipso Gregorio X. originem ducere, quorum ante eius Pontificatum fieret mentio à diuersis eiusdem temporis claris Auctoribus.

Explosis igitur Nouatorum falsis opina-

tionibus, repudiatiſque nouitatibus eorumdem, nec hic definita remanet quæſtio, vt factum à Gregorio V. affirmare poſſimus, quod à Gregorio X. inſtituri potuiſſe, negatur. Si quidem etſi in controuerſiam reuocari non poteſt vt dictum eſt id, quod tributum fuerat à Romano Pontifice Ottonibus Imperatoribus, eligere ſucceſſores, per Gregorium V. transfuſum ad Germaniæ Principes, haud tamen adeò liquet, per ipſum fuiſſe Electores ipſos numero ſenario, vel ſeptenario definitos; ſed & ſi factum fuerit, conſtare tamen, nequaquam id fuiſſe vſu receptum. De his ergo modò nobis agendum, ac demum à quo potiſſimùm Romano Pontifice id primùm inuenerimus inſtitutum, in medium adducendum.

Sanè quidem nemo iure inficias ire poterit, poſt Tertij Ottonis Imperatoris obitum, ducentis, & ampliùs annis, quotquot electi fuerunt Romanorum Reges Imperatores deſignari, eoſdem non ſeptem dumtaxat Electorum, ſed omnium Principum Germanorum, qui ad Comitia conuenissent, ſuffragijs fuiſſe ad Regium culmen electos quod præterquàm ſingulorum promotiones, perſpicuè ſatis edocent, vt dubitationi nullus poſſit eſſe locus relictus, quæ adhuc extant de ipſis promouendis literæ diuerſorum Pontificum Romanorum ad Germaniæ Principes datæ, & inter alias, quas Gregorius ſcribit ad omnes Epiſcopos, Duces, atque Comites Teuthonicos de noui Regis electione facienda, ſi Henricus in Synodo excommunicatus non reſipiſceret, oſtendens, illorum omnium ius eſſe par in eligendo Rege Imperium promouēdo. Ita etiam perſeueraſſe tempore Innocentij Papæ III. anno Redemptoris 1200. cùm mortuo Henrico ſexto Imperatore. Principes Germanię ſciſſi ſunt inter ſe, eligentibus alijs Ottonem IV. alijs verò Philippum, literæ ambarum partium ad Innocentium Papam datæ ſignificant, quibus manifeſtè apparet, non penes ſeptem tantùm fuiſſe ius eligendi, ſed penes omnes tam Eccleſiaſticos, quàm laicos Feudatarios Imperatoris in vtraque Germania Principes. Extat ſcriptus tunc codex omnium illarum Epiſtolarum, quæ in ea cauſa vltrò citròque datæ fuere, aſſeruaturque in Archiuio Apoſtolicę Sedis in Caſtello ſancti Angeli in Vrbe, nimirum literæ Balduini Comitis Flandriæ vnius ex Electoribus aliæ Comitis Daburgenſis & Merenſis, eodem munere perfungentis, Adolphi Archiepiſcopi Colonienſis. & aliorum, qui elegerunt Ottonem Quartum literarum ſubſcriptio eſt ſub hoc tenore.

† *Ego Adolphus Colonienſis Archiepiſcopus elegi, & ſubſcripſi.*

† *Ego Berardus Paderbornenſis Epiſcopus elegi & ſubſcripſi.*

† *Ego Thietmarus Mindenſis Epiſcopus elegi, & ſubſcripſi.*

† *Ego Vuitichindus Condeienſis Abbas elegi, & ſubſcripſi.*

† *Ego Gerardus Tudenſis Abbas elegi, & ſubſcripſi.*

† *Ego Eribertus Vuerdenſis Abbas elegi, & ſubſcripſi.*

† *Ego Henricus Dux Lotharingia, qui & Brabantiæ, Marchio Romani Imperij elegi, & ſubſcripſi.*

† *Ego Henricus Comes de Kuke conſenſi, & ſubſcripſi.*

Porrò hos omnes legitimos fuiſſe Electores, ipſe Innocentius Papa ſuis eſt ſæpe literis teſtatus ad Germaniæ Epiſcopos, & Principes datis, eodem codice comprehenſis. Sed neque aduerſarij ipſi negarunt, hos legitimos fuiſſe Imperij Electores, ſed tantùm fuiſſe numero pauciores, obiecere, coſdemque auro corruptos ab Anglorum Rege eidem nepoti ſuo Ottoni fauente.

Sed vt ſcias, reliquos Electores Philippo Sueuiæ Duci ſtuduiſſe, quem in Regem elegerunt, ex titulo literarum earumdem ad Innocentium Papam tunc ſcriptarum ſic accipe: [Reuerendo in Chriſto Patri. Domino Innocentio ſanctę Romanæ Eccleſiæ Pontifici Germaniarum Principes & Magnates in Chriſto filij. Magdeburgenſis Archiepiſcopus, Biſuntinæ Sedis Archiepiſcopus Ratiſponenſis Epiſcopus; Friſingenſis Epiſcopus, Auguſtanus Epiſcopus, Conſtanrienſis Epiſcopus, Eichſtetenſis Epiſcopus, Vuormatienſis Epiſcopus, Spirenſis Epiſcopus, Brixienſis Epiſcopus, Hyldesheymenſis Epiſcop. Imperialis Aulæ Cancellarius Abbas Fuldenſis, Abbas Heſvvoldenſis. Abbas de Tergent Abbas Ebnuacenſis, itē Rex Bohemiæ. Dux Saxonię, Dux Bauariæ, Dux Auſtriæ, Dux Morauiæ, Marchio de Ruveſperg, alijque Alemanniæ nobiles. Et infra, Magnitudini veſtræ duximus declarandum, quòd mortuo inclyto Domino noſtro Henrico Romano Imperatore Auguſto, collecta multitudine Principum, Illuſtrem Dominum noſtrum Philippum in Imperatorem Romani ſolij ritè & ſolemniter elegimus.] In fine autem numerantur, & alij Principes abſentes, qui per literas conſenſum præſtiterunt. Incipit Epiſtola: Exiſtimare non valet ratio &c. & iſta eſt, ad quam reſpondet Innocentius illa, quæ habentur deſcripta in Capitulo Venerabilem.

Ex quibus redarguas Oſtienſem, dum interpretans Decretalem illam, hos, quos Ipſe Papa redarguit, exiſtimauit, fuiſſe illos ſeptem vulgatos ore omnium Electores, nam ex his peſpiuè intelligimus, quàm procul abſit vt temporibus Innocentij Papæ III. ſeptem tantummodò fuerint Electores, cùm liqueat ex dictis epiſtolis, omnes Imperij Feudatariòs Eccleſiaſticos, Archiepiſcopos, Epiſcopos Duces, Marchiones, Comites, & Barones legitimos eſſe habitos Electores Romanorum Regis deſignati Imperatoris. Sed neque id mutatum reperitur, cùm anno milleſimo ducenteſimo duodevigeſimo poſt Ottonem Fridericus ſecundus creatus eſt Cæſar vt apparet ex Comitijs tunc ea de cauſa habitis. Hæc cùm ita luce meridiana perſpicua habeantur, attamen non vſque ad Gregorium X. fuit ſeptem Electorum dilata creatio quæ, ė quoniam Romano Pontifice fuerit primitus decreta, & vbi locorum, & qui electi fuerint, certò certius ex Synodalibus Actis in promptu eſt demonſtrare, vt ea tutò affirmare poſſimus. E ne de impoſtura vel leuis ſuſpicio poſſit oriri, ipſos etiam S. Eccleſiæ

clesiæ Romanæ hostes acerrimos, & implacabiles, suis libris afferentes, & in medium afferentes, & aliud licèt agentes, id tamen ingenuè profitentes, adhibemus testes, quorum alter suis temporibus res gestas conscripsit, & ex Epistolis Romanorum Pontificum Imperatorum, Regum, aliorumque Principum, nec non ex Conciliorum Actis, alijsq; publicis monumentis ex integro recitatis historiam texuit, alter verò ex recentioribus huius temporis Nouatoribus, qui in odium, quo flagraret aduersùs Romanam Ecclesiam illum è latebris erutum edidit commentarium. Hæc autem, vt exactè percipias, attende.

Vixit temporibus illis Matthæus Parisiensis, Monachus S. Albani in Anglia, qui Anglicanam historiam aggressus est scribere ab anno Redemptoris 1066. perduxitque eam vsque ad annum 1250. vt in fine ipse restatur his verbis; [Hic terminantur fratris Matthæi Parisiensis, Monachi S. Albani Chronicæ, quæ pro vtilitate posteritatis subsecuturæ, Dei pro amore, & B. Albani Anglorum Protomartyris honore, ne memoriam euentuum modernorum vetustas, aut obliuio deleat, literis commendauit.] His verò mox subijcit versus istos.

Virginis à partu iam mille volumina Phœbus.
Cùm bis centenis, & quinquaginta peregit.
Annua: sed visum non est, sub tempore tanto,
Aprilis sexto fuerit quòd Pascha Kalendas:
Dum quinquagenus orbem percurreret annus.
Hoc tamen euenit anno, cui terminus hic est.

Addit verò, fluxerunt vtique ab Incarnatione Domini viginti & quinque annorum quinquagenæ &c.] Hæc ad tempora Auctoris cognoscenda, quibus vixit, & scripsit, dicta sunt.

Qui suis scriptis, quàm fuerit animo in sensissimo in Apostolicam Sedem (iuxta illud Matth. Loquela tua manifestum te facit) quiuis facilè poterit intelligere (nisi probra illa fuerint additamenta potiùs eius, qui edidit Nouatoris: hæretici hominis, cùm peculiare sit illis, libros, quos potuerint, deprauare) dum nulla eo in libro prætermittitur occasio carpendi Romanos Pontifices, imò & sinè occasione, omnia ipsorum facta in deteriorem accipiens partem, cordis secreta rimans, & in malum sensum semper interpretans, in eos. eorumque ministros acerbissimè inuehitur semper, nec parcit vnquam, vt planè de illo iure, meritòque dicendum; Malus homo de thesauro suo profert mala, cùm & secundùm illud dictum Saluatoris, acciderit ipsi: [Si oculus tuus nequam fuerit, totum corpus tenebrosum erit.] Matth. 12. Dum etiam quæque sancta quæque iusta, ac pia in prauum sensum accipiens sugillat pariter & infamat: sed quid accidit? Cùm liber iste indignus luce à maioribus iudicatus occultatus lateret in angulo, his ipsis temporibus nostris, magno præconio tamquam præuia face, emersit in lucem, Nouatoris opera editus Londini in Anglia anno Redemptoris 1571. A quo libro, si quis demat calumnias, inuectiuas, dicacitates, & blasphemias in Apostolicam Sedem frequenter iteratas, aureum sanè dixerit commentarium, vtpote quod ex publicis monumentis, totidem verbis redditis (vt dictum est) egregiè contextum, & coagmentatum inueniatur.

In quo quidem inter alia nobilia monumenta habentur Acta Concilij Lugdunensis Oecumenici, cui interfuerunt inprimis ipse, qui indixit, Innocentius Papa Quartus anno Redemptoris 1245. simulque duo Patriarchæ Orientales, Constantinopolitanus videlicet, & Antiochenus, (namque præsentiam eidem exhibuit Imperator Constantinopolitanus, præter alios Principes, Regumque Legatos post Præsides diuersarum Ecclesiarum in eo autem post excommunicationis sententiam promulgatam ab ipso Pontifice in Fridericum Imperatorem, post tractationem eorum quæ spectant ad expeditionem in subsidium Terræ sanctæ, complura alia ad statum Ecclesiæ bene disponendum constituta sunt, & inter alia titulus est addictus de Electionibus ob litium decisionem, in eoque simul septem definiti ab eodem Pontifice Electores Imperatorum leguntur his verbis.

Electores Imperatorum.
Laici

Dux Austriæ.
Dux Bauariæ.
Dux Saxonum.
Dux Brabantiæ, qui & Louaniæ.

Prælati Principales.

Archiepiscopus Coloniensis.
Archiepiscopus Moguntinus.
Salisburgensis.

Sequuntur hæc: [Isti ducentur in Insulam quamdam Rheni, & dimittentur soli in ea, & amouebuntur omnes nauiculæ, & ibi tractabunt de electione Imperatoris. Nec adueniat aliquis ad eos, donec fiat concordes. Huic negotio præerit Archiepiscopus Coloniensis, secundus Moguntinus, tertius Salisburgensis.] Hæc de Electoribus septenario numero definitis. Stetit numerus conscriptus, perseuerauitque in futurum, personæ autem quatuor mutatæ, nempe vt pro Salisburgensi positus fuerit Archiepiscopus Treuirensis, proque tribus illis Ducibus Austriæ, Bauariæ, atque Barbantiæ, fuerint subrogati Comes Palatinus Rheni. Marchio Brandeburgensis, atque Rex Bohemiæ, qui potiùs locum teneret Definitoris, si discrepent Electores, quàm vnius ex Electoribus ipsis.

A quonam autem, retento Electorum septenario numero, facta fuerit ista mutatio num ab eodem Innocentio, vel alio aliquo ex eius Successoribus, hoc (fatemur) nos latere. Ex conuentione autem Germaniæ Principum id esse sancitum, qui sui temporis Chronicon scripsit, perduxitque vsque ad an-

num 1256. post dictum sub Innocentio IV. Concilium Lugdunense annos vndecim. Albertus Abbas Stadensis, quod haud pridem Helmstadij cusum est, anno Domini 1587. hæc habet, [Ex prætaxatione Principum, & consensu, eligunt Imperatorem, Treuirensis Moguntinus, & Coloniensis. Et de sæcularibus; Palatinus eligit (inquit) quia Dapifer est, Dux Saxoniæ, quia Marescalcus, & Marggrauius de Brandenburg; quia Camerarius, Rex Bohemiæ, qui Pincerna est, non eligit, quia non est Teuthonicus.] Hæc ipse. Ex quibus illud inprimis intelligere possumus, id ipsis exposcentibus Principibus simul consentientibus (nam hoc est illud. quod ait ex prætaxatione Principum & consensu) factum esse vel ab ipso Innocentio IV. post Lugdunense Concilium vel sub Alexandro IV. cuius annus secundus incidit in 1256. ad quem dictus Auctor suum perduxit Chronicon, & non ab ipsis Principibus sua sponte; nam cuius fuit de septem Electoribus legem condere, non alterius, quàm ipsius esse potuit, eam aliquo modo mutare, vel quomodolibet moderari.

Elicitur etiam ex dicta Alberti assertione, ipsum Regem Bohemiæ nondum in Electorem, vel Definitorem inter Electores, ad numerum septenarium cooptatum fuisse ante scilicet dictum annum quinquagesimum sextum post millesimum ducentesimum, quo ea ipse scribebat, quòd verò, qui ab Ipso Innocentio electi Principes Electores Dux Austriæ, Dux Bauariæ, & Dux Brabantię, cessêrint alijs, inde prouenisse videri potest, quòd magis cuperent eligi, quàm eligere Imperatores, sicque inter eligendos potiùs, quàm inter Electores locum habere maluerint.

Porrò ante hæc tempora nullum historicorum inuenire est qui vel nominetenus septem Electorum meminerit. Qui primus horum meminisse reperitur Martinus Polonus qui claruit eodem Innocentio Papa IV. in Ottone III. de istis agit his verbis. [Et licèt isti tres Ottones per successionem generis regnauerint, tamen posteà fuit institutum, vt per Officiales Imperij Imperator eligeretur qui sunt septem, videlicet primi tres Cancellarij, Moguntinus Germaniæ, Treuirensis Galliæ, Coloniensis Italiæ, Marchio Brandeburgensis Camerarius est, Palatinus Dapifer, Dux Saxoniæ ensem portat, Rex Bohemus pincernam agit.] Vnde versus.

Moguntinensis, Treuirensis, Coloniensis.
Quilibet Imperij fit Cancellarius horum,
Et Palatinus Dapifer, Dux portitor ensis,
Marchio præpositus Cameræ, pincerna Bohemus.
Hi statuunt Dominum cunctis per secula summum.

Hæc Martinus, primus omnium auctor, qui septem meminet Electorũ in Othone III. referens, quæ posteà suo tempore facta essent. Vndè irrepsit error, vt sub Othone III. sub quo id ab eo scriptum inuenerunt, multi putauerint, septem fuisse creatos Electores, scripseruntque à Gregorio factum, quod scriptum repererunt sub eodem Gregorio Papa V. nimirum ab ipso eisdem septem constituros fuisse Electores. Cùm tamen illud, quòd Martinus ait: [Tamen posteà fuit constitutum, vt per Officiales Imperij, &c.] ad sua ipsius Martini tempora (vt audisti) sit referendum. Et cùm non alius, quàm Martinus (vt dictum est) primus auctor huius assertionis habeatur (nullus enim, quod repetendum est, ante eum repertus est Author, qui vel nominetenus septem Electorum meminerit) ad ipsum allusisse oportuit sanctum Thomam, dum de regimine Principum scribens, hæc obiter ait: [Otho Imperium tenuit vsque ad tertiam generationem, quorum quilibet vocatus est Otho. Et tunc (vt Historici tradunt) per Gregorium V. genere simpliciter Teuthonicum prouisa est electio, vt videlicet per septem Principes Alemanniæ fiat, quæ vsque ad ista tempora perseuerat, quod est spatium ducentorum septuaginta annorum, vel circiter, & tantum durabit, quantum Romana Ecclesia, quæ supremum gradum in principatu tenet, Christi fidelibus expediens indicauerit.] Hæc sanctus Thomas, qui, cùm numeret ducentos septuaginta, vel circiter annos à Gregorio V. vtique ad vltima tempora eiusdem sancti Doctoris ea est scriptio referenda, cùm ipse obijsse dicatur anno septuagesimo quinto post millesimum atque ducentesimum annum.

Cæterùm etsi Martini historia haud excedat tempora, vt quæ perueniat vsque ad annos Redemptoris 1276. eam priùs editam, annuis successionibus, dum vixit, auctam possumus existimare. Cùm igitur S. Doctor his, quæ asserit de septem Electoribus, citet historias, nec aliæ vsquam sint inuentæ, quæ septem Electorum meminerint, nisi Martini in Othone III. ipse eum secutus, quod ipsum sensisse putauit, bona fide conscripsit, sicut & cæteri posteà eadem scribentes fecisse noscuntur. Ex quibus vniuersis manet stabilita Pontificiæ auctoritatis super ipsos etiam Imperatores prærogatiua sequenti conclusione magis adhuc stabilienda.

CONCLVSIO.

Ex Imperij à Græcis in Francos translatione, ac Septem virorum Imperatoris Electorum designatione, per Pontificiam auctoritatem facta, vti etiam ex sacris Canonibus Cap. Venerabilem, 34. de electione, nec non Clementina vnica, de iureiurando, efficaciter demonstratur Pontificia super Reges Christianos auctoritas.

EXplicatur. Varia equidem Summorum Pontificum Oecumenicæ, & Apostolicę Diuinitus constitutæ supra Reges auctoritatis exempla adferebantur in primo, & secundo super dicto Canone Venerabilem à Re-

galis

galis Sacerdotij Auctore efformatis, & ad nostram reflexionem traductis argumentis. Quia tamen pleraque eiusmodi exempla, vel in præsentia Disquisitionis ingressu ex prænominati scriptoris tractat. de libertat. Ecclesiæ Gallicanæ iam fuerunt discussa, vel inferiùs in quarta nostra Disquisitione veniunt viteriùs iam examinanda, ideo ijs duximus hîc supersedendum, vnicè proin expensuri ea argumenta, quæ tum ex Imperij à Græcis in Francos translatione, tum Septemvirorum Imperatoris Electorum designatione, per Summos Pontifices facta, ad præsens institutum nostrum vrgeri solent.

PROBATIO I.

In qua firmatur prætacta Imperij Romani Occidentalis à Græcis per Leonis III. Pontificiam auctoritatem facta translatio.

IPsissimam assertionis huius veritatem probatam dedimus ex ijs, quæ supra à numero 92. ex Auctore Regalis Sacerdotij præf. lib. 1. §. 5. num. 10. & 11. fusiori stylo adferebamus. Quibus vnicè superaddendum duximus summarium quoddam argumentorum à Bellarmino de translat. Rom. Imperij lib. 1. cap. 4. vsque ad caput septimum accuratissima methodo deductorum. In eo igitur quarto capite ab isthoc Cardinale adferuntur historicorum supra triginta testimonia, quibus demonstratur, Imperium Romanum Summi Pontificis auctoritate à Græcis ad Francos esse translatum. Quorum sufficiat hîc nomina expressisse, remittendo Lectorem ad eiusmodi attestationum verba, in ipso Bellarmino residenda. Hi autem Historiographi sunt Ioannes Zonara Auctor Græcus, Georgius Cedrenus, Paulus Diaconus viuens tempore Caroli Magni, Eginardus Carolo Magno familiaris, Annales Francorum tempore eiusdem Caroli cæpti exarari, Aimonius, seu Ammonius degens tempore Ludouici Pij, Addo Episcopus Viennensis, Regino Abbas Prumiensis, Vothingus Corbeiensis, Luitprandus, Hermannus Contractus, Marianus Scotus, Dodechious Mariani continuator, Lambertus Schaffnaburgensis, Otho Episcopus Frisingensis, Godefridus Viterbiensis, Conradus Abbas Vrspergensis, Lupoldus Bambergensis, Matthæus Palmerius, Blondus Flaccius, Æneas Syluius, Ioannes Trithemius, Antoninus, Ioannes Nauclerus, Robertus Gaguinus, Philippus Bergomensis, Ioannes Cuspinianus, Iacobus Wympfelingius, Polydorus Virgilius, Raphael Volaterranus, Donatus Acciaiolus, Albertus Krantzius.

Accedunt hisce testimonia Imperatorum, ac Principum, translationem Imperij à Græcis ad Francos, à Francis ad Germanos Romani Pontificis auctoritate factam diserteis verbis contestantium; prout à dicto Bellarmino præf. cap. 5. refertur. Inter hos primus est ipsemet Carolus Magnus, cuius in hoc vestigia sunt secuti Lotharius Ludouici Pij filius, Carolus Caluus, Albertus Imperator, Henricus VII. Ludouicus IV. Carolus IV. Fridericus I. Michael Imperator Constantinopolitanus, Emanuel Comnenus Orientali Imperio præfectus, Philippus Rex Francorum, ac Principes Electores. Septem insuper Summorum Pontificum testimonijs idipsum firmat Bellarminus præcitatus cap. 6. nempè Gregorij IV. Adriani II. Adriani IV. Alexandri III. Innocentij III. Clementis V. & Pij II.

Hæc igitur vniuersa testimonia per extensum videre licet apud præallegatum Cardinalem. Vnde mira profectò Maymbourgi supra num. 96. allegata exceptio est, quòd Carolus Magnus Imperium Occidentis iure belli occupasset, Romam verò Populi Romani donatione; nec aliud à Leone III. quàm coronam, non ipsum Imperium, sed insignia tantùm, seu nudam ceremoniam acceperit. Nàm idem Bellarminus cit. lib. 1. cap. 7. solidissimè probat, Imperium haudquaquàm iure belli fuisse à Carolo Magno occupatum. Hic enim Regnum Francorum paterna quidem hæreditate obtinuit, ac deindè expugnauit Longobardos, ex eaque victoria Longobardorum Rex appellari cœpit: at eum Romanis numquam pugnauit, neque Romam aliquando vi intrauit, vtpotè semper socius, & amicus, postea etiam Patricius Romanorum, hostia, & inimicus numquam fuit, vt Historici omnes clamant, speciatim Albertus Krantzius lib. 2. Saxoniæ, & Eginardus in vita Caroli. Longobardorum Regnum, quod Romana olim Prouincia fuerat, armis adeptus est Carolus. Ac si ex hoc titulo dicendus fuisset Imperator, pari prærogatiua iàm potirentur & Galliæ, & Hispaniæ, & Angliæ Regna, cùm & ipsa fuerint priùs Romanæ Prouinciæ, quàm cederent in propriorum suorum Regum ius hæreditarium.

Sed numquid à Græcis seu armis, seu spontanea cessione Carolus accepit ius Occidentalis Imperij? Vbi equidem Regnum Longobardorum à Carolo fuerat occupatum, Desiderio Rege in captiuitatem misso, Aldagisus eius filius sub annum 774. Constantinopolim euadens, exindè anno 776. classe à Græco Imperatore accepta, in Italiam properans, Longobardorum reliquias ad arma capessenda permouit. At Carolus in Italiam peruolans, cùm victor euasisset, Aldagisus, desperatis iàm rebus, Regnique recipiendi spe frustratus, Græciam versùs terga vertere compulsus fuit. Anne igitur ex hoc subsidij Aldagiso ab Imperatore Græco pro recuperanda Longobardia concessi titulo, ius Occidentalis Imperij Græcis ademptum fuisse, dicere fas esset, cùm, si ex belli eiusmodi titulo iustè posset comprobari ius ipsius etiam Imperatoriæ Maiestatis victori obtentum, non vnus, sed plures iàm in Occidente essent iure appellandi Imperatores? Cæteroqui Græcos spontanea cessione haudquaquàm concessisse ius Occidentalis Imperij, validè probat prætactus Bellarminus cit. lib. 1. cap. 11. ex Historicorum tùm veterum, tùm recentiorum attestationibus, concordi calamo scribentium: Græcos Imperatores, cùm primùm ad eos fama perlata est coronationis Caroli, vehementer commotos, ac indignatos fuisse.

Quia

Quis porrò, dùm Imperium Romanum sub Ethnicis adhùc Imperatoribus erat quidem electiuum, minimè tamen ex Senatus, Populique Romani decreto, sed exercitus placito conferri solitum, Constantino autem Magno Imperij dignitatem in Græciam trásferente factum fuerat hæreditarium, quis iam credat, Senatum, Populumque Romanum, quando nullius fermè auctoritatis erat, ausum fuisse in Carolo ad Imperium Occidentis promouendo, quod anteà, cùm floreret, minimè auderet? Hac super re accuratiorem discussionem videre quisque licet apud præfatum Bellarminum præf. cap.20.

Quibus proindè sic constitutis, clarè patet, Maymbourgij exceptionem nullius esse valoris, atque adeò Leonem III. Caroli Magni capiti coronam Imperatoriam imponendo, non nudam ceremoniam exhibuisse, sed ius Imperij Occidentalis à Græcis auctoritate sua Pontificia ademptum, eidem realiter contulisse. Nùm enim fas est, dicere, hoc Imperij Occidentalis ius potuisse transferri in Carolum, priusquàm fuisset de iure abdicatum à Græcis? An nunquid seu Populo, seu Senatui Romano erat auctoritas super Græco Imperatore, legitimum Imperij non tantùm Orientalis, sed etiam Occidentalis ius obtinenti?

Nec porrò tempore Caroli coronationem antecedente, tale cum Græcis ipsis bellum fuerat, vt iusto belli titulo dici posse spoliasse Græcum Imperatorem iure Occidentalis Imperij. In quam igitur, nisi Pontificiam auctoritatem reduci potest Imperij Occidentalis à Græcis adempti iustitia? Etenim Græcorum Imperatorum eum tunc fuisse statum, vt meritò in ipsos stringeretur Pontificiæ auctoritatis virga correctoria, tum ex antecedentibus patet, tum constabit etiam ex dicendis in sequenti secunda probatione. At Ecclesiæ virga correctoria illius Capiti, ac Pastori Oecumenico, sub indefinita [quodcumque super terram ligandi, ac soluendi potestate,] concessa secundùm Christi mandatum, eatenus potest vsque ad auulsionem à communione fidelium progredi, vt secundùm sacrum contextum, prævaleat etiam ad [quodcumque super terram,] qua ad Regnum Cœlorum ordinabile, pro meritis causæ, vel soluendum, vel ligandum; vti verba Christi sonant, demonstratumque est in antecedentibus. Quis verò neget, Imperij ius non quasi abstractè sub signata formalis Diuinitus constitutæ Regiæ potestatis ratione, sed concretè spectatum, qua Christiani hominis subiecto appropriatum, reputari etiam debere inter illa quæcumque, super terram in regnum cælorum ordinabilia? Quandoquidem igitur, hoc ius Imperij Christiano homini appropriatum, ex sui ad regnum cælorum ordinabilitate, computari debeat inter illa quæcumque super super terram, ligandi, ac soluendi potestati Pontificiæ per Christum concredita, secundùm quod debita in regnum cælorum ordinabilitas, atque adeò publica Ecclesiæ sanctæ vtilitas, seu necessitas exigit: quis Catholicorum iam dubitare ausit, Leonem III. sui Oecumenici Pastoralis muneris auctoritate Græcos Hæreticos Imperatores, publica Ecclesiæ necessitate id exigente, legitimè spoliasse iure Occidentalis Imperij? Atqui ex ipso lumine naturæ conspicuum est istud principium, quisquis iusto publicæ auctoritatis titulo Principem aliquem etiam supremum spoliat iure sui regni, posse hoc ex Ipsissimo eiusmodi iusto titulo sibi vendicare super hoc namque naturaliter noto principio morali, vnicè fundatur æquitas possidendi, & in dominium suum redigendi prouinciam alicuius Principis bello iusto occupatam. Quia igitur Summus Pontifex Leo Tertius iusto titulo Græcis ademit Imperium Occidentale, idcirco secundùm illud naturalis luminis principium, quà cum præadducto fidei luminis principio combinatum, ipsimet Pontificiæ suæ potestati acquisiuit Occidentalis Imperij ius, ac proinde ob Caroli Magni in Ecclesiam merita priùs enarrata, & in proximè subsequenti probatione vlteriùs recensenda, iure in hunc Franciæ Regem transtulit illud Imperium; sicque adeò Caroli Magni per Leonem Tertium peracta coronario non fuit nuda ceremonia, sed stipata auctoritatiua Imperatoriæ dignitatis collatione.

PROBATIO II.

Prioris continuatiua, argumentatique præcedenti §. à num. 92. deducta confirmatoria.

Demonstrato iam legitimo Pontificis Romani in iure, ad Occidentalis Imperij in Carolum Franciæ Regem factam translationem, attentis etiam, quæ tum ex Auctore Regalis Sacerdotij antecedenter, tum proximè ex Bellarmino, seu historicorum, seu Imperatorum, ac Principum, seu Summorum Pontificum attestationibus proferebamus, haud difficile est dijudicare, quod etiam ex parte facti interueniat talis rei status, vt per ius illud Oecumenici Pastoris, Ecclesiæque virgam correctoriam supra quocumque super terram ad regnum cælorum ordinabili, secundùm publicam præcipuè fidei, ac Religionis vtilitatem, seu necessitatem protendi potentem, omni ex parte fuerit iusta Imperij Occidentalis à Græcis in Carolum Magnum translatio. Cuius iustitia, quantùm est ex parte facti, vt magis adhuc eluceat, operæ pretium est visum, succinctam eius rei seriem historicam ex Hermanni Hermis iure publico cap.3. à num.3. hic attexere.

Cùm nempe Romani Pontifices ab Orientalibus Imperatoribus contra Longobardorum sæuitiam opem implorassent, frustra autem, tum quod vix vires suppeterent ijs propter vicina loca à Saracenis, Auaribus, Bulgaris, & Hunnis, & alijs tuenda, tum quod Constantinopolitani Imperatores in Iconomachiæ hæresim lapsi, cùm Pontificibus ipsorum hæresi aduersantibus, simultates habebant, qui non tantùm sacras Imagines Constantinopoli, & in Oriente impiè abradi iusserant, sed idem Romano Pontifici sub pœna mortis persuadere volebant; quorum amentiam Gregorius II. Pontifex non solùm con-

contempsit, sed etiam in Missarum solemnijs Orientalis Imperatoris nomen reticeri voluit eius imaginem Romæ in nummis cudi, & Leoni Isaurico tributa, & vectigalia tam Italiæ, quàm vrbis Romæ sub anathemate solui vetuit, vnde quidquid in Occidente Imperatoribus Constantinopolitanis supererat, amiserunt. Hinc Pontifex Gregorius II. ad Francorum Regum opes longè, latèque per Occidentem florentes confugit, eos contra Longobardos euocando, cùmque Carolus Martellus Francorum Dux pro Papa Gregorio apud Luitprandum Regem precibus egisset, eiusque filius Pipinus, vel hortatu, vel rogatu Stephani Papæ contra Astulphum armis vsus esset. Capit. Hortatu 10. 23. quæst. 8. tandem paternæ, & auitæ pietatis hæres Carolus Magnus Romanam Sedem, & vrbem pro Hadriano Papa contra Desiderium Longobardum tutatus est. Dicto cap. 10. iuncto cap. Hadrianus 22. dist. 63. & deuicta Papia cepit Desiderium Regem dicto cap. 22. Qui Carolus, cùm Sedem Romanam opibus; & temporali ditione extolleret, Rauennam cum Exarchatu, &c. de Longobardis capta Sedi Apostolicæ largitus esset, à Papa, Francorum primò, mox Longobardorum Rex inunctus, & Patricius Romanorum creatus, quæ tum suprema in vrbe erat dignitas. Cum insuper in Occidente Constantinopoli Irene mulier, filio Constantino oculis priuato, Imperij habenas sola tractaret. Hac occasione Leo Tertius Papa populi scitu, & Cleri rogatu Carolum Magnum ob egregia in Christianum nomen, & Romanam Sedem merita, Romanorum Imperatorem Occidentis primò, & inunctum, ac diademate aureo redimitum Augustum appellauit 8. Calendas Ianuarij, ipso die Natalis Christi anno Christi 801. & subsecuta est mox populi acclamatio. Sicque primus ex Francis Romæ veteris, & Occidentis Imperator creatus est, Maiorum Romano more, regnandi iure Occidenti restituto. Coring. de Rom. Imp. num. 24.

Qua facti specie ob oculos posita, eam conferendo cum ijs, quæ ex Diuini iuris oraculis, naturæque lumine notis principijs inter se combinatis, per consequentiam verè Theologicam sunt deducta, cuiuis haud difficulter patebit iam omninò probata iustitia illius actus, quo Leo Tertius Imperium Occidentale Græcis iustè ademptum, iure meritò transtulit in Franciæ Regem Carolū Magnum Ex quo seu virgæ correctoriæ, seu auctoritatiuæ, quodcumque super terram, qua ad regnum cælorum, seu publicam Ecclesiæ necessitatem, aut vtilitatem ordinabiles soluendi, vel ligandi potestatis iure, facilè, quoque euincitur iustitia illorum à varijs Pontificibus super Reges, & Principes exercitorum actuum, & supra §. 2. num. 33. recensitorum, ac reductorum ad Pontificiæ super Reges, ac Principes potestatis protensionem comprobandam.

Vnum superest, super quo dubium moueri posset, [An si ex Longobardiæ Regibus adhuc Ethnicis contigit, Ecclesiæ Romanæ iura turbari; indeque à Pontifice accitis Galliæ Regum armis regno suo, seu eius saltem parte spoliari, quo iustitiæ titulo id fieri potuerit, dum huiusmodi Rex Ethnicus non subijciebatur illi Pontificis Oecumenicæ potestati?] Verùm ista difficultas haud dispar est ab illa, quæ huius Articuli 1. Disquisit. 1. num. 21. & 22. ac 23. mota, & soluta fuit. Etenim si duæ, quarum neutra est alteri subordinata, supremæ potestates eatenus concurrant, vt vna inuoler in iura alterius tunc ista hæc potest iusto bello hanc iniuriam publicā eatenus à se propulsare, vt secundùm luminis naturalis certa principia, victor possit, hostem iure suo Regio spoliare, sibique regni bello parti ius vendicare. At de fide est, Papæ auctoritatem esse supremam, quæ nullum in terris superiorem valet agnoscere. Hoc igitur fidei principium cum illo naturalis luminis principio combinando, Theologicè infertur, Papam posse ad Regem etiam Ethnicum, sibi licèt minimè subiectum, attamen Ecclesiæ publicum hostem, iuriumque eius aggressorem debellandum, auctoritate sua Pontificia in subsidium accersere Regum Christianorum arma, eumque ab hisce deuictum spoliare iure regni sui, atque hoc, vel sibi vendicare, vel Regibus, quorum armis vindicatæ sunt ex contra Deum, ac Christum eiusque Ecclesiam, auctoritatemque supremam Oecumenicam, ab Ethnico Rege illatæ iniuriæ.

PROBATIO III.

Petita ex cap. Venerabilem 34. De electione.

Ex huius namque sacri Canonis litera patet, Pontificem in eo esse intentum seruandæ iustitiæ, tum sibi, tum Germaniæ Principibus debitæ, ex quibus ius esset ligandi Regem in Imperatorem postea promouendum. Eo ipso autem, quod ius eligendi ad Principes Germaniæ peruenerit ab Apostolica Sede, Romanum Imperium à Græcis in personam Caroli Magni, sicque in Germaniam transferente, iustitia, exigit, vt Principes Germaniæ hoc ius in Sede Apostolica recognoscant, quemadmodum aliqui, & literis, & sua præsentia recognouerunt intantùm, quod ius, & auctoritas examinandi personam electam in Regem, & promouendum ad Imperium, spectet ad Summum Pontificem, à quo, & inungitur, & coronatur. Hoc verò examinandi ius eius debet esse conditionis, vt eijcere valeat electum, si repertus fuerit inhabilis; quemadmodum declaratur ibidem, reprobando indignam personam Ducis, à pletisque Principibus ius eligendi obtinentibus perperam electam, vt propterea meruerint pro ea vice amittere hoc priuilegium, qui permissa abusi sunt potestate.

Excipiet aliquis, hæc à Summo Pontifice asserta, non tam probari, quàm supponi.

Verùm quod ibidem supponitur principium, in eo se tenet, ceu totius Canonicæ illius sanctionis principium, quod nempe Sedes Apostolica à Græcis in Carolum Magnum indeque in Germaniam transtulerit Romanum Imperium. Hæc autem translatio per Sedis Apostolicæ auctoritatem facta, est indubitatæ veritatis, dum nulli seu populo, seu Regi

Regi, seu cuicumque alij politicæ potestati potuerit alia esse auctoritas super Imperatoribus Græcis ad eos priuandos iure Occidentalis Imperij, dum neque iustus belli titulus ad hoc faciendum tunc interuenerat; prout hæc superiùs extant clarè probata. E contra verò respectu Oecumenicæ, & Apostolicæ potestatis, tam in via facti intercessisse causæ æquitatem, quàm pro via iuris ad id præstandum interuenisse auctoritatem ex parte summi Pontificis, extat superiùs probatum ex indubitatis fidei principijs: Et hinc dum certò noscitur, nullo id negare vnquam auso Carolum Magnum in Occidentis Imperatorem à Summo Pontifice coronatum esse, cum antecedenter ad illam coronationem, nulla prorsus politica, sed solius Papæ auctoritate potuerit facta fuisse Romani Imperij à Græcis in Carolum Magnum translatio, indubitantèr verum supponi debet, quod coronatio illa stipata fuerit auctoritatiua per ipsum Pontificem coronantem facta, iuris Imperatorij in Carolum translatione.

At hoc præsupposito, non iam ex generalibus dumtaxat Pontificiæ super Reges sacris literis probatæ auctoritatis principijs, sed ex speciali iure, Summus Pontifex potuit, ac etiam pro semper potest sibi vendicare potestatem tum confirmandi Regem Romanorum electum, sub præuio de habilitate examine promouendum in Imperatorem: tum consequenter reprobandi, si repertus fuerit inhabilis. Eo ipso autem, quòd Pontificia auctoritate sic ad Germanos translatum sit Imperium, speciali insuper iure Sedes Apostolica habeat sibi obstrictum Imperatorem, vt teneatur Ecclesiæ Romanæ esse defensor, & aduocatus. Ex hoc autem speciali iure fas est eidem Sedi Apostolicæ si electus repertus sit inhabilis, ac eapropter reprobatus, prouidendi sibi de Imperatore, alterutri Electorum inter se diuisorum parti accedendo, ne Sedes Apostolica carere debeat aduocato, & defensore, sicque Electorum culpa redundet ipsi in pœnam. At verò ex illo ipso etiam principio de Occidentis Imperio per auctoritatem Pontificiam in Germanos translato fit insuper consequens, Summo Pontifici fuisse inde ius quæsitum, tum statuendi de norma electionis huiusmodi, tum consignandi certos Principes, quibus hoc eligendi ius appropriaretur.

Probatur istud subsumptum. Nam ipsa ratio naturalis dictat, ius Imperij legitima auctoritate ademptum Græcis, in hunc primitus concessisse, qui hoc ius Græcis legitimè ademit. Ex quo proinde eatenus est deriuatum in Carolum Magnum, vt penes ipsius stirpem masculinā subsisteret iure hæreditario, quamdiu supererat, qui habilis esset gubernando Imperio, cuius habilitatis ratio ab Ecclesiastica potestate, ex præinsinuati Iuris titulo dijudicanda fuerat, vbi Carolo Simplici, vltimo ex Carolina masculina stirpe progenito repudiato, Magnates Germaniæ Ducem Saxoniæ Imperio præficiendum sanxerunt. Vbi namque ius hæreditarię in Imperio Occidentali successionis, in Carolina stirpe exspirauit, penes Principes Germaniæ ius eligendi Imperatorem, nullo iusto titulo subsistere poterat, nisi dependenter à Sede Apostolica, à qua ius Imperij à Græcis iustè ademptum, in eius potestatem transierat, & hinc in Carolum Magnum, eiusque masculinam dumtaxat stirpem successionis hæreditario titulo translatum fuerat, penes Sedem Apostolicam residente radicati quasi primæui iuris, vti dictum, sibi quæsiti facultate. Ex cuius proinde dispositione necessariò pendere debuit vlterior Imperij intrà Germanos prorogatio, dum isti neque hæreditariæ respectu Caroli Magni successionis ratione, neque alio super ius Imperij à Græcis adempti iusto titulo, ex tunc potiebantur.

PROBATIO IV.

Desumpta ex Clementina vnica, de iureiurando.

EX hac namque Clementis V. in Concilio Viennensi edita constitutione constat, Germanos Principes Orthodoxos haud indignum reputasse, vt sua submitterēt capita Romano Pontifici, à quo approbationem personæ ad Imperialis celsitudinis apicem assumendæ, nec non huius vnctionem, & Imperij coronam accipiunt. At eo ipso, quòd ista coronatio non sit nuda, sed stipata iure approbandi, seu confirmandi, apertè sequitur, quòd in vi huius iuris, Romano Pontifici sit auctoritas superioritatis erga Imperatores, idque non ex generali dumtaxat super cunctas Christi oues, eorumque quodcumque super terram morale, qua in Regnum Cælorum ordinabile, Oecumenicæ potestatis titulo, sed ex hoc insuper in eadem Clementina asserto fundamēto specifico, quòd [Sedis Apostolicæ auctoritate ius Imperij à Græcis ademptum, sit translatum in Germanos.]

Ex quo proinde specifico Ecclesiæ Romanæ erga Imperium Romanum titulo, non potuit non esse consequens, vt, postquam extincta stirpe Carolina, nullum in Imperio Romano hæreditariæ successionis ius supererat, Imperatoriæ dignitatis in Germanis prorogatio, penderet ex eadem Sede Apostolica, vtpote ius Imperij à Græcis adimente, atque in Carolum Magnum, eiusque stirpem masculinam transferente, nec, sub primæua eiusdem iuris translatione vlteriorem stirpe Carolina successionem statuente. Vnde hac stirpe extincta, opus fuerat noua prouisione super talem pro futuro prorogationem, non pet alium potente fieri, quàm ab illo, qui Imperium Græcis ademptum, sui primitus iuris fecerat. Ex cuius proinde iuris titulo præfatus Pontifex in dicta Clementina meritò subinferebat, [à Sede Apostolica ad certos Principes ius eligendi Regem, in Imperatorem posteà promouendum, pertenisse.]

Ex eodem etiam titulo ius specificum est Romano Pontifici, Regem Romanorum à Principibus electum, & ab illo approbatum, secundùm dictam Clementinam adstringendi vinculo iuramenti, prout tam mos obseruationis antiquæ temporibus nouissimis eenouatæ, quàm forma iuramenti huiusmodi sacris inserta Canonibus dist. 63. cap. Tibi soli. manifestaut.

PRO-

PROBATIO V.

Petita ex iure eligendi Imperatoris certis Germaniæ Principibus concesso à Summo Pontifice.

QVæ in argumento quinto circa hanc rem deducta habentur, videri possunt sufficere ad præsens institutum. Ne tamen hac etiam in parte steriles simus, ex Bellarmino sequentes instituti huius probationes hic producendas duximus. Hic igitur sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis lib. 3. de translat. Imperij cap. 3. contra Illyricum Lutheranæ hæreseos sectatorem negantem, ius eligendi Imperatorem auctoritate Summi Pontificis esse certis Germaniæ Principibus concessum, hunc in modum procedit.

Primus, inquiens, huius rei testis sit Innocentius III. quem Illyricus testem esse dicit omni exceptione maiorem, is enim disertis verbis testatur, à Sede Apostolica ad certos Germaniæ Principes potestatem eligendi Reges Romanorum peruenisse. Verùm (inquit in Epist. ad Ducem Thuringiæ, vnde extat cap. Venerabilem. De electione) [illis Principibus ius, & potestatem eligendi Regem, in Imperatorem postmodùm promouendū, recognoscimus, vt debemus, ad quos de iure, & antiqua consuetudine noscitur pertinere: præsertim cùm ad eos ius, & potestas huiusmodi ab Apostolica Sede peruenerit, quæ Romanum Imperium in persona magnifici Caroli à Græcis transtulit in Germanos.] Hæc ille. Qui etsi non meminit Gregorij V. tamen id affirmat, quod potissimùm hoc loco probare intendimus, Innocentium sequuntur ex Italicis, & Gallicis scriptoribus Henricus Hostiensis, sanctus Thomas Aquinas, beatus Augustinus Triumphus, Aluarus Pelagius, & Ioannes Villanus, supra citati; nec non Philippus Bergomensis lib. 12. Supplementi Chronicorum, Blondus Flauius lib. 3. Decadis 2. Baptista in vita Gregorij V. Raphael Volaterranus lib. 22. Antropologiæ: Polydorus Virgilius lib. 4. de Inuentoribus rerum cap. 7. aliàs 10. Item Ioannes Andreas in cap. Ad Apostolicę. De senten. & re iudic. lib. 6. & in cap. Venerabilem. De elect. Cardin. Florent. in idem cap. Venerabilem § 1. colum. 3. in 6. quæstium. 7. Alterius in lib. Bene à Zenone, num. 5. de quadrien. præscript. Baldus in sua Margarita, verbo Annus. Sanctus Antoninus 3. par. tit. 22. cap. 5. §. 13. Andreas Alciatus (quem virum doctissimum, atque historiarum peritissimum vocat Illyricus pag. 57.) in Commentario Legis Bona ciuitas, ff. De verb. significat. & in libro de singulari certamine cap. 32. Multi prætereà tum Iureconsulti, tum Historici, quos longum esset recensere.

Ex Germanis habemus in primis Iordanum quemdam, quem ipse Illyricus citat pagina 90. cuius hæc sunt verba in libro de Translat. Imperij. [Factum est, quòd sanctus Carolus Magnus Imperator de consensu, & mandato Romani Pontificis ordinationem sibi Diuinitus inspiratam instituit, & præcepit, vt Imperium Romanorum apud electionem Canonicam Principum Germanorum in perpetuum remaneret.] Hæc ille. Certè autem, si Carolus Imperator iussu Romani Pontificis Electores Imperatoris instituit: eius institutionis auctor primus, ac præcipuus Summus Pontifex fuit. Siquidem in re quauis, maior est auctoritas eius, qui iubet, quàm eius, qui alterius iussum exequitur.

Iacobus quoque Wymphelingius, auctor item Germanus, in Epitome Rerum Germanicarum cap. 50. sic ait. [Gregorius cognita Imperij imbecillitate, varietateque fortunæ: neque is, qui cæteris virtute præstaret, præesset etiam dignitate: sanctionem tulit, haud abnuente Othone, de Imperatore deligendo, Anno Christi 1002. quam vsque ad nostra tempora seruatam videmus, videlicet solis Germanis licere Principem eligere, qui Cæsar, & Romanorum Rex appellatus, tum demum Imperator, & Augustus haberetur, si eum Romanus Pontifex inunxisset.]

Albertus Kranzius, & ipse Germanus lib. 4. Saxoniæ cap. 25. [Gregorius (inquit) ad vndecimum, quo abfuerat, mensem restitutus, acerrimam de accepta à Romanis iniuria vltionem sumpsit. Paulò enim posteà, quàm redierat, eam fecit de Imperatoris electione sanctionem, quam hucusque per annos iam quingentos seruatam videmus, solis licere Germanis, qui inde Electores sunt dicti, Principem deligere; qui Cæsar tunc, & Romanorum Rex dictus, si à Romano Pontifice coronabitur, Imperator Augustus appelletur.]

Ioannes Nauclerus natione Germanus, in 2. volum. Chronographiæ generatione 34. ita scribit: [Saluari potest, quod ex monumentis Aquileiensis Ecclesiæ traditum inuenitur, sanctionem de Imperatore à Germanis deligendo, Syluestri temporibus factam esse, etsi Gregorius sanctionem instituerit, ille tamen Syluester electionem primam iuxta sanctionem factam approbauit.] Et infrà: [Anno salutis secundo supra millesimum, Othone III. mortuo, Germani Electores concesso iuri per sanctionem Greg. V. & Othonis III. primum innitentes, Henricum Ducem Bauariæ, Comitem Bambergensem, Claudium posteà dictum, Cæsarem declarant.] Hæc ille.

His adde Ioannem Carionem lib. 3. Chronici, & Ioannem Cuspinianum in vita Othonis III. & ipsum Illyricum cum collegis suis Magdeburgensibus Centuriatoribus. Omnes enim isti disertis verbis docent, aut Gregorium Pontificem, aut certè Othonem, ope, & auctoritate Gregorij sanctionem illam de Electoribus edidisse. Ac, vt Illyricus intelligat, quanti faciamus grauissimam eius, collegarumque ipsius auctoritatem, testimonium iam ante in cap. 1. adscriptum, hoc etiam loco in eius gratiam iterum adscribemus. Sic igitur habet Cent. 10. capit. 10. colum. 546. [Gregorius suam patriam insigni aliqua dignitate ornaturus, sanxit, vt penes solos Germanus ius esset eligendi Regem, qui post diadema à Romano Pontifice acceptum, Imperator, & Augustus appellaretur.] Hæc ille.

Accedant postremò grauissima testimonia, vnum Concilij Generalis, alterum ipsorum Electorum. Extat enim in Clementina.

Romani Principes, de iureiurando; decretum Concilij Viennensis Generalis, in quo hęc habentur verba: [Ecclesia Romana à Græcis Imperium transtulit in Germanos, & ab eadem ad certos eorum Principes ius, & potestas eligendi Regem, in Imperatorem postmodùm promouendum, peruenit.] Exstat item Electorum Imperij publicum Instrumentum ad Nicolaum III. Pontificem missum, ex autographo descriptum, quod Romæ in Arce sancti Angeli conseruatum ex integro ibi profert prætactus Cardinalis; in cuius exordio inter cætera in rem præsentem facientia, apertè dicitur: [Quòd Romana Ecclesia in Germania plantauerit Principes tamquam arbores præelectas, quibus dederit illud potentiæ mirandæ incrementum, vt ipsius Ecclesiæ auctoritate suffulti, per Ipsorum electionem, illum, qui fræna Romani teneret Imperij, germinarent.

§. V.

Referuntur nostratis sententiæ argumenta Ex cap. per venerabilem. Qui filij sint legitimi. Ex cap. Grandi. De supplenda negligentia Prælator. in 6. & Extrauagante vnica. Si Fratrum. Ne Sede vacante.

ARGVMENTVM I.

Ex cap. Per venerabilem. Qui filij sint legitimi.

AVctor Regalis Sacerdotij cit. lib. 1. §. 2. argumentatur I. ex prænotato Innocentij III. sacro canone ita se habente: [Tua nobis humilitas supplicauit, vt filios tuos legitimationis dignaremur titulo decorare, quatenus eis, quò minùs tibi succederent, natalium obiectio non noceret, &c. Videbatur autem (ea supplicatio tua) ex eo trahere maiorem audaciam postulandi, quòd cum Regia Francorum filijs de benignitate Apostolicæ Sedis dispensauimus, &c. Rationibus autem hisce inducti, Regi gratiam fecimus requisiti, causam tam ex Veteri, quàm Nouo Testamento trahentes, quòd non solùm in Ecclesiæ patrimonio, verùm etiam in alijs Regionibus, certis causis inspectis, temporalem iurisdictionem casualiter exercemus, non quòd alieno iuri præiudicare velimus, sed quia sicut in Deuteronomio continetur: Si difficile, & ambiguum apud te iudicium esse perspexeris, inter sanguinem, & sanguinem, causam, & causam, lepram, & lepram, & Iudicum intrà portas videris verba variari; venies ad Sacerdotis Leuitici generis, & ad Iudicem, qui fuerit illo tempore, & facies, quæcumque dixerint, qui præsunt loco, quem elegerit Dominus, sequerisque eorum sententiam: qui autem superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, decreto Iudicis morietur.

[Sanè cùm Deuteronomium Lex secunda interpretetur, ex vi vocabuli comprobatur, vt, quod ibi decernitur, debere in Nouo Testamento seruari: locus enim, quem elegit Dominus, Apostolica Sedes esse cognoscitur, &c. Sunt autem Sacerdotes Leuitici generis fratres nostri, qui nobis iure Leuitico in executione Sacerdotalis officij Coadiutores existunt. Is verò super eos Sacerdos, siue Iudex existit, cui Dominus inquit in Petro: [Quodcumque ligaueris super terram, erit & ligatum in cœlis, &c.] Eius Vicarius, qui est Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech, Iudex viuorum, & mortuorum. Tria quippe distinguit iudicia, primum inter sanguinem & sanguinem, per quod criminale intelligitur, & ciuile. Vltimum, inter lepram, & lepram, per quod Ecclesiasticum denotatur, & criminale. Medium inter causam, & causam, quod ad vtrumque refertur tam Ecclesiasticum, quàm ciuile: in quibus, cùm aliquid fuerit difficile, & ambiguum, ad iudicium est Sedis Apostolicæ recurrendum, cuius sententiam, qui superbiens contempserit obseruare, mori præcipitur, idest, per excommunicationis sententiam velut mortuus à communione fidelium separari. Paulus etiam, vt potestatis plenitudinem exponeret, ad Corinthios scribens, ait: [Nescitis, quoniam Angelos iudicabimus, quantò magis sæcularia?] Licèt igitur cum filijs sæpe dicti Regis (de quibus, an fuerint legitimi ab initio dubitabatur) duxerimus dispensandum: quia tamen Lex tam Mosaica, quàm Canonica sobolem susceptam ex adulterio detestatur, testante Domino, quòd spurij vsque ad decimam generationem in Ecclesiam non intrabunt: Canone verò vetante, tales ad sacros Ordines promoueri: secularibus quoque legibus non solùm repellentibus eos à successione paterna, sed negantibus ipsis etiam alimenta: petitioni tuæ non duximus annuendum.]

Ex qua proinde Decretali dictus Auctor animaduertendum admonet, quòd Summus Pontifex apertè testetur, se in locis, dominio suo temporali subiectis, plenam exercere iurisdictionem temporalem, in alijs verò locis non plenam, sed limitatam, certisque ex causis: idque iure non tam voluntarij compromissi (de quo nullum dubium esse potuit, cùm hoc non in solam personam Summi Pontificis cadat) sed iure Diuino expresso Deuteron. 17. & ad Corinth. 1.

Obiectio.

Ex hac ipsa ratiocinatione videtur difficultas excitari, quomodò dispensatio pro filijs Regis Francorum facta, filijs autem Comitis Pessulani negata, reduci valeat in ius Deuteronomij?

Responsio.

Verùm tota causæ istius expeditio videtur explicari posse sub isthac forma syllogistica. Quæ enim potestas iudiciaria discernendi inter sanguinem & sanguinem, inter causam & causam, iure Deuteronomij competebat sacerdotio Veteris Testamenti, maiori cum eminentia est per Christum in Nouo Testamento concessa auctoritati Apostolicæ,

in

in Romano Pontifice iam subsistenti. At ipsissima hæc Apostolicæ auctoritatis Petri successori Romano Pontifici competentis potestas continetur Christi Domini verbis: [Quæcumque ligaueris super terram, erunt ligata & in cœlis, & quæcumque solueris super terram, erunt soluta; & in cœlis.] Hæc verò Clauium potestas non est minoris virtutis, ac fuerit Apostolica Paulo delegata auctoritas, quàm ad secularium causarum iudicium protendi, apertè contestatus est is Apostolus: eò vel maximè, quòd Petro, eiusque successori per Christum destinata Clauium potestas, clarè extendatur ad quodcumque super terram pro causarum meritis, seu soluendum, seu ligandum. At eo ipso, quòd ista Clauium potestas ex Christi Domini institutione, habeat ordinem ad regnum cœlorum, non nisi sub statu causæ, salutem æternam, Ecclesiæque sanctæ bonum, seu fidei, ac Religionis veræ publicam vtilitatem respicientis, ad vsum reduci potest. Hoc igitur ad regnum cælorum seruato ordine, Summus Pontifex Innocentius Tertius secundùm causarum differentias, vni meritò concessit, alteri iure negauit, iuris tum Cannonici, tum ciuilis dispensationem, in ordine ad temporalis quoque hæreditatis, ex legum ciuilium dispositione illegitimis denegatæ successionem.

ARGVMENTVM II.

Petitum ex cap. Grandi. De supplenda negligentia Prælatorum in 6.

AVctor Regalis Sacerdotij præs. §. 10. num. 3. argumentatur 2. ex præallegato Canone Innocentij IV. rescripto ad Barones, & Comites Portugalliæ ita se habente: [Mandamus, quatenus dilectum filium nobilem virum Regis Portugalliæ fratrem de deuotione, probitate, ac circumspectione multipliciter commendatum, præsertim cùm ad defensionem Ecclesiarum, monasteriorum, aliorumque piorum locorum Regni præfati, & personarum Ecclesiasticarum, nec non viduarum, orphanorum, & cæterorum ibidem degentium sit assumptus, cùm ad vos accesserit (fidelitate, homagio, iuramento, seu pacto, si aliquibus fortè præfato Regi, vel cuicumque personæ tenemini, aut etiam ipsius Regis prohibitione nequaquam obstantibus) in ciuitatibus, & munitionibus. Regni prædicti cum omnibus suis recipere absque difficultate qualibet procuretis. Alioquin Venerabilibus Fratribus nostris Bracharensi Archiepiscopo, & Episcopo Conimbricensi damus in præceptis, vt vos per censuram Ecclesiasticam, appellatione remota, compellant. Per hoc autem non intendimus memorato Regi, vel ipsius legitimo filio prædictum Regnum adimere: sed potiùs sibi, & eidem Regno destructioni exposito, ac vobis ipsis consulere.

Ex qua decretali præcitatus Auctor infert, manifestum hinc reddi, Regno, & Ecclesia periclitante, cuius Aduocati sunt Reges, posse Summum Pontificem, legitimum alioquin Regem administratione priuare, Coadiutorem illi, aut Vicarium dare, subditos iuramento fidelitatis absoluere, &c. Et hæc omnia præstare Pontificem suo iure; in conspectu totius Galliæ, vtpotè intra Concilium Vniuersale Lugdunense, eiusdem Galliæ Prælatis ibidem præsentibus, nequidquam refragantibus ei Pontificiæ in Gallis exercitæ potestatis.

Reflexio.

Super isthac ratiocinatione faciendo reflexionem, videtur, singularis argumenti pondus Pontificiæ supra Reges auctoritati accessisse ex Galliæ Episcoporum in Concilio Lugdunensi tunc coadunatorum tacitâ comprobatione, cum nisi in iure Diuino fundata esset ea potestas, meritò debuissent Pontifici resistere, ad euitandas grauioris momenti consequentias, suum quoque Regem attingentes.

Sed quod inquies, est ius Diuinum Pontificiæ supra Reges potestatis constitutiuum, nisi clauium à Christo sancita auctoritas, sub ordine ad regnum cælorum, atque adeò in Ecclesiæ, ac Religionis sanctæ necessitate, pollens quodcumque super terram, seu ligare, seu soluere? Quandoquidem igitur in illa Decretali Innocentius IV. pro suæ constitutionis fundamento posuerit Regni illius ex Regis inhabilitate periclitantis necessitatem spiritualem Ecclesiarum, Monasteriorum, aliorumque piorum locorum, vel etiam miserabilium personarum ex virtutis, seu Religionis, seu pietatis, ac misericordiæ exigentia meritò subleuandam, eiusdem Regni propemodum destruendi necessitate temporali non aliter, quàm in ordine ad Ecclesiæ Bonum, publicumque Religionis, aliarumque virtutum vtilitatem præ oculis habita; ideò in aperto est illam Decretalem optimè fundari in indefinita supra quodcumque, quod est super terram, qua ad Regni Cælorum ordinem reducibile, protensa Clauium Apostolicarum potestate.

ARGVMENTVM III.

Desumptum ex Extrauagante vnica. Si Fratrum. Ne Sede vacante.

AVctor Regalis Sacerdotij cit. lib. 1. §. 8. argumentatur 3. ex præallegata Extrauagante Ioanis XXII. cuius tenor est talis: [Si Fratrum, & Coepiscoporum, & aliorum quorumlibet iura illibata seruari, & ab omni fortè dispendio diminutionis extranea cupimus, multò fortiùs pro nostris, & Romanæ Ecclesiæ sponsæ nostræ iuribus, & honoribus conseruandis, ex iniuncto nobis officij debito, Apostolicæ prouisionis partes tenemur impendere, ne temporibus nostris vsurpationis iniuriam subeant. Sanè in nostram, & Fratrum nostrorum deductum est notitiam, quod licèt de iure sit liquidum, & ab olim inconcusè seruatum, quod vacante Imperio cum in illo ad secularem Iudicem nequeat haberi recursus, ad Summum Pontificem, cui in persona Petri, terreni simul, & cælestis Imperij iura Deus ipse commisit, Imperij prædicti iurisdictio, regimen, & dispositio deuoluantur, &c. Nos igitur volentes nostris, & Ecclesiæ nostræ iuribus, & honoribus

in hac parte prospicere, & malis, ac scandalis, quæ ex retentione, assumptione, seu resumptione huiusmodi orta sunt hactenus, nec non periculis animarum salubriter occurrere cupientes, præsentium auctoritate monemus omnes sub excommunicationis pœna, cuiuscumque status, &c. existant, etiamsi Regia, &c. præfulgeant dignitate, qui post vacationem Imperij absque nostra, vel Sedis prædictæ licentia huiusmodi Vicarij nomen assumpserunt, vel retinuerunt, ab vsu, potestate, & exercitio supra dictis prorsus abstineant, & omninò desistant. Et vt quibuslibet parendi talibus tollatur occasio, omnes, & singulos, qui huiusmodi Vicariatus nomen retinentibus iuramento fidelitatis tenentur adstricti, à iuramento huiusmodi, quantùm ad hoc, de potestatis plenitudine absoluentes, Apostolica auctoritate firmiter inhibemus eisdem, ne talibus vt Vicarijs, vel Officialibus Imperij, aliquatenus pareant, vel intendant, &c.

Ex qua Decretali Auctor præcitatus infert clarè parere, quòd Petro cælestis simul, & terrestris iura Imperij sint commissa. Vnde quando secularis Iudicis copia non est, recurri ad Summum Pontificem posse: & si propter eligentium discordias, Imperium, & consequenter Ecclesia, cuius Aduocarum Imperator agit, periclitatur; posse Summum Pontificem Electis, & Electoribus imperare, quæ componendæ paci necessaria fuerint.

Reflexio.

Super hac ratiocinatione animaduertendum occurrit, quod in communia dumtaxat auctoritatis Oecumenicæ intra superiùs deducta reduci videatur, cum tamen prætacti Canonis constitutio fundata credi possit super ius speciale Summi Pontificis, radicatum ex Imperij Græcis adempti in Germanos translatione, cùm cæteroqui difficile foret, Imperij vacantis Vicariatus ad Sedis Apostolicæ arbitrium, verbis, vti sonant, adeò illimitatis reuocare. De quo proinde punctò inferiùs accuratiorem habebimus discussionem.

CONCLVSIO.

Pontificia super Reges Auctoritas, publica præcipuè Ecclesiæ, seu Religionis necessitate exigente Regiæ potestatis seu confirmatoriam, seu moderatiuam prouisionem, seu singularem etiam quoad temporalia dispensationem Apostolicam, liquidò demonstratur ex cap. per venerabilem. Qui filij sint legitimi. Ex cap. grandi, de supplenda negligentia Prælatorum, in 6. ac Extrauagante vnica. Si fratrum. Ne Sede vacante.

EXplicatur per argumenta præcitati Canonis Per venerabilem. Ex cuius videlicet scribus à num. 171. inducitur in signis ex Antiqui Fœderis sacris Literis, Nouique Testamenti Diuinis oraculis inter se collatis Oecumenicæ Pontificiæ auctoritatis super causas qua Ciuiles protensæ probatio, quam sub syllogistica expensam methodo ostendimus, magna pollere rationis Diuinæ energia, ad instirurum illud Theologicè demonstrandum. Exinde à num. 176. ex cap. Grandi De supplenda negligentia Prælat. deducitur solidum argumentum ad Pontificiæ super Regum iura, eisque connexas prærogatiuas, potestatis extentionem comprobaudam, vberiori per nostram reflexionem à num. 182. eiusdem argumenti firmitate ostensa,

Pro quibus adeò fundamentis, seu magis consolidandis, seu aduersæ parti magis acceptis reddendis, visum est, loco nostrarum probationum hic attexere, quæ insigne Gallicanę Ecclesię Lumen Cardinalis Eduensis Bertrandus in Bibliothecæ sanctorum Patrum tom. 4. Parisiensis de anno 1610. editionis pag. 1104. relatus in lucem ante sexcentos annos edidit, sub isthac disquisitione: Vtrùm spiritualis potestas debeat dominari temporali?]

PROBATIO I.

In qua prætacti Cardinalis Eduensis super praadducta disquisitione adfertur solidissima resolutio, fundata in prætacto Canone. Per venerabilem. Qui filij sint legitimi.

HOc igitur Ecclesiæ Gallicanæ Lumen præcipuum, super præinsinuata disquisitione responsurus, adducit inprimis argumenta pro parte negatiua. Videtur, inquiens, potestas spiritualis haud debere dominari temporali potestati; quia iurisdictiones sunt distinctæ, vt in Authent. [Quomodò oporteat Episcopos, &c.] in principio collat. 1. De consecrat. dist. 3. cap. celebritatem, in fine. Non ergo Papa debet se intromittere de potestate temporali, sed debet temporalia dimittere Imperatoribus, Regibus, & alijs, Dominis temporalibus. 8. dist. cap. quo iure argument. Extra [qui filij sint legitimi.] cap. Lator. cap. causam: aliàs poneret falcem suam in messem alienam. De electione. cap. venerabilem. Quod non est faciendum, vlt. quæst. 3. cap. 1. Præterea secundùm Hugonem, Imperator à solo Deo habet potestatem in temporalibus: Papa verò in spiritualibus; & sic iurisdictiones sunt distinctæ, vt dicunt primæ concordantiæ. Et licèt Imperator coronam recipiat à Papa gladium tamen ab altari recipit. 93. dist. cap. legimus. Et etiam fuit ante Imperium, quàm Apostolatus: propterea potestas spiritualis indiget temporali mulroties 23. q. vlt. Cap. Administratores. Ergo non dominatur ei. Præterea si spiritualis dominaretur temporali, haberet dominium temporalium, sed dominium eatumdem rerum non potest esse simul, & semel in solidum eodem tempore apud plures: ff.

Com-

commodat. Lege si vt certo §. Si duobus vehiculum. Ergo nullus alter haberet domininm, quod est falsum: ergo &c.

Exinde progreditur ad argumenta spiritualis super temporali potestatis confirmatoria. Nam Christus Summo, inquiens, Pontifici commisie vices suas; vti habetur apud Matthæum, & 24.q.1.cap. [Quodcumque, sed Christo data erat omnis potestas in cœlo, & in terra apud Matthæum. Ergo Summus Pontifex, qui est eius Vicarius habebit hanc potestatem. Extra de translat. Episcopi. cap. quanto.

Quo præsuppofito, respondet, asseuerando, quòd potestas spiritualis debeat dominari omni humanæ creaturæ per rationes, quas Hostiensis induxit in Summa. [Qui filij sint legitimi § Qualiter, & à quo. Item, quia Iesus Christus filius Dei, dum fuit in hoc mundo, & etiam ab æterno naturalis dominus fuit: & de iure naturali in Imperatores, & quoscumque alios depositionis sententias ferre potuisset, & damnationis, & quascumque alias, vtpote in personas, quos creauerat, & donis naturalibus, & gratuitis dotauerat, & etiam conseruabat; & eadem ratione eius Vicarius potest. Nam non videretur discretus Dominus fuisse (vt cum reuerentia eius loquar) nisi vnicum post se talem Vicarium reliquisset, qui hæc omnia posset. Fuit autem. Et idem dicendum est de successoribus Petri: cùm eadem absurditas sequeretur, si post mortem Petri humanam naturam à se creatam sine regimine vnius personæ reliquisset. Argum. Ad hoc. [Qui filij sint legitimi.] cap. per venerabilem vltra medium. De hoc notat Innocent. in cap. licèt. De foro compet. Et ideo Bonif. VIII. motus multis alijs efficacibus rationibus, & exemplis, & authoritatibus sacræ Scripturæ, declarauit, & dixit, & definiuit, subesse Romano Pontifici omnem humanam creaturam, necessitate salutis; vt in Decretali Vnam sanctam Extrauag. in titulo de Maiorit. & obedient. haberur sancitum.

PROBATIO II.

Prioris continuatiua atque argumentorum in contrarium adductorum confutatoria.

Etenim præfatus Cardinalis hisce in oppositum allatis argumentis ita respondet. Ad primum, cùm dicitur, quòd iurisdictiones sunt distinctæ, &c. dicit Hostiensis sic: ergo iurisdictiones assero, & vtramque à Deo processisse, vt dicta Authent. Quomodò oporteat Episc. aie tamen quantò altera magis Deo appropinquat, tantò est maior. Ergo sacerdotium maius: quod probatur ex ordine scripturæ Authent. Et sic intellige, quòd non multum discrepant Sacerdotium, & Imperium vt in Authent. De non alienand, & permutandis rebus Ecclesiæ. §. Si minùs collat. 2. Non multùm discrepant quoad principium, vnde procedunt, sed multùm discrepant quoad maioritatem. Inde est, quòd caput Episcopi inungitur, sed armus Regis & Episcopus chrismate, Rex oleo; vt sciatur, quòd Episcopus est Vicarius Capitis nostri, id est, Iesu Christi. Et vt ostendatur, quanta sit differentia inter auctoritatem Pontificis, & Principis potestatem. Extra. De sacra vnctione. cap. 1. versiculo, vnde in Veteri Testamento.

Et eodem modo respondetur ad secundam oppositionem. Et quod dicitur audè fuisse Imperium, quàm Apostolatum; hoc non facit ad propositum, quia potestas nō dicitur ratione temporis maior, sed ratione potiùs dignitatis. Nam etsi Andreas primus venit ad fidem, quàm Petrus, Prælatus est tamen Petrus Andreæ, cùm in Apostolorum catalogo semper Petrus quasi præcipuus præmittatur: non quod Petrus sit prior, siue potior tempore, sed potior dignitate.

Ad tertium argumentum dico, quòd, licet, (vt supradictum est) omnis humana creatura subsit Papæ, & sic potestati spirituali; non tamen sequitur quòd habeat dominium omnium rerum temporalium. Ad cuius declarationem est sciendum, quòd est duplex dominium est enim quoddam Dominium iure diuino, quoddam aliud iure humano 8. distinct. cap. Quo iure. Diuinum dominium est illud, quod est apud Deum supra omnem creaturam: ipse enim Deus Creator est omnium vniuersorum, qui enim manet in æternum, [Creauit omnia simul] item in Genesi: [In principio creauit Deus cœlum, & terram.] Et vide de hoc, quod notatur in cap 1. De summa Trinitate, & fide Catholica. Isto iure diuino [Domini est terra & plenitudo eius.] De decimis cap. Tua nobis dicto Cap. Quo iure. Istud dominium est verum dominium simplex, & absolutum; & vnus est Dominus omnium creaturarū Deus, & ideo propriè loquendo, omnes creaturæ, proprietates, res, possessiones, & bona alia, in bonis nullius sunt verè, absolutè, & propriè, nisi Dei.

Circa quod dominium dicit Hostiensis de voto, & voti redempt. cap. quid super in magna glossa versiculo: [Mihi tamen videtur sic:] Mihi videtur, quòd in Aduentu Christi omnis honor, & omnis principatus, & omne dominium, & iurisdictio de iure, & ex iusta causa per illum, qui supremam manum habet, nec errare potest, omni fideli subtracta fuerunt, & ad fideles translata: quòd hoc iusta causa, probat Sapiens: [Regnum de gente ad gentem transfertur propter iniustitias, & iniurias, & contumelias, & diuersos dolos] Quòd hoc factum sit, probatur De constitut. cap. translato, & hoc in persona Christi Filij Dei viui, qui non solùm Sacerdos fuit, sed & Rex Lucæ 1. [Ecce concipies in vtero: &c.] vsque: [& regni eius non erit finis.] Vnde & ipse dixit apud Matthæum: Auferetur à vobis Regnum, & dabitur genti facienti fructum eius,] Huius autem regni, & sacerdotij principatum perpetuum commisit Filius Dei Petro, & successoribus eius, vt patet in eo, quod legitur, & notatur de hominibus. cap. 1. Pro humanitate lib. 6. &c. cap. per venerabilem. Qui filij sint legit. §. Rationibus: per totum; & maximè in versiculo finali. Et de tali dominio diuino dico, quòd omnis temporalis potestas est subiecta domi-

dominio ſpirituali, & debet poteſtas ſpiritualis poteſtati temporali dominari. Aliud eſt dominium, quod ſecundùm Legiſtas vocatur legale dominium, & ita nominat Accurſius ff. De verb. ſignificat. Lege Recte: ſecundùm Canoniſtas verò vocatur humanum: vt in dicto Cap. quo iure. De iſto Legali, vel Humano dominio dicit Innocentius ſic: quod eſt ius, quod ad aliquem ſpectat, vel acquiritur de iure naturali; vt ſunt dominia, obligationes: & huiuſmodi &c. innuens expreſsè quòd rerum dominia, & obligationes ſunt de iure naturali, id eſt, de iure Gentium, non autem à iure ciuili, vel Imperatore: vt actiones, vti ff. de iuſtit. & iure Lege ex hoc iure iuſtitut. De Rerum diuiſ. §. Ferè. Ita notat Innocentius de conſtit. cap. quæ Eccleſiarum, & Compoſtellanus dicit ibidem, quòd à iure Gentium deſcendunt dominia. Sed per leges Principum diſtinguuntur modi, per quos rerum dominia acquiruntur ff. de acquirendo rerum dominio per totum. Et inſtitue. de rerum diuiſ. per totum. Et ſic intelligit, quod legitur 8 diſt. cap. quo iure: & ſic concordant in hoc, quod dominia ſunt de iure Gentium.

Sed videtur mihi, quòd dominium rerum Legale, vel Humanum fuit à Deo collatum humanæ creaturæ, & non fuit ab initio introductum iure Gentium, vel ciuili: nam Deus omnia, quæ creauit fecit propter rationabilem creaturam, & omnia ſubiecit rationabili creaturæ, & ſic reſeruato ſibi vniuerſali, & vero dominio omnium creaturarum, huius dominij vtilitatem conceſſit ab initio humanæ creaturæ, quoad vſum: quod videtur intelligere Accurſius Cap. de iure dominij. Lege In rebus ſuper verbo naturaliter. Vbi dicit, quòd iure primæuo non diſtinguebantur dominia, niſi quantum ad vſum &c. Vnde ante ius Gentium omnia fuerunt communia, quouſque iure Gentium vſibus primorum parentum appropriarentur, vt vniuſquiſque, quod ſuum eſſet, ſciret. Vnde lex dicit, quòd iure Gentium dominia ſunt diſtincta: non dicit introducta; vt dicta leg. ff. de iuſtitia, & iure. Ex hoc iure, Cùm enim iure Gentium diuidantur dominia, ſequitur, quod ante diuiſionem erant dominia communia. Argum. ff. Communi diuid. Leg. 4. circa principium, cum ibi notatis. Vnde ex conceſſione Diuina vtilitatis dominium cauſatur, quod eſt quoddam dominium Legale, vel Humanum reſpectu veri dominij diuini, non dicitur dominium, ſed in ſe conſideratum dicitur verum. Iſtud verò dominium Legale, vel Humanum (prout erat in communi) non debet dici iuris Gentium, ſed diuini: prout verò cuilibet appropriatur, vel acquiritur hoc dominium, ſic conſideratum eſt de iure Gentium. Et tale dominium non eſt apud Papam tantùm ſed apud omnes, qui iuſtè acquirunt: & ex quo ſemel acquiſitum eſt, non licet Papæ, vel alicui alteri auferre, vel occupare ſine iuſta cauſa: quia eſſet contra ius naturale Diuinum, quo vnicuique dictum eſt, [ne faciat alteri, quod ſibi non vult fieri;] vt in principio decretorum, & Dominus dicit in Eſdra: [Ne transgrediaris terminos antiquos, quos poſuerunt Patres tui.] 9. qu. 1. cap. Nullus alterius. Facit ad hoc cap. de cohortat. Leg. ſi quis lib. 12. Et hoc intelligo ſine cauſa poſſet aliquis priuari ab homine, vel à iure tali dominio ff. de religionibus, & ſumptib. funerum Leg. Si quis ſepulchrum Cod. Pro quibus cauſis ſerui lib. accip. per totum. & ff. & Cod. de bonis damnat. per tot. Vnde per hoc reſpondemr ad argumentum, quòd quantum ad humanam creaturam, illa ſubeſt ſpirituali poteſtati, ſicut dictum eſt. Sed dominia rerum aliarum eſſe apud ſingulos, qui iuſtè acquirunt, verum eſt de dominio legali & humano: ſed dominium Diuinum eſt apud Deum; nec eſt contradictio, diuerſis reſpectibus accepto dominio. Ad illa iura communia, quæ dicunt, quòd Imperator eſt Dominus mundi, ff. ad legem Rhod. de iactut. leg. deprecatio, reſpondet vt notatur Cod. de quadri. præſcript. l. Bene à Zenone.

Ex quibus manifeſtum redditur, quæ Gallicanæ Eccleſiæ circa primam nouiſſimi Cœtus Pariſienſis propoſitionem mens, ac ſententia extiterit, cùm is Eduenſis nomine Galliæ Epiſcoporum, & Archiepiſcoporum Anno 1329. coram Philippo Rege Francorum idipſum, quod proxime ex ipſius calamo eſt aſſertum, fortiter propugnauerit; vti ex antecedentibus in §. 2. à num. 25. allatis deductionibus videre licet. Cuius autem hic Cardinalis in præſenti facie mentionem Extrauagantis Bonifacianæ, Vnam ſanctam eiuſdem integrum tenorem cum argumentorum inde deductorum energia cernere licet ſupra §. 2. à num. 40.

PROBATIO III.

Deſumpta ex Extrauag. Si Fratrum. Ne Sede vacante.

EX hac enim Apoſtolica conſtitutione noſcitur Pontifex eam ſibi aſſeruiſſe poteſtatem, ceu prorsùs liquidam de iure, & ab olim inconcuſsè ſeruatam, quòd nempè [vacante Imperio, cùm in illo ad ſecularem iudicem nequeat haberi recurſus, ad Summum Pontificem, cui in perſona Petri, terreni ſimul & cæleſtis Imperij iura Deus commiſit, Imperij prædicta iuriſdictio, regimen, & diſpoſitio deuoluatur, &c. At licèt nonnemo fortaſſis poſſet eſſe ſollicitus, quomodo ex generali Oecumenici Paſtoralis officij iure dininitùs conſtituto, Papæ competat iſta Imperij vacantis iuriſdictio, regimen & diſpoſitio. Attamen attento, quòd in vi illius Oecumenicæ Pontificiæ iuriſdictionis fuerit à Papa Græcis iure optimo ademptum Occidentis Imperium, indeque in huius Oecumenicæ poteſtatis ius tranſierit, atque hinc iſtius iuris translatio legitimè ſit facta in Carolum Magnum, eiuſque ſtirpem maſculinam, hac verò exſpirante, rursùs oportuerit, ius illud deuolui ad Sedem Apoſtolicam, ſicque ex hoc iure auctoritati Pontificiæ ſingulariter acquiſito, ſucceſſionem Imperatoriæ dignitatis iuſtiſſimo titulo facere potuerit electiuam, iure adeò eligendi per eamdem Pontificiam auctoritatem tranſmiſſo in certos tandem Germaniæ Principes: hiſce, inquam, ſuperiùs firmatis, & omnimodè probatis, præſuppoſitis prin-

principijs, facilè iam constat, ex quo fundamento Papa in dicta Extranagante de iure certo asserere potuerit, quòd, dum Imperium, cuius ius à Græcis ademptum, suæ in primis Oecumenicæ auctoritati accreuerat, capite, in quod Sedes Apostolica illud ius sibi quæsitum transtulerat, defuncto, vacaret, ipsius sic vacantis iurisdictio, regimen & dispositio pro tunc deuoluatur ad eamdem Sedem Apostolicam. Ex quo ipsissimo igitur iure Pontifex potuit meritò abrogare Imperij Vicariatus, & quoscumque Officialatus, quos citra suam auctoritatem, vacante Imperio, aliqui Germaniæ Principes sibi arrogarant, soluto etiam per auctoritatem Oecumenicam fidelitatis iuramento, quod eiusmodi vicarijs præstitum fuerat.

Atque ex hoc specifico Sedis Apostolicæ iure prouenit, vt Imperatores electi per Summum Pontificem confirmandi, & coronandi, debeant eidem præstare iuramentum fidelitatis, cuius modus & norma sub hisce verbis exprimitur in cap. Tibi Domino. 23. dist. 63. [Tibi Domino Ioanni Papæ ego Rex Otho promittere, & iurare facio per Patrem & Filium & Spiritum sanctum, & per lignum hoc viuificæ Crucis, & per has reliquias Sanctorum, quòd, si permittente Domino, Romam venero, sanctam Romanam Ecclesiam, & te Rectorem ipsius exaltabo secundùm posse meum, & numquam vitam, aut membra, & ipsum honorem, quem habes, mea voluntate, aut meo consilio, aut meo consensu, aut mea exhortatione perdes: & in Romana Vrbe nullum placitum, aut ordinationem faciam de omnibus, quæ ad te, aut ad Romanos pertinent, sine tuo consilio: & quidquid de terra sancti Petri ad nostram potestatem peruenerit, tibi reddam: & cuicumque Italicum Regnum commisero, iurare faciam illum, vt adiutor tui sit ad defendendum terram sancti Petri secundùm suum posse. Sic me Deus adiuuet, & hæc sancta Dei Euangelia.]

§. VI.

Corollarium finale secundæ Disquisitionis.

Ex dictis infertur 1. Quandoquidem Regiæ potestatis erga auctoritatem Pontificiam subordinatio, & quoad publici etiam regiminis, qua in regnum cœlorum ordinabilis actus morales, subiectio per Pontificias sanctiones noscatur deducta ex claris fidei diuinæ principijs, an non meritò hinc sit concludendum, quòd ea subordinatio per auctoritatis Apostolicæ, supra petram, cui portæ inferi præualere numquam poterunt, fundatæ decisionem sit iam constituta super candelabrum Ecclesiæ, per credibilitatis euidentiam sub prudentiæ ratione morali non tantùm sufficienter, sed (vt ita loquar) conuincenter applicata ad fidei diuinæ assensum eidem præstandum.

Hinc consequenter infertur 2. singularis industriæ laude, & dignum præcellere Regalis Sacerdotij Summarium cit. lib. 1. §. 19. deductum, ac ostensiuum,] quando, & ex quibus causis in particulari possit Summus Pontifex potestatem in Magistratus, & Principes seculares exercere? Sic ergo se habet egregia huius Auctoris dissertatio: Elegantem, inquientis, de hac re textum habemus in Decretali ab Innocentio Tertio data cap. per venerabilem. 13. qui filij sint legitimi. Vbi Summus Pontifex inter alia sic loquitur: [Non solùm in Ecclesiæ patrimonio, verùm etiam in alijs regionibus, certis causis inspectis, temporalem iurisdictionem casualiter exercemus, non quod alieno iuri præiudicare velimus, sed quia &c.

Si verò quæras, quinam ergo sint casus in particulari, in quibus Summus Pontifex casualiter, vt habet textus, hoc est, indirectè, & potestate extraordinaria tantùm possit iurisdictionem in materia, alioquin secularibus subiecta exercere.

Resp. Varios in Iure Canonico describi: 1. Deficiente Magistratu, & iudice seculari, qui iustitiam administret. cap. licèt ex suscepto. 10. de foro compet. 2. Cùm iudex secularis officio suo ritè, & secundùm iura non fungitur, tunc enim Pontifici Romano incumbit curare, ne innocentes & Iustitia succumbant. cit. cap. licèt ex suscepto. 3. Si per viam denuntiationis Euangelicæ ad Ecclesiam causa deferatur, tamquam ad commune asylum. cap. nouit de iudic. 4. Si Magistratus seculares leges ferat contra ius diuinum, aut naturale, aut Ecclesiæ noxias, pertinet ad potestatem Pontificiam, eas corrigere, & contrarijs legibus abrogare, qua ratione videmus leges ciuiles, quàm plurimas à Summis Pontificibus mutatas, correctasque. V. g. Iure Ciuili permittitur matrimonium inter fratrum, aut sororum liberos. Instit. de nupt. sed prohibetur cap. non debet, de consangu. l. ciuili, quæ secundò nubunt, varijs pœnis afficiuntur. l. 1. Cod. de 2. nupt. Sed Ius Canonicum pœnas, quæ in odium repetiti matrimonij sunt latæ, tollit cap. cùm secundùm. de secundis nuptijs. Iure Ciuili multas ob causas repudia sustinentur. l. consensu. Cod. de repud. Sed Iure Canonico prohibentur. c. sunt, qui. 27. quæst. 2. & cap. lege. dist. 10. Ius Ciuile concubinatum admittit. Cod. de concub. non admittit Ius Canonicum. cap. nemo blandiatur sibi. cap. meretrices. 32. quæst. 2. Iure Ciuili natis ex incestu, aliove damnato congressu alimenta non debentur; debentur Iure Canonico. cap. cùm haberet. de eo, qui duxit in matrim. De Iure Ciuili possessor malæ fidei longo tempore præscribit. l. cùm notissimi. Cod. de præscriptionibus 30. vel 40. annorum. Non præscribit Iure Canonico. cap. vlt. de præscriptionib. Testamentum de Iure Ciuili non valet nisi præsentibus septem testibus, sed Ius Canonicum hanc legem damnat, expungitque. cap. cùm esses. cap. relatum. de testamentis. Denique lex ciuilis maleficos, qui venenis, malisque artibus Reipublicæ nocent, punit quidem, sed qui imbres, ventos, grandines incantationibus abigunt, non tantùm non punit, sed præmio donat. l. eorum. 4. Cod. de malef. Quæ omnia sacris Canonibus damnata sunt, & videri possunt quàm plurimi textus causa 26. quæst. 2. & S. Thomas 2. 2. quæst. 96. & Nouella Leonis 65. Sunt tamen, qui velint in

in l. eorum. 4. cit. non approbari magicas incantationes, ſed ſacras agrorum luſtrationes, quæ per publicas preces, & ſupplicationes, ac Sanctorum ſuffragia fieri ſolebant iuxtà Nouellam 123. cap. 32. 5. Princeps ſecularis iure naturali, & ſpectato genere ſuæ poteſtatis, poteſt ſubditis ſuis impedimenta matrimonij dirimentia ſtatuere, ex qua enim parte matrimonium eſt contractus, ſubiacet poteſtati, & legibus ciuilibus, & quantumuis eleuatum ſit ad numerum ſacramentorum, non ideò tamen amiſit naturam contractus, & ſubordinationem ad poteſtatem ciuilem; ſicut enim matrimonium vt contractus admittit noua impedimenta à Magiſtratu Eccleſiaſtico, quale eſt clandeſtinitatis, non obſtante ratione ſacramenti; quod immutabile eſt; ità etiàm à Magiſtratu Ciuili; & expreſsè docet S. Thomas 4. contra Gentes. cap. 78. Sanchez lib. 7. de matrim. diſp. 3. Nihilominùs tamen Eccleſia huius poteſtatis vſum Principibus ſecularibus interdixit, ſibique reſeruauit, ſicut patet ex cap. Tuam. de ord. cognit. cap. 1. de ſponſalib. cap. Euphemium. 2. quæſt. 3. cap. multorum. 35. quæſt. 6. & nouiſſimè Tridentinum ſeſs. 24. de matrim. c. 3. 4. & Can. 12. Et potuiſſe quoad hoc Eccleſiam coercere poteſtatem temporalem, eamque moderari propter bonum ſpirituale, & grauia incommoda, quæ alioquin ſequebantur, expreſsè agnoſcunt duo celeberrimi, & ſanctiſſimi in Gallia Doctores, videlicet D. Thomas, & S. Bonauentura. An verò conſuetudine noua poſſint impedimenta induci, an antiqua abrogari. Vide Sanchez lib. 7. diſp. 4. de matrim,

DISQVISITIO III.

An; & in quantum Pontificia ſuper Reges in cauſis etiam temporalibus poteſtas demonſtrari poſſit ex Concilijs præſertim Oecumenicis?

§. I.

INſignem hac in re demonſtrationem facit Auctor præinſinuatus tract. de libertatibus Gallican. lib. 4. cap. 5. ſequentem exhibendo inductionem. In Concilio, inquiens, Romano tertio ſub Gregorio Septimo anno 1076. ſententia depoſitionis contra Henricum Quartum Germaniæ Regem pronuntiata fuit, atque eius ſubditi à iuramento fidelitatis abſoluti, rursùſque in Concilio Romano ſeptimo anno 1080. depoſitio, & abſolutio confirmatæ ſunt. Solent Galli òbijcere, tentatum id fuiſſe à Gregorio Septimo nimis audacter, verùm ſecùs ſuadent tanti Pontificis pietas, ac in reuocando ad meliorem frugem Henrico diligentia; ab alijs tamen Concilijs petenda ſunt exempla, quorum aliqua irrefragabilis ſunt auctoritatis.

Concilium Lateranenſe ſub Alexandro Tertio anno 1168. Fridericum Primum Imperatorem excommunicauit, eiuſque ſubditos à fidelitatis iuramento abſoluit. Quæ legitimè præſtita fuiſſe; agnouit Fridericus, quandoquidem Pontifici ſe humiliter ſubijciens, ſententiam reuocari exorauit.

Concilium generale etiam Lateranenſe ſub eodem Alexandro Tertio, cui plurimi Gallicani Præſules interfuerunt, Can. vlt. hanc pœnam decernit in Dominos, certum quoddam prædonum genus fouentes; [Relaxatos autem ſe nouerint à debito fidelitatis, & dominij, ac totius obſequij, donec in tanta iniquitate permanſerint (Domini) quicumque illis aliquo pacto tenentur annexi; In ipſos autem prædones; confiſcentur eorum bona, & liberum ſit Principibus huiuſmodi homines ſubijcere ſeruituti.

Concilium Lateranenſe anno 1215. quod vt notat Illuſtriſſimus Cardinalis de Perron, iure vniuerſaliſſimum dicitur, quippe cum præter Summum Pontificem, & Patriarchas Conſtantinopolitanum, & Hieroſolymitanum interfuerint Patriarcharum Alexandrini, & Antiocheni Legati, ſeptuaginta Archiepiſcopi, quadrigenti, ac duodecim Epiſcopi, & plus quàm octingenti alij Prælati, nec omnes Reges, & Monarchæ Chriſtiani per ſe, vel per Legatos, ſcilicèt Imperator Orientis, Imperator Occidentis; Rex Hieroſolymorum, Rex Galliæ, Rex Angliæ, Rex Aragoniæ, &c. cap. 3. ſic ſtatuit; [Si verò Dominus temporalis requiſitus, vel monitus ab Eccleſia, terram ſuam purgare neglexerit ab hac hæretica fœditate, per Metropolitanum, & cæteros comprouinciales Epiſcopos excommunicationis vinculo innodetur, & ſi ſatisfacere contempſerit infra annum, ſignificetur hoc Summo Pontifici; vt ex tunc ipſe vaſſallos ab eius fidelitate denunciet abſolutos, & terram exponat Catholicis occupandam, qui eam, exterminatis hæreticis, ſinè vlla contradictione poſſideant, &c.]

In hoc Concilio plenè conceſſum fuit Comiti Montifortis dominium Toloſæ, aliorumque locorum Comitatus Toloſani, in pœnam fauoris à Comitè Toloſano hæreſi Albigenſium præſtiti; quæ conceſſio paulò ante decreta fuerat à Concilio apud Montempeſſulanum habito, & confirmata à Summo Pontifice, vſque ad tempus Concilij generalis proximè congregandi dumtaxat. Rem narrat Petrus Vallis-Sarnenſis Monachus in hiſtoria Albigenſium, & alij, Decretum Concilij refert Lucas Dacherius Spicileg. tom. 7. in quo maximè notanda ſunt verba iſta. [Sacro conſulto Concilio, ità duximus prouidendum: vt Raymundus Toloſanus Comes, qui culpabilis repertus eſt in vtroque, nec vmquam ſub eius regimine terra poſſit in fidei ſtatu ſeruari, ſicut à longo tempore certis indicijs eſt compertum, ab eius dominio, quod vtique graue geſſit, perpetuò ſit excluſus.

Innocentius IV. in Concilio Lugdunenſi anno 1245. ſententiam depoſitionis decreuit in Fridericum II. & abſolutionem ſubditorum à iuramento fidelitatis: [Memoratum Principem, qui ſe Imperio, & Regnis, omnique honore ac dignitate reddidit iam indignum, quique propter ſuas indignitates, à Deo, ne regnet, vel imperet, eſt abiectus, ſuis ligatum peccatis, & abiectum, omnique honore, & dignitate priuatum à Domino oſtendimus,

mus, denunciamus, ac nihilominùs sententiando priuamus: omnes, qui ei iuramento fidelitatis tenentur adstricti, à iuramento huiusmodi perpetuò absoluentes, auctoritate Apostolica firmiter inhibendo, ne quisquam Imperatori, vel Regi pareat, vel intendat.]

Concilium Constantiense, quod à Comitijs Cleri Gallicani in secunda propositione laudatur, & in Gallia maximi fit, sess. 17. hanc pœnam decreuit in eos, qui Sigismundo Regi Romanorum, & Hungariæ in Aragoniam proficiscenti aliquam inferrent iniuriam: [Quicumque, cuiuscumque status, aut conditionis existat, etiamsi Regalis, Cardinalatus, Patriarchalis, Archiepiscopalis, Episcopalis, Ducatus, Principatus, Comitatus Marchionatus, seù alterius cuiuscumque dignitatis, seù status Ecclesiastici, vel sæcularis existat, qui Serenissimum, & Christianissimum Principem Dominum Sigismundum Romanorum, & Hungariæ, &c. impediuerit, & omni honore, & dignitate, officio, beneficio Ecclesiastico, vel sæculari, sit ipso facto priuatus.] Et in sententia contra Benedictum Decimumtertium, quæ habetur Sess. 37. omnibus, & singulis Christi fidelibus inhibet sub pœna fautoriæ schismatis, & hæresis, atque priuationis omnium beneficiorum, dignitatum, & honorum Ecclesiasticorum, & mundanorum, & alijs pœnis Iuris, etiamsi Episcopalis, & Patriarchalis, Cardinalatus, Regalis sit dignitatis, aut Imperialis; quibus, si contra hanc inhibitionem fecerint, sint auctoritate huius decreti, ac sententiæ ipso facto priuati, & alias Iuris incurrant pœnas, ne eidem Petro de Luna schismatico, & hæretico incorrigibili notorio declarato, & deposito, tamquam Papæ obediant, vel intendant, aut eum quouis modo contra promissa sustineant, vel receptent, sibique præstent auxilium, consilium, vel fauorem.

Hanc sententiam cum pœnis adiectis renouauit, & confirmauit Concilium Senense anno 1423. [Inhibitionem factam omnibus, & singulis Christi fidelibus sub pœnis fautoriæ hæresis, & schismatis, ac priuationis omnium beneficiorum, dignitatum, & honorum Ecclesiasticorum, ac mundanorum, & alias pœnas Iuris infligendo, vt dicta sententia præfati Concilij, cuius totum tenorem hic haberi vult pro expresso, latiùs continetur, ratam, & gratam habens, eius executionem, & continuationem continuare volens, decernit, & statuit, & declarat, omnes & singulos post obitum dicti Petri de Luna continuantes, seù perseuerantes in credulitate, vel obseruantia erroris, & schismatis eiusdem Petri sic (vt præmittitur) damnati, vel ius aliquod ab eo in eas directè, vel per indirectum deriuasse prætendentes, seù in vice eius succedentes, eorumque receptatores, defensores, & fautores, cuiuscumque status, præeminentiæ, vel conditionis existant, etiamsi Pontificali, Cardinalatus, Imperiali, vel Regali, aut alia quacumque Ecclesiastica, vel sæculari præfulgeat dignitate ..... fore obnoxios, & ligatos pœnis, & censuris in dicta sententia contentis.]

Constantiense, & Senense secutum est Basileense, quod prætermitterem, quia Illustrissimi Antistites Gallicani eius auctoritate non vtentes ad confirmandam secundam propositionem, licèt Constantiensis decreta, quæ citant, semel atque iterum renouasset, videantur fateri, eam ad minus esse dubiam; nisi scirem, quàm pluribus Gallis secùs videri, ac Basileense Concilium maximo in honore tanquam legitimum, & generale ab eis haberi: Concilium igitur Basileense in saluo conductu dato in Congregatione generali die 18. Iulij anno 1432. Legatis Pontificijs, sic loquitur; [Exhortatur omnes, & singulos Christi fideles, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, aut præeminentiæ existant, spiritualis, & temporalis, etiamsi Regali, Ducali, Archiepiscopali, Episcopali, vel alia quauis præfulgeant dignitate, Vniuersitates, & Communitates, cæterosque, quibus præsentes literæ exhibitæ fuerint, eisque in virtute sanctæ obedientiæ mandat, vt, si per eorum dominia, terras, territoria, ciuitates, oppida, castra, status, villas, castella, aut alia loca vos, & quemlibet vestrum transire contingat, sub pœnis, sententijs, & censuris tam in Constantiensi, & Seuensi, quàm huius sanctæ Synodi sacris Decretis contentis, & fulminatis districtè iniungendo, quatenus vos, & vestrum quemlibet, cum Comitiua huiusmodi securos, liberos, & tutos cum rebus, & bonis vestris vniuersis, ire, stare, & redire sinè molestia, & impedimento permittant, de securitate, & conductu à nobis requisitis, quoties opus fuerit, fauorabiliter prouidendo.] Patet igitur, Episcopos Galliæ, qui magno numero aderant in Concilio Basileensi, magnaque ibi auctoritate pollebant, aliter, quàm moderni sensisse de potestate Ecclesiæ in Principes.

Concilium Tridentinum sess. 25. de Reform. cap. 19. priuatos declarat dominio Ciuitatis, Castri, aut loci, ea concedentes ad Monomachiam, & si feudalia sint, directis Dominis acquisita decernit; [Imperator, Reges, Duces, Principes, Marchiones, Comites, & quocumque alio nomine Domini temporales, qui locum ad Monomachiam in terris suis inter Christianos concesserint, eo ipso sint excommunicati, ac iurisdictione, & dominio Ciuitatis, Castri, aut loci, in quo, vel apud quem duellum fieri permiserint, quod ab Ecclesia obtinent, priuati intelligantur; & si feudalia sint, directis dominis statim acquirantur.] In ipsos autem decertantes profert omnium bonorum proscriptionem. [Qui verò pugnam commiserint, & qui eorum patrini vocantur, excommunicationis, ac omnium bonorum suorum proscriptionis, ac perpetuæ infamiæ pœnam incurrant, & vt homicidæ iuxtà sacros Canones puniri debeant &c.] Vide Duuallium 2. 2. q. 17. Respondebitur fortasse, Concilium Tridentinum non esse receptum in Gallia, sed de illa receptione tractauimus alibi. Satis hic est, vt notemus, Concilij Oecumenici sententiam ad minus Comitiorum Cleri Gallicani declarationi esse anteponendam.

Sed quæ opponetur responsio, & Concilij Constantiensis in Gallia recepti tamquam generalis, & aliorum Conciliorum vbique receptorum, vel vt indubitatè Oecumenicorum auctoritati? Mirum est, quomodò doctrinam, tot, tamque augustorum Cœtuum sententiæ aduersam, Illustrissimi Præsules [Parisijs congre-

gregati declarare auſi ſint publicæ tranquillitati neceſſariam, nec minus Eccleſiæ, quàm Imperio vtilem, vt verbo Dei Patrum traditioni, & Sanctorum exemplis conſonam omninò retinendam.]

§. II.

Aduerſariorum Argumenta referuntur, ac expenduntur cum Reſponſionibus, & Concluſione ſuper ijſdem reflexiua.

ARGVMENTVM I.

Deſumptum ex Regiæ poteſtatis immediata à Deo promanatione.

EX parte aduerſa licet I. argumentari. Concilia Oecumenica ſuper Diuinis Oraculis ſuas deciſiones vnicè fundantia, meritò agnoſcunt poteſtatem Regum eſſe immediatè à Deo. Ergo quæcumque vnquam ex Concilijs Oecumenicis circa Papæ ſupra Reges ſuperioritate adferri poſſe, videntur argumenta, eatenus ſunt ſemper accipienda, vt ſalua, & integra permaneant iſta principia: Quod nempè temporalis Regum dignitas, æquè ac ſpiritualis ſit inſtituta à Deo, atque ab hoc ſingulis Regibus immediatè collata: cum quibus principijs ſtare haud poteſt Pontificiæ ſuper Reges, eorumque dignitatem, ac poteſtatem auctoritatis ſuperioritas.

Reſponſio.

Ad hanc ratiocinationem reſpondet præcitatus Auctor dicto lib. 4. cap. 4. Diſſimulandam fore præinſinuatam de Regno per Deum immediatè collato opinionem, ſi eò tantùm ſpectaret, vt populi libentiùs Principibus ſubiacerent, debitamque illis fidem, religioſiùs ſeruarent; licèt enim error nunquam ex ſe bonus ſit, neque probandus; vtilis tamen ex occaſione interdum eſt, atque tolerandus. Sed qui Regiam auctoritatem nimis extollunt, hoc tantùm ſibi videntur propoſuiſſe, vt Eccleſiaſtica Iura inuadentium iniuſtitiam, eo prætextu excuſent, quòd, vt inquit Petrus de Marea lib. 2. cap. 1. §. 1. perinde in Reges ſingulos, ac Epiſcopos auctoritas à Deo immediatè deriuetur. Perfectam inter illos æqualitatem tribus primis paragraphis huius Capitis adſtruere nititur: Primus ſic incipit: [E collatione duarum poteſtatum egregiè conficitur, Regiam æquè à Deo inſtitutam fuiſſe, ac ſpiritualem, & ſolidam humanarum rerum admiuiſtrationem illi demandatam. Et infrà: Certum, & conſtantiſſimum eſſe debet apud pios, & deuotos Regum cultores, vnicuique Regum poteſtatem Regiam immediatè à Diuino Numine conferri.]

Hæc ſi ſeorſim conſiderentur, falſa quidem ſunt, ſed neminem lædere videntur. At verò ſi conferas, quæcumque Auctor in opere illo, alijque Gallicani Scriptores, in ſuis libris, Principibus in Eccleſiam permittunt, ratione protectionis, tuitionis, ſeu Cuſtodiæ Canonum, quam aſſerunt, Regibus à Deo commiſſam, comperies, ex ipſorum mente in multis paulò minorem Pontificali, in aliquibus æqualem, & in nonnullis etiam maiorem eſſe, & quidem à Deo datam Laicis viris circa res Eccleſiaſticas poteſtatem. Itaque prætermitti omninò non potuit quæſtio, ex cuius neglectu, tandem populo perſuaderetur, quæcumque à Laicis patitur Eccleſia, non iniurias eſſe, ſed Iura Diuinitus tradita.

Audi Renatum Choppinum de ſacra Politia lib. 1. tit. 7. §. 9. expreſſis verbis tribuentem Regibus auctoritatem in res Eccleſiaſticas ex quodam Iure Diuino, Numinis afflatu, ac ſacra quadam vnctione; [Hoc certè literarum monumentis proditum legimus, Regium nomen in terris haudquaquam ortum fuiſſe, ſed cęlitùs à Dijs emiſſum. Regeſque ipſos, ità inſtitutos, qui Numine afflati, & ſacro delibuti oleo, Diuinum quid præferrent, penès quos etiam ſacrorum poteſtas foret, Auctore Euſebio Hiſtoriæ Eccleſ. vo. 1. Exin Gallicus Orator Ægidius Romanus libris editis aſſeruit, ſacrorum Beneficiorum erogationem ad Reges, ac Cæſares pertinere Philippi IV. Regis temporibus.] Quid ampliùs dixiſſet de Epiſcopo, qui Spiritum ſanctum accipit, dum ex inſtitutione Chriſti per impoſitionem manuum Presbyterij per ſacram vnctionem, aliaſque myſticos ritus conſecratur ad guberuandam Eccleſiam?

Vt aliquid à Deo immediatè eſſe dicatur, alterutrum ex his duobus requiritur, vt ſcilicèt poteſtas, quæ confertur, non poſſit ab alio dari, quàm à Deo; vel etiam, ſi ab alio concedi poſſet, Deus ipſe ſolus de facto velit elargiri. Alium modum non video, niſi quis de verbis contendere, non de rebus quærat diſputare. Sacerdotum poteſtas ad conficiendum in Sacrificio Miſſæ Corpus Chriſti, vel ad dimittenda peccata, non poteſt ad alium, quàm ad Deum immediatè referri; quamuis accipiatur per impoſitionem manus Epiſcopi Quia nemo poteſt peccata dimittere, vel Corpus Chriſti conficere, niſi ſolus Deus, tanquam cauſa Principalis, & eius miniſtri tamquam cauſæ Inſtrumentales, & minùs principales Maius autem eſt, illa efficiendi poteſtatem communicare, quàm illa per ſe efficere. Poteſt verò quilibet homo liber Principis regimini ſe ſe ſubijcere. ad ei parendum ſe ſe adſtringere, fidem ſpondere, denique ad omnia illa officia ſe obligare, quæ Principes à ſubditis exigunt. Vndè nihil opus eſt, ad Diuinam omnipotentiam recurrere pro rebus illis, quæ ab hominibus præſtari poſſunt, & quæ ſaltem ex parte quotidiè præſtantur.

Solùm igitur, ſi non exſpectato hominum conſenſu, atque ſinè vlla illorum opera, Deus ipſis Regem præponeret, iſte à Deo immediatè ſuam poteſtatem haberet; id aliqui Doctores de Saule, & Dauide opinantur, quamuis negantibus alijs, ſed nemò ita conſtitutos in Gallia Reges ſomniauit.

Mutationes, quæ in Principatu Gallicano contigerunt, ſatis indicant, illum non eſſe immediatè à Deo, ſed à populorum conſenſu. Quæ enim ratio Diuina poſtulabat, vt modò à Clodouei familia, modò à familia Pipini, denique ab Hugonis Caperi poſteris regeretur. Vt primò Reges per electionem, alij

alij per successionem Regnum adipiscerentur, vt principio admitterentur etiam illegitimi, deinde tantùm legitimi, iique masculi?

Obiectio.

Ex parte aduersa instari potest, vt probetur, potestatem Regum esse quidem immediatè à Deo, illisque ex Diuino præcepto esse parendum: attamen Regiam auctoritatem non æquè, ac Ecclesiasticam immediatè à Deo conferri.

Responsio.

En parata est huius vtriusque asserti probatio ex ijs auctoritatibus, quæ à præcitato Petro de Marca proferuntur, vel citantur, alijsque insuper, quas poterat adducere. Cùm enim S. Augustinus lib. 5. de Ciuit. Dei c. 21. ait: [Qui Augusto, ipse, & Neroni: qui Vespasianis, vel patri, vel filio suauissimis Imperatoribus, ipse & Domitiano crudelissimo (Regnum dedit.) Et Tertullianus Apolog. cap. 30. Inde Imperator, vnde, & homo, antequàm Imperator; inde potestas illi, vnde & spiritus. Et Sanctus Irenæus lib. 5. aduersùs hæreses cap. 24. cuius iussu homines nascuntur, huius iussu, & Reges constituuntur: Et Sanctus Epiphanius hæresi 40. Videsne, vt hæc mundi potestas à Deo stabilita sit, gladijque Ius obtineat? Neque verò id aliunde, quàm à Deo ad vindicandum accipit. Hi, inquam, Patres nihil aliud intendunt, quàm Principatum non à diabolo, seù à falsis Dijs, vt volebant ij, quos contra disputabant, sed à Deo vero dari. Vtrùm autem immediatè, vel per populi electionem, aut consensum, non definiunt, vt patet textus integros legentibus. Tertulliani consilium est, ostendere, falsos Deos pro Imperatoribus non esse orandos, sed verum Deum: S. Augustini, non à falsis Dijs, sed à Prouidentia Diuina Imperia distribui. S. Irenæus hoc argumentum tractat, [de diaboli perpetuo mendacio, potestatibus quibus nos parere oportet, atque Imperijs terrenis, quatenus à Deo, non à diabolo constituantur]. S. Epiphanius Hæreticos Archonticos impugnat, Principem Sabaoth septimo in orbe collocantes, tyrannidem ibi exercentem, blasphemantes Deum, ac dominationem eius spernentes.

S. Isidorus Pelusiotes epist. 216. Potestatem, inquit, hoc est, Imperium, & Regnum à Deo formatum, atque institutum esse, profitendum est, vt ne ornatus in statum inornatum degeneret. Verùm (quod etiam de suprà citatis, & alijs dici posset) hoc ad Diuinam Prouidentiam referendum est, quæ Principatum quidem approbat, & confirmat, vultque Principibus legitimis etiam discolis obtemperari; non tamen singulis potestatem aliquam supernaturalem, quemadmodum Sacerdotibus Deus infundit, imò aliquos Principes, impios scilicet regnare permittit, quamuis non approbet, vt subiungit idem S. Isidorus; [Quod si quis impius, aut sacrilegus in illud irrepserit, haud quaquam scilicet hunc à Deo creatum, ac designatum esse dicimus, verùm permissum esse.] Quod de tyrannico vsurpatore tantùm non intelligit. Prosequitur enim; [Quò nimirum aut Pharaonis in modum improbitatem omnem suam euomat, atque ita extremo supplicio excrucietur, aut eos, qui crudelitate opus habent, ad meliorem mentem reuocet, quemadmodùm Rex Babylonis Iudæos.

Idem clariùs explicat S. Ioannes Chrysost. homil. 23. in epistol. ad Romanos in hæc verba; non est potestas nisi à Deo, quæ sic interpretatur; [Quid dicis? Omnis ergo Princeps à Deo constitutus est? Istud, inquit, non dico. Nec enim de quouis Principe mihi sermo nunc est, sed de ipsa re. Quòd enim Principatus sunt, quòdque hi quidem imperant, illi verò subiecti sunt, quoque non simpliciter ac temerè cuncta feruntur, nec fluctuum instar populi huc, atque illuc circumaguntur, Diuinæ Sapientiæ opus esse, dico. Propterea non dicit; non enim Princeps est, nisi à Deo, sed de re ipsa differit, dicens, non enim potestas est nisi à Deo. Quid potest his verbis luculentiùs desiderari?

Auctoritatem Iustiniani (qua toties vtitur D. de Marca, cùm deprimenda est Ecclesiastica Iurisdictio, & Principum voluntati subijcienda) hic repudiat, quasi B. Pauli, & alijs Diuinarum Scripturarum oraculis contrariam, quibuscum si pugnaret, ab omnibus Christianis sanè esset reijcienda. Sed quis persuadeat, Iustinianum adeò tractandarum rerum Diuinarum, & Ecclesiasticarum cupidum, & gloriæ auidum, rem Imperiali dignitati tantum splendorem conferentem ignorasse? Qui tàm sæpè Episcopum agebat, nesciisset, suam auctoritatem æquè ac Sacerdotalem à Deo immediatè profectam? Nouit certè Iustinianus, potestatem Regiam à Deo esse, sed in eo, quem diximus, sensu. Ait ille ff. de orig. Iur. leg. 2. §. 9. [Quia difficilè plebs conuenire cœpit, populus certè multò difficiliùs in tanta turba hominum: necessitas ipsa curam Reipublicæ ad senatum deduxit. §. 11. Nouissimè sicut ad pauciores iuris constituendi via transisse, ipsis rebus dictantibus, videbatur: per partes euenit, vt necesse esset, Reipublicæ per vnum consuli. Nam senatus non perindè omnes Prouincias gerere poterat. Igitur constituto Principe, datum est ei ius, vt, quod constituisset, ratum esset. Item ff. de constit. Princ. lib. 1. Quod Principi placuit, legis habet vigorem, vt potè cum lege Regia, quæ de Imperio eius, lata est, populus ei, & in eum omne suum Imperium, & potestatem contulerit.] Oritur ergo immediatè à populorum consensu auctoritas Regia: sed à Deo tamquam à primo fonte proficiscitur, ab eo consensus hominum confirmatur, ab eo Regum contemptus vindicatur, idque Iustinianum non latuit, vt significant eius verba Nou. 6. [Maxima quidem in hominibus sunt dona, à suprema collata clementia, Sacerdotium, & Imperium, & quidem illud Diuinis ministrans, hoc autem humanis præsidens, ac diligentiam exhibens, ea vno, eodemque principio vtraque procedentia, humanam exornant vitam.]

Reiecta Iustiniani auctoritate, non miror Aristotelis non haberi rationem; illud tantùm miror, quod addit Dominus de Marca loc. cit. §. 2. quòd de Regibus opiniones in Aristotelis officina conflatæ, magno studio

etiam à Chriſtianis arreptæ ſunt. Siquidem, vt ille vult, erant ſacris Scripturis contrariæ, quomodò potuerunt magno ſtudio à Chriſtianis arripi? An Chriſtiani minùs Spiritusſancti, quàm Ariſtotelis auctoritati tribuunt? Docent communiter Patres, nullam gentem ſinceriùs Reges colere, eorumque mandata, Diuinæ Legi non repugnantia, fideliùs exequi, quàm Chriſtianum populum: quomodò ergo arriperent opiniones non minùs legi Diuinæ, quàm Principum poteſtati infenſas? Sed illa Diuinæ Scripturæ teſtimonia non aliud ſuadent, quàm à Diuina Prouidentia conſtitui Principes; Diuinæ ordinationi reſiſtere, qui eis reſiſtit; eumque ſibi damnationem acquirere, qui iuſſis eorum mandaris non obtemperet. Hæc Chriſtiani omnes fatentur: [Regiam poteſtatem æquè à Deo inſtitutam fuiſſe ac ſpiritualem; at perinde in Reges ſingulos, ac in Epiſcopos auctoritatem à Deo immediatè deriuari, nec ſacræ Scripturæ docent, nec Chriſtiani rerum Theologicarum periti credunt.

Sed ne in re tàm aperta tempus teramus, id vnum ab eis peto, qui docent, poteſtatem Regiam æquè à Deo inſtitutam fuiſſe, ac ſpiritualem, & vnicuique Regum poteſtatem Regiam immediatè à Diuino Numine conferri, quodnam ſit Sacramentum, quo poteſtas illa traditur, vbi, à quo, quando, & quomodò inſtitutum?

ARGVMENTVM II.

Aduerſariorum.

EX parte aduerſa licet 2. argumentari. Si quæ vel Summorum Pontificum, vel Conciliorum etiam Oecumenicorum extent conſtitutiones, per quas Regibus, ſeù Imperatoribus adepta noſcatur ſuæ dignitatis auctoritas, oportuit, tales ſanctiones fundatas fuiſſe ſuper quæſtione [Facti, an videlicèt Principes, de quibus illic agebatur, eos contraxiſſent reatus, propter quos eſſent exauthorandi?] At non Papam dumtaxat, ſed Concilia quoque Oecumenica in ijs, quæ Facti ſunt, errare poſſe.

Reſponſio.

Auctor Regalis Sacerdotij cit. lib. 1. §. 20. num. 11. reſpondet in hunc modum: Sententias in Concilijs contra Imperatores latas, & Ius, & Factum complexas eſſe. Factum quidem, quia Regibus Imperium abrogabant, ob delicta ab ijs commiſſa. Ius verò, quia ſententia in Principes dicta, ijſque auctoritate exutis, ſubditiſque iuramento liberatis, hoc ipſo Concilia implicitè quidem, ſed tamen neceſſario ſupponebant, auctoritatem, & poteſtatem id faciendi, eſſe penès Eccleſiam. Quando igitur Innocentius IV. in Concilio Lugdunenſi declarauit, Henricum Imperatorem auctoritate Apoſtolica Imperio priuatum, eiuſque ſubditos omni Iuramento ſolutos eſſe, declarauit etiam, penès Apoſtolicam Sedem eſſe poteſtatem, auctoritatemque, eum Imperio priuandi, eiuſque ſubditos iuramento ſoluendi, quo priùs tenebantur: quæ proindè declaratio ad Ius, non ad Factum pertinet. Imò in Concilio Lateranenſi quarto, ſub Innocentio III. Cap. De Hæreticis, & in Concilio Conſtantienſi expreſsè dicitur: [Principes, ſi Hæreſis conuincantur, Regno, & ſacris interdici poſſe.] Quæ definitio eſt meri Iuris, & abſtrahit à Facto exercito, in quo tantùm error contingere poteſt.

Aduertunt inſuper Theologi, Concilia, & Pontifices etiam in Facto errare non poſſe, quando Factum eſt euidens Conciliariter, omnique diligentia examinatum, teſtimonio publico nixum, & cuius error Eccleſiam in perniciem adduceret: tunc enim locum haber illa Chriſti promiſſio Ioann. 16. [Cùm venerit ille ſpiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.] Et ità communiter tenent Theologi, docentque, Pontificem, & Eccleſiam in Canonizatione Sanctorum, in proponẽda hac, vel illa ſcriptura Canonica, & in hac, vel illa Apoſtolica doctrina explicanda errare non poſſe. Quæ tamen omnia, vti patet, dependent facto, & teſtimonio hominum ex ſe fallibili, niſi Prouidentia Diuina Eccleſiæ ſuæ caueat.

Obiectio.

Ex hac reſponſione occurrit obiectio valde ponderoſa; quomodò ſcilicet fidei principium vniuerſale ſub hypotheſi quapiam ex factis hominum dependente, nec niſi ſub humanis metaphyſicè fallibilibus teſtimonijs applicatum, præualere poſſit, ad cuiuſpiam particularis, non niſi ex facto eiuſmodi ſubſiſtentis, nec niſi humanis, natura ſua fallibilibus teſtimonijs, probatæ concluſionis veritatem plus, quàm metaphyſicè certam ſubinſerendam, vt ſic reducibilem in ipſam etiam dogmaticam fidei certitudinem?

Reſponſio.

Huius quæſiti ſequentem à poſteriori accipe rationem, eum reſeruatione rationis à priori inferiùs exponendæ. Sic namque euenit in Canonizatione Sanctorum, vt iſtud fidei principium, [quiſquis in ſtatu gratiæ ſanctificantis decedit, eſt conſors æternæ gloriæ,] ſub hypotheſi factorum ab homine dependentium, & teſtimoniorum humanorum applicetur ad auctoritatiuam de huius Sancti cœleſti beatitudine declarationem faciendam, ſub certitudine in ipſius etiam fidei veritatem non virtualiter dumtaxat, ſed etiam formaliter reducibili. Sic res ſe habet circa ſacræ Scripturæ libros quà Canonicos, vel traditionem quampiam ceu Apoſtolicam, ab Eccleſia definiendos ſub quapiam à Factis hominum, vt plurimùm dependente hypotheſi. Anne igitur æquè fas erit dicere, quòd in Regibus ob grauiſſima facinora exauctorandis, Concilia Oecumenica, ex ipſiſmet fidei principijs, Eccleſiæ circa hoc auctoritatem firmantibus proceſſerint? Quo etiam poſito, rurſus diſquirere licet, an Oecumenica Concilia ad eam Regum exauctorationem procedendo ex humanis teſtimonijs, & factis ab hominum fallibilitate dependentibus, ſententiam ſuam ea enm firmitate dictare valuerint, vt æquè, ac illæ de Canonizatione Sanctorum, ſeu Canonicorum Sacræ Scripturę librorum definitione illationes,

nes, essent sub omnimoda, plusquàm metaphysica certitudine reducibiles in certa fidei principia? Illud priùs equidem in antecedentibus fuit demonstratum, hoc autem posteriùs vix congruit, vt asseramus. Restat igitur discutienda difficultas, qualiter præinsinuatæ Conciliorum de exauctorandis Regibus sententiæ iudiciariæ dici possint superexcedere probabilitatis, sub qua moralis quoque certitudo subsistere valet, sphæram, & mensuram? Hoc igitur in Conclusionis proximè sequenti probatione reseruamus ostendendum.

ARGVMENTVM III.

Aduersariorum.

Ex parte aduersa licet 3. argumentari. Summos Pontifices, & Concilia, quæ Principibus Regnum abrogarunt, secutos fuisse sententiam probabilem, quæ habet, eos hoc posse. Non ergo sequitur, hanc sententiam esse certam, sed tantùm probabilem, & fuisse vt talem à Concilijs suppositam.

Responsio.

Ad hanc argumentationem à semet efformatam fusè respondet Auctor Regalis Sacerdotij cit. §. 20. n. 9. Nihil posse tam Angusto Reipublicæ Christianæ Senatu, & cui ipse Spiritus Sanctus præsidet, indignius dici; quàm voluisse illum in re tanti momenti, in qua non de Imperijs tantùm, & Coronis, sed de tot bellis, schismatibus, animarum, Ecclesiæque periculis agebatur (quæ omnia ex illis in Reges sententijs, & abdicationibus plerumque nascebantur) ad miserum illud opinandi præsidium confugere, quo in Scholis nihil incertius, tantasque in Ecclesiam, ac mores, legesque omnes corruptelas induxit, vt sæpe interdicta, execrationesque Romani Pontificis prouocauerit, nullam ferè humanam, diuinamque legem reliquerit non aliquo abusu fœdè contaminatam, & vtinam fallat augurium! Huic opinandi licentiæ, nisi remedio aliquo occurrat Ecclesia, vix credimus; alio modo elapsis retrò sæculis grauiùs afflictam esse: cuius tot indicia, & prognostica experimur, omni in commercijs, fœderibus, iuramentis, iudicijs, præceptisque sublata sinceritate: idque opinionum probabilium præsidio, quibus tot æquiuocationum, restrictionum, tergiuersationum ludibria debemus, in hoc vnum laborante ingenio, vt via voluptatibus pateat, & virtutes, legesque honesto exilio proscribantur. Absit ergo, vt dicamus, Ecclesiam totam, & Concilia vniuersalia in re tanta, summique momenti, suæ auctoritatis incertam Regibus, & Imperijs litem mouisse; nec enim Regna, & Coronæ opinionibus dari possunt, adimique, sed certa ratione. Et ideo Vasquez in 1. 2. tom. 1. disp. 64. docet, nullum Principem etiam supremum in controuersia tantùm probabili, aut etiam probabiliori posse sententiam ferre, eamque armis tueri, & bello prosequi, nisi ius euidens habeat, diciteque, contrarium nihil probabilitatis habere, nec in paruam Reipublicæ Christianæ perniciem cedere. Eodem pacto legibus statutum est, neminem ex solis probabilibus damnari posse, sed plenè, & manifestè conuictum: præcipuè in causis grauibus, & arduis, in quibus requiruntur grauissima, & luce meridiana clariora argumenta. Ex leg. vlt. Cod. De probat. Quare Pontifices, & Concilia vniuersalia non potuerunt, ad Reges Imperio exturbandos, soluendosque iuramento, & obedientia subditos, procedere, nisi potestatis suæ certi, non tantùm probabili ratione aliqua ducti.

Sed esto, sententiam, quæ illam Pontifici, & Concilio indirectam in Reges, iustitiæ ratione, Ecclesiæque necessitate ita exigente, deturbandos potestatem asserit, videri Principibus tantùm probabilem, non certam, adhuc nihilominùs tenentur illi subiacere, quia in dubio, an res præcepta sit licita, & Superior limites potestatis excedat, tenemur obedire, quamdiu non apparet euidenter, esse præceptum de re mala, & extra limites potestatis, vti eradunt Theologi cum Patribus relatis in Cap. Memoriam dist. 19. Cap. Quid culpatur 23. q. 1. Cap. contra morem dist. 10. In quem sensum sanctus quoque Gregorius homil. 26. in Euangelia ait: [Sub magno moderamine Pastores Ecclesiæ vel soluere studeant, vel ligare. Sed vtrùm iustè, an iniustè obliget Pastor, Pastoris tamen sententia gregi timenda est, ne is, qui subest, & cùm iniustè forsitan ligatur, ipsam obligationis suæ sententiam ex alia culpa mereatur. Pastor ergo vel absoluere indiscretè timeat, vel ligare. Is autem, qui sub manu Pastoris est, ligari timeat vel iniustè, nec Pastoris sui iudicium temerè reprehendat, ne, etsi iniustè ligatus est, ex ipsa tumidæ reprehensionis superbia, culpa, quæ non erat, fiat.

Obiectio.

Instari potest ex parte aduersa. Quandoquidem probabilitatis nomen in publici iudicij, Reges præcipuè concernentis, sententijs, adeo exosum habetur, imò periculis enumeratis reuerà obnoxium reputatur, non proinde tutum erit, præsentis difficultatis punctum in hoc statuere, quòd scilicet sententiæ illæ, quas Summi Pontifices, atque Concilia Oecumenica aduersùs Reges, & Imperatores publicæ Religionis, sanctæque Ecclesiæ infensos hostes statuerunt, ad eos Regno, ac Imperio turbandos, & eijciendos, nixę fuerint maiori, quàm morali dumtaxat certitudine? Et dum videri posset saltem ex ea parte, quę est facti, non nisi prudentialis humanę conditioni proportionata, Physicę, ac Metaphysicę certitudini haud coæquanda in probationibus iudiciarijs interuenisse; verùm ex parte saltem iuris substiterit certitudo plus quàm moralis?

At si hæc etiam certitudo in ijs, quæ iuris sunt, circa sententias aduersùs Reges, ac Imperatores latas fuisset obseruata, numquid hæc etiam comparata cum dogmatica certitudine, longè inferioris esset conditionis, quoad rem ipsam fallibilitati prorsùs obnoxia? Etenim ex toto illo Auctoris præcitati discursu nullum patet fundamentum, ex quo in illis Summorum Pontificum, ac Conciliorum

tum Oecumenicorum aduersùs Reges, ac Imperatores procedentium sanctionibus,maior eluceat veritatis firmitas, quàm moralis certitudinis,quæ realis fallibilitatis sphæram minimè supergreditur. In quo adeò centro versatur ratio præsentis difficultatis seq. concl. prob. 3. accuratiùs expendenda.

CONCLVSIO.

Conciliorum Oecumenicorum super Ecclesiastica erga Reges potestate sanctiones, ex intrinseca sua vi, ac energia, præferunt auctoritatem, qua prævalidè eliduntur Argumenta in contrarium allata.

EXplicatur. Solemnis præliminaliter hic quæstio moueri posset: [An Decreta Concilij Oecumenici sint fidei Diuinę, vel humanæ dumtaxat?] Sed distinguendum est: sacrarum namque Synodum definitiones spectari possunt, vel obiectiuè, vel formaliter. Nam obiectiuè important ipsamet fidei dogmata, illibato Verbo Dei contenta, & super candelabrum Ecclesiæ posita per Oecumenici Concilij definitiones. At formaliter important sacri Concilij Diuina Spiritus Sancti assistentia auctorizatam veræ, ac genuinæ sacrarum literarum interpretationis sententiam: quæ vt sic est solùm participatiuè diuina, estque adeò inferioris gradus, quàm sacrarum Scripturarum, seu fidei dogmatum auctoritas, cùm ista ipsi Veritati Primæ immediatè innitatur, & per hanc, ceu fidei Theologicæ motiuum specificatiuum in se ipsa essentialiter auctorizetur. Vnde Concilij decisoria sententia secundùm se formaliter considerata, est motiuum actus dumtaxat prudentialis, licet supernaturalis, verum sacræ Scripturæ sensum, Primamque adeò veritatem reuelantem applicantis ad voluntatem, vt in fidei, ac diuinæ reuelationis obscuræ obsequium captiuet, ac moueat intellectum. De hac igitur tum essentialiter, tum participatiuè diuina Conciliarium Decretorum auctoritate agemus in sequentibus: in hoc equidem §. visuri; [verùm Argumenta superiùs in contrarium opposita, habeant aliquid efficaciæ ad diminuendam energiam Conciliarium Decretorum, §. 3. deducendorum.] Exinde verò in eodem §. 3. expensuri. [An prællegatæ sanctiones Synodales ex parte obiecti important aliquod fidei dogma super Ecclesię candelabro iam positum, ac definitum, cùm formaliter eo potiantur prudentialis credibilitatis pondere, per quod nefas sit, Articulos sic definitos teuocare in dubium.

PROBATIO I.

In qua fit confutatio Argumenti adstruentis, Regiæ dignitatis collationem esse iuris Diuini.

ETenim Politicam, & Ciuilem Iurisdictionem esse Diuinitus concessam immediatè Communitati, atque ex huius voluntaria translatione deriuatam in Principem aliquem, seu Imperatorem, seu Regem, eruitur ex lege 1. ff. de Constitutionibus Principum. Et leg. 5. §. Nouissimè, ff. de orig. iuris. Ex quo namque homo per naturam suam noscitur esse animal sociale, ac politicum, lumine naturali æquè notum esse debuit, oportere, inter homines subsistere politicum quodpiam regimen, non Iustitiæ dumtaxat inter priuatos, sed boni quoque publici moderatiuum, sicque conciuium in vnum corpus politicum coadunatorum ordinatiuum ad Commune Ciuitatis, seu Reipublicæ Bonum. In cuiusmodi adeò regimine politico oportuit, statui supremam quampiam potestatem, cuius decisorijs sententijs vniuersi acquiescere deberent, vt sic publica pax, & tranquillitas conseruari valeret. At sicuti iure naturæ haudquaquam fuit determinata sphæra cuiusque, seu Nationis, seu Regionis, ac Prouinciæ, seu Ciuitatis alteriusque Communitatis, sed illa est constituta libera hominum conuentione, in diuersa climata, ac terras sponte sua sese diuidentium; sic neque iure naturæ fuit determinatum, an in vno, vel pluribus, vel etiam in tota per consensum hominum in vnam, seu Nationem, seu Prouinciam, aliudue politicum regimen liberè se coadunantium Communitate, subsisteret illa per ius naturæ ab ipsomet Deo immediatè constituta suprema gubernatiua potestas. Et hinc iure naturæ haud subsistit definitum; quòd vel in hac, vel in illa Natione sit Monarchicum potiùs, quàm Aristocraticum, vel etiam Democraticum, regimen. Multò minùs iure naturæ potest esse definitum ius hæreditarium politici regiminis, intra certam aliquam stirpem propagandi. sicque magis adhuc remotum est à iure naturæ, quòd determinarit indiuiduas politico regimini præficiendas personas; sed hæc vniuersa pendent ex constitutione hominum.

Quandoquidem ergo Regia, seu Politica potestas secundùm se formaliter sit iuris Diuini, eius tamen collatio varijs ab hominum placito dependentibus affecta conditionibus, subiecta sit humanis ordinationibus & constitutionibus, quandoquidem etiam ius Regiæ potestatis, seu supremæ politicæ non in actu signato, & quasi in abstracto, in se formaliter cōsistens, vt sic luminis naturalis necessario iure constitutum, sed concretè, & subiectiuè spectatum, quà pro isto seu climate: seu natione, seu prouincia coarctatum, & quà huic præcisè stirpi iure hæreditario communicatum, vel qua iure electiuo sub hac, vel illa norma, modoque regiminis vni, vel plutibus destinandum, sicque adeò

adeò quà huic indiuiduo supposito applicatum, seu applicabile: sic dependens ex hominum ordinationibus, Idcircò emergit hinc quæstio, [An Regiæ potestatis collatio facienda homini Christiano charactere insignito, sicque Ecclesiasticæ potestati subiecto, & ab hominum, vt characteris in Baptismate accepti, Ecclesiæ sanctæ æquè subditorum dispositionibus dependens, expers dicenda sit moralitatis in Regnum cælorum ordinabilis?] Nullus profectò vel Rex, vel populus Christianus Regiæ gubernationis, vel actiuè, vel passiuè consors, vllam in se moralitatem patietur, vt expers esse debeat illius ad Regnum cælorum ordinabilitatis; vel certè, si eiusmodi ordinabilitatem à se conetur euertere. certa, & indubitata in ipso stabit suæ moralitatis à Regno cælorum deordinatio: quæ & ipsa subijcitur Ecclesiæ clauibus. Iacto igitur indubitato illo fundamento, quòd, Regiæ potestatis collatio tum quà in certum indiuiduum suppositum deriuata tum quà ex hominum ordinationibus originariò profluens, sit moralitatis in Regnum cælorum ordinabilis capax, & particeps, oportet hoc ipso, talem collationem vtrouis illo modo, actiuè scilicet, & effectiuè, siue etiam passiuè, ac subiectiuè spectatam, contineri sub illo. [Quodcumque, quod est morale super terram,] super quo Christus Oecumenicæ Ecclesiæ in suo Capite, Summo Pontifice, vel vniuersali Cõcilio repræsentatæ, concessit indefinitam ligandi, & soluendi potestatem.

PROBATIO II.

In qua refutatur secundum Aduersariorum adductum Argumentum.

QVando sanctiones Conciliares, quibus Regibus, vel Imperatoribus adempta est suæ dignitatis auctoritas, dicuntur niti fundamentis, quæ non tam Iuris sint, quàm Facti, in quibus adeò Summus Pontifex, atque etiam Concilium Generale possit errare; ad huius obiectionis vim fortiùs elidendam vel maximè conducit, expendere normam, sub qua oporteat: fieri Oecumenici Concilij sanctiones, vniuersos Christi fideles obstrin- auctoritatem obtinentes.

Pro primo sanẽdis principio eiusmodi Oecumenicæ sanctionis, oportet, supponi aliquod seu speculatiuum pro dogmatibus definiendis, seu practicum pro morum Christianæ Religioni consentaneorum constitutionibus faciendis; vel ex ipsa Diuina fide immediatè certificatum, vel in verbum Dei certò reducibile principium. Si equidem sub tali fidei principio Concilium Oecumenicum procedere velit ad subinferendam sanctionem seu fidem ipsam, seu mores in generali concernentem, oportet, alterum subsumptum (& vti Scholæ loquuntur per modum Minoris adbibitum) principium esse vel de fide etiam, vel lumine naturæ notum, vt in viduorum eiusmodi, Maioris scilicet, ac Minoris principiorum collationis factæ, inferatur conclusio, seu dogmaticæ, seu omnimodè certæ moralis sanctionis sub demonstratiuæ consequentiæ energia, in ipsam fidei veritatem reducibilis.

Quando autem sanctio Oecumenici Concilij terminatur super indiuidua quapiam re, seu Christiani nominis persona, veluti si Sancti cuiuspiam Canonizatio, siue cuiuspiam Canonici libri definitio, vel etiam Regis Ecclesiæ sanctæ rebellis exauctoratio decernatur, tunc Minoris loco subsumptum principium, omninò dependet ex ijs, quæ sunt Facti: sicque adeò per naturam obnoxia errori. Sub cuiusmodi tamen, secundùm intellectus, quæ speculatiui lineam, Facti fallibilitate ad intellectum quà practicum habito respectu, interuenire potest moralis certitudo, sub quà post competentem, ac debitam super rei veritate indaganda adhibitam industriam: stat securitas conscientiæ à culpa, deordinationeque extra Moralitatis honestatem desciscente excusans, Quæ adeò moralis certitudo, quà ex humana dumtaxat industriâ est procedens, licèt, speculatiuè loquendo, sit obnoxia errabilitati, attamen quà per gratiæ Diuinæ irradiationem eleuatur, ad statum, prudentiæ non iam acquisitæ; sed infusæ, ac supernaturali commensuratum, expers redditur erroris etiam speculatiui, quemadmodum in prudentiæ Diuinæ, Christum sub his determinatis Eucharisticis speciebus adorabilem dictantis practico iudicio, ea fit per Spiritus sancti depurationem à materiali errori obnoxia concretione abstractio, vt, si species adorationi expositæ non sint verè ac realiter consecratæ, ad istas nequaquam, sed ad Eucharisticas species, quà ab ista falsa concretione abstractas, terminetur religiosæ, secundùm supernaturalem latriæ virtutem exhibendæ adorabilitatis, repræsentatiua: prudentiæ infusæ ratio practica.

A fortiori igitur hæc per Spiritum sanctum à materiali errabilitati obnoxia concretione deputatio, & abstractio locum habet circa Conciliares sanctiones, quà ex Facti errori subiectis probationibus profluentes ita vt Ecclesiæ sanctæ iudicium à Spiritu sancto dirigendum, non permittatur ab isto Veritatis spiritu proferri super vllo Facti fundamento, nisi reuera existat verum. Atque hoc est, quòd Spiritus sancti assistentia intantum præstò sit Concilijs Oecumenicis ex prudentiæ non naturalis, sed supernaturalizatæ iudicio sancientibus, vt pro indubitato sit tenendum principio, Spiritum sanctum docere omnem veritatem, non sub fidei dumtaxat lumine, sed prudentiæ quoque infusæ dictamine. Quòd si ergo Conciliaris quæpiam sanctio partim ex fidei principio quà Maiori, partim ex moralis certitudinis principio, prudentię infusæ, ac supernaturali per Spiritus sancti gratiam commensurato, Minoris locum occupante, procedat ad conclusionem in particulari, etiam totam Ecclesiam constringente, auctoritatiuè decernendam, negari prorsus oportet, tali conclusioni auctoritatiuè (etiam qua fundatur in Facto naturaliter fallibili) posse subesse falsum sed conclusionis eiusmodi reductio fieri debet tum in prius, Maioris loco positum fidei principium, tum in posterius, Minoris vices subiens prudentiæ infusæ principium.

PRO-

PROBATIO III.

In qua refellitur tertium Aduerſariorum ſuperiùs deductum Argumentum.

Etenim Concilia Oecumenica, ac Summi Pontifices procedentes aduersùs Reges ſanctæ Eccleſiæ rebelles, vel aliàs à Regni cælorum ordine grauiſſimè exorbitantes nituntur tum fidei indubitato principio, pee Chriſtum tradito de Eccleſiæ clauium indefinita ſuper omne, quod ſuper terram morale eſt, protenſa, ligandi, & ſoluendi poteſtate, tum prudentiæ infuſæ per Spiritus ſancti gratiam formando dictamine, nulli errori ſubijci poſſibili, ceu ſecundario, ac ſubſumpto, Minore dicto principio. Ex quo adeò duplici principio non ea dumtaxat, quæ naturali commenſurata eſt, ſed altior, & ſublimior infuſæ per Spiritus ſancti gratiam motæ prudentiæ ſupernaturali proportionata, certitudo moralis enaſcitur, omnimodæ expers deceptionis, minimèque obnoxia errabilitati.

§. III.

Noſtratis ſententiæ Argumenta referuntur cum Concluſione ſuper ijs reflexiua.

ARGVMENTVM I.

Petitum ex cap. Ad Apoſtolicæ. De Sent. & re iudicata.

Auctor Regalis Sacerdotij lib. 1. §. 7. argumentatur 1. ex Cap. Ad Apoſtolicę. De ſent. & re iudicata in 6. Innocentij IV. Canone, ædito in Generali Concilio Lugdunenſi ſub hoc tenore. [Cùm dura guerrarum commotio nonnullas profeſſionis Chriſtianæ Prouincias diutiùs afflixiſſet. Nos ad Federicum (nempe Imperatorem II. huius nominis) præcipuum principem ſecularem, huiuſmodi diſſenſionis, & tribulationis auctorem à felicis recordationis Gregorio Papa IX. Prædeceſſore noſtro pro ſuis exceſſibus anathematis vinculo innodatum, ſpeciales Nuncios, & magnæ auctoritatis viros duximus deſtinandos &c.

Nos itaque ſuper præmiſſis, & quàm pluribus alijs eius nefandis exceſſibus, cum Fratribus noſtris, & ſancto Concilio maturę deliberatione præhabita diligenti, cùm Ieſu Chriſti vices licèt immeriti teneamus, nobiſque in perſona Beati Petri ſit dictum. Quodcumque ligaueris ſuper terram, ligatum erit & in cælis, & quò memoratum Principem, qui ſe Imperio, & Regnis, omnique honore, & dignitate reddit tam indignum, omni honore, & dignitate priuatum à Domino oſtendimus, denunciamus, & nihilominùs ſententiando, priuamus omnes, qui ei iureiurando fidelitatis tenentur adſtricti à iuramento eiuſmodi perpetuò abſoluentes, Apoſtolica Auctoritate firmiter inhibendo, ne quiſquam de cætero ſibi tamquam Imperatori, vel Regi pareat, & intendat, decernendo, quoslibet, qui ei deinceps velut Imperatori, vel Regi conſilium, vel auxilium præſtiterint, ſeu fauorem, ipſo facto Excommunicationis ſententiæ ſubiacere. Illi autem, ad quos electio ſpectat Imperatoris, liberè eligant.

Ex quà ſanctione pręcitatus Auctor inſtigat ad audiendum, ac perpendendum, quomodò non Pontifex tantùm, aut Concilium, ſed vtrumque in medio ipſius Galliæ, conſenſuque Eccleſiæ Gallicanæ ipſiſſimam illam ſententiam pronunciarit, quam defendimus quamque nemo alius impugnare poteſt quàm qui apertè ſe, & Concilio vniuerſali, & Eccleſiæ Gallicanæ aduerſarium profiteatur.

Obiectio.

Excipi poteſt ex parte aduerſa, hunc Canonem haud euincere intentum præinſinuatæ argumentationis, niſi fundamentum eiuſdem oſtendatur nixum Verbo Diuino.

Reſponſio.

Innitendo partis aduerſæ poſtulato, diſertè pronunciamus, manifeſtè probari ex præ adducta ſanctione Pontificia, & Conciliari, quò auctoritatis Oecumenicæ aduersùs Imperatorem ad eius vſque depoſitionem à Pontifice, & Concilio ibidem exercitæ ſubſiſtentia reducatur in Chriſti vicariam, indefinitamque ligandi, & ſoluendi poteſtatem. Cuiuſmodi ad iſtum fidei principium reductio Theologica, vti iam frequenter à nobis fuit oſtenſa, ita ſub aliquali nimiæ repetitionis præſtabimus in ſequentis concluſionis prima probatione.

ARGVMENTVM II.

Deſumptum ex Decretis Concilijs Conſtantienſis.

Auctor Regalis Sacerdotij, argumentatur 2. ex varijs eiuſdem Generalis Synodi conſtitutionibus. Quarum prima eſt monitorium Seſs. 20. deſtinatum aduersùs Fridericum Auſtriæ Ducem ſub hoc tenore [Sancta Generalis Synodus Conſtantienſis vniuerſos, & ſingulos Venerabiles Fratres Patriarchas, Archiepiſcopos &c. requirimus, & monemus primò, ſecundò tertiò, & peremptoriè, quatenus Fridericum Ducem Auſtriæ, & alios (iurium, & bonorum Epiſcopatus Tridentini (occupatores requireant, & moneant, quos nos etiam tenore præſentium ſic requirimus, monemus, ipſique Friderico Duci in virtute ſanctæ Obedientiæ, & ſub anathematis, Sacrilegij, priuationis omnium honorum feudalium, quæ ab Eccleſia, ſeu Imperio obtinet, & inhabilitatis ſuæ, & ſuorum maſculorum ad obtinendum tam feuda, quàm officia, & beneficia vſque ad ſecundam generationem, & honoris, & famæ, ac communionis in Concilijs principium &c. mandamus &c.]

Inſuper ſeſs. 28. declarat eadem ſancta Sy-

Synodus [Fridericum,& occupatores iutium, & bonorum prædictorum, cuiuscumque status, gradus, conditionis, aut præeminentiæ, etiamsi Ducalis fuerint, sententias, & censuras dicto Monitorio comprehensas incidisse. Et infra: Committit ergo præfata sancta Synodus charissimo filio Ecclesiæ Defensori, & Advocato Regi Romanorum semper Augusto, cuius specialiter interest, ad requisitionem Ecclesiæ constrictas, & oppressas Ecclesias restaurare &c. eamdem sententiam executioni demandare &c.]

Porrò Sess. 37. in sententia contra Benedictum XIII. [Eadem sancta Synodus vniuersalem Ecclesiam repræsentans,omnes Christicolas ab eius obedientia, atque iuramentis, & obligationibus eidem quomodolibet præstitis absoluit, & absolutos esse declarat, ac omnibus, & singulis Christi fidelibus inhibet sub pœna fautoriæ schismatis,& hæresis, atque priuationis omnium beneficiorum, dignitatum, honorum Ecclesiasticorum, & mundanorum, & alijs pœnis, etiamsi Regalis sit dignitatis, aut Imperialis, quibus si contra hanc inhibitionem fecerint, sint auctoritate huius Decreti ac sententiæ ipso facto priuati]

Ad hæc Sess. 39. hunc in modum prouidetur futuro schismati [Vt autem metus, seu impressionis molestia in electione Papæ eò formidolosiùs euitetur, duximus specialiter statuendum; quòd si quis huiusmodi metum, aut impressionem, aut violentiam electoribus intulerit, seu fecerit, aut fieri procurauerit, vel factum ratum habuerit, cuiuscumque status, aut præeminentiæ fuerit, etiamsi Imperiali, aut Regali præfulgeat dignitate, illas pœnas ipso facto incurrat, quæ constitutione Bonifacij Papæ VIII. quæ incipit Felicis i continentur, illisque effectualiter puniatur]

Ipsissima hæc Constantiensis Synodus innouat pœnas Decretalis in cap. 5. de Pœnis. in 6. relatæ sub ista verborum forma [Reus criminis lesæ Maiestatis perpetuò sit Infamis, diffidatus, nihilominùs & bannitus sit intestabilis, vt nec testamenti liberâ habeat factionem, nec ad alicuius bona ex testamento,vel ab intestato vocetur &c Si qua verò feuda, vel beneficium spirituale,vel temporale ab aliquibus Ecclesijs obtinet, sit eis ipso iure priuatus &c. Nulli præterea talium filiorum,aut nepotum ex virili sexu descendentium ab eisdem aperiatur ianua dignitatis,aut honoris Ecclesiastici, vel mundani]

Cæterùm in Bulla Martini V. quæ post eiusdem Concilij Constantiensis Sessionem vltimam habetur [Mandatur omnibus Principibus, & Dominis temporalibus, vt Inquisitoribus Hæreticæ prauitatis omne auxilium & fauorem, præbeant, eosque hæreticos inuestigandos, capiendos, custodiendosque curent. Cuiusmodi mandatum latiùs adhuc extenditur ibidem aduersùs hereticos,etiamsi Regali, Reginali, aut alia quauis Ecclesiastica,vel mundana præfulgeant dignitate &c. puniendos etiam priuatione bonorum, & dignitatum quoque sæcularium.]

Ex quibus præcitatus Auctor animaduertendum inculcat haberi iam à Concilio Constantiensi definitum, eos, qui inuadunt bona, & Iura Ecclesiastica, posse à Summo Pontifice, & Concilio vniuersali, interdictione priuari,infamia notari, bonis, ac Iuribus temporalibus destitui, etiamsi Ducalis fuerint dignitatis,præsertim Sess. 28. & 37. Vnde pater, quænam Concilij Constantiensis mens fuerit, quantumque à doctrina Parisiensis Conuentus sit aliena. Hic enim primam propositionem hanc ponit: Principis in temporalibus nulli Ecclesiasticæ potestati nec directè, nec indirectè subiectos esse, Constantiense verò Concilium toties, tamque repetitis vicibus Principes, Regesque dignitatibus, si iura Ecclesiæ inuadant, si hæreticis faueant, mulctandos decernere, vt proinde vel hoc, vel Parisienses Patres falli necessum sit, imò isti secum pugnare conuincantur, dum hic propositionem Concilij Constantiensis doctrinæ contrariam ponunt, in propositione autem secunda Synodum Constantiensem sanctam, & immoram, & ab Ecclesia Gallicana semper custoditam,cultamque dicunt,eiusque decreta velut lineam, & terminos Pontificiæ authoritatis statuunt, & tamen ab illa continua, & longè discedunt, & quàm maximè impugnant.

Obiectio.

Excipi potest ex parte aduersa contra Oecumenicam Concilij Constantiensis auctoritatem, eo quòd ista sit per Christum sancita ex sui Nominis, id est, vicariæ suæ auctoritatis charactere,de quo disquiri meritò potest; quomodò subsisterit in illo Concilio dnm Christi Vicarius, Papa non interuenit?

Responsio.

Huius difficultatis rationem reseruamus partim in sequentem Articulum, partim in Conclusionis sequentis probationem secundam, vni ostendetur, qualem Martinus V. legitimus Christi Vicarius,Synodo illi mediante sua eiusdem Decretorum confirmatione, auctoritatem contulerit, quomodò Synodus, futuri legitimi Papæ approbationi Decreta sua reseruans, cum isto concurrerit ad Oecumenicam,statutis à se editis auctoritatem impertiendam.

ARGVMENTVM III.

Petitum ex Concilio Lateranensi iuxta cap. 3. de hæreticis.

Argumentatur igitur 3, præcitatus Regalis Sacerdotij Auctor in hæc verba [Si Dominus temporalis requisitus, & monitus ab Ecclesia, terram suam purgare neglexerit ab hac hæretica fœditate, per Metropolitanum Excommunicationis vinculo innodetur. Et, si satisfacere contempserit infra annum, significetur hoc Summo Pontifici, vt ex tunc ipse vasallos ab eius fidelitate denunciet absolutos, & terram exponat Catholicis occupandam, &c.] Hoc igitur Lateranense IV. Concilium (cuius sententia tam clara est, vt nullam admittat exceptionem (pergit præcitatus Auctor, vel maximè dicendum esse vniuersale, vtpote cui cum Innocentio Papa interfuerint Archiepiscopi septuaginta, Epi-

scopi quadringenti, Abbates duodecim, Patres Conuentuú octingenti, quos inter extiterunt Patriarchæ Constantinopolitanus, & Hierosolymitanus, atque Alexandrini, & Antiocheni Legati, itemque Oratores Imperatorum Orientis, & Occidentis, Regum Galliæ, Hispaniæ, Angliæ, Hierosolymorum, & Cypri?

Obiectio.

Excipi potest disquirendo, vtrùm Oecumenici Concilij substantia ex Episcoporum, Regiorumque Oratorum numero subsistat, vel potius ex Vicariæ Christi auctoritatis charactere, in vi cuius verè dici potest Concilium ex minori etiam Episcoporum numero coalescens, esse aggregatum in Christi Nomine?

Responsio.

De hoc agemus ex instituto in sequenti Articulo. Interea cum in citato Canone decernatur, vt si Dominus temporalis ob hæreseos fautoriam ab Episcopo Metropolitano innodatus Excommunicatione, infra annum non satisfecerit, Summus Pontifex denunciet Vasallos ab ipsius fidelitate absolutos, eiusque terra exponatur Catholicis occupanda: iterum emergit quæstio; An summus Pontifex iuxta huius Canonis præscriptum procedendo, ex demandata dumtaxat Generalis Concilij, vel ex propria sua Oecumenica potestate dicendus sit, & Vasallos illius temporalis Dominij ab eius fidelitate denunciasse liberos, & terram illius exposuisse Catholicis occupandam? De quo dicemus infrà in sequentis Conclusionis tertia probatione.

ARGVMENTVM IV.

Petitum ex auctoritate Oecumenicorum Conciliorum, ab ipsis etiam Gallis in magna veneratione cultorum.

Avthor Regalis Sacerdotij cit. lib.1. in fine §.14. argumentatur 4. Summorum Pontificum, super Regiæ potestatis erga Oecumenicam Ecclesiæ auctoritatem subordinatione, ac subiectione statuentium decreta postulanda essent dubiæ fidei Concilia saltem præallegata superare omnem exceptionem, cùm & sint Generalia, & partim à Gallis magna veneratione culta, qualia sūt Lateranense, Lugdunense, Viennense, Constantiense. Ergo non potuisse, nec debuisse à Conuentu Parisiensi, qui particularis, vt nec paris cum Concilio generali sit auctoritatis, litem, & bellum pati ab illis præsertim qui tam copiosè, tantoque apparatu obseruantiam sacrorum Canonum in sua tertia propositione Summis Pontificibus inculcant.

Obiectio.

Deseramus ex integro Concilij Oecumenici infallibilitati, quando [illegible] est statu, vt indubitatum Synodi Oecumenicæ à Christo sancitum characterem præferat, atque ex huiusmodi auctoritate Oecumenica veritatem aliquam ex Diuinis oraculis decidat, eius definitionem referendam esse inter fidei dogmata. Num verò de præallegatis Concilijs dicere fas est, omnia, & singula indubitato Oecumenicæ Synodi per Christum definito charactere præfulgere, ac insuper, de Papæ super Reges auctoritate, ex Dei Verbo sanxisse dogmaticam constitutionem, inter indubitatos fidei articulos recensendam?

Responsio.

Huius difficultatis centrum, quemadmodùm metetur, singulari cum industria expendemus proximè subsecutura conclusione.

CONCLVSIO.

Ex praeadductis circa Ecclesiasticam supra Reges auctoritatem Conciliaribus sanctionibus, habetur veritas etiam Theologicè certa,

Explicatur. Siue enim talis sanctio Oecumenici Concilij resoluatur in primum illud præinsinuatum fidei principium; siue in subsumptum prudentialis supernaturalis à Spiritu sancto moti dictaminis principium quasi secundarium, sub vtraque resolutione fit resolutio in lumen aliquod Diuinum, cuius, & hinc deriuatæ conclusionis, seu sanctionis certitudo longè maior est naturali, seu physica, seu metaphysica certitudine, ad Theologicæ adeò certitudinis sublimitatem subleuanda.

PROBATIO I.

Desumpta ex Cap. Ad Apostolica. De sent. & re iudicata, in. 6.

Etenim ex huius Canonicæ intrà Concilium Lugdunense editæ sanctionis litera clarè constat, eius fundamentum reduci in hoc fidei principium, quo credimus, [Summum Pontificem Christi in terris agere vices, ipsique in persona Petri dictum esse: Quodcumque ligaueris, seu solueris super terram, erit ligatum, seu solutum, & in Cœlis. Quis verò negare ausit sub isto quocumque, quod est in terra morale, contineri, & actus morales publici quoque à Rege promanantis regiminis; & dignitatis Regiæ ad hanc indiuiduam personam ex æquitatis ratione faciendam applicabilitatem, eiusque in Rege Ecclesiæ sanctæ clauibus subiecto perseuerantiam moralem? Sub illo adeò fidei principio, per illam sanctionem Synodalem, expendebatur Imperatoris ex facinoribus suis indignitas. Cuius iudiciaria proindè discussio, licèt fuerit dependens à probationibus, quæ intrà præc[illegible] prudentiæ naturalis sphæram, non supergrederentur moralem certitudinem; attamen

tamen hoc Oecumenici Concilij iudicium, per Spiritus sancti gratiam ita deputabatur à materiali falsitatis periculo obnoxia concretione, vt altior prudentiæ infusæ commensurata certitudo practica, omnimodam falsitatem excludens per Dei instinctum efformata, & cum illo principio fidei collata, sub forma virtualiter saltem Syllogistica progrederetur ad concludendam sententiam, aduersùs Imperatorem iudicialiter ferendam sub vera, lumini supernaturali innixa, consequentia Theologica.

PROBATIO II.

Desumpta ex Decretis Concilij Constantiensis.

EX verbis istorum Decretorum non elucet equidem, in actu signato eorum resolutionem reduci in fidei principia. Attamen certissimum est, Patres sanciendo illa Decreta, attentos fuisse ad potestatis Oecumenicæ, Concilio Diuinitus concessæ auctoritatem.

Sicuti ergo Decreta illa effectiuè profluxerunt ex ista auctoritate Oecumenica; sic omninò consequens est, eorum resolutionem in actu exercito, ac virtualiter reduci, atque sub ipsa prima sui constitutione reducta fuisse in fidei principium, quo Concilij Oecumenici auctoritas habetur Diuinitus constituta.

Et licèt ex Christi Domini verbis Matthæi 18. constet, Oecumenici Concilij characterem proprium (ex cuius nempè respectu Christus promisit, se in Synodi medio futurum) subsistere ex Christi nomine, vtique Vicario, eiusque adeò in terris relicta Petro, ac ipsius successori collata Vicaria auctoritate. Hunc tamen characterem, quoad ea, quæ fidei sunt, accessisse Concilio Constantiensi, patet ex eius fine, vbi Papa Martinus V. in sessione publica, eaque vltima, requisitus sanxit, quòd omnia, & singula determinata; Conclusa, & decreta in materijs fidei per præsens Concilium, Conciliariter tenere, & inuiolabiliter obseruari vellet, & numquam contraire quoquo modo liceret: ipsaque sic Conciliariter facta approbat, & ratificat, & non aliter, nec alio modo. Quidni ergo dixerimus, præallegatorum Decretorum resolutiones, quà in fidei principium reducibiles, imò sub ipsa prima sui constitutione, atque Papæ postmodùm secuta approbatione reductas in auctoritatem Diuinitus constitutam, ac fide Diuina creditam, vt sic fidei materiam concernentes, integram ex tunc obtinuisse Conciliarium sanctionum firmitatem prorsùs certam, ac immobilem, quoad auctoritatem Ecclesiasticam (ceù Decretorum illorum principium) in actu exercito, ac virtualiter ijsdem communicatam.

PROBATIO III.

Petita ex Generalis Concilij Lateranensi IV. sanctione relatum in Cap. 3. De hæreticis.

QVandoquidem sacro huic Concilio notissimum fuerit fidei principium de Ecclesiæ Clauibus, cum indefinita super quocumque, quod in terris est morale, protensa ligandi, & soluendi potestate legitimo Petri successori competente, ideò nefas foret, dicere, Patres Concilij non tam respexisse ad illam Papæ auctoritatem, quàm Concilij Oecumenici propriam Iurisdictionem eidem demandasse, decernendo, vt si Dominus temporalis ob hæresos fautoriam excommunicatus, infra annum non satisfecerit, Summus Pontifex Vassallos ab eius fidelitate absolutos denunciet, facto mandato, vt terra illius occupetur à Catholicis. Quare in vi huius sanctionis dicendum est, Concilium illud Oecumenicum, ipso etiam Vicario Christi nomine, seù auctoritate fulcitum, vnicè intendisse, vt pro illo incorrigibilitatis casu; excitaret Papæ Oecumenicum Pastorale officium, cum eius indefinita ligandi, & soluendi potestate, eo modo, quo præscribitur; ad procedendum aduersùs Dominum temporalem de hæreseos fautoria conuictum. Atque per hoc Decretum Pontificiæ auctoritatis excitatorium, redditur manifestum, quòd Concilium illud Oecumenicum agnouerit, & sanxerit, Papæ auctoritatem protendi super Dominos quoque temporales, eosque supremos, nec non super eorum dominia temporalia, ac territorialia, seù Regia, vi Pontificij mandati ab alijs ex tunc occupanda.

PROBATIO IV.

In qua paucis ostenditur vis præadductarum Conciliarium sanctionum.

ETenim præadductis Concilijs Lugdunensi, Constantiensi, & Lateranensi accessisse characterem Vicarij nominis Christi siuè Vicariæ huius in terris relictæ auctoritatis, patet ex antecedentibus. Constat insuper, Lugdunense Concilium processisse ex aperto fidei principio Oecumenicæ Ecclesiasticæ potestatis, indeque cepisse resolutionem sententiæ, super Imperatorem, eiusque iura temporalia protensæ. Hæc igitur Synodica sanctio virtualiter saltem reducenda est in fidei principium, ad eam sanctionem se habens, tamquam motiuum formale, ac specificatiuum, vtpotè, quod per consequentiam tum ex illo principio quà Maiore, tum ex prudentiæ infusæ sumpto dictamine, quà Minore, prodeuntem, esset Theologicè illatiuum præfatæ sanctionis Conciliaris.

Constat denique de Concilij Constantiensis, ac Lateranensis præadductis decretis, ea virtualiter, in actu saltem exercito reduci in fidei principium. Quid ni ergo talibus

sanctionibus ea adhibeatur meritò reuerentia, quam exigit veritas in fidei principium, reddita. Viderint proinde aduersarij, ne, si talibus sanctionibus deferre nolint, vel in fidei lumen, vel in prudentiæ supernaturalis facem impingant, sicque reputandi sint inter illos, qui videntes, non vident, & intelligentes non intelligant.

§. IV.

Corollarium.

Coronidis loco videtur consultò hic superaddendum Iuramentum ab Imperatoribus Romano Pontifici præstari solitum, prout habetur in Clementina vnica de Iureiurando à Clemente V. edita in Concilio Viennensi. Vnde indubitatum desumitur Imperatoris erga Summum Pontificem subiectionis argumentum. Res igitur ita se habet, prorsùs digna, vt per extensum hìc exhibeatur: [Dudum sanè inter quondam Henricum Imperatorem, tunc Romanorum Regem, & Charissimum in Christo filium nostrum Robertum Siciliæ Regem graui discordia suscitata: Nos multis, grandibusque periculis, quæ exinde prouentura verisimiliter timebantur, intendentes, celeri, & opportuno remedio obuiare, quibusdam ex Fratribus nostris sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus existentibus tunc in vrbe pro reformanda pace, & solidanda concordia inter Reges eosdem, literas nostras sub certa forma duximus destinandas, inter alia inferentes in eis, quòd, cùm ipsi Reges eiusdem Ecclesiæ specialissimi Filij sibi Iuramento fidelitatis, & aliàs multipliciter essent adstricti, ipsius Ecclesiæ debeant esse promptissimi defensores. Dictis autem literis in notitiam dicti Henrici ad Imperium iam promoti sic deductis, idem Henricus ab eisdem Cardinalibus requisitus, vt super contentis in illis suum propositum responderet, quasi molestè tulisset, quòd de Iuramento fidelitatis huiusmodi per eum præstito in dictis literis mentio haberetur, non familiariter, nec secretè, vt tractandæ pacis qualitas exigebat, sed multis tabellionibus accersitis, & requisitis ab eo, quòd de responsionibus suis conficerent publica Instrumenta: inter cætera publicè, præsente multitudine hominum copiosa, respondit, se non fore cuiquam adiuramentum fidelitatis adstrictum, & quòd numquam fecerit iuramentum fidelitatis alicui obligatus, & quòd ipse nesciebat, quòd Antecessores sui Romani Imperatores vnquam iuramentum huiusmodi præstitissent, simulans, se immemorem iuramentorum, quæ nobis ante, Coronationem suam præstiterat, & post coronationem etiam innouarat. Nos itaque attendentes, quod huiusmodi responsio, si sub dissimulatione pertransеat, vel silentio pallietur, posset in magnum, & euidens præiudicium Romanæ Ecclesiæ redundare, dignum admodùm, & opportunum fore prospeximus, vt de iuramentis huiusmodi constitutioni præsenti aliqua breuiter annectamus. Dictus namque Henricus quàm primùm fuit in Regem Romanorum electus, solemnes ad nos Nuncios destinauit, dans eis per suas patentes literas plenum, & speciale mandatum exponendi Nobis pro eo deuotionem ipsius, & reuerentiam filialem, quam ad nos, & Romanam Ecclesiam sincero gerere se dicebat affectu: nec non petendi, & impetrandi à nobis, fauorem, & gratiam consuetos: offerendi quoque nobis, & præstandi pro eo, & in ipsius animam debitæ nobis, & eidem Ecclesiæ fidelitatis, & cuiuslibet alterius generis iuramentum, ac nihilominùs petendi à nobis per nostras sibi manus impendi vnctionem, Consecrationem, & Romani Imperij Diadema. Præfatis itaque Nuntijs, in nostra, & Fratrum nostrorum præsentia constitutis, ac secundùm dicti tenorem mandati Auenione, vbi tunc eramus cum nostra Curia residentes, in publico Consistorio, in quo erat Prælatorum, & aliorum, tàm Clericorum, quàm Laicorum non modica multitudo, præmissis per eos coram nobis expositis supplicando petitis similiter, & oblatis: Nos eodem mandato, Decreto, electionis eiusdem Henrici ex parte Principum, tàm Ecclesiasticorum, quàm sæcularium, qui eumdem elegerant, nobis per dictos Nuntios præsentatis plena cum eisdem fratribus deliberatione discussis, factaque nobis de electione huiusmodi concordi, & legitimè plena fide, examinata quoque persona ipsius Henrici, prout absentia patiebatur eiusdem, & de ipsius fide, probitate, & alijs, quæ in persona Imperatoris sunt meritò requirenda, cum pluribus Prælatis, & alijs magnæ auctoritatis viris, qui eiusdem Henrici mores, conditionem, statum pleniùs nouerant, inquisito, eiusque persona, cuius etiam nos, & Fratres nostri aliqualem priùs notitiam habebamus, propter quod faciliùs transiuimus in examinatione huiusmodi, idonea reputatà, ipsum nominauimus Regem Romanorum, ipsius approbantes personam, eumque sufficientem, & habilem declarantes ad suscipiendam Imperialis celsitudinis dignitatem, ac decernentes Vnctionem, Consecrationem, Imperijque Romani Coronam sibi per manus nostras debere concedi: Et subsequenter à præfatis Nuntijs sufficiens ad hoc ab eo (vt præmittitur) mandatum habentibus secundum formam in Decretis, quæ incipit, Tibi Domino, comprehensum, fidelitatis recepimus iuramentum: Postque idem Henricus Consecrationis, & Coronationis suæ tempore aliud eisdem Cardinalibus, quoad impendendum sibi huiusmodi Consecrationis, & Coronationis insignia, miseramus ad vrbem, illud nostro nomine recipientibus iuramentum præstitit corporale, quod in libro Pontificali Romano præstandum Pontifici per Imperatorem Coronationis suæ tempore continetur: cuius tenor dignoscitur esse talis: Ego Henricus Romanorum Rex, annuente Domino, futurus Imperator promitto, spondeo, & polliceor, atq; iuro corã Deo, & B. Petro, me de cætero protectorẽ, & defensorẽ Summi Pontificis, & huius sanctæ Romanæ Ecclesiæ in omnibus necessitatibus, & vtilitatibus suis, custodiendo, & conseruando possessiones, honores, & Iura eius, quantum Diuino suffultus adiutorio fuero, secundùm scire, & posse meum recta, & pura fide: sic me Deus adiuuet, & hæc sancta Dei Euangelia.)

[Cæte-

[Cæterùm quia Iuramenta huiusmodi fidelitatis existant à retrò Romanis Principibus, non fuit hactenus hæsitatum: imò tam quondam Albertus Rex Romanorum immediatus prædecessor memorati Henrici Bonifacio Papæ VIII. prædecessori nostro tempore approbationis eiusdem Alberti, quàm Rodulphus pater ipsius, & alij Prædecessores eiusdem Romanorum Reges diuersis nostris prædecessoribus iuramentum fidelitatis, & obedientiæ præstiterunt. Idemque Bonifacius memoratum Albertum, iuramento huiusmodi ab eo recepto, de Fratrum suorum consilio (præsente Prælatorum, & aliorum multitudine copiosa) auctoritate Apostolica recepit in specialem suum filium, & Ecclesiæ memoratę, ipsumque in Regem Romanorum assumpsit, in Imperatorem postmodùm promouendum. Verùm quia sæpesatus Henricus, qui proximis diebus fuit de hac luce subtractus, non virtutem, & mentem, sed ne dum verborum insectans corticem, sensumque confundens, iuramenta restringendo prædicta, curiosè videbatur asserere (vt præfertur) illa ad debitum fidelitatis huiusmodi extendi: nouo morbo curiositatis huius luculentæ veritatis antidotum præsentis declarationis oraculo prouidimus apponendum. Quia ergo Capitulis iuramẽto fidelitatis contentis sollicita meditatione pensatis, ipsa Capitula in præfatis Imperatoris iuramentis quantum ad effectum mentem, & virtutem ipsorum non est dubium contineri: Nos præmissis, & alijs rationibus, ne quis in Romanum assumptus Principem, vel in posterum assumendus, an iuramenta huiusmodi per dictum Henricum Imperatorem præstita, & per successores ipsius in futurum præstanda, fidelitatis existant, In dubitationem deducere audeat, vel super his contrarium astruere veritati: auctoritate Apostolica de Fratrum nostrorum consilio declaramus, illa Iuramenta prædicta fidelitatis existere, & censeri debere. Porrò præter Iuramenta prædicta idem Henricus suorum inhærens prædecessorum vestigijs, priusquàm ingrederetur Italiam, vel ibidem Iura aliqua exerceret, sub testimonio suarum patentium literarum in manibus Dilecti filij Ioannis de Mollianis, Scholastici Ecclesiæ Tullensis, Capellani nostri, ad hoc specialiter per nos missi, nostro, & præfatæ Ecclesiæ nomine recipientis promisit, & tactis sacrosanctis Euangelijs, & iuramento firmauit, quòd eamdem Ecclesiam, & fidem Catholicam pura fide, torisque vitibus conseruaret reuerenter, & etiam defensaret, omnemque Hæresim, Schisma, & Hæreticos quoslibet, fautores, receptatores, & defensores ipsorum exterminaret pro posse, ac numquam cum Saraceno, Pagano, Schismatico, seu alio quolibet Communionem Catholicæ fidei non habente, aut cum aliquo alio præfatæ Ecclesiæ inimico, vel rebelli, seu eidem manifestè suspecto, vnionem quamlibet, seu parentelam, aut confœderationem iniret, sed tam nostram, quàm Successorum nostrorum personas, honorem, & statum manuteneret, defenderet, & conseruaret contra omnes homines cuiuscumque existerent præeminentiæ, dignitatis, vel status. Eidem etiam adijciens iuramento, quòd manuteneret semper, atque seruaret priuilegia omnia per prædecessores suos Reges, ac Imperatores Romanos præfatæ Romanæ, & alijs quibuslibet Ecclesijs quocumque concessa tempore, & continentiæ cuiuscumque. Ipsaque omnia, & specialiter, ac præcipuè per claræ memoriæ Constantinum, Carolum, Henricum, Ottonem quartum, Fridericum secundum, atque Rodulphum prædecessores ipsius super concessione, recognitione, aduocatione, adnotatione, quittatione, & libera dimissione terrarum, & prouinciarum Romanæ Ecclesiæ vbilibet positarum, quarum etiam multas nominatim expressit, Sedi Apostolicæ, Romanisque Pontificibus super quocumque tenore concessa recognouit, confirmauit, & ex certa scientia innouauit, ac etiam de nouo concessit: & terras ipsas, atque prouincias recognouit ad ius, & proprietatem ipsius Ecclesię plenissimè pertinere: easque nihilominùs ex abundanti de nouo Ecclesiæ sæpè satæ donauit, sub prædicto se obligans iuramento, quòd ipsas; aliquamue ipsarum partem nullo vmquam tempore occuparet, seu quantum in eo esset, ab alio permitteret occupari: nec in eis, aut aliqua parte ipsarum Iura aliqua, possessiones, aut tenutas haberet, seu quomodolibet possideret: nec in eis etiam potestariæ, seu cuiusuis Capitaniæ, aut Iurisdictionem per se quamcumque, vel per alium exerceret: quòdque (vt Princeps Catholicus, & sæpè dictæ Ecclesiæ Aduocatus, atque Defensor) ipsam iuuaret, & consilijs, & auxilijs illi assisteret opportunis, contra quoscumque inobedientes, & rebelles eidem, & præcipuè contra occupantes, seu turbantes terras prædictas, seu prouincias, vel partem quamlibet earumdem. Sub eodem etiam iuramento promisit, quòd tam ipsam Romanam Ecclesiam, quàm alias Ecclesias, libertatem Ecclesiasticam, bona, Iura, Prælatos, & Ministros Ecclesiarum ipsarum manuteneret, conseruaret, atque defenderet. suo posse. Et quòd Ecclesiæ Romanæ Vasallos contra iustitiam nullatenus offensurus, deuotos, ac fideles Ecclesiæ, etiam in Imperio constitutos benignè tractaret, nec eos opprimeret contra iustitiam, aut (quantum in eo esset) per alium opprimi sustineret, sed in suis potiùs iuribus, & iustitijs conseruaret. Hoc quoque iuramentum, & etiam pristinum pro eo nobis per suos Nuntios (vt præmittitur) præstitum, receptis suæ coronationis insignijs innouauit, prout in patentibus ante coronationem ipsam eius Regio magno sigillo, & alijs post coronationem eamdem eius Imperiali aurea Bulla munitis, inde confectis literis (quas in Archiuis Romanæ Ecclesiæ reponi, & diligenter conseruari fecimus) pleniùs continetur.]

DISQVI-

DISQVISITIO IV.

An, & in quantum Pontificiæ poteſtatis ſuper Reges protenſio probari poſſit ex Hiſtorijs, & exemplis Summorum Pontificum?

§. I.

PRo iſto probandi genere inſeruiont tom ea, quæ ſupra Diſquiſ. 2. dicta fuerunt, tum quę ex Auctore tract. de libert. Gallican. lib. 4. c. 10. adferuntur in præſenti. Childericum III. ait, Regem Galliæ non ante depoſuerunt Franci, vt Pipinum ſibi præficereot, quàm interueniſſet Romani Pontificis auctoritas. Id expreſsè tradit Eginhardus Caroli Magoi Secretatius in vita illius Imperatoris, his verbis: [Gens Merouingorum, de qua Franci Reges ſibi creare ſoliti erant vſque ad Childericum Regem, qui iuſſu Stephani Pontificis Romani depoſitus, ac detoonſus, atque io Monaſterium detruſus eſt, doraſſe putatur....... Pipinus autem per auctoritatem Romani Pootificis ex præfecto Palatij Rex conſtitutus, &c.] Et in Annalibus ad annum 749. [Burcbardus Wirizibiurgenſis Epiſcopus, & Iolradus Presbyter Cappellanus miſſi ſunt Romam ad Zachariam Papam, vt conſuleteut Papam de cauſa Regum, qui illo tempore fueruot in Francia, qui nomen tantùm Regis, ſed nullam poteſtatem Regiam habueruot: per quos prædictus Ponrifex mandauit, melius eſſe, illum vocari Regem, apud quem ſumma poteſtatis conſiſteret; dataque auctoritate ſua iuſſit, Pipinum Regem cooſtitui.] Et ad annnm 750. [Hoc anoo ſecundùm Romani Pontificis ſanctiooem Pipinus Rex Francorum appellatus eſt, & ad huius dignitatem honoris vnctus ſacrà vnctione manu ſanctæ memoriæ Bonifacij Archiepiſcopi, & Martyris, & more Francorum eleuatus in ſolium Regni, io ciuitate Sueſſonia. Childtricus verò, qui falſo Regis oomine fungebatur, tonſo capite, io Monaſterium miſſus eſt.]

Eginhardi fidem cùm dubiam efficere nequeat Ioaones Lauooius, in reſtringeudam Summi Pontificis auctoritatem ſemper iotentus; quippe cùm ſciat, illum ſcriptorem, & magnæ probitatis, & exactæ ſioceritatis fuiſſe, ac rem paulò auteà geſtam, atque adeò ſibi notiſſimam narraſſe, vitam Caroli ab eo ſcriptam corruptam fuiſſe, conteudit; Annalium autem verba multifariàm verſat, vt à proprio, & vt ita dicam, natiuo ſenſu deflectat, 6. par. Epiſt. 9. ac primò quidem affirmat, contradictionem eſſe talem, quæ vix dilui poſſit inter loca vitæ Caroli Magni, & loca Aonalium. Hæc contradictio, ni fallor, in eo eſſe illi viſa eſt, quòd io vita Caroli Magni Childerici deſtitutio, & inſtitutio Pipini tribuaotur Stephano Papæ, in Annalibus verò Zacharię; ſed mirum eſt, quòd adeò acotus ooo viderit, aut, qui ſioceriſſimos ſcriptores malæ fidei ram ſæpè iocuſat, diſſimularit, imaginariam illam contradictionem ſe ipſa euaneſcere, ſi verbis, quæ ipſe retulit ex libello de Maioribus Domus Regiæ, addaotur ſequentia, quæ ipſe omiſit. Nam ex vtrorumque coniunctione liquet, rem à Zacharia ſub fioem Pontificatus ſui inchoatam, à Stephano eius ſucceſſore perfectam; aut à Zacharia per ſanctum Bonifacinm Archiepiſcopum Moguntinum factam, Stephanum per ſeipſum coofirmaſſe. Hæc refert Launoius: [His temporibus Hildericus in Regno Francorum ſobſtituitur, de quo Pipious Dux legatos ad Zachariam Papam dirigit interrogans eum; ſi ita maoere deberent Reges Francorum, cùm penè nullius eſſent poteſtatis, ſolo Regio nomine cooteuti. Quibus Legatis Romanus Pootifex reſpondit, illnm debere Regem vocari, qui Rempublicam gereret. Detonſo igitur Hilderico, & in Monaſterium detruſo, mox Franci Pipinum ſibi Regem conſtituunt; ſequuntur autem iſta: Hic enim rebellanres ſibi omnes ſubegerat, Griphooem videlicet fratrem ſuum, Taſſilonem quoque ex ſorore nepotem; quorum alterum Auſtraſiorum, alterum Baiuariorum Ducem inſtituit. Denique Zacharia defuncto, Stephanus ſuccedit, qoi in Franciam ad Pipinum, vrgente neceſſitate, venit, eumque, ac duos filios eius Carolum, & Carlomānum pariter ſuæ benedictionis oleo perunxit.] Rem ita, vt diximns, geſtam, contigiſſe, teſtantur alij ſcriptores infrà referendi.

Addit Launoius, Zachariam vtpotè coonſultum, mentem ſuam aperuiſſe, vt Conſultorum mos eſt, non autem poteſtatem interpoſuiſſe. [Id, inquit, Eginhardi verba hæc (Pipious more Francorum eleuatus io ſolium Regni) omninò exigunt. Nam qui ante Hildericum, & Pipinum eleuabantur in Regni ſolium, auctoritate Francorum, non Romani Pontificis eleuabantur.] At certè verba illa, more Francorum, neque omninò, neque ex parte exigunt conſilium tantùm à Zacharia datum. Illorum enim ſenſus apertus eſt de cæremonijs in Regum eleuatione obſeruari ſoliris, non autem de electionis iure. Ac ſicut ex ijs concludi non debet, nec poteſt, Romanum Pootificem non fuiſſe conſultum, licèt is anteà uon fuiſſent mos Francorum; cùm Egiohardus conſultationis expreſſam faciat mentionem, ita inferri non poteſt, Summum Pontificem conſilio non adiunxiſſe auctoritatem, cùm contrarium luculentiſſimè teſtetur Eginhardus bis verbis; [ioſſu Stephaoi Romani Pontificis, dataque auctoritate ſua iuſſit, Pipinnm Regem conſtitui; ſecundùm Romani Pontificis ſanctionem Pipinus Rex Francorum appellatus eſt.] Ita ſcilicet delicata euaſerat paucis ab hinc annis Francorum conſcieotia, vt oomen Regis ei tribuere non auderent, qui Regiam auctoritatem iam erat adeptus, niſi Doctoris grauis opinione id ſibi licere cognouiſſent.

De antiqoiorum Franciæ Regum vnctione, quam hic negat Launoius, viderint Franci, quid cenſendum ſit, qui ad miraculum in Clodouei primi Chriſtiani Regis Francorum gratiam ſactum, eius origioem referunt: mihi verba Egiohardi ſuprà relata Summi Pontificis auctoritatem ſatis videntur ſignificare, etiamſi excluderetur Pipini vnctio, quæ à Zacharia Pontifice per Bonifacium, & à Stepha-

phano per seipsum facta narratur.

Testimonium Eginhardi, quod solum sufficeret, quia, vt suprà innuimus, eo tempore vixit, quo rem narratam ignorare non potuit, & ea sinceritate scripsit, vt fides ei negari non debeat, confirmant Aymonius in lib. 4. de gest. Franc. capit. 61. Regino Prumiensis Abbas in lib. 2. Chronic. Marianus Scotus in lib. 3. Chronic. Otto Frisingensis in lib. 5. histor. cap. 21. Abbas Vrspergensis in Chronico. Sigebertus in Chronico ad annum 750. Paulus Æmilius in lib. histo. Franc. Fredegarius Scholasticus in fine Chronici. Guillelmus Nanguis in Chronographia manuscripta. Robertus Guaguinus in lib. 3. historic. Franc. Carolus Sigonius in lib. 3. histor. de Regn. Ital. quorum verba refert Launoius. Attamen ipso suo more tot testimonijs, aliorum quorumdam silentium anteponit.

Immò illi vnius scriptoris silentium sufficie aduersùs affirmatiua plurimorum testimonia. Sic enim in hac epistola de Anastasio, Regnum Childerico abrogatum, & Francos sacramenti religione solutos tacentem, scribit: [De Anastasij, inquam, silentio. quod si circumspectione, & accurata consideratione perpendatur, de falsitate rerum istarum dubitandi locum nullum relinquit. Quis enim prudens, & attentus crederet, virum Sedis Apostolicæ magnitudini, & commodis addictum, & in Romanorum Pontificum scrinijs versatum, id commemorare, quod Gregor. VII. Otho Frisingensis, Abbas Vrspergensis, Ioannes Trithemius, & recentiores alij tam cupidè commemorant, neglexisse? Quis, inquam prudens, & attentus hoc crederet, tum ex alijs, tum ex hoc quoque, quod anteà simile nihil in Romana contigisset Ecclesia? Igitur Anastasius non tam silet, quàm eloquitur, non accidisse, quod illi accidisse narrant:

Sed in quodcumque latus se vertat Launoius, tot, & tam insignia sunt testimonia, quæ Summi Pontificis auctoritatem in Childerici destitutione, ac Pipini institutione, intercessisse affirmant, vt lectis illis, etiam in ipsius Launoij epistola impossibile, sit eis fidem non habere, quantùm ad rem ipsam, quamuis ille suo argumento negatiuo ab Auctorum silentio, vel alijs coniecturis, aliquas circumstantias validè confutaret, quod facere sibi immeritò visus est.

Misera enim cauillatio, quæ verba illa, mandatum, iussus, auctoritas, & similia: quibus scriptores vtuntur, cùm de Summi Pontificis ea in re partibus loquuntur, denotare tantùm consilium, aut opinionem interpretatur, ex ipsorum locorum imperturbato mentis oculo, ac sine præpostero affectu lectorum, contextu dissoluitur. Præsertim si Auctorum ipsorum conditio attendatur, cur enim v. g. Eginhardus, cum dixisset; [Pontifex mandauit, melius esse, illum vocari Regem, apud quem Summa potestatis consisteret, quæ opinionem; & consilium abundè significassent, addidisset, dataque auctoritate sua iussit, Pipinum Regem constitui:] Quæ verba de potestate non possunt non intelligi; nisi fides historiæ hanc declarationem postulasset? An Eginhardi, iam à iuuentute in Aula Caroli Magni educati intererat, cum hæc scriberet, Summis Pontificibus ablandiri vel eorum iurisdictionem ampliare in præiudicium Regum Francorum? An idem consilium fuit alijs scriptoribus Gallicanis tam multis?

An Sigebertus Gregorio VII. infensissimus, & Imperatoribus, quorum tempore scribebat, quorumque causa Pontificibus tam parum æquus fuit, addictissimus, depositioni Henrici auctoritatem accersere ab exemplo Regum Franciæ non prætermisisset, si aut historiæ integritas, aut euidens rei gestæ veritas permisisset? An simplex Papæ consilium, seu responsum his verbis expressisset? [Pipinus verò Princeps Apostolica auctoritate, & Francorum electione à S. Bonifacio Moguntiæ Archiepiscopo in Regem vngitur, & consecratur.] Ad annum 705. An, qui falsa non pauca in fauorem Imperatorum, vel à se excogitata, testibus fide indignis accepta, intrauit tam incautè locutus fuisset, vt opinionem pareret à suo affectu longè alienam, si eam dubiam habuisset?

An Otho Frisingensis, tot Imperatoribus sanguine coniunctus, quos inter, & Summos Pontifices altercationes intercesserunt, tam graues, tamque diuturnæ, ne Aui sui destitutionem à Gregorio VII. factam confirmaret, non abstinuisset verbis, quæ hanc Summi Pontificis auctoritatem clarè denotant, si absque historiæ legum violatione potuisset? Anno, inquit, ab Incarnatione Domini 752. reuersis à Roma nuncijs auctoritate Papæ Pipinus à B. Bonifacio Moguntino Archiepiscopo, alijsque Regni Principibus in Suessiona ciuitate ad Regnum eligitur, lib. 5. histor. cap. 22. Anno Domini 754. Pipinus à Stephano Papa I. à fidelitatis sacramento, quod Hilderico promiserat, cum alijs Regni Francorum Proceribus absoluitur, ac detonso Hildrico, & in Monasterium detruso, postmodum in Regem inungitur. Ibidem cap. 23. iterum in his verbis notare potes solutionem contradictionis: quæ à Launoio vocatur pugna, quæ vix dilui possit. Otho enim lucidissimè narrat, Pipinum, & à Zacharia per Bonifacium Moguntinum, & à Stephano ipso vnctum, vt dubitari non possit, Eginhardum idem factum modò vni, modò alteri Pontifici non tribuisse, sed cuique suum.

Maximi ponderis est Othonis testimonium, tum propter egregium viri meritum, tum propter accuratam in euoluendis historijs diligentiam, & in referendis fidem: tum denique quia, cùm diu Parisijs versatus esset, sedulamque studio opera dedisset, facilè ei fuit, veritatem addiscere. Pro suo erga Henricum Auum suum affectu legerat, & relegerat Imperatorum gesta, vt sciret, an antea fuisset aliquis à Romanis Pontificibus excommunicatus, & depositus, negatque lib. 6. cap. 35. Id antea factum in Romanorum Reges, aut Imperatores, sed tantùm Philippicum aliquandiù à Romano Pontifice inter Pœnitentes retentum, & Theodosium ab Ecclesia exclusum à Beato Ambrosio. Quis igitur credat, eum temerè, ac sine examine recepisse illam de Regibus Francorum historiam, quandoquidem ipse post verba relata, paucis interiectis, subiungit: [Ex hoc Ro-

mani

mani Pontifices Regna mutandi auctoritatem trahunt.] Putasne, rei eiusmodi originem sine discussione admissam ab Othone?

Nonne Conradus Abbas Vrspergensis, qui Gregorium IX. tam insolenter carpit, vt Frederico II. patrocinetur, suppressisset, si passa esset historiæ veritas, quæ auctoritatem Papæ in Principes tam apertè præ se fernne. [Ait enim in Chronico ad annum 751. Zacharias verò Papa super huiusmodi negotio consultus, remandauit, melius esse, illum vocari Regem, apud quem summa potestas consisteret; dataque auctoritate sua: Pipinum Regem constitui iussit. Annò Domini 752. Pipinus per auctoritatem Zachariæ Papæ Francorum electus ad Regnum, per manus S. Bonifacij Archiepiscopi Moguntiacensis eleuatus est in Regni solium in Suessionum ciuitate........ Pipinus ex Præfecto Palatij auctoritate Apostolica sublimatus & vnctus in Sedem Regni, posteà regnauit annis quindecim, absolutus per Papam Stephanum à iuramento, quod Regni Primoribus fecerat. Hic rursus vide compositam pugnam, quæ vix dilui posse Launoio videbatur.]

Auctoritatem suam in omnibus dubiam efficit, qui facta adeò certa, & tot testimonijs comprobata negare, vt Launoius laudet, ac impugnare totis viribus enititur.

§. II.

Referuntur Aduersariorum argumenta.

ARGVMENTVM I.

EX parte aduersa licet 1. argumentari ex actis Comitiorum Galliæ anno 1615. coram Rege celebratorum, relatis à Gramondo hist. Galliæ lib. 1. ad dictum annum 1615. cùm enim suo, & vniuersi Cleri Gallicani, immò & nobilitatis nomine Cardinalis Perronius suprà relatus, multis argumentis ostendisset, Summo Pontifici pro certis casibus esse ius in Regna, & Reges: exinde tertij Ordinis ad Clerum Delegati responderunt non esse nouam apud Comitia generalia Galliæ, quam proponerent, Thesin, denegantem Papæ illam auctoritatem: trecentis abhinc annis, & ampliùs Gallis non ita creditum modò, sed & scriptum, ita vulgaram scripto eam doctrinam contra Bonifac. VIII. Summum Pontificem, quo tempore Regnum Galliæ Sedi Apostolicæ subiectum pronuntiauerat. Annum circa 13[illegible]1. obstitisse rescripto Comitia trium Ordinum Parisios conuocata Summique Pontificis Legatum Archidiaconum Narbonensem acerbè increpasse, moxque ad Cardinales scripsisse in hæc verba: [Nos Prælati, Abbates, Priores, Decani, Præpositi, Procuratores Capitulorum, Conuentuum, Collegiorum, Vniuersitatum, Vrbium, &c. ab omni tempore dicitur Galliæ Regnum Deo vni subditum in temporalibus, quod omnibus notum est, &c.

Addebatur, diuersas habuisse Christum ipsum à gladio claues, Petrumque, vbi in arma etiam iustè prorupeat, gladium mittere rursum in vaginam, ne qui restaurandis instituebantur truncaret membra. Mansuetè post regnasse Ecclesiam, cui Imperium est in volentes Summo Pontifici Vicario Christi, neque ius gladij: quamquam Petri successori esse neque iurisdictionem, vbi de priuatorum possessionibus agitur: item vbi de publicis nullibi probatam primæ Sedis potestatem, adeò, vt priuatum, in hæresim, in idolatriam, in iudaicam superstitionem, in omne nefas prolapsum, patrimonio suo deijciat. Cur Magistratum? Cur Regem? Plusne illi in publica iura, quàm in priuata? Si esse contendatur, vnde quæso? An ex Christi responso, quia Pilato interrogatus, Rex ne foret, respondit: [Regnum meum non est de hoc mundo, &c.] Si diffitetur se Christus mundi Regem, hoc est, sine potestate in mundum, vt Christus est, quo iure arrogabit sibi Vicarius iurisdictionem, quam sibi Christus ipse indebitam dixit?

Cæsares nemo negauerit, Reipublicæ Romanæ tyrannicè incubuisse: eos inter Tiberius scelestus, nequam, proditor, incestuosus, adulter, idolorum cultor; crudelis, & ferox, per quæ adigebatur populus sæpè in murmura, immo & in rebellionem, quasi indignus tributo foret, qui profligatè desolabat Imperium, lanista per continuas cædes magis, quàm Princeps: ideo ne minùs responderit Christus: [Reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo?] Sacramento soluere noluit Christus tyrannni, eiusdemque pagani subditos, & volet Vicarius? Ceterum si fidei Orthodoxæ fundamenta Rex quatit, iubens subdito, vt adoret sculptilia, qui Deo primitùs cultum debet; quid fieri Martyrem vetat, qui Christianus est? Non vsque adeò parendum Regi, vt fides abdicetur, moriendum constanter. Hoc modo fieri satis præcepto Christi, quo iubemur reddere Deo, quæ Dei sunt, & Cæsari, quæ Cæsaris sunt. Cultum reddi Deo, cui debetur, fides, vitam Regi, cui in subditos ius [illegible], & necis est. Docuisse [illegible] exemplo, & scripto, Regibus in[illegible] characterem, quo suprema in subditos potestate ius dicitur, exemplo, cùm verberibus cæsus obmutuit in exemplum Christi, cuius item morte admonemur. Principibus etiam tyrannis, Ecclesiæque persequutoribus obedire scripto docuisse, patet ex vulgata epistola, qua Principibus etiam discolis deberi obsequium clamat in hæc verba; [Omnis potestas à Deo est: qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit.

Responsio.

Aduersùs hanc pro parte aduersa adductam argumentationem, quantum contingit Bonifacium VIII. respondet Auctor Regalis Sacerdotij cit. lib. 1. §. 9. num. 3. Ibi cùm prodidisset fuisse Bonifacij VIII. constitutio Extrauagans vnam sanctam inter communes relata de maior. & obedient. subdit ille Auctor videri, quod ea constitutio à Bonifacio VIII. edita sit circa annum 1302. ardentibus iam inter ipsum, Regemque Galliæ Philippum simul-

simultatibus, quas multò etiam magis hoc decretum accendit. Sic enim illud interpretatos esse Galliæ Proceres, vt crederent, voluisse Bonifacium Galliæ Regnum sibi temporaliter, tamquam beneficiatum subesse, illudque à Papa, non verò legitima successione accipi oportere, veluti legere sit in epistolis à Clero Gallicano ad Bonifacium datis in libro Gallicano libertatum Ecclesiæ Gallicanæ num. 14.

Clementem V. igitur, vt omnem dubitandi, diffidendique materiam amoueret, Bonifacianam illam explicasse per Clementinam Meruit. De priuilegijs, qua definiuit, Regem Galliæ per Bonifacij prælnsinnatam constitutionem non magis Ecclesiæ Romanæ subiectum esse, quàm anteà fuerit. Sub qua declaratione agnosci aliquam, eamque antiquam subiectionem temporalem (de hac enim tantùm, non verò de spirituali dubitatum fuisse) cùm Clemens nouam tantùm subiectionem excluserit.

Obiectio.

Excipi potest ex parte aduersa, quòd in illa Bonifaciana, ne apex quidem reperiatur, ac si Pontifex iste intenderit, Regnum Galliæ beneficiario titulo temporaliter subiectum sibi adsciscere, sed constitutio illa tota quanta nititur vnica Oecumenica per Christum sancita, & in Euangelio fundata Summi Pontificis auctoritate: quam Clemens V. ceu antiquam in Sanctione sua Meruit, super Galliæ Regno vnicè voluit integram, declarando, Regnum Galliæ respectu Sedis Apostolicæ in eo manere statu, quo erat ante Bonifacianam Constitutionem. Quare Gallorum opinionem de Regno suo ad statum beneficiarij erga Sedem Apostolicam, per Bonifacium redigendo, haud nixam fuisse solido fundamento, arbitror, sed mera suspicione, eousque tamen præualente, vt propterea Clerus Gallicanus de ea monendum duxerit Bonifacium, datis ad eum literis, quæ habentur in libro libertatum Ecclesiæ Gallicanæ num 14. Quæ suspicio meo iudicio in tantum inualuerat, vt credam, propterea suscitatam hinc fuisse quæstionem super Ecclesiastica erga causas temporales Iurisdictione anno 1329. propositam coram Rege Philippo, ac egregiè nomine totius Cleri Gallicani à Cardinale Eduensi Bertrando defensam in publicis Regni Comitijs; vti supra pluribus ostensum fuit. Atque hoc est, quod superiùs insinuabatur, in Comitijs Gallicis anno 1615. celebratis, ex parte tertij, nempe Popularis Ordinis, fuisse Clero Gallicano obiectum, quòd tercentis abhinc annis, & ampliùs fuerit proposita illa thesis, de Papæ super causas temporales auctoritate.

Responsio.

Verùm sicuti ante tercentos, & vltrà annos hanc thesim pro Summo Pontifice sustinuit Cardinalis Bertrandus, sic in hoc etiam seculo, vti in antecedentibus visum est, Cardinalis Petronius eamdem propositionem firmissimis defendit argumentis, ipsismet etiam Christianissimis pro tunc Regibus suæ auctoritatis partes contribuentibus, Episcopisque, atque Archiepiscopis, ac reliquo Gallicano Clero vnà cum Nobilitate fortiter, & constanter eam tuentibus; velut ex antecedentibus constat, & adhuc constabit ex dicendis infrà, reseruata interim retorsione super sacræ Scripturæ textibus in aduersæ partis præfata argumentatione allegatis, quamuis antehac super ijs fuerit responsum.

ARGVMENTVM II.

Aduersariorum.

EX parte aduersa licet 2. argumentari ex Popularis in Comitijs Parisiensibus anno 1615. coram Rege celebratis tertij Ordinis Clero Gallicano repræsentatis insinuationibus hunc in modum propositis, Summis Pontificibus inesse hominum affectus: neque hodie supra nimbos positum adeò fastigium Apostolicæ Sedis, vt velut in Olympi cacumine maneant indeleta post annos mille sexcentos, quæ Christus in Petra exarauit, æquanimitas, ouium cura solers, & innocens, iudicia procul à priuatis rebus æqua in omnes. Posse spectari Principum gesta ab infensa Roma, velut cùm medio vitri colore inspicitur cœlum futurum albescens, nigrum, aut viride, prout vitro infusus color. Sic posse illudi Romano Pontifici per vulgatos in maius Regum errores, aut explicata in deteriua vita ipsorum. Et Summis Pontificibus suos esse Aulicos, qui summam rei Romanæ tenenei ex priuato ipsorum odio, futuram sæpe in Reges publicam vltionem. Sic collata Regum iura in arbitrium priuati hominis quandoque suspecti. Ipsos Pontifices Romanos, vt homines sunt, posse nulla in apertum causa per naturæ impetum, gratia impelli, aut odio, in hoc, vel illud Regnum, in hunc, vel illum Regem: qua propensione soluto stateræ æquilibrio, plerumque minas intentabit Principibus, aut fulmina vibrabit parùm amica manu. Quæ si iniuria fient, vt ferunt persæpe rerum humanarum vices, quid iuris erit? Summos Pontifices sæpe hominum fragilia induisse, & in ipsos Reges peccasse priuatæ rei studio, docemur pluribus exemplis, præcipuè Alexandri Tertij. Huic, cùm esset, quod de Imperatore Friderico quereretur, habuisse supplicem, & iras humiliter deprecantem: sed vti fertur, insultasse iacenti ad pedes, superimposito per hæc verba in caput iacentis vestigio: [Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem.] Zelum pro domo Dei ob temeratam ab Imperatore Petri dignitatem dixisses, nisi sibi, & Petro debitum obsequium respondisset. Cùm priuatas res misceuit rebus Petri per hæc verba: [Et mihi & Petro,] prodidit se hominem esse, natura in affectus prauos pronum. Quem iracundiæ calorem, aut arrogantiæ lubricum in successorem aliquem diffundi posse, nemo negauerit. In ijs, quæ de fide non sunt, posse quandoque decipi Summos Pontifices.

Regibus Deum esse iudicem vnum ex Propheta Rege, dum dixit: [Tibi soli peccaui.] Subscribi à Clero Gallicano Concilij Constantiensis doctrinæ, quæ Reges etiam

tyrannicè ſæuientes necari vetat; quæ doctrina valere nequeat, ſi Summi Pontificis arbitrio ſtat, Regibus interdicere Regno, ſubditoſque nexu ſoluere, quo fidem debent. Interdicti hic effectus eſt, vt ſubditi fiant ſui iuris. Quo poſito, quid vetabit ſui iuris factos, necare hoſtem publicum? Non chriſma, qui innunctus eſſe deſijt: non Regni lex, quia ſolio deiectus, priuatus erit, & hoſtis publicus. Ergo ſi liceat Summo Pontifici, Regem exauthorare, conſequens eſt, vt liceat ſubdito interficere. Exauthoratio excommunicationem ſequitur, hæc maledictis conſtat, quæ vbi à Summa Sede iaciuntur in quoſcumque, excitantur in viuos ipſa inanima, ſorbentur à quis, hiatu hauriuntur, fortuito igne cremantur, &c. Numquam à tertio Ordine propoſitam hanc theſim, vt de Theologica fide; ſed datam in publicum, vt ex politica Magiſtratuum ordinatione de politicis eſſe doctrinam, vindicet ſibi Theologicus Clerus. Immitti caſu, de quo agitur, ſalcem à Clero in meſſem alienam, multò magis, quàm à tertio Ordine, cuius eſt de re politica diſputatio. Fides nomen æquiuocum eſt, vti Deo debetur, ita & Regibus: his debitam à ſubditis cuique ſuis fidem, eoque ſenſu dici poſſe de fide doctrinam. Si iurauerint, politicè à ſe ita creditum, inaugurandi in Gallia Epiſcopi, & Magiſtratus, quid eſt Summo Pontifici, quòd queri poſſit? Nemini tam altè impreſſam hanc pro Romana Sede doctrinam, vt credat, Summo Pontifici ius eſſe in heretici bona, ridiculum ſanè, deteriùs haberi Regem ſubdito. Inſanum fore Regem, ſi præſumpſerit ſibi ius datum, vt Summum Pontificem è Sede depellat quocumque caſu, Nullam Regibus in primam Sedem iuriſdictionem, nullam primæ Sedi in Reges eſſe.

Reſponſio.

Super præadducta aduerſæ partis argumentatione (quoad Summorum Pontificum priuata quandoque affectionum ſtudia, & deceptionum ex Aulicis diſcrimina) reſponſio aliqua in rem præſentem videtur adferri poſſe ex ijs, quæ profert Auctor Regalis Sacerdotij cit. lib. 1. §. 14. Canonibus, inquiens, ex quibus Papæ ſuper Reges auctoritas comprobata fuit, forſitan opponi poſſet: eos à Summis Pontificibus editos eſſe in cauſa propria, nec proinde mereri fidem indubitatam, nec in Gallijs receptos eſſe. Verùm hæc exceptio videtur nimis imbecilla, vt tanti, tantorumq; Patrum auctoritatibus opponi queat, cùm illorum aliqua decreta in Cócilijs etiam Oecumenicis edita fuerint, & vniuerſim inſerta iuri publico, vſu & approbatione non cuiuſcumque, ſed ſanctiſſimorum Patrum & Doctorum, vti dicetur, recepta, ac exemplis, curſuque tot ſeculorum munita fuerint. Ad hæc notiſſimum, ac receptiſſimum eſt iuris principium, quemlibet iudicem, ſeu ordinarium, ſeu delegatum cognoſcere, & iudicare poſſe, an ſua ſit iuriſdictio, lege ſi quis ex aliena, ff. de iudicijs, leg. 2. ff. ſi quis in ius vocatus. Et ſi iudex cognouerit, ſuam eſſe iuriſdictionem, valet mandaris pœnalibus contra non obtemperantes eam defendere, leg. 1. in princip. ff. ſi ius dicenti. Quod veriſſimum ſaltem eſt in Principe ſupremo, nec alteri ſubiecto, qualis eſt Summus Pontifex, ac ingenuè faſſa eſt Synodus Sinueſſana trecentorum Epiſcoporum in cauſa Marcellini Pontificis, iuxta cap. nunc autem, 7. diſtinct. [Primam Sedem non iudicari à quoquam.] Quia igitur nemo alius eſt, qui Pontifici Maximo ius dicat, de ſua iuriſdictione ipſe cognoſcat; neceſſitas cognoſcendi, & in propria cauſa iudicandi, immò potiùs maximè in cauſa Chriſti, & Eccleſiæ, ſuſpicione illum abſoluit, maximè cùm nulla ſit Pontifici in Principes, eorumque iura, & dominia poteſtas, niſi cùm Eccleſiæ publica cauſa hoc remedium, & neceſſarium, & vltimum extorqueat.

Reflexio.

Reflexionem faciendo ſuper præadducta partis aduerſæ argumentatione, occurrunt ſequentia exactiùs diſcutienda. Ex ea namque parte, qua Summorum Pontificum minùs ordinatæ affectiones in procedendo erga Reges, taxantur, nihil de iſtis habemus agendum in præſenti cauſa, vtpote quam neutiquam probatam volumus, niſi quatenus Summi Pontifices ſententias, & ſanctiones in ſuis erga Reges proceſſibus ex Verbo Dei, ceu fidei principio, per meritorum cauſæ, ſub infuſæ prudentiæ directiuo lumine ſubſumptionem, deduxerunt, atque ſtatuerunt. Sub quo Theologico in Canonibus ſanciendis, tàm Concilijs, quàm Pontificibus familiari, argumentandi genere irrepere haud poteſt, ſeu error, ſeu praua affectio, Spiritu ſancto omnem eam materialem concretionem, cui ſubeſſe poteſt falſum, omnemque inordinatam concupiſcentiam, quæ affectionis deprauationem generare ſolet, per gratiam ſuam abſtergente, ac depurante, vti viſum eſt in antecedentibus, & ex profeſſo oſtendetur infrà in quarto articulo.

Et hinc Alexandri Tertij erga Fridericum Imperatorem duriùs prolata verba haud importabant prauæ affectionis, ſed puræ erga Dei domum, Religionis zelum, ipſomet Pontifice, & Petro, & ſibi eatenus vendicante debitæ humiliationis reuerentiam, quatenus ſibi, ceu Chriſti Vicario eamdem, quæ fuerat in Petro, competeret Apoſtolicæ auctoritatis agnitio, ac reuerentia.

Eſto porrò, Regem, vti quoſque alios fideles ſoli Deo peccare, habita reflexione ad propriam peccati rationem, ac reatum: numquid autem hic peccati reatus ſubeſt ſanctæ Eccleſiæ clauibus, non ſolùm in ordine ad forum Sacramentale, ſed etiam in ordine ad virgam correctoriam Matth. 18. ſancitam, atque in foro etiam externo exercendam in vi indefinitæ, Petri ſucceſſore æquè, ac Petro conceſſæ, ad ligandum & ſoluendum, adeòque iudicandum quodcumque, quod ſuper terram morale eſt, deordinabilitate erga Regnum cœlorum, vel participans, vel deficiens? In vi cuius adeò per Chriſtum conſtitutæ auctoritatis, aut Reges à morali ad Regnum cœlorum ordine excluſos, aut Summi Pontificis virgæ correctoriæ ſubiectos fateri oportet.

Peſſima inſuper eſt argumentatio ex eo, quòd,

quòd, si posset Ecclesia subditos à Regis sui iureiurando soluere, hinc contra Concilij Constantiensis decretum liceret cuique, ipsum interficere. Etenim quod in Rege est morale, in vi characteris Christi, quo in Baptismate est insignitus, indirectè & materialiter subijcitur equidem sanctæ Ecclesiæ clauibus, non verò quod est physicum in homine, cuiusmodi est vita Regis, ad quam è medio tollendam, nullus Pontificum noscitur vmquam protendisse virgam suam coercitiuam, seu auctoritatis sibi diuinitùs traditæ gladium, sub indirecta etiam, ac materiali solummodò super eam prostituendam protensione. Quòd denique Regia, & Pontificia potestates causentur esse disparatæ, nullam inter se subordinationem obtinentes, fideique æquiuocè vsurpatæ, Regi æquè ac Pontifici in sua cuiusque sphæra conuenientis, debitum absque vllo subordinationis ordine prætendatur; hæc in antecedentibus, ceu à fidei principijs aliena, fusè habentur confutata.

ARGVMENTVM III.

Aduersariorum.

EX parte aduersa licet 3. argumentari ex præinsinuata Popularis Ordinis in Comitijs Parisiensibus peroratione. Ita namque pergitur ibidem. Citatos à Perronio Auctores non de Summo Pontifice, sed Comitijs Regni generalibus scripsisse, quibus nescio, ac iure arrogant, vt Regem etiam Tyrannum regno amouere possint. Ità Childericum per Comitia Regni deiectum: ita substitutum Pipinum consilio iuxtà, & auctoritate insignem, vno post tot sæcula exemplo. Quæ de Clothario narrantur, fabulosa esse, neque Pontifici Romano ius addicere, etiamsi vera, nisi in spiritualibus. Institisse Philippum Pulchrum, & Ludouicum Duodecimum contra Bonifacium Octauum, & Iulium Tertium Gallorum Reges, quamuis Sedis Apostolicæ filij sint, emancipatos esse suique iuris, adeò, vt propria ipsis habeantur, quæ possident. Dignum esse, quòd trahatur ad posteros placitum Lutetiani Parlamenti, quo annum circa 1569. regnante Carolo Nono Gallorum Rege, Banquarrilus, in sacra Theologia apud Sorbonam Baccalaureus, habitu nudus, & tædifer, mulctam honoris passus, eierasse fertur opinionem, quæ Summo Pontifici ius dixerat in Reges. Dici immissam super vulgato apud Gallos miraculo ampullam liquore pleuam, quo vngi solent Reges, vt doceamur, à Deo esse, quòd regnant, nudique ministerij officium Ecclesiæ militantis, cum illa operante vnguntur. Hinc esse, quòd Dei gratia Reges dici solent, ne Galli quidem, sed & reliqui longè post illos. His igitur vindicabat auctoritatem Regiam tertius Comitiorum generalium Ordo. [Assensere Lutetiani Parlamenti Patres, nec multò post vulgatum confœderatæ sententiæ placitum in hanc summam: regnante procuratore Regio, Senatus censuit, pro lege politica, Regnoque fundamentali habendum posthac: quòd Rex Galliæ vnius Dei beneficio regnat, quòd neminem in temporalibus agnoscit: quòd sacrum ipsius caput est: adeò, vt nemini Ius sit, eum quocumque prætextu occidere.]

Responsio.

Super hac partis aduersæ sermocinatione responsionis loco adduci potest, tum quod præcitatus Gramondus subijcit; Excanduisse Clerum super eo Parlamenti Regij placito, obieciss eque, non eas esse Parlamenti partes, vt vltro respondeat: Comitijs Galliæ generalibus conuocatis, Regium omne ius translatum iu ipsa: adeò, vt velut iustitio indicto, cessare debeat Magistratus. Clerum & Nobilitatem conuenire in eamdem sententiam, nec ideò contrariam opinionem valere, quia ita populus censet, duorum vota & calculos præualere: neque id muneris Parlamento, vt Comitiorum generalium placitis intercedat; prærepta m alioquin Prouinciarum Oratoribus libertatem, quorum est, summo iure dicere de Republica, sub Regis placito.

Clero Sedis Romanæ Orator adiunctus (Nuntium vocant) vindicabat Apostolicam auctoritatem, dissidioque res haud procul aberat, nisi Cardinalis Sordisius ad Regem delegatus obtineret, in suspenso haberi theses, donec opportunè discussæ irent in legem, aut penitùs abrogarentur. Vulgatur intereà placitum Lutetiani Parlamenti, præstoq; datum id magna approbatione per vrbem: exin, toto latè Regno diffunditur. A Clero Delegati iterum detorquent nouum à Rege diploma, quo mulctam pecuniæ patitur Typographus ab edito Parlamenti arresto: vnde probis stupor ediderat, sub fide publica nulla, iussus in contrarium lege, & pœnas luit: at magè luit Parlamentum, cuius perturbatur auctoritas. Quidni ergo modernus Gallicanus Clerus imitetur hoc pristini Cleri Gallicani exemplum ?

Sed hic fortassis excipietur. [Theses illas in suspenso habitas fuisse, donec opportuno tempore discuterentur, ac vel in legem irent, vel penitùs abrogarentur.] At numquid moderni temporis opportunitas iam exigebat à Clero Gallicano thesium illarum discussionem ? Num Ecclesiæ Gallicanæ conseruatio vrgebat, vt eiusmodi propositionum fieret per Clerum approbatio ? Dignissimum profectò est, super hac re audire Auctorem tract. de libert. Ecclesiæ Gallicanæ lib. 3. c. 13. ita differentem: [Vera libertatum Ecclesiæ Gallicanæ origo fuit, cùm Clerus illius Regni Beneficiorum à Pontificibus, vel Pseudo-Pontificibus tempore schismatis oppressi, cœperunt inuocato seculari auxilio, iugum illud excutere, tamquam seruitutem antiquæ libertatis, Canonibus consentaneæ, contrariam. Nec aliud erant illæ libertates in sua origine, quàm libera Beneficiorum, & redituum Ecclesiasticorum dispositio aduersùs Pontifices illos, eorumque Officiales vindicata. Quæ quidem defensio, quia necessaria, & in se iusta videbatur, maximas statim vires adepta est, & sensim sine sensu ad alia excurrit, in quibus minus erat iustitiæ.

[Hactenus tamen numquam Clerus Gallicanus Ecclesiæ suæ libertates obtenderat aduersùs Curiam Romanam, nisi quando ab ea

ſe nimis premi, ac iuribus ſuis ſpoliari arbitrabatur. Modò autem cùm Summus Pontifex Eccleſias Gallicanas à grauiſſima Regaliæ ſeruitute liberas ſeruare contendit, Eccleſiæ Gallicanæ libertates illi obijciuntur, ac grauiſſimorum diſſidiorum ſemina ſparguntur. Quouis colore ſuam declarationem Antiſtites Pariſijs congregati obducant, eam ſapientibus non probabunt; multò minùs eius edendæ conſilium. Quis enim obtuſi adeò ingenij reperiri queat, qui actum illum eò ſpectare non animaduertat, vt Curia Romana odioſis illis propoſitionibus perturbata, cogitationes ſuas à Regaliæ negotio auertat eoque conferat, vt in tanti momenti rebus auctoritas ſua tam graue detrimentum non patiatur, ſed malit, Eccleſias Gallicanas libertate, quàm Sedem Apoſtolicam auctoritate: & dignitate ſua carere?

Firmatur præadducta reſponſio ex diſſertatione, quam exornat Auctor Regalis Sacerdotij cit. lib. 1. §. 10. in fine. Vbi cùm hic Auctor quæſiuiſſet; An Summus Pontifex in Reges, & regna temporalem habeat poteſtatem? Reſpondet, abſolutè negari poſſe hanc Papæ; cùm enim hæc, qua Summus Pontifex potitur, poteſtas reſpectu Regum, atque cauſarum temporalium ſit indirecta, ſubſidiaria: per accidens, & extraordinaria, non denominat ſubiectum, vtpotè quod tale dicitur ab ijs, quæ plerumque, non verò raro accidunt. Per legem 3. & 4. ff. de legib. Atque in hoc ſenſu, ait, loqui Innocentium Tertium in cap. per venerabilem, qui filij ſint legitimi. Et cap. nouit de iudic. vbi abſolutè Summus Pontifex negat, ſibi eſſe poteſtatem temporalem in Reges Galliæ; eaque ſi vteretur, indebitam, & vſurpatam fore. Hæc igitur dicti Auctoris verba conferendo cum Parlamenti Lutetiani præadducto edicto, numquid verificaretur, quòd Rex Galliæ vnius Dei beneficio regnet, vtpotè ius ſuum Regium à nullis extrà Deum quaſi beneficiario titulo acceptum ferens, neminem in temporalibus agnoſcit? Num ergo & Cleri Gallicani primam propoſitionem in hunc quoque ſenſum exponere nefas foret?

Sed reuertendo ad ea, quæ tertij Ordinis Orator protulerat, ex ſequenti diſquiſitione patebit, quàm perperam negarit, Auctores à Perronio Cardinale ſuperiùs allegatos non loqui de Summo Pontifice, eiuſque erga Reges auctoritate. Quæ de Childerici abdicatione, ac Pipini ad regium diadema per auctoritatem Pontificiam ſuffectionis exemplis perorauit Perronius habere maximum pro Pontificia poteſtate comprobanda pondus, patet ex dictis ſupra §. 1. patebitque vlteriùs ex ſequenti concluſione, vnà cum ijs, quæ Bonifacij Octaui cum Philippo Pulchro, & Iulij Tertij cum Ludouico Duodecimo actiones concernunt.

Nec eſt, cur Lutetiani Parlamenti aduersùs Banquarellum Anno 1569. latæ ſententiæ immoremur, dum eiuſdem Pariſienſis Parlamenti edictum Anno 1615. editum in pari cauſa fuit regia auctoritate abrogatum. Regia equidem poteſtas in ſe formaliter eſt à ſolo Deo, haud minùs, quàm ampulla liquore plena ad Franciæ Regem coronandum, olim cælitùs immiſſa: attamen ſicut huius applicatio indiget Eccleſiaſtici miniſterij vnctione, ſic regiæ quoque poteſtatis ad certum ſubiectum applicatio ex hæreditaria, nonniſi per humanas conſtitutiones ſancita ſucceſſione dependens, qua moralitatis in regnum Cœlorum ordinabilis, ex fidei principijs noſcitur capax eſſe, indirectè ſaltem, ac materialiter ſubiacet pro certis extraordinarijs caſibus Oecumenici Eccleſiæ Paſtoris auctoritati; vti probatum iam dedimus, & vlteriùs dabimus in ſubſequentibus.

CONCLVSIO.

Præadducta Summorum Pontificum exempla exhibent argumenta perquàm efficacia, ad probandam Pontificiæ ſupra Reges poteſtatis extenſionem.

EXplicatur. In Summis Pontificibus duo ſunt actuum genera. Vnum reſpicit Papam, ceu ſui principium effectiuum, qua homo eſt, ex congenita ſibi fallaciæ, & ad malum pronitatis affectione operans. Alterum reſpicit Papam, ceu ſui principium, qua Pontifex eſt, ex Oecumenici ſui muneris Paſtoralis auctoritate definiens, aut decernens. Declarari poteſt hæc diſtinctio ex homine iuſto, qui, ſi operetur vt homo, mendax eſt, & ad malum pronus, facilèque profert fructus malos in genere tam veritatis, quàm moris peſſimos. Si operetur vt iuſtus, cui vt ſic operandi principium radicale eſt gratia ſanctificans, proximum verò principium ſunt virtutes per ſe infuſæ, ac ſupernaturales, vnà cum gratiæ excitantis, adiuuantis & cooperantis actualibus Dei auxilijs: vt ſic quoduis ſupernaturale opus ex quacumque morali virtute promanans reduci debet in fidem, & huic ceu fundamento ſuperſtructum lumen prudentiale ſupernaturale, ceu principium ſui directiuum. Pari proportionaliter modo, ſi Papa in ſe dominari ſinat congenitæ fallaciæ, & ad malum pronitatis affectionem, nonniſi ſpinas & tribulos germinabit terra ipſius. Si verò autem, & purè decernat ex Oecumenici Paſtoralis Officij ſui auctoritate, conſiderandum nobis in hac venit, quòd ſit ſuperſtructa Petræ, aduersùs quam portæ inferi non præualebunt. In hoc proinde agendi genere Papa ſe reflectens ſuper virgam correctoriam, & coercitiuam, ſibi à Chriſto conceſſam, cum poteſtate ligandi, & ſoluendi quodcumque, quod in homine per Chriſtianum characterem inſignito ſuper terram morale eſt ad Regnum Cœlorum ordinabile, vt ſic omnimodi decreti ſui Apoſtolici directiuum principium præ oculis habet indubitatum principium; quod per prudentiam gubernatiuam non naturalem, ſed ſupernaturalem applicando ad caſus particulares, ſub iſto prudentiæ quaſi diuinizatæ lumine ex prætacto fidei principio infert ſanctionem in duplici, altero fidei, altero prudentiæ infuſæ vtrinque certo, fallaciæ, ac nequitiæ per intrinſecam ſupernatura-

ra-

ralitatis suæ in Spiritum sanctum, seu principium reducendæ puritatem, experte principio,

Res hęc apertiùs declarari potest subOecumenicæ Pontificiæ auctoritatis comparationem ad lumen Propheticum. Hoc, si homini diuinitùs concessum fuerit, minimè facit, ne homo Prophetiæ dono ditatus, sit obnoxius fallaci & fallibili, atque ad malum pronæ humanæ conditioni, maximè cùm lumen Propheticum sit gratia gratis data, potens inexistere homini etiam peccatori, imò infideli, vti constat de Sybillis veris Prophetissis, sed Ethnicis. Nihilominùs quando is, qui Prophetiæ gratia est ditatus, intendit in lumen Propheticum, ex hoc diuinizando, ac reuelando veritates absconditas, nequit vlla subesse falsitas, ac deceptio, quippe cùm actus propheticus, qua procedens ex lumine prophetiæ, nequeat in se, ac intrinsecè coinquinari specie mendacij, quin hæc impuritas reducenda foret in luminis prophetici principium, Spiritum Sanctum, quod ne cogitare quidem, minùs asseuerare licet absque horribili blasphemia. Sic Oecumenica pastoralis muneris potestas, quamtumuis inexistat homini per naturam suam fallaci, ac mendaci, & fallibili, & in moribus defectibili, attamen per ipsam Christi institutionem ita est fundata super fidei petram, vt cunctæ actiones ex ea promanantes reducendæ sint in fidei principium, eius Oecumenicæ potestatis super omni in terris morali ad Regnum cœlorum ordinabili protensæ, eatenus directiuum, vt, si de particularibus casibus est sanciendum, decernat per prudentiale diuinitus infusæ prudentiæ lumen supernaturale, ab omni adeò seu morali defectibilitate, seu intellectuali fallibilitate, atque fallaciæ labe depuratum. Quando igitur in præsenti disquisitione procedimus Pontificiæ potestatis super Reges protensionem, ex Summorum Pontificum exemplis comprobandam, nobis sermo non est, nisi de eorum actibus, qua promanantibus ex illa Apostolicæ auctoritatis Oecumenica potestate, per naturam suam resolubili in certum fidei principium, vti in antecedentibus ostensum fuit, & adhuc ostendetur ex decursu præsentis, ac subsequentis paragraphi, accuratiusque, ac ex professo ostendetur in Articulo quarto.

PROBATIO I.

In qua refutatur primum Aduersariorum argumentum.

ETenim Ordo Popularis in præallegatis Parisiensibus Comitijs generalibus nitebatur vim facere, ex diuinę Scripturę antehac quidem iam discussis sacris textibus. At eo ipso, quòd Christus à Pilato interrogatus: [Rex ne fores?] responderit: [Regnum meum non est de hoc mundo:] ex clara huius responsi littera noscitur, asseruisse sibi Regnum aliquod, non vtique aliud, quàm illud, de quo Angelus Lucæ 1. prædixerat Mariæ; fore, vt filius ex ea nasciturus regnaret in domo Iacob, nempe in Ecclesia, quod adeò Propheta Regius Psal. 2. describens, inducit Patrem Æternum Christo Filio suo loquentem: [Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem, & possessionem tuam terminos terræ: reges eos in virga ferrea, &c.] In quo prophetico textu singulariter notandum venit, gentes non priùs, quàm fierent hæreditas, & possessio Christi per fidem in Ecclesiæ vnitatem coadunata, & ad terræ terminos vsque protensa, esse de illo Christi regno, cuius Virgam Regiam, oporteret, etiam ferream esse.

Quod ergo Christus coram Pilato sibi asseuerat Regnum, neque Originatiuè, neque ex ordine ad suum formale obiectum, etiam specificatiuè existit de hoc mundo, idque secundùm apertam Christi sententiam, pollet auctoritate virgæ etiam ferreæ. At Christus ascendens in cœlum, huius Regni gubernationem per se visibiliter subire noluit, sed Vicarium sibi constituit Petrum, cum perpetuo ad Ecclesiæ Regnum æternum duraturo successionis ordine. In hoc igitur Vicario Christi Regno, oportet, iam esse illam virgam ferream, eum Oecumenica super cunctas Christi oues, earumque omnimodas in Regnum cœlorum ordinabiles moralitates protensa indefinita ligandi, & soluendi potestate. Cùm proinde Christus iubens reddi Cæsari, quæ Cæsaris sunt, & Deo, quæ Dei sunt, se tamquam Deum haudquaquam ab isto præcepto suo excludere aut voluerit, aut potuerit, illa autem Oecumenicæ potestatis virga Regia, & ferrea solùm vicario modo sit communicata Petri successori, principaliter autem sit de iure Christi, manifestè euincitur, illis quoque Christi verbis, quibus dictum est, reddenda esse Deo, quæ Dei sunt, contineri mandatum diuinum de virga illa regia, Oecumenico sanctæ Ecclesiæ, seu Regni Christiani Pastori concessa, à cunctis fidelibus Christi charactere insignitis recognoscenda. Et ideò, dum Apostolus præcipit: Vt omnis anima sublimioribus potestatibus subdita sit. Vi huius Apostolici mandati Reges vniuersos, charactere Christiano insignitos, oportet. Oecumenicæ Papæ potestati, eiusque virgæ correctoriæ, atque coercitiuæ etiam ferreæ subiectos esse.

PROBATIO II.

In qua refellitur secundum Aduersariorum Argumentum.

PRætactus Ordinis popularis in Comitijs Francicis aduersùs Clerum declamator contra Summorum Pontificum actus vim facere contendit ex eo, quòd Apostolicæ Sedis fastigium non ita sit positum super nimbos, vt velut in Olympi cacumine affectuum humanorum imbres eam non attingant. Verùm ex supra dictis constat, si Summorum Pontificum actus profluant ex Sedis Apostolicæ auctoritate, eatenus reduci in fidei principium sub prudentiæ infusæ circa particularia supernaturali lumine, vt certè supra affectionum prauarum, fallaciarumque imbres sit constituta ea per Christum sancita auctoritate

auctoritas, commaculari haud potens vel ex morali defectibilitate, vel fallibilitate homini congenita.

Sed inquies: [Vnde dignoſcere licebit, Summos Pontifices in ſuis erga Reges proceſſibus, ac ſententijs, non qua fallaces, ac mendaces, prauiſque affectionibus obnoxios, ſed qua Oecumenicos Paſtores verè egiſſe ex Chriſti Vicaria auctoritate?

Super hoc equidem reſpondet Auctor Regalis Sacerdotij in fine cit. §. 15. Ad judicium ſuper ejuſmodi Pontificijs antehac deductis actibus formandum, congruè attendi poſſe ac debere ſanctitatem, & doctrinam Summorum Pontificum, à quibus ſanctiones, aut ſententiæ huiuſmodi promanarunt, nempe Gregorij Magni, Zachariæ I. Stephani III. Gregorij II. Gregorij X. Leonis III. Pij V. inter Sanctos, Beatoſue relatorum, quibus nefas foret, imponere, ac ſi ſuæ Pontificiæ dignitatis iuribus haud contenti, aliena voluiſſent inuadere.

Verùm hæc ratio adfert argumentum aliquod haud adæquatum, nec à priori, ſed à poſteriori, dumtaxat oſtenſiuum, quòd actus illi, ceu verè Pontificij, ab omni adeò prauæ affectionis labe depurati, meritò reputandi ſint. Quare ſi quis eorum actuum, qua à Chriſti vicaria auctoritate, vel qua ab hominibus fallaciæ, ac nequitiæ obnoxijs promanantium, ſignum, & argumentum à priori oſtenſiuum deſiderat, ſacros Pontificum, Conciliorumque Oecumenicorum Canones in duabus proximè præcedentibus diſquiſitionibus multifariàm adductos conſulat, in quibus pronum erit aduertere, qualiter ſanctiones huiuſmodi in ipſa fidei principia ſub prudentiali haud purè naturali, ſed per infuſæ prudentiæ lumen ſupernaturale ſublimato, & quaſi diuinizato, erga publicum ſoluommodò Eccleſiæ, ac Religionis Orthodoxæ bonum, ſeu neceſſitatem reflexo dictamine reſoluantur. Atque hic eſt character propriè diſcretiuus Pontificiorum actuum qua talium, à Pontificum actibus merè humanis.

PROBATIO III.

In qua refutatur tertium Aduerſariorum argumentum.

IN hoc enim contendebat præinſinuari Popularis Ordinis Orator, Childericum III. Francorum Regem, non auctoritate Pontificia, ſed Comitiorum generalium decreto fuiſſe depoſitum, eiuſque loco ad Regium diadema euectum Pipinum. Num ergo hic Orator Comitia Regni contendit eatenus ſupra Regium Caput conſtituere, vt eius depoſitio, alteriuſque ſuffectio ab eorum placito dependeat? Quæ in §. 1. præſ. Diſquiſ. ex Auctore tract. de Libert. Gallican. ſunt adducta, clarè probant, tum Zachariam I. tum Stephanum III. à Francis interpellatos de Childerico deijciendo, & Pipino in Regem cuehendo, auctoritatem ſuam Apoſtolicam interpoſuiſſe in tantum, vt ea Pipini ad ſolium Regium euectio illis Summis Pontificibus indubitatò adſcribatur.

§. III.

Referuntur noſtratis ſententiæ argumenta.

ARGVMENTVM I.

AVctor Regalis Sacerdotij cit. lib. 1. §. 15. ad præſens inſtitutum argumentatur I. ab exemplis Zachariæ Pontificis, Stephani Papæ III. Hadriani Papæ IV. Gregorij II. & Leonis III. Etenim Anno 51. Iuſſu, & auctoritate Zachariæ Pontificis Childericus III. ob inertiam, regendique imperitiam Regno depoſitus, & Pipinus bello, & potentia inſignis, in thronum prouectus fuit; vt teſtantur Æmilius in hiſtoria rerum Francicar. & vita Childerici III. fol. 46. Eginhardus in vita Caroli Magni ab initio. Regino in Chronico, Ottho Friſingenſis lib. 5. cap. 22. Fredegarius ad Annum 751. fol. 161. Annales Franciſci à Pithæo editi ad Annum 752. Abbas Vrſpergenſis ad Annum 753. circa finem. Spondanus ad Annum 751.

Anno dein. 754. Stephanus Papa Pariſijs Pipinum, & filios Reges coronat, ac Principes Francos Iuramento adigit, numquam ex alia, quàm Pipini ſtirpe Regem electuros. Ex Æmilio in vita Pipini. Ludouico Imperatore Magni Caroli filio in Epiſt. ad Hilduinum. Abbate Vrſpergenſe ad annum 153. Ganguino hiſt. Franc. lib. 3. fol. 45. Ioanne Nauclero vol. 3. generat. 26.

Anno inſuper 774. Hadrianus Papa Carolum Magnum expugnato Ticino, capto Deſiderio Rege, Regnoque Longobardorum penitus deleto, Romanorum Patritium eſſe iubet; teſte Sigeberto in Chronico ad hunc annum, habeturque in Cap. Hadrianus diſt. 63. cap. ſeq.

Anno 730. Gregorius II. Synodo Romam conuocata, Leonem Iſauricum, eò quòd ſacris imaginibus impiè iuxta, & crudeliter bellum inferret, Eccleſiamque perſequeretur ſanguine &c. calcatoque Iure Gentium, Legatos Pontificios exilio proſcripſerit, hæreſique infectus eſſet, excommunicatione percellit, & ne illi Romæ, aut in Italia tributa pendantur, prohibet &c. Ex Cedremo anno 9. Leonis Iſaurici. Zonara in Leone. Maymbourgo hiſt. Iconoclaſt. ad annum 730. Spondano ad eumdem Annum.

Anno 800. Leo III. Pontifex Maximus ademptum Græcis Imperium in Carolum Franciæ Regem tranſtulit; vti hæc fusè probata conſtant ex antecedentibus.

Obiectio.

Ex parte aduerſa excipi poteſt inprimis, quod Popularis tertij in Comitijs Franciſcis anno 1615. coram Rege celebratis, Ordinis Orator obiecerat, Childericum non auctoritate Pontificia, ſed per Comitia generalia Regno eiectum, ac Pipinum ſubſtitutum eſſe.

Ref-

Responsio.

Hanc exceptionem prævalidis argumentis confutauit Auctor tract. de libertat. Gallican. §. 1. adductus, qui ibidem videri potest. Et verò, quia dictus Comitiorum Francicorum tertius Popularis Ordo contenderat, Regem Galliarum neminem, excepto Deo, agnoscere, cui capitis sui diadema, temporalisque regiminis iura sua regia inclinaret, quomodò iam Comitijs Franciæ fas esset, Regem deponere, aliumue subrogare? Si hoc nequaquam ex iure directæ supra Regem potestatis, à Comitijs prætendi posse dixeris, sed indirectè dumtaxat, in vi seu defensionis naturalis, seu pactionis saltè Virtualis, ac implicitæ de regni Bono publico pro viribus curando, in cuius adeò defectu Comitijs publicis incumbere, dum necessitas publica exigit, vt Regno congruenter esset provisum. Quid ni, dum Rex Cristianus est sanctæ Ecclesiæ membrum, Oecumenici adeò Ecclesiæ Capitis obseruantiam, ex indefinita super quodcumque, quod in illo est super terram morale, ad regnum uempe cœlorum ordinabile protensa ligandi, & soluendi potestate, prorsus debitam in vi Christiani characteris recognoscere obstrictus, in hac potiùs auctoritate Apostolica, quàm in statuum sibi subditorum Comitijs recognoscat, ins sese, quantum Ecclesiæ necessitas exigit, moderandi, ac reformandi, ac non equidem per se directè, sed indirectè, atque hoc ne formaliter quidem, sed materialiter dumtaxat, & per accidens (sub impropria adeò dumtaxat vocis huius vsurpatione (deponendi, aliumque loco ipsius idoneum substituendi?

ARGVMENTVM II.

Auctor [Regalis Sacerdotij præcitatus] argumentatur 2. ab exemplis Syluestri Secundi, Gregorij VII. & Alexandri III. Etenim anno 1000. Syluester II. Pontifex Maximus S. Stephano Hungariæ Duci ius, & dignitatem Regiam concedit, & Hungariam Regni iuribus donat. Ex Cartuitio Episcopo in Stephani vita.

Anno 1076. Gregorius VII. per suos Legatos Demetrium Croatiæ, Dalmatiæque Ducem coronat Regem, iuribus Regni Dalmatiæ concessis. Ex Vaticana Bibliotheca apud Baronium ad hunc annum num. 66. Eodem annò prætactus Pontifex Henricum IV. Germaniæ Regem in Synodo Romana, quòd Sacerdotia, & Ecclesiasticas dignitates mercatui exponeret, quòd subditorum facultates prædaretur, quòd appellationes ad Sedem Apostolicam impediret, quòd habito Wormatiæ conuentu, ausus esset, in Gregorium sententiam dicere, eumque Papatu exuere, & denique ob multa alia flagitia excommunicat, Regnoque indignum pronuntiat, & subditos iuramento liberat; vnde multis hinè malè actitatis, Germaniæ tandem Principes Henricum redigunt in ordinem, & Rudolphũ Sueuiæ Ducem Regem appellant. Ex actis relatis tomo 3. Conciliorum ante Concilium Romanum 1. Anno 1079. idem Gregorius Septimus, Boleslaum Poloniæ Regem, eò quòd beatum Stanislaum Cracouiensem Episcopum ad aras occidisset, diris perculit, Regno, omnique dignitate priuatum. Ex Longino in Poloniea historia. Baronio Anno 779. & alijs. Eodem anno dictus Pontifex aduersùs Philippum Francorum Regem, cùm sacerdotia pretio venderet, propterea, Episcopum Matisconensem admittere nollet; rescribit ad Rodericum Cabilonensem Episcopum, [vt Regem moneret; quatenus à mercimonio tam turpi abstineret &c. alioquin censuris feriendus, Regnoque casurus.] Ex lib. 1. huius Pontificis epist. 35. Ex cuius verbis etiam patet. Philippum Gregorio paruisse, missisque Legatis, in eius se potestate futurum respondisse.

Anno 1166. cùm Fridericus Ænobarbus in Italiam cum exercitu mouisset, incendijs & rapinis omnia vastaret: Guidonem antipapam Alexandro Tertio opponeret, aderant Cõstantinopoli ab Emmanuele Comneno Imperatore Legati, vnionem cùm Ecclesia Romana, ingentemque vim auri, & auxiliorum spondentes, si Pontifex Maximus Imperium Occidentis Græco restitueret. Exinde Anno 1168. idem Alexander Tertius Fridericum Ænobarbum perniciosissimo schismate, belloque Italiæ, Ecclesiæ, & Pontifici infestum sacris, & Imperio interdicit. Ex actis Alexandri Tertij apud Baronium ad dictos Annos, alijsque authenticis monumentis. Sed Fridericus tandem infortunijs fractus, pacem cum Alexandro inijt, transmissosque mari contra infideles ingentibus prælijs, & victorijs functus infelici casu Cydno amne præfocatur aquis.

Anno 1179. Alphonsus I. Dux Portugalliæ ab eodem Alexandro Tertio ob res aduersùs Arabes præclarè gestas, iura & titulum Regis accipit, annuumque censum Ecclesiæ Romanæ statuit. Ex Spondano, & Baronio ad hunc annum.

Reflexio.

Super his reflexionem facienti occurrit mihi haud importuna Auctoris Regalis Sacerdotij prope finem dicti §. 15. sequens animaduersio, quòd nempe omnium propè à Gregorio Magno sæculorum decursu, vsque probatum iam sit, etiam Regnis, Imperijsque Summos Pontifices, cùm religio id posceret, legem dedisse, iuxta illud Ieremiæ 1. Ne formides à facie eorum, ego quippe dedi te in ciuitatem munitam, & in columnam ferream super omnem terram, Regibus Iuda, Principibus eius, & sacerdotibus, & populo terræ, & bellabunt aduersùm te, & non prævalebunt: quia ego tecum sum, ait Dominus, vt liberem te: Ecce constitui te hodie super gentes, & regna, vt euellas, & destruas, & disperdas, & dissipes, & ædifices, & plantes.] Hic namque spiritus, vti etiam peculiari gratiæ gratis datæ dono erat in Propheta: sic eminenti quapiam ratione est Diuinitus annexus pastorali Ecclesiæ sanctæ muneri Oecumenico; vti ex antecedentibus constat, & aliqualiter patebit ex sequentibus.

ARGV-

ARGVMENTVM III.

AVctor Regalis Sacerdotij argumentatur 3. ab exemplis Innocentij Tertij, Gregorij Noni, Innocentij IV. Gregorij X. Clementis Quinti, Martini Quinti, Iulij II. Clementis Octaui, Pij Quarti, Pij Quinti, Sixti Quinti, & Gregorij Decimiquarti. Etenim Anno 1210. Otto Quartus Imperator, cùm Friderico iuniori Regi Neapolitano, totique Italiæ bellum inferret, nec à Pontifice admonitus, cœptis absisteret, ab Innocentio Tertio anathemate perstringitur, Imperio arcetur, permissuque Pontificis idem Fridericus Henrici Quinti Imperatoris filius à Germaniæ Principibus throno imponitur, Vrspergensis in Chronico, Nauclerus, Spondanus, & Bzouius ad hunc annum.

Anno 1239. Gregorius Nonus Fridericum Secundum Imperio, & sacris interdicit, idemque posteà solemni ritu in Concilio Generali Lugduni Anno 1245. ab Innocentio Quarto est repetitum. Bloodos, Platina, Spondanus ad hunc annum.

Anno 1273. Gregorius X. mandauit Principibus Germaniæ, vt tandem Imperatorem creent, nisi velint, aliquem à se imponi: sicque Imperium deuenit ad Rudolphum Habspurgensem. Spondanus ad istum annum.

Anno 1307. Interfecto Alberto Imperatore, Philippus Quartus Galliæ Rex solemni ad Clementem Quintum legatione Imperium sibi, vel Carolo fratri petijt, vt sic Imperium rediret ad Francos. Conradus Vecerius in lib. de gestis Henrici Septimi. Bzouius ad hunc annum, & Æmilius in Philippum Pulchrum. Idem Clemens V. Anno 1310. Venetis, quòd occupassent Ferrariam, sacris interdicit, eorumque bona vbique terrarum primo occupanti exponit. Spondanus ad hunc annum. Bzouius ad annum 1309.

Anno 1420. Martinus V. in Ioannam Reginam Neapolitanam armat SfortiamDucem, transferturque ius Regni in Ludouicum Tertium Andium Ducem, Spondanus & Pandulphus ad hunc annum.

Anno 1512. Iulius Secundus excommunicat Ioannem Albretanum, eiusque Regnum primo occupanti donat, quòd Ludouico DecimosecundoRegi Galliæ opem tulisset Spondanus ad dictum annum.

Anno 1534. Clemens Septimus in Henricum Angliæ Regem diras pronunciat, & Regnum abrogat, quòd Catharinam legitimam vxorem repulisset, Bolena in thalamum admissa, Cardinalemque Roffensem, & Morum præcidisset, ac innocentium sanguine Angliam inundasset, non alterius culpæ, quàm Religionis Catholicæ reos. Pallauicinus in hist. Concil. Trident. lib. 3. cap. 15. & lib. 4. cap. 7.

Anno 1563. Pius Quartus, Reginam Nauarræ propter hæreses in ius vocauit. Pallauicinus lib. 24. hist. Concil. Trid. cap. 1. n. 3.

Anno 1569. Pius V. Elisabetham Angliæ Reginam diris perstringit, Regnumque Angliæ proscribit: Spondanus ad hunc annum & alij. Addens anno 1570. ab eodem Pio Cosmum Mediceum Florentiæ Magni Ducis Hetruriæ titulo esse honoratum.

Anno 1585. Sixtus V. Henricum Nauarræ, posteà Galliarum Regem Hæreticum declarauit, & Galliæ Regno inhabilem. Spondanus ad istum annum, & alij.

Anno 1591. Gregorius Decimusquartus, eumdem Henricum Regio nomine indignum pronuntiat, exindeque Anno 1593. Confœderati Galliæ occasione potestatis sibi à Clemente Octauo factæ eligendi Regis, qui Catholicus esset, Comitia Parisijs celebrant. Spondanus ad hos annos. At Henricus Diuinitus illustratus, abiurata hæresi, Religionem auitam amplexus, à Clemente Octauo impetrauit absolutionem, ad Regiam proinde Coronam promotus.

Reflexio.

Reflexionem super hanc ratiocinationem facienti, iterum occurrit mihi Auctor Regalis Sacerdotij in fine dicti §. 15. Quamuis, inquiens, aut imprudentia, aut abusu in ijs Pontificum gestis aliquando peccatum fuisset: id tamen omni humanæ potestati commune esse, quàm si propterea proscriptam quis velit, eo quòd excesserit, oportere, omnem tolli potestatem, peiori, quàm malum sit, remedio.

Verùm hac in re vnicè cupio Inreotus esse in cas Summorum Pontificum aduersùs Reges, & Imperatores, seu decreta, seu iudiciarias sententias, quæ mediante prudentiæ non humanæ, sed infusæ dictamine, per auctoritatem Oecumenicam redocebantur in fidei principia: à quibus si non tam aberratum, quàm ad ea attentum non fuisset, non tam Pontificiæ auctoritatis pondus, quàm humanæ infirmitatis labem præseferret ordinatio, hunc non à Pontifice, quà Pontifice, sed quà homine facta: quamquam hoc iudicare, nostrum haud sit, sed Diuino iudicio vnicè reseruatum, à nobis consultò prætermittatur.

Sed, inquies, quomodò igitur factum sit, vt Pipini primùm temporibus, nempe Anno à Christo nato 751. cœperint Summi Pontifices eiusmodi ius supra Reges sibi vendicare? Neque enim anteriorum sæculorum vlla hanc in rem exempla proferri potuerunt.

CONCLVSIO.

Pontificiorum supra Reges actuum exempla, collata cum in sacris Canonibus, & Constitutionibus Conciliaribus ante hac productis, faciunt indubitatum argumentum Pontificiæ super Reges auctoritatis, Theologicè demonstratiuum.

EXplicatur. Quamuis enim historiæ, quibus narrantur acta Summorum Pontificum, & Conciliorum, non excedant metas auctoritatis humanæ, sunt tamen instrumenta quædam, mediantibus quibus mens reduci potest ad altiora argumenta Theologica; quemadmodum in præsenti contingit, histo-

riæ

rias supra §. 3. allatas consonare cum sacrorum Canonum, & constitutionum Conciliarum sanctionibus praec.1.& 2.disquisitione discussis. Qua igitur historiarum cum sacris Canonibus collatione facta, mox probatum exhibetur, eas Canonicas sanctiones sub prudentiali supernaturalis luminis dictamine, carens reduci in principium fidei, Oecumenicae super Reges potestatis demonstrationum, vt auctoritas eiusmodi noscatur hinc certissimo Theologico argumento comprobata.

Neque mirari quisquam debet, cur posterioribus primùm saeculis à Pipini Francorum Regis tempore. Summi Pontifices tantam erga Reges potestatem exercuerint. Etenim ex sacris historijs conspicuum est, ad tempora vsque Constantini Magni Imperatoris, Ethnicos dominatos fuisse, sub quibus, Pontifices Maximos in sancta patientia oportuit, magis delitescere, quàm suae authoritatis virgam ferream in publico exercere. A Constantini porrò temporibus Ecclesiam, contingit, tantis continuò haeresum, atque Gentilismi hinc inde adhuc dominantis, vel etiam à fide apostasiae sanctam Dei ciuitatem deuastantis, grauissimis fluctibus iactitari, vt virgam suam correctoriam latiùs protendere haudquaquam praeualeret, plerumque compulsa, ad hoc vnicè esse intenta: vt fidei dogmatum integritas cum Ecclesiastica inter Clerum disciplina, & qualicumque inter Laicos morum honestare conseruaretur; veluti ex varijs Oecumenicis, per illa saecula celebratis, Concilijs constat.

Primogenitus inter Occidentis Christianos Reges Christianissimus Galliarum Rex Clodouaeus noscitur ad fidem Christi conuersus primùm 499. anno cuius Regis potentia Alaricus Rex Vvisigothorum, & Theodoricus Rex Vvandalorum subacti, Catholicae Religioni maiora incrementa adferre coeperunt. Hoc defuncto, cùm Clotharius Clodouaei filius bona Ecclesiae sibi vendicaret, à Turonensi Episcopo grauiter reprehensus resipuit, claro adeò argumento: virgae correctoriae, vel ab Episcopis, vel vbi extrema exigebat necessitas; à Summo Pontifice supra Reges protensae, vti videre licet ex Annalibus Ecclesiasticis ad Annum 540. Quemadmodùm tale argumentum subministras etiam decantata Diui Ambrosij censura Theodosium Imperatorem propter caedem Thessalonicensium ab ingressu Ecclesiae prohibentis. Ad Regis vsque deiectionem Pontifices equidem non leguntur processisse vsque ad praeinsinuata tempora, at neque ratio publicae necessitatis legitur eousque illam vel efflagitasse, vel sub Regum & Imperatorum seu infidelium, seu perfidorum potentia nimia admisisse, nemine Catholicorum anterioribus seculis existente, qui maiora inde euentura rei Orthodoxae discrimina auertere praeualuisset, Neque verò Summus Pontifex nisi à statibus Francici Regni requisitus, ob Regni & Ecclesiae publicas necessitates, sua in Childerico eijciendo, & Pipino sufficiendo, clauium auctoritate vsus vnquam fuisset. Ante haec igitur tempora casus talem actum, non nisi ex publica necessitate efflagitate potens, non potestas defuit in Summo Pontifice.

PROBATIO I.

Etenim in Regesto Gregorij VII. lib. 8. epist. 21. ad Herimannum Episcopum Merensem data non pauca ex epistola Gelasij Anastasio Imperatori scripta afferuntur, quae occasionem dederunt Glossae in cap. Alius item 3. causa 15. q. 6. vt induceret Gelasium Papam Anno 492. creatum Pontificem, ac si contra Anastasium Imperatorem scripsisset, quòd posset eum deponere propter suam malitiam. Nihilominus hoc tenendo in suspenso, noscitur praefatus Gregorius VII. in dicto cap. 3. taliter rescripsisse, [Alius item Romanus Pontifex, Zacharias scilicet, Regem Francorum, non tam suis iniquitatibus quàm proeo, quòd tantae potestati erat inutilis, à Regno deposuit, & Pipinum Caroli Magni Imperatoris patrem in eius locum substituit, omnesque Francigenas à iuramento fidelitatis, quod illi fecerunt, absoluit. Quod etiam ex auctoritate frequenti agit sancta Ecclesia, cùm milites absoluit à vinculo iuramenti, quod factum est his Episcopis, qui Apostolica auctoritate à Pontificali gradu deijciuntur.

Huic Canoni quoad solutionem à iuramento fidelitatis erga illos: qui subijciuntur excommunicationi, haud dissimiles sunt Canones Nicolai Papae in Cap. Auctoritatem 3. in Cap. Nos Sanctorum 4. & in cap. Iuratos milites, 5. dicta causa 15. q. 6. Si ergo Summorum Pontificum super iuramenti vinculo soluendo auctoritatem inquiras, duplex mox se offert difficultas. [Vna, in quantum eiusmodi vinculum se tenet ex parte iurantis, qui si Laicus fuerit, disquisitio mox enascitur, quomodò Iurisdictio Pontificia super eo extendi valeat? Altera difficultas est. In quantum iurisiurandi vinculum in homagio fidelitatis Regibus, seu Principibus secularibus, etiam supremis praestitum: speciale in his fundans ius non tam priuatum, quàm publicum vt sic subijciatur Clauibus Ecclesiae per Christum concessis Petri successori.] Harum equidem difficultatum solutio satis constat ex antecedentibus, attamen aliquam super hoc puncto reflexionem hic facere, expedit specialiter ex ratione mox deducenda,

PROBATIO II.

Si vel historiarum superiùs expositarum de Pontificijs erga Reges etiam exauctorandos, atque subditos ipsorum à fidelitatis homagio, per iusiurandum etiam firmato, liberandos, actibus tam concordes attestationes, vel sacrorum Canonum, Conciliorumque Oecumenicorum hanc in rem tam frequentes sanctiones expendantur; in aperto sanè est, vnanimi tam fidelis populi, quàm politicorum etiam Magistratuum, Theologiae insuper, ac Iurisperitorum ipsorum randem Principum, Regum, ac Imperatorum resipiscentium consensu, esse humiliter receptas, & magna cum veneratione tandem comprobatas. An non ergo hic fidelium cum

suo Capite Christi Vicario tantoperè hac in re concordantium non imperitorum dumtaxat, sed maximè peritorum, seu Politicorum (quamdiu obedientes Christi oues audire cupiunt) huic Pontificio erga Reges procedendi, modo, collatis in vnum, seu suffragijs, seu consilijs, seu etiam armis se opponere nunquam præsumentium consensus; prævalidum nobis præbeat argumentum, altioris indaginis subesse principium, in ipsa Christi institutione, ac fide Diuina radicatum.

Si iuramenti vinculum in sua consideretur formali ratione, importat profectò Iuris Diuini firmamentum. Si spectetur ex parte iurantis hominis Laici, importat obligationem Iure tam naturali, quam ciuili firmatam. Si expendatur ex parte illius, cui iuratur, eo roborandum importat ius, quæsitum Regi: vel Principi, erga quem fidelitatis homagium præstitum fuit. In quo adeò triplici iurisiurandi vinculo cùm interueniat tum Diuini iuris Religio: tum Iuris naturalis, ac ciuilis in iurante obligatio, tum ius seu priuatum, seu publicum Regi, cui præstabatur, quæsitum, quomodò Pontificis Romani potestas ad hæc vniuersa iura dissoluenda præualere poterit. Vix credo, vllum; qui verè Catholicus est, hanc auctoritatem Summo Pontifici denegaturum, quoad priuatorum saltem iuramenta, vti etiam vota; in quibus eadem est ratio.

Huius ergo rationem solidam inuestigaturi, vndique informamur à viris doctis, Papam soluendo iuramenta, neque ius Diuinum, neque ius naturale; ac ciuile, neque ius tertio, maximè publicum, Regi scilicet quæsitum, per se directè, ac formaliter tollere è medio. Quid ergo tunc facit Pontifex? Omnes fateri debent, in iurisiurandi vinculo importari quid morale, super libero hominis actu fundatum, cui sit superstructum & iuris Diuini specialis, seu Religionis, & iuris naturalis, ac Ciuilis, & iuris seu priuatæ, seu publicæ personæ inde quæsiti obligatio. Hoc igitur morale; numquid quoad sui etiam Virtualem perseuerantiam æquè ac id, quod in peccatis est morale, subiectum est sanctæ Ecclesiæ clauibus, super quocumque quod super terram morale est, ad Regnum cælorum ordinabile, per expressam Christi ordinationem protensis. Quando igitur ex hac per Christum sibi concessa auctoritate Romanus Pontifex soluit illud morale, iuri Diuino Religionis, nec non iuri naturali ac ciuili, proprioque etiam, ne dicam priuati sed etiam Regis iuri superstratum, numquid erit consequens indirectè, sicque per accidens, ac consecutiuè cessare effectum obligationis ex multiplici illo iure promanantis? sublato enim eo, cui vnicè superstruitur multiplex illa iurium obligatio, quomodò ista possit adhuc subsistere. Quemadmodùm igitur iurisiurandi per Summum Pontificem solutio reducitur in fidei principium, Oecumenicæ per Christum constitutæ auctoritatis demonstratiuum, sic pari ratione potestas ob sanctæ Ecclesiæ necessitatem, Religionisq; Orthodoxæ publicam vtilitatem exauchorandi Regem, eiusque loco alium ex sanctæ fidei inter Christianos Boni Publici exigentia sufficientium; reducenda est in tale fidei principium Pontificiæ auctoritatis extensionem diserté firmans, super quaecumque in terris à Christi ouibus dependentre moralitate, cuiusmodi in Regnum cælorum ordinabilis moralitatis expers haudquaquam est seu Regiæ potestatis ad certum subiectum applicabilitas, seu illius politica etiam, ac publica exercitia. Quæ proinde vniuersa non quidem directè: per se, ac formaliter, sed indirectè, per accidens, ac materialiter eatenus subduntur Ecclesiæ clauibus, quatenus harum potestas super eorum substrato materiali per Christi constitutionem protensa, hoc moraliter destruendo, per consequentiam tollit etiam iura eidem superstructa.

PROBATIO III.

Ex quibus sic deductis facilè iam euanescit, quod in præadducto huius Disquisitionis §. 2. ex ore Popularis in Comitijs Gallicis Anno 1615. celebratis, Oratoris aduersùs Clerum, ac Nobilitatem adferebamus [Nempe diuersas habuisse Christum ipsum à gladio Claues, Petrumque, vbi in arma, etiam iustè proruperat, gladium mittere iussum in vaginam, ne, qui restaurandis instituebatur; truncaret membra, Mansuetò post regnasse Ecclesiam, cui Imperium est in volentes. Summo Pontifici Vicario Christi, neque Ius gladij, quamquam Petri successori, esse, neque iurisdictionem, vbi de priuatorum possessionibus agitur idem de publicis. Nullibi probatam Sedis Apostolicæ potestatem adeò vt priuatum in hæresim, ac omne nefas prolapsum patrimonio suo deijciat. Cur Magistratum, Cur Regem.] Verùm quot sunt in hoc verba asserta, tot supponuntur, minimèque probantur principia falsa. Cùm Christus Lucæ 22. dixerit Apostolis, duos gladios satis fore, numquid alteruter saltem gladiorum istorum consistere debebat in Ecclesiæ Clauibus, imò vterque siquidem in ordine ad Apostolos, respectuque adeò Ecclesiæ, duplicatum hunc gladium designarit? Cùm Christus fideles Ecclesiam audire contumaciter recusantes, iusserit Ecclesiæ auctoritate auelli à communione Christiana, num Ecclesiæ imperium dici verè potest, non nisi erga volentes exerceri posse? Num istam igitur Ecclesiastici Imperij virgam coerceitiuam super hæreticos Ecclesiam non audientes, extendere nefas est, vt suis quoque bonis, ac iuribus temporalibus exuantur? Num forrassis Pseudoreformationis hodiernæ Professoribus prætendere lubet: potestatem Ecclesiæ propriam totam esse merè spiritualem, vtpote spirituali obiecto coarctatam? At hoc eorum lubens etiam concedo. Numquid verò, sicut corpus inseruire debet spiritui, sic etiam temporalia subordinantur spiritualibus? Numquid homo non quoad animam dumtaxat, sed etiam quoad corpus operari debet ad finem spiritualis salutis æternæ? Numquid ex statu hominis ad finem supernaturalem eleuati stat obligatio, vniuersas etiam corporales actiones morales reduci ad Dei gloriam? Ita profectò pronuntiauit Apostolus, vt omnia, quæcumque fa-

cc-

terent homines Christiani siue edendo, siue aliud quiduis operando, in Dei gloriā bibendo siue ordinarent. Esto igitur, Ecclesiæ potestati merè spirituali per se primò ac directè nō subiacere temporalia, attamen ex temporalium ad supernaturalia subordinatione Diuinitus constituta, fit consequens, ea secundariò ac indirectè esse subiecta potestati spirituali Ecclesiæ, quæ, dum absolutum habet regimen in ordine ad finem supernaturalem, consequenter habere debet auctoritatem, etiam temporalia tamquam media in hunc finem ordinandi.

Corollarium.

Finale præsentis Disquisitionis.

INfertur. Habita reflexione ad historias relationes à sæpe citato Auctore tract. Lib. Eccles. Gallicanæ neruosè traditas, ac egregiè vindicatas, atque à nobis in huius Disq. §. 1. relatas, si istæ conferantur cum Canonicis & Summorum Pontificum, & Conciliorum definitionibus præf. 2. & 3. Disquisi. adductis omninò patere circa propositionem potestatis Ecclesiasticæ supra Reges protensæ assertoriam, fidelium cum suo Capite Oecumenico consensionem in tantum, vt hæc in ipsa fidei principia per easdem fidei Canonicas sanctiones reducatur. Vnde haud tutam videri contrariam opinionem, si ne indirectam quidē ergà Reges quoad, ea quæ in ipsis sunt moralia, Eccl. potestatē, modis aliàs explicatis, seu adhuc explicādis, admittere vellet. Imò probari hinc posse, quòd SūmusPontifex etiam iure præscriptionis prætendere possit istam indirectam supra Reges in causis etiam temporalibus, non equidem quà temporalibus, sed quà formalitate spiritualis necessitatis superuestitis auctoritatem, veluti Bertrandus Cardinalis Eduensis in sua contra Petrum de Cugnerijs actione vniuersaliter probat de potestatis Ecclesiasticæ super temporalibus protensione, eò quòd ad præscriptionem nonnisi tria requirantur, nempè titulus, qui in præsenti causa fundatur in Ipso Iure Diuino: bona fide, quæ vt potè circa hanc causam in ipsa fidei principia reducibilis, non potest non fuisse certa, & securissima: & denique continuitas temporis, quæ ex adductis exemplis, Summorumque Pontificum ergà Reges, & Imperatores actitatis noscitur vltra mille annos protendi: quamquam superuacaneum foret, ad hunc præscriptionis titulum confugere, vbi ius Diuinum non verisimiliter dumtaxat, sicuti ad præscriptionem satis est, sed cum omnimoda in fidei principia reducibili certitudine, fauere dignoscitur.

DISQVISITIO V.

An, & in quantum Pontificia super Reges auctoritas probari valeat ex vnanimi Ecclesiæ, ac Theologiæ sacrosanctæ Doctorum consensu?

§ I.

ISthud probandi genus egregiè prosequitur Auctor cit. tract. de Libert. Ecclesiæ Gallicanæ lib. 4. cap. 6. exordiens à S. Gregorio Magno, qui libro 11. epist. 10. concessis priuilegijs Xenodochio à Brunichilde Regina, & Theodorico ipsius nepote Rege constructo, subiungit: [Si quis verò Regum, Sacerdotum, Iudicum, personarumque sæcularium hanc constitutionis nostræ paginam agnoscens, contra eam venire tentauerit, potestatis, honorisque sui dignitate careat.] Quam clausulam contineri in duabus quoque sequentibus epistolis, idem Auctor obseruat, ibidem præualidè confutans Ioannem Launoium, tres illas epistolas suppositas, aut saltem interpolatas ostendere conatum epist. par. 7. epist. 1. & 6. tametsi ab vndecim ferè sæculis nemo eas in dubium reuocarit, nec solùm à Gregorio VII. allegata fuerit prima earum, sed omnes à pluribus, etiam Gallicanorum monumentorum collectoribus, exscriptæ sint; velut eo loco per totum caput ostendere pergit præcitatus Auctor, quò Lectorem, si quo forrassis scrupulo pulsaretur, remittere voluit.

Idem Auctor sequenti cap. 7. plures inducit sanctos Doctores, ex quibus probat, prædictam Cleri Gallicani propositionem non esse consonam ipsorum doctrinæ. Sanctus namque Bernardus de consid. lib. 4. c. 3. sic Eugenium III. alloquitur; [Quid tu denuò vsurpare gladium tentes, quem semel iussus es ponere in vaginam? Quem tamen, qui tuum negat, non satis mihi videtur, attendere verbum Domini, dicentis sic:] Conuerte gladium tuum in vaginam. Tuus ergo, & ipso tuo forsitan nutu, etsi non tua manu euaginandus. Alioquin si nullo modo ad te pertineret, & is, dicentibus Apostolis; Ecce gladij duo hic, non respondisset Dominus, satis est, sed nimis est. Vterque ergo Ecclesiæ, & spiritualis scilicèt gladius, & materialis, sed is quidem pro Ecclesia, ille verò & ab Ecclesia exercendus est. Ille sacerdotis, is militis manu, sed sanè ad nutum sacerdotis, & iussum Imperatoris. Ex quibus S. Bernardi verbis, quæcumque adhibeatur interpretatio, necessariò resultat, Ecclesiasticam potestatem, saltem indirectè, ad temporalia Principum ex mente S. Bernardi pertingere. Docet enim apertissimè, Summum Pontificem habere ius imperandi, vt bellum geratur adversùs Ecclesiæ hostes. Si ergo Princeps Christianus non solùm à fide ipse desciscetet, sed etiam subditos auerteret, nec alia posset ratione comprimi, posset Ecclesia contra eum alios ad bellum inducere, ac ita eum à domi-

nio deturbaodum curare. Hanc tantùm Ecclesiastick partis potestatem adstruere visum est S. Bernardo pro temporis sui conditione, nimitum ob expeditiones Christianorum Occidentalium in Terram Sanctam contra Infideles. Fulconis Archiepiscopi Rhemensis, & Iuonis Episcopi Carnotensis seotentiaoi retulimus disquis. 2. §. 1. n. 5. & 6.

Dnctrinam illam magis explicat S. Thomas Vniuersitatis Parisiensis Alumnus 2. 2. quæst. 12. art. 2. in Corp. Infidelitatem illorum, qui fidem susceperunt, potest (Ecclesia) sententialiter punire, & conuenienter in hoc puniuntur, quòd subditis fidelibus dominari non possint. Hoc enim vergere posset in maguam fidel corruptionem, &c.

S. Bouauentura eiusdem Voiuersitatis Parisiensis Alumnus tom. 7. par. 2. [de Ecclesiastica Hierachia cap. 1. Patet, inquit, quòd dignitas Clericalis, quæ in sua radice considerata, est penitùs spiritualis, meritò est coosona Ordini dominationis, quæ sic præcedit alios inferiores Ordines, quòd illos illuminat, perficit, & purgat, & tamen ab illis non illuminatue, nec perficitut, nec purgatur. Quia sicut spiritus dignitate, & officio præcellit corpus, sic potestas spiritualis dignior est, quàm sæcularis, & ideò benè sortitur nomen dominationis.] Vndè Regalis potestas subiacet potestati, & auctoritati spirituali, sicut in prima Canonica Petri dicitur: Vos estis gens sancta, Regale sacerdotium, &c, nam temporale Regnum velut quoddam adiectum subiacet sacerdotio in Nouo Testamento; sed in Veteri Testamento sacerdorium subfuit Regno, vndè dicitur io Exodo. Elegi vos in populum peculiarem, in sacerdotale Regnum, vbi Regnum ponitur substantiuè, sed Sacerdotium adiectiuè. Hæc fotrè de sola dignitate, & excellentia potestatis spiritualis suprà sæcularem intelligi possent, sed continnò addit; [Et ideò Reges tunc poterant amouere Sacerdotes, sicut Salomon amouit Abiathar, Iam verò possunt Sacerdotes, & Pontifices ex causa amouere Reges, & Imperatores, sicut sæpiùs accidit, & visum est, quando scilicèt eorum malitia hoc exigit, & Reipublicæ oecessitas sic requirit: Summus verò Pontifex, penès quem prima in terris eesidet auctoritas, non à Rege, noo à Principe sæculari, non ab homine iudicatur, sed solius Dei iudicio reseruatur.

Augustious Triumphus sanctorum Thomæ, & Bonauenturæ Parisijs discipulus, vir doctina, & pietate insiguis, & à plerisque cum Beati titulo nuncupatus, Magistrorum suorum doctrinæ suffragatur, quod adeò est euidens, vt excessisse aliquibus videatur.

Difficiliimum est, ne dicam impossibile, vt auctoritates paris cum iam adductis momenti, proferantue ad confirmaodam Cleri Gallicani primam propositionem. Nec video, quomodò etiam vniuersim accepta, probabilis possit euadere doctrina, Conciliorum Oecnmenicorum sententia, & praxi, & sanctorum Patrum ac Doctorum calculo improbata. Multò minùs, quomodò possit, prætextu libertatum Ecclesiæ Gallicanæ, quæ Canonibus, & Pattum traditiooe niti dicuntur, toti Galliæ credenda proponi, aduocata Principis potestate, vt etiam eam profiteri ac docere, pœnis indictis, Theologi cogaotur.

Ab eodem Auctore seq. 8. cap. inducuntur io hanc rem auctoritates aliorum insuper, Theologorum Gallorum, vel in Gallia educatorum. Etenim Alexander Alensis, Doctoris irrefragabilis epitheto celebris, in schola Parisiensi Professor, S. Thomæ, ac S. Bonauenturæ Præceptor, Summæ Theologiæ par. 4. quæst. 10. tract. de offic. Miss. par. 5. super hæc verba; Et Regem nostrum; Vgonem de S. Victore lib. 2. in Sacrament. par. 5. cap. 4. ferè ad verbum exscribens, Spiritualis, inquit, potestas terrenam potestatem instituere habet, vt sit, & iudicare habet, si bona non fuerit. Spiritualis autem potestas primùm instituta est, & cùm deuiat, à solo Deo iudicari debet. Vndè spiritualis iudicat omnia, & ipsa à nemine iudicatur. Quòd Regalis potestas ordinata est, & instituta per spiritualem, patet per hoc, quia adhuc in Ecclesia Sacerdotalis dignitas Regalem potestatem sacrat, & sanctificans per benedictionem, & formans per institutionem.] Vnde Regalis potestas iure ioferior existimatur.

Vmbertus ex Diœcesi Vienuensi, Parisijs educatus serm. 70. cui titulus est; Sermo in solemni depositione Magnatum sæcularium per Ecclesiam facienda. Ista autem auctoritate magna vtitur Ecclesia in depositione Principum, non solùm illorum, qui sunt ei subiecti io temporalibus, de quibus clarum est, quòd potest, sed illorum, qui subsunt solùm in spiritualibus, in quibus propter culpas eorum habet potestatem, quia ratione delicti sunt ei omnia subiecta. Quòd autem sic possit facere, patet ex tribus. Io mundo enim maiori spiritualia, scilicèt Aogelicæ creaturæ, sunt super corporalem, & eam regunt. Similiter io minori mundo, scilicèt in homine, est spiritus super corpus, & ipsum regit. Eadem ergo ratione, & in Ecclesia Pontificalis potestas, quæ est spiritualis, debet esse super omnem potestatem sæcularem. Prætereà Papa, qui est super omnes, potest deponi ab Ecclesia, quæ tota subest ei in casu, ergo multò fortiùs quicumque Rex deponi potest à Papa, cui omnes subsune. [Prætereà si Rex aliquis, qui nihil tenet oisi à Deo, non posset deponi à Papa, cùm interdum expediat, eum deponi, vt ostensum est, ergo non reliquisset Deus sufficientem potestatem in Ecclesia ad regimen mundi, quod est inconueniens.]

Henricus à Gandauo, qui diù Parisijs docuit, ibique scripsit. Quolib. 6. quæst. 23. pag. 244. Reddet, inquit, (Papa) rationem tamquam superior Iudex de rebus etiam temporalibus hominum, si dimittat eas à Regibus malè, & iniuriose tractari; non quia iurisdictionem habeat ordinariam in temporalibus Regibus commissis, sed quia io certis casibus iurisdictionis suæ habeat liberam, imò necessariam executionem, iuxtà illud, quod legitur Extrauag. Qui filij sint legitimi Per venerabilem. Vbi dicitur, noo solùm in Ecclesiæ patrimonio, super quo plenam in temporalibus gerimus potestatem, verùm etiam in alijs Regionibus, certis causis inspectis, temporalem iurisdictionum casualiter exercemus ... non potest deponere Papa Principes, nisi ratione delicti, aut insufficientiæ. Quod bene exprimitur io illo cap. Alius. Vbi dicitur, Ro-

Romanus Pontifex Zacharias Regem Francorum, non tàm pro suis iniquitatibus, quàm pro eo, quod tantæ potestati inutilis erat, à Regno deposuit, & secundùm hoc Sacerdos Apostolicus se habet ad Reges, & Principes, sicut Architector ciuilis ad alios artifices in Ciuitate. Sicut enim Architectonici est, præcipere, qui, & quales debent exercere scientiam medicinalem, Rhetoricam, & sic de alijs in Ciuitate, & quosdam admittere, quosdam repellere: sic Sacerdos Apostolicus debet considerare, qui, & quales Regna, & Principatus regere debeant, & bonos honorare, malos autem, & malè regentes deponere, & alios loco illorum substituere . . . . . [Ad argumentum in hoc positum, quòd dignitates distinctæ sunt: dicendum, quòd verum est propter Diuinam dispositionem, sed non ex natura rei, sicut dictum est, & hoc non penitùs distinctè, quin superior iurisdictio remaneat penès Papam.

Eandem doctrinam statuit Petrus Paludanus in 3. sentent. dist. 40. quæst. 2. concl. 4. eamque tum alijs, tum istis præcipuè rationibus confirmat; Maior potestas includit minorem in ordinatis secundùm ordinem finis. Sicut enim in artibus ars, quæ est de fine, imperat illi, quæ est de eo, quod est ad finem 1. Ethic. sic debet esse in Principatibus. Vnde cùm corporalia ordinentur ad spiritualia, vniuersalis Princeps in temporalibus debet subesse vniuersali in Spiritualibus. Præterea talis est ordo inter Prælatos, sicut inter subditos. Sed spiritualia, quibus præest Papa, præsunt corporalibus, quibus præest Imperator vt anima spiritui. Ergo Papa Imperatori præest. Præterea in domo Patrisfamilias non debet esse nisi vnum Caput, si domus est vna. Si diceretur, quòd Caput Ecclesiæ non est Papa, sed Christus. Sed tamen videtur, quòd vniuersalitas Hierarchiæ Ecclesiasticæ melius regatur, si sit vnus Princeps tantùm respectu omnium, quàm si sint duo æquales. Vndè diuisio inter Papam, & Imperatorem multùm turbauit Ecclesiam. Vndè videtur voluntas Christi, qui est Rector sapientissimus, quòd non æqualiter hi duo principentur, sed vnus sub alio, quod absurdum esset dicere de Papa, quòd scilicèt subesset Imperatori.] Videri etiam potest in tract. de causa immediata potestatis art. 4. vbi eandem statuit sententiam.

Herueus Natalis citatur ab Illustrissimo Cardinali Perronio ferè quasi nimiùm potestatem Pontificiam extollens; sed eam non minùs efferunt plures alij Doctores Gallicani. Franciscus Mayronus in Schola Parisiensi Professor insignis ob inductum morem, vt, qui Doctoris Lauream in Sorbona esset adepturus, à sexta matutina, vsque ad sextam vespertinam continuò argumentantibus responderet, cui tempore additæ sunt adhuc duæ horæ, in 4. lib. sent. dist. 19. quæst. 4. inter alia multa de Summi Pontificis auctoritate, hanc quartam conclusionem ponit; [Plenitudo potestatis secundùm vtramque iurisdictionem concurrit in eamdem personam. Hoc patet auctoritate Christi dicentis: Quodcumque ligaueris, &c. Dices fortè, quòd verum est in spiritualibus, sed tunc arguo sic. Quia in subordinatis quidquid potest inferior, potest & superior; sed Papa est superior ad Imperatorem: ergo, &c.

Petrus Bertrandi, aut, vt alij volunt, Durandus Episcopus Meldensis in tract. de orig. iurisdict. seu de iurisdict. Ecclesiast. quæst. 3. hæreseos damnat eos, qui negant, cognitionem de rebus temporalibus ratione peccati ad Ecclesiam spectare. Et sic, inquit, potest intellige illud, quod habetur in Decretis distinct. 21. cap. 1. vbi dicitur, [quòd Christus commisit B. Petro iura cælestis Imperij, & terreni. Et qui hoc priuilegium Romanæ Ecclesiæ detrahit, in hæresim labitur, & hæreticus est dicendus.] Deinde pluribus explicat, & probat, regimen temporale spiritualis directioni, & correctioni subesse.

Ipsimet Theologi, qui causam Principum aduersus Summos Pontifices propugnarunt, non absolutè, ac in omni casu potestatem Ecclesiasticam à temporalibus Regum excluserunt, vt animaduertere licet in illis ipsis opusculis, quæ nuper in lucem reuocata sunt sub titulo, Vindiciæ doctrinæ Maiorum, &c. de quibus in libro nono. Nam auctor quæstionis disputatæ, quæ illic Ægidio Romano, Archiepiscopo Biturricensi tribuitur ar. 4. sic scribit; [Causæ mixtæ, sunt causæ temporales, quæ connexionem quamdam habent cum spiritualibus: sicut causa feudalis, quæ de se temporalis est, connexionem potest habere cum iuramento, vel pacto; sicut patet de dissensione mota inter Reges Franciæ, & Angliæ super Comitatu Pictauiensi: Papa, quia non poterat directè cognoscere de causa feudali, indirectè ratione iuramenti, vel pacti intromisit se de illa. Extrauag. de iudic. cap. nouit, vbi dicit Hostiensis in Glossa super verbo de feudo; Non intendimus cognoscere de feudo, sed tantùm ratione pacti, inducendo illum ad pœnitentiam, quia illam non potest agere, nisi satisfaciat. Item causa dotis per se temporalis est, & ad secularem Iudicem pertinet, si de ipsa tantùm agitur: tamen quando Iudex Ecclesiasticus cognoscit principaliter de matrimonio, si incidat causa dotis tamquam accessoria, cognoscet de illa, sicut de principali, cui est annexa, vt patet Extrauag. de donation. inter virum, & vxorem, cap. de prudentia. Vbi dicit Glossa. Quia si non est matrimonium, neque dos, & ita dos accedet matrimonio: ideò qui cognoscit de principali, debet cognoscere de accessorio, vt habetur Extrauag. de officio delegati, cap. præterea, & cap. prudentiam. Sic etiam de hæreditate cognoscit Iudex Ecclesiasticus ratione incidentis. Extrauag. qui filij sint legitimi, cap. per tuas. & cap. ex tenore. Alij sunt plures casus speciales, in quibus Iudex Ecclesiasticus cognoscit de temporalibus, quos enumerat Hostiensis. In Glossa Extrauag. de iudic. cap. nouit. Sic ergo regulariter verum est, quòd de causis merè spiritualibus solus Papa, & alij Iudices Ecclesiastici habent cognoscere: de causis verò merè temporalibus habent cognoscere Reges, Imperatores, & alij Iudices seculares. Et sic Rex Franciæ secundùm iura non subest Summo Pontifici, nec ei tenetur respondere de feudo suo;] Potest tamen ei subiacere incidenter, & casualiter, ratione connexionis alicuius causæ spiritualis, sicut habetur Extrauag. de iudic. cap. nouit,

&

& Extrauag. qui filij sint legit. cap. per venerabilem.

Ioannes de Parisijs, quem Cæsar Egassius Bulæus in hist. vniuers. Paris. tom. 4. ad Annum 1303. pag. 61. dicit scripsisse pro Philippo Quarto Rege Francorum aduersùs Bonifacium Octauum Papam, quantumuis Principibus faueat in tractatu de potestate Regia, & Papali, non potuit tamen aliquam in eos potestatem Pontificis non reseruare his verbis cap. 14. Si esset hæreticus, & incorrigibilis, & contemptor Ecclesiæ censuræ, posset Papa aliquid facere in populo, vnde priuaretur ille seculari honore, & deponeretur à populo. [Et hoc faceret Papa in crimine Ecclesiastico, cuius cognitio ad ipsum pertinet, excommunicando scilicet omnes, qui ei, vt Domino, obedirent; & sic populus eum deponeret, & Papa per accidens. Auctoris tractatus de vtraque potestate seculari, & Ecclesiastica, qui Somnium Viridarij inscribitur, verba inferiùs §. 3. num. 94. referemus.

Ioannes Gersonius Doctor, & Cancellarius Parisiensis tract. de potest. Eccles. considerat. 12. Potestas Ecclesiastica Papalis, inquit, [non ita habet dominia, & iura terreni simul, & cælestis Imperij, quòd possit ad libitum suum de bonis Clericorum, & multò minùs laicorum disponere, quamuis concedi debeat, quòd habet in eis dominium quoddam regitiuum, directiuum, regulatiuum, & ordinatiuum. Et infrà. Postremò suis terminis ita potestas Ecclesiastica se coerceat, vt meminerit, potestatem secularem etiam apud Infideles sua habere propria iura, suas dignitates, suas leges, sua iudicia, de quibus occupate se Ecclesiæ potestas non præsumat, vel vsurpet,] nisi dum redundat abusus potestatis secularis in impugnationem fidei, & blasphemiam Creaturis, & in manifestam Ecclesiasticæ potestatis iniuriam, [tunc enim attendere conuenit vltimam huius considerationis 12. particulam, quòd in his Ecclesiastica potestas habet dominium quoddam regitiuum, ordinatiuum, & regulatiuum.]

Iacobus Almain Doctor Parisiensis Ludouici Duodecimi Regis Franciæ, iuxtà Richerium defensor tract. de potestate Ecclesiastica, & Laica cap. 9. [Non dedit (Deus) potestatem (Petro) Laicos suis proprietatibus, & dominijs priuandi, nisi in casu, si contingeret, Principem secularem abuti re sua in perniciem Christianitatis, vel fidei; ita quòd ille abusus esset in maximo nocumento pro consecutione felicitatis æternæ.] Non negat, quin in tali casu Papa possit eum deponere, etsi alij Doctores hoc negent, qui tamen docent, Papam habere potestatem declarandi, ipsum Principem esse deponendum. Et q. 2. cap. 5. ad caput octauum Guilielmi Occam; [Verumtamen, dicit Doctor, quòd Papa potest Imperatorem deponere, in duobus casibus. Primus pro crimine purè spirituali, vt est hæresis. Secundus, quando illi, ad quos spectat iure ordinario, sunt negligentes illum deponere. Vnde dicit Doctor 3. par. Dial. 2. lib. quòd vniuersaliter, si negligat index secularis exercere iurisdictionem laicam, pro loco & tempore deuoluitur potestas exercendi ad Iudicem Ecclesiasticum, &c. Resolutio Doctoris in hoc argumento est cum apparentia, quòd numquam potest Papa Principem secularem (seclusis suis vassallis) deponere, nisi in duobus casibus prædictis.]

Ioannes Maior Doctor Parisiensis alter prædicti Regis ex Richerio defensor in 4. Sent. dist. 24. ad quartum argumentum contra tertiam conclusionem; [Si dicatur, quòd habet (Papa) dominium in temporalibus casualiter, & quòd multum potest agere ad depositionem Regum suadendo, consultando, imò alios prouocando in eos gladio manuali, quando Reges sunt labefactatores fidei, & Reipublicæ Christianæ totaliter inutiles: hoc mitiùs ferendum est,] & non esset remota opinio à dictis nostris.

His superaddi possent Iuris tum Canonici, tum Ciuilis Peritorum sententiæ à prædicto Auctore adducto in cap. 9. sed eas reseruamus in finem §. 3.

§. II.

Referuntur Aduersariorum sententiæ, vnà cum responsionibus, & aliquali super eas reflexione.

ARGVMENTVM I.

Aduersariorum.

Ex parte aduersa licet 1. argumentari per auctoritates Petri de Marca, & Petri Puteani, qui ad libertates Ecclesiæ Gallicanæ pertinere volunt, vt Rex Franciæ in temporalibus Romano Pontifici non subiaceat, variaque veterum Regum exempla Summis Pontificibus resistentium in rebus ad dominium, aut regimen temporale spectantibus referunt.

Responsio.

Ad hanc partis aduersæ argumentationem ab Auctore tract. de Libert. Eccles. Gallicanæ. lib. 3. cap. 8. adductam non tam ibi respondet, quàm remittit Lectorem idem Auctor ad suum de Ecclesiæ Gallicanæ libertatibus quartum librum, in quo examinatur prima Cleri Gallicani propositio. Intereà prædictus Auctor in præsenti vnicè inculcat animaduertendum, Principes, dum Iura sua se tueri profiterentur, libertatem quidem Regni obtendisse, non autem libertates Ecclesiæ, sed potiùs aduersùs illos has libertates fuisse allegatas: Quando, inquit Gotfridus in opusc. ad Callixtum Papam cap. 6. [Ecclesia seculari potestati subijcitur, quæ ante domina erat, ancilla efficitur, & quam Christus Dominus dictauit in Cruce, & quasi proprijs manibus de suo sanguine scripsit, chartam Libertatis amittit.] Dixerat autem cap. 4. [Rex, & Romanus Pontifex cùm vnus contra alium, alter pro Regni consuetudine, alter pro Ecclesiæ libertate exigitur, Regnum illam consuetudinem obtinere non potest, nec poterit; & Ecclesia suæ libertatis amittit plurimum, Non à Philippo Quarto, sed à Boni-

fa-

acio Octauo Ecclesiæ libertas allegabatur. Rex tantùm libertatis nomen ad significandam liberationem à iugo Legis Mosaicæ, aut à diabolica tyrannide institutum volebat, ideòque illam Laicis cum Ecclesiasticis esse communem.

In alio sensu Reges Galliæ dicuntur à Clero Gallicano liberatum illius Ecclesiæ Protectores, quia scilicet auctoritate regia impediuntur, vel reparantur iniuriæ, quæ à Curia Romana illius Regni Ecclesiæ inferri prætenduntur. [Sed quàm duram seruitutem induxerit illa libertatis protectio, & iam in primo libro insinuauimus, & adhuc magis demonstrabimus, vbi de appellationibus tamquam ab abusu differemus.]

[Nusquam autem in antiquis monumentis legitur, Reges Franciæ Protectorum, ac Defensorum Ecclesiæ, vel libertatis Ecclesiasticæ titulo insignitos, quòd Summis Pontificibus restitissent, etiam prætextu amouendæ à Clero Gallicano iniuriæ à Curia Romana illatæ. Rarissima fuiit vetera huiusmodi tuitionis exempla, nisi fortè aliquando Reges Episcopis, quos diligebant, nomen suum commodauerint, vt Carolus Caluus Hincmaro Rhemensi in virulentis illis ad Hadrianum Secundum literis, quæ extant in 2. tom. operum d. Hincmari sub num. 42. edit. Sirmondi, & in literis ad Ioannem Octauum, quæ sunt ibidem num. 47.

Reflexio.

Reflexionem super hisce faciendo, in memoriam reuoco, quæ praecedentibus 2. 3. & 4. Disquisitionibus proferebantur Summorum Pontificum, Conciliorumque erga Reges, ac Imperatores actitata: vnde cuique constare potest, veterum Regum Summis Pontificibus resistentium exempla, si attendatur eorum tandem euentus, non tam memoranda, quàm reprimenda esse ab illis, qui Regum famæ, ac honori, publicæque regnorum vtilitati consultum volunt. Quibus insuper opponi possent exempla Summorum quoque Principum, Ecclesiæ in temporalia potestatem agnoscentium, aliàs iam producta, ac discussa.

ARGVMENTVM II.

Aduersariorum.

Ex parte Aduersariorum licet 2. argumentari. Quòd Illustris libertatum Ecclesiæ Gallicanæ propugnatrix sit Academia Parisiensis, cuius sûma semper extitit in omnibus negotijs Ecclesiasticis auctoritas, & inter cæteras non solùm Galliæ, sed totius Europæ Vniuersitates celeberrima semper fuit fama, summaque in propaganda fide, in extirpandis schismatibus, atque componendis controuersijs diligentia, & industria. Huic schismatis extirpandi desiderium suasit, præponendū esse Summo Pontifici Concilium Oecumenicum, dum quis legitimus esset Pontifex, non constaret. Postea non esse infallibile Pontificis iudicium etiam circa Ius Diuinum, & Ecclesiasticum, à multis eius alumnis assertum est. Cùm vel Pontifices, vel Pseudo-pontifices exactionibus, vel reseruationibus Ecclesiam Gallicanam opprimerent, Vniuersitas studij Parisiensis, & quantum potuit, restitit, ac Senatus potestatem implorandam duxit, atque hinc euenit, vt paulatim Magistratus sæculares rerum, & negotiorum ferè omnium Ecclesiasticorum iudicium sub prætextu conseruandæ libertatis, corrigendi abusus, tuendæ possessionis vsurpauerint.

Responsio.

Ad hanc argumentationem responsionis loco hic reponendum videtur, quod dictus Auctor tract. de libert. Eccles. Gallicanæ cit. cap. 8. num. 9. adfert: [Absit, inquiens, à me, vt florentissimæ illius Academiæ famæ aliquid detractum velim, quippe qui sciam, quantùm doctrina sua Christianæ Reipublicæ conferat, tamen dissimulari non potest, celebrem illam Academiam ad Principum voluntatem nimiùm aliquando deflexisse.]Id fateri videtur etiam Cæsar Egassius Bulæus in historia Vniuersitatis Parisiensis tom. 4. ad annum 1389. tempore schismatis accidisse. [Nam licet electio Vrbani VI. magis canonica videretur, eiusque partes secuta primùm fuisset, tamen ad Clementem VII. accessit, eò quòd Rex Carolus V. & Regni Magnates eius partes amplexi fuissent. Fatendum tamen est, inquit Bulæus, plùs ipsam Gallicani Status instinctu adductam, quàm causę Clementinæ bonitate conuictam consensisse, futuramque fuisse neutrius partis, si Respublica id ferre potuisset, cuius interest, in ijs præsertim rebus, in quibus de Religione agitur, habere consensum saltem publicum, si non animorum. Papæ iudicium infallibile non esse, tunc facultas Parisiensis decreuit, cùm Reges à Romano Pontifice diffiderent. Qua in re Principum potentissimorum, ac præsentium, desiderio aliquid concessum est.]

[Nec abfuit fortassis proprij honoris, & vtilitatis studium à posterioribus Doctorum deliberationibus. Primò infallibile Papæ iudicium, sibi iniuriosum declarant in censura Amadæi Guimænij anno 1665. quasi non pari ratione possent Oecumenicorum Conciliorum infallibilitatem suæ iniuriæ adscribere. Nec in causis Fidei, & Religionis Iudices à Deo instituti sunt, sed Consultores tantùm adhibiti Doctores, Episcopali charactere non illustrati, & à Summis Pontificibus, sicut à Concilijs Oecumenicis perinde consuli possunt in difficultatibus, quæ studium, & animi perspicaciam desiderant.]

[In Beneficijs laborabant illi, vt arbitror, pro Dei honore, & Ecclesiæ vtilitate, suspectus nihilominùs erat illorum zelus, cùm ea suis conferri curabant, qua in re coacti sunt agnoscere scrupulosam Canonum obseruantiam aliquando Ecclesiæ obesse. Beneficiorum enim dispensationem liberam Episcopis dimitti, quibus ex Iure communi competit, tam ægrè tulerunt, vt à lectionibus cessauerint, donec illa libertas antiquis Canonibus confirmara abrogaretur. Eodem anno, inquit Bulæus supra citatus ad 1399. per totam Quadragesimam cessatum est à Lectionibus in Vniuersitate, teste Ioanne Iuuenale de Vrsinis, propterea, quòd edicto Regio reddita fue-

fuerat Ordinarijs omnimoda Beneficiorum Ecclesiasticorum dispositio, & dispensatio. Videbat Vniuersitas Prælatorum in distribuendis Beneficijs iniustitiam experta autem anteà fuerat Vniuersitas, eos famulis, & famulorum amicis ea conferre solitos potiùs, quàm doctis, & literaris. Quæ res plurimas turbas excitasset inter partes, nisi satisfactum fuisset Vniuersitati.]

[Vnde patet, quàm incongruè libertatis Ecclesiæ Gallicanæ in illibata antiquorum Canonum custodia, eorumque aduersùs Summum Pontificem propugnatione collocentur: quandoquidem Vniuersitas Parisiensis antiquis Canonibus Beneficiorum collationes Episcopis adscribentibus derogandum censebat, vrgebatque, teste eodem Bulæo, vt illa collatio Summo Pontifici reseruaretur, quem sperabat æquiùs illa dispensaturum. Sunt alia quàm plurima in historia prædicta, ex quibus constat, Vniuersitatem Parisiensem in suum commodum Canonibus per priuilegia derogari, à Summis Pontificibus impetrasse.]

Reflexio.

Super hisce reflexionem faciendo, constat equidem, Vniuersitati Parisiensi, in asserenda Concilij supra Papam superioritate Auctorem fuisse eiusdem Cancellarium Ioannem Gersonium, de quo in sequenti articulo differemus. Quo tamen minimè obstante, idem Gersonius par. 4. serm. de pace, & vnitate Græcorum consid. 5. profitetur indirectam, Ecclesiæ publica necessitate id exigente, Summi Pontificis supra Reges potestatem: [Homines, inquiens, per hoc, quòd vnicum principale Caput habent, ad tenendos ipsos tam in bonitate voluntatis, quàm bonitate morali, & spirituali, conuenientiùs, & diuiniùs se hoc modo in vnitate tenent. Nec est vllo modo in præiudicium cuiuscunque dominij temporalis, vel spiritualis, siue Regum, siue Prælatorum. Hic sunt duo extremi errores, dicunt aliqui, homines Ecclesiasticos, Papam, vel alios non posse vllam tenere temporalitatem, vel iurisdictionem; alij dicunt, terrenos Dominos nullum prorsus ius habere in temporalibus, sed hoc verum non est, nec dicere oportet, omnes Reges, vel Principes hæreditatem eorum, vel terram tenere à Papa, vt Papa habeat superioritatem Ciuilem, & Iuridicam super omnes, quemadmodùm imponunt aliqui Bonifacio VIII. Omnes tamen homines, Principes, & alij subiectionem habent ad Papam, inquantum eorum Iurisdictionibus, temporalitate, & Dominio abuti vellent contra legem Diuinam, & naturalem, & potest superioritas illa nominari potestas directiua, & ordinatius potiùs, quàm Ciuilis, vel iuridica.] Ab hac igitur sapientia, & doctrina præclarissimi sui Cancellarij Gersonis haud alienam credimus Academiam, seu Vniuersitatem Parisiensem.

ARGVMENTVM III.

Aduersariorum.

Ex parte aduersa licet 3. argumentari. Post Gersonium, schisma inter Eugenium quartum, & Concilium Basileense occasionem præbuit Scholæ Parisiensi se in celebris illius Cancellarij doctrina firmandi, ac nonnullis Doctoribus pro ea scribendi. Deinde orto dissidio inter Iulium II. Summum Pontificem, & Ludouicum XII. Franciæ Regem, Ioannes Maior, & Iacobus Almain in Ludouici defensionem, eamdem doctrinam adhibuerunt, eam ferè sopitam initio huius seculi suscitauit Edmundus Richerius, alij identidem promouerunt, donec Illustrissimi Præsules Parisijs congregati sua declaratione, ac Regis brachio aduersùs retinentes inuocato, eam ita stabilire conati sunt, vt ab ea nemo dissentire auderet, & ex modernis, alijs eam profitentibus, alijs impugnare non audentibus, ad posteros tamquam indubitata transmitteretur.

Responsio.

Responsionis loco possunt super hac ratiocinatione reponi, quæ prætactus Auctor cit. lib. 3. cap. 10. à num. 2. digessit: [Numquam, inquiens, defuerunt in Gallia, nec in ipsa quidem Schola Parisiensi, qui Summi Pontificis causam tuerentur: &, quæ veritatis vis est, sperandum est, non defore, qui absque præiudicio, & priuato affectu de rebus iudicent, & contemptis pollicitationibus, & minis, quod sentiunt, liberè promant.]

Non est autem hic de singulis dicendum, qui prædictam doctrinam, vel propugnarunt, vel impugnarunt. Cùm enim eius defensorum opuscula collegerit in suis vindicijs Edmundus Richerius, illa simul cum eius libello de potestate Ecclesiastica, & politica in libro nostro octauo recensebimus: eorum autem, qui contra senserunt, testimonia circa quamlibet propositionem referemus.

Sed non idem fuit omnium illius doctrinæ propugnatorum, aut scopus, aut affectus. Quidam enim, alijs modestiùs, Patronorum tantùm, seu Aduocatorum personam sustinuerunt. Quidam nebulonum more pacem turbare studebant; alij iniuriam sibi, vt putabant, illatam vlcisccntes, dolorem hac ratione lenire conati sunt; alij vel eximij ingenij laudem, vel præmium aucupati sunt; alij, vt credere par est, putabant, obsequium se præstare Deo, ac veritati testimonium perhibere. Quæ autem cuiusque mens fuerit, Deus scit. Nobis iudicare non licet, nisi quantum eorum verba, & stylus significant.

Ne quis autem putet, nos temerè dixisse, aliquos eam in partem prauo affectu impulsos, præmittendum est, quod scribit Henricus Spondanus ad annum 1627. num 2. occasione censuræ libri Antonij Santarelli. [Cæterùm, inquit, quoniam hæc Doctorum Sorbonicorum dissidia non aliunde procedebant quàm ex occultis schismatis seminibus, quæ à multis fouebantur; occasione inde sumpta, Eminentissimus pietate, & doctrina Franciscus

ſcus Cardinalis Rupifocaldus pro ſuo in conſeruationem vnionis Eccleſiæ, quam iſti diſcerpere ſtudebant, zelo, libellum ſcripſit in ſchiſmaticos, quem Regi dicauit, hortans, vt tanto malo auctoritate ſua præuerteret.]

Sed ad Richerium. Prodijt anno 1611. liber De Eccleſiaſtica, & politica poteſtate, ſuppreſſo Auctoris nomine. Die nona Menſis Martij proximè ſequentis damnatus eſt à Concilio Prouinciæ Senonenſis, Præſide Illuſtriſſimo Cardinali Perronio; [Ob multas (verba ſunt Decreti) quas continet propoſitiones, expoſitiones, & allegationes falſas, erroneas, ſcandaloſas, ſchiſmaticas, & vt ſonant, hæreticas.] Simili cenſura notatus eſt die 24. Menſis Maij etiam proximè ſequentis à Concilio Prouinciali Aquenſi, ſcilicet, vt continens [propoſitiones, allegationes, & doctrinas falſas, ſcandaloſas, ſchiſmaticas, hæreticas, & impietatem, grauemque errorem ſapientes.] Vtrumque Decretum refertur à Patre Labbeo tom. vlt. Conciliorum.

Condemnationem illam narrat Spondanus ad Annum 1612. num. 3. [Idemque Richerius auctoritate Regia, & Decreto Facultatis depoſitus eſt à Syndicatu einſdem Facultatis, quem gerebat. Fuerunt etiam multi, qui contra eumdem libellum ſcripſerunt: pleniſſimè confutauit Andreas Duuallius inſignis Doctor Sorbonicus,& Regius Theologię Profeſſor in Vniuerſitate Pariſienſi primarius: haud tamen propterea ceſſante Richerio à ſuis molitionibus, quibus multos alios in ſuas partes allegit,]cum vehementi ſuſpicione Schiſmatis. Illius libelli præcipuum fundamentum confutauit validiſſime doctiſſimus Pater Petauius Aurelianenſis è Societate Ieſu Theologicorum Dogmatum tom. 3. lib. 13. cap. 14. 15. 16.

Fuit etiam Romæ damnatus Richerij libellus, primùm ſinè nomine Auctoris, deinde nominato Auctore, vt videre eſt in Decreto ſacræ Congregationis Indicis 2. Februarij anno 1622.

Illuſtriſſimus Cardinalis Perronius in ea, quam habuit ad tres Ordines Regni Franciæ anno 1614. oratione; tacito Richerij nomine, illius conſilium in curanda noua operum Gerſonij, in eius effigie cum elogijs, & inſcriptionibus editione, detegit, quòd ſcilicet Gerſonius aduerſùs Romanum Pontificem ſcripſiſſe videretur. Licèt enim, vt diximus, Cardinalis Perronius de induſtria Richerij nomen ſubticuerit, prodit ſe ipſemet Richerius in ſuarum Vindiciarum præfatione ad Lectorem his verbis: [Cardinalis Perronius eidem (Richerio) in Conuentu trium Ordinum Regni Galliarũ Anno 1615. grandi vitio dederit, quòd Ioannis Gerſonij Doctoris Chriſtianiſſimi opera de integro nouis typis excudi procuraſſet anno 1606. Tot ſunt in Gerſonij vita eius operibus editionis prædictæ præfixa, ſententiæ in alijs Richerij operibus ijſdem verbis repetitæ, vt tacente etiam Richerio, ſtylus ipſe ſatis eum indicaſſet.]

Accuſat autem Illuſtriſſimus Purpuratus eum, vel eos (loquitur enim in numero plurali, fortè vt inuidiam minuat) qui Gerſonij opera de integro nouis typis excudi procurauerant, quòd Auctores deinde fuerint propoſitionis illius, contra quam tum perorabat; quæque Romano Pontifici omnem prorſus iuriſdictionem tum directam, tum indirectam in temporalia Regum adimebat; cùm anteà, ſcilicet tempore Henrici III. Franciæ Regis, quando bellis ciuilibus flagrabat Gallia, ipſi quaſi anteſignani, aut potiùs faces extitiſſent ſeditioſæ doctrinæ, quam aduerſùs Regem defendebant, & vulgabant in theſibus diſputatis,ac typis excuſis. Ex quibus theſibus duas iſtas refert;[Certiſſimum eſt,Comitia,ſeu Status de iure Diuino, ac naturali Regibus eſſe ſuperiores. Licitum fuit cunctis Franciæ populis, arma capere aduerſùs tyrannum, quo nomine intelligebant Henricum Tertium. Addit autem prædictus Cardinalis,putaſſe illos, culpam poſſe diluere, ſi ad alteram partem, & quidem extremam ſe transferentes in Summum Pontificem ſtylum conuerterent, ac decertarent.

Qua in re, ſubiungit idem Cardinalis, quoniam cum hoſtibus Eccleſiæ conſentiebant, aut ſaltem propè ad illos accedebant, multos nacti ſunt adiutores, ac fautores, à quibus inducti ſunt, ad emittenda, prætextu obſequij Regi præſtandi, ſchiſmatis ſemina. Vnde conſtat, quàm parum famæ ſuæ conſulant, qui à Richerio præſidium accerſunt.

Reflexio.

Reflexionem ſuper hiſce faciendo, ea quæ Concilij erga Papam ſuperioritatis punctum ſpectant, reſeruabimus in proximè ſequentem articulum. Interea in huius diſquiſitionis §. 1. à num. 7. quamplures videre licet Doctores Gallos, qui Papæ ſupra Reges auctoritatem egregiè defendebant, ad quos lectorem remittimus, quonſque in ſequentibus paragraphis adduxerimus, plures è Gallia etiam oriundorum Doctorum pro ea propoſitione ſtantium auctoritates, inter quos pro hac vice audire lubeat ſanctum Bernardum in Burgundica Gallia natum, & Abbatem Clareuallenſem, qui præter teſtimonium dicto §. 1. nu. 2. allatum lib. 1. de conſiderat. cap. 6. ita ſcribit; [Mihi non videtur bonus æſtimator rerum, qui indignum putat Apoſtolis; ſeu Apoſtolicis viris, non iudicare de talibus (cauſis temporalibus) quibus datum eſt iudicium in maiora. Quid ni contemnant de terrenis poſſeſſiunculis hominem iudicare, qui & Angelos iudicabunt? Habent hæc infima, & terrena Iudices ſuos, & Reges Principes terræ, quid fines alios inuadiris? Quid falcem in alienam meſſem extenditis? Non quia indigni vos, ſed quia indignum vobis talibus inſiſtere: quippe potioribus occupatis. Denique vbi neceſſitas exigit, audi quid ſentiat, non ego, ſed Apoſtolus: Si enim in vobis iudicabitur hic mundus, indigni eſtis, qui de minimis iudicetis?] Ecce igitur, Eccleſiaſticæ ſuper cauſas temporales auctoritatis etiam iudiciariæ in caſibus neceſſitatis extenſionem ab hoc Eccleſiæ Gallicanæ lumine ex ipſomet etiam Apoſtolo comprobatam.

ARGVMENTVM IV.

Aduerſariorum.

EX parte aduerſa videtur 4. argui poſſe à Conuentus Pariſienſis quatuor propoſitiones illas, de quibus hic agitur, circa Pontificiam poteſtatem facientis auctoritate, in quo Cœtu Galliarum Antiſtites emphaticè conteſtati ſunt ſuam Sedi Apoſtolicæ debitam obſeruantiam, nec proindè in eo videntur habendi cenſu, ac ſi per prauam erga Summos Pontifices affectionem ſe reddidiſſent indignos, quibus crederetur. Execrantur enim vel maximè illos, qui Eccleſiæ Gallicanæ libertatum obtentu, Primatum B. Petri, eiuſque ſucceſſorum Romanorum Pontificum à Chriſto inſtitutum, iiſque debitam ab omnibus Chriſtianis obedientiam, Sediſque Apoſtolicæ, in qua fides prædicatur, & vnitas Eccleſiæ ſeruatur, reuerendam omnibus Gentibus Maieſtatem imminuere non verentur.

Reſponſio.

Ad hanc aduerſæ partis argumentationem ſæpè dictus Auctor tract. de libert. Eccleſ. Gallic. lib. 3. cap. 13. num. 7. reſpondet in hæc verba. Mirum videri non debet, ſi hæretici poteſtatem Summi Pontificis inuidioſam, & grauem Regibus, ac populis oſtentent, cùm capitaliſſimi illius hoſtes ſint, & paratiores ad dimittendam Religionis obſeruantiam, quàm ad deponendum erga Eccleſiaſticam Monarchiam, odium. Sed mirum eſt, Catholicos Præſules in deprimenda poteſtate Pontificia hæreticis excuſationem ſubminiſtrare. At numquid ſatis apertè declararunt hæretici, quàm eſſent etiam ciuilis Monarchiæ impatientes? Quis credat, eos vero erga Principes ſeculares ſtudio adduci ad ferendam grauiter Eccleſiæ in Reges iuriſdictionem. Num æquiores erga Summum Pontificem, aut Principibus obedientiores fore, ſperandum eſt, ſi vt eis prætextus ille præripiatur, Reges Eccleſiaſticæ poteſtati ſubtrahantur? Ne illi vtramque poteſtatem impatienter ferunt, & ſi ſecularis iugum excutere perinde illis facilè eſſet, Eccleſiaſticæ ope libenter vterentur, eamque tunc, vtpote minùs grauem, magis extollerent.

Reflexio.

Reflexionem ſuper iſta reſponſione faciendo, opportuniſſimum occurrit mihi dicti Auctoris diſſertatio vlterior, ibi num. 8. rem hanc ita proſequentis. Dubitari poſſe, ait inprimis, an legitima fuerit illuſtriſſimorum Antiſtitum Gallicanorum congregatio, quandoquidem ſe mandato Regio congregatos profitentur, nulla Eccleſiaſticæ poteſtatis facta mentione. Equidem ſi auctoritas aliqua requiritur in conuocante cœtum, neceſſe eſt, vt ille ſuperior ſit, habita ratione non ſolùm perſonarum, ſed etiam negotiorum in cœtu tractandorum. Non concederetur Epiſcopo poteſtas conuocandorum Comitiorum ad expedienda negotia politica, ſiue auctoritate Principis, vel tum, vel iam olim conceſſa. Dum ergo congregandi ſunt Epiſcopi ad definiendas controuerſias Eccleſiaſticas, non ſufficit auctoritas Regis, cùm in huiuſmodi rebus, Epiſcopis ipſe, non Epiſcopi ſubſint.

Vt igitur Antiſtitum Gallicorum decreta vniuerſos Regni fideles obligarent, cùm nullus inter eos cæteris omnibus ſuperior ſit, non ſufficeret, vt Regio mandato conueniſſent, ſed ſaltem ad ligandos illos, qui vel non omninò, vel liberum conſenſum non præſtitiſſent, requireretur conſenſus Summi Pontificis, quem tum Eccleſiæ vniuerſæ caput eſſe, ſine hæreſi negari non poteſt, tum totius Occidentis ſingularem Patriarcham, ipſa etiam Gallia fatetur.

Id ſuadent plurima antiquitatis monimenta, præſertim facultates à Summis Pontificibus, Vicarijs Apoſtolicis, ad congreganda Concilia ex vniuerſa Gallia conceſſæ; Legati frequenter miſſi, &c. Id etiam apertè declarauit Nicolaus I. in Concilio Romano anno 865. ſcilicet Concilium generale (de Concilio Epiſcoporum Gallicanorum intelligebat; & loquebatur) ſine Apoſtolicæ Sedis præcepto, nulli fas eſſe vocandi.

Multa obiecta ſunt à Vicario generali Diœceſis Appamienſis aduersùs cœtum Pariſienſem, quæ illegitimum eſſe comprobarent. præcipuè, quod adempta Concilijs Prouincialibus libertate, eos eligendi, qui ad Comitia generalia deputandi erant, ab eorum, qui à curia præſcripti fuerant, deputatione Electores abſtinere auſi non fuerint; videntes ſcilicet, ſeuerè habitos, qui curiæ deſiderijs non acquieuerant in negotio, cuius potiſſimùm cauſa congregandus erat ille cœtus. Secundò, quod contra ius excluſi fuiſſent aliqui à Comitijs Prouincialibus, quos curia meruerat liberè pro Eccleſiæ iuribus vota ſua deprompturos. Tertiò, quod iuſtis de cauſis ipſe Vicarius Generalis illius cœtus Congregationi ſeſe oppoſuiſſet, Sedemque Apoſtolicam appellaſſet.

Hæc, & fama publica ſuadent, curiam, & Aulicos præcipuas habuiſſe partes in hoc cœtu, ex quo Decretorum eius auctoritas plurimum nutat, etiamſi aliorum Eccleſiaſticorum virorum illius Regni conſenſus accederet. Quis enim neſciat, quàm paucorum ſit perſeuerantia, & conſtantia aduersùs potentiam ſecularem? Philippum IV. aduersùs Bonifacium Octauum egregiè defendiſſe, ſibi viſus eſt Petrus Puteanus, congeſtis plurimis inſtrumentis, quibus totum ferè Regnum illius Principis appellationibus, & proteſtationibus adhæſiſſe perhibetur; cùm hinc potiùs manifeſtum fiat, non ratione ſimul omnes, ſed metu ſucceſſiuè, prout deficiebat animus, Regis partes ſecutos, quod etiam confirmant Hiſtorici.

Verùm, cùm potuerit Rex Epiſcopos conuocare, non quidem vt Concilium conſtitueret, ſed vt conſilium peteret, immò potuerint; ſicut ſeorſim ſingula Concilia Prouincialia congregari à proprijs Metropolitanis, ita & ſimul plura Concilia Prouincialia, vel ad Regis inuitationem, vti loquebatur Concilium Pariſienſe anno 555. vel ex communi conſenſu, conuenire, vt diligentius

tius, & maturiùs res discuterentur, non tantopere laborandum est in inquirendo; [An legitimè congregati sint Archiepiscopi, & Episcopi? quàm verum negotia, quæ definierunt, eiusmodi sint, vt de illis iudicium ferre potuerit etiam legitimum Concilium Nationale? nec non, vtrùm verum, ac iustum sit eorum iudicium?

CONCLVSIO.

Propositio, omnimodam supra Reges auctoritatem etiam coercitiuam Ecclesiæ, seu Summo Pontifici adimens, minimè fauet, sed plurimùm officit libertati Ecclesiæ Gallicanæ.

Explicatur. Ansam & occasionem huic conclusioni dederunt, quod vti ex antecedentibus constat, moderni Cleri Gallicani superiùs allatæ propositiones prætendantur esse quoddam quasi scutum inexpugnabile ad propugnandam, & conseruandam cam libertatem. Hac de causa operæpretium est visum, prælibare, [In quo consistat illius libertatis ratio?] Ecclesiæ nomine sub ea prætensa Ecclesiæ Gallicanæ libertate, haud quamquam intelligi vniuersalem Laicorum æquè, ac Clericorum cœtum, sed vnicè comprehendi statum Clericalem, constat ex epistola Bosqueti Episcopi Montispessulani ad Stephanum Baluzium data, & inserta libris Dom. de Marca de concordia Sacerdotij, & Imperij vbi post alia sic habetur; [Alia est significatio Ecclesiæ, dum fideles omnes complectitur, vt libertatis qua singulos fonte Baptismatis renatos Christus donauit: alia Ecclesiæ, quæ etiam apud omnes scriptores solùm Clericalem ordinem, vt & libertatis, quæ ius & facultatem, seu potestatem vniuersam regendi Ecclesiam Sacerdorali ordini in primis Petri Apostolorum coriphæi successoribus, Diuina constitutione, tradita comprehendit.

Libertatem status Clericalis vniuersaliter sumpti optimè describit S. Antoninus par.3. tit.2. cap.3. [quod Immunitas Ecclesiæ sit priuilegium libertatis, vel rerum, vel personarum ad eam pertinentium. Restringendo autem huiusmodi libertatem ad Galliæ Regni nationalem Ecclesiæ, eiusque statum Clericalem, Petrus Pithæus in libello les libertez de l' Eglise Gallicane videtur Ecclesiæ Gallicanæ libertatem hisce verbis complexam asseruisse; [Etsi Papa, inquiens, in rebus spiritualibus supremus agnoscatur, tamen in Francia potestas absoluta, & indefinita locum non habet; sed cohibetur, & limitatur Canonibus, & regulis antiquorum Conciliorum Ecclesiæ, in hoc regno receptorum. Et in hoc maximè consistit libertas Ecclesiæ Gallicanæ.

Huic consonat; quod Christophorus Iustellus in epist. ad Leschasserium Codici Canonum Ecclesiæ vniuersæ per ipsum edito præfixa differit: [Vetus est, inquiens, in Senatu Parisiensi sententia, illam libertatem, quatuor primis Concilijs Oecumenicis, & ijs, quæ ab illis confirmata sunt, contineri. Et ca, quæ contra fiunt præcipuas appellationibus ijs causas præbere, quæ velut ab vsu interponuntur.

Has Ecclesiæ Gallicanæ libertates descripsit; & in breuem summam contraxit Petrus de Marca lib.3. de concord. cap. 1. numer.7. [Patet, inquiens, vera; & genuina & definitio huius libertatis ex sensu Ecclesiæ Gallicanæ, vt sit nempè vsus antiqui iuris communis.] Harum igitur libertatis ab Ecclesia Gallicana prætensæ descriptionum accuratiore discussione reiecta in tertium operis nostri atticulum: in præsenti vnicè expendemus; [An Regum ab Oecumenica papæ auctoritate asserta immunitas, sit conueniens medium, ad tuendam illam Ecclesiæ Gallicanæ libertatem?

PROBATIO I.

In qua fit refutatio primi Aduersariorum argumenti.

Qvandoquidem Petrus de Marca, & Petrus Puteanus inducantur asseruisse, ad libertatem Ecclesiæ Gallicanæ pertinere, vt Rex Franciæ in temporalibus Romano Pontifici non subiaceat. Idcircò sciscitor ex illis an; huic libertati conueniat, vt, si Rex quispiam (quod tamen de modetno Christianissimo Rege pronunciare, summum nefas duxerim) aduersùs sacrorum antiquorum primæuæ potissimùm Ecclesiæ, Conciliorum, atque Canonum ab Ecclesia Gallicana concorditer receptorum decreta, ne dicam, dogmata, ex suæ ab Ecclesiastica auctoritate in temporalibus immunitatis, prætextu, agere pertentaret, quomodò Ecclesiæ Gallicanæ super Concilijs Oecumenicis, & ijs, quæ ab illis confirmata fuerunt, necnon antiquis in Galliæ Regno receptis sanctionibus Canonicis, imò vniuerso iure antiquo fundata libertas defendi, ac conseruari valeat, vbi neque Ecclesiastica auctoritas super Reges non protensa prævalere item posset aduersùs Oecumenicorum Conciliorum, sacrarum Canonicarum Sanctionum, & quorumuis iurium Ecclesiasticorum violationes ac temerationes extremam etiam Ecclesiæ Gallicanæ ruinam minitantes?

Dicet forsan aliquis, Regum ab Ecclesiastica, seu Pontificia iurisdictione immunitatem restringi ad sola temporalia: illas verò Iurium Ecclesiasticorum temerationes esse intrà sphæram causarum spiritualium, super quibus Rex nihil habet auctoritatis. At esto, Regi denegari auctoritatē super causis spiritualibus, sicq; adeò Conciliorū Oecumenicorum, sacrorumque Canonum sanctionibus, ac iuribus Ecclesiasticis: vbi tamen hisce non tantùm immisceret se Rex, sed auctoritatem etiam sibi arrogaret, infringendi ea iuta Regiæ potestati minimè subiecta, integra maneret illa quæstio; A quonam tunc cohiberi, & coerceri valeret? nisi falsè pro tali temerario-

 ois

nis iurium Ecclesiasticorum, ac vsurpatæ Iurisdictionis casu in rebus Ecclesiasticis, causisque propriè, ac merè spiritualibus super ipsum extendi posset Ecclesiasticæ, supremæ præsertim, auctoritatis virga correctoria, & coercitiua per Christum Ecclesiæ collata respectu omnis peccati, à quouis sanctæ fidelium communionis consorte fratre patrati.

Sed quid si Rex suam in constringendis iuribus Ecclesiasticis, super quibus specificè prætenditur fundata Ecclesiæ Gallicanę libertas, arrogantiam, & proteruiam tutari conetur ipso etiam gladij temporalis in Laicos sacrorum Conciliorum ex fidei sanctæ vigore zelatores, ne dicam, in Ecclesiasticos exercendi rigore? Num in hoc casu negaueris, vsum gladij Regij esse quid temporale, sed superuestiti spirituali quapiam moralitate ad Ecclesiasticæ potestatis forum spectante? Si hoc asseuerare, lubetet seu Petro de Marca, seu Petro Puteano; facilè conueniret nobiscum, vtpote qui auctoritatem Pontificiam ita circumscribimus sphæra moralitatis spiritualis, Regno cælorum tum militanti, tum triumphanti commensuratæ, vt eius super temporalia extensionem minimè admittamus nisi quatenus ista sunt superuestita quapiam spirituali ad supernaturalis ordinis, seu deordinationis lineam spectata moralitate. In statu autem præsuppositæ quæstionis, tam Regiæ illæ iurium Ecclesiasticorum temerationes, quàm harum congruæ à sanctionibus Canonicis præscriptæ, Ecclesiæque Clauium potestati proportionatæ coercitiones, meritò eòusque protenduntur, quousque se superextendit moralitatis spiritualis sphæra per Christum protensa super quodcumque, quod in terris morale est ad Regnum cælorum ordinabile. Hæc igitur vnica via est, integra, & illæsa conseruandi, ac tuendi antiqua Ecclesiastica, in ipso etiam Dei verbo contenta Iura, super quibus, prætacti Galliei Doctores aiunt, fundari libertatem Gallicanæ Ecclesiæ. Videriut ergo, ne hanc inuersam, ac extremæ ruinæ expositam velint, qui Pontificiæ, seu Ecclesiasticæ super Reges etiam, directæ potestatis sphæram negant, protendi ad temporalia, nisi huius asserti sensum esse velint coarctatum ad temporalia qua talia, non verò qua vestita moralitate spirituali, vt sic enim non nisi materialiter dici possunt esse temporalia formaliter autem præferunt rationem causæ verè spiritualis.

PROBATIO II.

In qua refellitur secundum partis aduersæ argumentum.

Celeberrimæ Vniuersitati Parisiensi sacrarum disciplinarum Matri meritò deferimus vniuersi, eamque fide Orthodoxæ propugnatricem perpetuam veneramur. At cùm non dubitem, quando Christus Petro, eiusque successoribus Pastoralis Oecumenici Officij indefinitè, nullo ex Christianis excepto, erga oues suas commisit potestatem, sub isto munere pastorali comprehendi etiam Regem, maxime Christianissimum; hinc ab illa Academia edoceri cupio, an non ista super cunctas Christi oues Summi Pontificis potestas Oecumenica ipsissimis illis Petro priùs promissis Ecclesiæ Clauibus sit circumscripta? Quomodò enim hæc Clauium potestas potuisset Petro cum perpetuo ad Ecclesiæ, portis nempe inferi numquam superandæ statum ordine, promissa fuisse; nisi Christus eamdem voluisse, protensam ad Petri successores? Numquid autem illa Clauium potestas eatenus pronuntiatur à Christo, habere ordinem ad Regnum cælorum, idque tum militans, tum triumphans, vti munita sit auctoritate ligandi, & soluendi quodcumque super terram? Quid ergo sub isto vniuersali ly Quodcumque, qua respectû ad cælorum, seu triumphans, seu militans regnum habente vocabulo, intelligi potest, nisi quoduis morale ad supernaturalem vtriusque illius Ecclesiæ finem, seu ordinabile, seu ab ista ordinatione deficiens? An verò dicere fas esset, Regem Christianissimum ab hoc erga Regnum cælorum ordine exclusum, vel potiùs illo contentum esse non tantùm quoad animam suam, vel etiam quoad spiritualia duntaxat, sed etiam quoad moralitatem suatû publici quoque, ac politici Regiminis actionum, imò quoad ipsamet Regiæ dignitatis ad suam Christi charactere insignitam personam, subiectiuam applicationem? Numquid verò Christus Matthæi 18. Ecclesiæ virgam correctoriam, ad Communionis fidelium sua tollendum extendi aptam, verèque adeò coercitiuam super quocumque fratre, sanctæ scilicet fidelium Communionis per Christi saltem characterê radicaliter consorte, si peccauerit, stringendam sanciuit? Num autem citra iniuriam grauissimam dici posset Rex Christianissimus inter hos Christianę Communionis fratres non esse comprehensus? Num ergo, dum Christus indefinitè super omni fratrum communionis Christianæ consortium peccato protendit illam virgam correctoriam, & coercitiuam, excipere hinc liceret peccatum Regis eo ipso, quòd peccatum sit à debita ad Regnum cælorum ordinatione deficiens? Numquid igitur hoc Regis sub ista debitæ ad Regnum cælorum ordinationis deficientia spectatum continetur etiam sub illo quocumque super terram morali, super quo per Christum est definita Clauium Regni Cælorum potestas soluendi, ac ligandi? Numquid ergo sub isto Quocumque omnimodam ad Regnum cælorum ordinabilem, vel ab isto ordine deficientem moralitatem complectente, includitur Regiæ quoque potestatis exercitium, eiusque ad hanc personam applicabilitas, qua superinduens moralitatem in Regnum cælorum à Christiano viro ex intrinseco etiam characteris in Baptismate suscepti debito etiam speciali ordinabilem? Quod si ergo Pontifex Maximus ex Ecclesiæ sanctæ extrema necessitate super Ius Regiæ Maiestatis non quidem in se formaliter spectatum, sed quà huic indiuiduæ personæ subiectiuè inexistens, secundùm quod superinduit moralitatis in Regnum cælorum ordinabilis, sicque adeò materialiter duntaxat consideratum, nempe illa moralitate ad Ecclesiæ Claues indubitata superuestitum, exten-

tendat virgam correctoriam, ipsamque adeò soluendi potestatem, quomodò fieri potest, quod non indirectè à tali Rege tollatur Ius Regium, vtpote, quod respectu ipsius personæ ex tunc ita sit solutum, vt iuxta Christi Domini verbum solutio eiusmodi comprobetur in cælo, ac proinde in foro etiam cōscientiæ debeat rata haberi? Super hisce igitur disquisitionibus meis cuperem à celeberrima Parisiensi Academia edoceri, certa erga hanc fidei propugnatricem perpetuam vniuersitatem fiducia fretus meos de Pontificia super Reges auctoritate sensus ab ea non fore alienos: quòd enim de illo speciali circa Concilij Oecumenici supra Papam auctoritatem articulo propugnabat illa præcipua Schola, id à nobis sequenti articulo discutietur.

PROBATIO III.

In qua confutatur tertium aduersæ partis argumentum.

MIsso hic articulo de Concilij Oecumenici supra Papam auctoritate, capere handquaquam possum, qua consequentia Clerus Gallicanus ex intentione, principium aliquod, vi cuius tuta esset Ecclesiæ Gallicanæ libertas, statuendi, sanxerit illam de Pontificia potestate super Reges non protensa propositionem? Quomodò enim quidquam Iuris Ecclesiastici residuum tandem remanere poterit? Dum si Reges eius facere contendat diminutionem, nulla iam Ecclesiastica auctoritate defendi poterit aduersùs temporalem Regiæ auctoritatis gladium? Sed de hoc dicebamus in præcedente prima probatione.

PROBATIO IV.

In qua discutitur auctoritas Cœtus Parisiensis super propositionibus præinsinuatis decernentis.

AVthor tract. de libert. Ecclesiæ Gallic. lib. 3. cap. 3. proponit hanc quæstionem; Vtrùm Cœtus Parisiensis potuerit definire quæstiones generales circa potestatem Ecclesiasticam? Cuius proinde quæsiti resolutionem ex eodem Auctore proferendam hic duximus ibidem differente in hæc verba. Quæ Cœtus Parisiensis declarauit, eius sunt conditionis, vt, si vera esset Gallorum doctrina de potestate Concilij Oecumenici supra Papam etiam extra casum Schismatis, à Concilio Oecumenico, non autem à Comitijs Cleri Gallicani, vel à Concilio Nationali fuissent determinanda?

Nam agitur de iure non solùm Summi Pontificis, sed etiam Concilij Generalis, imò de Ecclesiæ vniuersę securitate, nempe ad quem pertineat auctoritas, Decreta ireuocabilia circa fidem edendi: an potestas Ecclesiastica habeat aliquam potestatem in temporalia Regum, & Principum &c.? Quomodò ergo potest Ecclesia Gallicana, vbi de fide, de moribus, ac generalibus disciplinæ capitibus est quæstio, sententiam, inauditis etiam partibus, proferre? Numquid causæ istæ inter maiores referri non merentur.

Respondebunt fortassis, se quod iam à Concilio Constantiensi definitum fuerat, declarasse, ne à fidelibus ignoraretur. Sed primò quoad potestatem Ecclesiæ supra temporalia Principium, Concilium Constantiense contrarium sensit, vti superiùs est monstratum secundò quoad auctoritatem Concilij supra Summum Pontificem, non solùm plurimi Pontifices) quorum fortasse sententia in suspicionem traheretur, licèt non minùs suspecti sint Episcopi cùm sibi non quidem dimissum, sed coniunctim supremum Pontificem subijcere conantur sed etiam quàm plurimi Doctores ex vniuersis Ecclesiæ partibus, decreta Concilij Constantiensis de casu schismatis duntaxat interpretantur. An ergo ad Ecclesiam Gallicanam pertinet, obscurum Concilij generalis sensum interpretari? Decretum, inquiens, clarum est, verùm si secùs alijs videtur; ad quem pertinet huius controuersiæ iudicium?

Nec iuuat reponere, Antistites Gallicanos materiam, quæ ad Ecclesiam vniuersalem videtur spectare, pro suis tantùm gregibus declarasse, non autem toti Ecclesiæ articulos Fidei, aut disciplinæ Canones proposuisse. Hoc, inquam, non iuuat. Nam primò declarationes illæ generales sunt, & terminis communibus conceptæ. Non enim v. g. declaratur, Reges Galliæ in temporalibus non subesse potestati Ecclesiasticæ; sed Reges, & Principes absolutè, &c. Secundò, causas illas maiores, aut etiam maximas esse, Galli negare non possunt. Nonne ergo ad Sanctam Sedem, vel si suspecta erat, ad Concilium generale ex antiquis Decretis, & ex ipsis etiam Francorum legibus erant referendæ? Sed suspectum etiam foret Oecumenicum Concilium, cùm eius quoque auctoritas trahatur in dubium, nisi ei Summus Pontifex præsideret. Ideo scilicet debuit Ecclesia Gallicana, tamquam suprema, inter Romanum Pontificem, & Concilium Oecumenicum arbitra, controuersiam dirimere.

Non adeò faciles erant huiusmodi controuersiæ, vt omissa Romani Pontificis, aut, si mauis Concilij Oecumenici consultatione, definiti possent; decebatque, vt Episcopi Gallicani apud Curiam his S. Petri Chrysologi Episcopi Rauennatis verbis se se excusarent; Nos enim pro studio pacis, & fidei extra consensum Romanæ Ciuitatis Episcopi, causas fidei audire non possumus, Epist. ad Eutychem inter Acta Concilij Chalcedonensis par. 1. n. 15. Si quid interim, &, vt vulgò dicitur, prouisionaliter statuendum fuisset, longè maioris erant ponderis rationes, quæ in alteram partem suadebant declinare.

Quin etiam hæc declaratio Ecclesiæ Gallicanæ, vel Clero Gallicano tribui non debet, cùm, qui Comitijs intercesserunt, procuratione caruerint, quæ ad res adeò arduas, & difficiles specialissima requirebatur; consensus autem, qui fortè ab alijs quibusdam præstabitur, vix liber habebitur, cùm intentatis pœnis, & iam quibusdam inflictis, exigatur.

Accedendum iam ad singularum propositionum

positionum examen. Quocirca nisi demonstrauero, propositiones in declaratione Cleri Gallicani contentas, vniuersaliter, vt iacent, acceptas, esse apertè falsas, saltem constabit, longè minùs esse probabiles, minùsque tutas, quàm earum contradictorias. Atque adeò Comitia Parisiensia maximam iniuriam illius Regni fidelibus erga Summum Pontificem benè affectis intulisse, dum Edicto Regio, pœnisque adiectis, ad assentiendum doctrinæ ad minus de falsitate plurimùm suspectæ, atque aliunde Sanctæ Sedi aduersæ, cogendos curarunt. Tantùmque abesse, vt illa agendi ratio libertas Ecclesiæ Gallicanæ nuncupari possit, vt potiùs durissima, & Christianæ libertati infensa seruitus vocari debeat.

Nec puto, reperiri quemquam, qui hac declaratione speret reuocandos ad gremium Ecclesiæ hæreticos; quippe qui arbitrentur, vt eorum aliqui non sine opprobrio nostræ Religionis iam significarunt, Comitia Cleri Gallicani non parum ad ipsorum doctrinam accessisse, iam plurimùm Summi Pontificis, cuius obedientiæ sese ipsi vsquequaque subduxerunt, auctoritatem imminuere cœpisse, potiùsque Catholicos à visibili Ecclesiæ Capite defecturos, quàm ei sese coniungere illi meditentur. Ego quidem sic habeo, Regem Christianissimum, qui eam gloriosè in reducendis ad Christi ouile Regni sui hæreticis incumbit, ex ea declaratione ad tam præclarum opus, parum accepisse subsidij. Etenim cùm Summus Pontifex sit centrum Vnitatis, qui arctiùs illi adhæret, intrà sinum Ecclesiæ arctiùs stringitur. Imò, vt notauit Hincmarus aliàs relatus, [Rex & Episcopi Christi Vicario obedientes, illo exemplo debitam sibi à proprijs subditis obedientiam faciliùs obtinent.

§. III.

Referuntur nostratis sententiæ argumenta cum conclusione super ijs reflexiua.

ARGVMENTVM I.

AVctor Regalis Sacerdotij dicto lib. 1. §.16. argumentatur 1. ab auctoritate præcipuorum Theologorum, vel Ecclesiæ sanctæ Doctorum. Inter quos primum hîc obtiner locum S. Gregorius Magnus in Priuilegijs Monasterio Suessionensi S. Medardi, & Ecclesiæ S. Martini concessis, Reges Priuilegiorum huiusmodi inuasores Regnis etiam interdicens; prout videre licet lib. 8. Regesti epistolar. Gregorij VII. epist. 21. relata 3. Concil. p. 2. Cuius Priuilegij præallegatam clausulam à nonnemine Gallorum vocatam in dubium præualidè vindicat Auctor tract. libert. Gal. Eccles. supra §.1. à n.1.

Succedit Diuus Thomas, cuius ex 2. 2. q. 12. art. 2. hac de re sententiam retulimus §.1. n.3. Cui haud dissimilis est sententia 2.2. q. 60. art. 6. ad 3. prolata: [Dicendum, inquiuntis, quòd potestas secularis subditur spirituali, sicut corpus animæ. Et ideò non est vsurpatum iudicium, si spiritualis Prælatus se intromittat de temporalibus, quantum ad ea, in quibus subditur ei secularis potestas, vel quæ ei à seculari potestate relinquuntur.] Idem Doctor Angelicus similia profert in Opusc. 20. de Regim. Princip. lib. 3. c. 10. & cap. 17. vbi ostenditur, quomodò Imperatorum successio à Carolo Magno, indeque eorumdem electio per Summum Pontificem sit deuoluta ad Germaniæ Principes &c.

Subsequitur Diuus Bonauentura Parisijs sacræ Theologiæ publicus Lector lib. de Ecclesiast. Hierarchia par. 2. cap. 1. tom. 7. operum scribens, quę supra §.1. n.4. adducta fuerunt. Consonant, quæ idem S. Ecclesię Doctor in 4. dist. 37. in exposit. textus dubij 4. docet: [Vtrumque gladium, vti dicit Bernardus, esse Ecclesiæ, sed differenter: qui enim spiritualis, extrahendus est manu Ecclesiæ, sed materialis non manu, sed nutu &c.]

Digna sunt etiam, vt proferantur, quæ S. Antoninus p. 3. Summæ tit. 22. cap. 5. §. 13: disseruit: [Imperator, inquiens, est Minister Papæ, eo ipso, quòd est minister Dei, cuius vices gerit iuxta Apostolum ad Roman. 13. Est autem Principalis agentis, eligere Ministros, & instrumenta ad suum finem. Vnde puto, quòd Papa, cùm vniuersos fideles in præsenti Ecclesia ad pacem habeat ordinare, & ad spiritualem finem consequendum dirigere, & destinare, iusta causa, & rationabili existente, per se ipsum possit Imperatorem eligere, aut propter eligentium negligentiam, & discordiam, aut propter populi Christiani, & pacis prouidentiam, aut propter coercendam hæreticorum, & paganorum audaciam, & potentiam. Posse enim Papæ, fulcitum esse deber veritate, iustitia, & æquitate: non enim potest aduersùs veritatem.] His conformiter subdit is Ecclesiæ sanctæ Doctor: [Potuit enim Papa Electores Imperatoris instituere, & institutos mutare cum causa rationabili: sicut etiam Imperatorem electum potest non confirmare, & confirmatum deponere &c. Et infrà: Item Papa posset prouidere de Imperatore per hæreditariam successionem, quando videret, populo Christiano pacem dari magis per hæreditariam successionem Imperij.

Agmen hoc præcipuorum sacræ Theologiæ Doctorum claudit Ioannes Gerson, Vniuersitatis Parisiensis olim Cancellarius, cuius sententiam supra §. 2. n. 28. posuimus ob oculos. Hic satis ergo sit, Auctoris Regalis Sacerdotij cit. §.16. supra Gersonis placita proferre animaduersionem. Nempe hoc præcipuum Academiæ Lutetianę lumen negare quidem Pontificibus potestatem Iuridicam & Ciuilem, ac Ordinariam respectu Principum secularium, qualem scilicet habet Rex in suos subditos, & Dominus directus in Vasallos, concedere tamen subiectionem Principum respectu Papæ, quando Iurisdictionibus, temporalitate, & dominio abutuntur, quàm ipse vocat directiuam, & ordinatiuam, nos casualem, & extraordinariam. Nec enim voluit Gerson pro casu, quando abutuntur, excludere coercitiuam, directiuam enim non tantùm habet Papa, sed Episcopus quilibet, etiam extra casum abusus, nec aliam potestatem Pontifici negat Gerson,

son, quàm illam ordinariam, quam Summo Pontifici etiam extra casum necessitatis alij concedebant. Et ideo Cardinalis Perronius apud Gramondum lib. 1. hist. Gersonem pro hac sententia, quam defendimus, laudat.

Reflexio.

Reflexionem faciendo super isthac ratiocinatione, imprimis occurrit aduertendum, quòd iam aliàs monuimus, inscriptum Diui Thomę librum de Regimine non agnosci genuinum huius Angelici Doctoris fœtum. Deinde desideratur, vt ostendatur, ad quæ fidei principia seu proximè, seu remotè reducantur illæ Pontificiæ supra Reges potestatis prærogatiuæ deductæ ex præfatis sacræ Theologiæ, seu Angelicis, seu Seraphicis, seu præcipua doctrinæ, & sapientiæ laude conspicuis Doctoribus. Quod in probatione primam sequentis conclusionis reseruamus.

Vuum hic occurrit accuratiori discussione dignissimum ex præallegato Gersone, negante Pontificis Summi supra Reges superioritatem esse iuridicam; quemadmodùm aliqui Bonifacio VIII. imposuerunt, prætendisse super cunctos Christianos, ipsosque adeò Reges Ciuilem, & Iuridicam Iurisdictionem. De hac Galliis erga Bonifaciū VIII. sub Philippo IV. Franciæ Rege ingesta opinione præced. disquis. 2. §. 1. n. 21. egimus, & ostendimus, non tam solido fundamento, quàm suspicionis fuco nixam fuisse. Hoc tamen misso, cùm idem Gerson Pontificum erga Reges potestatem, quam priùs negabat, esse ciuilem, & iuridicam, posteà vocet directiuam, & ordinatiuam, sciscitari nunc placeat, an sub ista directiua, & ordinatiua potestate intelligat comprehensam coercitiuæ quoque iurisdictionis speciem? Moderni namque Pseudoreformatores prætendunt, Deum vnicam supremam auctoritatem Ciuilem iure gladij armatam, Magistratui politico inexistentem instituisse potestatem, cuius iurisdictioni omnis anima iuxta Apostolum Rom. 13. sit subiecta? Hoc à mente Gersonis prorsùs alienum esse, paret ex eiusdem præaddncta sententia, magisque patebit infrà ex huius accuratiori discussione. At neque ista Neotericorum doctrina cohæret cum sacris Literis. Si namque Deus vnicam auctoritatiuam, eamque Ciuilem Magistratui politico dumtaxat inexistentem, iure gladij armatam potestatem instituisset, quomodò iam subsisteret illud Deuter. 17. effatum Diuinum: [Qui superbierit, nolens obedire sacerdotis Imperio &c. moriatur.

Obiectio.

Ex parte aduersa excipitur. Hanc sacerdotis potestatem non fuisse supremam, debuisseque iudicis accedere decretum, vt morte dignus esset, qui non obedierit.

Responsio.

Huic obiectioni oppositum est, quòd cit. Deuter. 17. cap. supremo Mosaicæ legis sacerdoti tribuatur potestas tali enim auctoritate in dubijs interpretandi leges iudiciales, vt eius sententiæ standum fuerit, debueritque Iudex decretum, seu iudicium suum huic Sacerdotis sententię conformare, reusque adeò pronunrietur, qui sacerdotis imperio, & decreto iudicis nolebat obedire. Ex quibus euincitur, diuinam ordinationem duo genera imperij distinxisse, alterum in diuinæ legis interpretatione, alterum in legis diuinę sic declaratæ ad decretum ex ea formandum applicatione consistens. Et quidem priùs eius erat auctoritatis, vt Iudex ciuilis debuerit eidem subiectus esse, atque adeò oportet, eam sacerdotis sententiam fuisse supremam, nec proinde subditam ciuili architectonicæ potestati, atque ad hanc non absolutè, sed in suo dumtaxat Foro ciuili supremam fuisse.

Quando igitur Rom. 13. vers. 1. item Titi 3. vers. 1. 1. Petr. 2. vers. 13. præcipitur, vt omnis anima sublimioribus potestatibus sit subdita, id de potestate ciuili locum habet non absolutè, sed in sensu accommodo, inter limites nempe fori Ciuilis, ac Politici. Si namque in legis Mosaicæ statu præter ciuilem, ac politicum Magistratum fuit Diuinitus institutum supremum pro populo Israelitico Sacerdotium, cum potestate gubernandi ea, quæ spectabant ad res sacras, & dubiorum circa legem, & causarum iudicia occurrentium declarationem, cur non æquè, immò magis in statu Euangelij dicatur præter supremæ politicæ auctoritatis Magistratum, extare Sacerdotem Supremnm, cui in vniuersis causis Ecclesiasticis sit suprema iurisdictionis auctoritas? Id profectò probat tum luminis naturalis, ac supernaturalis fidei differentia, cui vtrique responder suum proportionatum regimen, tum aperta Christi Domini ordinatio, Oecumenicum Pastorem, cum indefinita in cœli etiam foro, ligandi & soluendi potestate, pro legis Euangelicæ statu instituentis.

Quibus sic ponderatis, iam facile est, Gersonis mentem indagare quoad directiuam, & ordinatiuam Summi Pontificis supra Reges auctoritatem, dum ipsemet subdit, omnes homines, etiam Principes habere subiectionem ad Papam, in quantum contra Diuinam, & naturalem legem abuterentur sua iurisdictione, temporalitate, & dominio: hisce namque verbis clarè denotatur virga per Christum Matth. 18. erga delinquentes Ecclesiæ, concessa potestatis, & correctoriæ, & eousque coercitiuæ, vt non nisi per processum, quoad iuris naturæ solemnitates substantiales legitimè formatum, priuarentur iure Communionis fidelium, cum vlteriori adhuc (ex sacro contextu) ordine ad quodcumque super terram ligandi & soluendi potestatem, Apostolica auctoritate exercendam.

ARGVMENTVM II.

Auctor Regalis Sacerdotij argumentatur 2. ab auctoritatibus sancti Bernardi Abbatis Clareuallensis, Petri Blesensis, Petri Cluniacensis, Alexandri Alensis, Henrici Gandauensis, Augustini Triumphi, & plurimorum à se allegatorum Theologorum. Diui equidem Bernardi, necnon Alexandri Alensis, ac Henrici Gandauensis hanc in rem sententia patet ex §. 1. à num. 2.

Ita

Ita verò ad Cœleſtinum Papam Tertium nomine Reginæ Angliæ Petrus Bleſenſis natus Gallus ſcribebat epiſt. 146. { Porrò Princeps Apoſtolorum adhuc in Apoſtolica Sede regnat & imperat, & in medio conſtitutus eſt iudiciarius (Anglorum aduerſiis Richardum Regem Angliæ vinculis detentum) rigor, illudque reſtat, vt exeratis in maleficos Pater gladium Petri, quem ad hoc conſtituit ſuper gentes, & Regna Chriſti. Crux antecellit Cœſaris Aquilis, gladius Petri gladio Conſtantini, & Apoſtolica Sedes Imperatoriæ poteſtati.

Petrus porrò Cluniacenſis Abbas lib. 6. epiſt. 38. ita ſcribebat: { Quamuis Eccleſia non habeat Imperatoris gladium, habet tamen ſuper quoslibet minores, ſed & ſuper ipſos Imperatores Imperium. Vnde ei ſub figura Prophetici nominis dictum eſt. { Conſtitui te ſuper gentes, & Regna, vt euellas & deſtruas, & diſperdas & diſſipes, & ædifices, & plantes. } Quare ſi non poteſt occidere, poteſt deſtruere. }

Auguſtinus Triumphus qu. 1. de poteſt. Eccleſiaſt. par.1. art.7. dicit: { Papam eatenus gerere vicem Chriſti, ſaltem quantum ad poteſtatem, & Iuriſdictionem, vt art. 8. ſubijciat, Bona temporalia, & ſpiritualia eatenus poſſe ad tria comparari, nempe ad productionem, ad eorum ordinationem, & ad eorum motionem, atque actionem, vt ſecundùm iſta tria oſtendi poſſit; in Papa eſſe poteſtatem ſuper omnia, } vt fuſiùs poſtmodùm exponit, ſic concludens tandem: { Papa verò, in quo eſt poteſtas ſpiritualis, habebit per ipſam poteſtatem ſpiritualem diſponere, & ordinare de temporalibus. } Quibus tam inſignibus ſacræ Theologiæ Doctoribus, ad præſens inſtitutum noſtrum dictus Auctor, circa finem prætallegati §. 16. annumerat quam plurimos alios Theologos, ſi placeat, ſigillatim etiam locis ibi allegatis conſulendos.

Reflexio.

Reflexionem ſuper hac argumentatione facienti, iterum occurrit mihi præfatus Auctor, tria notatu digna emphaticè inenicans. Inprimis, quòd omnium ſcholarum Principes conueniant in noſtram ſententiam: Ex ſchola namque Franciſcana Alexandrum Alenſem, & S.Bonauenturam: ex Dominicana SS.Thomam, & Antoninum: ex Auguſtiniana Anteſignanum Ægidium, & beatum Auguſtinum Triumphum: ex Carmelitana Ioannem Bacconum: ex Charthuſiana præcipuum doctorem Dionyſium; ex inſigni, celeberrimaque Sorbonica Henricum Gandauenſem: ex Societate Ieſu Suarez, omneſque eiuſdem Societatis Doctores.

Deinde omnes, qui ob doctrinam eminentem titulum aliquem, & elogium, maximæque eruditionis characterem ſunt conſecuti, pariter conuenire in noſtram ſententiam, Hugonem ſcilicet cognomento Magiſtrum, Alenſem Irrefragabilem, Thomam Angelicum, Bonauenturam Seraphicum, Ægidium Fundamentalem, Mayronem Illuminatum, Gandauenſem Solemnem, Bacconum Reſolutum, Gerſonem Chriſtianiſſimum, Doctores.

Denique quàm plurimos Sanctis adſcriptos in eamdem ſententiam noſtram conſpirare; nempe Diuum Thomam, S. Bonauenturam, B.Ægidium Romanum lib.de poteſt. Eccleſiaſt. B.Auguſtinum Triumphum, S.Antoninum, S. Raymundum lib.1. tit. de hæreticis, S.Gregorium Magnum, B.Ioannem Capiſtranum lib.de poteſt.Papæ par.2.

ARGVMENTVM III.

Auctor Regalis Sacerdotij ibidem argumentatur 3. Eccleſia Gallicana non ſemel, ſed aliquoties, & clariſſimè poteſtatem hanc Pontificiam agnouit, & profeſſa eſt. Nempe in Synodo Pontigonenſi, de qua Aimonius Rerum Francicarum lib. 5.cap. 33. In Concilijs generalibus Viennenſi, & Lugdunenſi primo. Nouiſſimè hanc ipſam eſſe Gallicani Cleri doctrinam, conteſtatus eſt Gramondus Regij Conſiſtorij Senator, & In Parlamento Toloſano Præſes lib.1. hiſtor. ad annum 1615. fol.60.& ſeq. Comitia videlicet trium Galliæ Ordinum generalia Lutetiam fuiſſe conuocata, hoc eſt, Cleri, Nobilitatis, Tertijque Ordinis, qui vltimis Magiſtratibus ſubalternis, & populo conſtat. In ipſo Comitiorum ingreſſu tertium Ordinem propoſuiſſe theſim toties Clero obſtrepente agitatam: { Nullam eſſe poteſtatem in temporalibus ſupra Regiam, vnique immediatè Deo, debitam coronam à Gallis Regibus, nullis obnoxiam interdictis. } Vbi notatu digna ſunt ea verba: { obſtrepente Clero. } De illa theſi pluribus actum, miſſoſque communibus tertij Ordinis votis ad Clerum articulos tres: quorum hæc ſumma erat: { 1. Sacrilegum eſſe, Reges vnctos Dei quolibet prætextu in necem dare. 2. Debitam immediatè vni Deo Regum in ſubditos poteſtatem. 3. Nullis Sedis Apoſtolicæ interdictis ſubiacere Imperia Regum, ſubditoſque numquam ſacramento fidei exſolui poſſe. } Conſenſit primæ propoſitioni Clerus, immò perorante doctiſſimo Cardinale Perronio, Theſim in tyrannicidas de fide eſſe, reſpondit ex decreto Concilij Conſtantienſis ſeſſ. 5. Alteram de fide negauit. Difficultatem igitur mouit præcipuè articulus tertius, vindicabat vir doctus Summi Pontificis in Regum ſceptra poteſtatem certis caſibus: probat, Romanæ Sedi in Reges hæretica labe infectos, ſubſcripſiſſe, quotquot Caluinum ante Theologica tractauere. Contrariam opinionem omninò nouam eſſe, Luthero, & Caluino fautoribus, nuper natam, Sacramento vinciri Reges Galliæ, vbi inaugurantur, pellendis Regno ſuo hæreticis, ſi peierauerint in hæreſim ipſi degeneres, ſi fautores hæreſiarcharum, ſi noui dogmatis aſſertores: deberi vltionem Vicario Dei, ad quem vnum ex lege ſpectat periurij pœna. In eam ſententiam exactis ſeculis itum, iri & hodie paſſim, ſi Galliam demas. Ex qua proinde Perronij Cardinalis, & Gramondi diſſertatione, pergit dictus Auctor argumentari, clariſſimè elucere, quòd Clerus Gallicanus, perorante doctiſſimo Perronio, in ea fuerit ſententia, vt crederet: { Opinionem, quæ poteſtatem Pontifici in Reges negaret, nouam eſſe, Luthero, & Caluino fautoribus, nuper natam, tanquam dogma

gma politicum defendi posse ad summum: eo errore primam fuisse viam Henrico Octauo Angliæ Regi in hæresim: ex iniusto repudio iustè condemnatum, rebellasse contra iudicem suum: non aliud præcinere thesin, quàm rebellionem in solium Petri.]

Reflexio.

Reflexionem super his per nos iam antehac discussis facienti, occurrit mihi idem anteà citatus Auctor solida sequenti illatione sua: Iam inquiens, prudentum quilibet faciliè iudicauerit, quàm apud omnem posteritatem Conuentui Parisiensi decorum futurum sit, eam propositionem tanto cum apparatu, coraque, imò grauissimis pœnis imperare, quam sub felicissimæ, & gloriosissimæ memoriæ Ludouico Decimoterrio Gallicani censuerunt: [Esse opinionem noua Luthero, & Caluino fautoribus, natam, cui veterum nemo subscripsit, Recentiorum, pauci, quæ Henrico Octauo via in hæresim fuerint, quæ apertam rebellionem præcinat in solium Petri, quam prælo datam, obtento à Rege diplomate, mulctaque in Typographum oblitteratum voluerat, cui deuique in ijsdem Comitijs omninò contrarium rotundè edixerunt, sacramento videlicet Reges Galliæ, vbi inaugurantur, pellendis Regno suo hæreticis obstringi: si peierauerint in hæresim ipsi degeneres, si fautores hæresiarcharum, si noui dogmatis assertores, deberi vltionem Vicario Dei, ad quem vnum ex lege Dei spectant periurij pœna.]

Hæc igitur Ecclesiæ Gallicanæ sub Christianissimæ memoriæ Ludouico Decimotertio in Comitijs generalibus per Gramondum omni exceptione maiorem relata, aduersùs illam omnem supra Reges iurisdictionem Summo Pontifici adimentem propositionem censura, moderno æquè Clero Gallicano meritò cordi esto.

CONCLVSIO.

Ab auctoritate Theologorum, & sanctæ Ecclesiæ Doctorum prævalidum petitur argumentum, ad probandam Pontificiam super Reges quoad temporalia, tamen indirectam dumtaxat potestatem.

Explicatur. Cùm enim Patrum, seu Ecclesiæ sanctæ Doctorum, ac Theologorum auctoritas in eo sita sit, quòd ex doctrina Diuina, vel etiam sanctitatis notis intra Ecclesiam conspicuis, credantur in rebus fidei explicandis ferre iudicium, non proprij dumtaxat ingenij, sed supernaturalis gratiæ viribus efformatum. Idcircò magnum inde pondus prudentialis saltem ad fidei assensum dirigendum credibilitatis eruitur, dum præcipuè veritatis sub tali auctoritate propositæ ab ipsismet Theologis concordi consensu in quodpiam fidei principium fit resolutio; prout in præsenti rei statu fieri, ostendent sequentes probationes.

PROBATIO I.

Super auctoritate Theologorum, Ecclesiæ sanctæ Doctorum supra adductorum reflexiua.

Si expendantur verba sancti Antonini præf §.3. num.68. adducta, necnon Diui Thomæ in Opusc. 20. de Regimine Principum cap.19. descripta, manifesta hinc elucet sententia, quòd Papæ ius sit, tum super ipso etiam Imperatore confirmando, vel per hæreditariam successionem designando, ac etiam deponendo, tum super potestate eligendi Regem Romanorum alijs conferenda, necnon dignitate isthac Electorali Principibus Germaniæ concessa reuocanda, quantum bonus status Ecclesiæ vniuersalis, seu populi Christiani pax id requireret. At istud Summi Pontificis ius radicatur in eo, quòd dignitatem Imperatoriam pro Occidente Græcis ademptam Sedi Apostolicæ eatenus vendicarit, vt radicaliter semper adhuc penes istam subsistat, tametsi eam primitùs secundùm hæreditariam successionem, posteà verò secundùm liberam electionem in Carolo magni stirpem, deinceps verò in Nationem Germanicam transtulerit. Hæc verò Imperatoriæ super Occidente dignitatis à Græcis in Carolum Magnum, indeque in Germanos translatio per dictos sanctos Doctores reducitur in hoc principium, tum quòd Papa tamquam VicariusChristi habeat plenitudinem potestatis pro bono statu vniuersalis Ecclesiæ, tum quòd, cùm Papa agat vices Dei, consequenter Imperator sit illius Minister: sit autem principalis agentis, eligere Ministros, & instrumenta ad finem: vnde quia Papa habet, vniuersos fideles in præsenti Ecclesia ordinare ad pacem, ac spiritualem finem, fit consequens; [posse, existente causa iusta, & rationabili, per se ipsum eligere Imperatorem, aut propter populi Christiani, & pacis prouidentiam, aut propter coercendam hæreticorum, & paganorum audaciam, atque potentiam, Atqui tota hæc ratio iam vniuersalis est erga cunctos Christianæ professionis Reges ex vi characteris in sacro Baptismate suscepti, ad sanctæ Ecclesiæ bonum vniuersale obstrictos.

Ipsissima verò istæc ratio per Diuum Bonauenturam lib.de Eccles. Hierarch.par.2. cap.1. reducitur ad hoc principium; quòd dignitas Clericalis in sua radice penitùs spiritualis, meritò sit dicenda esse consona Ordini Dominationis, ita illuminantis inferiores Angelicos Ordines, vt ab illis vicissim non illuminentur. Vnde infert hìc Seraficus Doctor, quòd, sicut spiritus dignitate, & officio præcellit corpus, sic potestas spiritualis dignior sit, quàm secularis, & ideo benè sortiatur nomen Dominationis. Et hinc concludit, Regalem potestatem subiacere potestati, & auctoritati spirituali; sicut in 1. Canonica Petri dicitur: [Vos estis gens sancta,

ctæ, & Regale Sacerdotium.] Ex hoc autem infert is Sanctus Doctor, temporale Regnum, velut quoddam adiectum subiacere Sacerdorio in Nouo Testamento, quamuis nis in Veteri Testamento sacerdotium subfuerit Regno, iuxta illud Exodi: [Elegi vos in populum peculiarem, in sacerdotale Regnum,] siquidem Regnum in hoc sacro textu ponatur substantiuè, sacerdotium verò adiectiuè, secùs ac in Nouo Testamento, vbi sacerdotium substantiuè, Regnum adiectiuè ponitur.

Ex quo proinde in sacris Litteris fundato discrimine secundùm eundem Seraphicum Theologum conficitur, quòd Reges in Antiquo Testamento potuerint amouere sacerdotes summos ab officio, sicut Salomon amouit Abiathar. 3. Reg. 2. è contra verò in Nouo Testamento Sacerdotes, & Pontifices ex causa possint amouere Reges, & deponere Imperatores, sicut sæpius accidit, quando eorum malitia id exigebat, & Reipublicæ necessitas sic requirebat. Reducendo igitur hanc Seraphici Doctoris illationem ad principium, quod ab ipsomet priùs supponebatur, & ad principium illud, quod à D. Thoma 2. 2. q. 13. art. 2. ad 1. traditur, nempe potestatem sæcularem in Nouo Testamento subdi spirituali potestati, perinde ac corpus subijcitur animæ, oportet, hinc totum rei momentum reducere ad istud fidei principium, quòd Christus Ecclesiam suam eatenus munierit Regni cœlorum clauibus, vt, quidquid in omnibus suis Oecumenico pastorali officio commissis, ad cœlorum tam militans, quàm triumphans Regnum est ordinabile, vt sic spirituali quapiam moralitate superuestitum, debeat Summi Pontificis, Petro legitimè succedentis indefinitæ ad ligandum, & soluendum potestati subiectum esse.

PROBATIO II.

Prioris continuatiua.

Ex cit. §. 3. num. 78. constat, à Petro Blesensi eatenus in summo Pontifice gladium Petri reponi, vt sit etiam super Regna, præiudicetque gladio, seu potestati Imperatoris, in vi cuius præeminentiæ Sedes Apostolica super ipsos quoque Imperatores teneat Imperium; vti S. Petrus Cluniacensis habet. Vnde Diuus Bernardus infert, ipsius etiam Imperatoris gladium materialem subesse Ecclesiasticæ auctoritati, quatenus Summus Sacerdos propria manu suum spiritualem gladium, suo tamen nutu, ac imperio illum imperatorium gladium exercere, ac exercere valeat. Ex vi cuius adeò supereminentis spiritualis auctoritatis posse Summum Pontificem instituere, vt sit, & iudicare potestatem terrenam, tradunt Hugo de sancto Victore, & Alensis vbi supra allegati. Et hinc Henricus Gandauensis, & Augustinus Triumphus ibidem relati probant, Summum Pontificem esse talem Hierarcham, vt sicut vit, iuxta Apostolum 1. Corinth. 2. v. 15. iudicet non solùm in spiritualibus, sed etiam in temporalibus. Quam proinde Papæ auctoritatem idem Gandauensis optimè reducit in Claues Petro, eiusque successori à Christo traditas, & duos eidem commissos gladios, sic vt Regnum Vniuersalis Ecclesiæ, tam in spiritualibus, quàm temporalibus ad ipsum pertineat; iuxta cap. Omnes dist. 22. iuncta Glossa ibi concludente, quòd Papa, cui terreni simul, & cœlestis Imperij Christus per duas Claues commisit, habeat vtrumque gladium, spiritualem, ac temporalem.

PROBATIO III.

Reflexiua super ipsius Ecclesiæ Gallicanæ praced. §. 1. à num. 8. adducta testimonia.

Spero equidem, modernæ quoque Ecclesiæ Gallicanæ Clerum in sensu concordare, eum eiusdem Ecclesiæ suæ Episcopis, & Archiepiscopis coram Rege Philippo Anno 1329. & coram Ludouico Decimotertio Anno 1615. vnà cum Nobilitate, ipsomet etiam Rege astipulante, solidissimis in fidei principia reductis fundamentis comprobantibus in publicæ necessitatis casibus Papæ super Reges, in causis quoque temporalibus, qua spirituali in Regnum cœlorum ordinabili moralitate affectis, auctoritatem indirectam.

Hoc saltem pro indubitato teneo, modernum Clerum Gallicanum non minùs reuerentiæ, erga Sedis Apostolicæ authoritatem, ac præeminentiam habere, quam professi sint iuris tum Canonici, tum Ciuilis periti, quorum hac in re testimonia profert Author tract. de libertat. Eccles. Gallic. lib. 4. cap. 9. iuris, inquiens, Canonici interpretes, aut tractatores, Ecclesiasticam potestatem in temporalia Principum magis adhuc, quàm Theologi, explicuerunt. Ex quorum infinito propemodùm numero paucos tantùm Gallos profero.

Guilielmus Durandus Episcopus Mimatensis in speculi iur. particula prima, tit. de Legato. §. Nunc ostendendum, qui est 6. num. 17. de authoritate Papæ ita scribit: [Deponit Imperatorem propter ipsius iniquitatas,] vt Extrauag. De re iudicata. Ad Apostolicæ. lib. 6. [& etiam Reges,] vt 15. quæst. 6. Alius. [Et dat eis Curatores, vbi ipsi sunt inutiles ad regendum,] vt Extrau. de suppl. neglig. Prælat. Grandi. lib. 6. num. 32. [Item ipse renouat leges Imperiales, vt in constitutione Gregorij X. Properandum.

Ioannes Monachus è Gallia oriundus in cap. Grandi de supplen. negl. Prælat. num. 4. sic scripsit; [Sed quid ad Papam de Regibus, & eorum Regnis? Videtur immittere falcem suam in messem alienam, quod esse nō debet,] suprà de electio. Venerabilem in princip. [Sed dic, quòd Papa in quemlibet habet iurisdictionem, nec est dubium ratione peccati,] infrà de iudicijs. Nouit, & in spectantibus ad pacis reformationem 90. dist. per tot. & vide etiam num. 5. In cap. autem ad Apostolicæ de sent. & re iudic. num. 9. notat, [quòd Papa deponit Imperatorem propter crimen: vt hic: Etiam propter inutilitatem Reges deponit] 15. q. 6. Alius. [Etiam ipsis Regibus male ad-

ie administrantibus Coadiutores, & Coadministratores dat. Suprà hoc lib. de suppl. negl. Prælat. Grandi. [Ecclesia etiam Principes compellit exhibere iustitiam.] 23. q. 5. Administratores. [Etiam iurisdictione vtitur ex eorum negligentia.] Supra de foro compet. ex tenore. [Oportet enim, ponere vnum Principatum, ad quem omnes recurrant.] 6. q. 1. in apibus.

Etiam à tempore dissidij inter Bonifacium Octauum, & Philippum Quartum Regem Franciæ, in quo maximè controuersa fuit iurisdictio Ecclesiastica in temporalia Regum, non solùm Doctores Ecclesiasticos, sed ipsos etiam Officiales Regios hanc potestatem confessos fuisse, patet ex Tractatu [De vtraque potestate sæculari, & Ecclesiastica, qui Somnium Viridarij est inscriptus, quemque alij Cancellario, alij Consiliario Caroli V. Regis Franciæ tribuunt, & certè in fauorem potestatis laicæ scriptum fuisse, constat. In eo tractatu defensor auctoritatis sæcularis sub nomine Militis sic loquitur; [Concedendum est, quòd Principatus Papalis concernit temporalia, prout de necessario concernit spiritualia, cùm ab eorum vsu, vel abusu surgit peccatum, prout dicunt Textus, ratione peccati omnes causæ spectant ad forum Ecclesiasticum. Cap. Nouit. de iudicijs, & Cap. per venerabilem. Qui filij sint legitimi. [Tamen principaliter disponendo, & auctorizando nihil spectat ad Papam, quantum ad temporalia.] Et alibi. [Nec debet se (potestas Ecclesiastica) de depositione Imperatorum, seu Regum temporalium intromittere, prout in prioribus pleniùs fuit dictum, quandocumcumque Rex, vel Imperator sit dignus depositione propter defectum quemcumque, vel crimen, quod non est inter spiritualia crimina computandum. Et ideo si Imperator, vel Rex cōmittit crimen dilapidationis Imperij, vel destructionis Imperij, seu Regni, aut damnabilis negligētię Imperij, vel Regni, vel Tyrānidis, vel quodcumq; aliud, propter quod non immeritò deponi meruit, Papa nō deberet eū deponere, sed populus, à quo suam recipit potestatem tacitè, vel expressè. Excipit, nisi illi, ad quos pertinet, nollent, aut non possent facere iustitiæ complementum.] Posteà adducens exempla Pontificum deponentium Imperatores, varias affert responsiones; & allata opinione improbantium, quod factum fuerat ab eis, addit; [Fatentur tamen, quòd Papa potest transferre Imperium, vel Regnum casualiter, vt quia non est alius superior; vel aliter, aut Imperium, vel Regnum est transferendum de gente in gentem propter aliquod crimen spirituale gentis, puta, si gens illa inficiatur hæretica prauitate, vel ad legem Iudæorum, vel ritum Gentilium, vel sectam aliam conuerteretur, vel propter aliud simile, vel propter crimen sæculare, aut propter negligentiam, aut defectum alium, propter quod etiam iudicio sapientium Gentilium, vel Christianorum gens illa non esset digna aliàs gubernare. Si transferendum esset Imperium, vel Regnum propter crimen spiritnale, dicunt quidem, quòd Papa potest iure Diuino transferre Imperium, seu Regnum, quia ipse in spiritualibus, & annexis eis, habet plenitudinem potestatis, quantùm ad ea, quæ sunt de necessitate facienda. Alij dicunt, quòd Papa in hoc casu non potest transferre Imperium, siue Regnum, nisi laici fuerint damnabiliter negligentes, vel fauentes genti, à qua necesse est, transferri Imperium, vel Regnum, sed in hoc casu spectat ad Papam, de crimine spirituali cognoscere, & denunciare illis, ad quos spectat, vt ipsum deponant. Quòd si noluerint, vel non potuerint, iure diuino est deuoluta potestas ad Summum Pontificem: & hoc, quia ipse habet plenitudinem potestatis, quantum ad omnia, quæ sunt de necessitate facienda. Si verò Imperium transferendum esset de gente in gentem propter crimen aliquod sæculare, vel defectum alium, Papa auctoritate propria talem translationem non posset facere, nisi illi, ad quos spectaret, damnabiliter essent negligentes.] Fatetur ergo Author, & quidem frequenter, Ecclesiam posse Principes deponere, saltem pro criminibus spiritualibus, & etiam pro alijs culpis, si negligant ij, ad quos ius illud spectat.

Ioannes de Silua tract. de Benef. par. 3. quæst. 8. num. 31, ita censet, [Papa solus potest deponere Imperatorem.] cap. Ad Apostolicæ. De sent. & re iudic. in 6. & no. Doc. post. gloss. in cap. Venerabilem, de Elect. & in Clement. Romani. De iureiur. Præterea facit, quòd Papa potest deponere Regem, vt aliàs deposuit Regem Franciæ, quia erat effœminatus. Cap. Alius 15. q. 6. Ita ille, licèt in Senatu Parisiensi Præses.

Consentit, & ampliùs illam potestatem explicat in Senatu Tolosano Præses Stephanus Aufrerius. tract. de potest. Ecclesiæ supra laicis eorum, ac prærogatiuis Ecclesiæ, n. 32. Facit, quod notat Baldus in c. Imperialem §. fin. 1. col. de prohib. feud. alien. per Feder. vbi dicit, [quòd si Dominus feudi non recognoscit superiorem, prout est Rex Franciæ, & Pares Curiæ ei nimis fauent, Papa cognoscet. Sed dictum huiusmodi debet intelligi in causa ardua, quia sic loquitur] allegatum cap. Per venerabilem num. 52. 113. [Papa deponere potest laicum à sua dignitate.] Gloss. in cap. Nullus 11. quest. 1. 114. Papa potest absoluere laicos vasallos à subiectione Principis temporalis.] cap. grauem de excess. Prælat. 115. [Papa potest absoluere aliquem ab obligatione quæsita laico, qui ei non subest quoad temporalem iurisdictionem, si talis obligatio solùm contrahitur ex fidei præstatione, vt in cap. 4. de iureiur.

Ioannes Faber in Senatu Parisiensi Causatum Patronus in l. Codicis de Summ. Trinitate, & fid. Cathol. num. 10. Sed de Papa, inquit, non est dubium, quin sit superior omnibus Christianis, & in temporalibus, & in spiritualibus: vt plenè probat Hostiensis dicto cap. Per venerabilem, verb. Paulus. Et idem Innocentius dicto cap. super verbo non recognoscit, quod aliter probari potest; nam cùm Papa sit Vicarius Domini, cuius est plenitudo &c., & qui est Princeps Principum, & Rex Regum secundùm Apostolum in principio, & cui data est omnis potestas Marth. 7. ridiculosum esset dicere, quin in omnibus temporalibus haberet superioritatem, & potestatem 12. q. 1. cap. Præcipimus & n. 11. Et cùm omnis iurisdictio in Vicarium transeat.

ſeat. Extra De offic. Viear. Quia infra. De offic. eius, qui Vic. alter. obtiner l. 1. Nuſquam enim reperitur, quòd Dominus concedendo poteſtatem Petro, reſtrinxit ad ſpiritualia. Nullus enim negare poteſt, quin Ieſus habeter omnimodam ſuperioritatem, ſi exercere voluiſſet, cùm ſic Creator, & ſit Dominus num. 15. Tamen ſatis credo, quòd Papa non ſe debeat intromittere de temporali iuriſdictione. Imò debet tenere gladium in vagina: niſi in caſibus, qui tangunt præiudicium animæ, vel iuſtitiæ ſubuerſionem, vel aliàs peccatum. Extra. De Iudic. cap. Nouit. De foro competen. &c. 13. [In caſibus tamen præmiſſis cùm agitur de præiudicio animæ, populi &c. Papa poteſt, & debet prouidere: & ſi neceſſe ſit, quoſcumque Reges deponere, vel interdicere eis adminiſtrationem, & ex minori cauſa, quàm priuatos, cùm eorum ſatuitas, vel malitia plus lædat.] Extra. De ſuppl. neglig. Prælat. cap. Grandi per Archidiac. & vide Innoc. ibid. dicto cap. Licet Extra, De foro competen. 96. diſt. Cùm ad verum. Extra. De voto, & voti redempt. c. Licèt in fine. Sic intellige, & determina, quod no. in Authent. Quomodò oport. Epiſc. & Cler. in princ. coll.

Vt inter Theologos, ita & inter Iuriſperitos Catholicos vſque ad hæc poſtrema tempora etiam qui iuriſdictionem Eccleſiæ ſuper Reges, & Principes in temporalibus anguſtare conati ſunt, eam omninò negare auſi non ſunt. Petrus Gregorius Tholoſanus in varijs Academijs Franciæ ſucceſſiuè Iuris vtriuſque Profeſſor, de Repub. lib. 26. cap. 5. Quamuis dicamus, inquit, Imperatorem poſſe priuari, tanquam inutilem ſuo Imperio per Summum Pontificem, Per venerabilem. De elect. & ſimil Tamen non ſequitur, Papam idem ius habere in alios Reges omnes. Demo tamen cauſam Fidei. Et infrà. Excipio ſemper, vt aliàs dixi, cauſas Fidei, in quibus Principes, cuiuſcumque ſint libertatis, & poteſtatis, ſubijciuntur directè Sedi Romanæ; & pro delictis in illis commiſſis puniri poſſunt, Sic tamen, vt, ſicut delicta ſunt perſonalia, & non tranſeunt perſonas delinquentes, ità nec pœna, quæ delicto debetur, non violet ius ſucceſſorum in Regno, vel ex conſuetudine recepta, vel ex lege Regni, quà proximi ordine poſt deficientes vocantur. Poteſt enim qui imperat, per delictum ſuum ſibi nocere, & ſe indignum Imperio facere, at non poteſt præiudicare ei, qui ſucceſſurus ei eſt, etiam eo inuito, cùm non habeat ab eo, ſed à maioribus, vel ex lege familiæ. Et oppoſitis ſibi auctoritatibus Innocentij IV. in Concilio Lugdunenſi relati cap. 1. De homicid. in 6. & Bonifacij VIII. cap. Statutum, De hæret. in 6. & cap. Felicis. De Pœnis, etiam in 6. reſpondet. [Quamobrem reſponderem in prædictis conſtitutionibus in Principes quoque ſæculares ex cauſa peccati ſtatuere, vt in alijs.

§. IV.

Corollarium.

Infertur. Imputationem indigniſſimam videri, vbi de Clero Gallicano diceretur, minus poteſtatis erga temporalia in Papa agnoſcere illum, quàm ipſoſmet Principes ſæculares. Nam prærallegato Auctore in c. 13. aduertente, de tali Summi Pontificis poteſtate non dubitabant Principes, quorum exempla cap. 10. vſque ad præſens cap. 13. ſunt allata. Non dubitabant etiam Ludouicus Germaniæ, & Lotharius II. Auſtraſiæ Reges, cùm Carolus Caluus Ludouici frater, & Lotharij Patruus pactis inter ipſos conuentis ſtare recuſans, de inuaſione aliorum Regnorum cogitabat. Illi enim ad Nicolaum Primum confugerunt, vt eius auctoritate hoc damnum propulſari curarent: [Oportet proptereà, inquiebant, veſtræ auctoritatis iubar propter generalem ſollicitudinem noſtros inuiſere fines, vt, quos nulla pacis fœdera, nulla mouent fraternæ charitatis viſcera, nulla nectunt conſanguinitatis ligamenta, Apoſtolica Inuectio ad cenſuram Eccleſiaſticam venire compellat. Omitto, quæ referunt Hiſtorici Gallicani de Philippo II. Anglorum Rege, à cuius obedientia ſubditos abſoluerat Romanus Pontifex, bellum indicente, atque Ottonem Imperatorem à Papa deponi procurante, & de Philippo Tertio, Petro Aragoniæ Regi, à cuius obedientia ſubditos exemerat Martinus Quartus, etiam bellum inferente.

Iuſtinus Secundus Imperator Coſrohæ conquerenti de receptis Perſamenis Chriſtianis ab eo ſe ſe ſubducentibus; Quoniam, vt ait Euagrius, qui rem narrat lib. 5. cap. 7. à cæteris Perſis miſerè, & potiſſimùm Religionis ſua gratia vexabantur, iuſtam putauit excuſationem afferre, cùm reſpondit; præfinitum pari tempus effluxiſſe, nec fas eſſe, vt Chriſtiani Chriſtianos in tempore belli ad ſe confugientes deſertos eſſe patiantur. Quid igitur? nonne melius eſt, vt fideles Principibus non ſe ſubtrahant, etiamſi iuſtam habeant cauſam (vt ſi Religionis ſuæ gratia vexati Chriſtiani ad Chriſtianos confugiant) niſi accedente Eccleſiæ auctoritate?

Sed numquid ita ſentiunt Principes tunc tantùm, quando illa poteſtas Eccleſiaſtica ſibi commodo eſt. Henricus licèt ira, ne dicam furore, correptus, aduersùs Gregorium Septimum, cui ſcribit, fatetur, ſe in cauſa hæreſeos Eccleſiæ ſubiacere. Hæc ſunt eius verba; Henricus non vſurpatiuè, ſed pia Dei ordinatione Rex Hildebrando, non iam Apoſtolico, ſed falſo Monacho...... me quoque, licèt indignus inter Chriſtianos ſum ad Regnum vocatus, te teſte, quem ſanctorum Patrum traditio ſoli Deo iudicandum docuit, nec pro aliquo crimine, niſi à fide (quod abſit) exorbitauerim, deponendum aſſeruit, &c.] Deindè notat, Iulianum Imperatorem licèt Apoſtatam, ab Epiſcopis non fuiſſe depoſitum, quod eorum prudentiæ, non poteſtatis defectui tribuit: [Cùm etiam Iulianum Apoſta-

statam prudentia sanctorum Episcoporum non sibi, sed soli Deo deponendum commiserit.]

Atque ea ratio sufficeret ad vindicandam Ecclesiæ suam auctoritatem aduersus illius non vsum, quem aliqui obijciunt, negantes, vllam eius fuisse praxim per multa sæcula. Id enim prudentiæ, seù benignitati piæ illius matris, non auctoritatis defectui, adscribendum esset. Adeò periculosa est Sacerdotij cum Imperio contentio, vt illius vitandæ causa, multa mala minora sæpè sustinenda sint.

Hæc, vt opinor, sufficiunt, vt vnusquisque peruideat, non necessariam fuisse hoc tempore declarationem Cleri Gallicani circa istam Ecclesiæ potestatem, quippe cùm ne minimum quidem esset periculum, ne Summus Pontifex ea vteretur; sed etiam plurimorum Conciliorum praxi, sanctorum Patrum, & Doctorum, Theologorum, & Iurisperitorum doctrinæ, Principum, eorumque Officialium professioni contrariam, vt iterum nihil aut, fuisse Illustrissimos Episcopos Cœtus Parisiensis eam negare, suamque sententiam Verbo Dei, Patrum traditioni, & Sanctorum exemplis consonam declarare.

Opportuna fortassis fuisset hæc doctrina Cleri Gallicani, etsi (absit verbo iniuria) minùs vera, cùm Christiani, martyrij desiderio incensi, occasiones auidè quærebant; at nunc ita refrixit charitas, vt si, quod Deus Optimus Maximus auertat, oriretur persecutio, maxima futura esset Religionis ruina. Si enim tàm multi iniustis potentiam desiderijs obsequuntur, ne illorum fauore priuentur, aut in aliqua temporalia damna incurrant: quid foret Principibus certam mortem intentantibus? Nonne Deus Christianorum debilitati consuluisse existimandus est, qui, ne Iudæi à vera Religione auerterentur, vetuerat, ne ipsis Rex infidelis præficeretur, Deuteronom. 17. v. 15.

Nescio, an hodie pro Religione omnes Episcopi Galliæ B. Martini pro disciplina constantiam imitarentur, de quo ita scripsit S. Seuerus Bituric. Archiep. in vita B. Martini cap. 23. [Atque vt minora cantis inseram (quamuis, vt est nostrorum ætas temporum, quibus iam deprauata omnia, atque corrupta sunt, penè præcipuum sit, adulationi Regiæ Sacerdotalem non cessisse constantiam) cùm ad Imperat. Maximum ferocis ingenij virum & bellorum ciuilium victoria elatum plures ex diuersis partibus Episcopi conuenissent, & fœda circa Principem omnium adulatio notaretur, seque degeneri inconstantia, Regiæ Clientelæ, Sacerdotalis dignitas subdidisset, in solo Martino Apostolica auctoritas permanebat. Nam etsi pro aliquibus supplicandum Regi fuit, imperauit potiùs, quàm rogauit.

Nescio, an multi ex alijs Ordinibus cum Diuo Ioanne Damasceno de sacris Imaginibus orat. 1. sub principium, verè dicerent. Nec veritati Regiam amplitudinem prætuli; Loquebar enim, inquit Diuinus ille pater Dauid, in conspectu Regum, & non confundebar. Quin etiam ob id magis sum incitatus. Nam ad subiectos decipiendos multùm valet Regis auctoritas. Pauci enim, nimirum illi, qui terrarum Reges Cœlestis Regis Imperio gubernari, & leges debere Regibus imperare sciunt, iniqua eorum iussa negligunt, & aspernantur. Et sub finem eius. Orat. Regio non cedemus Imperio, patrum conanti euertere consuetudinem. Neque enim piorum est Regum, Ecclesiastica instituta conuellere; his de rebus statuere, atque decernere, non ad Reges pertinet, sed ad Concilia; nam vbi duo, vel tres, inquit Dominus, congregati fuerint in nomine meo, ibi sum in medio ipsorum. Ligandi, soluendique potestatem non Regibus, sed Apostolis, & eorum successoribus, Pastoribus, & Doctoribus Christus dedit.

Si penès Rempublicam manet ius, aliquando Principatum transferendi, vt manere fatendum est, nisi multos Principes Tyrannidis reos facias, quænam occurrere iustior ratio potest eo iure vtendi, quàm vbi regimen temporale ab æterna felicitate auertit, ad quam referenda est pax, & tranquillitas ciuilis, qui proximus est Principatus finis? Id autem cùm contigit, nonne & Principum seueritati, & subditorum saluti omninò necessarium est, vt à fidelitatis iuramento absoluto peratur, sicut ab alijs?

Cùm autem mutua sit Principum, & subditorum obligatio ad exequenda pacta in institutione Regni conuenta, nònne iusta erit causa, ut Ecclesia præstitæ fidei vinculo eximat subditos, si Princeps contra datam fidem eos in vera Religionis custodia seruandi, à verâ Religione deterreat?

DISQVISITIO.

An, & in quantum ex ratione demonstrari possit Summi Pontificis supra Reges etiam in temporalibus auctoritas?

§. I.

Auctor Regalis Sacerdotij præs. lib. 1. §. 17. num. 9. Ecclesiasticæ, seu Pontificiæ supra Reges in temporalibus auctoritatis preeminentiam firmat ex ea quoque ratione, quòd ex continua, perpetuaque omniû rerû inductione palam fit in omnibus, maius, nobiliusq; dominari minoribus, ac imperfectioribus. Sic namq; Angelis est Regium in omnes sensibilium rerum species dominium. S. Augustinus lib. 83. quæst. 76. Damascenus lib. 4. cap. 4. Origenes num. cap. 20. Videmus etiam, quæ magis lucent, magis etiam mouere, perficere, & agere in hæc inferiora: veluti solem inter planetas, & ignem inter elementa &c. Idem ergo dicendum videtur de potestate Ecclesiastica, illis concessa, quos Christus appellat, lumen mundi: & Zacharias Propheta, Stellas lucentes in perpetuas æternitates. Videmus insuper gratiam non animam tantùm, sed & corpus perficere, idque virtutes morales temperantiæ, atque continentiæ ad virtutem, & æternam felicitatem instruere, &, si bonum Religionis exigat, morti, & tormentis exponere. Videmus denique iure, & instinctu naturæ omnia sic

sic esse instituta, vt sibi aduersantia, & nocentia expellant, examentque: & pro conseruando bono meliori, vniuersaliorique, imperfecta, & particularia bona, cum propria licèt pernicie, ac etiam interitu, exponant. Sic enim manus ad tuendum caput accurrit, naturalique instinctu vulnus, & dolorem in se recipit: aqua centrum egreditur, & contra impetum naturę sursum attollitur, vt vacuum impediat, vniuerso inimicum. Sic quia membra vitæ conseruandæ deseruiunt, si huius interesit, ex medici arbitrio amputantur. Sic denique media, & instrumenta omnia fini obtinendo accommodantur, prout huic conducunt, nocentque, ad nutum artificis aut amouentur, aut operi applicantur. Cùm ergo Regna, & bona temporalia omnia sint à Deo instituta, vt Religioni, animabus, æternæque felicitati deseruiant: tenentur, qui ijs præsunt, hoc facere, & ni faciant, sed potiùs incommodent, pertinebit ad Caput, Præsidemque Ecclesiæ, illos officij sui admonere, & etiam compellere, nisi velimus dicere, Deum Ecclesiæ suæ, cuius gratia creaturas omnes, seque ipsum impendit, minùs, quàm rebus alijs minimis prouidisse, negata illi, qua se tuetetur, necessaria potestate: aut contra Prouidentiæ suæ ordinem tot seculis obtentum per miracula tantùm conseruare voluisse.

Elegans est ista conglobata, non equidem demonstrationis, seu congruentiæ alicuius ratio. Sed numquid Deus in veteri quoque, ne dicam scriptæ, sed etiam non scriptæ Legis; vti vocant naturæ, statu, ex Christi præuisis meritis ad supernaturalis conditionis præmineutiam mediante gratia sanctificante humanum genus eatenus iam eleuauerat, vt in vi huius ad statum supernaturalem eleuationis esset in hominibus debitum quasi connaturale, vt Regna quoque, ac bona temporalia Religioni, animabus, æternæque felicitati deseruirent? Num verò ex vi huius diuinæ institutionis pro certo, & indubitato principio statuendum est, politici quoque Regiminis actus vniuersos debuisse non solùm ab illius, qui politicum gerebat magistratum, anima ordinari ad suæ æternæ felicitatis, Religionisque finem, sed ipsis regentibus in statu etiam naturæ, superimpositum fuisse Caput, à quo ad media finieiusmodi congruentia auctoritatiuè compellerentur? Imò in statu etiam scriptæ Mosaicæ Legis post institutum Sacerdotium; num dicere fas esset, politicum quoque regimen, non iam à cuiusque Regis propria dumtaxat anima ex. æternæ felicitatis, Religionisque intentione administrandum fuisse, sed sub isto ad finem supernaturalem ordine Regiam supremam potestatem fuisse subiectam Veteris Testamenti Summo Pontificatui?

Ex præcedentis Disquisitionis §. 1. n. 4. constat, Diuum Bonauenturam lib. de Ecclesiast. Hierarch. p. 2. cap. 1. renuisse, ac probasse contrarium, nempe [in Veteri Testamento Sacerdotium subsuisse Regno, ideòque potuisse tunc amouere Sacerdotes summos ab. officio, sicut Salomon amouit Abiathar 3. Reg. 2.] Num igitur Seraphicum hunc Doctorem, ex hac doctrina redarguere licebit, ac si Diuinum ordinem inuertisset, in vi cuius, oporteret, spiritualia, ceu maiora, dominari temporalibus, tamquam minoribus? Nequaquam. Sed hic S. Doctor responsurus fuisset, spiritualia ita fuisse cuiusque animæ diuinitus demandata, vt temporalia quæque, ipsa quoque Regna à terreno Rege possessa, deberent per gratiæ diuinæ, ex Christi præuisis meritis ipsi destinatæ, ad salutis æternę, Religionisque finem ordinari, neque verò hunc ordinem ex connaturali quasi necessitate exigere, vt Caput Ecclesiæ haberet in hoc supernaturali, ac spirituali ordine potestatem, maximè coercitiuam erga Reges, sed satis fuisse, si vel ex adhortationibus, Prophetis non rarò tunc demandatis, haberet, pro bono Religionis, & felicitatis æternæ fine à Regibus procurando, potestatem directiuam, & ordinatiuam.

Diuus equidem Bonauentura loco cit. ostendit, in Nouo Testamento aliter se habere causæ præsentis statum, ita vt temporale regnum, velut quoddam adiectiuum iam subiaceat Sacerdotio, possintque adeò Sacerdotes ex causa amouere Reges, ac Imperatores, quando eorum malitia hoc exigit, & Reipublicæ necessitas sic requirit. Verùm huius Noui, & Antiqui Sacerdotij differentiam is Seraphicus Doctor ex altioribus, non naturalis ordinis, sed fidei diuinæ principijs demonstrat. Meritò igitur dubitare licet, vtrùm illa Auctoris præclati ratiocinatio aliquid vigoris, ac efficaciæ obtineat, cuius adeò dubij resolutionem reseruamus in vltimum præsentis Disquisitionis §. 4.

§. II.

Referuntur partis aduersæ Argumenta cum Responsionibus, & Conclusione super ijs reflexiua.

ARGVMENTVM I.

Aduersariorum.

EX parte aduersa licet I. argumentari. Totam Pontificiam potestatem contineri illis Christi verbis: [Pasce oues meas.] At munus hoc pascendi peragitur, dum fide diuina credenda proponuntur, ac explicantur, & oues, seu fideles à perditionis, corruptorumque morum via, monitis, consilijs, interminationibus, censuris reuocantur, & diriguntur in viam salutis, quæ omnia sinè coactione, & iurisdictione fieri possunt, veluti Neoterici explicant.

Responsio.

Huic argumentationi respondet Auctor Regalis sacerdotij cit. §. 17. n. 1. Officium Pastorale circa oues Christi, non tantùm versari in pascendo, regendo, & fouendo, sed etiam in separando oues morbidas à sanis, ne infirmentur; abigendo lupos, ne inuadant &c. Cùm ergo Reges Christiani, ad oues Christi pertineant: si eorum aliquis gregem Christi, & Ecclesiam perturbet, hæreticus euadat, diuinis, ac naturalibus legibus obstinatè non pareat, pertinere ad curam summi

Pasto-

Pastoris, nulla spe correctionis allicente, alijsque remedijs in vanum consumptis, vt huiusmodi Principem ab Ecclesia separet, & potestatem nocendi, velut furioso gladium extorqueat.

Obiectio.

Ex parte aduersa excipitur. Pontificem Romanum in spiritualibus tantùm, & quæ Religionem, & animam spectant, esse Regum Pastorem: illique claues Regni cœlorum, non Regni terrarum esse commissas.

Responsio.

Super hac exceptione replicat idem Regalis Sacerdotij Auctor. Potestatem spiritualem, ac temporalem sic coniunctas esse, vt separari non possint, & separatę facilè corrumpantur: sicut enim corpore indispositio, organisque corporeis malè affectis, non potest anima suas functiones exercere, ita nec Religionem florere, conseruarique posse, Republica malè constituta, & aliquo perdito Principe imperante. Deum ipsum, quamuis fidem Catholicam, & Ecclesiam per miracula, & specialissimam Prouidentiam plantauerat, noluisse eam Ethnicis Principibus diu subiacere, sed illis per Constantinum excisis, Imperium ad Christianos transtulisse, sub quibus toto orbe dilatata est, siquidem hominum fragilitate fieri non potuisset, Imperio penes Ethnicos existente, & persecutoribus diu multùmque dissimilibus, fidem Catholicam conseruari, victa tandem pœnis patientia, quod apertè Christus in persecutione Antichristi euenturum prædixit Matth.24. & exempla Galliæ, Angliæ, Sueciæ, Græciæ &c. plus nimio ostenderunt, veram Religionem, fidemque Catholicam, turbata Republica. & infidelibus rerum potitis, excidisse. Cùm ergo Imperium,& Religio adeò colligata sint, non potuisse vnum sine altero, Christi Vicario, Summoque Pastori committi: sicut enim Pastori ouium tantùm, non luporum, aut prædonum cura committitur, si tamen isti oues inuadant, etiam istos pellere, & procul arcere, Pastoris officium est: eodem modo nullam in Principes, & Regna potestatem Summo Pontifici esse, nisi quando ex mala illorum administratione Ecclesia periclitatur, nec alijs remedijs locus est. Eamdem vtriusque Iuris sententiam esse,cùm statuunt, concessa alicui iurisdictione, concedi omnia, quæ ad illam necessaria sunt, & sine quibus exerceri illa efficaciter non potest. Leg. fin. ff. de Officio eius, cui mandatur iurisdictio. Et leg. 2. ff. de Iurisdict. omnium Iudicum. Et cap. Præterea de officio iudicis delegati. Si ergo principes seculares ad oues Christi pertinent, quarum cura Petro, eiusque Successoribus commissa est; si & de illorum præcipuè animabus Summo Pontifici reddendæ sunt Deo rationes, tamquam præcipuis Ecclesiæ membris, oportere consequenter, omnem illis potestatem concessam esse, quæ ad eorum animas, subditorumque pascendas, regendas, curandasque necessaria est; nisi velimus, Dei Prouidentiam, quæ rebus etiam vilissimis necessaria prouidit, Ecclesiæ non prouidisse. Esse namque potestatem indirectam in Reges Ecclesiæ, Religionique necessariam, & rem ipsam, & exempla, vti dictum sit, conuincere.

Obiectio reiterata.

Reflexionem super hisce responsionibus, & ratiocinationibus faciendo, occurrit disquisitione dignum: cùm sub Ethnicis adhuc Imperatoribus integra in Summis Pontificibus maneret erga Christi fideles cura Pastoralis, & tamen nulla esset Papæ tunc erga Imperatorem, ac Imperium iurisdictio, quomodò verum esse possit, quòd ad curæ illius officium debito modo exercendum, sit necessaria in Reges, ac Regna Iurisdictio coercitiua, seu potestas indirecta ad depositionem vsque illorum præpollens? Ex quo equidem Reges Baptismali charactere insigniti, cœperunt esse oues Christi, indubitatum prorsùs est, ipsos vnà cum Regnis suis esse commissos Petri, eiusque successorum curæ Pastorali. Sed per quam rationem, ex hoc præciso pascendi munere euinci potest, Papæ in illos stricta iurisdictio etiam coercitiua, & non potiùs directiua dumtaxat per salubria consilia, per Diuini Verbi exhortatoriam efficaciam, per æternarum pœnarum, vel etiam à fidelium Ecclesiastico consortio, Sanctorumque suffragiorum communione exclusionis interminationes? Ex illis igitur Christi Domini ad Petrum prolatis verbis, necdum videtur euinci indirecta illa ad Reges deponendos, suæque Regiæ dignitatis iure temporali priuandos, Papæ iurisdictio.

Responsio.

Verùm dubitare nefas est,quòd sub sacro illo textu: [Pasce oues meas,] Petro æquè commissa sit potestas ouium Christi gubernatiua,ac sub istis Act.20. v.28. Apostoli verbis: [Posuit Christus Episcopos regere Ecclesiam suam,] contineatur veri regiminis auctoritas, atque adeò iurisdictio strictè sumpta. Siquidem in hoc ipsissimo textu Apostolico, secundum Græcum idioma, loco verbi Regere, in vulgata versione positi, habeatur verbum Pascere: sicut etiam ille Psalmo 22. exaratus versiculus: [Dominus regit me,] iuxta Hebraicum textum vertitur, [Dominus pascit me.] Cui proinde consonum est, quòd illud ipsum Pastoralis curæ officium, quod Christus Ioann. 21. Petro contulit sub hisce verbis: [Pasce oues meas,] eidem Matth.16. promiserit sub istis vocibus: [Tibi dabo claues Regni Cælorum, quodcumque ligaueris, & solueris super terram, erit ligatum, & solutum in Cælis. Nequit autem munus Pascendi, quà coniunctum cum ligandi, & soluendi potestate, discrepare ab officio regendi, veram, & strictam importante iurisdictionem. Cuiusmodi adeò iurisdictio, seu regendi auctoritas ita est in Episcopis, secundùm aliquam Pastoralis sollicitudinis partem, vt secundùm potestatis plenitudinem sit in Papa, protendens se super vniuersas Christi oues, ipsosque adeò Reges, ac super quodcumque omnibus Christi super terram inexistens morale, ad regnum Cælorum ordinabile, ac proinde

inde etiam ſuper cuncta Regna Chriſtiana, Regiæque poteſtatis exercitia, moralitatis in regnum Cælorum vtique referibilis formalitatem ſuperinduentia. Sub qua proin formalitate fundatur illa Petri ſucceſſoribus Diuinitus conceſſa, ſuper Regibus, etiam quoad temporalia poteſtas indirecta; vti ſæpè iam dictum, & probatum fuit.

ARGVMENTVM II.

Aduerſariorum.

EX parte aduerſa licet 2. argumentari. Si Pontifici in caſu publici, Eccleſiæ, ſeu alicuius Regni fidelibus imminentis periculi, eſſet ad Regem deponendum, indirecta ſaltem poteſtas, hæc præcipuè fundaretur ex iure, ac debito naturali, quo Summus Pontifex Chriſti Eccleſiam, veramque Religionem defendere tenetur. At ſi iſta defenſionis neceſſariæ ratio teneret erga Reges Chriſtianos, cur non æquè prævalebat aduersùs Imperatores Ethnicos; Eccleſiæ capitales inimicos, ita vt Summo Pontifici ex naturalis defenſionis iure contra illos tunc eſſet ius armandi Chriſtianos? Si dicas, illud naturalis defenſionis ius obtinere in Papa erga illos dumtaxat Reges, ac Principes Chriſtianos, qui charactere Baptiſmali ſunt inſigniti, videtur hinc reddi conſequens, ex illa præciſa ratione non ſubſiſtere indirectam Papæ ſuper Reges, quoad temporalia poteſtatem. Vel ſi hæc ex iure defenſionis neceſſariæ locum haberet erga Reges non Chriſtianos, cur ergo Diuus Thomas 2. 2. quæſt. 12. art. 2. ad 1. reſpondet: [Eccleſiam in ſua nouitate, nempe Iuliani Apoſtatæ tempore, nondum habuiſſe poteſtatem, terrenos Principes compeſcendi, & ideo toleraſſe, vt fideles Iuliano Apoſtatæ obedirent in his, quæ nondum erant contra fidem, vt maius periculum fidei vitaretur?]

Reſponſio.

Ad hanc partis aduerſæ argumentationem videtur, poſſe Auctoris Regalis Sacerdotij cit §.17. num.2. deducta reſponſio accommodari. Quilibet namque Princeps non tantùm ius habet, ſubditos gubernandi, ſed ex hoc reſultat etiam Ius aliud, nempe naturalis defenſionis, quo poteſt alium Principem, etiam non ſubditum, quia publica commercia turbat, pacta non ſeruat, alioue modo ſibi, ſuiſque infeſtus eſt, ad officium compellere, & niſi abſiſtat, bello inuadere, regnoque priuare. Multò igitur magis poterit Papa, cui Eccleſia concredita eſt, Principes ſæculares Eccleſiæ filios, & quorum poteſtas temporalis ſpirituali eſt ſubordinata, ſi Religioni, vel committendo, vel omittendo noceant, & iuramentum violent, quo Eccleſiæ ſe obſtrinxerunt, Regno deponere, aliiſque modis coercere, idque iure defenſionis. Poſſe enim Eccleſiam non ſpiritualibus tantùm, ſed etiam temporalibus pœnis ſuos hoſtes comprimere, extrà dubium eſt, modò ipſa non exequatur, & fiat extra ſanguinem. Cap. Inter 33. q. 2. Et ſunt auctoritates Patrum cap. De Liguribus, 43. & cap. Non vos hominum, 42. Cauſa 23. qu. 5. & cap. Iam vero. Cauſa 23. q.8. plerumque enim pœnę ſpirituales contemptui ſunt impijs, & ludibrio, tantùmque abeſt, vt ſint remedio. Et fuiſſe pœnas temporales etiam ab Apoſtolis vſurpatas, docet ſanctus Hieronymus in capit. Legi, 31. Cauſa 23. quæſt. 8.

Reflexio.

Reflexionem ſuper hac præcitati Auctoris, ſeu reſponſione, ſeu ratiocinatione faciendo, dum dicitur illud ius defenſionis protendi etiam aduersùs Principem non ſubditum, videtur omninò euinci, quòd Eccleſiæ hoc ius ſemper competierit contra Imperatores quoque Ethnicos. Cui conſonum eſt, quod noſtræ Theologiæ tom.9. qu.6. artic. 2. cont. 2. fusè probauimus, Eccleſiæ, eiuſue Capiti ex Chriſti Domini mandato eatenus ius eſſe, prædicandi Euangelicam fidei veritatem, vt, ſi Principes Ethnici huic prædicationi reſiſterent, poſſe Summum Pontificem per Reges Catholicos, armata etiam manu aduersùs ipſos agere, ad vim ſuo per Chriſtum ſancito iuri illatam, vi armorum repellendam, ipſoſque adeò, ſi ad illum de Chriſto annuntiando, finem opus fuerit, Regno ſuo violenter deijciendos. Quando igitur ſanctus Thomas ſuprà citatus dixerat: [Eccleſiam in ſui nouitate non habuiſſe poteſtatem, terrenos Principes compeſcendi,] eo modo accipiendus eſt, quem mox ſubiunxit, dicendo: [Toleraſſe ideò fideles Iuliano Apoſtatę obedire in his, quæ non erant contra fidem, vt maius periculum fidei deuitaretur.] Ex his namque verbis conſtat, poteſtatem, terrenos Principes in ſui nouitate compeſcendi, Eccleſiæ eatenus denegari, quatenus cederet in maius fidei periculum. Cùm enim claues non ſint Petro commiſſæ, niſi in ordine ad regnum Cælorum, atque adeò ad vtilitatem fidei, ac Religionis, vbi contingeret, hanc periculo expoſitum iri per Clauium vſum, tunc omninò ceſſaret poteſtas compeſcendi Principes, ſiquidem iuri defenſionis locus non ſit, vbi moralis imminet impotentia ad vim repellendam, atque adeò fortiori deinceps manu inferendam. Et hinc non ſolùm erga Ethnicos Imperatores, Eccleſiæ haudquaquam ſubiectos, ſed etiam erga Iulianum Apoſtatam ex vi Baptiſmalis characteris Eccleſiæ ſubditum, negat ſanctus Thomas, fuiſſe Papę poteſtatem, in eius nouitate compeſcendi, [vt ſcilicet maius fidei periculum euitaretur.] Cæterùm illius naturalis defenſionis Reges Eccleſiæ ſanctæ turbatores, defenſionis diuerſa prorſus ratio eſt in illis Principibus, qui fidem numquam ſuſceperunt, & in ijs, qui ſanctæ fidei obligationem contraxerunt in ſacro Baptiſmate. De illis enim negat, de his verò aſſerit Doctor Angelicus cit. quæſt. 12. art. 2. in Corpore: [Poſſe ſententialiter puniri ab Eccleſia, & conuenienter in hoc puniri, quòd ſubditis dominari non poſſint, quippè cùm hoc vergeret in magnam fidei corruptionem, meritòque adeò propter apoſtaſiam à fide, per ſententiam denunciari excommunicatos: atque hinc ipſo facto eius ſubditos eſſe abſolutos ab ipſis dominio, & iuramento fidelitatis, quo ei tenebantur.]

Ex quo proinde conficitur, non tam iu-

re defeofionis, quod erga infideles Ecclesiæ non subiectos Principes, suo modo potest locum habere, quàm iure publicæ vindictæ, per iudiciariam auctoritatem procedi posse aduersùs Principes terrenos, Christi charactere insignitos, si vel à fide, ac Religione deficiant, vel aliàs sanctæ Ecclesiæ sint perturbatores, è Regno suo deijciendos; de quo plura inferiùs in conclusione.

ARGVMENTVM III.

Aduersariorum.

EX parte aduersa licet 3. argumentari. Si quæ Pontifici Maximo esset potestas indirecta io temporalibus super ipsos Regrs protrnsa, hæc dicenda esset fundari in temporalis regiminis subordinatione ad fiucm regiminis spiritualis. At haoc rationem oullius esse efficaciæ, probatur ex imbecillitate fundamenti, super quo construitur illa regiminis temporalis ad regimen spirituale subordinatio. Eteoim isthæc petenda esset ex hoc, quòd finis Regni, & temporalis gubernationis sit felicitas temporalis, consistens in pace, in diuitijs, mutuis commercijs, & quieta rerum suarum possessione, alijsque, quę eum reddere possunt felicem. Hæc ipsa verò felicitas temporalis ad finem altiorem, & supernaturalem reduci drbet, veram videlicet fidem Religionem, cultum Dei, exercitium omnium virtutum, quæ hominem decent, & quibus ad æternam felicitatem peruenitur: cùm enim Regna sint à Deo instituta, idem finis regnantium esse debet, qui est Dei. At Deus propter seipsum, suamque gloriam, Rrgna constituit; veluti sanctus Thomas 1. 2. q. 21. art. 3. & præsertim in Opusc. de Regim. lib. 1. art. 7. docuit. Dei igitur gloria eatenus debet Regnorum, & regnantium finis esse, vt Principes seculi, oporteat, priùs quærere Regnum Dei, & iustitiam eius, quàm bona alia temporalia Matthæi 6. ver 33. quippè cùm ista sint media tantum, & illud sit finis. Deut. 17. vet. 18 Quod proindr Regnum Dei eatenus quærendum est ex regimine etiam temporali, vt huius debeat esse subordinatio ad Regnum Dei, atque adeò regimini spirituali intra Ecclesiam Summis Pontificibus concredito, subiacere debet. Hæc igitur tota est ratio, per quam regimen temporale adstruitur subordinatum regimini spirituali. At vero intelligibile est, quod Regrs temporales ex Christi charactere habeant quidem obligationem regiminis sui spiritualis ordinandi ad Regnum Dei, & iustitiam eius, necdum tameo hinc efficitur, quòd regimen temporale ex intrinseca natura sua habeat istam subordinationem ad regimen spirituale, sed ex parte dumtaxat personæ operantis, non ex parte operis seu, regiminis, stat istud debitum. Hoc autem posito, rursus iotelligibile est, quòd Rex, quoad actus suos morales, eateous dumtaxat sit in vi Baptismalis characteris obstrictus, ad eos in regnum, seu iustitiam Dei referendos, vt tamen hinc nequaquam esse debeat consequens, oportere, vt sit spiritualis quædam potestas, eiusdem ooo directiuè tantùm, sed coercitiuè ordioatiua io regnum Cælorum, siquidem io iure oaturæ, vel etiam Lege Mosaica scripta non constet de tali regiminis temporalis ad spirituale regimen auctoritatiuum subordinatione. Quare ex illa præcisa temporalis regiminis ad finem regni, & gloriæ, ac iustitiæ Dei subordinatione, necdum euincitur, debere in Ecclesia dari regimen spirituale, cum potestate coercitiua, & auctoritatiua, protensum super regimioe temporali.

Responsio.

Huic in contrarium adductæ ratiocinationi videtur opportunè accommodari posse sequens Auctoris Regalis Sacerdotij cit. §. 17. num. 3. deducta responsio. Etenim ex omnium consensu, potestas Regia ordinatur ad Religionem, tamquam medium ad suum finem, tamquam minùs perfectum ad magis perfectum. Hinc autem fit consequens, vt ille, qui est Caput Religionis, sit etiam Caput Regiæ potestatis, in quantum hæc pertinet ad Rrligionem, & qui moderatur fini, eiusque executioni, multo magis moderetur medijs, ad eum finem ex sua natura, & institutione Dei ordinatis. Quia enim sanitas est finis medicinæ, ideo quidquid ad sanitatem faciunt herbæ, liquores, gemmæ, ad eamdem medicinæ artem pertinent, eiusque directioni subiacent: & quia finis oauticæ artis est felix ad portum nauigatio, idcircò ad eamdem pertinet, acuoi nauticam, ventorum, & stellarum examen, & alia ad hunc finem necessaria instruere, dirigere, mutare, &c. veluti multis exemplis alijs eleganter, ac neruosè hoc declarat sanctus Thomas 1 par. quæst. 82. art. 4. 1. 2. qu. 9. art. 1. 2. 2. quæst. 23. art. 4. ad 2. & 1. par. qu. 57. art. 2. specialiter asseuerans: Hoc habere rerum ordinem, vt quantò aliquid est superius, tantò habeat virtutem magis vnitam, & ad plura se extendentem.] Pari proinde ratione, cùm potestas Rrgia sit medium, & instrumentum æternę felicitatis, redditur hinc consequens, illi, cui ex officio istius cura committitur, etiam illius curam esse commissam eamquam inferioris & instrumenti ex Dei institutione ad felicitatem eternam directi. Si quis enim imaginem suam pictori exprimendam deferat, quis non dicat, hoc ipso factam illi potestatem, colores miscendi, telam poliendi, tingendi radios, & penicillos io omnem partem ex præscripto artis ducendi, & inutiles operi aut etiam noxios corrigendi, aut, si non possit, omnino proijcieudi. Cùm ergo Ecclesia militans sit imago triumphantis Ecclesiæ, ad Hebr. 9. quam fide, spe, & charitate ac præsertim Religione in Deum velut totidem coloribus imitatur, eiusque pingendi cura Dei Vicario, velut summo pictori sic commendata, Principibus verò tamquam instrumentis, ac penicillis, Diuino huic operi deseruientibus, ad eumdem, vtique Christi Vicarium pertinebit, inutiles, noxiosque quibus fœdatur potiùs, quàm perficitur, remouere, aliosque substituere, sic tamen, vt in Principes Ecclesiæ vtiles nihil iuris exerceat, dicente ipso Christo Pharisæis, hoc est Legis Doctoribus, & Expositoribus, [Date ergo, quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo.

Reflexio.

Reflexionum super hac præcitati Auctoris responsione, & argumentationem faciendo, & insistendo præciso illi principio quòd regimen temporale ex natura sua, & institutione Dei, sit subordinatum regimini spirituali, ad felicitatis æternæ finem adaptato, subintellige etiam publico, & auctoritatiuo mox triplex occurrit difficultas, quarum prima est quòd istud principium minimè fuisset verificandum in statu puræ naturæ, si aliquando extitisset. At hoc nec quidquam obstante Regia potestas, ac regimen temporale quoad intrinsecam naturam suam perstitisset prorsus eadem cum auctoritate politica quæ iam viget in statu supernaturalis eleuationis, illam minimè immutantis, sed solummodò perficientis, De cuiusmodi adeò supernaturalis eleuationis perfectione semper manet præsentis causæ difficultas, vtrùm superaddiderit illi potestatem politici regiminis ad regimen spirituale etiam publicum, ne dum auctoritatiuè directiuam, sed etiam coercitiuam. Cuius proinde difficultatis resolutio non ex natura temporalis regiminis; sed ex altiori fidei principio petenda est.

Secunda circa illud principium, hic emergit difficultas ex statu supernaturalis; quidem eleuationis, sed quatenus viguit sub Lege non scripta, seu vti loquendi mos habet, sub statu (non tamen puræ) naturæ. In hoc enim subsistebat integra Regiæ potestatis natura, cum subordinatione ad finem æternæ felicitatis, nec non Religionis etiam supernaturalis, in fide scilicet veri Dei radicata. Nihilominùs sub isto statu non erat auctoritatiua regiminis spiritualis super Reges, ac Deum, eiusque iustitiam primò quærendam obstrictos, protensa potestas maximè coercitiua. In aperto igitur est, regiminis temporalis ad finem supernaturalem, Deumque vera fide, ac Religione etiam supernaturali, ceu Dei iustitia, sicque apud ad Dei Regnum primò quærendum, eleuationem, ac subordinationem, ex præcisa sua natura non euincere necessitatem spiritualis regiminis super Reges protensi, cum vi nedum auctoritatiuè, sed etiam coercitiuæ potestatis.

Tertia difficultas circa præfatum principium, emergit ex statu scriptæ Mosaicæ Legis Veterisque super hoc fundari Testamenti. In hoc equidem Deus concedebat populo suo leges tum morales, tum cæremoniales tum iudiciales cum sacerdotio, & Imperio. Et tamen illius status proprius finis non erat felicitas æterna, sed bonorum temporalium abundantia, terrenaque felicitas, cum repromissione Christi venturi, Nouique gratiæ Fœderis tandem successuri, sicque interioris gratiæ, & sanctitatis ad æternam beatitudinem ordinantis collatio ex Christi præuisis meritis sub isto Mosaicæ scriptæ, & illo non scriptæ, Legis statu facta, cum vniuersis supernaturalium donorum effectibus, non ad Antiquum Testamentum sed ad Christum venturum, atque adeò ad Legem Euangelicam, cuius ille Diuini Fœderis antiquis status erat umbra, & figura, reduci debent, vti Theologi tradunt cum S. Thoma cit. q. 106. art. 1. ad 3. Quomodo igitur in hoc Veteris Testamenti statu Regia potestas sub integritate suæ intrinsecæ naturæ, vnà cum aliquo etiam præfiguratiuæ, seu cæremonialis, seu etiam iudicialis, imò, & moralis eleuationis Diuino dotata lumine, dici posset fuisse sacerdotali regimini subiecta, nisi in quantū hæc subordinatio non iam per naturam, sed per specialem Dei institutionem præcepto iudiciali sancitam, substitisse, ostenderetur. De hoc equidem aliqua differemus in sequenti conclusione. Intereà ne in Nouo quidem Testamento ex præcisa temporalis potestatis natura, vel etiam quà in finem æternæ felicitatis ordinabili, euincitur Oecumenica spiritualis, non merè directiua, sed auctoritatiua, & coercitiua supra temporale regimen potestas: sed oportet, hanc ex altiori fidei principio demonstrare; prout fecimus in antecedentibus, & aliqualiter adhuc faciemus in subsequentibus.

ARGVMENTVM IV.

Aduersariorum.

Ex parte aduersa licet 4. argumentari. Illius in Pontifice erga Reges, Religioni Catholicæ noxios deponendos, potestatis, ratio peti solet etiam ex obligatione, quam omnes fideles habent, veram Religionem, fidemque colendi, & eos, qui eam impugnant, repellendi. Cùm enim omnes teneantur iure Diuino ad æternam vitam aspirare, ac proptereà obligentur ad veram Catholicam Religionem, Deique mandatorum obseruantiam, omniaque proinde, quæ hoc impediunt, amolienda, consequens hinc erit, si Princeps aliquis hæreticus fiat, & exemplo, ac præcepto subditos suos in errorem, ac perditionem rapiat, non teneri, nec posse Rempublicam membrum hoc putridum, totum corpus infecturum pati, sed posse, aut debere illud præcidere; iuxta illud Christi: [Si oculus tuus, vel pes tuus scandalizat te, erue eum, & proijce abs te.

Verùm si ratio hæc teneret, potiùs videretur ex ea euinci, quòd subditi fideles propria potestate sua possent insurgere in Regem huiusmodi è medio tollendum, quàm vt appareat, hinc concludi Pontificiæ supra Reges, quoad temporale regimen, potestas auctoritatiua, & coercitiua, ad illorum usque depositionem procedere præualens.

Responsio.

Super hac in partem contrariam retorta ratiocinatione adferri potest responsio ex Auctore Regalis sacerdotij dicto §. 17. n. 4. argumentum ita prosequente. Etenim ex ipsa natura humani præcepti, quod Diuino subiacet, obedientia homini delata, si obedientiam Deo debitam impediat, est hoc ipso abrumenda. Et ideo Deut. 17. prohibetur populus eligere Regem, qui non sit Religione Iudæus. Huius verò præcepti vnica causa est, ne Rex à Religione alienus, pertrahere Iudæos ad idololatriam. At hæc ratio, cùm sit naturalis, tam in Nouo, quàm in Veteri

Te-

Testamento procedit, adeò, vt teste Diuo Thoma ab omnibus recepto. 2. 2. quæst. 10. artic. 8. etiam infidelibus nullo modo Ecclesiæ subiectis, possit hæc indicere bellum, ne fideles in suæ Religionis exercitio impediantur. A fortiori igitur poterit Ecclesia tali modo procedere erga Regem Christianum, titulo iuramenti, & subordinationis illi subiectum. Imò sententia Doctorum, præcipuè Gallorum, est receptum, Pontifici si Ecclesiam persequatur, aut in hæresim notoriam incidat, resisti etiam armis posse, ac Pontificatum adimi. Quantò igitur magis Regi notoriè hæretico, & Ecclesiæ persecutori adimi poterit regnum, cùm potestas Regalis sit à populo in Reges translata, sitque non Humani, sed Diuini iuris? Quinimò Matrimonium, licèt iure Diuino naturali institutum, pariat vinculum naturale, sitque indissolubile, si tamen coniux infidelis sinè Creatoris iniuria cohabitare nolit, fidelis liber est, & aliud Matrimonium aggredi potest. 1. ad Corinth. 7. & Cap. Gaudemus, De Diuortijs. Ex cuiusmodi adeò argumentis efficaciter probatur, Principem, vbi Religioni detrimento est, exauctorari posse; quod tamen, cùm sit prudentiæ, & circumspectionis summæ, & ad illa remedia pertineat, quæ vtpote extrema, magnis periculis plerumque coniunguntur, idcircò huius rei iudicium, tanquam grauissimæ, soli Pontifici reseruatur, per expressa verba Spiritus sancti Deut. 17. & exemplum habetur in 2. Paralipom. 23.

Reflexio.

Reflexionem super hac dicti Auctoris ratiocinatione faciendo, insignia profectò occurrunt hac in rem argumenta. Verùm quia ex iure quasi naturæ videtur potestas, exauthorandi Regem hæreticum, concedi populo, officiumque Summi Pontificis in eo dumtaxat constitui, vt remedium eiusmodi extremum, singulari eum prudentia, circumspectionemque maxima adhibeatur. Idcircò resultat hic quæstio; an, postquàm Summus Pontifex Regem declarasset hæreticum, subditorum suorum animos à vera Religione per vim etiam abalienantem, ipsius exauctoratio à populo eidem subiecto iam fieri posset, vel si huius quoque sententia iudiciaria deberet, à Summo Pontifice priùs lata fuisse, quàm ve populus effectiuæ exauctorationis executionem aduersùs Regem suum pertentaret, tunc iterum resultaret quæstio; [Quomodò ista exauctorandi Regis in Summo Pontifice potestas, euincatur ex præadducta rationis quasi naturalis efficacia; vel Vtrùm in altius fidei principium reducenda sit?]

CONCLVSIO.

Argumenta ex rationibus petita, ad probandam Summi Pontifices erga Reges in temporalibus potestatem, non habent vim demonstrationis, sed alicuius ad hominem congruentiæ, apta tamen sunt eleuari ad altiorem vim, ac energiam ex fidei principijs recipiendam; uti in progressu ostendetur.

Explicatur. Si enim Iura, & Bona Ecclesiastica in casu necessitatis status Politico imminentis subesse possunt dispositioni Magistratus Politici, non tam per se, quàm per accidens, ac indirectè, prout aduersarios prætendere, alibi dicetur, ac ex instituto discutietur cum debitis suis moderationibus. Quæ æquitatis ratio supremam Ecclesiæ auctoritatem cohibere posset, ne pro statu grauioris sacrosanctæ Religioni ingruentis discriminis, per accidens, ac indirectè protendi queat super Iura, & Bona temporalia Regis, seu Magistratus Politici?

PROBATIO I.

In qua refellitur prima ex parte aduersa deducta argumentatio.

Ex nostra super hanc argumentationem, Auctorisque Regalis Sacerdotij responsionem, reflexione patet, totam argumenti vim reduci debere in hoc punctum, quòd sub voce [Pascendi] qua Petrus eiusque successor est à Christo constitutus Oecumenicus Ecclesiæ Pastor, subintelligatur veræ iurisdictionis potestas gubernatiua. Sed in hoc ex sacra licèt Scriptura ibidem probatum fundamentum, impiugnut Neoterici, cum Heideggero in Bullam indictionis Concilij Tridentini quæstione 4. contra Argum. 1. excipientes: [Summum quoque Magistratum politicum esse Pastorem Ecclesiæ, Petrumque non fuisse vniuersalis Ecclesiæ Pastorem, vtpotè qui maiorem reliquis Apostolis iurisdictionem non obtinuerit, neque pascendi munus ipsi delatum fuisse personale, sed commune omnium Apostolorum.] In hoc equidem puncto nihil commune est Clero Gallicano cum Neotericis, quia tamen idem Clerus mox insurgeret aduersus illum, qui eam indirectam Ecclesiæ erga Reges in temporalibus potestatem contenderet; ad vniuersos Apostolos, (& hinc fortassis ad cunctos Episcopos) extendendam, ideo specialis quędam Papæ prerogatiua ex pręadductis verbis: [Pasce oues meas,] est hic eruenda; ne dum cæteri Apostoli videntur fuisse pares Petro, in hoc, eiusque successore ęquè fiat dubia, potestatis Apostolicæ supra Reges etiam quoad temporalia, licèt indirecta, extensio. Exordiendo igitur à Magistra-

giſtratu politico commiſerit Paſtoralis erga vniuerſos fideles officij curam, ac Petro, cui ſpecificè dixit Ioan. 20. [Paſce oues meas] Hanc proinde Paſtoralis muneris indefinitam, omnes Chriſti oues complectentem auctoritatem, ſoli Petto, non autem ceteris Apoſtolis commiſſam eſſe, conſtat tum ex manifeſta illius ſacri textus litera, ſpecificè, ac indiuidualirer directa ad Petrum, tum ex prę uia Chriſti promiſſione, Petrum perſonaliter complectente hiſce verbis; [Tibi dabo claues regni celorum, & quodcumque ſolueris, vel ligaueris ſuper terram, erit ſolutum, ſeu ligatum in celis.

Obiectio.

Ex parte aduerſa exeipi poteſt. Chriſtum Dominum Matth. 18. vniuerſis Apoſtolis dixiſſe: [Quęcumque alligaueritis ſuper terram, erunt ligata, & in cælis, & quæcumque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta, & in cęlis.] Quam proinde promiſſam poteſtatem Chriſtus actu contulit omnibus Apuſtolis Ioan. 20. dicens: [Sicut miſit me viuens Pater, & ego mitto voa.] Et hinc omnes Apoſtoli reſpectu totius orbis acceperunt à Chriſto mandatum docendi, adeoque paſcendi omnes gentes Matt. vlt.

Reſponſio.

Pro reſponſione, oportet, hîc benè aduertere, illam vniuerſalem à Chriſto commiſſam ſoluendi poreſtatem fuiſſe cunctis Apoſtolis collatam per modum legationis, ſeu miſſionis, iuxta verba Chriſti Ioan. 20. [Mitto vos.] Vnde & Paulus 2. ad Corinth. 5. verſ. 20. ait. [Pro Chriſto ergo Legatione fungimur.] Et ſpecialiter de ſe ipſo Paulus ad Epheſ. 6. verſ. 20. ait; [Pro quo (Euangelij ſcilicet myſterio) legatione fungimur.] Atqui ex ipſa natura legationis conſtat, ipſam non eſſe perpetuam, ſeu ad ſucceſſorea transferibilem, ſed induſtriam perſonæ, cum qua cohęreat, atque adeò exſpiret, eſſe in ea electam. E contra verò Chriſtus Dominus Matth. 16. ita promiſit Petro claues regni cęlorum [cum indefinita ligandi, & ſoluendi poteſtate vniuerſali,] vt apertis verbis ſuis ſtatuerit huius poteſtati cum Eccleſia ſuper petram inuiolabiliter, ac perpetuò fundanda, connexionem. At verò auctoritas cum perpetuo Eccleſiæ ſtatu connexa non poteſt non perpetua, atque adeò in ſucceſſores transferibilis eſſe. Hanc ipſam verò indefinitam auctoritatem Chriſtus poſt Reſurrectionem actualiter commiſit Petro, dicens Ioann. 21. [Paſce agnos meos, paſce oues meas.] Hiſce autem verbis ſignificatur Paſtoralis officij poteſtas, indefinitè complectens omnes Chriſti fideles, atque adeò ipſos etiam Apoſtolos, ceu Chriſti agnos, In quo proinde ſingulare elucet diſcrimen poteſtatis Petro, ac cæteris Apoſtolis commiſſæ, cùm nullibi dictum ſit, vt eſſent Chriſti ouium, & agnorum indefinitè Paſtores, ſed vt per modum miſſionis, ſeu legationis euntes, docerent omnes gentes. Vnde concluditur, ſoli Petro eſſe commiſſum paſtorale in omnes Chriſti fideles officium, qua connexum cum perpetuo Eccleſiæ ſtatu. Cùm igitur officium Paſtorale cum tali perpetuo Eccleſiæ ſtatu connexum, Petro commiſſum, oporteat, eſſe perpetuum, è contra poteſtas ligandi, ac ſoluendi Apoſtolis per modum legationis conceſſa de ſua natura ſit reſtricta ad eorum perſonas, facilè elucet, cur Petri, non autem cæterorum Apoſtolorum iuriſdictionis auctoritas tranſierit in ſucceſſores. Et quia iſta in Petri ſucceſſores tranſiens ligandi, ac ſoluendi poteſtas complectitur quodcumque in terris ordinabile ad regnum cælorum, quomodo fas erit, vel Reges Chriſtianos dicere, non eſſe de ouibus Chriſti, vel Regiæ poteſtatis, ſeu exercitium; ſeu applicabilitatem moralem non contineri illo [quocumque, quoad moralitatis, ex ſtatu ſupernaturali, in quouis hominis Chriſtiani actus liberos deriuandæ formalitatem, ad regnum cælorum ordinabili.]

PROBATIO II.

In qua fit confutatio argumentationis ex parte aduerſa à num. II. deductæ.

NOſtra ſuper ea argumentatione, ac reciproca eidem accomodata reſponſione, reflexio tandem concludebat, non tam iure defenſionis, quod erga iufideles, Eccleſiæ non ſubiectos Principes, ſuo modo locum habet, quàm iure publicæ vindictæ, per iudiciariam auctoritatem procedi poſſe aduerſus Principes, Chriſti charactere inſignitos, ſi vel à fide deficiant, vel alias ſanctæ Eccleſiæ ſint perturbatores. Cuius aſſertionis noſtræ ſequens adſtruitur fundamentum. Etenim iure naturæ certiſſimum eſt morale hoc principiū, quod ſuprema Regia poteſtas non tantùm in via defenſionis poſſit coronæ ſuæ, ſeu maieſtatis iuriū inuaſorem per viam defenſionis vi etiam armata repellere, ſed quod ſupremæ poteſtatis auctoritate poſſit etiam iudicialiter decernere de iniurijs, ſibi quoad Maieſtatis ſuæ iura illatis, ſicque bellum iuſtum offenſiuè ſuſcipiendum ſancire, indeque militari exercitu progredi ad alterum, quantumvis ſupremum Regem, ſibi non aliter ſubiectum, quàm ex titulo delicti aduerſùs iura ſua Regia perpetrati, & armis inuaſi, è Regno ſuo deijciendum, cum reali ſimul, & auctoritatiua iutis Regij: eidem priùs competentis, priuatione, atque abdicatione. At de fide quoque certiſſimum eſt, Oecumenicam Summi Pontificis vnà & Concilij Vicaria Chriſti auctoritate muniti, poteſtatem eſſe ſupremam. De cuiuſmodi adeo auctoritate, ſupremæ poteſtatis veram, & perfectam obtinentis rationem, diſquiri poteſt: [An non pari proportionaliter modo per arma ſibi proportionata poſſit aduerſùs Regem; iurium Diuinæ Religionis ſibi per Chriſtum appropriatorum aggreſſorem incorrigibilem, & contumacem procedere ad priuationem vſque Regni, iuriſque Regij, ei aliàs competentis, abdicationem, & iudicialiter decernendam, & vbi decreta eſt, auctoritatiuè demandandam executioni?] In ſuprema politica, & ſuprema Eccleſiaſtica poteſtate (ſub eiuſmodi

modi supremæ in terris auctoritatis ratione) est vniuoca conuenientia; sicque adeò ius illud, quod potestati Regiæ aduersùs alterum Regem Maiestatis suæ iurium aggressorem, diximus conuenire, non subsistit ex differentia specifica supremæ politicæ auctoritatis, qua lumini dumtaxat naturali commensuratę sed quemadmodum ratio virtutis est generica, & vniuoca respectu virtutum naturalium, & supernaturalium, sic illud supremæ in terris auctoritatis, qua supremæ ius, de seipso aduersùs alterum, æquè licèt supremum Regem iudicialiter, & militariter vindicando, est genericum, & vniuocum respectu cuiuscumque, siue naturalis, & politicæ, siue supernaturalis Diuino lumini fidei proportionatæ auctoritatis, quatenus suprema est.

Ex quo adeò principio ab Ecclesiasticæ, & politicæ supremarum potestatum specificis differentijs abstractiuo, vbi per fidei lumen subsumere licet, Oecumenicam Ecclesiæ auctoritatem verè supremam esse, per consequentiam Theologicè demonstratiuam infertur prorsus certum, ac indubitatum principium, quòd hæc Ecclesiæ Oecumenica auctoritas suprema habeat sibi intrinsecum ius armis sibi proportionaliter vindicandi iurium suorum, Maiestatisque suæ Vicariæ, ac Ecclesiæ sanctæ violationes iniuriosas, & sacrilegas, vbi saltem contumacia, & contemptus accesserit. Atqui arma Ecclesiasticæ supremæ potestati proportionata sunt tum vis coerciţiua Matth. 18. descripta, à correctione fraterna procedens ad censuram illam, per quam Ecclesiam non audiens, instar Ethnici, & publicani sit habendus, tum potestas soluendi quodcumque in terris sub moralitatis Christiano condignæ formalitate obtinens, vel debitum respectum ad regnum cœlorum, vel moralem ab hoc deordinationem. In hoc autem ordine moralitatis ad regnum cœlorum ordinabilis, quis negare ausit, cunctos Reges Christianos esse censendos, vnà cum suis publici etiam regiminis actibus moralibus; Regiæque potestatis ad suam personam subiectiua applicabilitate, qua iustitiæ, & naturali, & supernaturali, religionique adeò consentanea? Quod si ergo sub hac moralitatis ad supernaturalem statum diuinitus eleuatæ mensura per auctoritatem Ecclesiæ Oecumenicam, proferatur iudicium ex indefinita, super quocumque ad Regnum cœlorum ordinabili iure regio, protensa soluendi potestate, quid stante eiusmodi per Christum sancita, & in cælis rata solutione, poterit in Rege Christiano per suam nequitiam talis censuræ Ecclesiasticæ condemnato, superesse de Regiæ potestatis, non secundùm se formaliter spectata supereminentia, sed qua inexistebat huic supposito, Oecumenicæ Ecclesiæ auctoritati subdito, ac per sententiam legitimè exauctorato.

PROBATIO III.

In qua examinatur Auctoritatis politicæ ad Ecclesiasticam subordinatio, vnà cum tertij aduersariorum à num. 14. adducti argumenti confutatione, fitque reflexio super Auctoris Regalis Sacerdotij ad istam, ex aduersa parte argumentationem, responsione.

Statuamus indubitatam cunctorum moralium in homine circa res spirituales, seu temporales actuum, subordinationem ad æternæ felicitatis finem supernaturalem, statuamus insuper temporalium vniuersorum, qua hominis morali dispositioni subiacentium ad spiritualia ex infusarum virtutum moralium exigentia, quasi connaturaliter congenitam coordinationem. Nunquid ergo ex vi supernaturalis eleuationis cunctis hominibus inerat ista, ex virtute præcipuè Religionis ad Dei cultum in fide radicatum, adeoque supernaturalem, obligatio? Ex cuius etiam obligationis conrestandæ ratione, erat in lege naturæ institutum sacrificium, & sacerdotium Abelis, Noemi, Melchisedechi, Abrahæ, Iobi, & aliorum sanctorum virorum. Nunquid verò isti sacerdotio, ipsis etiam Regibus quandoque diuinitus collato, annexa erat potestas supra Reges, à via salutis æternæ nedum in suis personis recedentes, sed alios insuper à sancta Diuinæ fidei Religione seducentes in statu Mosaicæ Legis altiùs euehebatur Sacerdotij dignitas, vt haberet potestatem auctoritatiuam, in dubijs interpretandi leges iudiciales, debuitque ipsemet politicus Iudex suum iudicium conformare isti Summi sacerdotis sententiæ, vt proinde pronuntiandus fuerit mortis reus, qui Sacerdotis Imperio, & decreto iudicis obedire noluisset. Nunquid verò hæc Summi sacerdotis in Lege Veteri auctoritas erat ex temporalium erga spiritualia, per ius naturæ determinata subordinatione, vel potiùs ex Diuina Lege positiua eius status propria? Sic proinde non ex naturali præcisò supernaturalis eleuationis statu, temporaliumque ad spiritualia subordinationis iure quasi connaturali, sed ex iure diuino positiuo status euangelici proprio, definienda est Summi in nouo fœdere Sacerdotij super Reges quoad temporalitates morali supernaturalis Religionis debito vestitas, protensa potestas. Quod adeo positiuum, ex Christi mandato in Petri successore subsistens ius, multis iam expositū fuit, aliqualiter adhuc exponendum in subsequentibus.

PROBATIO IV.

Reflexiua ſuper quartum oppoſitæ partis argumentum à n. 19. expoſitum, vnà cum reſponſionibus ibidem adductis.

SCiſcitari hic lubeat ex argumentante, an illo ſuo argumento intendat probare, quòd Rex in vi Iuris Diuini ſit exauctoratus, ac depoſitus ipſo facto, ſi fiat hæreticus, vel aliâs ſit Eccleſiæ notorius perſecutor? Numquid enim ex vi Iuris Diuini Deut. 17. prohibentis, à populo Iſraelitico eligi Regem à Iudaica pro tunc vera Religione alienum, talis electio fuiſſet inualida? Numquid matrimonij vinculum, ſi vnus infidelium coniugum conuertatur ad fidem Chriſtianam, altero renuente conuerti, ex parte illius per Ius Diuinum ipſo facto inualidatur? Num, ſi Summus Pontifex poſſit ſuæ ſupremæ auctoritatis poteſtate Regi infideli, Eccleſiæ ſanctæ, Euangelijque propagationi poſitiuè, ac violenter reſiſtenti, bellum indicere, ſicque deuictum, ex Iuſtitiæ vindicatiuæ iure, cuique ſupremo Principi inexiſtente, indirectè exauctorare, oporteat autem, vti argumentans dicit, maior hac in parte eſſe Eccleſiæ poteſtas erga Regem Chriſtianum, ſui iuramenti immemorem, ac perfidum Orthodoxæ Religionis hoſtem, num, inquam, ſub hac maioritatis ratione credendum eſt inſinuari, quòd iſtud maius exauctorandi Reges ius, ex ſpeciali aliquo, ac ſpecifico Iure Diuino tam naturali, quàm poſitiuo competat Eccleſiæ? Ita profectò eſt à nobis iam frequentiùs oſtenſum, Eccleſiæ ius eſſe poſitiuum à Chriſto Domino conſtitutum, & annexum Summo Pontificatui ſub verbis: [Quodcumque ſolueris ſuper terram.] Neque tamen in vi huius Iuris Diuini ipſo facto exauctoratur Rex hæreticus, ſed per Oecumenicæ auctoritatis iudiciariam ſententiam facienda eſt talis exauctoratio: prout iſthæc Summi Pontificis poteſtas magis adhuc patebit ex dicendis infrà §. ſequenti.

§. III.

Referuntur noſtratis ſententiæ argumenta.

ARGVMENTVM I.

AVctor Regalis Sacerdotij cit. §. 17. nu. 5. argumentatur 1. Poteſtatis ſuper Reges quoad temporalia etiam protenſæ rationem deſumendo ex iuramento, quo ſe Reges Eccleſiæ, & ſubditis obſtringunt: quando enim Regibus habenæ committuntur, iuramento ſe obligant & ſubditis, de eorum priuilegijs non infringendis, & Eccleſiæ, de illa contra hoſtes defendenda; veluti pateat ex iuramento Caroli Magni apud Spondanum anno 800. & Othonis Imperatoris in cap. tibi 63. diſt. 63. Si ergo fidem, & iuramenta fallant, à priuatis quidem æquo animo ſunt tolerandi, auctoritate tamen politica coerceri poſſunt; vti eleganter docuit S. Thomas de regim. princip. lib. 1. toto. cap. 6. Fidem enim frangenti, fides impunè non ſeruatur, viderique ſuper hoc poteſt cap. 3. de iureiurando. cap. 28. de ſimonia. cap. fruſtra de regul. iur. in 6. l. cùm perſonas. 21. Cod de pactis: Clementina vnica, de iureiurando. Cùm ergo cauſa iuramenti, & periurij ſit fori Eccleſiaſtici. cap. 1. de iudic. & cap. 34. de elect. Ideò ſi hoc à Regibus committatur, cur à Summis Pontificibus iudicari, & pœnis coerceri non poſſit? Ergo ex hoc ſaltem capite Summorum Pontificum iudicio ſubmittuntur.

Reflexio.

Reflexionem ſuper hac argumentatione faciendo, facilè concedet pars aduerſa, periurij reatum ſiue priuatiuè, ſiue cumulatiuè in perſonis ſecularibus eſſe fori Eccleſiaſtici, ſicque adeò in Regibus ſubeſſe iudicio Pontificis, eiuſque virgæ correctoriæ Matth. 18. per Chriſtum ſancitæ, in vi cuius ſuper omni Chriſtianorum peccato notorio, per viam ibidem deſcriptam, procedi poteſt vſque ad ſeparationem à Communione fidelium. Sed an vltra hanc cenſuram progredi valeat Eccleſia, decernendi exauctorationem, ac depoſitionem Regum, alibi quidem fuit diſcuſſum ex fidei principijs, attamen ex præciſo argumento proximè deducto, necdum euincitur. De quo ſermo nobis erit infrà.

ARGVMENTVM II.

AVctor præcitatus nu. 6. argumentatur 2. Pro noſtrate ſententia rationem deſumi poſſe ex poteſtate interpretandi, declarandique Iuris Diuini, & naturalis dubij. Hanc enim Summis Pontificibus concedunt Catholici omnes, quippe cùm poteſtas illa apertiſſimè deducatur ex Deut. 17. cap. cùm ergo detur aliquis caſus, in quo Galli fatentur, Principem abdicari poſſe: imò P. Maymbourg. lib. 2. hiſtor. Iconoclaſt. hanc abdicandi Reges poteſtatem Statibus, & Comitijs Generalibus concedat; cur non poſſit Summus Pontifex ſaltem per viam auctoritatiuæ declarationis pronunciare, in confluxu cæterarum circumſtantiarum, & ob grauiſſima mala Reipublicæ Chriſtianæ, Religionique, ac Eccleſiæ impendentia, iuramentum à ſubditis præſtitum, non obligare, eoſque ſolutos, liberoſque eſſe. Si enim concedimus, caſum aliquem dari, in quo iuramentum hoc non obligat, quando is contingat, iudicium erit Summi Pontificis, ad quem cauſæ iuramentorum ſpectant. cap. 31. de iudic. cap. 34. de elect. Quid ergo quoad effectum ipſum differt, ſiue dicamus, ius Pontificium in Reges eſſe veræ poteſtatis, ſiue meræ declarationis, & interpretationis auctoritatiuæ? Quemadmodùm Summus Pontifex, ſiue diſpenſet in præcepto, ſiue declaret, præceptum reſiſtendi ceſſare, vtroque modo obligatio reſiſtendi ſublata eſt.

Quòd ſi quis hanc ipſam declarandi poteſtatem Pontifici negaret, in primis negaret, quòd

quòd nunquam, salua Religione, negatum est. Deinde disquiri exinde posset, ad quem ergo ista declarandi facultas pertineat, an ad subditos vniuersos? Atque tunc miserrima est omnium iuramentorum, omniumque Regum conditio, si Coronæ, & Imperia voluntati, arbitrio, & declarationem eorum subiaceant: quibus, cùm placuerit, & aliter iudicauerint, sua erga Regem iuramenta soluerunt. An nemo sit, qui iurisiurandi dubiam obligationem interpretando soluere valeat? Atque tunc iterum misera erit omnium iuerantium conditio, si in tanta casuum varietate, & alteratione, dum meritò dubitatur de iuramenti subsistentia, nemo sit, qui dubitantes absoluere, dubioque liberare valeat.

Quis ergo, Francos iuramento, quod Childerico dixerant, absoluit? Quis Romanos, cùm à Græcis ad Carolum Magnum Francorum Regem defecerunt? Quis eosdem Francos, cùm Hugoni Capeto Regnum detulerant, Carolo 1. Lotharingiæ Duci, & Regij sanguinis proximo debitum? Quod si proinde concedatur, alicui esse potestatem interpretandi iuramentum, nemo iam superest, cui hoc deferatur, nisi Magistratui Ecclesiastico, eique præcipuè, cui dictum est] Quodcumque solueris super terram &c.] Quod Ecclesia Gallicana apertè professa est, quam per os Perronij Cardinalis sic locutam accepimus in Comitijs generalibus [Anno 1615. Sacramento vinciri Reges Galliæ, vbi inaugurantur, pellendis Regno sua hæreticis: si peierauerunt in hæresim ipsi degeneres, si fautores hæresiarcharum, si noui dogmatis assertores, deberi vltionem Vicario Dei, ad quem vnum ex Lege spectat periurij pœna Gramondus lib. 1. Histor. ad Annum 1615. fol. 65.]

Reflexio.

Reflexionem super hac argumentatione faciendo, videtur opportunum, indagare naturam iuramenti, quod Reges præstant. Hoc implicitæ saltem, ac virtuali pactioni superstruitur, tum Regni bonum politicum, & Ecclesiasticum, iustitiamque inter subditos promouendi, & administrandi, tum Religionem Orthodoxæ Fidei seruandi integram aduersùs hæresiarchas &c. Si Rex igitur in huius pactionis obseruantia deficiat, adeoque fas sit, ipsi frangenti fidem, reciprocè fidem frangere, an pactionis huiusmodi vinculum ex parte illius, cui iuratum est, ipso Iure naturæ soluitur? Ad quid ergo opus esset declaratione auctoritatiua, nisi super pactionis, cui iusiurandum superstruitur, seu obseruantia, seu violatione iuridicè decernenda?

Num verò, quia talis pactionis vinculum, quod in puræ etiam naturæ statu subsisteret, atque iureiurando, quà lumini naturali consono, firmari posset, soli Pontificiæ potestati reseruatam dixeris? Vbi verò huius pactionis per fidei ex parte Regis fractionem inualidatio essee iuridicè declarata, numquid per ipsam rei naturam eueret Iurisiurandi, vtpote accessoria obligatio Ad quid igitur Franci, quando Childericum Regem ineptum regimini in suis Comitijs publico etiam iudicio decreuerant, recursum habuerunt ad Sedem Apostolicam? An quia dubium superfuerat de causis inualidatæ virtualis illius pactionis? At numquid hoc etiam iudicium, qua politicum illum contractum præcisè concernens, secundùm ipsum ius naturæ, erat adhuc proportionatum sphęrę Tribunalis Ciuilis? Altior igitur quędam ratio inuestiganda est, cur iudicium illud de Childerico deijciendo à regimine Franciæ, & subrogando Pipino, delatum fuerit ad Summum Pontificem. Quæ altioris indaginis ratio ab Auctore Regalis Sacerdotij rectà reducitur in ea Christi verba, ad Petrum, eiusque successores prolata [Quodcunque solueris super terram &c.] Ac quomodò ex hoc Diuino Christi oraculo deduci valeat illa sublimioris inuestigationis præsenti instituto nostro specialiter accommodata ratio, necdum apparet ex prætacti Auctoris argumentatione. Vnde præterquam, quod in præcedentibus in hoc indagando laborauerimus, eius aliqualem adhuc discussionem præsenti rei statui opportunam reseruamus in sequentem conclusionem.

ARGVMENTVM III.

AVctor Regalis Sacerdotij præcitatus n. 7. 3. argumentatur ex hoc, quòd Imperatoribus, & Regibus incumbat esse Aduocatos, & defensores sanctæ Ecclesiæ. Etenim hoc Aduocati, & Defensoris Ecclesiæ munere obstringi Reges, ac Imperatores, expressè habetur [in cap. Venerabilem. De Elect. & Clement. Romani. De iureiurando necnon in cap. 2. in 6. De supplenda neglig.] Prælat. Fatentur idipsum etiam Electores Imperij; vti videre est apud Bzouium ad Annum 1314. & Albertus Austriacus ad Bonifacium VIII. apud Baronium ad Annum 996. Ipse Rex Rex Christianissimus tom. 2. Preues des libertes de l'Eglise Gallicane scribit per Archiepiscopum Parisiensem sic allocutus Clementem VII. quòd ipsi tanquam vero Christi Vicario, & Petri successori obedientiam præstet, seque, & sua Regna, & dominia pro sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, & tuitione offert, & pollicetur. Similia scribit tum Beatus Leo Epist. 73. ad Leonem Augustum, quod Regiam potestatem debeat agnoscere sibi collatam ad Ecclesiæ præsidium: tum B. Gregorius Papa ad Mauritium Imperatorem lib. 2. indict. 11. Epist. 6. quòd oporteat, vt terrestre regnum cælesti famuletur. Cùm proinde ex allatis textibus certissimum sit, Imperatores, Reges, Principesque omnes aduocatos esse, defensores, ministrosque Ecclesiæ, adeò vt ex intentione Dei hic fuerit primus, præcipuusque finis, Reges Regiamque potestatem instituendi, vt scilicet Ecclesiæ, ac fidei deseruirent. Idcircò, si Ecclesiæ noceant, eamque opprimant, cui patrocinium debent, potest in illos, vel in suos ministros, aduocatosque Ecclesiæ animaduertere, & in officio continere; nam vt bene argumentatur Innocentius III. cap. Venerabilem de Elect. Numquid enim Ecclesia Aduocato, & Defensore carebit eorumque culpa redundabit ipsi in pœnam?

Reflexio.

Reflexionem super hac argumentatione faciendo, disquirere lubet: Num aduocati Ecclesiæ officium, seu Regi, seu Imperatori incumbat ex specifico iure alicuius quasi contractus, seu pactionis saltem implicitæ? In Occidentis equidem Imperatore videtur talis quasi contractus subsistere, dum Pontifex Romanus Imperium Græcis ademptum, transtulit in Francos, & Germanos, sub tacita quasi conditione talis oneris: attamen hæc ratio locum non habebat olim vel in Orientis Imperatore, vel etiam in Regibus, in quos alia via, ac independenter à Romanis Pontificibus, prorogatur successio Regiæ potestatis.

De his igitur rursus mouetur quæstio: [An ex aliquo iure specifico Romani Pontificatus proprio, obstringantur ad eiusmodi Aduocati, seu Defensoris Ecclesiæ munus, vel potiùs ex obligatione quasi transcendentali characterem Christianitatis consequente, in vi cuius non priuata dumtaxat, seu personalia, seu realia, sed publica etiam, ac Regia iura cum Christi charactere in eo subiecto coniuncta, quilibet homo Christianus tenetur saltem non vsurpare in perniciem Ecclesiæ?] At ex quo fundamento ostenditur ista Regis Christiani obligatio positiua, ad se cum vniuersis suis potentijs, & iuribus pro Ecclesia impendendum in casu saltem necessitatis? An isthæc fortassis obligatio, vti in omnibus Christianis, præcipuè in Regibus Baptismali charactere insignitis, fundatur in hoc, quòd per istum Christi characterem sint subditi, per fidem verò membra Ecclesiæ, sit autem iuris quasi naturalis, vt subditus pro suo Superiore, ac membrum pro sui corporis, seu moralis, seu politici conseruatione, omni virtute, ac potentia sua impendat se in casu, nedum extrema, sed etiam grauis necessitatis? Hoc autem supposito, ex ipsius etiam naturæ lumine principium perspectum est, in quo est talis obligatio, posse, dum illam non præstat, aduersùs ipsum institui, seu querelam, seu processum publicum: atque adeò Ecclesiæ potestatem esse, conueniendi Reges Christianos, atque duriùs contra ipsos agendi, si deficiant in illa sua obligatione, quamuis ex illo præciso argumento necdum eluceat, quanta sit Ecclesiæ, ac specificè Summi Pontificis auctoritas in tali defectu procedendi aduersus Reges Christianos. Sed illud punctum decidendum venit ex alijs hactenus deductis fidei principijs.

ARGVMENTVM IV.

AVctor Regalis Sacerdotij citato §. 17. argumentatur 4. ex comparatione temporalis, ac Ecclesiasticæ dignitatis. Hanc enim esse illa multò maiorem, fatentur omnes, eleganterque docuit Innocentius III. in Decretali ad Constantinopolitanum Imperatorem, cap. solitæ, de maior. & obedient. vbi inter alia sic habetur: [Præterea nosse debuerat, quòd fecit Deus duo luminaria in firmamento Cæli, luminare maius, vt præesset diei, & luminare minus, vt præesset nocti: vtrumque magnum, sed alterum minus. Ad firmamentum igitur Cæli, hoc est, vniuersalis Ecclesiæ, fecit Deus duo luminaria, idest, duas instituit dignitates, quæ sunt Pontificalis, & Regalis potestas, sed illa, quæ præest diebus, idest, spiritualibus, maior est, quæ verò carnalibus, minor, vt quanta sit inter Solem, & Lunam, tanta inter Pontifices, & Reges differentia agnoscatur.]

Simile habet Gelasius Papa ad Anastasium Imperatorem: [Nosti, inquiens, quòd, licet præsideas humano generi dignitate rerum, tamen Præsidibus Diuinarum deuotus colla submittis, atque ab eis causas tuæ salutis expetis, inque sumendis cælestibus Sacramentis: eisque, vt competit, disponendis, subdi te debere. cognoscis Religionis ordine, potiùs, quàm præesse. Nosti itaque inter hæc ex illorum te pendere iudicio, non illos ad tuam redigi velle voluntatem. Etsi cunctis generaliter Sacerdotibus rectè Diuina tractantibus Fidelium corda conuenit submitti: quantò potiùs sedis illius Præsuli consensus est adhibendus, quem cunctis Sacerdotibus & Diuinitas summa voluit præminere, & subsequens generalis Ecclesiæ pietas iugiter celebrauit?]

Hac ergo supposita Ecclesiasticæ supra sæcularem potestatem prærogatiua, & excellentia, argumentari sic licet. Ad minus tantum debemus Ecclesiasticæ potestati in sæcularia bona, personasque concedere, quantum conceditur temporali potestati in bona, & personas Ecclesiasticas: cur enim maiori potestati, & nobiliori minus concedamus? Videmus verò passim, Principes temporales, in Gallia præsertim, indirectam potestatem in personas, & bona Ecclesiastica exercere, quæ tamen omni iure Diuino, humanoque exempta esse, omni fatentur.

Reflexio.

Reflexionem super isthac argumentatione faciendo, disquiro: quia Solis super Lunam præeminentia lunares influxus non valet ex integro moderari, quò minùs in hominibus persæpè præualeant in ordine ad quosdam sublunaribus noxios effectus: An maioris erga Regiam potestatem sit Ecclesiasticæ auctoritatis efficacia, vniuersis Regiæ Maiestatis iuribus præualere potens? Et quia Gelasius Papa Sacerdotij, & à fortiori Summi Ecclesiæ Pontificatus supra Imperatorem præeminentiam videtur definisse præcisè in ordine ad spiritualia, quo iure extendatur ad temporalia, & quidem cum vi coercitiua, & quasi coactiua? Certè sanctus Hieronymus epist. 2. ad Nepotianum. Ecclesiæ sanctæ Antistites ità alloquitur: [Recordemur semper, quid Apostolus Petrus (suæ epistola 5.) præcipit Sacerdotibus: [Pascite eum, qui in vobis est, gregem Domini, procedentes non coactè, sed spontaneè secundùm Deum, neque turpis lucri gratia, sed voluntariè, neque vt dominantes in Clerum multò minùs in potestatem Regiam) sed forma facti gregis ex animo. Ex cuiusmodi Patrum sententijs tedarguunt Neoterici, quòd Deus vnicam supremam architectonicam, & auctoritatiuam potestatem, iure gladij armatam institue-

ĉuerit in terris, cuius proindè iurisdictioni omnis anima, iuxtà Apostolum Roman. 13. subiecta, & ad imparata omnia debeat esse obnoxia; atque hoc prętenduut probari, tùm quia Christus Magistratibus se subiectum professus est, soluendo pro se, & Petro vectigal Matth. 17. & 27. tùm quia veteres Sacerdotes Regibus suis subiectos fuisse, liquet ab exemplo Salomonis Abiatharem deponentis: tùm quia in Nouo Testamento Rom. 13. v. 1. Tit. 1. v. & 1. Petri 2. v. 13. præcipitur omnibus, nullo excepto, obedientia ciuilis. Quandoquidem igitur ex hisce subinferant Neoterici, contra ius Dei, & naturæ facere, qui externam, & supremam eiusmodi iurisdictionem ciuili collateralem, ne dicam, superiorem, & maiorem inuehunt, & imperium in Imperio ædificant; ex altioribus fidei principijs oportet, Pontificiæ auctoritatis super Regiam potestatem maioritatis ius demonstrare, priusquam subsistere valeat illa dicti Auctoris argumentatio.

CONCLVSIO.

Argumenta quæcunque siue ex sacris Canonibus, siue ex Conciliorum Oecumenicorum sanctionibus, siue ab exemplis Summorum Pontificum, siue ab auctoritate Theologorum, ac Ecclesia sancta Doctorum, siue ex rationibus desumpta, ad ostendendam Summi Pontificis supra Reges quoad temporalia indirectam potestatem, non habent vim, nisi id prudentia etiam infusa, non autem fidei linea conuincentem, nisi quatenus per hanc resoluuntur in fidei principium subsistens ex hisce Ioannis 1. Pasce oues meas, & Matth. 16. ad Petrum, prolatis verbis Christi; Tibi dabo claues Regni Cælorum, quodcumque solueris super terram, &c.

EXplicatur. Etenim ipsa Canonicę, seu Conciliaris sanctionis, Pontificiaque cuiuscumque decisionis natura est, vt sie fundata supra petram, aduersùs quam portę inferi non prąualebunt. Huius autem petrę fundamentum non est, nisi fidei veritas, verbo Dei, vel scripto, vel tradito manifestata. At ipsa quidem Conciliarium, & Canonicarum sanctionum, Pontificiarumque definitionum vniformis traditio validum prębet argumentum Diuini traditi verbi, quod tamen, habito saltem respectu ad homines, tantò magis est conuincens, quantò efficaciùs demonstrari valet ex sacris literis, quemadmodùm ex prąadductis Christi verbis posse talem fieri demonstrationem, constat ex dictis superiùs. Et verò Theologicæ quoque demonstrationis, ex qua vnicè pendet Theologorum, ac Ecclesia Doctorum auctoritas, est ea natura, vt resolui debeat in fidei principia. Potest equidem vera quoque demonstratio Theologica subsistere, si ex vno fidei, & altero naturę lumine noto principio procedat. At tunc naturalis luminis principium combinatum cum fidei principio ex hoc in tantum sublimatur, vt sub vtriusque inter se collatione resultet altius quoddam Diuinæ reuelabilitatis dici solitum, lumen obiectiuum, per quod subsistat vis cõclusionis Theologicę illatiua cum certitudine consequentis, licèt ineuidente, attamen plus, quàm metaphysica, proprièque vocata Theologica, in ipsum fidei lumen reuocabili. Cuiusmodi adeò Theologicę demonstrationis vim conuincentem hactenus inquirebamus, ostendimusque, eam non subsistere, nisi ex resolutione in prąadducta fidei principia, vti etiam in virgam correctoriam, & coercitiuam Matthæi 18. descriptam. Sub qua proinde methodo Theologicę demonstrationis, enitemur pręsentis quoque conclusionis probationes expendere.

PROBATIO I.

Reflexiua super primum nostratis sententia à num. 30. propositum argumentum.

EO argumento dicebamus, euinci quidem, quod periurij reatus subsit coercitiuę virgę Matth. 18. Ecclesiæ per Christum concessæ, ad excommunicationis vsque censuram procedere potenti. An verò ad Regum vsque exauctorationem, ac depositionem extendi valeat, clariùs euincitur ex prę adductis Ioann. 21. & Matth. 16. sacris textibus Euangelicis, vti mox vlteriùs ostendetur. Nempe duplex est in Ecclesia tribunal à Christo institutum. Vnum fori interni pœnitentiale, cui subijciuntur quorumuis Christianorum, cuncta etiam secretissima cordis peccata. Cur hoc? Nisi quia Christus Ioannis 20. Apostolis, eiusque successoribus indefinitè dixerat: [Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, &c.] In quo autem consistit peccati ratio, nisi in moralitate deuiatæ à regni cęlorum, seu finis supernaturalis ordine? [At Christus non minùs indefinitè dixit si peccauerit in te frater tuus (repudiata fraterna correctione) deuncies eum Ecclesię quam si non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & publicanus.] Hinc autem per Christum constitutus procedendi modus denotat ordinem ad locum visibilē, ac externum Ecclesię, cui proinde ex Christi donum institutione subest omne fratris Christiani peccatum, si tamen respectu illius fori probari valeat. In aperto igitur est, pręter secretum conscientiæ forum pœnitentiale, à Christo institutum, esse alterum quoque forum externum, & iudiciarium Ecclesiasticę potestati concreditum. In hoc proinde foro Ecclesiæ externo, quis in terris supremam habet auctoritatem, nisi Petri successor, cui omnes Christi oues funt concreditę, & cui commissę sunt claues Regni Cœlorum, & triumphantis, & militantis? Quęnam verò est materia huius fori,

nisi quam Christus definiuit hisce verbis ad Petrum prolatis: [Quodcumque solueris, seu ligaueris?] Hoc verò [Quodcumque,]vtpote vniuersitatis vocabulum, num arctiùs exponi debet, quàm illę indefinitę Christi voces: [Quorum remiseritis peccata:& si peccauerit in te frater tuus.] Si ergo ex vi harum indefinitè positarum vocum, foro Ecclesię tum secreto pœnitentiali, tum publico iudiciario subsit omnis moralitas à Regno Cœlorum, seu fine supernaturali deuians, quid ni sub isto vniuersalitaris vocabulo dixeris, denotari quodcumque morale, qua habens ordinem ad Regnum Cęlorum,seu militans, seu triumphans? Quòd si ergo illa Petro, eiusque successori fori externi potestas superextendi debeat super Quocumque, atque adeò regiminis quoque politici exercitio, & applicabilitate subiectiua, qua moralitatis in Regnum Cœlorum ordinabilis formalitatem superinduente, quomodo fas est, dicere, talem in Regibus moralitatem in foro conscientiæ, non verò in ordine ad externum iudiciarium Ecclesiæ forum, esse subiectam Apostolicæ auctoritati, protensæ super Quocumque, vniuersalitatem designante, cùm tamen respectu fori interni subiectio peccatorum nonnisi sub vocula indefinita definiatur? Quòd si ergo sub illo Quocumque super omnem Christi ouem,& omnimodam in externo foro probabilem moralitatis in Regnum Cœlorum ordinabilis formalitatem protenso, contineatur & Rex Christianus, qua Christi ouis, & cuncta eiusdem quoad regiæ potestatis exercitium, & applicabilitatem, moralitas, quomodo hæc non vniuersaliter dicenda est, subesse Pontificis auctoritati, seu potestati soluendi? Vbi verò regiæ potestatis ius, qua huic personæ sub moralitate ad Regnum Cœlorum ordinanda applicabilitate contingat per illam Apostolicam auctoritatem ex causis moralibus, Regnum Cælorum tam militans, quàm triumphans respicientibus, Regisque depositionem efflagitantibus, solui, quomodo intelligi potest non esse facta effectiua Regis exauctoratio? In aperto igitur est, ex prædductis fidei principijs demonstrari Summi Pontificis potestatem erga Reges Christianos, à Regni Cælorum, & militantis, & triumphantis ordine deficientes, exauctorandos,

PROBATIO II.

Reflexiua super secundum nostratis sententiæ argumentum.

HVius argumenti vis reducitur ad hoc punctum,quòd oporteat, Summo Pontifici concedere saltem auctoritatem Iuris Diuini dubij declaratoriam. At quemadmodùm Christi verba: [Quorum remiseritis peccata,] non important potestatem merè declaratoriam remissionis peccatorum, sed verè absolutoriam, sic ista Christi ad Petrum dicta verba: [Quodcumque solueris, &c.] denotant veram soluendi potestatem. Solutio autem iuris cuiuspiam eatenus tollit materiale saltem eiusmodi iuris substratum, vt consequenter ac indirectè fiat solutio istius quoque iuris super tali materiali substrato fundati. Quia igitur regia potestas non tam in se formaliter spectata, vtpote vt sic non dependens à moralitate hominum, sed immediatè ex Deo promanans; quàm ex parte iuris in hoc subiecto inexistentis, ceu materialis substrati, per quod isti homini sit appropriata, Regia Maiestas, vt sic ad moralitatis Ecclesiæ clauibus subiectæ lineam spectans, subsit auctoritati Pontificiæ, soluendi potestate munitæ, ac super Quocumque morali in Regnum Cælorum ordinabili protensæ, euidenter sequitur, posse regiam potestatem indirectè, materialiter, ac subiectiuè auferri per Oecumenicam Summi Pontificis auctoritatem.

PROBATIO III.

Reflexiua super tertium nostratis sententiæ argumentum à n. 35. deductum.

EX hoc, quòd Reges ex intrinseco Christi charactere subeant talem respectu Ecclesiæ obligationem,quæ complectitur omne id, quod in ipsis moralitatis, ad Regnum Cælorum ordinabilis, est particeps, atque adeò regiam quoque potestatem, qua debito modo exercendam, & applicandam: ex quo etiam fundamento fit consequens,quòd Reges Christiani habeant munus, seu obligationem Aduocati, ac Defensoris Ecclesiæ. Idcircò ex hoc etiam titulo consequitur, quòd regia potestas tum quoad morale sui substratum, tum quoad suos effectus morales ex intrinseco characteris Christiani debito, in Regnum Cælorum ordinabiles, subiectiuè adeò, ac materialiter spectata, subsit prætactæ soluendi potestati, Pastorali Petri successoris muneri per Christi constitutionem annexæ.

PROBATIO IV.

Reflexiua super quarto nostratis sententiæ argumento à n.38. deducto.

ATtendendo ad reflexionem ibidem à nobis factam, occurrit inprimis difficultas, quòd Petrus Apostolus 1. suæ Epist. cap. 5. videatur à potestate Ecclesiastica omnem vim dominatiuam exclusisse. Sed in quo consistit ratio potestatis dominatiuæ, nisi quòd ex vi dominij sui possit homo ad placitum agere pro sui commoditate, & vtilitate propria, cùm è contra iurisdictionis,maximè Ecclesiasticæ, auctoritas eius sit conditionis, vt, qui ea potitur, vnicè attendere debeat spiritualem gregis vtilitatem, animarumque sibi commissarum æternam, atque Religionis, ac fidei, Ecclesiæque sanctæ bonum, sicque adeò fieri debeat forma gregis, seipsum pro ipsius salute lubenter impendens, simul tamen, vbi opus fuerit, aduersùs lupos eidem insidiantes, magno cum religionis zelo decertans, & non tantùm extrà Ecclesiam eijciens, sed auctori-

ctoritate sua detrudens, ad statum, in quo ampliùs nocere nequeant?

Imò ipsa quoque politica auctoritas iurisdictionis, si in sua præcisa natura spectetur, talem vim dominatiuam propriæ vtilitatis, & non potiùs publici boni prosecutricem abhorret in tantum, vt tyrannicum dici soleat regimen, in quo non tam Reipublicæ vtilitas, quàm commoditas propria intenditur; si tamen pura sit iurisdictionis potestas, respiciens subditos, qua in vno Regno, seu Ciuitate tum inter se quoad politicam, & socialem vitam, mediante Iustitia Commutatiua, & Distributiua, tum in ordine ad bonum Reipublicæ per iustitiam legalem actiuè, & passiuè bene coordinatos. Quia verò in plerisque Regnis regalis iurisdictio respectu vulgi non est pura, sed mixta cum aliqua vi dominatiua, cui præter subiectionem, politico regimini correlatiuam, respondet in subditis aliqua seruitutis ad propriam Domini vtilitatem reflexa species, idcircò Apostolus monuit quosque Ecclesiæ sanctæ regimini præfectos, ne dominentur in Clero, sed forma gregis facti, huius & propriam spiritualem vtilitatem, & communem Christianæ Reipublicæ bonum intendant.

Sed numquid tali, quantumuis à vi dominatiua depuratæ Iurisdictioni, vt ad Ecclesiæ sanctæ publicum, & cuiusque Christi ouium priuatum bonum, cum ordine ad Regnum Cælorum tam militans, quàm triumphans, efficaciter promouendum, prævalere posset; debuerat diuinitùs concedi etiam aliquis gladius potestatis Politicæ quandoque aduersariæ coercitiuæ? Vnde à ratione veri prorsùs aliena est Neotericorum sententia, vnicam in terris architectonicam, vt loquuntur, & auctoritatiuam, iure gladij armatam, soli politico Magistratui competentem potestatem adstruens. Num enim, quia Christus pro se & Petro soluit vectigal, ex hoc arguere fas est, Christum noluisse Ecclesiæ suæ prospectum ex gladij spiritualis eidem concedendi auctoritatiua, & coercitiua potestate? Audi hac super re Diuum Chrysostomum in citato cap. 17. Matth. verba Christi Domini: [Quid tibi videtur Simon? Reges terræ à quibus accipiunt tributum, aut censum; à filijs suis, non ab alienis? ita explicantem: Quod, dicit Christus, tale est. Liber quidem ego sum, atque immunis à præstando censu: si enim Reges terræ à filijs suis non accipiunt, sed ab ijs, quos regunt imperio, longè magis liberum me ab hac repetitione esse oportet, qui non terreni cuiusdam Regis, sed cælorum Regis filius sum, & Rex. Iubet porrò in ore piscis inuentum staterem pro se, ac illo (Petro) dari, ne tùm illi, tùm ipse Petrus vlatenus offenderentur.] Quæ ergo non proteruia Neotericorum, ex illo sacro Euangelij textu, Christi erga Magistratum politicum, & consequenter Ecclesiæ, Apostolorumque subiectionem probare nitentium?

In Veteri etiam Testamento non equidem ex iure naturæ, sed ex lege diuina positiua præter regiam potestatem erat sacerdotium, quod secundùm sphæram suam minimè subijciebatur iudicio politici regiminis, sed hoc debebat esse subordinatum Sacerdotij iudicio, quatenus iuxtà Deut. 17. caput inerat summo Sacerdoti potestas, tali cum auctoritate in dubijs interpretandi leges iudiciales, vt eius sententiæ standum fuerit, debueritque iudex decretum, seu iudicium suum huic Sacerdotis sententiæ conformare, teusque mortis adeò pronunriatus fuerit, qui Sacerdotis imperio, ac iudicis decreto, secundùm istius sententiam ferendo, noluisset obedire.

Quæ de Salomonis Abiatharem à Sacerdotio deponentis exemplo proferuntur, de ijs erit responsio inferiùs, vbi etiam illius Pontificiæ auctoritatis, qua regiæ potestati supereminentis sphæra describetur: interea manifestum iam est redditum, Veteris Legis Sacerdotio fuisse auctoritatiuam potestatem, gladij etiam materialis, iuxtà illius imperium, manu regia exercendi iure armatam. Talis ergo Ecclesiasticæ in Noua Lege, vti supra dictum, gladius est tum vis coercitiua Matth. 18. descripta sub auctoritate ad fidelium vsque Communionis priuationem, contumaci inferendam, iudicialiter etiam procedendi: tum potestas ligandi, & soluendi quodcumque moralitate ad Regnum cælorum tam militans, quàm triumphans ordinabili superuestitum: inter quæ moralia vtique est regiæ quoque potestatis exercitium, & applicabilitas moralis, cuius proinde, si vi illius Ecclesiasticæ potestatis in Rege aliquo Christiano fiat solutio, quid huic superesse poterit de suæ Regiæ Maiestatis iure?

Corollarium.

EX dictis infertur; [In quantum ex Veteri Testamento argumentari liceat ad Pontificiæ supra Reges potestatis extensionem probandam?] Difficultatem hic ingerit exemplum Salomonis deponentis summum Sacerdotis Abiatharem; vti habetur 3. Regum 2. Quidni ergo, subinferunt Neoterici, par sit in Nouo Testamento Regum erga Papam auctoritas? Hoc expendens Bellarminus lib. 2. de Romano Pontifice cap. 29. respondet inprimis, negandam esse paritatem inter Antiqui, & Noui Testamenti Summos Pontifices. Cùm enim in Veteri Testamento promissiones tantùm temporales fuerint, in Nouo autem Testamento sint spirituales, ac æternæ; vti SS. Patres tradunt: non mirum esse, si in Testamento Veteri summa potestas fuisset temporalis, in Nouo autem Fœdere spiritualis.

Deinde in Veteri quoque Testamento Pontificem fuisse Rege maiorem, docent Philo de victimis, Theodoretus quæst. 1. in Leuiticum. & Procopius in 4. capit. Leuit. quod probatur tum ex cap. 27. Num. vbi dicitur, quòd ad verbum Pontificis Eleazari tam Princeps Iosue, quàm populus ingredi, ac egredi deberet: tum ex Leuit. 4. vbi quatuor sacrificia instituuntur, ex quorum ordine, ac magnitudine colligitur dignitas personarum, pro quibus fiebant. Primum itaque sacrificium erat vituli pro Pontifice: Secundum etiam vituli pro toto populo: Tertium hirci, adeòque vilius, pro Rege: Quartum capræ pro quolibet priuato. Quare ad illud Salomonis, Abiatharem Summum Sacerdotem deponentis exemplum, esse dicendum, quòd Rex iste, non vt Rex, sed vt Propheta, & exe-

cutor diuinæ iustitię deposuerit Abiatharem, & substituerit Sadochum; siquidem 3. Reg. 2. asseratur Salomon, fecisse hauc amotionem; [vt impleretur sermo Domini, quem locutus est super Heli in Silo.] Nempè Deus Aaroni primitùs, indeque Eleazaro quasi primogenito, eiusque posteris destinauerat Pontificatum, traductum posteà ad Heli, qui erat ex Ithamar. Ex quo ergo Dominus fecit super Heli sermonem de Pontificatu eius familiæ adimendo, & restituendò Eleazari posteritati, de qua erat Sadoch, nec Salomon, nisi ex hoc ad Domini sermonem respectu, fecit hanc commutationem, optimo iure dici potest, non esse factam auctoritate Regia, sed ex speciali Dei iussu fuisse ab illo Rege peractam executionem iustitiæ, à Domino decretæ.

Verùm quomodocumque res ista se habeat, hoc est prorsus certum, quòd Antiqui Fœderis Summus Sacerdos in his saltem, quæ ex specifico iure, ac mandato Diuino in cumbebant ipsius officio præeminuisset Regiæ potestati. Inter hæc autem erat ferre sententiam auctoritatiuam super iudicij veritate, quando de hoc variabatur inter Iudices, cui Sacerdotis sententiæ omninò standum fuerat. Et quia eidem Sacerdotio competebat iudicium inter lepram, & lepram, inter causam, & causam, inter sanguinem, & sanguinem, quoad hoc etiam iudicium haud subdebatur, sed præeminebat Regi, sicque adeò ex hac auctoritate super Ozia Rege lepra diuinitus tacto, proferebat sententiam separationis, non corporalis dumtaxat, sed Ciuilis quoque, ac politicæ eum amotione à Regni administratione. Quod si ergo indubitata est Sacerdotij Mosaici in his, quæ iure diuino eidem erant commissa, supra Regiam potestatem præeminentia, haudquam dubitare licet de Summi Pontificis supra Reges auctoritatiua intra nouum Euangelij Fœdus præcellentia, in quantum est ipsi commissa super cunctas Christi oues cum virga [correctoria, & coercitiua, potestateque soluendi quodcumque in terris morale,] qua ordinabile ad Regnum Cœlorum tam militans, quàm triumphans.

§ IV.

Articuli præsentis Corollarium finale.

Ex dictis infertur; [Quam mereatur censuram sententia, Summo Pontifici auctoritatiuam supra Reges Christianos, quoad temporalia potestatem denegans?] Ex Auctore Regalis Sacerdotij cit. lib. 1. in fine §. 9. aliàs iam proferebamus: cùm quæritur, [an Summus Pontifex in Reges, ac Regna temporalem habeat potestatem? Absolutè] respondetur posse nullam habere: cùm enim hæc potestas sit [indirecta, subsidiaria per accidens, ac [extr]aordinaria,] non denominare subiectum, [an]d tale dicitur ab ijs, quæ plerumque, non [ab ijs], quæ raro accidunt. Per leg. 3. & 4. ff. de ll. [&] cap. per venerabilem.] Qui filij sint legitimi.] & cap. nouit. de iudicijs vbi absolutè Summus Pontifex negat, [sibi esse potestatem temporalem in Reges Galliæ:] eaque si vteretur, indebitam, & vsurpatam fore.

Numquid verò, si quæstio sic: [An Ecclesiæ potestas protendatur super temporalia?] Respondere oportet, Summi Pontificis erga temporalia, ac intra Regia in temporalium censu haberi solita, esse solummodò [indirectam, subsidiariam, per accidens, extraordinariam?] Si ergo potestas huiusmodi non denominat subiectum; ergo æquè poterit absolutè negari, Summo Pontifici competere potestatem in temporalia, atque adeò iura Regia, vtpote, vt sic temporalitatem præferentia. Neque deest ratio, quia denominatio sequitur formam, non id, quod est materiale. Atqui bona temporalia, ac Regia iura sæcularia formaliter, vt sic non subduntur Pontificiæ potestati, sed materialiter dumtaxat, sub altiori scilicet, quibus substernuntur, [formalitate moralitatis in Regnum Cœlorum ordinabilis.] Hæc autem moralitas est quid spirituale; respiciens in proprio suo subiecto salutem æternam, ac respectu Ecclesiæ publicum huius; atque sanctæ Religionis Bonum, deique cultum, quà non mero naturali lumini commensuratum. Quia igitur denominatio fit à formali, non verò à materiali, an non, sicuti absolutè dici potest, nullam esse potestatem temporalem Summo Pontifici in Reges: sed spiritualem dumtaxat; sic pariter negare licebit, Pontificiam potestatem protendi super Regum bona temporalia; seu iura Regia, qua secundùm naturam suam spectata, sunt sæcularia.

Quo tamen minimè obstante, quis Catholicorum inficiari, ausit, Regis Christiani iura etiam politica, seu sæcularia, vnà cum ipsius persona ad statum supernaturalem eleuata, non subesse [moralitati in Regnum Cœlorum ordinabili?] Hoc negare, foret profectò indignissimum Rege Christianissimo. Numquid verò iura Regia, quantumuis sæcularia, quatenus [moralitate in Regnum Cœlorum ordinabili] sunt supervestita, superinduunt formalitatem, sub qua Regni Cœlorum Summo Pontifici concreditis clauibus subiaceant? Hoc negare, foret perinde, ac negare ijs clauibus subesse quodcumque hominis Christiani, eu onis Christi morale in regnum Cœlorum ordinabile. An non verò istud pugnaret, cum apertis Christi Domini verbis Matth. 16. Claues Regni Cœlorum eatenus exponentis, vt Quodcumque in vi istarum Clauium à Petro eiusque successore erit in terris solutum, pro soluto habendum esset etiam in cœlo? Numquid verò istud quodcumque per Summi Pontificis potestatem in terris solubile complectitur temporalia, ac Regia, seu politica qua sæcularia iura? Neutiquam. An igitur istud Quodcumque in terris per Ecclesiæ Claues solubile admittit aliquam exceptionem? At hoc dicere, foret, vniuersalitatem illius Tò quodcumque contra disertum Christi verbum è medio tollere. Illius igitur vocis Tò Quodcumque vniuersalitas nullam quidem admittit exceptionem, sed explicationem Christi verbo consentaneam. Numquid enim istud Quodcumque in terris per Vicariam Christi pote-

potestatem solubile ex Christi Domini institutione habet vt sic, relationem ad Cœlorum Regnum, seu militans, seu triumphans? Nonne verò huius relationis ordo importat moralitatem statui supernaturali commensurabilem, de cuius natura est, esse ordinabilem in Regnum Cœlorum tum triumphans, tum militans? Numquid autem istius ad Regnum Cœlorum ordinabilitatis moralitas radicatur num in fide, per quam sumus membra S. Ecclesiæ, ceu vujus corporis mystici, tum in Christi per Baptismum impresso charactere, per quem subijcimur sanctæ Ecclesiæ, eiusq; Clauibus? Numquid autem membri ad corpus suum, seu politicum, seu mysticum coordinatio, vti etiam erga sanctam Ecclesiam subiectio, ex ipsa connaturalitatis suæ proprietate importat obligationem ad curandum illius Corporis mystici, sanctæque Ecclesiæ bonum publicum? An non igitur in vi huius erga Ecclesiam, ceu corpus mysticum coordinationis, seu subiectionis in Rege Christiano, secundùm quodcumque in terris morale suum spectato, est debitum ordinabilitatis ad bonum publicum Ecclesiæ? Quia igitur Quodcunque in terris Regibus Christianis inexistens morale complectitur ipsorum Regia quoque iura sæcularia, sed materialiter dumtaxat, ac indirectè seu per accidens, nec aliter, nisi qua superuestita moralitatis in Regnum Cœlorum seu triumphans, seu militans ordinabilis formalitate, sub qua moralitate eam subeunt denominationẽ formalem, vt dicenda sint spiritualia, numquid nefas esset negare, esse vt sic contenta sub illius Christi vocis Tò Quodcumque vniuersalitate, omne in terris morale in Regnum Cœlorum ordinabile complectentis? Quia verò hæc ad istam [moralitatis in Regnum cœlorum ordinabilis] denominationem iura Regia, vt pote sæcularia, se habent solùm materialiter, ac per accidens, nec adeò dici possunt subiacere directæ Clauium Ecclesiæ auctoritati, neque verò denominatio facienda est ex illo, quòd solùm indirectè præcipuè materialiter dumtaxat, vel etiam per accidens competit, numquid secundùm præiacta principia adhuc defendi potest, quod Ecclesiæ potestas sit spiritualium solummodò, non temporalium.

Secundùm hæc igitur principia, Regem Christianissimum velle pronunciare exemptum ab illa Regiorum iurium moralitate, Ecclesiæ Clauibus indefinitè, ac vniuersaliter subiecta, perinde foret, ac ipsum alienum facere à Christiano charactere, vel si iura Regia, licèt sæcularia, statuantur esse capacia [moralitatis in Regnum Cęlorum ordinabilis,] oportebit fateri, ea materialiter, indirectè, ac per accidens subijci Clauibus sanctæ Ecclesiæ, non quidem sub ratione sui temporalitatis, sed sub formalitate [moralitatis in regnum Cœlorum ordinabilis.] Secundùm quam proinde distinctionem, si Clero Gallicano placuerit primæ propositionis suæ intelligentiam moderari, poterit fortè sustineri secundùm expositionem reflexionis mox exponendæ, sin minùs, ipsimet sint eius sententiæ Censores, quomodò cohærere valeat cum indefinita super [quocumque in terris Morali,] qua in Regnum Cœlorum ordinabili, protensa Ecclesiæ sanctæ Clauium, Summique Pontificis Oecumenica soluendi, ac ligandi potestate.

SVM-



SVMMA PRIMI ARTICVLI DE CATHEDRÆ APOSTOLICÆ SVPER REGES AVCTORITATE,

Vnà cum refutatione dissertationis à prætacto Ludouico Ellies du Pin.

EDITÆ, AD PROBANDVM, ECCLESIÆ Nullam in Reges, eorumque bona esse potestatem directam, vel indirectam.

PROLOQVIUM.



Icuti varia sunt hominum ingenia; sic non vna methodus in expendenda rerum Diuinarum, seu Ecclesiasticarum disciplina placet vniuersis. Quemadmodum enim inter illos, qui alchimisticis student mineralium sublimationibus, sunt nonnulli: qui eiusmodi extractionum quintis quasi essentijs, earumque virtutibus vnicè oblectantur: alij verò sunt, quibus non satis est, tales quintas quasi mineralium essentia iam extractas possidere, sed ipsas cum earumdem virtutibus ad sua principia reducere contendunt, curiosè indagando, ex quibus materijs, & per quas methodos fiant huiusmodi alchimistici extractus. Sic reperiuntur aliqui sublimioribus destinati functionibus Ecclesiasticis, quibus minimè vacat, vt accuratiùs intendere valeant principijs Theologicis, per quæ pro instituto præsenti, nouissimas Cleri Gallicani propositiones contingente, ex sacræ Scripturæ textibus, sacrorumque Canonum, atque Conciliorum Oecumenicorum sanctionibus; fusiori methodo scholastica eruitur veritas illis Cleri Gallicani assertionibus opposita. Quorum adeò sublimiori conditioni meritò sufficiet Summaria extractio argumentorum, quibus stabilitur Oecumenica Cathedræ Apostolicæ potestas super Reges etiam; quoad moralitates in regnum cœlorum ordinabiles protensa. Quia vero multi haud contenti erunt, talem Fundamentorum, quibus ea nititur, quintam quasi essentiam cernere, nisi eam conferre possint cum ipsissimis illis locis, ex quibus Summarius eiusmodi extractus educitur. Idcircò pro vtroque illo ingeniorum genere eum tenebo ordinem, vt prioribus seorsim breui aliquo Opusculo cogitem tradere succinctiorem quandam methodum Summarij circa Gallicani Cleri propositiones ex principijs sacris eruendi extractus, in quo fusioris hac de re Operis quinta quasi essentia exhibeatur: pro illis verò, qui sacræ Theologiæ methodo Scholasticæ ad sua principia veritates inde erutas reducere assuetæ sunt addicti, Summarium circa Cleri Gallicani de Romani Pontificis auctoritate propositiones extractum sub fine cuiusque Articuli exponam, vnà cum singulorum, ex quibus deducitur, locorum allegatione in margine designanda.

Summæ huiusmodi subnectetur confutatio Dissertationum Historicarum, quas Ludouicus Ellies Du Pin sacræ facultatis Theologicæ Parisiensis Doctor in suo Opere [de antiqua Ecclesiæ disciplina] nuperrimè digessit. Quam Summam pariter in quatuor diuidemus articulos, quorum Primus [de Cathedræ Apostolicæ supra Reges potestate] constabit sex Capitibus, quibus videbantur consultò præmittenda, quæ Auctor [Inextinctæ sacri Concilij Tridentini veritatis, huius Operi sui Tomo tertio] per modum Præfationis disseruit.

ARTICVLVS I.

Declarationis Gallicanæ circa Oecumenicam Romani Pontificis Auctoritatem.



Rticulus iste ita se habet: Primùm Beato Petro, eiusque successoribus, Christi Vicarijs, ipsiusque Ecclesiæ rerū spiritualium, & ad æternā salutē pertinentiū, non autē ciuilium, aut temporalium a Deo tradita est potestas, dicente Domino, Regnum meum non est de hoc mundo, Et iterum. Reddite ergo, quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo. Ac proinde stat illud Apostolicum dictum. Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, non est enim potestas nisi à Deo, quæ autem sunt à Deo, ordinata sunt, Itaque qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit. ¶ Reges ergo, & Principes in temporalibus nulli Ecclesiasticæ potestati Dei ordinatione subijciuntur, neque auctoritate clauium Ecclesiæ directè, vel indirectè deponi, aut illorum subditi eximi à fide, atque obedientia, ac præstito fidelitatis sacramento solui possunt. Eaque sententia publicæ tranquillitati necessaria, nec minùs Ecclesiæ, quàm Imperio vtilis, & Verbo Dei. Patrum Traditioni, & Sanctorum exemplis consona, omninò retinenda est.

REFLEXIO.

Verum ac legitimum huius articuli sensum disquirere satagens.

EX huius articuli fine dilucidum redditur Gallicani Cleri in præadducto Articulo sensum esse prorsus conformandum cum Verbo Dei, Patrum Traditione, & Sanctorum exemplis. Ex quo proinde solidissimo veritatis fundamento firma stat duplicis, Ecclesiasticæ scilicet, ac Politicæ potestatis supræma auctoritas, cui vtrique Diuinitus est constituta sua sphæra, ita vt illius limites circumscribantur causis spiritualibus, & ad animarum salutem pertinentibus, huius verò limites contineantur causis ciuilibus ac temporalibus. At quemadmodùm in homine sunt quidem duæ res disparatæ, corpus scilicet, & anima, ab vno eodemque Creatore absque vlla quoad primam sui productionem, in principij effectiui genere, inter se dependentia, primitus prodeuntes, ita tamen inter se combinatæ, vt anima regimen teneat super corporis affectiones, sic supremo magistratui Politico ita inest auctoritas Diuinitus constituta, vt huius tamen exercitium in homine Christiano capax sit ordinis etiam supernaturalis, æternam salutem respicientia sub qua adeo formalitate respectum habet ad Ecclesiasticam Diuinitus constitutam auctoritatem. An non igitur secundùm talem ordinabilitatem, suprema Politica potestas saltem materialiter indirectè subiacebit supremæ Ecclesiasticæ auctoritati, modo statim exponendo.

CONCLVSIO.

In præsenti puncto concernente supremam Ecclesiasticam, in Romano Pontifice, vel in Concilio Oecumenico subsistentis, super Regiam supremam temporalem potestatem supereminentia auctoritatem, circumspectè distinguenda est tum Regula potestatis ratio Formalis, tum eiusdem ad hoc indiuiduum suppositum applicationis, nec non eiusdem Exercitij Materialiter spectati conditio.

EXplicatur status Quæstionis. Eiusmodi namque supremæ Regiæ potestatis ad supremam Ecclesiasticam auctoritatem comparatio eo modo se se habere videtur, quo modo rationis lumen naturale comparatur ad Diuinum supernaturale fidei lumen. Sicuti namque vtrumque hoc lumen est immediatè à Deo, quā auctore partim naturali, partim supernaturali, & ideo vtrumque est supremum in suo genere, sic res se habet circa Politicam & Ecclesiasticam auctoritatem supremam. Vnde vtrique huic supremæ potestati eatenus competit legislatiua auctoritas, vt legum à potestate Politica latarum obligatio formaliter spectata, non subsit auctoritati Ecclesiasticæ potestatis, sed sit per se subsistens in sua linea. Et quemadmodùm verum non repugnat vero nec adeo potest vlla esse contrarietas inter luminis naturalis ac fidei Diuinæ veritatem, sic lex Politica, & Ecclesiastica, in quantum vnaquæque legitimè procedit ex auctoritate sibi commensurata, nequeunt inter se repugnare. Tametsi verò in hoc rursus sit paritas inter Ecclesiasticam, & Politicam supremam potestatem, vt leges vtriusque, praticam lumini seu supernaturali, seu naturali commensuratam veritatem obtinentes, id est, ab honestate seu fidei, seu rationis non declinantes, ita sint per se in genere suo subsistentes, vt Ecclesiastica suprema potestas legitimis (id est à ratione naturali non deuiantibus) legibus politicis, minimè se possit ingerere, eas vel aboliendo, vel immutando. Nihilominùs quia suprema Ecclesiastica auctoritas, in legibus pro vniuersa Ecclesia ferendis, est infallibilis, tali verò in ordine ad statum politicum infallibilitate caret suprema Ciuilis potestas: ideircò fieri potest, leges à Politico Magistratu latas ità dissonare cum fidei lumine, vt consequenter à naturalis quoque practica veritate sint alienæ: cùm è contra leges pro vniuersa Ecclesia, à supremæ potestate Ecclesiastica promanantes, neque à fidei, neque consequenter à rationis naturalis, vtpote cum illa pugnare haud potentis, veritate practica aberrare valeant. Ex quo rursùs fit consequens; supremam Ecclesiasticam auctoritatem posse ex fidei principijs, supra legibus ciuilibus à recta ratione dissonantibus ferre iudicium, eas-

que

que Directè, quà cum fide pugnantes; Indirectè verò, quà cum ratione naturali, vtpotè cum fidei lumine nullam contrarietatem habente, dissonantes abolere, atque re ipsa nullas, & innalidas pronuntiare: cùm è contra suprema Polirica auctoritas in nullo prorsùs casu quidquam valeat aduersùs Ecclesiasticæ potestatis leges, siquidem istæ suprema Ecclesiæ auctoritare munitæ, eam sub infallibilitate obtineant cum fidei principijs conformitatem, ac honestatem moralem, vt impossibile sit, ipsas vnquam conrrariari practicæ luminis naturalis veritati, atque adeò Politicæ cum hac commensuratæ auctoritati.

Inter vtramque porrò seù Ecclesiasticam, seù Politicam auctoriratem supremam, in hoc stat æqualitas, vt ambæ quidem sint immediatè Iuris Diuini, vtriusque tamen ad certam indiuiduam personam applicatio materialis pendear ex hominum constitutione. Nam ipsomet Imperatore in Instit. fatente, suprema Politica potestas erat primitùs in populo, atque ab hoc primùm translata est in vnam certam personam: cuiusmodi etiam personæ designatio est, vel per successionem hæreditariam, vel per diuersimodi generis electionem: qui vterque adeò succedendi modus est pendens ab humana constitutione. In supremæ equidem Ecclesiasticæ auctoritatis ad certam personam applicatione materiali, interuenit pari modo electio hominum, ex humana constitutione dependens, ità tamen, vt successio ipso Iure Diuino sancita, eatenus conferat Electo Oecumenicam eiusmodi potestatem, quatenus huius collatio est immediatè Iuris Diuini, secùs, quàm sit in collatione Regiæ, ac Imperatoriæ auctoritatis, in qua non Electio dumtaxat, seù successio hæreditaria, tamquam personæ ad supremam Politicam auctoritatem designatio, ac deputatio materialis (quod supremæ Oecumenicæ quoque Ecclesiasticæ potestati commune est) sed ipsa etiam collatio dignitatis huiusmodi est Iuris humani, tametsi auctoritas in se formaliter spectata, sit immediatè Iuris Diuini. Sub cuiusmodi adeò, & Diuini, & humani Iuris distinctione, immobiliter est seruanda æqualitas inter auctoritatem vtramque, vt, quod immediatè spectat ad Ius Diuinum, non subsit alterutri illi auctoritati, quatenus homini cupiam inexistenti. Id verò, quod Humani Iuris est, eatenùs pendet ex hominum dispositione, vt Summi Pontificis non nisi per homines electione facta, ex Ecclesiæ adhuc iudicio, seù fidelium vnanimi consensu pendear certitudo moralis, per quam fiet euidentia credibilitatis, sub qua credere fas sit, hunc hominem esse illum, quem contingit verbum Christi, Petro sub perpetuo successionis Iure, eiusque adeò successori legitimo conferentis Oecumenicam Ecclesiæ auctoritatem, Euangelio sacro definitam. Quandoquidem ergo non designatio dumtaxat Marerialis personæ ad Regiam, seù Imperatoriam auctoritatem vocatæ, sed huius potestatis collatio sit Iuris humani, superest hic decidendum, an circa hanc saltem Indirectè possit aliquid disponere suprema Ecclestica potestas?

In quo equidem videtur partem Negatiuam sanxisse præaddncta Cleri Gallicani propositio, Christi Vicarijs, ipsique Ecclesiæ ralitec adimentis rerum temporalium, ac ciuilium potestatem, vt dilucidis verbis concludat, [Reges, & Principes in temporalibus nulli Ecclesiasticæ potestati, Dei ordinatione subijci, neque auctoritate clauium Ecclesiæ, Directè, vel Indirectè deponi, aut illorum subditos eximi à fide, atque obedientia, ac præstito fidelitatis sacramento solui posse.] Num igitur Clero, seù Catholico, seù Christianissimo istud edicere fas sit? Minimè: nisi ea conclusio redigatur ad limites superiùs positos, quòd scilicèt in hoc puncto circumspectè distinguenda sit tum Regiæ potestatis ratio formalis, tùm eiusdem ad hoc indiuiduum suppositum applicationis, nec non eiusdem exercitij materialiter spectati conditio:] Etenim quis neget, Magistratus Politici auctoritatem Verbo Diuino sancitam, esse de fide? Ergo super hac eius est auctoritatis iudicium, cuius est, fidei decreta ex Verbo Dei sancire aduersùs ingruentes hæreses. Quandoquidem igitur suprema Ecclesiæ potestas Oecumenica aduersùs hæreticos, Magistratum Politicum exauthorare contendentes, eiusque potestatem perfidè negantes, noscatur tulisse iudicium, talis auctoritatis definitiuum, quis iam neget, Ecclesiæ auctoritatem se extendere ad eiusdem Politicę potestatis, quà Verbo Diuino assertæ, manutentionem? Libenter equidem damus, talem Ecclesiæ definitionem haud niti præcisa luminis naturalis ratione, sed formaliter fundari super Verbi Diuini auctoritate; eo ipso tamen, quòd tangat punctum iuris Diuini, per quod habetur Diuinitus constituta Politica potestas, consequens est; ipsissimam hanc auctoritatem subesse Ecclesiæ Iudicio, non vt eam vèl immutet, vel quoad formalem eiusdem, Verbo Diuino definitam, rationem, de ipsa disponat, sed vt ex Dei Verbo eam firmet, & aduersùs hæreticos defendat, atque communiat. Quod Clerus quoque Gallicanus ita præstitit, vt eam Dei Verbo constitutam, ac iure Diuino sancitam ostendat. Quæ proinde suprema Politica auctoritas non quidem Formaliter vel Directè, vel indirectè subest iurisdictioni Ecclesiasticæ, siquidem ista non extendat se super iure Diuino Formaliter spectato, neque Ecclesia pro arbitrio, sed pro iure Diuino, cui subest, ferre debeat iudicium de illa, per expressum Dei Verbum constituta potestate: nihilominùs hæretica prauitas, quatenus conatur eam eliminare, omni modo subijcitur iurisdictioni ac iudicio Ecclesiæ; sicque adeò huic indirectè subditur ipsissima illa Politica auctoritas, quatenus est materia vindicationis, quæ iusto Ecclesiæ iudicio exercenda est, pro manutenendo iure Diuino, per quod habetur sancita ea potestas. Quare ius hoc Diuinum in se ipso Formaliter spectatum, eatenus est regula iudicij, quod Ecclesia exercere debet aduersùs eiusdem temeratores, vt sub concretione quasi materiali, quatenus nimirum subest hæreticæ sui temerationi, per indirectum, & materialiter subiaceat etiam iudicio Ecclesiæ: Quemadmodùm igitur suprema Politica auctoritas Diuino iure sancita, obiectiuè se habens ad hæreticam sui temerationem, indirectè materialiter subditur Ecclesiæ iudicio;

sic

ſic pro ſecundo dicendum eſt, eamdem poteſtatem, quatenus ſubiectinè eſt in homine Eccleſiæ ſubiecto, indirectè materialiter ſubiacete eiuſdem S. Eccleſiæ iudicio, modo ſtatim explicando. Numquid enim quodlibet hominis baptizati peccatum ſubeſt Eccleſiæ ſanctæ foro non tantùm interno, ſed etiam externo? Chriſtus namque Matth. 18. diſertis verbis pronunciauit, de quocumque peccatorum genere, vbi correctio fraterna non profecerit, denunciandum eſſe Eccleſiæ, cui ad reſciſſionis vſque ſententiam, fas eſſet, aduersùs inobedientem procedere. Quamdiù igitur ſuprema Politica poteſtas ſtat intrà ſphæram ſuæ auctoritatis in ferendis legibus iuſtis, ac æquis, dici equidem poteſt, nihil contra talem poteſtatem habere, quod agat Eccleſiaſtica ſuprema auctoritas, tametſi curæ ipſius incumbat prouidere, vt, ſicuti homo ad ſtatum ſupernaturalem eſt euectus in ſuis actionibus, eò etiam tendat dicta Politica auctoritas, ſicque eius exercitium non tam formaliter, quàm materialiter ſpectatum, ratione ſcilicèt cuiuſpiam extrà rationis legitimæ ſphæram exercitæ applicationis quaſi materialis, indirectè ſubeſt Eccleſiaſticæ auctoriati.

Dices. An igitur prætacta Cleri Gallicani declaratio in eo ſenſu accipi ac tolerari poteſt, quòd nempè ſuprema Regia auctoritas ne quidem indirectè formaliter, bene tamen materialiter indirectè ſit ſubiecta Eccleſię ſupremæ iuriſdictioni, ac iudicio? Ac dictæ declarationis verborum generalitas non videtur admittere talem diſtinctionem.

Contra. Nam iſtius Declarationis propoſitio ſtat ſub hiſce verbis: quòd nempè Beato Petro, eiuſque ſucceſſoribus Chriſti Vicarijs, ipſique Eccleſiæ ſit à Deo tradita poteſtas rerum ſpiritualium, & ad æternam ſalutem pertinentium, non autem ciuilium, ac temporalium.]

An verò Politicæ poteſtatis ad ſalutis æternæ finem reductio, & à peccato cohibitio ità eſt pertinens ad ſalutem æternam, vt hac ratione ſit in cenſu rerum ſpiritualium: quippe cùm ex eo; quod eſt formale, non ex eo, quod eſt materiale, fiat denominatio: ſic enim cuncta Sacramenta, rituſque Eccleſiaſtici Materialiter quidem ſunt quid corporale, & tamen ex formali ſua ratione computantur inter res ſpirituales.

Deinde dictæ Declarationis principium nititur ſacræ Scripturæ verbis, quorum clarus extat ſenſus de auctoritate Politica formaliter ſpectata, quà ſpectante Imperium Ciuile, & quà ſecundùm hanc ſuam ſphæram Diuinitus conſtituta, & vt ſic differente ab auctoritate, Regnum non de hoc mundo, ſed quæ Dei ſunt, reſpiciente. Quæ vniuerſa oſtendunt, ibi eſſe ſermonem de duplicis Politicæ nempe, ac Eccleſiaſticæ poteſtatis formali diſcrimine, ac ratione.

Quandoquidem igitur concluſio ita debeat commenſurari cum principijs ſui illatiuis, vt termini non aliter ſint accipiendi in concluſione, quàm in præmiſſis, iuxtà conditionem adeò Medij in hiſce propoſiti: conſequens eſt: in ſenſu quoque formali eſſe dumtaxat accipienda verba illationis, ſub ſequenti tenore factæ: quòd nempe Reges, & Principes (id eſt, quoad ſupremam ſuam poteſtatem formaliter ſpectatam, & vt ſic Iure Diuino conſtitutam) in temporalibus (quà Diuinæ huius conſtitutionis ſphæram non prætergredientibus) nulli Eccleſiaſticæ poteſtati Dei ordinatione ſubijciantur: cum quo tamen optimè cohæret, quod de indirecta eiuſdem poteſtatis, ſecundùm materialem quampiam concretionem ſpectatæ ſubiectione, priùs dictum fuit.

Replicabis. Hanc benigniorem Cleri Gallicani Declarationis interpretationem vix concordare cum eiuſdem proprijs verbis, quibus diſertè dicitur, [Reges, & Principes neque auctoritate Clauium Eccleſiæ Directè, vel Indirectè deponi, neque illorum ſubditos eximi à fide, atque obedientia, ac præſtito fidelitatis Sacramento ſolui poſſe.

Contra. Diſquiramus enim pro rei huius explicatione, ex ipſo Clero Gallicano, quando Chriſtianiſſimus Rex iure Belli (per ſupremam Regiam ſuam auctoritatem ex Iuris, ac Facti fundamentis, virorum prudentiorum, æquè, ac piorum iudicio ſolidis, ac in rei veritate ſubſiſtentibus) iuſti declarari, ſibi vendicat ius cuiuſpiam Principatus, an non Principem, ſeù Regem talis Principatus ex legitimo Iuris titulo poſſeſſorem, ſpoliando Dominij, ſeù Principatus ſui poſſeſſione, ſibique tale Dominium plenè addicendo; Principem hac de cauſa ſibi infenſum indirectè ſaltem deponat, & re ipſa cum effectu ſubditos ipſius eximat à fide, atque obedientia ac præſtito fidelitatis iuramento? Si neget Clerus Gallicanus, hoc ex æquitatis, ac Iuſtitiæ iure fieri à ſuo Rege, ipſe viderit, ne inſimulandus ſit læſæ Regiæ maieſtatis. Si ergo idem Clerus affirmet, id iuſtè fieri à ſuo Rege: mox recidit quæſtio: quandoquidem Regum, & Principum ſuprema auctoritas Politica ſit immediatè à Deo, quomodò Chriſtianiſſimus Rex poſſit ſuper iſto Diuinitus conſtituto Iure habere aliquid Iuris: imò cùm ex eo, quòd ſuprema Politica poteſtas ex ordinatione Dei ſubſiſtat, Eccleſiæ, nulla ſit ſuper illam iuriſdictio, atque adeò in Regibus, ac Principibus etiam indirectè deponendis, ac ſubditis ab homagio ſoluendis auctoritas, quomodò id facere licebit inuictiſſimo Galliarum Regi?

Ad quam proinde interrogationem meam, indubiè reſpondebit Gallicanus Clerus, hoc iuſtiſſimè fieri à Chriſtianiſſimo ſuo Rege ex ſequenti fundamento. Nempe Regem non extendere ſe ſuper Principum auctoritate Politica formaliter ſpectata, quatenus eſt Iuris Diuini, ſed ſuper materiali eius exercitio, extra huius Iuris Diuini ſphæram exorbitante, dum ſcilicet ex ſupremæ ſuæ poteſtatis iudicio; ſecundùm Iuris, & Iuſtitiæ rationem fert inprimis, ac deinde contra reluctantes exequitur ſententiam, de tali Principatu, ſeu Dominio iuſtiſſimè ſibi vendicando. In quo adeò rerum ſtatu, conſequens eſt; vt, quando Rex Dominium Principatus, vnà cum ſubditis ſibi vendicat, hi cenſeantur ſoluti Sacramento fidelitatis, quò alteri Principi erant obſtricti, atque tunc iſte Indirectè quidem deponitur, non tamen formali, ſed materiali dumtaxat depoſitione.

Explicatur hoc aſſertum. Etenim forma-

lis depositio est Iuris legitimi per superiorem auctoritatem facta à principatu abdicatio. Quomodò autem Galliarum Rex prætendere potest auctoritatem superioritatis super altero supremo Principe, si huius dignitas ita subsistat ex Iure Diuino, vt nulla sit in humanis auctoritas, cui talis Princeps subijciatur, & per quem etiam iudireĉtè deponi valeat? En igitur Clerum Gallicanum ex Christianissimi sui Regis exemplo compelli ad fatendum aliam adhuc inesse viam, per quam supremus Princeps possit destitui iure sui Principatus. Edisserat igitur Clerus ille, quænam sit ista via; atque hanc inire licebit Ecclesiasticæ quoque auctoritati supremæ. An fortè eoquòd talis Princeps se opponat iustis Christianissimi Regis armis, contrahitur aliquod delictum, super quo extendat se Regis eiusdem iudicium? Quidni ergo id ipsum dicere fas sit pro Ecclesiæ auctoritate erga Reges, potestate sua Politica abutentes, ad Ecclesiæ, fideique Orthodoxæ in suis subditis subuersionem, ita vt pro isto saltem casu, ex causa talis contra Ecclesiam delicti, fas sit procedere ad Principis alicujus supremi depositionem? Sed dum Princeps, aduersùs quem Christianissimus Rex bellum mouet, pro se habet fundamenta Iuris æquè probabilis, vnà cum possessione legitima Principatus, quid ex Principatus sibi competentis defensione, facinoris interuenire potest, supra quod Galliarum Regis suprema maiestas ius habeat, alterum supremum Principem acriùs infestandi, & suo Principatu exspoliandi? Quamcumque ergo Clerus Gallicanus hac super re amplectetur viam, hæc æquè patebit pro Ecclesia aduersùs Principes, Fidei Orthodoxæ, ac Ecclesiæ infensos hostes. Fas igitur esto mihi, ominari, quid Clerus Gallicanus tandem respondeat: nempe in dicto casu Christianissimum Regem legitimè vti iure defensionis naturalis aduersùs illum, qui ex fundamentis tam Iuris, quàm Facti, publico iudicio inuentus est Coronæ suæ Regiæ Iurium vsurpator, & ex probabili equidem Iuris principio, Coronæ tamen suæ Regiæ prætensionibus præiudicare haud potente, bonæ fidei possessor. Quia proinde ista iurium ad Coronam Regiam spectantium, defensio subsistere haud potest sine eorumdem armata vindicatione, atque adeò alteriùs Principis supremi (iura eiusmodi ex probabili, Coronæ tamen Regiæ haud præiudicante, Iuris principio possidentis) eiectione, ideò talis Princeps tunc non equidem formaliter, sed materialiter indirectè, iusto titulo non tam deponitur, quàm vi vim repellente deijcitur de suo Principatu. Quid ergo? An non simile quid dicere licet de Ecclesia, dum nempe Rex non tantùm ex delicto hæreseos, est obnoxius reatui per sanctæ Ecclesiæ iudicium vindicando; ex quo fortassis præcisò respectu, Clerus Gallicanus putabit, vindictam in modum pœnæ indicendam, debere esse in materia Ecclesiæ subiecta, in materia nempe spirituali, non in priuatione Regni temporarij: sed dum insuper supremus quispiam Princeps in hæresim prolapsus; progreditur ad infestandam Ecclesiam, & subditos suos à fide Orthodoxa violenter, seu aliàs ininste abalienandos; an non fas erit Ecclesiasticæ supremæ auctoritati, tunc vti gladio spirituali, non ad præcisam vindictam, sed ad naturalem Ecclesiæ sanctæ, eiusque iurium defensionem, cui nunc non solùm commensuratus, & conducibilis, sed etiam necessarius erit talis procedendi modus, vt Princeps huiusmodi non tam Formaliter etiã Indirectè deponatur; quàm solùm materialiter, vtpote non in vi præcisæ Iustitiæ vindicatiuæ, sed in vi naturalis defensionis, deijciatur à suo Principatu, subditique adeò soluantur suę fidelitatis erga ipsum Sacramento? Hoc proinde est, quod ominor, responsurum Clerum Gallicanum, attentis ipsorummet fundamentis Iuris Diuino, seu scripto, seu teaditio consonis, & antecedenter discussis.

Ex quibus vniuersis elucet, totam præsentis Articuli summam reduci ad duas assertiones, quarum prima est, quòd Regia potestas in se formaliter, & figuratè spectata, sit Iuris Diuini, vt sic minimè subiecta Pontificiæ auctoritati. Altera assertio est; quòd Regiæ potestatis ad certum Christianitatis charactere insignitum subiectum applicabilitas, vnà cum publicis eiusdem functionibus, superinduat quamdam moralitatem, quæ supernaturalis eleuationis lineam respiciat, subordinatam adeò, ac subiectam clauibus Regni Cælorum, Petro, eiusque successoribus per Christum commissis.

Singulas hasce assertiones duobus sigillatim capitibus expendemus, quibus alia quatuor capita subiungentur, ad confutandam prææallegati Auctoris Du Pin Dissertationem septimam.

CAPVT I.

In quo asseritur Regia potestas esse Iuris Diuini, sitque retorsio argumentorum ex sacris Literis à parte aduersa productorum.

§. I.

Circa primam igitur superiùs positam assertionem, haud discordo à Clero Gallicano: in vi enim luminis naturalis, quod in statu puræ etiam naturæ, esset insitum humano intellectui, cognoscitur necessitas regiminis Politici, ad homines in vnam societatem ciuilem coadunatos, benè ordinandos, non ad priuatam dumtaxat virtutum Moralium honestatem, sed ad communis quoque Boni, vitæ politicæ Finis, prosecutionem. Et hinc in statu etiam puræ naturæ subsisteret illud Apostolicum dictum: [Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: non est enim potestas, nisi à Deo, quæ autem sunt à Deo, ordinata sunt: itaque qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit.] In vi cuius proinde ordinationis Diuinæ, Christus iussit [reddere Cæsari, quæ Cæsaris sunt.] At quia ipsissima hæc ex Dei ordinatione consistens potestas Politica, mensuranda est ex sphæra luminis naturalis, publicum Politici status regimen inter homines exigentis, quò in vnam ciuilem communitatem coordinati, ad huius

huius Bonum Commune legibus, & statutis, nec non pœnarum comminationibus, ac præmiorum pollicitationibus dirigi valeret; quæstio hinc oritur; [An sicuti lumen naturale in homine iam subsistit sub eleuationis supernaturalis sublimiori perfectione, regiminis Politici ratio perinde substernatur supernaturali Fidei infusæ lumini, atque virtutibus eidem proportionatis, ac virtutes Morales naturales lumini naturali commensuratæ subordinantur altiori Fidei Diuinæ, virtutumque supernaturalium directioni?] Ipsemet Clerus Gallicanus in suę Declarationis primo articulo Christi Domini doctrinæ conformiter profitetur, quòd Christi regnum subsistat in hoc mundo, & tamen non sit de hoc mundo: atque hoc ipsum regnum haud obscurè concedit Christi Vicarijs, Beato Petro, eiusque successoribus. Et ideo, quæ in vi huius, Vicarium Christi characterem præferentis potestatis ordinantur, ita Dei sunt ordinationes, vt iuxta ipsius etiam Cleri Gallicani sensum, obedientia eisdem debita, Deo reddatur. Meritò igitur statuere, oportet, inter homines non in puræ naturæ, sed eleuationis supernaturalis statu positos, duplicem potestatem à Deo constitutam, Regiam scilicet, seu Politicam, & Ecclesiasticam Christi vicariam. Quæ vtraque potestas, cùm sit Iuris Diuini, in se ipsa nequit vllius hominis ordinationi esse subiecta.

Tametsi verò cuiuscumque Politicę ęquè ac Ecclesiasticæ ordinationis principium, sic Ius Diuinum, seu potestas à Deo immediatè constituta, vtraque tamen ordinatio huiusmodi, ex hominis alteratiua illarum potestatum prærogatiua præeminentis, iudicio, & arbitrio promanans, in se formaliter, ac immediatè spectata, est actus humanus. De cuiusmodi adeò actu, Politici licèt regiminis sphæra circumscripto, quæstio est; [An perinde, ac eiusdem subiectum Christianitatis charactere insignitum, subordinetur potestati Ecclesiasticæ Summi in terris Christi Vicarij Romani Pontificis?]

§. II.

Primò igitur Regi Christiano indecorum esset, negare, Regiam potestatem ex Christianitatis charactere, nihil de altiori perfectionis supernaturalis gradu participare, perinde ac si in eo collocaretur loco, quo esset in statu puræ naturæ, ac etiamnum reperitur in Regibus Ethnicis. Totius autem lineæ supernaturalis fundamentum est lumen fidei, cui superstruitur supernaturale prudentiæ sublimioris lumen. Quis ergo neget, sicuti lumen naturale indita habet virtutum semina, quibus non priuatæ dumtaxat honestatis, sed Politici etiam publicum Bonum respicientis Boni fit moderatio, sic supernaturale in fide Diuina radicatum lumen obiectiuum est ordinis supernaturalis, non in singulari dumtaxat, cuiusque honestatem moralem in Regnum Cælorum ordinabilem spectantis: sed, quia ex ipso Fidei lumine profitemur vnam visibilem Ecclesiam, sub Christi Vicario coadunatam in aliquod publicum, & mysticum, & sub altiori ratione quasi Politicum Regnum, ipso Ecclesiæ nomine à Patribus Orthodoxis insignitum, oportet, in vi huius supernaturalis luminis agnoscere cunctarum potestatum etiam naturalium, seu physicarum, seu politicarum, qua moralis Regnum Cælorum ordinabilitatis capacium, coordinationem ad Regnum Cælorum, non priuatim solummodò à fidelibus particulariter participandum in Cælis, sed qua in terris ex hierarchico sanctę Ecclesiæ regimine consistens, cunctos complectitur fideles, ceu domesticos Dei, & ciues Sanctorum. De qua proinde morali etiam publica, & quasi politica in Regnum Cælorum ordinabilitate communicat etiam Regia potestas, non equidem secundùm suam præcisè naturam spectata, sed qua sublimata ex characteris Christiani eleuatione, in vi cuius Rex est constitutus vicariæ Christi auctoritatis instrumentum, ad publicum Ecclesiæ sanctæ Bonum, in suo præcipuè Regno, æternæque salutis in suis charactere Christiano ęquè insignitis subditis commodum, pro viribus promouendum. Quidni ergo Regia potestas ex charactere Christianitatis, participans de actiua in Regnum Cælorum in terris Ecclesiæ nomine insignitum subditorum coordinatiua auctoritate, in sua etiam persona, qua publica, & Regia, communicet de passiua in Regnum Cælorum ordinabilitate per eum dirigenda, cui Regni Cælorum claues sunt à Christo commissæ?

Hinc pro secundo dicere fas est, Regnum quoque Politicum charactere Christianitatis condecoratum, participare dę Regno Christi, quod asseritur [non esse de hoc mundo.] Hoc namque Christi in terris Regnum, obtinet notiam publici etiam regiminis, fidelium sub vno Pastore Oecumenico in vnitatem Fidei coadunatorum, sicque vnam Rempublicam Christianam constituentium, in salutem æternam ordinantis. Num verò huius ad Regnum Cælorum atque salutem æternam ordinis tum priuati, tum publici capacia negauetis Regiæ potestatis in Christiano Principe residentis exercitia, & actus Morales etiam publicos?

Quare pro tertio nefas est, duas supremas in terris gubernandi Ecclesiasticā, & politicā potestates ita statuere, ac si essent protsùs disparatæ, nullam habentes inter se subordinationem, eò quòd vtraque sit immediatè à Deo. Numquid enim lumen naturale cum suis homini naturaliter inditis moralibus principijs, est immediatè à Deo? Num verò proptereà si lumen naturale non tam in suis principijs, quàm in horum contra fidei supernaturalis dictamen applicatione deprehendatur aberrare, fidei lumini, eiusque directioni, immò & correctioni subiacere debet? Sic profectò, dum vbi homo est eleuatus ad statum supernaturalem, nulla iam dari potest iniquitas, seu falsitas cum fidei supernaturali lumine, eiusque moralibus principijs pugnans, quin ipsi etiam naturæ lumini, & cum hoc commensuratæ naturale æquitati repugnet, nefasne erit potestati Ecclesiasticæ, super iniquitate huiusmodi se reflectendo, quòd eam corrigat, & ad supernaturalis luminis moralia principia, atque horum dictamina, sua Diuinitus sibi concessa auctoritate reducat? Sic enim multimodè olim fuisse pra-

dicatum, constat varijs argumentis alibi deductis. Quantumuis ergo vtraque illa potestas habeat respectu Dei parem immediationem, quoad sui nihilominùs vsum, vel etiam ad certum, seu obiectum, seu subiectum applicationem, euincitur potestas politica in certis casibus indirectè subordinata, & subiecta potestati Ecclesiasticæ.

Quæ proinde subordinatio pro quarto continetur ipsissimet etiam verbis Apostolicis, ex parte aduersa ad suum intentum suprà allegatis, quibus cauetur 13. ad Roman. [capite, vt omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.] Quantumuis enim Angelici spiritus sint æquè immediatè à Deo, eum tamen inter se tenent ordinem, vt vnus sit altero sublimior; vnde fit consequens, quòd inferior in sui intellectus vsu subordinetur superioris illustrationi, ac moderationi; sic proinde vtriusque illius potestatis respectu Dei par immediatio non impedit, quò minùs potestas politica quoad sui vsum sit subordinata potestati Ecclesiasticæ. Quam subordinationem haud obscurè insinuauit Christus Dominus Matthæi 22. præcipiens, ita reddenda esse Cœsari, quę Cœsaris sunt, seruando eius imperia, & mandata politica, vt in his maior haberetur ratio eorum, quæ Dei sunt, potestatis scilicet Ecclesiasticæ, ad ea, quę Dei sunt, fidei lumini, eiusque moralibus principijs conformiter curanda, vnicè intentę, instiones pręferendo,

Verùm pro quinto, posito etiam, sed minimè concesso illo principio, quo politica potestas negatur subordinari potestati Ecclesiasticę, asseriturque, ad istam prorsus disparatè se habere; ne tunc quidem obtineretur aduersę partis intentio, ac si potestas Ecclesiastica non possit super potestatem politicam, cum manifesto sanctę Ecclesię, fideliumque detrimento, vel malè collocatam, vel peruersè impensam protendi.

Numquid enim, si Rex quispiam æquè supremus, Gallicę Coronę iura Regia inuadat, Rex Christianissimus iusto aduersùs ipsum indicto bello, victor euadens, non suæ Maiestatis dumtaxat iura vindicat, sed Regni sui aggressorem suis quoque Regijs erga vrbes æquo prælio occupatas, iuribus spoliandum decernit? Quidni ergo pro eo casu, quo Rex terrenus inuadit iura Maiestatis Pontificię, Ecclesięque sanctę bonum Publicum perturbat, & legitimè admonitus, contumaci nequitia pessumdare contendit, ius erit Summo Pontifici, auctoritatem suam eòusque protendere aduersùs talem Ecclesię sanctę hostem publicum, quòusque Christianissimus Galliæ Rex pretendit, supremę Maiestatis suę potestatem pręualere, ad suæ Coronæ Regiæ iurium aggressorem, æquè licèt supremum Principem, suis iuribus exuendum?

Pro sexto quispiam fortassis hoc argumentum retorquere nitetur, sciscitando, si ius naturæ cuique supremo Regi talem concedat iudicialiter, & militaliter procedendi auctoritatem contra quemcumque, supremum licèt Principem Coronæ suæ Regiæ inuasorem iniquum, an igitur Rex illa sua suprema auctoritate æquè vti possit aduersùs Summum Pontificem, iurium suorum Regiorum fortè perturbatorem? Verùm præterquam, successio in Papatu sit iuris diuini, aduersùs quod nulla humana potestas quidquam facere potest; successio autem in Corona Regiæ sit dependens ex constitutionibus humanis, quoad moralitatem, qua in Regnum Cœlorum, adeoque Ecclesiæ sanctæ publicum bonum ordinabilem, Pontificiæ auctoritati vniuersim, ac indefinitè subiectis: altera adhuc ex ipsissimo hoc principio responsio in promptu est: quod sicut lumen naturale cum tota moralitatis sibi proportionatæ sphęra est eleuatum ad statum supernaturalem, sic Regia suprema Maiestas quoad omnimodam lumini naturali commensuratę sphęram, sic in vi supernaturalis totam moralitatis naturalis lineam complectentis eleuationis, iam subordinata supremę Ecclesiasticæ potestati. Quemadmodum igitur cum hac ad statum supernaturalem vniuersę moralitatis naturalis eleuatione haud subsistit, quod lumen naturale possit sibi arrogare officium quasi Iudicis super fidei lumine supernaturali, sed potiùs oportet è contra, vt lumen naturale se captiuet in fidei obsequium: sic neque politica Regia Maiestas, naturalis luminis sphęra circumscripta, superextendere se vnquam potest super Ecclesiasticam potestatem, præcipuè supremam, altiori fidei lumini superstructam: nec adeò Rex, seu Imperator sibi arrogare vnquam potest, vel iudicium, vel bellum aduersùs Summum Pontificem, ex vicaria Christi auctoritate, supremaque adeò Ecclesiastica potestate procedentem, ad Regis, Pontificiæ Maiestatis hostis, depositionem.

Hinc principia illa ex lumine tum naturali, tum fidei supernaturali petita inter se combinando, pro septimo sequens efformari potest argumentum Theologicum. Nempè luminis naturalis certum, & indubitatum est morale principium, quod supremę Maiestati ius sit, se ipsam, & iura sua propria eòusque vindicare; vt sub præuio iniustæ aggressionis iudicio etiam publico, possit iniustum suę Maiestatis aggressorem, Regem æquè licèt supremum, armis suis subigere, cumque sic deuictum; ex parte saltem, vel si causę æquitas, seu necessitas exigat, ex toto deturbare Regno suo, exuereque Regia sua suprema auctoritate. At fidei lumine certum est hoc alterum principium, quod Vicaria in Ecclesia Christi potestas, saltem vnà cum Concilio Oecumenico (de quo infra ex instituto agetur, hoc puncto interea reseruato in suspenso) sit suprema quædam auctoritas à Christo Domino instituta, obtinens summæ intra Ecclesiam Maiestatis, iura nulli alteri in terris subiecta, & subordinata, sed soli Christi iudiciarię potestati subdita. Hisce igitur duobus prorsus certis, altero naturalis luminis, altero fidei principijs præsuppositis: quæ inde per legitimam consequentiam Theologicam inferenda erit conclusio, nisi quod Oecumenica suprema Ecclesię potestas, æquè ac Regia supremi Principis auctoritas possit quemcumque etiam Regem, sanctæ Ecclesiæ; eiusque supremę Maiestatis aggressorem, tum iudiciaria potestate, cum spiritualis armaturæ potentia sua persequi vsque ad ipsius exauctorationem.

Concludendo igitur ex ipsomet Christi Domi-

Domini pronunciato; & per Clerum Gallicanum ad intentum suum producto principio quod Ioann. 18. exaratum habetur, pro octauo ita liceat argumentari. Num Catholico Theologo digna vox esset, asseuerare, quod vlla ex humano arbitrio sit dependens moralitas, cui non superstruatur ordo ad salutem æternam, in tantum, vt quæuis deordinatio à luminis naturalis morali honestate, ex statu supernaturalis eleuationis, inseparabiliter importet deficientiam à supernaturali quoque moralitate, eiusque specificatiuo fine æternę salutis? Num Ecclesiæ porro regimen dicere fas est, consistere in præcisa priuatorum & cuiusuis Christiani propriorum actuum ad salutem æternam ordinatione, non verò obtinere normam publici quoque regiminis fidelium, sub vno capite, & Pastore Oecumenico in vnitate fidei coadunatorum, sicque vnam Rempublicam Christianam constituentium, moderantis, atque vniuersale sacræ religionis bonum sub publico etiam Dei cultu, auctoritatiuè ordinantis ad æternę salutis finem vltimum? Num verò ab hoc publico sanctæ Ecclesię regimine sub fidei vnitate omnimodam honestatem supernaturalem, cum æternę salutis fine vltimo, ac publico religionis cultu mysterioso proportionabilem conuenienter ordinante, ac dirigente, excludere fas est, qualecumque Principis secularis, maximè Christiani Regnum Politicum? Num autem huius ad æternam salutem ordinis tum priuati, tum publici, capacia negaueris Regię potestatis in Christiano Principe residentis exercitia, & actus morales etiam publicos? Quandoquidem ergo Regni Christi, nempè Ecclesiæ, sphęra sit quorumcumque Christianorum: moraliumque in his actuum, in salutem æternam, publicumque Dei cultum, communeque Ecclesię sanctę bonum ordinabilitas, sub hac autem sphęra contineantur etiam Regna, Regiæ potestates, nec non quicumque Christianorum, ipsorum adeò regum, actus morales, in salutem æternam, publicęque religionis bonum, ordinabiles, consequens est, secundùm hanc ordinabilitatem, Regno Christi, nempè sanctę Ecclesiæ, eiusque Oecumenicę potestati subesse quoque Regna, Regumque actus morales, circa temporalium etiam rerum dispositionem versantes, secundùm dictam ordinabilitatem spectatos; atque ad hanc, ceu specificatiuum Ecclesiasticæ potestatis obiectum formale, se habentes tamquam obiectum materiale.

Exinde denique pro nono hunc in modum reassumere licet partis aduersę primum ex Roman. 13. capite desumptum principium, quo iubetur, vt omnis anima potestatibus sublimioribus sit subdita, quippe cùm non sit potestas, nisi à Deo, quæ autem sunt à Deo ordinata sunt: itaque qui potestati resistit, Deo resistit. Ex præmissis nempè principijs euincitur, potestatem Pontificiam super omnes Christianos protensam, ita esse à Deo, vt eidem, totam moralitatis lineam complectenti, subordinata sit Christiani Regis politica quoque potestas quoad actum suorum etiam publicorum, Regiæque dignitatis ad hoc subiectum applicabilitatis moralitatem spectata. Si ergo Rex potestati Pontificię resistat, an non Dei ordinationi eatenus resistit, vt Deo resistere ex illo Apostolico pronunciato conuincatur? Quod si proinde Rex, quantumuis in linea politici regiminis supremus, attamen in linea Regni Christi subordinatus supremo Ecclesię sanctę Pastori Oecumenico moliatur aliquid aduersùs publicum Ecclesię bonum, ac regimen, siue Regię potestatis actibus non tantùm desciscendo à sphęra supernaturalitatis in sanctę Religionis etiam publicę, atque salutis æternę finem ordinabilis, sed istud Ecclesiæ sanctæ publicum bonum euertere conando, atque per schisma, seu peruersa aduersùs Oecumenicum sanctæ Ecclesiæ Pastorem, eiusque regimen conamina, turbando pacem, & tranquillitatem, vnitatemque fidei, ac religionis etiam publicę, an non ex tunc speciali etiam publici Ecclesiæ sanctæ boni proterue violati titulo, incipit esse subiectus Ecclesiasticæ potestatis iudicio, eiusque auctoritati iudiciariæ?

Ex quibus vniuersis iam patet, quos Clerus Gallicanus pro suo intento producebat sacros textus, iuxta certa fidei principia ritè expositos, prævalidè retorqueri ad Pontificiæ potestatis supra Reges extensionem, deinceps directè, & positiuè comprobandam ex sacræ Scripturæ Diuinis Oraculis.

CAPVT II.

In quo secundæ assertionis fit demonstratio.

HVius assertionis summa est, quod Regię potestatis ad certum Christianitatis charactere insignitum subiectum applicabilitas, vnà cum publicis eiusdem functionibus, superinduat quandam moralitatem, quæ supernaturalis eleuationis lineam respiciat, subordinatam adeò, ac subiectam clauibus Regni Cœlorum, Petro, eiusque successori per Christum commissis.

§. I.

CVius proinde assertionis probatio prima desumitur ex præinsinuato Matthæi 16. cap. vers. 18. & 19. Vbi Christus isthæc ad Petrum verba proferebat: [Ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt aduersùs eam. Et quodcumque solueris super terram, erit solutum, & in cœlis, & quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum, & in cœlis. Nam 1. ex his Christi Domini verbis euincitur, quòd isthæc clauium potestas non fuerit alligata ad Petri personam, sed connexa sit cum perpetuo sanctæ Ecclesiæ, à portis inferi numquam superandæ statu. Ex vi cuius proinde connexionis, potestas illa determinabatur propaganda per successionem. Quisquis ergo legitimè designatur Petri successor, ex ipsa Christi institutione, immediatè, adeòque ex iure diuino accipit indefinitam potestatem ligandi, & soluendi, quodcumque est super terram.

Sed

Sed quid ſub iſta voce quodcumque comprehenditur? Non vtique id, quod eſt phyſicum quidpiam, conſiſtens ſuper terram, ſed quod morale eſt in hominibus. Hoc namque apertè demonſtrat facer contextus, vi cuius illa ad quodcumque ſoluendum, ſeu ligandum ſuper terram protenſa poteſtas combinatur cum clauibus Regni cœlorum. Quidquid ergo humani operis, ac rei habet reſpectum ad Regnum cœlorum, continetur ſub illo tò quodcumque. Hæc verò humanorum actuum, ac functionum in Regnum cœlorum ordinabilitas, eſt ipſiſſima moralitatis ratio, in homine, Chriſtianitatis charactere præcipuè inſignito, obtinens ordinem ad Eccleſiam tum militantem, tum triumphantem: ex ordine namque ad hoc vtrumque Regnum cœlorum, ſunt definitæ claues, Petro, eiuſque ſucceſſori commiſſæ, cum poteſtate ſoluendi, & ligandi quodcumque ſuper terram. Quandoquidem igitur Chriſtus nihil de eo genere, quod ſuper terram morale eſt, aliquo ad Regnum cœlorum reſpectu veſtitum, ab illa poteſtate exceperit, num dicere fas eſt, [de tali Regnum cœlorum reſpicientium rerum genere, non eſſe Reges, ſeu poteſtatem Regiam, non tam in ſe formaliter ſpectatam, quoad præciſam naturam ſuam, quomodò ſe habuiſſet in ſtatu etiam puræ naturæ, ſed quà applicatam ſubiecto inſignito Chriſtianitatis charactere, vnà cum Regis huiuſmodi vniuerſis moralibus actibus, ipſoque adeò Regiæ poteſtatis exercitio?

Quis namque pro ſecundo auſit Chriſtiano Regi eam inurere ignominiam, ac ſi ex charactere Chriſtianitatis, quo in ſacro Baptiſmate eſt inſignitus, non æquè, ac cæteri homines Chriſtiani, haberet ſignum diuinitus impreſſum, coordinatiuum animæ ad regnum cœlorum, ſubiectæ adeò clauibus Apoſtolicis, Petro, eiuſque ſucceſſori commiſſis? Harum verò clauium ſphæra à Chriſto Domino deſcribitur ex indefinita ligandi, & ſoluendi poteſtate, ſupra omne morale protenſa, quod ita eſt ſuper terram, vt tamen reſpectum habeat ad regnum cœlorum. Numquid autem, ſi actus quicumque moralis in Rege, publici quoque regiminis, deſiciat ab honeſtate morali etiam naturali, eo ipſo, quòd homo ſit eleuatus ad ſtatum ſupernaturalem, & dum Chriſtianus eſt, talis ſuæ eleuationis ſignum præferat ex charactere per ſacroſanctum Baptiſma ſibi inditum, prorsùs hinc redditur conſequens, talis actus à naturali honeſtate deficientis moralitatem, contrahere reatum peccati, cum fine quoque ſupernaturali cœleſtis beatitudinis pugnantem? Quomodò igitur fas foret, actus morales Regiæ poteſtatis, vt ſic regimen Politicum reſpicientes, excipere à moralitate, ex Chriſti inſtitutione, ſanctæ Eccleſiæ clauibus ſubiecta.

Sed numquid pro tertio excipere licebit, peccati reatum ex Regiæ poteſtatis peruerſo vſu reſultantem, reſpicere dumtaxat conſcientiæ forum, ſubiacereque Sacramentali ſolummodò abſolutioni? At Chriſtus illis verbis ſuis commiſit Petro, eiuſque ſucceſſori Oecumenicam ſoluendi, & ligandi poteſtatem, quæ complectitur Fori quoque externi iudicium, protenditurque ad quodcumque hominis Chriſtiani morale, ſub præinſinuato ad regnum cœlorum ordine conſiſtens, vinculum. Nefas igitur foret, negare, poteſtatis Regiæ homini ad ſtatum ſupernaturalem eleuato, & charactere Chriſtianitatis inſignito inexiſtentis, qualiacumque exercitia ſubeſſe Oecumenicæ, Summi Pontificis Petro ſuccedentis auctoritati, Forum quoque externum reſpicienti: ſiue huiuſmodi Regiæ poteſtatis actus proprij ſe habeant per modum legis, ſiue per modum ſententiæ iudiciariæ, reſpiciantque non priuatum dumtaxat, ſubditorum, ſed etiam publicum Politici Regiminis bonum, cùm ſic etiam obtineant talem ſuper terra moralitatem, quæ ipſum regnum cœlorum reſpicere debeat.

An verò pro quarto claues regni cœlorum cum indefinita ſua ad omne morale, quod eſt ſuper terram, protenſa ligandi, & ſoluendi auctoritate, Petro, eiuſque ſucceſſori per Chriſtum commiſſas fas eſt, ita coarctare, quaſi inſtar œconomicæ poteſtatis priuatum, dumtaxat ſalutis æternæ commodum in ſibi ſubiectis ouibus, ſolùm ſigillatim, ac diuiſim ſpectatis, attendere debeant? Verùm eo ipſo, quòd claues illæ, ſecundùm Chriſti Domini ſacrorum verborum contextum, habeant reſpectum ad Eccleſiam, quæ eſt regnum quoddam ex cunctis Chriſti fidelibus coadunatum, oportet, illam indefinitam ligandi, & ſoluendi poteſtatem, protendi etiam ſuper publico Eccleſiæ, fideliumque in vnum Chriſti corpus Myſticum coadunatorum bono, qua in regnum cœlorum, tum æternæ fidelium ſalutis, tum diuini honoris etiam publici finem, reſpiciens ordinabili. Hæc autem publici intrà Eccleſiam regiminis ratio conſiſtere haud poteſt, abſque Oecumenica auctoritate condendi leges publico Eccleſiæ bono conuenientes, & abſque iudiciariæ poteſtatis in Foro etiam externo exercendæ vſu, vbi Eccleſiæ ſanctæ neceſſitas tale quid exigit. Cui proindè publico Eccleſiæ regimini ſubeſſe debet, quidquid in Regibus charactere Chriſtianitatis inſignitis, eſt moralitatis, in regnum cœlorum ordinabilis, Quia igitur ipſius etiam Regiæ poteſtatis ad certum ſubiectum applicabilitas, atque auctoritatis eiuſmodi in tali ſubiecto conſiſtentia cum omnimodis, publicis etiam iudiciarijs actibus, vtique morale quid eſt, in regnum cœlorum ordinabile, quomodò à clauibus, publicum ſanctæ Eccleſiæ regimen importantibus, & ad quodcumque ſuper terram morale, qua in regnum cœlorum ſcilicet ordinabile, protenſis, excludere liceret Regiam poteſtatem, non tam in ſe formaliter, ſecundùm quod eſt Iuris diuini, quàm ſubiectiuè ſpectatam, quoad ſui ad certum ſubiectum applicabilitatem, ex morali hominum diſpoſitione pendentem, nec non quoad publicos, ſeu Iudiciariæ, ſeu Legiſlatiuæ poteſtatis actus, qua moralitatis etiam ſupernaturalis, in cœlorum tam militans, quàm triumphans regnum ordinabilis participes?

Ex hac proinde ſuper quodcumque in terris morale protenſa auctoritate Pontificia, pro quinto profluxit, quòd Gregorius II. ob publicas Eccleſiæ neceſſitates, Caroli Martelli Francorum Regis ſubſidium implorans, eidem detulerit Romanum Conſulatum: quòd

idem

idem Papa Leoni Isaurico in Catholicos sæuienti tributum à Romanis pendi solitum abrogarit: quòd Zacharias Papa Regnum Franciæ Childerico inter otia, & voluptates marcenti ademptum, transtulerit in Pipinum, vt scilicet subsidium ferret Ecclesiæ, aduersùs iteratas Longobardorum molestationes, Copronymo Imperatore nullum aliud bellum, quàm cum sanctis Imaginibus gerente; quòd Stephanus Papa III. Ius Regiæ Coronæ ad Pipini quoque successores prorogarit, faciens, vt Franciæ Proceres iuramento se obstrinxerint, numquam ex alia, quàm Pipini stirpe, Reges à se admissum iri: quòd denique Leo III. Occidentis Imperium à Græcis ademptum, Ecclesiæ sanctæ publicis necessitatibus ita exigentibus, transtulerit in Carolum Pipini filium, eiusque stirpem masculinam.

Horum vniuersorum pro quinto ratio accersiri potest ab extrauagante vnica. [Si fratrum. Ne sede vacante, quòd nempe Romano Pontifici in persona Petri, terreni simul, & cœlestis Imperij iura Deus ipse commiserit.] Sed quomodò, inquies, terreni Imperij iura dici possunt à Deo fuisse Papę commissa? Non alia vtique ex ratione, quàm prout terrenum Imperium inter Christianos superuestitur ordinabilitate in regnum cœlorum tam militans, quàm triumphans, atque sub hac formalitate moralitatis etiam supernaturalis, subordinatur auctoritati diuinitus constitutæ ad quodcumque super terram morale soluendum, seu ligandum, in regnum scilicet cœlorum, atque adeò ad publicum quoque Ecclesiæ sanctæ regimen, ordinabile. Ab hoc namque ordine diuinitus constituto excludere terrenum inter Christianos regnum, perinde foret, atque hoc redigere ad statum, seu puræ naturæ, seu Ethnicismi, qui, vti destitutus erat lumine supernaturali, sic eidem haud lucebat ille in Ecclesia Christi diuinitus constitutus ordo ad regnum cęlorum, cui omne super terram morale, adeoque ipsum etiam regnum terrenum, qua moralitate eiusmodi inter Christianos superuestitum, subordinari debet.

§. II.

In quo prætactæ assertionis secundæ fit confirmatio ex Deuter. 17. capite vers. 8.

EX hoc namque sacro textu constat, si difficile, & ambiguum inter lepram, & lepram, inter causam, & causam, inter sanguinem, & sanguinem perspiceretur iudicium, oportuisse, vt iudiciaria potestas secularis ad summi sacerdotij iudicium deferretur, requirendo inde iudicij veritatem. Quæ potestatis secularis ad sacerdotij Veteris auctoritatem subordinatio, tanta erat, vt omninò fuerit faciendum, quodcumque ex illius iudicio fuerat sancitum, Deo statuente mortis pœnam aduersùs illum, qui nollet obedire sacerdotis imperio, iudicisque decreto. Quæ proinde secularis iudiciariæ potestatis ad sacerdotium subordinatio complectebatur causas tam Ciuiles, quàm Criminales, vbi de iudicij ex diuina lege definiendi veritate, in Politico Tribunali ambigebatur. Quidni ergo noui quoque fœderis summus Pontificatus, cui commissæ sunt claues regni cœlorum, ad quodcumque super terram morale, qua in regnum cœlorum ordinabile, per Christi Domini verba protensæ, dicendus sit habere sibi subordinatum quodcumque inter Christianos politicum regimen, & iudicium, qua moralitate huiusmodi superuestitum, nisi regnum eiusmodi politicum excludere malis ab ordine regnum cœlorum respiciente?

Si pro secundo quispiam contendat, id discriminis esse inter nouum, & antiquum Testamentum, quòd in hoc leges iudiciales fuerint diuinæ, quarum adeò interpretatio meritò petenda erat à sacerdotali auctoritate; at in nouo Testamento leges Fori Ciuilis sint iuris humani, ab ipsis Regibus, & Imperatoribus latæ, vt secundùm eorum normam peragеretur iudicium. Qui ergo dicere fas sit, super eas extendi supremam Christiani sacerdotij auctoritatem?

Verùm hac noui, & antiqui fœderis discrepantia sponte admissa, considerandum adhuc superest ex præadducto sacro textu, quòd sacerdotale iudicium in veteri Testamento, directè ferebatur super legis iudiciariæ diuinitus constitutæ interpretatione, vt tamen indirectè per modum obiecti materialis attingeret ipsas quoque Ciuiles causas, prauiæ de legitimo legis sensu, sacerdotalis sententiæ conformiter dijudicandas: eodem sacro textu dilucidè sanciente: Si difficile, & ambiguum apud secularis Fori iudices perspectum fuerit iudicium inter sanguinem, & sanguinem, causam & causam verè Ciuilem, (vtpotè super qua intra laicæ potestatis portas, seu tribunalia existebat iudicium variatio) eatenus debuisse iudicij veritatem indagari ex iudicio sacerdotis, vt in eiusmodi specifica causa oportuerit, iudices laicos, sequi sententiam sacerdotum.

Etsi verò leges, secundùm quas intrà statum noui Fœderis fit iudicij Ciuilis, ac Criminalis in foro seculari moderatio, non iam sint specificè diuinæ, sed ab ipsismet Regibus, seu Imperatoribus, pro suo Regno, seu Imperio latæ fuerint, attamen cuiuscumque legis ratio exigi ad essentialem sui valorem, ne sit difformis sed positiuè conformis iuri Diuino, vel naturali, vel positiuo. Hæc autem cum iure Diuino etiam naturali conformitas, ex statu supernaturalis hominum eleuationis subsistere nequit, si qualemcumque habeat cum lege Diuina sacris Litteris nobis patefacta dissonantiam. Sub quâ proindè cuiuscumque cum honestate sacris Literis sancita, difformitatis formalitate, ad Ecclesiasticæ potestatis sphæram spectante? lex à Rege, vel Imperatore lata, per modum obiecti materialis indirectè saltem subijcitur sanctæ Ecclesiæ iudicio, & auctoritati, siquidem huius sphæra, secundùm dilucida Christi verba complectatur Quodcumque in terris Morale qua in regnum cælorum ordinabile, sine qua superuestitum moralitate, seo conformitatis, seu difformitatis cum regno cælorum.

Huc pro tertio reduci potest praxis, intrà

trà Eccleſiam quoad leges Imperatorias reformandas, multimodè frequentata. Leges namque Imperatoriæ olim firmabant validam etiam mala fide peractam præſcriptionem. Quod vbi Summi Pontifices agnoſcebant, non cum [naturali dumtaxat honeſtate, [ſed eum ſupernaturalis quoque Moralitatis rectitudine pugnare, ex auctoritate Chriſti vicaria improbabant tamquam iniquum. Et quia nulla eſt excogitabilis iniquitas iuri naturali repugnans, quin ſupernaturalis quoque honeſtatis rectitudini aduerſetur, ideo malæ fidei præſcriptio, non poterat damnari, quæ æquitati ſupernaturalis moralitatis contraria quin abolenda decerneretur ſub moralitate quà præciſo etiam lumini naturali aduerſante. An non igitur ſub hoc ſupernaturalis moralitatis reſpectu in lege Ciuili Præſcriptionis reformanda, iudicij veritas ita procedere debebat ex Sacerdotij auctoritate, vt hæc Quodcumque in terris Morale, quà ad regnum cælorum ordinabile ambiens, ſoluere voluerit iniquitatem Iuris, à Politica auctoritate contra æquitatem tam naturalem, quàm ſupernaturalem perperam conſtituti.

Sic pro quarto Iura Ciuilia olim decreuerunt, iuſiurandum ex metu initum, eſſe inualidum, ſacri autem Canones è contrario vinculum Religionis inde oboreum ſanxerunt validum, ſed auctoritate Eccleſiæ reſcindendum. An igitur dicere fas eſt, [non attenta einſmodi Canonica ſanctione, poſſe intra lineam moralitatis naturalis defendi illius iuriſiurandi inualiditatem, vtpotè ſtabilitatem ab Imperatoria ſuprema politica auctoritate.] Hoc ſi quiſpiam tueri vellet, profectò fateri deberet, dari honeſtatem quampiam naturalis ordinis, quæ ſupernaturali moralitati eſſet contraria, quod tam impoſſibile eſt, quàm indubitanter verum eſt, verum naturalis ordinis pugnare haud poſſe cum vero ſupernaturalis ordinis, neque tamen veritas ſupernaturalis ex naturalis ordinis veritate, ſed hæc è contra ex illa eſt diiudicanda.

Quintò. Hoc proinde argumentandi genus (quo verſus decimus octauus ex Matthæi 16. capite in præcedenti 5. noſtro adductus, confertur cum præſenti verſu octauo prællegati 17. capitis Deuteronomij) etiam complexus eſt Innocentius III. in cap Per. venerabilem. Qui filij ſint legitimi. Vbi Pontifex iſte dans rationem [quo iure & auctoritate etiam quoad temporalitatem diſpenſarit in illegitimitate filij Regis Franciæ hunc in modum argumentatur. [Rationibus inducti, Regi gratiam fecimus [requiſiti, cauſam tam ex Veteri, quàm Nouo Teſtamento trahentes, quòd non ſolùm in Eccleſiæ patrimonio, verùm etiam in alijs regionibus, certis cauſis inſpectis, temporalem iuriſdictionem caſualiter exercemus, non quòd alieno iuri præiudicare velimus, ſed quia, ſicut in Deuteronomio continetur.] Si difficile & ambiguum apud te iudicium eſſe perſpexeris inter ſanguinem, & ſanguinem cauſam & cauſam, lepram & lepram &c. venies ad ſacerdotes Leuitici generis &c. & facies, quæcumque dixerint, qui præſunt loco, quem elegerit Dominus, ſequeriſque eorum ſententiam &c.

Sanè cùm Deuteronomium Lex ſecunda interpretetur, ex vi vocabuli comprobatur, vt, quod ibi decernitur debere in Nouo Teſtamento ſeruari, locus enim, quem elegit Dominus, Apoſtolica Sedes eſſe cognoſcitur &c. Is verò ſuper ſacerdotalis Officij coadiutores, iudex exiſtit, cui Dominus inquit in Petro. Quodcumque ligaueris ſuper terram erit ligatum & in cælis &c. [Eius vicarius, qui eſt, ſacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech, iudex viuorum & mortuorum. Tria quippe diſtinguit iudicia] primum inter ſanguinem & ſanguinem, per quod Criminale intelligitur & Ciuile. Vltimum inter lepram, & lepram per quod Eccleſiaſticum denotatur & Criminale Medium inter cauſam & cauſam, quod ad vtrumque refertur, tam Eccleſiaſticum, quàm Ciuile, in quibus, cùm aliquid fuerit difficile, & ambiguum, ad iudicium eſt Sedis Apoſtolicæ recurrendum, cuius ſententiam, qui ſuperbiens contempſerit obſeruare, mori præcipitur, id eſt, per excommunicationis ſententiam velut mortuus à communione fidelium ſeparari.] Quæ igitur in [Antiquo Fœdere ſacerdotij ſummi prærogatiua Deuteron. 17. v. 8. ſancita, ad iudicij veritatem in cauſis ambiguis tam Criminalibus, quàm Ciuilibus pro foro etiam ſæculari decernendam, par, imò maior in Nouo Fœdere eſt Summi Pontificatus, ſeu vicariatus, ipſummet Chriſtum repræſentantis, præeminentia? vi illius Canonis definita, ad hoc, vt dum dubitatio ſeu quæſtio oritur de moralitate in regnum cælorum ordinabili, vi conſtitutionis per Chriſtum Matthæi 16. capite latæ, iudicij, ſeu legis veritas pro cauſis, ſeu Ciuilibus, ſeu Criminalibus in Foro quoque Politico determinandis, referenda ſit ad Chriſti vicariatum, ſeu Summum Pontificatum.

Pro ſexto igitur concludere tandem liceat per hanc ſequentem argumentationem. Quemadmodùm ſcilicet Deut. 21. cap. 5. Deus imperauit, vt ad verbum ſacerdotum omne negotium, & quidquid mundum, vel immundum eſt, finiatur. Sic quid moralitatis honeſtatis ſupernaturalis vel difforme, adeoque immundum, vel conforme, ac proinde mundum ſit in omni etiam ſæculari negotio, quæſtionis huiuſmodi definitio ſpectat ad Romani Pontificis auctoritatem, ſuper quocumque in regnum cælorum in terris ordinabili à Chriſto protenſam. Quare Sacerdotij Regalis, [ſeu vicariatus Chriſti iudicium ſuper Regijs quoque & Imperatorijs, lineæ ſupernaturalis moralitate neceſſariò ſupernectiendis legibus, & conſequenter ſuper Ciuilibus ex harum norma decidendis cauſis quibuſcumque, ſuperextenditur, non quidem directè, ac per ſe, ſed indirectè & materialiter quatenus ſcilicet Summi Oecumenici Paſtoris officium requirit, prouidere, ne quid à iure Diuino ſeu naturali, ſeu poſitiuo diſtortum irrepat, ſiquidem deuiatio à naturali æquitate, ſubſiſtere nequeat, quin habeat repugnantiam cum fine ſanctis æternæ, honeſtateque etiam ſupernaturali ipſiuſque Religionis ſanctæ decore. Sub qua adeo repugnantiæ formalitate, ſi quando in legibus Ciuilibus interueniat, iſtæ cen obiectum materiale, neceſſariò ſubeſſe debent indicio Ponti-

tifi-

tificiæ auctoritatis, ad Quodcumque in terris Morale, ceu ordinabile in regnum cælorum protensæ.

§. III.

In quo præfatæ assertionis secundæ Probatio fit ex Christi Domini verbis Ioannis ultimo prolatis ad Petrum, Pasce oues meas, Pasce agnos.

NAm primò, quam Christus Dominus cit. Matth. 16. cap. clauium potestatem promiserat Petro, intra Ecclesiam ad finem mundi vsque duraturam, successionis ordine eam post gloriosam resurrectionem sub præadductis verbis actualiter contulit eidem Apostolorum Principi. Hæc namque pascendi potestas ita habet respectum ad singulos Christi fideles, verbo Dei, & correctione salutifera pascendos, vt simul habeat ordinem ad publicum Ecclesiæ regimen, Ecclesiamque sanctam, ceu mysticum Christi Corpus, ac Regnum, publica adeò auctoritate pascendum, sicque gubernandum ad communem sacræ Religionis vtilitatem. Cui proinde publici quoque regiminis, seu Christiani regni ordini subduntur, quotquot sunt Christi oues, seu agni: Quis ergo Reges Christianos ab hoc Christi ouium ordine, ac regimine etiam publico, exclusos velit, dum tamen Christus nullam suarum ouium, charactere nempe Christianitatis in Baptismate insignitarum, ab illo Pastorali munere, publici Ecclesiæ sanctæ regiminis normam præferente exclusam voluerit.

Neque pro secundo tricas mouere, fas est ex verbo Pascendi, quasi hæc vox mitior videretur, quàm vt regiminis publici coercitiuam etiam potestatem denotaret. Etenim Psalmi vigesimi secundi versus primus, qui in Vulgata ita legitur, Dominus regit me, in alia versione hisce constat verbis Dominus pascit me, claro adeò argumento, verbum pascendi esse aptum, significare publici quoque regiminis auctoritatem. Hanc verò significationem habere locum in illis Christi ad Petrum prolatis verbis, euincitur ex hoc quod sub illis collata fuerit ipsissima illa auctoritas, quæ Matthæi 16. fuerat à Christo promissa Petro sub clauibus regni cælorum, cum indefinita potestate ligandi ac soluendi quodcumque in terria morale. At huiusmodi solemnis soluendi, & ligandi auctoritas, obtinens ordinem ad regnum cælorum militantis etiam Ecclesiæ, Hierarchicam publici quoque regiminis normam, vti sacra Fides docet, præferentis, non potest non esse iurisdictionis, cuius sphæra complectatur vniuersam moralitatis lineam indefinitè, absque vlla proinde exceptione spectatam, atque adeò quidquid in Regiæ potestatis, vel ad certum subiectum applicabilitate, vel publici regiminis est moralitatis, sinu suo ambientem.

Neque pro tertio iuuat, quod sub Concilio Tridentino aliqui Galli obijciebant, verba illa, Pasce oues meas, complecti singulas dumtaxat Christi oues, diuisim, non verò collectim spectatas, qua constituentes vnam Christi Ecclesiam. Hoc namque obijciebatur, ne inde probari possit Papæ super Concilio vniuersam Ecclesiam repræsentante, sicque oues Christi collectim in Episcopis complectente superioritas; de quo puncto agemus sequenti articulo. Intereà sermo hic est de Regibus sigillatim spectatis, qui si oues Christi audire velint, vtique comprehenduntur etiam sub illis verbis, Petro, eiusque successoribus disertè concedentibus potestatem pascendi, siue regendi vniuersas Christi oues, ex auctoritate protensa super quocumque in terris morali, in Ecclesiæ tam militantis, quàm triumphantis cœlorum regnum ordinabili, à quo moralitatis ordine turpe esset, Christianorum Regum quamcumque, publici quoque Regiminis functionem, ipsiusque etiam Regiæ ad hoc subiectum applicabilitatem excipere.

Quod si igitur pro quarto Rex Christianus non in sua dumtaxat persona extra sacrosancti regiminis Ecclesiastici, ceu vniuersalis Christi ouium pascui, limites aberret, sed alios insuper Christi fideles ab hoc Christi ouium grege abducat, imò ipsam Christi Ecclesiam quoad publicum sacræ Religioni propagandæ, atque conseruandæ conforme diuinitus constitutum regimen infestet, eius iura inuertat, vnitatem Fidei conturbare nitatur, seu eius perturbatores tueatur, atque defendat, sanctamque Religionis publicæ pacem euertere moliatur, quomodò talis Rex, Christianitatis charactere insignitus, quoad omne id, quod in se super terram morale est, respiciens Regnum cœlorum, eiusque claues, non subiacebit, haud priuatæ dumtaxat correctioni, sed publicæ etiam Oecumenici supremi Pastoris correptioni?

Id pro quinto confirmatur ex Bonifacij VIII. Constitutione extrauagante. Vnam sanctam. De maioritate & obedientia. Cuius summa in hanc argumentationem reduci potest. Quando Christus Petro, eiusque successosi dixit? Pasce oues meas; intelliguntur eidem commissæ vniuersæ Christi oues, estque adeò de necessitate salutis credere, quòd Romano Pontifici, ceu Petri successori, subsit omnis humana creatura in Ecclesiæ vnitatem congregata sub vno Capite Christo, eiusque Vicario. Sub ea autem Pastoralis muneris potestate continentur duo gladij, spiritualis videlicet, ac temporalis auctoritas: Christo Domino, vbi Apostoli dixerant: Ecce duo gladij hic (id est in Ecclesia) respondente: Satis esse. Inter quos adeò binos gladios temporalibus potestas fuit à Christo designata Allegoricè, quando dixit ad Petrum: Conuerte gladium tuum in vaginam. Ex hoc namque euincitur non spiritualem dumtaxat, sed etiam temporalem gladio illo Petri designatam potestatem, subesse auctoritati Ecclesiæ, sub ea quidem differentia, vt ille potestatis spiritualis gladius manu sacerdotis, hic verò temporalis potestatis gladius manu Regum, sed ad nutum, & patientiam sacerdotis sit exerendus.

Pro sexto firmatur idipsum præfatæ Extrauagantis argumento in hanc formam

redacto. Etenim gladium esse sub gladio, & temporalem auctoritatem quoad sui exercitium, subijci spirituali potestati, euincitur etiam ex illa Apostoli sententia, qua dicitur [non esse potestas, nisi à Deo, quæ autem à Deo sunt, ordinata esse] In vi cuius proinde ordinationis Diuinæ, oportet, vt eatenus gladius sit sub gladio, quatenus potestas temporalis, vtpote inferior per spiritualem, ceu superiorem potestatem reduci debet in supremam: sicque adeo potestas terrena, si deuiet, iudicanda est à potestate spirituali.

Pro septimo igitur ex dicta Extrauagante in hunc modum concludere tandem licet. Quandoquidem inter vniuersas Christi oues Romano Pontifici, ceu Petri successori commissas reputentur etiam Reges Christi charactere insigniti, sub potestate autem pastorali per Christum suo Vicario Petri successori concessa, contineantur duo gladij, auctoritas spiritualis, & temporalis, tamen cum subordinatione, vt potestas terrena tanquam inferior, per spiritualem, ceu superiorem, reducenda sit in suprema. Idcircò manifestum iam extat ex sacræ Scripturæ textibus, in præfacta Extrauagante deductis, Reges cum suæ potestatis gladio, quoad huius exercitium, subesse Romani Pontificis spirituali auctoritati.

Nec obstat pro octauo, quòd in Clementina Meruit. De Priuilegijs. caueatur [per illam Bonifacij VIII. Extrauagantem, nullum generari præiudicium Galliarum Regi, ac Regno, seu Regnicolis Galliarum, itaut in vi huius Bonifacianæ Extrauagantis ampliùs subijciantur Ecclesiæ Romanæ, quàm antea existebant, sed in eodem intelligantur esse statu, quo erant ante præfatam definitionem]

Nam totum hoc concedendo, ita licet argumentari. Nempe dici nullatenus potest, quod præiudicium aliquod sit à Bonifacio VIII. illatum, dum Rex Franciæ cum vniuersis Regnicolis suis computatur inter oues Christi. At potestas pastoralis super vniuersas Christi oues protensa, ex Christi instituto, continet duos gladios, potestatis scilicet spiritualis, & temporalis, ita vt hæc sit quidem in manu Regum, ad nutum tamen, & patientiam sacerdotis exerenda. Nequit vero, quod ex Christi instituto est sancitum, non esse antiquius illa Bonifaciana constitutione. Nihil ergo istorum à Clemente V. in Clementina Meruit est correctum: quippe cùm ista præcisè statuat, quòd per Bonifacij VIII. Extrauagantem vnam sanctam. Nullum Regi Regno, & Regnicolis Franciæ debeat generari præiudicium [ita vt isti ampliùs exinde fiant subiecti Romanæ Ecclesiæ, quàm anteà existebant, sed intelligantur in eodem esse statu, quo erant ante definitionem præfatam]

Quo sic constituto pro nono licet taliter argumentari. Nempe illa definitio Bonifacij VIII. in eo se tenebat, quòd ex ipso iure Diuino sanxerit subordinationem gladij temporalis erga gladium potestatis spiritualis, itaut, si illa deuiet à recta ratione, sit iudicanda à potestate spirituali. At istud spirituale iudicium Oecumenici Ecclesiæ Pastoris potestatis concessum, subsistit ex vi clauium Ecclesiæ, Petro, eiusque, successori commissarum in tantum, vt [quodcumque ligauerit, vel soluerit super terram, sit vel ligatum, vel solutum in cælo. Eo ipso autem, quòd regiæ potestatis exercitium ita sit super terram, vt in Christiano rege dicat ordinem ad regnum cęlorũ, oportet, vt sub respectu suæ ad æternam salutem, seu sacræ Religionis vtilitatem publicam ordinabilitatis, sit inter illa Quæcunque, quę super terram continentur sub Oecumenica clauium potestate seu soluendi, seu ligandi. Quoad hanc igitur potestatis regiæ erga auctoritatem Oecumenicam Summi Pontificis, subordinationem, illa Bonifacij VIII. Extrauagans nullum præiudicium generauit regi, regno, & Regnicolis Franciæ, sed hos relinquens in statu, in quo vi Iuris Diuini ante eam definitionem fuerant; non potest quoad debitam illam respectu Romanæ Ecclesię subordinationem, ac subiectionem per dictam Clementinam Meruit esse correcta,

Hinc pro decimo istam Regum Christianorum erga Romanos Pontifices subiectionem isto adhuc seculo nempe Anno 1615. aduersùs Oratores Ordinis Popularis in Comitijs generalibus Franciæ, strenuè asseruerunt Cleri, & Nobilitatis Ordines, Cardinale Perronio horum nomine firmante eandem subordinationem, quàm plurimis exemplis; prout videre licet apud Gabrielem Bartholomæum Gramondum sacri regij Consistorij Senatorem, & Parlamenti Tolosani Præsidem sub actis dicti anni 1615.

Si ergo inducitur ibidem ex Cleri, & Nobilitatis Franciæ mandato disseruisse præfatus Cardinalis [Constat, exemplis plena esse historiarum volumina, quibus confirmatur Summæ Sedis in Regis potestas à fide degeneres. Ita Euphemium Patriarcham Constantinopolitanum Anastasio Imperatori negasse obsequium, & fidem, donec Concilio Chalcedonensi subscripsisset. Ita eidem Imperatori in Eutychis hæresim relapso, restitisse acriter Symmachum summũ Pontificem Ita Clotarium Regem Gallorum, scelus immane in Ecclesia Dei. nece Inetoti patratum, post mundatum sanguine innocenti altare, luisse pœnas arbitrio Summi Pontificis condignas culpæ. Ita Iustinianum secundum, ita Philippicum Imperatores à Sergio, & Constantino Summis Pontificibus mulctatos. Ita Leonem Isauricum Imperio deiectum Gregorij II. decreto, quia Iconoclastarum hæresi infectus, dogma propugnabat exemplo, & vi. Ita Carolum Magnum euectum ad Imperium Occidentis ope Romæ Sedis. Ita Childericum Regno deiectum: ita substitutum homini per otium eneruі, fastigioque Regiæ dignitatis impari Pipinum, assensu Sedis Apostolicæ quam Gallis consultam, tradunt historiarum monimenta. Ita Fulconem Archiepiscopum Rhemensem intentasse Carolo Simplici minas, velut clienti suo. Ita Philippum primum Gallorum Regem, semotum ab Ecclesia Dei, adulterij manifestum palam commissi post repudiatam sine causa vxorem, euectamque in solium pellicem, qua vtebatur vt sua, marito superstite; ita Gregorium septimum sacris interdixisse Henrico IV. Imperatori, subditosque soluisse obsequij nexu. Ita excommunicatos Philippum Augustum Gallorum: Ioannem Anglorum Reges. Ita Othonem Impera-

to-

totem: ita Raymundum Cômitem Tolosanum, quorum hic per socordiam in Albigensium hæresim lapsus, succubuit Pontificiæ potestati, in augmentum Gallici Regni, cui Comitatus Tolosanus adinnctus est dono Prouincialium. Ita fidei sacramento solutos olim ab Innocentio IV. Friderici Imperatoris subditos, debitum Lugdunensi tunc Concilio fulmen. Ita deiectum Petrum Aragoniæ Regem, Martino Pontifice procurante, ob infautiam horrendæ lanienæ, cui à vesperis Scilianis nomen. Ita ab Vrbano V. contra Petrum Crudelem (id illi nominis à sæuitia datum) Castellæ Regem, iudicatam, promulgatamque excommunicationem, quia hæreticus, Ecclesiæque Orthodoxæ, hostis erat.]

Ex isthac proinde Perronij, seu Cleri potiùs, & Nobilitatis Franciæ peroratione fas est pro vndecimo ita concludere. Cùm manifestum iam liqueat, Primatu, de qua hic agitur moderni Gallicani propositionem à tertio Populari Ordine in Generalibus huius sæculi anno scilicet 1615. celebratis Comitijs assertam constanter reiectam ac refutatam fuisse eam à Cleri, quàm Nobilitatis Ordinibus mirum profectò est, Galliæ Episcopos in suo Parisiensi sub annum 1682. habito Conuentu à pristino Gallicano Clero desciuisse in apertam Status Ecclesiastici perniciem, dum, si quæ deinceps Ecclesijs intentarentur præiudicia, nulla iam auctoritas Regem, eiusue ministros in Iura Ecclesiastica inuolantes, cohibere posset.

§. IV.

In quo Ecclesiasticæ supra Reges auctoritatis fit probatio ex 2. Paralip. 26. capite.

HOc in loco legitur Ozias [sanctuarium ingressus, adoleuisse incensum super altare thymiamatis, Azaria summo Pontifice, & sacerdotibus octogint a resistentibus, eumque lepra percussum festinatò expellentibus, exindeque loco ipsius, à regimine deiecti, populum gubernante Ioathan ipsius filio, qui successit in regnum] Hunc igitur sacrum locum eum Deuteronomij sacris testibus supra §. 2. expressis conferendo, in hunc modū licet argumentari. Quia nempe Veteris Testamenti sacerdotibus potestas erat, per Verbi Diuini interpretationem formandi, ac ferendi sententiam super veritate iudicij, causam etiam Ciuilem, imò & Criminalem concernentis. Ex præallegatis Deuteronomij sacris textibus à fortiori dicendū est, id sacerdotium habuisse talem auctoritatem super causis spiritualibus Veteris Testamenti Veteris Testamenti, qualis erat Oziæ arrogata præsumptio [vt templum Domini ingressus: adoleret incensum super altare Thymiamatis] Super hac igitur Diuini ordinis transgressione, non ex priuato dumtaxat, sed sacerdotalis auctoritatis publico iudicio, Aasarias sacerdos, vnà cum reliquis 80. sacerdotibus, ferebat sententiam, positiuè resistendo sicque [auctoritatiuè dicendo: Non est tui officij Ozia, vt adoleas incensum, sed sacerdotum, qui consecrati sunt ad huiusmodi ministerium. Quod si ergo in nona Lege contingeret, Regem quempiam Christianum inuolare in iura sacerdotij supremam auctoritatem iniquis machinationibus perturbare, ac pessumdare, imò sibimet arrogare, & vsurpare; an minus dixeris esse in Nouæ Legis, ac in Antiqui Fœderis summo Sacerdote auctoritatis, ad pronunciandum iudicialiter super talis Regis quantumuis supremi arrogantia?

Pro secundo lubens equidem dabo, Azariam summum sacerdotem non exauthorasse Regem Oziam in tantum, vt ipsi adimeretur regiæ potestatis ius quasi radicale, exutus tamen fuit eius exercitio. Nec porrò dicere fas est, regiminis publici admistrationem Regi Oziæ ademptam fuisse non tam ex sententia summi Sacerdotis, quàm per consequentiam duntaxat, quòd à Domino percussus lepra, exinde à consortio hominum separatus degeret. Nam sacer textus expressis verbis ait Azariam cum sacerdotibus, vbi vidisset, lepram ex Oziæ Regis fronte apparere, festinarò eum expulisse, non alia vtique, quàm auctoritatis publicæ sacerdotio annexæ potestate: ex qua nempe auctoritate iuxta Leuitici 13. caput penes sacerdotem stabat arbitrium separandi leprosum. Quod adeò Azariæ summi sacerdotis arbitriam erga Regem Oziam, non operabatur localem dnntaxat ab hominum consortio separationem, sed formalissimam à regimine aulsionem, ita vt iure Regio penes ipsū habitualiter adhuc subsistente, eius tamen exercitiū ipsi abrogaretur in tantum vt Ioathan filius ipsius indicaret ex tunc populum nō patris nomine, cùm de hoc nihil dicat sacra Scriptura, sed absolutè absque illius erga Oziam in gubernando Regno dependentiæ mentione, asseueret; Ioathan ex tunc rexisse domum Regi., & populum terræ.

Hinc pro tertio concludere licet. Sicuti ergo quisque priuatus leprosus arbitrio sacerdotis erat à consortio hominum separandus, veluti Ciuiliter mortuus, adeoque iure Ciuilis societatis spoliatus; sic Oziæ Regis per sacerdotis summi arbitrium, ab humano consortio separatio, facta erat etiam quoad Politicæ cum subditis communis aulsionem, Regiæque adeò potestatis vel per alium, ceu Vicarium suum exercendæ spoliationem: cùm cæteroqui non tam Ioatham, quàm Ozias pater dicendus esset illo adhuc tempore regnasse. Quia proinde summi in Antiquo Fœdere sacerdotis iudicaria potestas se protendebat super Regis Oziæ, sacerdotale munus sibi arroganris, scelere, eiusque lepra à Deo percussi, quoad Ciuilem quoque, & Politicam gubernationem separatione, atque adeò regiæ administrationis exercitio addimendo: quid ni dixeris, Oecumenicam Summi in Nouo Fœdere Pontificis auctoritatem protendi super Regum temporalium in iura sanctæ Ecclesiæ inuolantium, seu hæreseos spirituali lepra infectorum præsumptuosam arrogationem, sanctæque Ecclesiæ publicam infestationem, eorumque hinc à fidelium publica communione separationem, imò & regiæ administrationis, quinimò Iuris quoque

Regij, si publicæ necessitatis ratio expostulare videbitur, priuationem; proût ex Noui Testamenti Tabulis probatum extat in præcedentibus, vlteriùsque ostendetur in subsequentibus paragraphis.

Huius generis insigne exemplum pro quarto hic adferri potest ex Imperij Occidentalis à Græcis Imperatoribus hæresi infectis in Francos, Carolique Magni personam, ac stirpem translatione: cuius historiam succincta methodo sic describit Hermanuus Hermes in suo iure publico cap. 3. à num. 3. Cùm nempè Romani Pontifices ab Orientalibus Imperatoribus contra Longobardorum sæuitiam, opem implorassent, frustrà autem, tum quod vix vires suppeterent ijs, propter vicina loca à Saracenis, Auaribus, Bulgaris, & Hunnis, ac alijs tuenda; tum quòd Constantinopolitani Imperatores in Iconomachiæ hæresim lapsi, cum Pontificibus ipsorum hæresi aduersantibus, simultates haberent, vtpote qui non tantùm sacras imagines Constantinopoli, & in Oriente impiè abradi iusserant, sed idem Romano Pontifici sub pœna mortis persuadere volebant; quorum amentiam Gregorius Secundus Pontifex non solùm contempsit, sed etiam in Missarum Solemnijs Orientalis Imperatoris nomen reticeri voluit, eiusque imaginem Romæ in nummis cudi, & Leoni Isaurico tributa, & vectigalia tam Italiæ, quàm Vrbis Romæ, sub anathemate solui vetuit; vnde quidquid in Occidente Imperatoribus Constantinopolitanis supererat, amiserunt. Hinc Pontifex Gregorius Secundus ad Francorum Regum opes longè, latèque per Occidentem florentes confugit, eos contra Longobardos euocando; cùmque Carolus Martellus Francorum Dux pro Papa Gregorio apud Luitprandum Regem precibus egisset, eiusque filius Pipinus vel hortatu, vel rogatu Stephani Papæ contra Aistulphum armis vsus esset, cap. Hortatu. 10. 23. quæst. 8. tandem paternæ, & auitæ pietatis hæres Carolus Magnus Romanam Sedem, & Vrbem pro Hadriano Papa contra Desiderium Longobardum tutatus est. Dicto cap. 10. iuncto cap. Hadrianus. 22. dist. 63. Qui Carolus, cùm Sedem Romanam opibus, & temporali ditione extolleret, à Papa Francorum primò, mox Longobardorum Rex inunctus, & Patricius Romanorum creatus est, quæ tunc suprema in Vrbe erat dignitas. Cùm insuper in Oriente Constantinopoli Irene mulier, filio Constantino oculis priuato, Imperij habenas sola tractaret, hac occasione Leo Tertius Papa populi scitu, & Cleri rogatu, Carolum Magnum ob egregia in Christianum nomen, & Romanam Sedem merita, Romanorum Imperatorem Occidentis primò, & inunctum, & diademate aureo redimitum, Augustum appellauit 8. Kalendas Ianuarij, ipso die Natalis Christi, Anno octingentesimo primo. Coring. de Rom. Imp. num. 24. Sicque adeò Imperium Occidentis auctoritate Summi Pontificis è Græcis in personam, & stirpem Caroli Magni Francorum Regis translatum fuit.

Neque pro quinto huius Historiæ veritatem elidere valet Ludouici Maymbourgi exceptio in hist. Iconoclast. lib. 4. ad annum 800. opponentis, [quòd Carolus Magnus Imperium Occidentis iure belli occupasset, Romam verò Populi Romani dotatione: nec aliud à Leone Tertio Papa, quàm coronam, non ipsum Imperium, sed insignia tantùm, secundùm ceremoniam acceperit.] Nam contrarium euincitur sequenti argumentorum à Bellarmino de translat. Romani Imperij lib. cap. 4. vsque ad caput 7. accuratissimè deductorum serie. Vbi triginta adseruntur historici concorditer asserentes, Imperium Romanum Summi Pontificis auctoritate à Græcis ad Francos esse translatum. Hi autem Historiographi (quorum verba in ipso Bellarmino reuideri possunt) sunt sequentes: nempè Ioannes Zonara Auctor Græcus, Georgius Cedrenus, Paulus Diaconus viuens tempore Caroli Magni, Eginarchus Carolo Magno familiaris, Annales Francorum tempore eiusdem Caroli cœpti enarrari, Aimonius, seu Ammonius degens tempore Ludouici Pij, Addo Episcopus Viennensis, Regino Abbas Prumiensis, Vothingus Corbeiensis, Luitprandus, Hermannus Contractus, Marianus Scotus, Dodechinus Mariani continuator, Lambertus Schaffnaburgensis, Otho Episcopus Frisingensis, Godefridus Viterbiensis, Conradus Abbas Vspergensis, Lupoldus Bambergensis, Matthæus Palmerius, Blondus Flaccius, Æneas Syluius, Ioannes Trithemius, Antoninus, Ioannes Nauclerus, Robertus Gaguinus, Philippus Bergomensis, Ioannes Cuspinianus, Iacobus Wympselingius, Polydorus Virgilius, Raphael Volaterranus, Donatus Acciaiolus, Albertus Kranzius.

Accedunt hisce testimonia Imperatorum, ac Principum, translationem Imperij à Græcis ad Francos, & à Francis ad Germanos Romani Pontificis auctoritate factam disertis verbis contestantium; prout à dicto Bellarmino præf. cap. 5. docetur. Inter istos primus est ipse Carolus Magnus, cuius in hoc vestigia sunt secuti Ludouici Pij filius, Carolus Caluus, Albertus Imperator, Henricus VII. Ludouicus IV. Carolus IV. Fridericus I. Michael Imperator Constantinopolitanus, Emanuel Comnenus Orientali Imperio præfectus, Philippus Rex Francorum, ac Principes Electores. Septem insuper Summorum Pontificum testimonijs id ipsum firmat prætactus Bellarminus cap. 6. nempè Gregorij Quarti, Adriani Secundi, Adriani Quarti, Alexandri Tertij, Innocentij III. Clementis Quinti, & Pij II.

Hinc pro sexto facilè constat, fictitiam esse illam Maymbourgi vocem superiùs allegatam, [ac si Carolus Magnus Imperium Occidentis iure belli occupasset, neque Imperium, sed huius dumtaxàt insignia, siue Coronam, ceu nudam ceremoniam à Leone III. accepisset.] Nam eodem Bellarmino cit. lib. cap. 7. fusissimè probante, Carolus Magnus Regnum Francorum hæreditate quidem obtinuit, ac expugnata Longobardia, Romana olim Prouincia, huius Rex iure belli appellari cœpit, Romam verò vi, & armis nunquam occupauit; vti historici passim clamant. Quòd si ergo ex eo titulo dicendus esset Imperator, pari prærogatiua iam potirentur, & Galliæ, & Hispaniæ, & Angliæ Regna, cùm & ipsa fuerint priùs Romanæ Prouinciæ, quàm

ce-

cederent in propriorum suorum Regum ius hæreditarium.

[Sed numquid à Græcis, seu armis, seu spontanea cessione Carolus accepit ius Occidentalis Imperij ?] Vbi equidem Regnum Longobardorum à Carolo fuerat occupatum Desiderio Rege in captiuitatem misso, Aldagisus eius filius sub annum septingentesimum septuagesimum quartum, classe à Græco Imperatore accepta, in Italiam peruolans, Longobardorum reliquias ad arma capessenda, permouit. At Carolus in Italiam properans, cùm victor euasisset, Aldagisus, desperatis iam rebus, regnique recipiendi spe frustratus, Græciam versùs terga vertere compulsus fuit. Anne igitur ex hoc subsidij Aldagiso ab Imperatore Græco pro recuperanda Longobardia concessi titulo, ius Occidentalis Imperij Græcis ademptum fuisse, dicere fas sit ? Profectò si ex belli eiusmodi titulo iustè posset comprobari Ius ipsius etiam Imperatoriæ Maiestatis victori obtentum, non vnus, sed plures iam in Occidente essent iure appellandi Imperatores. Tantum porrò abest, Græcos spontanea cessione Ius Occidentalis Imperij cessisse Carolo, vt concordi Historicorum tam veterum, quàm recentiorum calamo, è contrario probet Bellarminus cit. lib. 11. cap. 11. Græcos Imperatores, cùm primùm ad eos fama perlata est coronationis Caroli, vehementer commotos, ac indignatos fuisse.

Sed numquid pro septimo dicere fas est, [Coronam Imperatoriam auctoritate Senatus, Populique Romani fuisse decretam Carolo ?] Imperium equidem Romanum sub Ethnicis adhuc Imperatoribus erat Electiuum, minimè tamen ex Senatus, Populique Romani decreto, sed exercitus placito conferri solebat, Constantino autem Magno Imperij dignitatem in Græciam transferente, factum fuerat hæreditarium. Quis ergo credat, Senatum, Populumque Romanum, quando nullius fermè auctoritatis, ac potentiæ erat, ausum fuisse in Carolo ad Imperium Occidentis promouendo, quod antea, cùm floreret, minimè auderet. Et verò qua iustitiæ lege Imperij Occidentis ius potuisset transferri in Carolum, priusquàm fuisset de iure abdicatum à Græcis ? Numquid autem seu Populo, seu Senatui Romano erat auctoritas super Græco Imperatore, legitimum Imperij non tantùm Orientalis, sed etiam Occidentalis ius obtinente; præcipuè dum tempore Caroli coronationem antecedente, Senatui, Populoq; Romano nullum erat cum Græcis bellum, vt dici posset, iusto belli titulo, Græcum Imperatorem spoliasse Iure Occidentalis Imperij ?

Pro octauo igitur, [inquam, nisi Pontificiam auctoritatem reduci potest Imperij Occidentalis à Græcis adempti iustitia ?] Etenim Græcorum Imperatorum eum tunc fuisse statum, vt meritò in ipsos stringeretur Pontificiæ auctoritatis virga correctoria, patet ex antecedentibus. At Ecclesiæ virga correctoria sub indefinita, [Quodcumque super terram ligandi, & soluendi potestate,] Petri successori concessa, secundùm ordinem à Christo præscriptum, eatenus potest progredi ad inuulsionem à communione fidelium, vt præualeat ad quodcumque super terram, qua in regnum cælorum ordinabile, pro meritis causæ vel soluendum, vel ligandum; vti verba Christi sonant, demonstratumque est in antecedentibus.

Quis verò neget, Imperij Ius, non quasi abstractè sua signata formalis diuinitùs constitutæ regiæ potestatis ratione, sed concretè spectatum, qua Christiani hominis subiecto appropriatum, reputari etiam debere inter illa [Quæcumque super terram in regnum cælorum ordinabilia ?] Sub qua proinde moralitatis in regnum cælorum ordinabilis, ex publica Ecclesiæ seu vtilitate, seu necessitate meritò ponderandæ ratione, quis Catholicorum iam dubitare ausit, Leonem Tertium sui Oecumenici Pastoralis muneris auctoritate, Græcos hæreticos Imperatores, Ecclesiæ sanctæ necessitate id exigente, iustè spoliasse iure Occidentalis Imperij ?

Quare pro nouo concludere iam licet per sequentem argumentationem. Nempè ex ipso lumine naturę conspicuum est istud principium; quisquis iusto publicæ auctoritatis titulo Principem aliquem supremum spoliat iure sui regni, posse hoc ex ipsissimo eiusmodi iusto titulo, sibi vendicare: super hoc namque naturaliter noto principio morali, vnicè fundatur æquitas possidendi, & in suum dominium redigendi Prouinciam alicuius Principis, bello iusto occupatam. Quia igitur Summus Pontifex Leo Tertius iusto titulo Græcis ademit Imperium Occidentale, idcircò secundùm istud naturalis luminis principium, qua cum præadducto Fidei luminis (Petro, eiusque successori absolutam super quocumque morali in regnum cælorum ordinabili auctoritatem decernentis) principio combinatum, ipsimet Pontificiæ suæ potestati acquisiuit Occidentalis Imperij ius, ac proinde ob Caroli Magni in Ecclesiam merita, iure in hunc Franciæ Regem, eiusque stirpem, transtulit illud Imperium; sicque adeò Caroli Magni per Leonem Tertium peracta coronatio non fuit nuda ceremonia, sed stipata auctoritatiua Imperatoriæ dignitatis collatione.

§. V.

In quo Pontificiæ super Reges potestatis fit demonstratio, ex Matth. 18. cap. vers. 15.

IBi namque quisquis peccauerit, si correptus à fratre Christiani nominis consorte, altero etiam, vel tertio ad iteratam eiusdem correctionem assumpto, se non emendauerit, à Christo Domino decernitur denunciandus Ecclesiæ, eousque processum suum protensuræ, vt, [vbi Ecclesiam non audierit, sit habendus instar Ethnici, & Publicani.]

Primò igitur isthæc Ecclesiæ à Christo præcepta procedendi norma, non potest non esse iudiciaria, cùm nefas esset; absque substantiali, lumini etiam naturæ consona processus iudiciarij solemnitate, quempiam spoliare Christianæ communionis iure, itaut ex tunc sit habendus [instar Ethnici, & publicani.

cani.] At verò ista correctoria,& coercitiua, publicæ Christianæ communionis priuationem inducens censura, Ecclesiasticæ anthoritatis iudicio inferenda, à Christo Domino protenditur erga omnes, qui sub Christiani nominis consortio dici possunt, ac debent, esse fratres. Ex aperto sacro textu. Hac autem Christiani nominis propria prærogatiua exuti esse vtique nolent Reges Christiani. Quos proinde, oportet, omninò fateri, se subiectos illi correctoriæ, & coercitiuæ virgæ iudiciariæ, Ecclesiasticæ auctoritatis.

Etsi verò ex illis Christi Domini verbis dicti 18. capitis Matthæi v.16. exaratis cuiuci videarur, istam iudiciariæ potestatis virgam correctoriam, & coercitiuam, in hoc terminari, & consummari, vt, postquàm Ecclesia processerit ad peccatorem, si contumax sit à sui communione auellendum, ex tunc vlteriùs procedere haudquaquam valeat, Christo dicente: [Si taliter correctus Ecclesiam non audierit: habendum esse instar Ethnici,communionis nempe Christiani iure destituti, nulla vlterioris ex tunc processus faciendi, sub illis Christi verbis mentione ibi habita.

Nihilominùs combinando ea Christi Domini verba cum sacro contextu nempe [eiusdem capitis versu decimo octauo,] ex hoc statim euincitur,potestas illa ad communionis Christianæ priuationem indicendam à Christo constituta, esse connexa cum istis verbis: Amen dico vobis: quæcumque alligaueritis super terram, erunt ligata & in cœlo, & quæcumque alligaueritis super terram, erunt soluta, & in cœlis.] At isthæc Apostolis etiam sigillatim, ac distributiuè spectatis, per modum tamen legationis dumtaxat concessa potestas (penès Petrum solummodò existente ordinaria Oecumenica, in successores transferibili Matthæi 16. promissa, & Ioannis vltimo cap.collata auctoritate) ea, inquam Apostolica potestas indefinitè complectitur auctoritatem soluendi, & ligandi [Quodcumque super terram est morale.] Sub eiusmodi verò Moralitatis linea comprehenduntur quæcumque seu Regna, seu bona temporalia, quatenus moralibus hominum actibus, & ordinationibus sunt subiecta.

Quemadmodum ergo ista ligandi, & soluendi potestas Apostolica protenditur super omne, [quod supra terram est Morale,] hominum arbitrio libero, eiusque ordinationi Morali subiacens, sic coercitiua illa, seu correctoria per Christum cit.v.17.asserta, & concessa virga, cum illa Apostolica æquè per Christum proximè subsequente decimo octauo versu] tradita potestate, æqualem sortitur mensuram, in vi cuius pariter protendatur super omne id, [quod supra terram est Morale,] quale est quodcumque Regiæ potestatis exercitium, atque illius ad certum subiectum applicabilitas,cum eiusdem in hoc indiuiduo subiecto conseruatione.

Tertiò proinde fundamento isthoc nititur Canon Nouit de iudicijs, in quo decernitur, non esse equidem Summi Pontificis, directè, & immediatè se immiscere causis feudalibus, ac negotijs Regnum, posse tamen, ac debere id fieri ab eo,cum Ecclesiæ interest, siue dum agitur de peccato, periurio, ac fœdere violato, conformiter Christi mandato Matth. 18.lato sub hisce verbis: [Si peccauerit inte frater tuus &c. (si te, atque contestes non audierit) dic Ecclesiæ, &c.]

Ex hoc ipso igitur sacro Canone Clerus Gallicanus Anno 1329. coram Philippo IV. Rege congregatus, aduersùs Ministrorum Regiorum querelas contendebat, Ecclesiasticam iurisdictionem sese ad temporalia extendere saltem ratione peccati. Neque vllus tunc oppositum asserere ausus fuit, sed Petrus de Cugnetijs acrior Iurisdictionis Regiæ in illo Conuentu patronus fateri debuit Decretalem Nouit habere locum in Rege Franciæ, vt potè superiorem non agnoscente, tantumque id negabat de Iudicibus Regijs, quippe qui à Rege corripi possent. Verùm quo Iure Ministros Regios excludere fas est à consortio Christiani nominis fratrum, quos indefinitè, si peccauerint, complectitur illa correctoria & coercitiua per Christum constituta virga. Sufficiat tamen hic nobis vniuersos tunc fassos fuisse, illum Canonem Nouit habere locum in Rege Franciæ, superiorem non agnoscente.

Præinsinuati sub Philippo IV. Parisijs Anno 132. aggregati Archiepiscoporum, ac Episcoporum Conuentus acta, pro quarto, videre licet in tomo 4. Edit. Parisiens. à pag. 1098. inter quæ extat solidissima, instituto nostro deseruiens Bertrandi Cardinalis Eduensis, Cleri Gallicani nomine exhibita dissertatio, in qua inter cætera ex prætacto Matthæi sacro textu [Si peccauerit in te frater tuus &c. dic Ecclesiæ, & si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, publicanus] infert is Cardinalis, hinc constare, quòd sermo sit de iurisdictione Ecclesiæ, cum ibidem subdatur; [Amen dico vobis, quæcumque ligaueritis super terra,erunt ligata,& in cœlo.] Vnde sinè vlla dubitatione ad Ecclesiam pertinere, iure sibi à Deo collato, cognoscere, & iudicare de quocumque peccato. Vnde B. Paulum excommunicasse fornicatorem notorium, vti legitur in Epist. priore ad Corinth.& 24.q.7.cap.audiuimus. Cùm igitur peccata contingant circa actiones personales hominum, & circa contractus, de omnibus his pertinet ad Ecclesiam iudicare: maximè si intentetur actio per modum iniuriæ, vel alterius cuiuscumque peccati tam inter laicos, quàm inter Clericos, vel inter laicum & Clericum; quicumque eorum sit actor, vel reus.

Pergit pro quinto is Cardinalis Cleri Gallicani nomine sic argumentari. Nec dici potest, quòd reus hoc modo trahatur extra forum suum: quia omnes Christiani, in quantum Christiani sunt, pertinent ad forum Ecclesiæ. Et hoc est, quod expressè dicitur in Canone 11.q.1. cap. quæcumque, vbi dicitur sic: [Quæcumque contentiones inter Christianos ortæ fuerint, ad Ecclesiam deferantur, & ab Ecclesiasticis viris terminabitur, & si obedire noluerint, quousque obediant, limitibus Ecclesiæ excludantur.] Nec propter hoc eneruatur iurisdictio Principum sæcularium, qui de actionibus, & contractibus subditorum suorum, videlicet laicorum, habent cognoscere, & iudicare: quæ iurisdictio non aufertur, nec impeditur. Si enim

Auctor

Actor voluerit poterit reum trahere ad forum, siue iudicium sæculare, & tunc Iudex laicus cognoscet: si autem vult reum trahere ad iudicium Ecclesiæ, potest: præcipuè intentando actionem iniuriæ, vel peccati: quia quilibet laicus Christianus est vtrique iudicio subiectus vni, vt ciuis, alij vt Christianus.

Addit prætactus Cardinalis. In Christianissimo præsertim Franciæ Regno, in quo Reges fuerunt Ecclesiæ deuoti a principio, quo fuerunt Christiani, Ecclesiam vberiùs vsam fuisse illo iure suo. Neque vsum hunc fuisse acquisitionem noui iuris, sed executionem iuris primi dati à Deo. Has igitur à Bertrando coram Philippo Rege Franciæ propositas rationes meritò expendat modernus Clerus Gallicanus, imiteturque proinde antiquioris in Christianissimo Regno à suis prædecessoribus de iurisdictione Ecclesiastica doctrinæ tam viriliter propugnatæ exemplum.

Inter plura alia argumenta pro sexto idem Cardinalis, præsens institutum nostrum probat ex hoc, quòd à Christo iudiciariæ potestatis suæ participatio quædam facta sic Petro, vtpote constituto suo in terris vicario: qui proinde act. 5. Ananiam, & Saphiram pro crimine furti, & mendacij iudicialiter condemnauit; sicuti etiam Paulus 1. Corinth. 5. conuictum fornicatorem iudicauit. Superadditur, videri euinci ex Matthæi 18. cap. quod Christus voluerit, tale iudicium esse penes Ecclesiam, ita sanciendo: [si correptus à fratre,] alijs quoque duobus, vel tribus testibus in subsidium adhibitis, [se non emendauerit, denunciandum esse Ecclesiæ, & si hanc non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & publicanus: Amen dico vobis, adijciens, quodcumque ligaueritis super terram, erit solutum, & in Cœlis.] Ecce igitur (concludit idem Cardinalis) quàm expressè vult Christus, quòd in omni re, in qua est peccatum vnius aduersùs alterum, si ille, qui deliquerit, monitus charitatiuè, se non emendauerit, debeat negotium ad iudicium Ecclesiæ deferri.

Ex illa porrò vniuersalitate potestatis soluendi, & ligandi ad quæcumque super terram se extendentis, pergit Bertrandus pro septimo inferre, nihil esse in in quo Ecclesia non possit ligare, & soluere. Et ideo, quando Petrus de Cugnerijs in prætacto Conuentu Parisiensi contendebat, sub duobus gladijs, quos sufficere, aiebat Christus Luc. 22. intelligi duas iurisdictiones, spiritualem scilicet ac temporalem, consultò monet prætactus Cardinalis, oportere, vt animaduertatur, Christum voluisse, quòd illi duo gladij essent penès Petrum, & Apostolos. Quia proinde illi duo gladij significabant duplicem potestatem, nempe spiritualem, ac temporalem, consequenter voluisse Christum, vt vtraque illa potestas sit penès Ecclesiam.

Quibus taliter constitutis, pro octauo hunc in modum licet argumentari. Inter Moralia iure naturali conspicua axiomata numeratur istud quoque principium, vbique receptum: nempe [cuius Magistratui fas esse potestatem suam iudiciariam extendere super omni causa, fori sui limitibus concessa.] Ex fide autem Diuina liquet, virgam correctoriam Matthæi 18. decretam Ecclesiæ, extendi indefinitè super peccato, atque adeò super omni peccati genere. At verò ex sacro contextu rursus manifestum est, illam super omni peccati genere. At verò ex sacro contextu rursus manifestum est, illam super omni Christianorum peccato protensam virgam correctoriam, educi in potestatem ligandi, & soluendi indefinitam, protensam [ad quocumque super terram,] velut ipsimet Christus [hanc potestatem ligandi, & soluendi] in subsequenti [mox versu contexuit cum illa virga correctoria. Hæc verò potestas ligandi & soluendi] ex Matthæi 18. capite ita referebatur ad Apostolos vniuersos, vt Matthæi 16. sub pari ad quodcumque super terram extensione, fuerit soli Petro, cum ordine ad perpetuum Ecclesiæ statum, adeoque eius successori promissa, & postmodum Ioan. 21. cum Pastorali Oecumenico munere actualiter collata. Ex hisce igitur fidei principijs, cum illo morali naturaliter conspicuo principio collatis, certò infertur, illam Ecclesiæ decretam virgam correctoriam super omni peccato protensam, subsistere penès Petri successorem, Romanum Pontificem.

Ipsissima hæc conclusio pro nono firmatur sequenti Theologico discursu. Ea namque virgæ correctoriæ super omni peccato extensio, in regni cœlorum clauibus, Petro, eiusque successori demandatis, comprehensa, iuxta sacrum Matthæi 16. exaratum Euangelium, fundatur in debita omnimodi actus moralis ad regnum cælorum ordinabilitate. cuius deuiationem, ex quo moralitatis in homine linea ad supernaturalem statum est eleuata, inuoluit iam omne, præcipuò mortale peccatum. Hæc verò moralitatis ad statum supernaturalem eleuatæ, in regnum cælorum, ac salutem æternam ordinabilitas, in vi indefinitæ clauium auctoritatis obseruanda, incumbit Oecumenico Ecclesiæ Pastori non eo dumtaxat casu, quo eius deuiatio per peccatum actualiter commissum iam est facta, sed vel maximè obstringit ad prospiciendum, ne tales à supernaturalis status fine committantur deuiationes veluti hoc enincunt Christi verba Ioann. 21. pascendi munus erga cunctas oues suas, Petro, eiusque successori committentis; hoc enim seu pascendi, seu gubernandi officium malè administraretur, si pastor ouibus primùm post patrata peccata, non verò antecedenter, vbi peccati imminet periculum, prouidere vellet. At verò in plerisque causis etiam ciuilibus, quando duo inter se altercantur, præcipuè dum nullum (veluti Reges) supra se in foro Politico agnoscunt superiorem, & hinc per viam facti, & ex proprio arbitrio perperam procedere affectant, non potest non euidenter imminere periculum peccati, quamuis euidens non sit, ex qua parte stet iniustitia, quamdiu hoc ex publica auctoritate non fuerit decisum. Ex debito igitur, peccati imminentis periculum manifestum auertendi, secundùm fidei, de Ecclesiæ clauibus Petro, eiusque successori commissis nos edocentis, certissimum principium, ea sollicitudo incumbit illi ipsi, qui ex muneris Pastoralis Oecumenici super omnes Christi oues, ipsosque

que adeò Reges Chriſtianos protenſi officio, proſpicere debet aduersùs quodcumque non patratum dumtaxat, ſed de futurò moraliter certò patrandum peccatum.

Decimò proindè præaddu&a fidei principia combinando cum præinſinuatis naturali lumine indubitatis principijs, ità concludere licet. Quandoquidem euidenter conſpicuum ſit, in prætacto grauiſſimæ Regum Chriſtianorum altereationis caſu, aduersùs peccati manifeſtum periculum, prouideri haud poſſe ab Oecumenico Chriſti Paſtore, niſi huic ſit auctoritas deciſoria altercationis eiuſmodi, inuoluentis certum, ac euidens diſcrimen peccati, ex alterutra parte, ſeu iàm incurſi, ſeu incurrendi. Idcircò ſub illa fidei, & luminis naturalis principiorum combinatione, redditur, omninò conſequens, Oecumenico Chriſti ouium Paſtori eſſe poteſtatem etiam iudicialiter, & auctoritatiuè deciſoriam cauſarum ciuilium, inter ipſos quoque Reges controuerſarum, vbi interuenit vel peccatum, vel manifeſtum ſaltem, ac moraliter certum peccati periculum. Quæ adeò iudiciaria in tali caſu, Oecumenici Paſtoralis à Chriſto inſtituti muneris poteſtas, continetur clauibus Regni Cælorum, indefinitaque quodcumque ſuper terram ſoluendi, & ligandi auctoritate.

Quam igitur iudiciariam ſuper cauſis etiam ciuilibus auctoritatem pro vndecimo fuiſſe in Petri ſucceſſore agnitam etiam à Theodoſio, & Carolo Magno Imperatoribus, in præcitato Canone nouit, de iudicijs, aſſerit Innocentius III. [Nec ſic, inquiens, illud humillimum omittamus, quod Theodoſius ſtatuit Imperator, & Carolus innouauit, de cuius genere Rex ipſe Franciæ noſcitur deſcendiſſe. Quicumque videlicet litem habens, ſiue petitor fuerit, ſiue reus, ſiue initio litis, vel decurſis temporum curriculis, ſiue cùm negotium peroratur, ſiue cùm iàm cœperit promi ſententia, ſi iudicium elegerit ſacroſanctæ Sedis Antiſtitis, illicò ſine aliqua dubitatione (etiamſi pars alia refragetur) ad Epiſcoporum iudicium, cum ſermone litigantium dirigatur.] Hinc ergo Gallicanus Clerus meritò ſtudeat, ſupparem Carolo Magno, Oecumenicæ ſuper cauſas quoque ciuiles ſub peccatò, qua cum ſupernaturalis ſtatus fine ſaltem pugnantis, formaliſate protenſæ, Pontificiæ auctoritatis obſeruantiam religioſam, non tantùm non extinguere, ſed fouere, & conſeruare.

§. VI.

Prætacta Summi Pontificis ſupra Reges auctoritas firmatur ex 2. Paralip. 23. & 4. Reg. 2. item Eccleſiaſt. 48. capite.

Ex prioribus nempè duobus ſacris capitibus conſtat, Ioadæ in ritu Moſaico tunc Pontificis Maximi auctoritate, Athaliam Regio ſolio, quod iniuſtè occupanerat, deiectam, Ioadæque Regis filium Regali diademati reſtitutum eſſe. Circa quod exemplum inſtituto noſtro accommodandum: Primò animaduertere oportet, Athaliam fuiſſe equidem de genere illorum, qui non tantùm in via facti, ſed etiam in via iuris ſunt tyranni, quorum ea eſt conditio, vt à quouis Regni conciue, non quidem iure vindictæ, ſed iure defenſionis occidi poſſint, vti Theologi communiter tradūt cum Doctore Angelico. Nùm verò dicere fas eſt, Ioiadam Pontificem, ex hoc priuato dumtaxat defenſionis naturalis iure egiſſe aduersùs Athaliam Regni Iudaici tyrannicam dominatricem? In hoc Summo Pontifice, ex conſtitutione Diuina ſexti capitis Deuteronomij, erat auctoritas Iudicij veritatem definiendi ex ſacroſanctis ſtatus illius Moſaici legibus. Hęc verò auctoritas, Pontifici Maximo Diuinitus attributa, extendebat ſe ad omne negotium, omnemque cauſam ciuilis quoque ſtatus propriam. Vti apertè liquet ex 17. & 21. Deuterou. capite. Hoc igitur auctoritatis Diuinitus cōſtitutæ iure, quis negare auſit, vſum fuiſſe Ioadam Summum Sacerdotem, aduersùs Athaliæ tyrannidem, euſque procedendo, vt & ipſam Regni poſſeſſione ſpoliandam decerneret, & ad eam ab vſurpata regiminis adminiſtratione detrudendam, milites conſcriberet, legitimumque Regem ſolio imponeret, fœdere inter Deum, & Regem, necnon inter Regem, ac Populum ſancito, non ex priuato arbitrio ſuo, ſed ex publica auctoritate Sacerdotij, ius Diuinitus ſancitum habentis ſuper Iudicij veritate, & iuſtitia? Iuxta hoc igitur Ioiadæ Summi Sacerdotis exemplum, quis Summo Pontifici Noui Teſtamenti, negare auſit poteſtatem aduersùs tyrannos, abſque legitimo iuris titulo Regni cuiuſpiam inuaſores, procedendi ex publica etiam iudiciaria auctoritate?

Pro ſecundo. Illorum equidem tyrannorum, qui legitimum Regni ius obtinent, ſed in via facti tyrannicam obeunt gubernationem, nulla erga ſubditos iuſtitiæ, ac ęquitatis attenta ratione, alia ſors, & ratio eſt, itaut ſecundùm Concilij Conſtantienſis decretum, nefas ſit, à priuatis quibuſcumque ipſos interfici. Cuiuſmodi gubernatio tyrannica, ſi intrà puros naturæ lumini commenſuratos limites ſubſiſtere poſſet, ſuper ea dijudicanda fortaſſis extendere haud quaquam ſe poſſet Oecumenici Paſtoris auctoritas, eo ipſo tamen, quòd moralitatis naturali quoque lumini proportionatę tranſgreſſio, propter eiuſdem ad ſupernaturalem ſtatum eleuationem, nullatenus ſubſiſtere valeat, quin moralitatis quoque ſupernaturalis violatio, Pontificiæ Chriſti Vicariæ poteſtati indubiè ſubiecta, interueniat: An non ex hoc ſaltem titulo ſuper illam extendere ſe meritò poteſt, ac debet ſupremi Pontificis auctoritas, maximè, ſi emergat publicum etiam Eccleſiæ damnum?

Pro tertio igitur huius quæſiti reſolutio; ex hactenus deductis ſacri Euangelij textibus facilè patet, quibus conformia ſunt varia inſuper Summorum Pontificum ab Auctore Regalis Sacerdotij lib. 1. 5. 15. producta exempla, non alio, quàm Oecumenici Paſtoralis ad publicum ſanctæ Eccleſiæ bonum iugiter intenti officij fundamento innitentia, quibus pro exigentia temporum, noſcuntur quàm plurimæ auctoritate Apoſtolica ſancitæ, Regū

Eccleſiæ

Ecclesiæ sanctæ rebellium exauctorationes. Etenim anno 1076. Gregorius VII. Henricum IV. Germaniæ Regem in Synodo Romana, quòd Sacerdotia, & Ecclesiasticas dignitates mercatui exponeret, quòd subditorum facultates prædaretur, quòd appellationes ad Sedem Apostolicam impediret, quòd habito Vormatiæ Conuentu, ausus esset, in Gregorium sententiam dicere, eumque Papatu exuere, & denique ob multa alia flagitia, excommunicat, Regnoque indignum pronunciat, & subditos iuramento liberat; vndè multis hinc malè actitatis, Germaniæ Principes Henricum in ordinem redigunt, & Rodulphum Sueuiæ Ducem appellant Regem. Ex actis relatis to. 3. Conciliorum antè Concilium Romanum 1.

Anno 1079. idem Gregorius VII. Boleslaum Poloniæ Regem, eò quòd beatum Stanislaum Cracouiensem Episcopum ad aras occidisset, diris perculit, Regno, omnique dignitate priuarum. Ex Longino in Polonica historia, Baronio, & alijs. Eodem anno dictus Pontifex aduersùs Philippum Francorum Regem, cùm Sacerdotia pretio venderet, proptereàque Episcopum Matisconensem admittere nollet, rescribit ad Rodericum Cabilonensem Episcopum: vt Regem moneret, quatenus à mercimonio tam turpi abstineret &c. alioquin censuris feriendus, Regnoque casurus. Ex lib. 1. huius Pontificis epist. 35. Ex cuius verbis etiam patet, Philippum Gregorio paruisse, missisque Legatis, in eius̃ se potestate futurum, respondisse.

Anno 1166. cùm Fridericus Ænobarbus in Italiam cum exercitu mouisset, incendijs, & rapinis omnia vastaret, Guidonem Antipapam Alexandro III. opponeret, aderant Constantinopoli ab Emmanuele Comneno Imperatore Legati, vnionem cum Ecclesia Romana, ingentemque vim auri, & auxiliorum spondentes, si Pontifex Maximus Imperium Occidentis Græco restitueret. Exindè anno 1168. idem Alexander III. Fridericum Ænobarbum perniciosissimo schismate, belloque Italiæ, Ecclesiæ, & Pontifici infestum, sacris, & Imperio interdicit, qui tamen Pontifici posteà reconciliatus fuit. Ex actis Alexandri III. apud Baronium ad dictos annos, alijsque autbenticis monumentis. E contra dicto anno 1076. præfatus Gregorius VII. Demetrium Croatiæ, Dalmatiæque Ducem per suos Legatos coronari fecit Regem. Et Silnester II. anno 1000. sancto Stephano Hungariæ Duci ius dignitatis Regiæ concessit. Ex Cartuitio in vita sancti Stephani. Anno insuper 1179. Alphonsus I. Dux Portugalliæ ab Alexandro III. ob res aduersùs Arabes præclarè gestas, ius, & titulum Regis accepit. Ex Spondano, & Baronio ad hunc annum.

An non igitur pro quarto dicendum videtur, Summum Noui Testamenti Pontificatum pari dotatum esse spiritu, qualis erat in Elia Propheta, de quo Ecclesiastici cap. 48. habetur, ipsi Diuinitus datum fuisse, vt Reges inungeret ad pœnitentiam, & Reges deijceret, & constringeret ipsorum potentiam? Hoc equidem Dei mandatum Eliæ qua Prophetæ factum, non erat cum successionis iure propagandum in posteros, hinc tamen elucet, quousque spiritus Dei in antiquo etiam Testamento fuerit operatus. An non ergo fas est, asseuerare talem Dei spiritum, gratiæ non gratum facientis, sed gratis datæ, habere etiamnum locum in statu Legis Euangelicæ. Hanc profectò Christus, vt Regni sui Mystici, Ecclesiæque suæ sanctæ statum sublimiùs adornaret, voluit condecoratam Regni Cælorum clauibus; Petro, eiusque successori perpetuò destinatis, cum potestate ligandi, & soluendi, quidquid super terram esset morale. In qua porrò soluendi, & ligandi Oecumenica auctoritate subsistere spiritum non priuati, sed publici iam regiminis, pro Religionis sanctæ, seu propagatione, seu conseruatione perquàm necessarium, constat ex antecedentibus sacri Euangelij textibus. Ex quo proindè spiritu promanauit etiam Canon Licèt, de votis. Vbi Innocentius III. Hungariæ Regis filio, qui patris de Hierosolymitana Prouincia manu forti visitanda votum, assumpto Crucis signaculo, in se susceperat, hæreditatis paternæ, Regnique priuationem indixit, nisi is voto satisfaceret.

Ex eodem Oecumenicæ Pastoralis præeminentiæ spiritu pro quinto profluxerunt sequentia eiusdem Innocentij III. Gregorij IX. Innocentij IV. Gregorij X. Clementis V. per Auctorem Regalis Sacerdotij in ordinem redacta exempla, vt taceamus recentiora decreta Clementis VII. aduersùs Henricum VIII. Angliæ Regem, Pij V. aduersùs Elisabetham Angliæ Reginam, Sixti V. Gregorij XIV. & Clementis VIII. aduersùs Henricum Nauarræ Regem, qui tamen hæresi postmodùm abiurata, Religionem auitam amplexus, tandem fuit promotus ad Regiam Galliæ Coronam. Anno proindè 1210. Otho IV. Imperator, cùm Friderico iuniori Regi Neapolitano, totique Italiæ bellum inferret, nec à Pontifice admonitus, cœptis absisteret, ab Innocentio III. anathemate perstringitur, Imperio arcetur, permissuque Pontificis idem Fridericus Henrici V. Imperatoris filius, à Germaniæ Principibus throno imponitur. Vrspergensis in Chronico. Spondanus, & Bzouius ad hunc annum. Anno 1239. Gregorius IX. Fridericum II. Imperio, & sacris interdicit, idemque posteà solemni ritu in Concilio generali Lugdunensi ab Innocentio IV. anno 1245. est depositum. Blondus, Platina, & Spondanus ad hunc annum. Anno 1273. Gregorius X. mandauit Principibus Germaniæ, vt tandem Imperatorem creent, nisi velint aliquem à se imponi; sicque Imperium deuenit ad Rodulphum Hafspurgensem. Spondanus ad istum annum. Anno 1307. interfecto Alberto Imperatore, Philippus IV. Galliæ Rex solemni ad Clementem V. Legatione Imperium sibi, vel Carolo fratri petijt, vt sic Imperium rediret ad Francos. Conradus Vicerius in libro de gestis Henrici VII. Bzouius ad hunc annum. Æmilius in Philippum Pulchrum.

§. VII.

In quo Regum præeminentiæ etiam in temporalibus erga Sedem Apoſtolicam in caſibus publicæ Eccleſiæ neceſſitatis, ſubordinatio demoſtratur ex 1. Corinth. 6. cap.

IBi namque Apoſtolus ordinauit, vt Chriſtiani prouocantes ad ſecularia iudicia, pro decidendis controuerſijs, quas haberent erga confratres, adirent tribunal, vel Apoſtolicum, vel ſacerdotale Apoſtolica auctoritate conſtitutum. Cuius ordinationis ſuæ rationem dans Apoſtolus ibidem, [An neſcitis, ait, quoniam Sancti de hoc mundo iudicabunt? Et ſi in vobis iudicabitur mundus, indigni eſtis, qui de minimis iudicetis? Neſcitis, quoniam Angelos iudicabimus, quantò magis ſecularia?]

Hunc igitur textum Apoſtolicum expenſuris nobis, primo loco occurrit nonnemo prætendens, Apoſtolum ibi minimè loqui de legitimis iudicijs, quæ à Magiſtratibus, publiciſque Iudicibus auctoritate publica exercentur, ſed de arbitris, qui communi ſenſu deſignati eſſent ciuilium controuerſiarum inter Chriſtianos diremptores.

Verùm iſthæc expoſitio non videtur adæquata, attento integro Apoſtoli ſacro textu, ſic argumentantis verſu 3. [Neſcitis, quoniam Angelos iudicabimus, quantò magis ſecularia?] Ex quo clarè apparet, quòd Apoſtolus ſibi vindicarit ius, & auctoritatem in res humanas, & politicas. Quomodo iſtum locum intellexerunt B. Clemens, SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli auditor, ita ſanciens in Conſtit. Apoſtol. lib. 2. cap. 51. [Quòd, oporteat, in ſecunda ſabbathorum cognoſcere cauſas. Adſint autem iudicio Diaconi, & Presbyteri, integrè iudicaturi, velut Dei homines, cum iuſtitia.] S. Anacletus in epiſt. ad omnes Epiſcopos, & Chriſti-fideles ſic ſcribens: [Si fuerit ſeculare negotium, apud eiuſdem ordinis viros terminetur, iudicio tamen Epiſcoporum, &c.] Gregorius VII. lib. 8. epiſt. 21. [Cui, inquiens, aperiendi, claudendique Cœli data eſt poteſtas, de terra iudicare non liceat? Abſit. Num retinetis, quod ait Beatiſſimus Paulus Apoſtolus, quia Angelos iudicabimus, quantò magis ſæcularia?] Diuus Gregorius Magnus 2. par. Paſtoralis cap. 7. ex allegato Apoſtoli textu agnoſcit [poteſtatem in ſæcularia Paſtoribus datam, ſed ea vti non vult, vt tantò ſpiritualibus negotijs attentiùs operam nauet.]

Quibus inſuper fauent leges Theodoſij, & Caroli Magni in anterioribus adductæ: fauet etiã antiquus vſus Eccleſiæ: Iudices enim in cauſis etiam ſæcularibus ſederunt Gregorius Thaumaturgus SS. Ambroſius, Auguſtinus, Sineſius, alijque Epiſcopi, vt fert Hiſtoria Eccleſiaſtica: quamquam creſcente numero Chriſtianorum ſimul, & litium, hoc onus reiectum fuerit in humeros ſæcularium Iudicum iam Chriſtianorum, ne Epiſcopus præfocatus ſæcularibus negotijs, minùs vacare poſſet verbo Dei.

Quòd ſi pro ſecundo quiſpiam inquirat; Vnde Paulus talem poteſtatem ſibi adſciuerit? In promptu eſt reſpõſio, quòd ceteris, præter Petrum, Apoſtolis fuerit etiam à Chriſto immediatè conceſſa Apoſtolica auctoritas, ſeu Generalis erga Chriſti fideles Iuriſdictio, extraordinaria tamen, & quaſi delegata: quam enim Chriſtus Dominus Matthæi 18. vniuerſis Apoſtolis promiſit indefinitam ligandi, & ſoluendi poteſtatem, hanc ijſdem actualiter commiſit Ioann. 20. dicens: [Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos.] Sub hiſce quippe verbis, ſecundùm Patres, ſignificatur legatio Apoſtolis commiſſa, ipſorum ſingulorum perſonis annexa, nec adeò transferibilis in ſucceſſores: de qua legatione etiam Paulus accipiendus eſt, pro Chriſto, inquiens, legatione fungimur. In vi cuius adeò legationis, Paulo erga totum orbem in vnitate Eccleſiæ coadunatum, erat iuriſdictio Apoſtolica, verè etiam legiſlatiua, quam ad Theſſalonicenſes 4. à ſe exercitam, diſertè profitetur. In vi cuius proinde poteſtatis Apoſtolicæ Paulus præcitatus dicebat: [Neſcitis quia, & Angelos iudicabimus, quantò magis ſæcularia?] Quantò igitur magis talis ſuper Chriſtianorum Ciuilibus cauſis iudiciaria poteſtas competit Petri, eiuſque ſucceſſorum ordinariæ auctoritati Apoſtolicæ, eo ipſo, quòd nulla ſub ſtatu omnimodæ moralitatis ad ſupernaturalem quampiam participationem eleuatæ, ſit intelligibilis humana libera actio, quæ non inuoluat aliquam reſpectu ſalutis æternæ, ac publicæ etiam Religionis, ſanctæque Eccleſiæ boni communis, vel ordinabilitatem, vel ab hac deficientiam moralem; quam in hominibus Chriſti charactere inſignitis ſubdi Eccleſiæ clauibus, indefinitæque ad ſoluendum, & ligandum poteſtati Apoſtolicæ, multimodè patet ex antecedentibus.

Et hinc pro tertio ſolida, & fundamentalis deſumi poteſt præſentis inſtituti noſtri ratio Theologica. Etenim in illis etiam cauſis, in quibus interuenit aliqua ratio, ſtatum ſupernaturalem concernens, ſi concurrat ſimul ratio quæpiam, reſpiciens ſphæram luminis naturalis, non immeritò prætendit politicus Magiſtratus, ſibi præueniendo ſaltem eſſe ius, cauſam eiuſmodi cognoſcendi, iudicandi, ac decidendi. Quidni ergo indubitatum teneat viciſſim hoc iuris principium, quotieſcumque in cauſa luminis naturalis ſphæræ commenſurata, ſicque adeò ad Tribunal ſeculare ſpectante, concurrit moralitas ad ſupernaturalis ſtatus ſphæram indubitanter pertinens, poſſe conſequenter trahi ad tribunal Eccleſiæ clauium, ex indefinita ligandi, & ſoluendi quodcumque ſuper terram poteſtate conſiſtentium, cum ordine ad ſalutem æternam, vnicum ſupernaturalis ſtatus Finem, adeoque menſuram ſphæræ cauſarum, ad Eccleſiaſticum Tribunal ſpectantium? At indubitata Fidei veritas eſt, nullum eſſe actum, à luminis etiam naturalis moralitate deficientem, quin eo ipſo conſiſtat ſimul ſub ſphæra deordinationis à fine ſalutis æternæ, atque adeò ſub hac formalitate ſpectet ad iudicium Eccleſiaſticum.

Vnde pro quarto licet hunc in modum concludere. Quandoquidem in omnibus cir-

ea causas etiam ciuiles controuersijs, ex alterutra litigantium parte, interueniat aliquid à iure æquitatis saltem naturalis exorbitans: hæc verò exorbitantia ineuitabiliter inferat deuiationem à fine supernaturali, vt sic subiectam potestati, statui supernaturali proportionatæ, indefinitæque supra omne id, quod est super terram morale, ligandi, & soluendi auctoritate munitæ: hæc autem, cum æquitatis naturalis transgressione ineuitabiliter connexa moralitatis supernaturalis deordinatio, nequeat esse manifesta, vsque dum facta fuerit huiusmodi ciuilis controuersiæ decisio. Ideo forum Ecclesiasticum causis ciuilibus litigiosis non equidem tam facilè se immiscet, quòusque accedente pertinacia, apertè agitur de reatu salutis æternæ dispendium subinferente: attamen ex præadducto fundamento, Ecclesiastica auctoritas se omninò posset ingerere, accedentibus præsertim causis specialibus, Christianorum salutis respectum habentibus, vti euenerat in Corinthijs, quorum occasione Paulus propterea Apostolica sua, licèt non ordinaria, sed extraordinaria, & per Christum quasi delegata potestate condiderat præinsinuatum statutum.

Quintò igitur hoc ipsissimum fundamentum est, per quod Innocentius III. in cap. per venerabilem, qui filij sint legitimi, legem Deuteronomij Sacerdotio Summo decernentis potestatem super causis, & ciuilibus, & criminalibus ferendi iudicij veritatem, & iustitiam, combinando cum mandato Christi Domini, demandantis Petro, eiusque successori perpetuam, quodcumque ligandi, & soluendi auctoritatem, exinde concludit, in causis etiam ciuilibus, dum aliquid fuerit difficile, & ambiguum, esse recurrendum ad iudicium Sedis Apostolicæ; inducto in hunc finem ipsissimo illo Pauli textu Apostolico, quo ad Corinthios effatus est: [Nescitis, quoniam Angelos iudicabimus, quantò magis secularia?]

Quæ proinde vtriusque sacræ Paginæ principia in formam syllogisticam reducendo, pro sexto hunc in modum licet argumentari. Quæ potestas iudiciaria discernendi inter sanguinem & sanguinem, causam & causam, iure Deuteronomij competebat Sacerdotio Veteris Testamenti, maiori cum eminentia est per Christum in Nouo Testamento concessa auctoritati Apostolicæ, in Romano Pontifice iam subsistenti. At ipsissima hæc Apostolicæ auctoritatis, Petri successori, Romano Pontifici competentis, potestas, continetur Christi Domini verbis: [Quodcumque solueris super terram, erit solutum & in cœlis, &c.] Hæc verò clauium Petro concessarum potestas non est minoris virtutis, ac fuerat Apostolica Paulo delegata auctoritas, quam ad sæcularium causarum iudicium protendi, apertè contestatus est is Apostolus, eò vel maximè, quòd Petro, eiusque successoris per Christum destinata clauiū potestas, clarè extendatur ad Quodcumque super terram pro causarum meritis seu soluēdum, seu ligandum. Eo ipso autem, quòd ista clauium potestas ex Christi Domini instituto, habeat ordinem ad regnum cœlorum, nequit ad vsum reduci, nisi sub statu causæ, salutem æternam, Ecclesiæque sanctæ bonum, seu fidei, ac Religionis veræ publicam vtilitatem respicientis. Hoc igitur ad Regnum cœlorum, seruato ordine, Summus Pontifex Innocentius III. in citato sacro Canone per venerabilem, secundùm causarum differentias, vni, nempe Regi Franciæ meritò concessit, alteri verò, nempe Comiti Pessulano, sibi in temporalibus etiam subiecto, iure negauit, iuris tum Canonici, tum Ciuilis dispensationem, in ordine ad temporalis quoque hereditatis, ex legum Ciuilium dispositione illegitimis denegatæ successione.

Ex ipsissimo hoc fundamento, pro septimo inducti sunt Theodosius Imperator, & ipsi conformiter Carolus Magnus, quòd, vti supra dicebatur, sanxerint legem præallegato Canoni Nouit. 13. de iudicijs, insertam, in vi cuius Christianus quisque siue reus, siue actor possit, relicto Tribunali seculari, etiam post litem contestatam, adire iudicium Ecclesiasticum.

Ex eodem fundamento Innocentius IV. intrà Concilium Generale Lugdunense capit. Grandi, de supplenda negligentia, rescripsit ad Barones & Comites Portugalliæ, vt Regis fratrem de deuotione, ac circumspectione multipliciter commendatum, cùm ad defensionem Ecclesiarum, Monasteriorum, aliorumque piorum locorum, &c. sit assumptus, in ciuitatibus, & munitionibus Regni prædicti recipere, cum omnibus suis procuratent, fidelitate, homagio, iuramento, seu pacto, quibus fortè tenerentur Regi, aut ipsius etiam Regis prohibitione, haud quaquam obstantibus.

Ex illo ipsissimo fundamento Ioannes XXII. in Extrauagante vnica, si fratrum, ne sede vacante, rescripsit: [De iure liquidum esse, & ab olim inconcussè seruatum, quòd vacante Imperio, cùm in illo ad secularem Iudicem nequeat haberi recursus; ad Summum Pontificem, cui in persona Petri, terreni simul & cœlestis Imperij iura Deus ipse commisit, Imperij prædicti iurisdictio, regimen, & dispositio deuoluantur. Et ideo sub excommunicationis pœna monuit, vt, qui post vacationem Imperij, absque Sedis Apostolicæ licentia Vicarij nomen assumpserunt, ab huius vsu, potestate, & exercitio prorsus abstineant: omnibus, singulis, qui huiusmodi Vicariatus nomen retinentibus iuramento fidelitatis tenerentur obstricti, à iuramento huiusmodi absolutis.]

Octauò. Ex præadducto fundamento subsistit insuper Innocentij III. cap. Venerabilem, 34. de electione, relatum rescriptum, quo disertissimis verbis asseuerat, ius & potestatem eligendi Regem in Imperatorem postmodùm promouendum, ad Principes Germaniæ peruenisse à Sede Apostolica, quæ Romanum Imperium in personam Magnifici Caroli à Græcis transtulit ad Germanos: quos proinde recognoscere debere, quòd ius, & auctoritas examinandi personam electam in Regem, & promouendam ad Imperium, spectaret ad Romanum Pontificem, cuius est, eum inungere, consecrare, & coronare, &c. Qua de causa, cùm in electione vota Principum diuiduntur, posse eumdem Pontificem post admonitionem, & expectationem, alteri

parti fauere, maximè poſtquàm ab ipſo vnctio, conſecratio, & coronatio fuerit poſtulata: velut patet iure pariter, & exemplo.

Eiuſdem tenoris, eodemq; fuudamento nixa eſt conſtitutio Clementis V. in Concilio Viennenſi edita, & relata in Clement. vnica, De iureiurando, quòd nempe Sedes Apoſtolica à Græcis Imperium tranſtulerit in Germanos, à qua ad certos eorum Principes, ius & poteſtas eligendi Regem, in Imperatorem poſteà promouendum, peruenerit, Imperatoresque ſic electi Sedi Apoſtolicæ obſtringere ſe debeant iuramento.

Ex eodem fundamento nouiſſimis ſacri Concilij Tridentini temporibus Paulus IV. & Pius IV. improbabant, quòd Ferdinandus I. ex placito quidem Pontificis, titulo Regis Romanorum iam potitus, attamen inconſulto Papa, fuerit ab Imperij Principibus cooptatus Imperator: cùm enim Imperatores Occidentis, eorumque Electores fuerint ab Apoſtolica Sede inſtituti, obtinuerintque Romani Pontifices antiquiſſimum ius, ne quis ea potiretur corona, abſque ipſorum Pontificum confirmatione, iuſtè prætendebatur ex parte Romani Pontificis, neque Caroli abdicationem, adeòque neque Ferdinandi ſubrogationem eſſe tamquam legitimam comprobandam abſque interuentu Pontificiæ auctoritatis: fuiſſe quidem Ferdinandum aſſenſu Pontificio iam electum Romanorum Regem, ſed per huiuſmodi conditionem non effici, vt ille legitimus eſſet ſucceſſor, niſi quando Sedes Imperatoria morte Cęſaris vacaſſet; in quouis alio vacationis genere noua Pontificis comprobatione opus eſſe.

Quæ Apoſtolicæ Sedis iuſta prætenſio in tantum euincebat, vt Ferdinandus poſtmodùm datis ad Pium IV. literis, ſuam electionem à Pontifice ratam haberi poſtularit. Quod etiam conſecutus Ferdinandus grates agebat Pio, ipſiſmet quoque Heterodoxis ex ore Heideggeri in Seſs. 17. ſacri Concilij Trident. argut. 6. fatentibus, à Ferdinando Oratorem Germanum pro ſua confirmatione Romam miſſum fuiſſe: claro ſanè argumento, hoc ius confirmandi Electum Imperatorem, ne hoſtes quidem fidei, ac Religionis Pontificiæ aduerſarios, pernegare auſos fuiſſe.

Neque verò pro nono, ex generalibus dumtaxat, Pontificiæ ſuper Reges ſacris Literis probatæ auctoritatis principijs, ſed ex ſpeciali iure, Summus Pontifex potuit, ac etiamnum pro ſemper poteſt ſibi vindicare poteſtatem tum confirmandi Regem Romanorum electum, ſub præuio de habilitate examine promouendum in Imperatorem, tum conſequenter reprobandi, ſi repertus fuerit inhabilis. Eo ipſo enim, quòd Pontificia auctoritate ad Germanos ſit tranſlatum Occidentis Imperium, atque hinc ſpeciali iure Sedes Apoſtolica habeat ſibi obſtrictum Imperatorem, vt teneatur eſſe Defenſor, & Aduocatus Romanæ Eccleſiæ: efficitur hinc, omninò fas eſſe Romano Pontifici, vt, ſi electus repertus ſit inhabilis, ac proptereà reprobatus fuerit, ſuæ ſanctæ Sedi, Eccleſiæque proſpiciat, vbi diſcors fuerit Electio, alterutri etiam Electorum parti accedendo, ne Sedes Apoſtolica carere debeat Aduocato, & Defenſore, iuxta id, quod habetur in præadducto Canone Venerabilem.

Ex quo ipſiſſimo principio de Occidentis Imperio per auctoritatem Pontificiam in Germanos tranſlato, fit inſuper, decimò conſequens, Summo Pontifici fuiſſe hinc ius quæſitum, tum ſtatuendi de norma Imperatoriæ electionis, tum conſignandi certos Principes, quibus hoc eligendi ius appropriaretur. Ipſa namque ratio naturalis dictat, ius Imperij legitima auctoritate Græcis ademptum, in hunc primitus conceſſiſſe, qui hoc ius Græcis legitimè (vti in præcedentibus probatum eſt) ademerat. Ex Romano equidem Pontifice, Occidentis Imperium eatenus fuerat deriuatum in Carolum Magnum, vt iure hæreditatio ſubſiſteret penès illius ſtirpem maſculinam, quamdiu ſupererat, qui habilis eſſet gubernando Imperio, cuius habilitatis ratio ab Apoſtolica poteſtate, ex præinſinuati Iuris titulo, dijudicanda fuerat, vbi Carolo Simplici vltimo ex Carolina ſtirpe progenito repudiato, Magnates Germaniæ Ducem Saxoniæ Imperio præficiendum ſanxerant. Vbi enim Ius hæreditariæ in Imperio Occidentali ſucceſſionis, in Carolina ſtirpe exſpirauit, penès Principes Germaniæ ius eligendi Imperatorem, nullo iuſto titulo ſubſiſtere poterat, niſi dependenter à Sede Apoſtolica, per quam ius Imperij à Græcis iuſtè ademptum, in eiuſdem tranſierat poteſtatem, & hinc in Carolum Magnum, eiuſque maſculinam dumtaxat ſtirpem ſucceſſionis hæreditariæ titulo tranſlatum fuerat, penès Sedem Apoſtolicam reſidente radicali quaſi primæui Iuris, vti dictum, ſibi quæſiti facultate. Ex cuius proinde diſpoſitione neceſſariò pendere debuit vlterior intrà Germanos prorogatio, dum iſti neque hæreditariæ reſpectu Caroli Magni ſucceſſionis ratione, neque alio ſuper Ius Imperij à Græcis adempti iuſto titulo, ex tunc potiebantur.

Sed pro vndecimo, ad vniuerſale Pontificiæ ſuper Reges, & Imperatores poteſtatis fundamentum, & principium regrediendo, opportunè expendenda venit conſtitutio, in Concilio Generali Lugdunenſi ab Innocentio IV. edita, & relata in cap. Ad Apoſtolicæ. De ſenten. & re iudicata. Vbi Pontifex nefandis Friderici II. Imperatoris exceſſibus, cum ſancto Concilio matura deliberatione præhabita perpenſis, ita decernit: [Cùm Ieſu Chriſti vices teneamus, Nobiſque in perſona beati Petri ſit dictum:] Quodcumque ligaueris ſuper terram, ligatum erit, & in Cælis, [idcircò memoratum Principem, qui ſe Imperio, & Regnis, &c. reddit tam indignum, omni dignitate priuatum à Domino denunciamus, & nihilominùs ſententiando priuamus omnes, qui ei iureiurando fidelitatis tenentur adſtricti, à iuramento eiuſmodi perpetuò abſoluentes, &c. Illi autem, ad quos electio ſpectat Imperatoris, liberè eligant.]

Quæ proinde Canonica, & Conciliaris ſanctio pro duodecimo noſcitur reduci in hoc fidei principium, quo credimus, [Summum Pontificem Chriſti in terris agere vices, ipſique in perſona Petri dictum eſſe:] Quodcumque ligaueris, ſeu ſolueris ſuper terram, erit ligatum, ſeu ſolutum in Cælis. Quis enim negare auſit, ſub iſto [Quodcumque, quod eſt in terra Morale,] contineri, & actus

Mora-

Morales publici quoque à Rege promanantis Regiminis, & dignitatis Regiæ ad hanc individuam personam, ex æquitatis publicæ etiam Religiosæ ratione, faciendam applicabilitatem, eiusque in Rege Ecclesiæ sanctæ clauibus subiecto perseuerantiam Moralem? Sub illo adeò fidei principio, per eam sanctionem Synodalem, expendebatur Imperatoris prætacti ex faciuoribus suis indignitas. Cuius iudiciaria proinde discussio, licèt fuerit dependens à probationibus, quæ intrà præcisam prudentiæ naturalis sphæram, non supergrederentur Moralem certitudinem; attamen hoc Oecumenici Concilij iudicium, per Spiritus sancti gratiam ita depurabatur à Materiali, falsitatis periculo obnoxia concretione, vt altior prudentiæ infusæ commensurata certitudo practica, omnimodam falsitatem excludens, per Dei instinctum efformata, & cum illo fidei principio collata, sub forma virtualiter saltem syllogistica progrederetur ad concludendam sententiam, aduersus Imperatorem iudicialiter ferendam, sub vera lumini supernaturali innixa consequentia Theologica; vti fusiùs demonstratur suo loco, vbi agitur [de Summi Pontificis in rebus Fidei, ac Morum infallibilitate.]

Ex quibus vniuersis pro decimotertio facilè intelligitur fundamentalis ratio, per quam asseuerare liceat, [claues regni cælorum Petro, eiusque successori à Christo concessas, complecti quoque temporalia ipsorum etiam Regum iura.] Etenim cuiuscumque potentiæ, seu potestatis duplex noscitur esse obiectum, [Formale scilicet, ac specificatiuum, & Materiale, seu Terminatiuum.] Oecumenicæ igitur Pontificiæ, & Ecclesiasticæ potestatis obiectum Formale, ac specificatiuum, importat quidem ordinem ad regnum cælorum, sicque adeò spiritualia per se habentia talem respectu Regni cælorum ordinabilitatem, per se primò subduntur Ecclesiæ clauibus, seu Ecclesiasticæ potestatis regimini, & auctoritati; quidquid tamen participat de tali ordinabilitate, est hoc ipso de eiusdem Apostolicæ potestatis obiecto Materiali, atque adeò non per se primò, sed per accidens, vel secundariò sub eius formalitatis participatione, subijcitur sanctæ Ecclesiæ iudicio. At verò quidquid Moralitatis est in hominibus Christianis, eorumque actibus, & negotijs, seu causis quibuscumque etiam Ciuilibus, est vel ordinabile in Regnum cælorum, vel ab hac ordinabilitate est deficiens. Sub tali erga Moralitatis, ipsinsmet etiam Regiæ potestatis exercitio conuenientis, seu debitæ ad certum subiectum applicationi, eiusque regimini de se licèt Politico inexistentis, ad regnum cæleste, seu spirituale, tum Ecclesiæ Triumphantis salutem æternam, tum Militantis Ecclesiæ Bonum etiam Publicum ordinabilitate, quæuis causæ Ciuiles, & temporales, etiam publicæ, ac Regales, subeunt rationem obiecti Materialis, respectu Apostolicæ Oecumenicæ auctoritatis.

Hinc denique pro decimoquarto, licet concludere per sequentem argumentationem Theologicam, ex duobus nempe omninò certis, partim Fidei, altero partim naturæ lumine notis principijs deductam. Etenim lumine naturæ notum est, cuiusuis potentiæ, seu potestatis sphæram extendi super omne id, quod ita comparatur ad ipsius Formale specificatiuum, vt propterea, respectu illius, superinduat rationem obiecti materialis. Ac ex fidei veritate compertum est, Oecumenicæ Petro, eiusque successori commissæ, clauium potestatis proprium, & Formale specificatiuum esse ordinabilitatem ad Regnum cælorum; [iuxta apertum Christi Domini verbum.] Quidquid ergo superinduit istam respectu regni Cælorum ordinabilitatem, ita superuestitur Formali specificatiuo Oecumenicæ Petro commissæ clauium potestatis, vt consequenter ad istam se habeat per modum obiecti materialis, & terminatiui. At verò quidquid in homine Christiano est Morale, secundùm fidei principia, vel positiuè, vel priuatiuè participat de formalitate ordinabilitatis ad regnum cælorum. Ergo quidquid in homine Christiano est Morale, per modum, vel positiuæ participationis, vel priuatiuæ oppositionis, ita superinduit formalitatem Oecumenicæ, Petro commissæ clauium potestatis specificatiuam, vt consequenter fit de eius obiecto Materiali, ac terminatiuo. Atqui Regiæ quoque potestatis ad certum subiectum, æquitati etiam religiosæ consona applicabilitas, vnà cum vniuerso regimine, ac exercitio libero eiusdem Regiæ auctoritatis, secundùm fidei principia, superinduit de Moralitate, vel ordinabilitatis ad Regnum cælorum, atque salutem æternam, sacrèque Religionis vniuersalem vtilitatem, vel ab ista deficiendo, importat deordinationem saluti æternæ, atque Religionis Bono Moraliter oppositam. Ergo lumine naturæ conspicua principia combinando cum fidei principijs, per consequentiam verè Theologicam rectè infertur, Regiã quoque potestatem, cum sui ad certum subiectum applicabilitate, nec non publico etiam exercitio, superinduendo Moralitatem in Regnum cælorum ordinabilem, vel ab hoc ordine deficientem, ita superuestiri Oecumenicæ Petro commissæ clauium potestatis Formali specificatiuo, vt consequenter fit de istius obiecto Materiali; sicque adeò vnam de se licèt simplicem, Oecumenicam Summi Pontificis auctoritatem virtualiter continere duplicem gladium: primariò equidem spiritualis, secundariò autem temporalis, super ipsos etiam Reges protensæ potestatis. At conclusio partim ex fidei, partim ex luminis naturalis certis, & indubitatis principijs, per consequentiam Theologicam ritè illata, ita reducitur in fidei principium, vt virtualiter saltem fit de fide. Viderint ergo, qui Reges Summi Pontificis Oecumenicæ potestati, etiã per accidens indirectè materialiter, ac consecutiuè subiectos negare contenderent, quomodò securè ambularent in Fide Orthodoxa?

CAPVT III.

An ex hoc, quòd poteſtas Eccleſiæ tota ſpiritualis ſit, nullatenus extendi valeat erga temporalia?

IN hoc, & ſeqq. capitibus refutare conabimur, quæ Ludouicus Ellies Du Pin, ſacræ facultatis Theologicæ Pariſienſis Doctor in ſuis de antiqua Eccleſiæ diſciplina diſſertationibus hiſtoricis anno 1686. editis, diſſertatione ſeptima adducit, ad probandum: Pontificem, aut Eccleſiam habere nullam in Reges, eorumque bona auctoritatem directam, vel indirectam, nec poſſe Reges ab ipſis vllatenus deponi, aut eorum ſubditos à fide, ac obedientia eximi. Huius ſui intenti in proloquio dictæ ſeptimæ diſſertationis ſequentia ſtatuit principia, ceu euidentiſſima, ac certiſſima. Primum eſt, quòd ciuilis, & Eccleſiaſticæ ſocietatum fines ſint omninò diſparati, & neuter ſit alteri ſubordinatus. Secundum, quòd poteſtas ſocietatis ciuilis in corpora dumtaxat extendatur, ſocietatis verò Eccleſiaſticæ auctoritas tota ſpectet ad animos. Tertium, quòd poteſtas Eccleſiaſtica nihil poſſit, niſi vt agat exhortationibus, ac præceptis, excommunicationibuſque, non alijs pœnis aduersùs inobedientes. Quartum, quod Eccleſiaſticarum legum alius finis non ſit, quàm doctrinæ, & diſciplinæ Chriſtianæ ſanctitatem, & puritatem illibatam ſeruare. Vnde oritur quæſtio, quibus medijs hic finis valeat obtineri?

Ex quibus principijs idem Ellieſius infert, tum quòd Eccleſiæ poteſtas ex toto eatenus ſit ſpiritualis, vt in temporalia ſiue Regum, ſiue aliorum bona minimè extendatur, nec adeò Reges deponi poſſint auctoritate merè Eccleſiaſtica. Tum quòd idem homo poſſit quidem ſimul eſſe membrum ſocietatis ciuilis, & Eccleſiaſticæ, attamen in ciuilibus ſubijciatur ciuili dumtaxat poteſtati, in ſpiritualibus verò Eccleſiaſticæ, ita, vt ambæ iſtæ poteſtates ſint penitus diſparatæ, & à Deo ſolo, à quo ſunt inſtitutæ, dependeant, ac proinde neutra in alteram quidquam poſſit, tametſi ſpiritualis ſit temporali ſublimior. In hanc proinde ſummam redigitur prætactum Ellieſij proloquium, cuius ſeu principia, ſeu conſectaria, licèt in anterioribus iam diſcuſſa, eluceſcant, multis vel erroribus, vel periculoſis ſcatere dogmatibus, cum ſacræ Scripturæ,& antiquæ Orthodoxiæ ſenſu haud cohærentibus, nihilominùs operæ pretium eſt viſum, ſub argumentis ab Auctore illo propoſitis, accuratiùs ea expendere.

§. I.

An ex eo, quòd Chriſtus ceu Eccleſiæ Caput, nullam in temporalia exercuerit poteſtatem, demonſtrari valeat, poteſtatem Eccleſiæ nullatenus extendi ad temporalia?

LVdouicus Ellies cit. diſſert. 7. cap. 1. §. 1. argumentatur 1. Chriſtus non aliam Eccleſiæ contulit poteſtatem, præter eam, quam à Deo Patre, quatenus homo eſt, accepit; ſicut miſit me (inquiens Ioannis. 20. verſ. 21.) viuens Pater, & ego mitto vos. Vnde Eccleſiæ Miniſtri dicuntur à B. Paulo, Chriſti vices agere, & pro ipſo legatione fungi. Vnde ad oſtendendum, Eccleſiam non habere vllam temporalem poteſtatem, demonſtrare ſufficiet, Chriſtum, quatenus Eccleſiæ Caput fuit, & fundator, nullam ſibi arrogaſſe in temporalia Regum auctoritatem, nullamque exercuiſſe temporalem poteſtatem. At Chriſtus ipſe diſertè dicit, ſe ad hoc non veniſſe, vt vllam temporalem à Patre acceptam haberet poteſtatem, cùm enim Iudæi ipſum apud Pilatum accuſaſſent, quòd ſe Regem Iudæorum eſſe, dixiſſet, interroganti: (Num Rex eſſet Iudæorum?) reſpondit: (Regnum meum non eſt de hoc mundo.) Et vrgenti eidem Pilato:) Ergo Rex es tu? Reſpondit quidem: (Tu dicis, quia Rex ſum.) Attamen (ego in hoc natus ſum, & ad hoc veni in mundum, vt teſtimonium perhibeam veritati.) Quomodò igitur Chriſtus clariùs profiteri potuiſſet, ſe non veniſſe in mundum, vt temporalem exerceret poteſtatem? Et hinc S. Auguſtinus in eum locum tract. 15. in Ioannem.) Audite, ait, omnia regna terrena, non impedio domiationem veſtram in hoc: venite ad regnum, quod non eſt de hoc mundo, venite credendo, & nolite ſeruire metuendo: dicit quidem propheta de Deo Patre:) Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo ſuper Sion montem ſanctum eius, ſed Sion illa, & mons ille non eſt de hoc mundo, quod eſt enim eius regnum, niſi credentes in eum? quibus dicit: De mundo non eſtis, ſicut & ego non ſum de mundo.

Reſponſio, & ac retorſio confutatoria huius argumenti.

PRimò. Reflexione habita ad iſtius ratiocinationis maiorem, plus concedam, quàm ipſemet Ellieſius deſiderauerat, menſuram poteſtatis Eccleſiæ ſtatuendo ex menſura dominij, Chriſto qua homini competentis. Numquid verò Chriſtus Apocal. 1. diſertè dicitur (Princeps Regum terræ?) Numquid Act. 10. aſſeritur (Ieſus eſſe Dominus omnium?) Numquid 1. Corinth. 11. habetur: (Omnia eſſe ei ſubiecta, ſcilicet Chriſto, Præter eum, qui ſubiecit ei omnia.)

Ellieſius equidem cit. §. 1. (propè finem excipit; eiuſmodi ſacræ Scripturæ textus, qui-

quibus Christus Regnorum, ac Regum omnium Dominus dicitur, conuenire ipsi ratione diuinitatis, adaptari autem Christo homini per communicationem idiomatum.

Verùm Heb. 1. habetur Christus [esse heres vniuersorum. Numquid autem Christo secundùm diuinitatem conuenire potest, esse hæredem? Insuper Apocal. 17. dicitur in femore eius scriptum: [Rex Regum, & Dominus dominantium.] Numquid verò sub isto femore intelligitur humanitas? Et hinc cit. 1. ad Corinth. 15. capite fit distinctio inter eum, qui subiecit Christo omnia, & eam naturam, cui in Christo subiecta sunt omnia. Quia igitur non secundùm hypostasim vt sio, sed secundùm diuinitatem conuenit Patri, quòd Christo subiecisset omnia: neque verò Christus secundùm diuinitatem est distinctus à Patre, idcircò manifestum hinc redditur, Christi humanitati, seu Christo qua homini esse omnia subiecta. Anne igitur hanc Christi dominij super omnia vniuersalitatem dicere fas est, mensuram esse potestatis Ecclesiasticæ?

Arctiorē profectò huius potestatis sphæram adstruo, coarctando eam ad lineam moralitatis. Numquid enim Christus Ioannis 20. dicens Apostolis: [Sicut misit me viuens Pater, & ego mitto vos:] respexit ad illa sua Matthæi 18. exarata verba: [Quodcumque ligaueritis super terram, erit ligatum in cœlis?] Numquid verò ista verba sunt connexa cum illo sacro textu, quo peccantes pro foro etiam externo subijciuntur Ecclesiasticæ virgæ correctoriæ, & coercitiuæ? Numquid Christus etiam Ioannis 21. quando Petro dixit: [Pasce oues meas,] respexit ad verba sua Matthæi 16. descripta: [Tibi dabo claues Regni cœlorum, quodcumque solueris super terram, erit solutum, & in cœlis? Numquid verò ista soluendi potestas sub hisce verbis regulanda est ex ordinabilitate ad regnum cœlorum? Sicuti ergo tam peccati, quàm ordinabilitatis ad regnum cœlorum ratio spectat ad lineam moralitatis, sic huius, non autem tota dominij, Christo qua homini competentis sphæra, statuenda est mensura potestatis Ecclesiasticæ. Imò in ipsa etiam moralitatis linea discernere adhuc oportet inter moralitatem, qua lumini naturali, seu consonam, seu dissonam, & qua supernaturalis status eleuationi proportionatam, atque hanc dumtaxat per modum obiecti formalis, ac specificatiui ponimus mensuram potestatis Ecclesiasticæ. Vnde consequenter solùm, quatenus scilicet moralitas naturalis ex Dei ordinatione ineuitabilem cum supernaturalis lineæ, seu priuatiua, seu positiua moralitate connexionem habet, per modum adeò obiecti terminatiui, & materialis dicimus, istam esse subiectam potestati Ecclesiasticæ.

Quare pro secundo. Dum Christus Pilato interroganti: [Num esset Rex Iudæorum?] Respondit: [Regnum suum non esse de hoc mundo:] hoc verificatur etiam de vniuerso Christi qua hominis dominio, quippe cùm istius, Christo, qua homini communicati dominij radix, & origo quasi formalis, sit vnio hypostatica, quæ sicuti non est de hoc mundo, sic neque dominium in illa quasi radicatum, est originariè de hoc mundo. Verùm hoc ipsissimum Christi hominis dominium, qua Ecclesiæ communicatum, quia complectitur lineam moralitatis ad statum supernaturalem eleuatæ, ipsamque adeò moralitatem naturalem vnà secum eleuantis ad supernaturalitatem, idcircò etiam obiectiuè non est de hoc mundo, oportetque proinde, vt fateamur, potestatem Ecclesiasticam, vnà cum sui mensura, neque originatiuè, neque obiectiuè esse de hoc mundo, quippe cùm ne naturalem quidem moralitatem complectatur, nisi qua superuestitam moralitate supernaturalis lineæ. Sub ipsissimo nihilominus isthoc moralitatis supernaturalis regimine, Christus disertè dixit, contineri regnum suum, foreque adeò in Ecclesia per se constituenda regnum, quod tamen non esset de hoc mundo, siue quod non esset hinc. Numquid autem correlatiua inseparabiliter connexa, sunt Regnum, & Regia potestas? Ex Christi igitur verbis illis, clarè euincitur Regia quæpiam intrà Ecclesiam potestas, ea auctoritate Apostolica consistens, vnicè tamen complectens lineam moralitatis, qua in regnum cœlorum ordinabilis. Et ideò Pilato vrgenti: [Ergo Rex es tu?] Christus iterum respondit: [Tu dicis, quia Rex sum ego,] mox subijciens: [Ad hoc veni in mundum, vt testimonium perhibeam veritati.] Sic ergo Christus, qua Rex, tum ex se ipso, immediatè, tum consequenter ex auctoritate Apostolis communicata, erat veritati testimonium perhibiturus. Sed cui veritati? Cùm Christus indefinitè locutus fuerit, num exceptionem aliquam pateretur in aliqua veritatis specie, seu genere? Num igitur Christus venerat, vt veritati etiam Philosophicæ ex Regia sua auctoritate testimonium perhiberet? Quandoquidem luminis naturalis veritas Philosophica, vbi cum Euangelica veritate minùs cohæret, redigenda sit in fidei, ac Christi obsequium, numquid Christus ad hoc etiam venisse dicendus est in mundum, vt testimonium perhiberet Philosophicæ veritati, hanc scilicet continendo intrà fidei sanctæ veritatem, seu superiorem regulam, ac mensuram suam? Et quia veritas practica est mensura moralitatis, cuius linea etiam naturalis superuestitur, seu positiua, seu priuatiua, aut negatiua moralitate supernaturali, numquid Regia Christi potestas Ecclesiæ sanctæ communicata, protenditur super moralitate etiam naturali, eatenus concordantia cum supernaturali moralitate, vt, si ab hac deficiat, per auctoritatem Apostolicam sit in huius ordinem redigenda? veluti sæpiùs factitatum est in legibus Imperatorijs ab æquitatis ratione, ipsi etiam supernaturali lumini repugnante desciscentibus. Et hinc in aperto iam est falsitas illius ab Elliesio in Proloquio positi primi principij sui, quòd ciuilis, & Ecclesiasticæ societatum fines sint omninò dispatati, ita vt neuter sit alteri subordinatus. Sed de hoc disserebamus superiùs in huius Summarij 1. cap. §. 2.

Pro tertio Prophetia Psal. 2. exarata nos instruit de Regno Christi, quod est Ecclesia. Dum nempe Regius Propheta, in figura Christi ibidem disertè sic pronunciat: [Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum eius. Numquid ergo, vbi

Chri-

Chriſtus hanc ſuam Regiam poteſtatem commiſit Vicario ſuo Petri ſucceſſori, huic dicere fas eſt, ego vice Chriſti ſuper Sion montem ſanctæ Eccleſiæ conſtitutus ſum Rex? Quodnam verò huius Regis eſt regnum, quod non ſit de hoc mundo, niſi (vti S. Auguſtinus reſpondet) credentes in Chriſtum? Numquid autem inter hos credentes in Chriſtum ſunt quicumque Reges Chriſtiani? An non igitur iſti dicendi ſunt ſubiecti Apoſtolicæ auctoritatis, Chriſti in terris Vicariæ regimini, quoad totam moralitatis lineam, ſicque adeò directè, ac per ſe non quoad temporalitatem vt ſic, ſed quoad iſtam quà ſubordinatam lineæ moralitatis, inexiſtentis libero cuique poteſtatis Regiæ exercitio, vtpote ineuitabiliter, vel ordinabilitatem ad cœlorum regnum, vel ab hoc deordinabilitatem obtinenti? Et hinc æternus Pater ſub illa Dauidica prophetia, Regiæ illius, Chriſto principaliter, Petri autem ſucceſſori Vicariè competentis ſphæram circumſcribens, aiebat: [Poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſiones tuas terminos terræ.] An non igitur poſſeſſiones etiam temporales, terræque termini, ſecundùm illam æterni Patris prophetiam, ſunt intra ſphæram Vicariæ Chriſti auctoritatis? Et, ne quis ſit, hanc poteſtatem Regiam deſtituere virga auctoritatiua, & coercitiua, ſuperadditur ibidem: Reges eos in virga ferrea. Hanc proinde virgam ferream in foro etiam externo coercitiuæ auctoritatis eſſe in Sion ſanctæ Eccleſiæ monte, ſeù Regno Chriſti, fateri compellitur ipſemet etiam Ellieſius, aſſeuerans, eſſe literalem illam S. Auguſtini expoſitionem, qua dixerat, eam Pſalmidicam Prophetiam intelligendam eſſe de Chriſti Regno, quod ſunt in Chriſtum credentes.

ARGVMENTVM II.

Lvdouic. Ellies cit. §. 1. argumentatur tum ex S. Chryſoſtomo in illum locum Ioannis homil. 18. docente: [Quòd Chriſtus in Cœlo habeat imperium non humanum, ſed longè maius, atque præſtantius: tum ex S. Ambroſio in Lucam lib. 3. Chriſtum, inquiunte, profiteutem, non eſſe de hoc mundo regnum ſuum, oſtendiſſe, eſſe ſupra mundum, nec eſſe in ſæculo, ſed ſupra ſæculum. Vndè redditur conſequens, quòd Chriſtus non habuerit poteſtatem Regiam, ſed Regia ſuperiorem, alteriuſque ordinis, ac dignitatis: tum ex Diuo Cyrillo in illum locum docente: Quòd Chriſtus Pilato reſpondens, non negarit, Regem ſe eſſe &c. ſed Regni Cæſaris non eſſe hoſtem, oſtendiſſe, quia principatus eius mundanus non eſt, ſed Cœli, terræque, cæterarumque rerum omnium.] Quare Vicaria quoque Chriſti poteſtas mundana non eſt, ſed ſuprà mundum, & ſuprà ſæculum.

Reſponſio, ac retorſio huius argumenti refutatoria.

Primò. Lubens admitto, Chriſti Vicariam in mundo poteſtatem non eſſe mundanam, perinde, ac Chriſti principatus, tametſi iuxtà S. Cyrilli ſententiam, cælum, terramque, cæteraſque omnes res ambiat, haud mundanus eſt, ſed ſupra mundum, & ſupra ſæculum. Numquid autem ſupra mundum, & ſupra ſæculum eſt principatus ille, cuius formale ſpecificatiuum eſt ordinabilitas in Regnum Cœlorum, adeòque moralitas lineæ etiam ſupernaturalis? Eſtne verò in vſu etiam rerum temporalium, poteſtatiſque Regiæ exercitio, excogitabilis ſtatus aliquis, qui ſuperinduatur moralitate, vel ordinabilitatis in Regnum Cœlorum, vel ab hoc deordinationis, ſeù priuatiuæ, ac negatiuæ, ſeù poſitiuæ, quandoque ad poſitiuam ſacræ Religionis, & Eccleſiæ ſanctæ, Chriſtique adeò Regni deuaſtationem intentæ? Talis proindè principatus Eccleſiaſticus, ordinabilitatem ad Regnum Cœlorum auctoritatiuè procurans, & ab hoc deordinabilitatem peruetſam, virga etiam ferrea coercens, nullatenus præiudicat Cæſareæ, & Regiæ terrenæ poteſtati, ſed hanc euehere ſatagit in ſublimiorem ſupernaturalis moralitatis ſtatum, ſub quo intelligi poſſit eſſe ſupra mundum, ſeù ſæculum.

Huius ergo ſupra mundani principatus, Chriſti in tertis Vicatij ſphæram accuratiùs indagare cupiens, pro ſecundo ſciſcitor ex Elliefio quandoquidem is principatus ſit à Chriſto deſignatus ex clauibus Regni Cælorum, munitis auctoritate ligandi, & ſoluendi quodcumque ſuper terram: quidnam ſubintelligatur ſub iſto Tò Quodcumque, quod ſacer contextus ſub morali ad Regnum Cælorum ordine ſubiecit ſuper terram, ita vel ſoluendum, vel ligandum, vt ratum habendum ſit etiam in cœlis? Nonne ex proprietate verborum huiuſmodi, ſub illo Tò Quodcumque, accipi debet quoduis morale, in ſupernaturalem Eccleſiæ, ſeù triumphantis, ſeù militantis, ceù Regni Cœlorum finem, vel ordinabile, vel ab iſta moralitatis ſupernaturalis ordine defectibile? An verò dicere fas eſſet, Regem Chriſtianiſſimum ab hoc erga Regnum Cœlorum ordine eſſe excluſum, ne dicam quoad animam ſuam dumtaxat, ſeù ſpiritualia, ſed quoad moralitatem ſuarum publici quoque, ac politici regiminis actionum, imò ipſiuſmet etiam Regiæ ad ſuam Chriſti charactère inſignitam perſonam ſubiectiuè applicationis?

Huic proindè moralitati inſiſtendo, pergo vlteriùs ſciſcitari: an non ſecundùm einſdem moralitatis menſuram, extendenda ſit etiam virga correctoria Matth. 18. Eccleſiæ commiſſa erga quoſcumque, ſi peccauerint, Chriſtianitatis conſortes fratres? Num verò citra grauiſſimam iniuriam dici poſſet Rex Chriſtianiſſimus, inter hos Chriſtianæ communionis fratres non eſſe comprehenſus? Num igitur Regum à debita in regnum Cœlorum ordinatione, cum graui quandoque publicæ etiam ſacræ Religionis diſcrimine, enormiter exorbitantia facinora fas eſſet, excipere ab illa correctoria, ſeù coercitiua Eccleſiæ virga? Quidni ergo potiùs dicendum videatur, quodcumque Regis facinus ſub debitæ ad regnum cœlorum ordinationis deficientia, ſeù priuatiua, ſeù etiam poſitiuè contraria, publicæ præſertim Religioni perquàm nociuum, contineri ſub illo Quocumque ſuper terram Morali, ſuper quo per Chriſtum noſci-

noscitur esse constituta clauium Regni Cœlorum, ad quodcumque seù ligandum, seù soluendum ptorensa auctoritas Apostolica? Quidni proinde è contrario etiam videatur concludendum, sub illo Quocumque moralitatem vel ad regnum cœlorum ordinabilem, vel ab isto ordine deficientem complectente, includi Regiæ quoque potestatis exercitia, eiusque ad hoc suppositum applicabilitatem, quà superuestitam moralitate in regnum Cęlorum, vi characteris per sacrum Baptismum suscepti, specialiter ordinabili? Quòd si ergo Pontifex Maximus, exigente Ecclesiæ necessitate, ob Regis cuiuspiam aduersùs sacram religionem molimina, suam Apostolicam soluendi auctoritatem, seù correctoriam, coercitiuamque virgam super ius Regię Maiestatis, quà huic indiuiduæ personæ subiectiuè inexistens, & quà moralitate ad Ecclesiæ claues indubitanter spectante superuestitum extenderet, quomodò fieri posset, quòd non indirectè à tali Rege tolleretur ius Regium, vtpotè respectu eius Regis ex tunc eatenus solutum, vt iuxtà Christi Domini verbum, solutio, huiusmodi in Cœlo, in ipso proindè foro conscientiæ, comprobanda esset?

ARGVMENTVM III.

Lvdouic. Elliesius præcitatus pergit 3. argumentari. Duplex tantùm in Christo dominium reperiri potest. Vnum creationis, quod Christus habet ex Diuinitate, alterum adoptionis, & familiaritatis, vt Chrysostomus hom. 30. in epist. 1. ad Corinth. loquitur, quod Christus habet ex humanitate. Neutrum verò istorum dominiorum idem est cum dominio Regum in temporalia. Nam quatenus Deus est, habet supremum in omnia imperium, quatenus autem homo est, regnum eius totum est spirituale, nec enim homo factus est, vt totum orbem more Regum terrenorum regeret, imò se minimè venisse ad hoc, vt rerum temporalium reglmen susciperet, verbis, & factis docuit: tum quando aufugit, ne à Iudæis Rex eligeretur: tum quando roganti cuidam, vt fratri suo iuberet, hæreditatem partiri, dixit, [Homo, quis me constituit iudicem, aut diuisorem super vos?] Cùm igitur certum sit, Christum Ecclesiæ communicasse eam tantùm potestatem, quam habuit vt homo, & Caput Ecclesiæ, non autem illam, quam habuit vt Deus, & Creator, pro certo tenere debemus, nullam potestatem temporalem à Christo Ecclesiæ collatam esse.

Responsio, ac retorsio huius argumenti refutatoria.

Primò certum est, ex Diuinitate nullum in Christi humanam naturam esse deriuatum dominium, quod non realiter præexisteret in dominio Diuinitatis, quod Elliesius dicit dominium creationis. Huius autem Diuini dominij sphæra, præter lineam naturæ vniuersæ, complectitur etiam lineam status supernaturalis, ad quem homo ad imaginem Dei factus, in primo creationis suæ instanti eleuatus, & postquàm è gratia exciderat, per Christi redemptionem reparatus fuit. Numquid ergo Diuinitas Christo, quà homini fecit de vtraque illa seù naturæ, seù supernaturalitatis linea, dominij sui participationem aliquam, dum constituit ipsum hæredem Vniuersorum? Et licèt Christus quà homo noluerit sibi assumere exercitium, & munus regnandi in temporalibus; renuens propterea munus iudicis in se suscipere circa duorum fratrum hæreditatem diuidendam; attamen vno saltem, alteroue actu ostendere voluit suum, seù proprietatis, seù iurisdictionis in res quoque temporales dominium, quando scilicèt Matth. 8. Lucæ 8. ejiciens legionem dæmonum ab homine, concessit ipsis, vt intrarent in porcos, non absque magno Gerasenorum damno. Talis dominij argumentum exhibuit etiam, quando 12. Matth. cap. arefecit ficulneam, quando insuper eodem cap. iubens ad se adduci cum pullo asinam, quam Apostoli repetirent alligatam, subiecit. [Si quis aliquid dixerit, dicite: quia Dominus his opus habet.] Iurisdictionis denique, Legis Mosaicæ sacerdotio superioris altum dominium ostendit, quando Ioannis 18. dum Pharisæi mulierem in adulterio deprehensam ad eum adduxerant, & coram ipso accusauerant, ex vi eiusdem alti dominij eam absoluit, non à reatu dumtaxat peccati, sed etiam à pœna lapidationis in Lege Mosaica indicta. Quinimò cùm Christus etiam quà homo, & Caput Ecclesiæ ascendens in altum, daret hominibus dona curationum, & sanitatum, quæ licèt quoad modum participarent de supernaturalitate, quoad substantiam tamen verè continentur intrà naturæ lineam, indè manifestum est, Diuinitatem de suo creationis dominio etiam quà naturæ lineam contingente, fecisse Christo, quà homini, dominij sui aliquam communicationem.

Sed quid dicemus de linea supernaturalitatis, quam Diuinitas ita posuit in potestate Christi, quà Ecclesiæ Capitis, vt eiusdem participationem facere posset Nouæ Legis sacerdotio? In quà proindè supernaturalitatis seù positiua, seù priuatiua linea, numquid continetur vniuersa supernaturali statui commensurata moralitas? Et quia nihil moralitatis etiam naturalis ex hominis libero arbitrio contingit, quin vel deficiat ab ordine regni cœlorum, vel per gratiam Christi sublimetur ad hunc regni cœlorum ordinem, numquid moralitatis etiam naturalis linea ita suberat Christi dominio, vt eamdem vellet tamen subordinatam lineæ moralitatis supernaturalis? Numquid ergo Christus quà homo, [Quodcumque in regnum celorum cordinabile super terram,] subijciens potestati Ecclesiasticæ, huic communicauit etiam de suo super omnimoda moralitatis, politicum quoque regimen sint suo complectentis, linea, iurisdictionis altæ dominio?

Pro secundo igitur, missa iam vniuersa naturæ physica linea, faciendo reflexionem ad vnicam moralitatis, [Quodcumque in regnum cœlorum ordinabile complectentis,] lineam, placuit per modum progressionis ex Elliesio hic sciscitari. Num credat, potestatem Ecclesiæ super hac moralitatis, quà in regnum cœlorum ordinabilis linea indefinitè protensam, æquè esse de gratijs Christi gratis datis, ac sit gratia Prophetiæ? Noscitur profectò ex

1. Corinth. 12. cap. à ver. 28. Apostolus inter gratias gratis datas perinde recensuisse Apostolatum, in Petri successore vnicè adhuc persistentem, ac donum Prophetiæ, Vnde opportunum est nobis visum, nonnihil excurrendo hic facere Apostolicæ in Petri successore perdurantis auctoritatis, ceu gratiæ Christi gratis datæ comparationem cum lumine Prophetiæ. Hoc equidem Diuinitus concessum donum, minimè facit, ne homo Prophetiæ dono ditatus, sit obnoxius fallaci & fallibili, atque ad malum pronæ conditioni humanæ, maximè cùm lumen Propheticum recenseatur inter gratias gratis datas, quæ inexistere possunt homini peccatori infideli; vti constat de Sybillis veris Prophetissis, sed Ethnicis. Nihilominùs quando is, qui Prophetiæ gratia est ditatus, intendit in lumen Propheticum, ex hoc diuinizando, ac reuelando veritates absconditas, nequit vlla subesse falsitas, ac deceptio, quippe cùm actus Propheticus, quà procedens ex lumine Prophetiæ, nequeat in se intrinsecè coinquinari specie mendacij, quia hæc impuritas reducenda foret in luminis Prophetici principiū, Spiritum sanctum, quod ne cogitare quidem, minùs asseuerare licet absq; horribili blasphemia. Sic proindè Oecumenica Pastoralis muneris potestas Apostolica inter Christi gratias Ecclesiæ gratis datas meritò annumeranda, quantumuis inexistat homini peccatori per naturam suam fallaci, attamen Christo repromittente Apostolis; Spiritum sanctum eos edocturum omnia, dicere oportet, eam diuinitus constitutam, ita esse super fidei petra fundatam, vt cunctæ actiones ex ea promanantes reducendæ sint in fidei principium, illius Oecumenicæ Apostolicæ potestatis super quocumque in terris morali ad regnum cœlorum ordinabili protensæ, eatenus directiuum, vt si de particularibus, fallaciæ alioquin obnoxijs, casibus est fanciendum, decernat per prudentiale diuinitus infusæ prudentiæ lumen supernaturale, ab omni adeò seu morali defectibilitate, seu intellectuali fallibilitate, atque fallaciæ labe vt sic depuratum; licèt in Pontifice decernente possit concomitanter, qua homo est defectibilis; aliquid obrepere; quod humanam fragilitatem redolere videatur.

Hinc ergo regrediendo ad Elliesij argumentum, haud impertinenter ab eo requiritur, vt reflexionem faciendo ad Diuini dominij Humanitati Christi, & ab hac Apostolicæ auctoritati donatam participationem, in Summi Pontificis potestate Oecumenica, ceu gratia gratis data agnoscat auctoritatem super quacumque Regum etiam, Regiæque Maiestatis iurium moralitate carentus protensam, vt in decernendo, Diuini quoque luminis sibi assistentis habeat certitudinem.

§. II.

In quo demonstratur ex eo, quod potestas à Christo Ecclesiæ collata tota sit spiritualis, haud euinci, Pontificiam auctoritatem non protendi supra Reges etiam quoad temporalia.

ARGVMENTVM I.

Lvdouic. Ellies cit. cap. 1. §. 2. argumentatur 1. in hunc modum Ecclesia non aliam habet potestatem præter eam, quam Christus Apostolis tradidit, vt per eos ad eorum successores perueniret. At ex Scriptura inferiùs adducenda constat, nullam omninò potestatem, quæ spiritualis non sit, Apostolis esse collatam. Frustra igitur successores eorum aliam sibi arrogant.

Responsio, ac retorsio huius argumenti refutatoria.

Nvnquid enim pro primo, sacramenta simpliciter sunt computanda inter res spirituales, quantumuis constent ex rebus, & actionibus sensibilibus, seu corporeis, ceu materia? Numquid intellectiua potentia in homine, & Angelo est purè spiritualis, eum tamen eius obiectum materiale complectatur naturam quoque corpoream? Vnde hoc? nisi quia denominationes fiunt ex eo, quod formale est, non autem ex eo, quod est materiale. Sic enim ratio Sacramenti formaliter constitutiua est significatio purè spiritualis, ex diuina institutione causatrix supernaturalis gratiæ. Sic intellectiuæ potentiæ formale specificatiuum est lumen obiectiuum à materialitate depuratum, rametsi eius obiectum materiale complectatur cunctas res etiam corporeas. Pari proinde modo tametsi auctoritas Apostolica protendatur quodcumque in regnum cœlorum ordinabile, in quo ordine continetur quodcumque liberum hominis ad statum supernaturalem eleuati, politici quoque regiminis publicum exercitium hoc nequit tamen reduci ad sphæram Apostolicæ auctoritatis, nisi sub moralitate in regnum cœlorum ordinabili, vt sic verè spiritualis ex qua proinde, ceu formali specificatiuo suo, Pontificia potestas meritò denominatur purè spiritualis, quantumuis per accidens extendatur super rebus quoque temporalibus, qua libero, atque adeo morali, & consequenter qua in regnum cœlorum, vel ordinabilitate, vel ab hoc deficientia superuestito ipsorum publici, etiam politici regiminis exercitio, subiectis, vt sic per modum obiecti materialis; & terminatiui se habentibus ad eam purè spiritualem, auctoritatis Apostolicæ potestatem.

Hæc ratio nostra pro secundo firmatur ex ipso Elliesio, mox asseuerante, potestatem annuntiandi Euangelium; nec non baptizandi Matth. 28. Apostolis commissam, esse totam spiritualem. Numquid verò huius potesta-

testatis exercitium materiale sunt actionea corporeæ ? quæ tamen, dum earumdem ratio formalis est merè spiritualis, haudquaqnam officinnt puræ spiritualitati potestaris illins.

Subdit idem Elliesius alteram Apostolis promissam potestatem Matth. 16. & 18. sub auctoritate [ligandi, & soluendi quodcumque super terram.] Quam equidem potestatem, ait à nonnullis frustra protendi ad temporalia, eo quod Christus mentem suam Ioann. 20. sub hisce verbis exposuerit: [Sicut misit me viuens Pater, & ego mitto vos: quæ cum dixisset, insufflauit in eos, dicens, accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.] Numquid verò, mi Elliesi, hæc remittendorum peccatorum potestas merè spiritualis est, tametsi protendatur super peccatis homicidij, adulterij, ac peruersi Regum regiminis, per actiones corporeas perficiendis? Eo ipso tamen, quia moralitas à regni cœlorum ordine deficiens est formale in illis peccatis, quà illi sacerdotali potestati subiectis, inde haudquaquam efficitur, quod potestas illa, licèt per actionem etiam sensibilem, quà Sacramenti materiam intrinsecam exercenda, non debeat purè spiritualis dici. Pari proinde ratione, illa quodcumque in terris morale ligandi, seu soluendi potestas Apostolica licèt protendatur super quocumque publici etiam temporalis regiminis, morali, atque adeò in regnum cœlorum, vel ordinabili, vel deordinabili exercitio, quia tamen ipsissima hæc in regnũ cœlorum, seu ordinabilis, seu deordinabilis moralitas est formale specificatiuum illius Apostolicæ auctoritatis, idcircò illarum, eidem per modum obiecti materialis, & purè terminatiui subiectarum actionum materialitas nullatenus impedit, quo minùs ea potestas dicenda sit merè spiritualis.

ARGVMENTVM II.

LVdouic. Ellies loco citato sic argumentatur 2. Quarta potestas Ecclesiæ respicit pœnam delinquentium, iuxta illud Ioannis 18. [Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & publicanus.] Quibus verbis intelligitur, nullam aliam pœnam ab Ecclesia infligi posse in noxios, quàm vt ab eius consortio remoueantur, nec ampliùs in Christianorum habeantur numero. Itaque frustra quidam contendunt; potestatem esse Ecclesiæ; noxiorum vel pœnis temporalibus, vel bonorum priuatione puniendorum. Postrema denique potestas à Christo Apostolis collata est condendarum legum, quæ ad disciplinam Ecclesiasticam pertineant, & constituendorum sibi successorum. At hæ leges bonum tantùm societatis Ecclesiasticæ respiciunt, non temporalem felicitatem: illique ministri ad regendam Ecclesiam, non ad rem publicam administrandam constituuntur, nec aliam, quàm animarum curam habeot: iuxta illud Pauli. [Obedite præpositis vestris, ipsi enim inuigilant, quasi rationem de animabus vestris reddituri.

Responsio, ac retorsio huius argumenti confutatoria.

PRimò. Potestatem Ecclesiæ correctoriam extendi super quocumque Christianorum, atque adeò Regum etiam: charactere Baptismatis insignitorum, Ecclesiæ sanctæ vnitatem, religionemque sacram, ac fidem Orthodoxam in suis, vel aliorum quoque regum subditis perturbantium, seu euertere molientium peccato, constat ex Christi verbis cit. 18. Ioannis cap. exaratis. Quam ipsissimam coercitionis etiam publicæ, à Christianorum nempe numero remouendi auctoritatem, præualere in foro etiam externo, vel ex hoc patet, quod publicè à consortio etiam publico Ecclesiæ remoueat.

Sed numquid hæc à Christianorum Ecclesiæ consortio exclusio publica, non nisi ad spirituales effectus extendi valet? Eius virgæ correctoriæ, & coercitiuæ à Christianorum consortio remouere potentis sphæra, ab ipsomet Christo verbis proximè subsequentibus circumscribitur, dum ibidem mox subijcitur [Amen dico vobis, quæcumque alligaueritis super terram, & quæcumque solueritis super terram, erunt vel soluta, vel ligata in cælo.] Quandoquidem ergo Ecclesiæ virga coercitiua, à Christianorum consortio, delinquentes, Ecclesiæque inobedientes, & contumaces remouere præpotens, connexa sit cum indefinita quæcumque ligandi, & soluendi potestate, numquid sub ista voce tò quæcumque, consortium Christianorum etiam quoad communionem politicam intelligitur, non equidem formaliter, quà sistit intra limites communionis politicæ, sed quà noscitur superuestiri moralitate, vel ordinabili in regnum cœlorum, vel moralem ab hoc deficientiam importante? Sicut ergo Ecclesia per virgam suæ coercitionis, soluendo peccatoris contumaci ius, quod cuique fidelium est ad Ecclesiæ communionem perimere noscitur ius eiusmodi: sic quia Ecclesiæ potestas extenditur ad quocumque morale in regnum cœlorum ordinabile, neque verò ab hoc moralitatis ordine excludi vnquam valent communionis etiam politicæ, imò & publici regiminis iura & actus, nequit illa Ecclesiæ ad quodcumque in terris morale, quà ab hominum arbitrio libero, sub inseparabili in regnum cœlorum ordine promanare natum, sese extendens virga coercitiua, dici impotens, ad politicæ quoque communionis regiminisque publici, quà peruersa, Ecclesię Religionisque Orthodoxæ bonum euertere conante, moralitate superuestiti, iura dissoluenda.

Secundò. Dum fatetur Elliesius, Apostolicam Ecclesiæ auctoritatem posse condere leges ad Ecclesiasticam disciplinam pertinentes, num dicere fas est, non posse Summum Pontificem facere ordinationes auctoritatiuas aduersùs Reges, sanctæ Ecclesiæ disciplinam euertere, fideique Orthodoxæ sanctiones è medio tollere conantes? Rectè equidem idem Auctor dicit leges ex potestate à Christo Apostolis collata profluentes, non respicere [felicitatem temporalem, sed bonum socie-

eatis Eccleſiaſticæ.] Numquid verò hoc ipſum Eccleſiaſticæ ſocietatis in vnitate fidei, & erga ſanctam Eccleſiam, eiuſque Paſtorem Oecumenicum religioſa obedientia conſiſtentis, bonum exigit, vt quicumque fidei Orthodoxæ virtutem, diſciplinamque Eccleſiaſticam moliuntur euertere, compeſcantur coercitiua Eccleſiæ virga ad quodcumque ſoluendum, atque adeò ad ius quoque Regium, qua in Eccleſiæ perniciem peruersè vſurpatum, è medio tollendum præualente? Quod vbi faciunt Eccleſiæ ſanctæ Præpoſiti, vel maximè intendunt curæ animarum, inuigilantque, quaſi rationem de animabus ſibi ſubditis reddituri.

§. III.

In quo eneruatur tertia Elliesij ratio, conantis oſtendere, quod Chriſtus, & Apoſtoli omnem poteſtatem, & iuriſdictionem temporalem ab Eccleſia amandent.

ARGVMENTVM I.

LVdouic. Ellies prætacto cap. 1. §. 3. ſic argumentatur ad demonſtrandum, nullam eſſe in Eccleſia temporalem poteſtatem, ſufficeret equidem oſtendiſſe, omnem illam poteſtatem, quæ à Chriſto Apoſtolis eſt collata, ſpiritualem eſſe. At Chriſtus præterea omnem omninò poteſtatem temporalem ab Eccleſia amandauit, dicendo Marci 10. v. 42. & Lucæ 22. verſ. 25. [Reges gentium dominantur eorum, & qui poteſtatem habent ſuper eos, benefici vocantur.] Quibus adeò Chriſti verbis doremur, tum quod Apoſtoli, eorumque Succeſſores omni temporali poteſtate, & iuriſdictione careant: tum, quod poteſtas illa ſpiritualis, quam illi habent, non ſit dominij, & imperij, ſed manſuetudinis, & charitatis, ſiquidem poteſtatis terrenæ ſit; exteriora tantùm adminiſtrare, ſpiritualis verò ſit proprium, interiorem cordis affectum; vti Origenes in eum locum Matthæi, & alibi. Hieronymus epiſt. 3. ad Nepotianum. Chryſoſtomus lib. de ſacerdotio, aliiſque locis explicant.

Reſponſio, ac retorſio huius argumenti refutatoria.

INprimis demonſtratum eſt in anterioribus, hæc duo inter ſe optimè cohærere, quòd Poteſtas Eccleſiaſtica ſit ſpiritualis, nec adeò temporalis, & tamen ſub altiori moralitatis, in regnum ordinabilis formalitate, extendatur etiam ſupra temporalia. Numquid enim, vti corpus inſeruire debet ſpiritui, ita etiam temporalia debent eſſe ſubordinata ſpiritualibus? Numquid homo non quoad animam dumtaxàt, ſed etiam quoad corpus operari debet ad finem ſpiritualem ſalutis æternæ? Numquid ex ſtatu hominis ad finem ſupernaturalem eleuati, ſtat obligatio, cunctas etiam corporales actiones reducendi ad Dei gloriam? Ita profectò pronunciauit Apoſtolus, vt omnia, quæcumque facerent homines Chriſtiani, ſiue edendo, ſiue bibendo, ſiue quiduis aliud faciendo, in Dei gloriam facerent. Eſto igitur, Eccleſiæ poteſtati merè ſpirituali per ſe primò, ac directè non ſubiacere temporalia, attamen ex temporalium ad ſupernaturalia ordinatione diuinitùs conſtituta, ſit conſequens, ea ſecundariò, ac indirectè eſſe ſubiecta poteſtati ſpirituali Eccleſiæ, quæ, dum abſolutum habet regimen in ordine ad finem ſupernaturalem, conſequenter habere debet auctoritatem, temporalia etiam tamquam media in hunc finem ordinandi.

Sed pro ſecundo, nonnemo fortaſſis excipiet, vrgendo, vt ex ſacro Euangelio oſtendatur, hæc indirecta temporalium in finem ſupernaturalem ordinatio, ſubiecta eſſe clauibus Eccleſiæ. Numquid autem Chriſtus Dominus Matth. 16. & 18. clauium Eccleſiæ poteſtatem protendebat ſuper [Quodcumque,] non equidem ſub ſtatu eſſe phyſici ſpectatum, cùm cæteroqui Eccleſia directam, & immediatam ſuper quæcumque iura terrena, corporalis etiam Chriſtianorum vitæ, poteſtatem haberet, quod remotiſſimum eſt à ſenſu noſtro, Sub altiori igitur formalitate ordinabilitatis ſcilicet ad regnum cælorum poteſtas Eccleſiaſtica reſpicit illud [Quodcumque ſuper terram,] quod Chriſtus Dominus diſertè, & clarè inſinuauit, eam ad [quodcumque ſuper terram] ſeu ligandum, ſeu ſoluendum, poteſtatem contexendo cum clauibus regni cælorum, qua ſcilicet reſpicientibus quodcumque non ſub eſſe phyſico, ſed ſub eſſe morali in regnum cælorum ordinabili conſideratum. Et hinc veriſſimum eſt, Apoſtolos, eorumque ſucceſſores carere omni temporali poteſtate, ac iuriſdictione, poteſtatemque illam ſpiritualem non eſſe dominij, aut imperij, ſed manſuetudinis, & charitatis. Num verò ex hoc dicere fas eſt, Eccleſiaſticam poteſtatem ita exerceri dumtaxat poſſe in volentes, vt nullo ſeuerioris erga nolentes, ſeu contumaces diſtrictionis gladio ſit armata?

Pro tertio igitur diſtinguere oportet, inter primarium & ſecundarium, ſeu quaſi ſubſidiarium poteſtatis Eccleſiaſticæ munus. Illud priùs equidem nonniſi ex charitatis, & manſuetudinis ſpiritu eſt exercendum, abſque vlla erga proprium commodum reflexione, ſed ſub puro ſalutis animarum in vnitate fidei, & ſacræ religionis cultu etiam publico coadunatarum promouendæ ſtudio. Et ideò Principum ſpiritualium principatus, in dilectione ſubditorum debet eſſe poſitus, vti Origenes in Matth. 22. cap. aie, obſeruans, proptereà in Iſa. homil. 6. [Miniſtros Eccleſiæ non eſſe vocatos ad principatum, ſed ad ſeruitutem Eccleſiæ,] quamquam hanc ipſam ſeruitutem Doctor ille vocet etiam Principatum Principum ſpiritualium. Num igitur hic Eccleſiæ principatus nonniſi erga volentes habere poteſt locum; vti Sanctus Hieronymus epiſt. 3. ad Nepot. & Dinus Chryſoſtomus lib. 2. de ſacerdot. aliiſque ab Ellieſio hic allegatis locis tradunt? Ita profectò eſt, primario poteſtatis Eccleſiaſticæ muneri locum non eſſe, niſi in volentibus, quippe cùm eius

eius muneris sit non in exterioribus dumtaxàt actibus sistere, sed in his moralem bonitatem ad regnum cælorum ordinabilem, salutemque animarum curare, neque verò ista, seu moralis, & supernaturalis actuum humanorum bonitas, neque salus æterna obtineri valeat, nisi à volentibus, & spontaneè cooperantibus Christi-fidelibus.

Quia verò ipsissimus ille Principum spiritualium principatus, ipsomet Elliesio fatente, habet vim legislatiuam; [Num destituendus erit virga publicæ etiam coercitionis erga illos, qui sacris Ecclesiæ, vel ipsius etiam Christi legibus contumaciter contradicunt?] Huius equidem quæstil resolutio in anterioribus iam multimodè facta est, attamen, quia Elliesius totam vim suorum ex opposito argumentorum, reducere contendebat in illud principium, quo Christus Ioann. 20. effatus est: [Sicut misit me viuens Pater, ita ego mitto vos.]

Ideirò pro quarto visum est operæ pretium, hic repetere, quòd Psalm. 2. in spiritu Prophetico inducatur æternus Pater locutus Christo: [Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessiones tuas terminos terræ, reges eos in virga ferrea.] Hanc namque virgam importare auctoritatem directionis, qua ferream, atque dicere potestatem coactionis, & iustitiæ, explicat Sanctus Augustinus in dicto Psal. 2. Hæc ipsa verò Christi potestas gubernatiua, & coercitiua Lucæ 1. prædicta fuit sub illis verbis: [Dabit illi Dominus Deus sedem Dauid Patris eius, & regnabit in æternum.] Eo ipso autem, quòd regnum istud Ecclesiæ dicatur æternum, oportet, in terris, fuisse à Christo relictam eam gubernatiuam potestatem, per quam regimen hoc spirituale perpetuò duraret. Quamuis ergo Christi regnum non sit temporale mundi regimen, respiciatque æternam hominum salutem: hoc ipsum tamen spirituale, ac supernaturale Ecclesiæ regimen importat virgam ferream coercitiuæ quoque auctoritatis, à Christo Apostolis, eorumque successoribus communicatæ, atque sic intelliguntur Apostoli eo modo à Christo missi, quo modo ipse à Patre æterno missus fuit cum auctoritate gubernatiua, & coercitiua, in suos quoque in terris relictos, Vicarios transfusa.

De hac igitur coercitionis, & iustitię virga ferrea, in cuius vsu consistit secundarium, & quasi subsidiarium, nonnisi in statu inobedientiæ, & contumaciæ exercendum munus, disquirere placeat ex Elliesio, [An hoc non nisi in volentes exhibere fas sit?] Ipsemet quæstionis huius status pro quinto perimit seipsum, quomodo enim, quod nonnisi in inobedienter reluctantes, & contumaciter nolentes exercetur officij pastoralis subsidiarium, & secundarium munus coercitiuum, absque manifesta contradictione dici posset, nonnisi erga volentes habere locum? Quod ergo præallegati Patres de primario Ecclesiasticæ potestatis munere, nonnisi erga volentes se exercere potente, dixerant, perperam trahitur ad secundarium quoque, ac subsidiarium, aduersùs inobedientes, & contumaces exercendum. Pastoralis officij munus: quamquàm ne hoc quidem debeat aliter vsurpari, quàm ex spiritu charitatis, & lenitatis.

Nam pro sexto, num dicere fas est, iustitiam, quæ attenditur in Ecclesiasticæ potestatis virga coercitiua, pugnare cum sancta charitate? Num diuinæ charitatis munus est in zelando Dei honore priuatim dumtaxàt, non etiam in publico religioso cultu, quem contumax, & inobediens Ecclesiæ, nititur euertere? Num charitatis est, illos, qui Ecclesiæ contumaciter resistunt, in sua malitia impunè relinquere, & non potiùs virga (ad quodcumque seu soluendum, seu ligandum in terris protensa coercere? Num quia sub isto (quocumque) probatum est, contineri quæcumque, moralitatem ad regnum cælorum ordinabilem superinduere nata, dum spirituales pœnæ non proficiunt, sanctæ charitatis, & lenitatis spiritus prohibet Ecclesiam, ne suæ à Christo concessæ potestatis, manum extendat ad temporales pœnas, non sub temporalitatis equidem, sed moralitatis in regnum cælorum ordinabilis formalitate consideratas, Bono Ecclesiæ publico, animarumque fidelium salute communi ita exigente, in contumacibus Vnitatis fidei, & tranquillitatis Religionis perturbatoribus.

Quare isthæc vniuersa, vti optimè cohærere possunt cum sanctæ charitatis spiritu, sic pro septimo nequaquam sapiunt spiritum potestatis temporalis, quem Christus cit. Marci 10. & Lucæ 22. remotissimum cupit à potestate Apostolica: [Reges gentium, inquiens, dominantur eorum, & qui potestatem habent, benefici vocantur, vos autem non sic.] Hisce namque verbis Christus disertè professus est, se nolle in Ecclesia instituere principatum dominatiuum, cuius nempè finis esset propria vtilitas, sed præcepit tamquam Pastor bonus, vt is, qui inter Apostolos esset maior, seipsum impenderet in spiritualem animarum sibi subiectarum vtilitatem, neque arrogaret sibi dominandi libidinem, proprium ex grege commodum quærendo: quippe cùm dominium propriè consistat in facultate rebus, seu personis sibi subiectis in proprium vtendi commodum. Eo ipso igitur, quòd principatus Ecclesiasticus eius sic naturæ, vt importet obligationem, se totum impendendi in animarum salutem, præcisa propria, maximè temporali, vtilitate, ideò is principatus neque dominatiuus, neque temporalis, sed purè spiritualis est, nonnisi ex charitatis diuinæ ad publicum Religionis sacræ Bonum, vel præcipuè intentæ spiritu, etiam erga contumaces, Ecclesiæque rebelles exercendus.

ARGVMENTVM II.

Ludouic. Ellies cit. §. 3. argumentatur 2. ex 1. Petri cap. 2. vers. 2. vbi Apostolorum Princeps ita scripserat: [Pascite, qui in vobis est, gregem Dei, non coactè, sed spontaneè secundùm Deum, neque turpis lucri gratia, sed voluntariè, neque vt dominantes in Cleris, sed forma facti gregis ex animo.] Qui ergo clariùs, ait is Auctor, potuisset Beatus Petrus, illorum prædamnare sententiam, qui, contendunt, Christum, cùm dixit [Pasce oues meas,] dedisse illi potestatem, Regum per depositionem, priuationemque regni sui cogendorum? Eiusmodi domina-

natiuam poteſtatem longè maiorem, ac ſit in ipſis etiam Regibus, à Summo Pontifice remotiſſimam, voluit ſanctus quoque Bernardus, ad Eugenium Papam ſuum olim diſcipulum lib. 2. conſiderat. cap. 6. ità ſcribens: [Nec enim tibi Petrus, quod non habuit, dare potuit. Quod habuit, hoc dedit, ſollicitudinem ſcilicet ſuper Eccleſias: numquid dominationem? Audi ipſum:] Non dominantes, ait, in Clero, ſed forma facti gregis ex animo.

Reſponſio, ac retorſio huius argumenti confutatoria.

ILlis verbis ſuis Petrus ita deſcripſit primarium muneris Paſtoralis officium, ergà ſpontaneè, ac voluntariè, non verò coactè obedientes exercendum, vt minimè tamen intermitteret edocere ſpiritum, ex quo munus etiam ſecundarium, ſeu quaſi ſubſidiarium paſtoralis officij, erga contumaces, Eccleſiæque rebelles, ſub diſtrictæ coercitionis virga oportet exhibere. Nempè hic Apoſtolorum Princeps vniuerſim cauit, ne Eccleſiaſtica auctoritas ſit dominatiua, diſertis adeò verbis ab Eccleſiæ Paſtoribus exigendo, vt recogitent, quòd ipſorum poteſtas neque proprium imperantis commodum, ſed ſpiritualem cuiuſque vtilitatem ſpectet, ſicque adeò eius poteſtatis virga coercitiua ex illo ſancto fine, non turpis lucri gratia, exerceri debeat, neque porrò congere poſſit ad ſubſtantiam ſui fori propriam, vtpotè non in exterioribus dumtaxat actionibus ſitam, ſed reſpicientem bonitatem moralem actuum, nec non animarum ſalutem, quæ nonniſi à volentibus obtineri poteſt. Atque hoc eſt, quod ſanctus Bernardus inculcare intendebat, à Romani Pontificatus principatu excludens dominationem, dum cęteroqui idem Doctor mellifluus lib. 1. Conſiderat. alloquendo Romanum Pontificem: [Ergo, inquit, in criminibus, non in poſſeſſionibus eſt poteſtas veſtra, quoniam propter illa, non propter has accipitis claues regni cęlorũ.] Quòd ſi igitur indefinitè propter crimina, atque adeò Regum quoque, ſanctæ Eccleſiæ rebellium, religioniſque ſacræ temeratorum ſcelera, Petri Succeſſores acceperunt claues regni cęlorum ad quodcumque ſuper terra ſoluendum inſtitutas, quid ni hæc poteſtas in Regiæ quoque poteſtatis non quà terreſtris, ſed quà moralitate à regni cælorum ſiue deordinabili contaminatæ, ſolutionem, abſque vllo tamen dominationis ambitu, ſed ex ſanctæ religionis, ac fidei Orthodoxæ, charitatiſque adeò Diuinæ zelo, Eccleſiæ ſanctæ, ſeu conculcatæ ſeu conculcandæ neceſſitate notoria ita exigente, protendi poſſe, dicenda ſit.

§. IV.

In quo examinantur Romanorum Epiſcoporum, Sanctorumque Patrum teſtimonia, quibus Aduerſario videtur effici, quòd Eccleſia in ſpiritualia tantùm habeat poteſtatem, non ſecùs, ac Reges in ſola temporalia, ita vt neutra poteſtas à ſe inuicem dependeat.

ARGVMENTVM I.

LVdouicus Ellies cit. cap. 1. §. 4. argumentatur, ex teſtimonio Gelaſij Papæ epiſt. 8. ad Anaſtaſium relatà to. Concil. 4. col. 1182. ita ſcribentis; Duo ſunt, Imperator Auguſte, quibus hic mundus principaliter regitur, auctoritas ſacra Pontificum, & Regalis poteſtas. Noſti enim, fili clementiſſime, quòd, licèt præſideas humano generi dignitate, rerum tamen Præſulibus Diuinarum, deuotus colla ſubmittis &c. atque ab ijs cauſas tuæ ſalutis expetis. Et in tomo de anathematis vinculo ſic habet. Cùm ad verum ventum eſt (Chriſtum) Regem, atque Pontificem vltra ſibi nec Imperator nomen impoſuit, nec Pontifex regale faſtigium vindicault. Chriſtus memor fragilitatis humanæ, quòd ſuorum ſaluti congrueret, diſpenſatione magnifica temperans, ſic actionibus proprijs dignitatibus diſtinctis, officia poteſtates vtriuſque diſcreuit &c. vt & Chriſtiani Imperatoris pro æterna vita Pontificibus indigerent, & Pontifices pro temporalium curſu rerum, Imperatoris diſpoſitionibus vterentur, & ideo militans Deo, minimè ſe negotijs ſæcularibus implicaret, ac viciſſim non ille rebus Diuinis præeſſe videretur, qui eſſet negotijs ſæcularibus implicatus] Ex quibus adeò Gelaſij Papæ documentis, concludit is Auctor, vtramque eam poteſtatem, & & vtriuſque limites optimè diſtinctos eſſe, ita vt nihil liceat ſæculari in Eccleſiaſtica, aut Eccleſiaſticæ in ſæcularia.

Reſponſio, ac retorſio huius argumenti refutatoria.

INprimis ex præaddnctis Gelaſij verbis conſtat, Imperatorem colla ſubmittere rerum Diuinarum Præſuli. Sed quibus in rebus. Hoc paucis exprimitur, quòd nempe à Diuinarum rerum Præſulibus Imperator cauſas ſuæ ſalutis experat, vtpote pro vita æterna indigens Pontifice. At cuius eſt, ſalutis cauſas ſubminiſtrare, huius eſt, amouere etiam vitæ æternæ Impedimenta; non pro ipſius dumtaxat perſona, ſed pro vniuerſo etiam cœtu fidelium. Si ergo Imperator, ſeu Rex quiſpiam ſalutis æternæ impedimenta ponat per fidei, Religioniſque publicam euerſionem, neque Pontificis correctio Euangelica penſi habeatur: quò minùs in ſua perſiſtens contumacia, & ſuam, & ſubditorum ani-

animas in sempiternum interitum detrudere pergat, vnicumque tot scandalorum amouendorum remedium sperari possit ex ipsius depositione, numquid hæc inter causas, si non Imperatoris, plurimorum saltem aliorum fidelium salutis meritò erit recensenda Quid ni ergo in ordine ad hanc salutis etiam publicæ causam procurandam, atque huius & Christiano cuipiam Regno communem obicem tollendum, dum in deteriùs semper ruit seu Imperator, seu Rex huiusmodi Pontifex omnium salutis curam gerens, compellitur ad talem siue Regem, siue Imperatorem deponendum ex auctoritate, ad Quodcumq; soluendum sibi Diuinitus impertita.

Hinc pro secundo facilè concedo vtramque potestatem, Ecclesiasticam scilicet atque ciuilem, & vtriusque limites optimè distinctos esse, ita vt nihil liceat sæculari in Ecclesiastica, aut Ecclesiasticæ in sæcularia iura, & bona quatenùs limitibus suis continentur neque enim potestas Regia ad societatem politicam in finem publici boni ritè ordinandam, atque conciues in hunc ordinem redigendos, per naturam suam, concreato naturali lumini hominibus congeniram, per se, ac ex se operari potest quidquam, quà exorbitans extra ordinem ac debitum publicæ Religionis. Orthodoxæque fidei, ac societatis Ecclesiasticæ, sed hæc exorbitantia procedit ex malitia hominis, cui inexistit, Regia potestate se habente ad eam solùm per accidens, & concomitanter, cui proinde minimè adscribenda est, sed peruerso eiusdem abusui, vtpote ex Regis nequam iure suo Regio abutentis praua voluntate proueniens, sicque adeò Rex Ecclesiasticæ disciplinæ perturbator, fideique Orthodoxæ, ac veræ Religionis inimicus, inuadendo sanctæ Ecclesiæ iura, non persistit intra limites suæ regiæ potestatis, sed ex nequitia sua incidit in sphæram potestatis Ecclesiasticæ, à suis fidelibus, Ecclesiaque Orthodoxa remouere obstrictæ, quidquid animarum saluti, publicoque Ecclesiæ sanctæ Bono officit, imò extremum minatur interitum. In quo adeò statu potestas Ecclesiastica nihil equidem facere potest aduersùs ipsam in se spectatam, vt sic cum limitibus suis, Diuinitus constitutam, regiam potestatem; attamen, quia Rex in perniciem animarum, Ecclesiæque destructionem ea abutitur, eamdem, qua in hoc subiecto, in malitia sua penitus obstinato, ipsaque tam peruersè abutente subsistentem tollere potest ab ipsissimo hoc indiniduo; quippè cùm potestatis eiusmodi intrà hoc subiectum subsistentia noscatur, ex talis peruersi hominis nequitia esse iam medium euertendi Ecclesiam, publicamque Religionem, sicque adeò intelligatur, incidisse in sphæram Ecclesiasticæ auctoritatis, Diuinitus constitutæ ad soluendum, & tollendum, Quodcumque super terram est sanctæ Ecclesiæ destructiuum, animarumque, salutis impeditiuum Et sic verissimum est, quod Gregorius II. Epist. 2. ad Leonem Isauricum ait, Quòd Pontifex introspiciendi in palatium, facultatem non habet, quamdiu nimirum Imperator intrà fines palatij, non materialiter, sed formaliter sumpti, quà Regiæ scilicet potestatis iuribus præcellentis, secundùm huius limites operando persistit, at si Rex introspiciat in Ecclesiam, huius iura violando numquid Regiæ potestatis intrà ipsum subsistentia, vbi est medium euertendi ordinis Ecclesiastici, sic in sphæram Ecclesiasticæ potestatis transferri dicenda est? An non igitur ex regni cælestis Beato Petro collatis clauibus ad animas ligandas, & soluendas præualens Pontificium, eo casu soluere compellitur Imperatoriæ dignitatis in hoc ipsius abutente subiecto subsistentiam, quæ in medium peruertendæ Religionis perperam conuersa iam translata noscitur intra sphæram illius Pontificij, quod, vt Pontificum & Patrum ab Elliesio allegatorum loquendi modo vtamur importat potestatem soluendi ac ligandi animas. Quemadmodum enim ius Regium non in corpore, sed intrà animam consistere noscitur, sic vbi intrà huius Regis, animam transuersum est in medium publicæ animarum peruersionis, tunc eiusdem solutio, siue à Regis anima peremptio vtique incumbet Pontificatui, habenti principatum, soluendi animas.

ARGVMENTVM II.

LVdouicus Ellies cit. §. 4. argumentatur à Patres vnanimi consensu verba hæc. Quæcumque ligaueris, seu solueris super terram. Interpretantur de potestate ligandi & soluendi peccata, nunquam de potestate priuandi Reges imperio, aut priuatia Bonis sibi proprijs.

Responsio, ac retorsio huius argumenti refutatoria.

LVbens concesserim, illam Quæcumque ligandi, & soluendi super terram, potestatem complecti peccata, sed quæstio est, Vtrùm tam in externo, quàm conscientiæ foro arctetur ad sola peccata. Numquid progredi potest ad excommunicationem, atque adeò ad priuationem Communionis fidelium An igitur hoc Communionis fidelium, cuique Christiano ex Christianitatis charactere competens ius, per auctoritatem Ecclesiasticam solubile, est peccatum. Numquid eadem soluendi & ligandi Quodcumque in terris potestas, Elliesio ipso superiùs fatente, est legislatiua. Num ergo legis ligamen, super quo protenditur ea potestas, est peccatum. Christus equidem Ioan. 20. eam potestatem, quæ in Apostolis est collata Nouæ Legis sacerdotio, arctatur ad peccata dumtaxat, seu remittenda, seu retinenda. At quæ Matt. 18 est constituta Ecclesiæ virga, in foro etiam externo correctoria, per Christum est concessa cum potestate ligandi & soluendi quodcumque super terram. Num igitur istud, Quodcumque, indefinitam, & vniuersalem denotans eius potestatis sphæram, arctare iam licet ad sola peccata. An non saltem extendenda censebitur ad quiduis morale, quod peccati vel nequitiam, vel periculum manifestum importat. Nunquid autem, si Regia potestate quispiam Regum abutens, hanc extra sphæram suam exorbitare faciat, non equidem eius Maiestatis iura, sed horum

rum abusus, vnà cum subiecto suo contaminatur peccati malitia, per quam, indubie tunc transfertur in sphæram illius, Quodcumque super terram soluendi & ligandi potestatis Apostolicæ. Numquid subsistentia Regiæ Maiestatis intrà hanc indiuiduam personam, ea in perniciem Ecclesiæ abutentem, infert periculum euidens peccati non proprij dumtaxat, sed vniuersalis, in cunctos subditos, aliosue fortassis Christianos redundantis An igitur à Patrum sensu alienum foret, hoc periculum, imò peccata tam enormia, Ecclesiæ publicam ruinam minitantia. auertere per solutionem Regiæ potestatis non in se ipsa, vtpote ad rectitudinem moralem, societatis ciuilis moderatricem vnicè intentæ, sed per solutionem substantiæ, huiusmodi potestatis intrà subiectum adeò peruersum, transferens iura Regia extra suos limites, sicque, quoad moralem eorumdem in tali persona perseuerantiam incidens, in sphæram Ecclesiasticæ potestatis.

Quod eò clariùs euincitur ex Matthæi 16. cap. quò manifestioribus verbis Apostolica Petro eiusque Successori concessa, ad quodcumque super terra ligandum, & soluendum auctoritas, noscitur connexa cum clauibus Regni cælorum. Quis enim non videt, illud Quodcumque, in vi eiusdem cum Regni cælorum clauibus connexionis, denotare sphæram, intrà quam, Quodcumque morale in regnum cælorum super terram seu positiuè, seu priuatiuè, vel etiam contrariè ordinabile, atque adeò ordinis huius destructiuum, subijciatur illi indefinitæ ad ligandum, & soluendum super terram auctoritati. Quis rursus negare ausit, Regiæ potestatis intrà subiectum, hanc extra suos limites exorbitare, atque iura Ecclesiastica euertere enitens, moralem subsistentiam redigi ad statum perniciosissimi ad sanctam Ecclesiam turbandam fidelesque peruertendos medij. An non igitur Regiæ Maiestatis intrà hoc subiectum subsistentia, eatenus tunc incidit in sphæram clauium Regni cælestis, vt harum potestas soluendi præualere iam possit ad eiusdem moralem in hoc Christianitatis charactere insignito subiecto solutionem, seu peremptionem, vnà cum solutione iuramenti fidelitatis, & subiectionis per Regis nequitiam translatæ, ad perimendas animas, & euertendam sacram Religionem, Ecclesiæque vnitatem.

§. V.

In quo examinatur, quomodò verum sit Ecclesiam in temporalia nullam habere auctoritatem, eò quòd per vim, gladiumque materialem, homines cogere minimè possit.

ARGVMENTVM I.

LVdouicus Ellies præsenti §. 5. argumentatur 1. Si quæ foret Ecclesiæ in temporalia potestas, dubium nullum est, quin posset temporalem aliquam pœnam, putà mortis supplicium, aut saltem Bonorum priuationem infligere, quod ab Aduersarijs supponitur, cùm inde probent, Reges in pœnam læsæ fidei ab Ecclesia regnis priuari posse, illorumque subditos à fidei, & obedientia eximi. Verum enim verò nihil est certius, quàm Ecclesiam non habere vllum ius puniendorum noxiorum pœnis, & supplicijs corporum, aut etiam bonorum priuatione. Primò Quia Christus nullam Ecclesiæ potestatem contulit, prætérquam spiritualem, nec aliter pertinaces, & Ecclesiæ rebelles ab Ecclesia puniri iussit, quàm vt habeantur tanquam Ethnici, & publicani, hoc est, vt indigni Ecclesiæ communione declararentur. Secundò. Quia idem Christus docuit nos, nihil magis abhorrere ab Euangelij mente, quàm dominium, & imperium terrorem incutiens. Tertiò. Quia Christus Apostolos vti materiali gladio prohibuit, etiam ad defendendam religionem, grauiter increpans Petrum, qui gladio vsus fuerat, Matthæi 26. v. 25. Lucæ 22. v. 49. Ioannis 18 v. 10.

Responsio, ac retorsio huius argumenti confutatoria.

IN primis sponte admitto, Ecclesiasticam potestatem per se ipsam non habere vsum gladij materialis. Cuius sequens accipe fundamentum. Nam potestatis Apostolicæ sphæra protenditur equidem super Quodcumque in terris soluendum, aut ligandum; sed cum expresso ordine ad regnum cælorum, atque adeò sub respectu moralitatis in regnum cælorum ordinabilis. Vnde fit consequens potestatis Apostolicæ sphæram non extendi vel super vita, vel super Bonis temporalibus Christianorum, in esse physico, sed sub moralitate ordinabilitatis, vel deordinabilitatis, in regnum cælorum spectatis, sicque adeò redactis, sicque adeò redactis ad lineam & statum supernaturalis moralitatis. Sub quo proinde respectu, Christus locis citatis catenus dixit, sufficere Apostolorum duos gladios temporalis, & spiritualis potestatis: vti Patres in anterioribus allegati tradunt, vt nihilominus gladij materialis vsus per seipsum exercendus fuerit Petro prohibitus à Christo iubente, vt gladium hunc mitteret in vaginam, manifesto adeò argumento, isthunc à Christo fuisse agnitum, quòd esset in iure, & potestate Apostolicæ auctoritatis, quippe cùm alioquin abijciendus, non in propriam Apostolicam vaginam recondendus fuisset, si voluisset Christus eum prorsus alienum à iure, & potestate Apostolicæ auctoritatis. Quare in aperto iam est, ipsius gladij materialis, respectu humanæ, quoque vitæ, non quidem sub Esse physico spectatæ, sed quà in moralitatis ad regnum cælorum ordinabilis lineam reductæ; vsum esse in iure, & potestate Apostolicæ auctoritatis; ita tamen, vt per manum Regis, seu Imperatoris, non autem Petri Successoris, Ecclesiæ necessitate publica exigente, exercendus sit.

Quoad reliqua verò temporalia bona, & iura vltra esse physicum, vel etiam vltra potestatis politicæ, lumini naturali commensurata limites, ad supernaturalis in regnum cælo-

rum

rum ordinabilis moralitatis sphæram traducta, sicque temporalitatem transcendentia, ac spiritualitatis denominationem participantia, rursus dicendum est, ea contineri sub Quocumque, per claues regni cælorum ordinabili super terram morali, indefinitæ Apostolicæ ad ligandum, & soluendum potestati per Christum subordinato, vt nullibi, perinde ac de gladio temporali, sit Apostolicæ auctoritati interdictum, ne per se ipsam eiusmodi iurium, Ecclesiæ necessitate, & delictorum gravitate ita exigente, peremptoriam faciat solutionem. Et licèt pertinaces, & rebelles ab Ecclesia puniri eatenus iubeantur, vt in Ethnicorum, & publicanorum sorte habendi sint hanc nihilominus pœnam Matth. 18. contexuit Christus cum indefinita Apostolica, Quæcumque ligandi, & soluendi potestate, vt proinde huius auctoritati sit à Christo concessa facultas ad iurium etiam Regiorum substentiam, in hoc subiecto Ecclesiæ extremè nociuam, atque vt sic intrà limites moralitatis, Ecclesiasticam potestatem circumscribentis constitutam soluendam, seu moraliter perimendam. Et hinc licèt potestas Ecclesiastica abhorreat dominium, & imperium, terrorem ex affectu erga propriam imperantis vtilitatem, incutere natum, attamen illi haudquaquam alienum est, à peccatis nociuis Orthodoxę fidei, ac Religioni etiam publicæ, absterrere pœnis priuationis bonorum, quà contentorum sphæra moralitatis in cælorum, Ecclesiæ nempe tam militantis, quàm triumphantis regnum, seu positiuè, seu priuatiuè seu etiam contrariè ordinabilis.

Et hinc pro secundo facile est respondere ad ea, quæ Ellies vlteriùs obijcit [tum quòd Ecclesia Imperatores, aut Magistratus ciuiles adire solita sit; vt ij, qui suis decretis aduersabantur, in exilium eijcerentur: legaturque multis annis nulla ciuili auctoritate aduersùs hæreticos ac rebelles vsa fuisse, quia nullum sperabat ab Imperatoribus, vtpote adhuc Ethnicis, auxilium. Tum quod, vbi Imperatores cœperunt esse Christiani [sollicitudo, & cura proprij Imperij, cuius tranquillitas à Religionis conseruatione plerumque pendebat, in causa fuerit, vt hæresiarchas, & rebelles in exilium mitterent, aut mulcta pecuniaria plecterent. Tum quòd non nisi posterioribus Ecclesiæ seculis, concessa sit Ecclesię ab Imperatoribus potestas statuendarum in hæreticos, aut peccatores, pœnarum temporalium.

Ad hæc namque vniuersa in promptu est responsio ex anterioribus. Tum quòd ijs temporibus quibus[Imperatores Ethnici fuerunt. publicum etiam Ecclesiæ, sub gentilismo adhuc ingemiscentis, Bonum haud permisisset, in quosque licèt Christianos peccatores, maximè Principes, ad Reges temporales stringere gladium; potestatis autem Ecclesiasticæ mensura sit publicum Ecclesię sanctæ Bonum, animarumque fidelium sollicitudo, temporum iniquitate tunc cohibente etiam districtioris coercitionis pœnas. Tum quòd, vbi Imperatores cœperunt esse Christiani, Romanoque Pontificatui adiecta est temporalis quoque principatus dominatio, tunc ad hæreticos, ac rebelles intrà Romanæ Ecclesiæ fines temporalibus vitę, ac corporis bonis mulctandos, non opus habebat alieno Imperatoris gladio, sed ex potestatis suæ Pontificiæ auctoritate potuit Ministris suis facere mandatum Apostolicum, vnà, & Imperatoriam, de gladio in Petri vaginam misso educendo, sicque quibusuis seu alijs corporalibus pœnis infligendis. At extra finium suorum limites eatenus potuit stringere gladium vagina sua Apostolica reconditum, vt hic tamen in executione non per ipsum, sed per Imperatorem, aliumue politicum Magistratum esset exercendus: quoad reliquas verò materialiter temporales, sed qua moralitate in Regnum cælorum ordinabili supereminentes atque adeò vt sic formaliter spirituales pœnas, integra semper in Romano Pontifice erat potestas, super quocumque in terris motali seu soluendo, seu ligando protensa; vti superiùs explicatum fuit.

ARGVMENTVM II.

Ludonicus Ellies cit. §. 5. argumentatur 2. ex vnanimi consensu Patrum docentium, Ecclesiam carere omni gladio materiali, seu potestate ciuili ad homines cogendos, & puniendos, nec aliud quidquam posse, quàm hortari, monere, excommunicare eos, qui qui [sic] nolunt obedire.

Responsio, ac retorsio huius argumenti refu tatoria.

Videamus, quàm impertinenter Elliesius hic aducat Patrum testimonia. Primò igitur Tertullianus, Lactantius, Athanasius, & Hilariùs; prout cernere licet ex ipsorum verbis ibidem relatis, loquuntur de gladio per vim cogente ad Religionem, seu fidem Christianam amplectendam. Quia verò Ecclesia nullam prorsus habet iurisdictionem erga illos, qui Christianitatis charactere nondum insigniti, minimè subduntur Ecclesiasticæ iurisdictioni, idcircò impertinens est istorum Patrum ad præsens institutum nostrum allegatio.

Secundò. Canon Apostolicus 26. statuit equidem deponendum Episcopum, qui fideles delinquentes percutit. Sed quid hoc ad rem præsentem? Siquidem percussio eiusmodi nullatenus conducerer ad moralitatem regni cælorum ordinatricem, in quibusuis pœnis Ecclesiasticis circa temporalia etiam infligendis, obseruatu prorsus necessariam.

Tertiò SS. Gregorius Nazianzenus in carmine de vita sua, & orat. 1. de Theologia, & Ambrosius lib. 7. in Lucam c. 22. ab ipsomet Ellies inducuntur locuti sub hoc sensu, quòd nempe Euangelium non sit per vim promulgatum, nec missi sint Apostoli, vt gladio, aut imperio vterentur ad stabiliendam fidem, sed qui humilitate, & patientia cunctos ad eam adducerent. Anne igitur hinc concludere fas est, Reges ex Christianitatis charactere iam subiectos Ecclesiæ, vbi huic rebelles euaserint, ac Religionis sacræ deuastatores, non posse in ordinem redigi per Apostolicum, quodcumque in terris, qua moraliter in regnum cælorum ordinabili supereminentium soluendi, adeoque in foro etiam cœli moraliter ligandi, seu puniendi potestate?

Sanctus equidem Augustinus lib. de fide & operib. cap. 3. docuit [Ecclesiam posse infligere pœnas degradationis, & excommunicationis] Num verò fas fuit Elliesio, ab ista affirmatiua ad negatiuam vniuersalem conclusionem progredi, quòd nullas alias pœnas quàm degradationis, & excommunicationis possit Ecclesia infligere?

Dum porrò S. Cyprianus Epist. 11. lib. 1. ait [Nunc, quia circumcisio spiritualis esse ad fideles Dei cœpit, spirituali gladio superbos, & contumaces necari dum de Ecclesia eijciuntur] num ista extra Ecclesiam rebellium eiectio nequit vlteriùs erga Reges progredi, quin oporteat, ipsos in continua per auctoritatem Regiam malè vsurpatam, Religionis publicæ infestatione relinquere?

Quia porrò S. Chrysostomus hom. 4. in Isaiam ait [Postquam arguisset sacerdos, Rex autem non cessisset, sed arma moueret, clypeis, & hasta, suaque vtetetur potentia, congruere Sacerdoti, vt dicat: Ego, quod mei erat officij, præstiti, nihil ampliùs possum, succurre Sacerdotio, quod conculcatur, leges violantur, fas subuertitur] Numquid ex hac S. Chrisostomi sententia euincitur quidem, dum vires aduersùs Regiam potentiam non suppetunt, nihil vlteriùs esse tentandum: attamen, si spes sit perfringendi Regis aduersùs Religionem sacram insurgentis impetus, num abstinere fas erit à sanctæ Ecclesiæ Clauium, ad Cuiuscumque super terram soluendi, sicque sub morali in cælorum regnum ordine perimendi sententiam, progredi valentium, publico etiam, atque auctoritatiuo vsu?

Quando Gregorius Magnus lib. 2. Epist. indict. 11. docet: Sacerdotum in peccantes officia his tribus comprehendi: Argue, obsecra, increpa, neque verberibus, aut supplicijs coercendos esse. Num si præter omnem spem neque arguitio, neque obsecratio, neque increpatio verbalis proficiat, dicere fas est, illum Romanum Pontificem suæ quoque Apostolicæ auctoritatis virgam coercitiuam exclusam voluisse, ne ad excommunicationis vsque sententiam procedat, vel ad auctoritatiuam cuiuscumque super terram iuris secundùm moralitatem in regnum cælorum ordinabilem, seu soluendi, seu ligandi executionem?

Num hæc auctoritatiua Pontificiæ preeminentiæ potestas, vel ex hoc arctanda videtur, quod Petrus Damiani lib. 4. epist. 9. moneat [Vt causas Ecclesiastici cuiuscumque negotij leges dirimant fori, vel sacerdotalis edicta Concilij, ne, quod gerendum est in tribunalibus, vel ex sententia debes prouenire Pontificum, in nostrum vertatur opprobrium congressione bellorum] An non potiùs, quæ prudentiæ ratio ad motus bellorum præcauendos, hic insinuatur, eò vsque præualere debebit, vt, dum neque leges fori, neque sacerdotalis edicta Concilij, neque Pontificum seu sententiæ aduersùs proteruiam Regis in Ecclesiam rebellis, proficere possunt, Apostolicam ad quodcumque soluendum, & ligandum auctoritatem, oporteat stare otiosam?

Hinc circa illa vniuersa, vt etiam subsequentia, seu Patrum, seu Theologorum testimonia, pro quatto, apprimè notandum venit, quòd eiusmodi sententiæ eatenus sint circa Ecclesiasticæ potestatis prudentialem procedendi modùm instructoriæ, vt singulæ haudquaquam describant vniuersam, auctoritatis Apostolicæ sphæram, & potestatem. Vnde Ludouici Ellies argumentationes indè productæ, ex vna potestatis Ecclesiasticæ parte, per SS. Patres, Doctoresque Theologos affirmata procedendo, ad negandam potiorem, extremæ dumtaxat necessitati deseruientem, Pontificiæ auctoritatis partem, meritò sunt coarguendæ vitij, quod aduersùs Dialecticæ principia committitur, dum ab affirmatiua particulari, fit illatio ad particularem, seu magis vniuersalem, negatiuam.

Ad hunc magis ostendendum, discutere adhuc placet, reliquorum; ab Elliesio allegatorum seu Patrum, seu Theologorum sententias. Dum enim S. Anselmus in cap. 26. Matth. dicit: [Materialem gladium carnalibus, spiritualem autem ministris spiritualibus dari;] num sub isto spirituali gladio exclusum contendis Ludouice, gladij etiam materialis vsum, quã Ecclesiæ necessarium, à spirituali quoque ministro Christi Vicario demandandum? Audi hac super re Diuum Bernardum, qui, vti lib. 2. Considerat. cap. 6. [Summi Pontificis potestatem, ait, non equidem esse in possessionibus, sed in criminibus, sic libro 4 cap. 3. alloquitur Papam: [Quid tu denuò vsurpare gladium tentas, quem iussus es ponere in vaginam? Quem tamen, qui tuum negas, non satis mihi videtur attendere Verbum Domini dicentis: Conuerte gladium tuum in vaginam: [tuus ergo, & ipse tuo forsitan nutu, non tua manu euaginandus, alioquin, si nullo modo ad te pertineret, dicentibus Apostolis:] Ecce duo gladij hic; non respondisset Dominus: Satis est; sed minus est, &c.

Dum porrò Hugo à S. Victore de Sacramento fidei lib. 2. par. 2. cap. 7. scripsit: spiritualem potestatem non ideò præsidere, vt terrenæ in suo iure præiudicium faciat.] Num cæcus es, ne videas, potestatis spiritualis agnosci præeminentiam, vt terrenæ præsideat? Num verò terrenæ potestatis ius protendi valet ad eum peruersum vsum, quo Pontificiæ maiestatis, Ecclesiæque sanctæ iura infringere conetur? Num ergo, si non iam intrà ius suum se continens potestas Regia, sed sphæram terreni à Deo instituti Principatus limites excedens, aduersùs Ecclesiam insurgat, potestas spiritualis eidem præsidens, se ipsam, Ecclesiæque sanctæ iura vindicare prohibeatur?

Quando insuper Alexander Alensis p. 3. q. 40. m. 5. recitans illa Hugonis verba, superaddit: [Regum esse, exercere pœnam corporalem, sacerdorum verò spiritualem.] Num inferre fas est, spiritualem, quam in pœnis inferendis attendit sacerdotalis potestas, ita coarctari, ne diffundatur super corporalia, vt falsitatis coargui debeat, quod idem Alensis cit. p. 3. Sum. q. 40. membro 1. scribit: [Spiritualis potestatis esse, instituere terrenam potestatem, vt sit, eamque, si bona non fuerit, iudicare, iuxtà illud Diuinum oraculum, quo dicitur: spiritualem iudicare omnia?

Quando denique Thomas Waldensis doctin. antiquæ lib. 2. art. 3. c. 78. duas ponit pote-

poteſtates primas, ita, vt neutra ab altera ſecundùm originem pendeat, hæc tamen (nempè terrena) ſit illi (ſcilicèt Eccleſiaſticę) ſubiecta ſecundùm perfectionis ſimplicis dignitatem, reiecto etiam, quod aliqui dicebant: [Radicem poteſtatis terrenæ in tantum dependere à Papa, vt ex commiſſione eius deriuetur in Principem, & Principe deuiante, poſſe Summum Sacerdotem temporale adminiſtrare negotium.] Num aliud per hæc verba intendit Thomas Waldenſis, quàm ipſemet Ellies explicuerit: adſtruendo ibidem diſtinctionem inter poteſtatem, & eum, qui poteſtate vtitur, ita vt terreni Reges ſubdantur quidem poteſtati Eccleſiæ, licèt illorum poteſtas tunc non ſubdatur, nec à ſacerdotibus exerceri poſſit? Numquid ergo hæc poteſtatis contra eiuſdem ſubiectum diſtinctio, eò collimat, vt & origo, & limites poteſtatis Regiæ ſint per naturale ſuper nos ſignatum lumen, eatenus ex Deo conſtituti, ne, quamdiù intra ſphæram conſiſtit, quicquam contra eam poſſit auctoritas Eccleſiaſtica? Num verò hinc inferre fas eſt, quòd abuſus poteſtatis Regiæ vltra eiuſdem ſphæram exorbitans, reduci valeat in ipſiſſimam eam poteſtatem, vel potiùs in ſubiectum, cui ineſt, nequitiam & peruerſitatem? Num igitur iſta in ſubiectum vnicè reducibilis peruerſitas, ſi aduersùs ipſam etiam Eccleſiam, eiuſque iura inſurgat, non eſt caſtiganda ab eo, cui, ipſomet Ellies fatente, ſubiectus eſt, qui terrena dotatus eſt poteſtate. Quòd ſi proindè poteſtas terrena non iam in ſeipſa, quatenus eſt à Deo, ſed eiuſdem in hoc ſubiecto ſubſiſtentia, moralitate aduersùs regni cœlorum ordinem perquàm enormiter pugnante, per Regiæ poteſtatis abuſum affecta, incęperit eſſe intrà ſphæram Eccleſiaſticæ, ſuper quocumque in regnum cœlorum ſeu ordinabili, ſeu deordinabili protenſæ auctoritatis, numquid hæc eius poteſtatis terrenæ in hoc ſubiecto ſubſiſtentiam, qua Eccleſiæ nociuam ſoluere, ſicque moraliter perimere, eatenus præualebit, vt ſolutio eiuſmodi ſit etiam in cœlis rata habenda?

§. VI.

Continens Summarium Eccleſiæ Doctorum, ac Patrum, Theologorumque, vel etiam remiſſiuè ſaltem Summorum Pontificum, Papæ ſuper Reges auctoritatem adſtruentium.

Qvantum ad Summos Pontifices, remittimus Lectorem ad ea, quæ præcedenti cap. 2. per ſingulos ferè §§. exempla ſupremæ Pontificiæ poteſtatis, aduersùs Reges & Imperatores ad depoſitionem, vſque progreſſæ, tum ex Hiſtoricis, tum ex SS. Canonibus, tum ex Conciliaribus ſanctionibus proferebamus. Quibus, remiſſiuè tamen, ſuperaddimus teſtimonia S. Gregorij Magni lib. 11. epiſt. 10. S. Bernardi vbi ſupra, Sancti Thomæ qu. 12. art. 2. Diui Bonauenturæ lib. de Eccleſ. hierarch. par. 2. cap. 1. item in 4. diſt. 37. S. Antonini 3. par. Summæ tit. 22. cap. 5. §. 13. B. Auguſtini Triumphi q. 1. de poteſt. Eccleſ. par. 1. art. 7. & 8. Hugonis de S. Victore lib. 2. in ſacram. par. 2. cap. 4. Vmberti Vienneſis ſerm. 70. Henrici à Gandauo Quodlib. 6. qu. 23. pag. 244. Petri Paludani in 3. Sent. diſt. 40. qu. 2. concl. 4. Heruæi Natalis in tract. de origine iuriſdictionis, Ioannis de Pariſijs cap. 14. Ioannis Gerſonij Cancellarij Pariſienſis tract. de poteſt. Eccleſ. conſiderat. 12. Ioannis Almaini Pariſienſis tract. de poteſt. Eccleſ. & laica cap. 9. Ioannis Maioris in 4. Sent. diſt. 24. cum pluribus alijs, ſeu Iuriſprudentiæ, ſeu ſacræ Theologiæ Doctoribus.

Quibus hunc in modum relatis, ſequentia duximus hìc ſuperaddenda. Primò diſquirendo. Cur non Antiquiorum etiam Patrum ſententiæ allegentur ad probandam Pontificiæ ſupra Reges poteſtatis extenſionem? At quamdiù, & vbi prædominabatur Ethniciſmus, vel quæuis Eccleſiæ Romanæ tyrannica oppreſſio, ſub quibus Eccleſiaſtica poteſtas latere potiùs, quàm in publicum prodire per eiuſmodi ſolemnes actus compellebatur, importuniſſimum fuiſſet, vt à Patribus illorum antiquiorum temporum de hoc ſupra Reges Pontificiæ poteſtatis puncto manifeſtè ſcriberetur, ſed ſufficiebat, tueri Apoſtolicam ſuper Quocumque in terris Morali, ſeu ſoluendo, ſeu ligando protenſam auctoritatem, ſub qua iam continebatur ipſiſſima illa poteſtas, prout edocemur ex ijs principijs, quæ à nobis tradita ſunt in Inextincta Concilij Tridentini Veritate tract. proœmiali qu. 5. per totam, & tract. 6. eiuſdem ſacræ Synodi ſect. 6. per totam. Vbi verò benigniora affulſerunt tempora, quibus Clauibus Apoſtolicis expedita iam erat facultas, per quæuis ſeu decretorum, ſeu proceſſuum iudicialium, vel etiam Synodalium genera procedendi aduersùs Eccleſiæ ſanctæ rebelles, ipſoſmet etiam Reges, & Imperatores, ſibi quoad omnem in regnum celorum ordinabilitatem, vel ab hoc deordinabilitatem ad fori ſui iudicium deduci aptam ſubiectos. Exinde quæſtionis illius punctum accuratè diſcuſſum fuit tum ab ipſiſmet Summis Pontificibus, prout ſacri Canones oſtendunt, tum à ſacroſanctis Generalibus etiam Concilijs, vti variæ Synodales ſanctiones in quarta præſertim Diſquiſit. adductę probant, tum in ſcholis à præcipuis ſanctæ Eccleſiæ Doctoribus Theologis, quorum aliquos cum ſuis ſententijs hìc compendioſè rememorari placuit, ad videndum, quibus nixi fuiſſent ſacræ Scripturæ fundamentis.

Pro ſecundo igitur, ſi expendantur ſancti Antonini verba, quę loco ſuperiùs citato habentur, vnà cum Diui Thomæ in opuſc. 20. de regimine Principum cap. 19. prolatâ ſententia, manifeſtè hinc elucet, quòd Papæ ius ſittum ſuper ipſo etiam Imperatore confirmando, vel per hæreditariam ſucceſſionem deſignando, ac etiam deponendo, tum ſuper poteſtate eligendi Regem Romanorum alijs conferenda, nec non dignitate iſthac Electorali, Principibus Germaniæ conceſſa reuocanda, quantum bonum ſtatus Eccleſiæ Vniuerſalis, ſeu populi Chriſtiani pax id requireret. Quod Summi Pontificis ius deducitur in hoc principium, quòd nempe dignitatem

Imperatoriam pro Occidente Græcis ademptam, Papa eatenus vendicarit Sedi Apostolicæ, vt semper adhuc radicaliter penès illam subsistat, tametsi eam primitùs secundùm hæreditariam successionem in Caroli Magni stirpem masculinam, posteà verò secundùm liberam electionem, in Nationem Germanicam transtulerit. Hæc verò Imperatoriæ super Occidente potestatis in Carolum Magnum, indeque in Germanos translatio, per dictos sanctos Doctores vlteriùs reducitur in istud principium: tum quòd Papa eamquam Christi Vicarius habeat plenitudinem potestatis pro Bono statu Vniuersalis Ecclesiæ: tum quòd, cùm Papa Dei vices agat, consequenter Imperator sit illius minister: sit autem Principalis agentis, eligere ministros, & instrumenta ad finem suum idonea. Vnde, quia Papæ est, vniuersos fideles in præsenti Ecclesia ordinare ad pacem, ac spiritualem finem, fit consequens; posse exigente causa iusta, & rationabili, per seipsum eligere Imperatorem, aut propter populi, & pacis prouidentiam, aut propter coercendam hæreticorum, & paganorum audaciam, atque potentiam.

Pro tertio, Diuus Bonauentura supra allegatus sententiæ suæ rationem reducit ad hoc principium, quòd dignitas Clericalis in sua radice penitùs spiritualis, meritò dicenda sit consona ordini Dominationis, ita illuminantis inferiores Angelicos Ordines, vt ab illis vicissim non illuminetur. Vndè infert hic Seraphicus Doctor, quòd, sicut spiritus dignitate, & officio præcellit corpus, sic potestas spiritualis dignior sit, quàm sæcularis, sortiaturque nomen Dominationis, atque adeò Regalis potestas subiacet auctoritati spirituali, proptereàque in 1. Canonica Petri Sacerdotium dicatur Regale.

Pro quarto denique, ex locis superiùs citatis constare potest, à Petro Blesensi eatenus in Summo Pontifice reponi gladium Petri, vt hic sit etiam super regna, præiudicetque gladio Imperatoris, in vi cuius Sedes Apostolica super ipsos quoque Imperatores teneat imperium; vti etiam S. Petrus Cluniacensis habet. Vndè Diuus Bernardus infert, ipsius etiam Imperatoris gladium materialem subesse Ecclesiasticæ auctoritati, quatenus Summus Sacerdos propria manu suum spiritualem gladium, suo tamen nutu, ac imperio illum Imperatorum gladium exercere, ac exercere valeat. Ex vi cuius adeò supereminentis spiritualis auctoritatis, posse Summum Pontificem instituere, vt sit, & iudicare potestatem terrenam, tradunt Hugo à S. Victore, & Alensis vbi supra allegati. Et hinc Henricus Gandauensis,& Augustinus Triumphus ibidem relati probant, Summum Pontificem esse talem Hierarcham, vt iudicet non solùm in spiritualibus, sed etiam in temporalibus,quà spiritualitatis scilicèt formalitate affectis. Quam proindè Papæ auctoritatem idem Gandauensis reducit in Claues Petro, eiusque Successori à Christo traditas, & duos eidem commissos gladios, sic vt Regnum vniuersalis Ecclesiæ eam in spiritualibus, quàm in temporalibus ad ipsum pertineat, cui Christus iuxta capit. Omnes dist. 22. iuncta Glossa ibi terreni simul & cælestis imperij potestatem per duas claues commisit cum duplici, spirituali scilicet, ac temporali gladio. De quo vlteriores adhuc Gallicanæ etiam Ecclesiæ Doctores consulere licet nostra in hanc rem opere.

CAP. IV.

In quo examinatur, quomodò Ciuilis potestas de se, & ex natura sua sit independens à spirituali?

AD veritatis centrum hac in re attingendum optatem, vt præ oculis semper haberetur distinctio interRegiam potestatem, quà lumini naturali concreatam, eiusque intra hoc indiuiduum, seu isthanc personam subsistentiam, nec non politici regiminis actuale exercitium. Iuxta quam proinde, distinctionem subsequentis paragraphi titulum, sub hac norma proponendum duxi.

§ I.

Quomodo verificetur, potestatem Regiam esse immediatè à Deo, & ab illius solius potestate pendere.

ARGVMENTVM I.

LVdouicus Ellies citatæ suæ septimæ dissertationis cap. 2. §. 1. argumentatur 1. Cùm homines omnes a natura sint ad societatem destinari, quæ sine potestate, & auctoritate stare nequit, necesse fuit, vt Deus, qui rerum omnium est Dominus, Societati in hominum bona, & corpora potestatem commiserit; nam si Deus nulli potestatem hanc contulisset, homines in pace, & tranquillitate degere, foret impossibile, quippe si nulla esset in terris condendarum legum auctoritas, si nulla potestas, qua possent homines, ad illarum obseruationem cogi, si impunè liceret omnibus, se se mutuò interficere, bonisque spoliare, quomodo posset nomen Societatis obtinere hominum inter se coeuntium inordinata multitudo, confusa turba, vbi nemo audit neminem, vti eleganter id prosequitur S. Chrysostomus hom. de statuis. Cùm ergo solus Deus vitæ, bonorumque nostrorum sit Dominus, necesse est, vt potestatis huius partem contulerit ijs, qui Societates Ciuiles regunt, ac proinde siue Reges, siue Magistratus, siue Principes, siue populus vniuersus potestatem illam exerceant, necesse est, eam à Deo, qui solus illam hominibus concedere potest, in ipsos immediatè deriuari.

Re-

Responsio, ac retorsio huius argumenti.

Nvmquid ex primæua rerum sublunarium Genesis 1. descripta creatione, manifestè constat, Deum vniuerso humano generi in Adamo Dominum terræ cum piscibus maris, volatilibus cœli, & cunctis animantibus super terram, vnàque cum herbis & lignis, arboribusque vniuersis. Hoc igitur Dominium, vniuersale à Deo immediatè collatum toti humano generi, num dicere fas est, post diuisionem rerum, esse singulis equè immediatè à Deo communicatum? Nemo, qui modicæ etiam iuris peritia est intinctus, non distinguet inter primam erga vniuersum sublunarem mundum Dominij, toti humano generi Diuinitus factam collationem, atque Dominiorum in singulos homines posteà subsecutam diuisionem, ita vt illam dicturus equidem sit, esse immediatè à Deo, non verò Dominij erga singularia bona singulis hominibus appropriatam possessionem. Quo præsupposito, sicuti absurdissima cunctis appareret conclusio illa, quà inferretur ex eo, quò Dominium in res sublunares vniuersas, sic immediatè à Deo collatum humano generi, nihil iam vlli humanæ potestati esse iuris supra eiusmodi, qua singulis hominibus appropriatas possessiones, ad eas ex iustitiæ, & æquitatis ratione ad vno in alterum transferendas. Sic pro primo, profectò nosceretur absurditas esse in illa conclusione, per quam ex eo, quod potestas Regia per insitum Naturæ lumen sit vniuersitati humani generis Diuinitus concessa, fieret illatio, nullam iam inter homines reperiri posse auctoritatem supra Regiæ potestatis, non primæuam equidem originem, seu intrinsecam, ac essentialem ipsius conditionem, sed subiectiuam eiusdem ad hoc indiuiduum suppositum, applicationem, & appropriationem, quantumuis supernaturalis quoque status, seu Ecclesiæ ratio religiosa exigeret Regiæ eiusmodi potestatis perperam collocatæ transmutationem.

Ad cuius proinde maiorem elucidationem pro secundo placet hunc in modum ratiocinari. Iurisdictionem equidem politicam & Ciuilem Diuinitus esse immediatè concessam Communitati, atque ex huius voluntaria translatione deriuatam esse in Principem aliquem, seu Imperatorem, seu Regem, eruitur ex lege 1. ff. De constitutionibus Principum, & lege 5. §. Nouissimè. ff. De orig. Iuris. Ex quo namque homo per naturam suam noscitur esse animal sociale, ac politicum, lumine naturæ æquè notum esse debuit, oportere, inter homines subsistere politicum quodpiam regimen, non iustitiæ dumtaxat inter priuatos, sed Boni quoque publici moderatiuum, conciuiumque in vnum corpus politicum coadunatorum ordinatiuum ad Commune Ciuitatis, seu Reipublicæ Bonum. In eiusmodi adeò regimine politico, oportuit, statui supremam quampiam potestatem, cuius decretis vniuersi acquiescere deberent, vt sic publica pax, & tranquillitas conseruari valeret. Ac sicuti iure naturæ haud quaquam fuit determinata sphæra cuiusq; seu nationis, seu Religionis, ac Prouinciæ, seu ciuitatis, alteriusque Communitatis, sed illa est constituta per liberam hominum conuentionem in diuersa climata, ac terras sponte sua sese diuidentium; sic neque [Iure Naturæ] fuit determinatum, an in vno, vel pluribus, vel etiam in tota, per consensum hominum in vnam seu Nationum, seu Prouinciarum, aliudue politicum Regimen liberè se coadunantium communitate, subsisteret illa, per ius naturæ ab ipsometDeo immediatè constituta suprema gubernatiua potestas, & hinc iure naturæ haud subsistit definitum, quòd vel in hac, vel illa Natione sit Monarchicum potiùs, quàm Aristocraticum, vel etiam Democraticum regimen. Multò minùs iure naturæ potest esse definitum ius hæreditarium politici regiminis, intrà certam aliquam stirpem propagandi, sicque magis remotum est à iure naturæ, ac si hoc determinasset indiuiduas, politico Regimini præficiendas personas: sed hæc vniuersa pendent ex constitutione hominum.

Hinc pro tertio licet, hunc in modum argumentando, vlteriùs progredi. Quandoquidem Regia, seu politica potestas, secundùm se formaliter sit Iuris Diuini, eius tamen collatio varijs ab hominum placito dependentibus affecta conditionibus, subiecta sit humanis ordinationibus, & constitutionibus: quandoquidem etiam ius Regiæ, seu supremæ politicæ potestatis, non in actu signato, & quasi in abstracto, in se formaliter consistens, vt sic luminis naturalis necessario iure constitutum, sed concretè, & subiectiuè spectatum, quà pro isto, seu Climate, seu Natione, seu Prouincia coarctatum, & qua huic præcisè stirpi iure hæreditario communicatum, vel qua iure Electiuo sub hac, vel illa norma, modoque regiminis vni, vel pluribus destinandum, sicque adeò, qua huic indiuiduo supposito applicatum, seu applicabile, sit dependens, ex hominum ordinationibus. Idcircò emergit hinc quæstio; [An Regiæ potestatis collatio facienda homini Christianitatis charactere insignito, sicque Ecclesiasticæ potestati subiecta, & ab hominum, vi characteris in Baptismate accepti, Ecclesiæ sanctæ æquè subditorum dispositione dependens, dicenda sit expers moralitatis in Regnum Cœlorum ordinabilis?

Cuius quæsiti pro quarto, accipe sequentem resolutionem. Nullus profectò, vel Rex, vel populus Christianus, Regiæ gubernationis seu actiuè, seu passiuè consors, vllam in se moralitatem patietur, vt expers esse debeat illius ad Regnum Cælorum ordinabilitatis, vel certè, si eiusmodi ordinabilitatem à semet, suisque, publici etiam regiminis actibus, exclusam velit, certa & indubitata in ipso stabit suæ moralitatis à Regno Cælorum deordinatio, quæ & ipsa subijcitur Ecclesiæ clauibus. Iacto igitur hoc indubitato fundamento, quòd Regiæ potestatis collatio, tum quà incertum indiuiduum suppositum derinata, tum qua ex hominum ordinationibus originariè profluens, sit Moralitatis in Regnum cælorum ordinabilis capax, & particeps, oportet, hoc ipso talem collationem vtrouis illo modo, actiuè scilicet, ac effectiuè,

uè, ſine etiam paſſinè, ac ſubiectiuè ſpectatam, contineri ſub illo [Quocumque ſuper terram Morali,] ſuper quo Chriſtus Eccleſiæ in ſuo Capite, Summo Pontifice, vel vniuerſali Concilio repræſentatæ, conceſſit [indefinitam ligandi, & ſoluendi poteſtatem.]

ARGVMENTVM II.

Lvdouicus Ellies dicto §. 1. argumentatur 2.Generale, Diuo Auguſtino lib. 3. confeſſ.cap.8.teſte, ipſo naturali lumine notum eſt [Societatis humanæ pactum,] vt ſubditi [obediant Regibus ſuis.] Paulo Rom.13. v.1. præcipiente, vt [omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit, non eſt enim poteſtas niſi à Deo &c.Dei enim miniſter eſt, nō ſinè cauſa gladium portans.] Cui concinit B. Petrus epiſt.1.c.2.v.13. Subiecti, inquiens, [eſtote omni creaturæ propter Deum, ſiue Regi quaſi præcellenti, ſiue Ducibus tamquam ab eo miſſis. Conſonat etiam Sapientiæ liber cap.7. v.4. & 5. Data eſt, inquiens, [à Domino poteſtas vobis Regibus, & virtus ab Altiſſimo.

Noſcitur præterea in Teſtamento Veteri Saul eſſe conſtitutus Rex à ſolo Deo. Ex 1. Reg.cap.10.Et hinc Dauid non præſumpſit in Saulem, tyrannum licèt, mittere manum ſuam, [quia Chriſtus Domini erat,] Ex cit. lib.1.Regum cap. 24. & cap. 26. Quemadmodùm igitur Reges, Patribus quoque ab Ellies hic adductis concorditer conſentientibus, à Deo, vel etiam à ſolo Deo ſunt conſtituti, ſic non niſi à Deo deponi poſſunt.

Reſponſio, ac retorſio huius argumenti.

ANtequam directè reſpondeam, placuit pro primo ſequentem facere conquiſitionem. Numquid virtus ignis cum eiuſdem ſubſtantia, eſt à ſolo Deo primitùs creata? An ergo hinc concludere licet, non poſſe niſi à ſolo Deo extingui, & non potiùs ab ipſomet quoque Deo eſſe creatam virtutem aquæ, potentem extinguere ignem cum omni virtute ſua? Hæc equidem reciproca deſtructiua virtus, in igne, & aqua ſubſiſtit ex contrarijs qualitatibus, neque verò inter poteſtatem Pontificiam, & Regiam magis poteſt eſſe contrarietas, quàm inter lumen naturale, & ſupernaturale, quod poſteriùs eſt prioris perfectiuum, nullatenus verò deſtructiuum, quamdiu iſtud non egreditur ſphæram ſuam, ſicque adeò quæcumque lumini naturali commenſurata æquitatis & honeſtatis ratio, apta quidem eſt à lumine ſupernaturali euehi ad ſupernaturalitatis, in Regnum Cœlorum ordinabilis moralitatem; attamen nulla poteſt etiam Pontificia in terris poteſtate cohiberi Regia poteſtas, quin valeat quæcumque ipſius ſiue lex, ſiue alterius generis circa regimen Politicum ordinatio, quamdiu intrà ſuos luminis naturalis, eique congenitæ æquitatis, & iuſtitiæ limites ſe continet. At vbi extra hanc ſphæram, aliqua in Regibus contingit exorbitantia, dum moralem ſaltem cum lumine naturali oppoſitionem præ ſe fert, mox incipit eſſe contraria lumini quoque ſupernaturali, atque cum hoc commenſuratæ moralitati. Quòd ſi ergo aduerſùs talem exorbitantiam, dum præſertim in publicam etiam Eccleſiæ perniciem emergit, Pontificia, ſupernaturali lumini coaptata auctoritas inſurgit, nullatenus eſt contraria Regiæ poteſtati, ſecùndùm ſphęrę Diuinitus cōſtitutę intrinſecos limites ſuos conſideratæ, ſed quæ ipſiſſimo naturali lumini contraria eſt moralitas, hanc ſub altioris, nempe ſupernaturalis, etiam à Regno Cælorum deſeiſcentis, moralitatis ratione meritò ſoluit, ac è medio tollit in ſua etiam radice, quæ non eſt ipſamet ſecundùm ſe poteſtas Regia, ſed huius malè intrà hanc perſonam, cum Antiocho peccati Radicem iure appellandam, collocatio, indeque egrediens, extra naturalis quoque luminis ſphæram exorbitans, Regiæ auctoritatis abuſus.

Quo præſuppoſito, pro ſecundo, maiori inſuper conſideratione dignum propono, quòd intrà moralitatis etiam naturalis lineam, triplici modo poſſit aliquid eſſe à Deo; nempe tùm in vi iuris naturalis: veluti eſt publici regiminis politica poteſtas; cuiuſmodi ius, certum eſt, à ſolo Deo eſſe cum anima rationali concreatum. Tùm in vi iuris poſitiui, quod, ſi Diuinum ſit, iterum noſcitur à ſolo Deo eſſe, ſi verò ſit humanum, ità promanat ex poteſtate Diuinitus conſtituta, imò ex Diuino etiam voluntaris, & intellectus intra Regem motore inſtinctu, vt tamen ſub ſpecifica ſui, qua humani iuris ratione, ſit ab homine, qua per auctoritatem publicam præcellente. Tùm denique in vi iuris permiſſiui, ad quod pertinet, quidquid à rectitudine moralitaris, ſeu naturalis, ſeu ſupernaturalis deuiat. In quo vtique genere eſt Regiæ quoque poteſtatis intrà hanc perſonam, mala à recto moralitatis ordine deſciſcens collocatio, eiuſdemque auctoritatis abuſiua contra ius, & fas, contra Deum ipſum, atque Eccleſiam vſurpatio. Et licèt Regiæ dignitatis ad hanc indiuiduam perſonam, vel ad hanc ſpecificam ſtirpem in vi ſeu electionis, ſeu ſucceſſionis hæreditariæ applicatio ſuperiùs oſtenſa fuerit, eſſe iuris humani, cui etiam poſitiuè cooperatur Diuina prouidentia, nihilominùs, prout affecta eſt moralitate, ipſi Deo etiam execrabili, vt ſic nonniſi permiſſiuè eſt à Deo, quæ ipſa tamen permiſſio, qua in altiorem Diuinæ prouidentiæ rationem reducta, noſcitur vt ſic eſſe à ſolo Deo. Iuxta quas proinde diſtinctiones, facile eſt intellectu, quomodò non Regia dumtaxat in ſe formaliter, ſed etiam ſubiectiuè ſpectata, qua in iſto indiuiduo ſuppoſito malè collocata, & contra ius perperam vſurpata poteſtas, immediatè ſit à Deo, quippe cùm Dei operatio ad extrà attingat immediatè quoſcumque à cauſis etiam ſecundis progenitos effectus. Et quia altior illa Diuinæ prouidentiæ, in inſcrutabile Dei iudicium ſeu prædeſtinatiuum, ſeu reprobatiuum, ac permiſſiuum reducibilis, prorſuſque efficax diſpoſitio, nonniſi in Deum vltimatè, ac primariò reduci valet, ideò ſub iſta ſublimiori Diuinorum conſiliorum ratione, Regiæ dignitatis, quantumuis peſſima collocatio, ac pernetiſſima vſurpatio, dici poteſt eſſe permiſſiuè à ſolo Deo. Et licèt Regiæ præeminentiæ, ſeu hæreditaria, ſeu electiua ſucceſſio dependeat etiam ab hominum,

minum, seu Regni, Statuum, vel Populorum ordinationibus, quia tamen hæ non subsistunt, nisi Deo cooperante, ac per prouidentiam suam in altiorem finem eas reducente, sub hac quoque sublimioris Iudicij Diuini ratione, iterum soli Deo adscribenda est. Quid ergo? Num ex hac Regiæ potestatis, eiusque exercitij politici, necnon subiectiuæ ad hoc suppositum, seu stirpis cuiuspiam genus applicationis moralis erga Deum immediatione, seu positiuum, seu permissiuum Diuinæ prouidentiæ influxum importante, inferre iam licet, nullam supet eiusmodi moralitatibus, vtpotè in Deum immediatè reducibilibus, posse inter homines esse potestatem? Sic adeò, vbi teneret ea, mi Elliesi, consequentia tua, vno ictu tolleres è medio & politicam, & Pontificiam potestatem.

Pro tertio igitur lubens concedo, Regis eiusque supremi potestatem in temporalibus non agnoscere quemcumque superiorem, nisi Deum. At si temporalia, atque iura Regia non iàm subsistant in sua Regiæ potestatis sphæra, sed ex suo morali, politici etiam Regiminis depravato exercitio, atque subiectiua ad hanc personam applicatione, in peccati Radicem pessimam peruersam superinduant moralitatem à Regni Cælorum ordine perniciosissimè exorbitantem, num dicere fas est, ita manere intrà temporalitatis linea, vt non potiùs traducantur ad statum moralitatis, subiectæ clauibus Ecclesiæ, sicque subdantur Pontificiæ potestati, ad quodcumque in terris morale soluendum, aut ligandum Diuinitus constitutæ?

Et hinc pro quarto ea, quam circa præsentis §. 1. finem Elliesius adducit, illario facilè eliditur. Illa enim potestas, quæ secundùm se, & quatenus intrà suam limine naturali constitutam sphæram se continet, ab alia infrà Cælum potestate haud dependet, quæque vt sic à solo Deo emanat, nec aliam proinde præter Diuinam supra se agnoscit auctoritatem, multimodis coinquinari potest sui abusiuis, aduersùs ipsam etiam Ecclesiam sanctam pugnantibus exorbitantijs, in Regiam potestatem non in seipsa spectatam, sed in eiusdem intra hanc personam pessimè collocatæ peruersam radicem redundantibus. Quemadmodùm ergo omnis anima, quantumuis à solo Deo emanet, nec in se ipsa ab alio, quàm à Deo dependeat, ab Apostolo nihilominùs decernitur sublimioribus subdita potestatibus, quatenus scilicet secundùm moralitates in politici regiminis bonum publicum ordinabiles, superinduit formalitatem Regiæ potestatis sphæra circumscriptam: sic, dum ipsissimæ istæ naturalis honestatis moralitatis, & quà publici regiminis bonum publicum spectantes, aptæ sunt supernestiri vel ordinabilitatis in Regnum cœlorum, vel ab hoc deficientiæ, imò cum publicæ quoque Religionis bono contrariantis inimicitiæ, moralitatibus, priuatiuè, seu contrariè supernaturalibus, vt sic ad Ecclesiæ sanctæ claues indubitanter spectantibus, nequit consequenter ex prætactis Elliesij fundamentis euinci, Regiam potestatem immediatè à Deo per ius naturale constitutam, sed per homines malè collocatam, & malitia hominum peruersam, in peccati, Ecclesiam ipsam infestatis, radicem pessimam traductam, sub hoc Moralitatis contrariè, seu priuatiuè supernaturalis ordine, posse subtrahi Oecumenicæ Papæ super omnes in terris morale soluendum, vel ligandum protensæ, Diuinitus constitutæ auctoritati.

§. II.

An Reges à nemine, præterquàm Deo, temporali pœna plecti, nec adeò deponi possint?

ARGVMENTVM I.

Lvdouicus Ellies hìc argumentatur 1. Nulla maior, inquiens, pœna Regibus potest inferri, quàm si Regnis suis spolientur. Quare si Reges peccantes possent ab Ecclesia directè, vel indirectè deponi, necesse foret, pro falsis habere illa Patrum testimonia, quæ peccata Regum, & Imperatorum solius Dei iudicio, examini, & correctioni quoad materialem, siue temporalem pœnam, reseruata esse docent, iudicioque humano subiacere negant, quemadmodùm hoc sensu plerique Patrum magno numero ibidem ab Elliesio allegari, interpretantur hæc Dauidis verba Psal. 50. [Tibi soli peccaui.]

Responsio, ac retorsio huius argumenti confutatoria.

PRiusquàm directè respondeam, pro primo reuoco in memoriam Elliesij, quod præs. dissert. 7. cap. 3. §. 3. de Childerici Galliarum Regis depositione post medium prætendebat, Childericum non à Pontifice Romano, sed tantùm ex eius consilio à Francis vniuersis depositum fuisse, & ab ijsdem Pipinum, secundùm antiquæ Galliæ morem, esse proclamatum Regem, & collocatum in solio. Quæ proindè Elliesij prætensio quomodò cohærere potest cum eiusdem præcitato §. 1. tradita, & præs. §. 2. repetita assertione, sicuti solus Deus Reges constituit, ità solum Deum posse Regnum adimere ipsis, vtpotè solius Dei iudicio quoad temporalia, & consequenter quoad materiales, ac temporales pœnas, subiectis.

Reges equidem si agant contra leges ciuiles, à semet seu latas, seu comprobatas, quibus quoad vim dumtaxat directiuam, non verò coactiuam sunt obstricti; immò attenta iuris etiam naturalis præcisa transgressione, nullum adhuc ex hoc præcisiuo titulo extat fundamentum, cuius respectu subiaceant potestati Ecclesiasticæ. Quinimò in Lege etiam Veteri, iuris Diuini positiui habita ratione, eius in Rege transgressio haud subijciebatur Aaronici, seu Mosaici Sacerdotij iudicio, vt proindè ex illo triplici tùm legis ab ipso Rege latæ, tùm iuris naturalis sub præcisis naturæ principijs considerati, tùm positiui legis antiquæ iuris fundamento, Rex Dauid meritò fuerit vni Deo per hæc verba confessus: [Tibi soli peccaui;] idque pro foro tam conscientiæ, in quo sola contritio perfecta erat reconcilia-

ciliationis cum Deo remedium, quàm publici exterioris iudicij, in quo nullus erat Iudex Rege superior, qui nedum pœnis temporalibus, sed ne spiritualibus quidem posset aduersùs ipsum iudicialiter procedere.

Verùm quis Catholicorum in Nouo Fœdere negare iam ausit, pro conscientiæ foro Reges subiacere Sacramentali pœnitentiæ Tribunali quoad vniuersa peccata sua, qua non tantùm suis proprijs legibus, vel etiam præcisò iuri naturali aduersantia, sed quà affecta moralitatibus cum æternæ salutis fine puguantibus? Quis prætereà negare ausit, talia peccata subijci externi etiam fori clauibus Ecclesiasticis, super quocumque seu ligando, seu soluendo per Christum protensis? Quis iterum negare au sit, istud clauibus Ecclesiæ in foro etiam externo subiectum quodcumque, complecti non culpæ dumtaxat reatus, qua Regni Cælorum ordinem turbantes, adeoque iudiciariæ Ecclesiasticæ auctoritati subordinatos, sed pœnas insuper hisce reatibus tùm expiandis, tùm efficaciter euitandis proportionatas? Quis proindè rursus negare ausit, si Regiæ intrà nequissimam peccati radicem consistentis potestatis peruersa vsurpatio, aduersùs Ecclesiam Dei insurgens, grauissimis aduersùs Deum iniurijs, seipsam commaculet, inter illa quæcumque in Regnum Dei ordinabilia moralia, aptissimum ad tam enormes Diuinorum iurium contaminationes tollendas, remedium fore ex Regiæ auctoritatis tam perperam vsurpatæ solutione, Regisque adeò tantarum enormitatum radicis depositione?

Quo proindè præsupposito, pro secundo ex præinsinuatis fundamentis pergo hunc in modum ratiocinari. Nempè Elliesius ipse fatetur, Statibus Regni Francici fuisse ius deponendi Regem Childericum, alterumque, Pipinum scilicet, sufficiendi, non alia ex ratione, nisi propter publici Regiminis, quà Regni eiusdem bonum commune spectantis necessitatem. Quòd si ergo Rex quispiam per sui regiminis Ecclesiam sanctam enormiter turbantis, ac extremè infestantis nequitias, multimodos contrahat tearus morales, cum Regni Cælorum ordine extremè pugnantes, immò hunc euertentes, Ecclesiasticæque proindè auctoritatis Clauibus indubitantèr obnoxios, non minus erit potestatis in Ecclesia, ad eos non coercendos dumtaxat, sed etiam ad soluendam tantorum malorum radicem, nempe Regiæ Maiestatis subsistentiam, intrà personam tantis reatibus, absque vlla correctionis spe, contumaciter obuolutam, è medio Fidelium tollendam, eò vel maximè, quòd ex ipsissimo eiusmodi moralitatis cum Regni Cælorum debito ordine, excessiuè pugnantis titulo, Regiæ præeminentiæ in isthoc Christiano homine subsistẽtia meritò sit tunc computanda inter illa, quæ Christus indefinitæ Clauium Ecclesiasticarum soluendi, & ligandi auctoritati voluit esse subiecta?

ARGVMENTVM II.

Ludouicus Ellies eit. §.2. argumentatur: Meritò reprobandum sibi videri, quod nonnulli statuunt discrimen inter Veteris, & Noui Testamenti Sacerdotium, quasi illud nihil auctoritatis temporalis habuerit in Reges; bene tamen istud: quippe cùm SS. Patres ex illis Dauidis verbis non tantùm concludant, Rrges Israel non fuisse Sacerdotibus Iudaicis subditos, sed vniuersim Reges nulli, nisi Deo subiectos esse: quod, & ipsum sonat Scripturæ locus, dum enim dicit Dauid se soli Deo peccare, satis indicat, Regalem potestatem in causa esse, vt à solo Deo pendeat, non autem sacerdotij Iudaici inperfectionem. Addit ille Auctor, puerile sanè commentum esse, nulla indigum refutatione, quod nonnulli nugantur, rationem discriminis inter Vetus ac Nouum Testamentum hanc esse, quòd in Antiquo Fœdere Regnum Saerrdotale esset, in Nouo verò sacerdotium Regale, iuxta illud Beati Petri: [Vos autem estis Regale Sacerdotium.]

Responsio, ac retorsio huius argumenti confutatoria.

Primò. Patres argumentando ex Psalmidico illo Dauidis versu, dicentis ad Deum, [Tibi soli peccaui;] Regem hunc vtique non ab alia Diuinitus constituta potestate exemptum probare nituntur, quàm ab illa, quæ vigebat in antiquo Testamento. At in hoc erat Regia, Diuina ordinatione constituta potestas, à cuius tamen legibus quoad vim coactiuam, non verò directiuam, Rex Dauid exemptus dicitur à D. Thoma, per ipsum Elliesium hic allegato. Hæc ipsissima verò Regis Dauidis erga suæ potestatis Regiæ leges, quoad vim directiuam subiectio, & obligatio, non tam erat in vi harum legum, quàm in vi iuris naturalis, per quod tenebatur Rex, ceu Caput Reipublicæ, cum reliquis huius membris se conformare. Vnde etiam efficitur, quidquid obligationis in eo Rege fuerat erga ius quodcumque naturale, obstrinxisse Dauidem respectu hominum quoad vim præcisè directiuam, quoad vim verò coactiuam, respectu solius Dei, inuoluisse aliquam subiectionem. Vltra hanc igitur respectu iuris naturalis (quoad vim intuitu Dei etiam coactiuam, respectu verò propriarum suarum legum quoad vim præcisè directiuam, nullatenus verò intuitu hominum coercitiuam) Regis illius subiectionem, nullius pro Veteri Testamento, vlterioris erga sacerdotium subiectionis, in Rege extiterat fundamentum, quippe cùm sacerdotio isti fuerit equidem Diuinitus impertita auctoritas declarandi dubia, si quæ in iudicijs publicis occurrissent circa iudicij veritatem. At neque pro conscientiæ foro, vti superiùs dictum, tunc locus erat in sacerdotibus, à peccatis absoluendi potestas, sicque adeò Dauid pro isto etiam foro rectè dicere poterat: [Tibi Deo soli peccaui.] Neque in eo æquè, ac in Nouo Fœdere erat sacerdotio, seu Pontificatui virga cuiuscumque fratrum peccati coercitiua, coniuncta cum potestate indefinita, ad quodcumque in terris motale, aut soluendum, aut ligandum. Quandoquidem igitur Patrum ex illo Dauidico versu, [Tibi soli peccaui,] petita argumentatio, in suo antecedente, non potuerit Regis ab vlteriori, hominibus communicata potestate, quàm

quàm ab ea, quæ in Veteri Testamento locum habebat, exemptionem pro conclusionis inde inferendæ principio statuere: quomodò fas erit, Patres illos tam ineptæ coarguere consequentiæ, ac si in conclusione plus intendissent inferre, quàm positum erat in antecedente, vt scilicet statuere vellent Regis in Nouo Testamento exemptionem, non tantùm à politica per homines exercenda erga quascumque etiam naturalium, ac Diuiuorum iurium transgressiones auctoritate coercitiua, sed etiã exclusam vellent Regum erga Claues Ecclesiæ Christianæ subiectionem, tum pro foro Conscientiæ in ordine ad Sacramentalem Sacerdotij absolutionem, tum pro foro externo, in ordine ad Ecclesiæ virgam coercitiuam, indefinita, quodcumque super terram Moralem soluendi, aut ligandi potestate munitam?

Sed quæ modestiæ ratio pro secundo, locum haberet in Elliesio, si pueriliatis coarguere vellet, quòd Diuus Bonauentura lib. de Ecclesiastica Hierarchia par. 2. cap. 1. probauerat. Hic nempe Seraphicus Vniuersitatis Parisiensis alumnus, post principia in anterioribus relata, ibidem sequentem faciebat conclusionem, quòd nempe Regalis porestas in Nouo Fœdere subiaceat potestati, & auctoritati spirituali, conformiter primæ canonicæ Petri epistolæ, in qua ita habetur: [Vos estis gens sancta, & Regale sacerdotium.] Vnde inferebat is sanctus Doctor, temporale regnum velut quodam adiectum, subiacere sacerdotio in Nouo Testamento, quamuis in Veteri Testamento sacerdotium subfuerit Regno, iuxta illud Exodi: [Elegi vos in populum peculiarem, in sacerdotale Regnum:] siquidem Regnum in hoc sacro textu ponatur substantiuè, Sacerdotium verò adiectiuè, secùs ac fit in Nouo Fœdere, vbi sacerdotium substantiuè; Regnum verò adiectiuè ponitur.

Ex quo proinde in sacris literis fundato, nec adeò pueriili, Veteris ac Noui Testamenti discrimine, secundùm eumdem Seraphicum Theologum, pro tertio conficitur, quòd Reges in Antiquo Testamento potuerint amouere Sacerdotes Summos ab officio, sicut Salomon amouit Abiathar 3. Reg. 2. ècontra verò in Nouo Testamento Sacerdotes, & Pontifices possint amouere Reges, & deponere Imperatores, sicut sæpiùs accidit, quando eorum malitia id exigebat, & Reipublicæ necessitas sic requirebat.

Quam adeò Seraphici Doctoris illationem reducendo ad principium tum id, quod ab ipsomet priùs supponebatur, tum illud, quod à Doctore Angelico Diuo Thoma 2. 2. quæst. 13. art. 2. ad 1. traditur, nempe potestatem secularem in Nouo Testamento subdi spirituali potestati, perinde, ac corpus subijcitur animæ; oportet, hinc totum rei momentum reducere ad istud, sæpe numero iam inculcatum fidei principium, quòd Christus Ecclesiam suam eatenus munierit Regni Cœlorum clauibus, vt, quidquid in quibus suis Oecumenico Pastorali muneri commissis, ad Cœlorum tam Militans, quàm Triumphans Regnum, est ordinabile, vt sic spirituali quapiam moralitate superuestitum, debeat Summi Pontificis, Petro legitimè succedentis, indefinitæ ad ligandum, & soluendum potestati subiectum esse.

§. III.

Quid momenti ad Pontificiam supra Reges auctoritatem elidendam, ex hoc argumento, quòd nempe Ecclesia non possit vi & armis resistere Regibus, etiam potestate sua abutentibus, sed teneatur eos patienter ferre.

ARGVMENTVM I.

Ludouicus Ellies præf. §. 3. argumentatur 1. Tantum abest, vt Ecclesia possit peccantes Reges regnis suis spoliare, vt è contra teneatur, eos patienter ferre, nec vnquam illi liceat, quouis obtentu, vi & armis illis obsistere, etiamsi hæretici sint, aut impij, vel quemquam ad resistendum directè, vel indirectè sollicitare. Ad euius probationem contendit, deseruire plurima Antiqui Fœderis exempla. Sic enim Israelitæ in Ægypto Pharaoni, licèt impio, & tyranno semper paruerunt, nec aduersùs eum rebellarunt. Postquàm verò proprios Reges, aut Iudices habuerunt, licèt ea ijs quamplurimi fuerint impij, & Religionis patriæ desertores, vt Achaz, & Manasses Reges Iuda, qui templum Hierosolymitanum Idolis polluerunt, numquam tamen quidquam ad eos regno exturbandos, à Sacerdotibus esse tentatum, legitur. Quin etiam, cùm Iudæi sunt in seruitutem transacti, per Ieremiam iussit Deus, vt essent subditi Nabuchdonosori Ierem. 27. eius etiam successoribus Regibus paruerunt. Cumque Assuerus edictum tulisset, vt Iudæi omnes necarentur, Mardochæus, & alij Iudæi ad preces, & ieiunium tantùm confugerunt. Quod verò apud Samuelem est de iure Regis descriptum, id non resistendi obligationem importat, vt sensus sit, Regi, crudelia etiam molienti, Iudæos subditos resistere non posse: ideo enim additur, populum istis iniurijs pressum, Dei opem imploraturum.

Responsio, ac retorsio huius argumenti refutatoria.

Quomodò Inprimis ex hoc, quòd populus Dei, legitimo Regi, Pharaoni scilicet Ægyptiaco, ac Nabuchdonosori Babylonico, immò Iudaico etiam sibi legitimè præstituto Regi, Tyrannicum licèt dominatum exercenti, non potuerit vi, & armis resistere, argumentari fas est ad virgam, Regis Ecclesiæ infensissimi hostis coercitiuam, Sacerdotio summo præsertim, denegandam? Veteris equidem Testamenti Sacerdotium ex potestate Diuinitus sibi constituta, habebat auctoritatem, in iudicialis cuiuspiam legis sensu ancipiti, proferendi iudicij veritatem, sicuti etiam lepra infectos à consortio hominum, cum priuatione ciuilis adeò communionis separandi. Ea qua proinde potestate,

Azarias Summus Sacerdos Regem Oziam ex Sanctuarij sacrilegio ingressu reum, etiam auctoritatiuè, & expellebat, & lepra tactum à communione quoque politica, atque adeò Regiæ suæ Maiestatis administratione arcebat; vti hæc &, alia in antecedentibus habentur deducta. Quæ ipsissima nihilominùs sacerdotij potestas dicto modo circumscripta, protendi haud poterat vltra casus in lege Mosaica descriptos, nec adeò aduersùs Achaz & Manasses impios & idololatras, Iudaici populi Reges, Regno extutbandos procedere attentabat. Verùm quia quoscumque Christianitatis consortes fratres, atque adeò Reges hoc charactere insignitos, si peccauerint, Christus subiecit correctoriæ, & coercitiuæ Ecclesiæ virgæ, amplissima ad quodcumque super terram morale seu ligandi, seu soluendi potestate dotatæ, num ex illa veteris Sacerdotij per Diuina iura coarctata potestate, aduersùs Christi expressissima verba, inferre licet Christiani Summi Sacerdotij auctoritatem, æquè arctatam censendam esse?

ARGVMENTVM II.

Elliesius cit. §.3. argumentatur 2. In Nouo etiam Fœdere, dum Christus Matthæi 22. iubet, [quæ Cœsaris sunt Cœsari, & quæ sunt Dei, reddi Deo,] intelligi satis voluit, obedientiam deberi Regibus cum potentia coniunctam. Huc respicit Paulus Roman.13. iubens, omnibus debitum, cui vectigal, reddi vectigal, monensque eos, qui resistunt potestati, resistere Diuinæ ordinationi, ac præcipiens, obedire Præpositis, non tantùm propter iram, sed propter conscientiam. Illa verò subiectio, quam Christus & Apostoli docent, Imperatoribus, & Regibus tunc impijs, & Idolorum cultoribus deberi, nequit in alio consistere, quàm in non obsistendi necessitate: Petro Apostolo etiam docente, obediendum esse dyscolis quoque Dominis. Quòd si proinde seruos, oportet, non resistere Dominis etiam iniquis, & morosis, multò magis non licet obsistere Regibus, & Imperatoribus, licèt iniustis, ac impijs, sed patienter illorum, non secùs, ac illorum, ferendæ sunt iniutiæ, propter Reipublicæ tranquillitatem.

Responsio, ac retorsio huius argumenti refutatoria.

Primò. Si Cœsari iubeantur reddenda, quæ sunt Cœsaris, siue cuiuscumque alterius Regis, ac Domini, quantumuis dyscoli, itaue, quia nullus priuatus altiorem super ijs habeat potestatem, quasuis etiam iniurias cum patientia tolerare debeat, numquid èconcrà Christianos, sanctæ Ecclesiæ subiectos, æquè obstrictos dicere oportebit, ad reddendum Deo, quæ Dei sunt? Numquid verò vicaria per Christum constituta Oecumenici Pastoris auctoritas est Dei? An non igitur ista, cum tota sua sphæra, per ipsummet quoque Christum circumscripta, est iuris Diuini? Quantumuis ergo per allegatos sacræ Scripturæ textus, ncias semper fuerit, vt subditi, Christianitatis licèt charactere insigniti, obsisterent Regibus, seu Imperatoribus, ac Dominis dyscolis, impijs, & idololatris: num propterea fas est, hinc concludere, ipsosmet Reges Christianos, impunè obsistere potuisse Summis Pontificibus, perinde, ac isti nulla Diuinitus accepta potirentur virga erga se coercitiua? Hanc equidem prætendit Aduersarius, progredi vlteriùs non posse, nisi vsque ad publicæ cum fidelibus communionis priuationem? Sed numquid hinc euincitur, publicæ Ecclesiasticæ auctoritati conuenire, vt iniurias sacræ præsertim publicæ Religionis, Ecclesiæque perturbatiuas, cum patientia toleret?

Pro secundo equidem scio, totam in præsenti §. deducti, de Regibus quocumque impietatis genere obstrictis non resistendo, argumenti rationem, deriuari in illud sæpè iactatum principium, quòd Regia æquè, ac Pontificia potestas sit Iuris Diuini. Quo tamen admisso, solennis mox emergit quæstio; Vtrùm in ijs, quæ Iuris sunt Diuini, non possit esse substratum quoddam materiale, ex humano seu iure, seu morali hominis operatione dependens, clauium Ecclesiæ soluendi potestati subiectum, quo sublato, per consequentiam, ac Indirectè, non equidem formaliter, sed ex parte sui materialis substrati, corruat iuris Diuini obligatio, non quatenus actiuè quasi spectata, Diuina est, sed quatenus passiuè considerata, est quid humanum, vel subiectiuè receptum in homine, vel Effectiuè promanans ex humana arbitrij voluntate?

Numquid enim, si Rex quispiam Christianus sit obnoxius peccato mortali, Ius Diuinum sancit æternæ gehennæ reatum? Num verò Regem Christianum tam infelicem dixeris, vt hoc Diuinum Ius respectu ipsius, ne quidem Indirectè materialiter solui possit? Quomodò autem sit ista solutio, nisi quatenus per Ecclesiæ sanctæ Claues applicatur satisfactio Christi pro peccati reatu, ceu materiali, cui superstenitur Ius Diuinæ vindicatiuæ Iustitiæ; quo proinde materiali sublato, non tam in se ipso formaliter tollitur Ius Diuinum, quàm indirectè Materialiter, in suo substrato quasi Materiali, suoque effectu iustæ cæteroqui vindictæ in inferno sustinendæ.

Pari proinde ratione tametsi Regia potestas in se Formaliter sit Iuris Diuini, num dicere fas est, ipsius ad certum subiectum applicationem, vel etiam exercitium liberum, non esse aliquid Morale, consistens super terram? Quo rursus posito, num asseuerare licebit; quòd indefinita, quodcumque Morale super terram ambiens, soluendi potestas Oecumenica, Regiæ potestatis ad certum subiectum applicationem, eiusque exercitium, Morale nullo prorsus modo habeat sibi subordinatum, seu subiectum?

De hac ergo potestatis Pontificiæ Oecumenica ad Ecclesiam spectante auctoritate, pro tertio in præsenti occurrit quæstio, num præualere possit ad Iuramenti à subditis erga Principem præstiti solutionem, per quam equidem non formaliter in se ipso ius Diuinum soluatur, sed quoad huius substratum quasi materiale, Moralitate aliqua Ecclesiæ cla-

clauibus subiecta superuestitum? Etenim vinculi illius, quod ex Iuramento inducitur, radix Moralis, quæ alia est, quàm actus humanus, einsque moralis perseuerantia, passiuam in iurante importans Religionis obligationem? Numquid verò isthæc est quid Morale, subsistens super terram? Numquid ergo indefinita cuiuscumque super terram vinculi, in actu hominis morali Oecumenicæ Ecclesiasticæ potestati subiecto radicati, soluendi potestas præualere poterit ad Iuramenti Principi præstiti passiuam ex Religione obligationem eatenus soluendam, vt talis solutio, iuxta Christi Domini verbum, etiam in Foro Cæli, ac proinde in conscientia sit rata habenda, nec adeò tunc subditi à Iuramenti Regi præstiti passiua obligatione illa, seu vinculo Morali, per Ecclesiæ auctoritatem libertati, coarctentur ad fidelitatis homagium, ex Religionis necessitate ampliùs obseruandum, prout variæ super hoc extant Canonicæ sanctiones.

ARGVMENTVM III.

Elliesius loco citato argumentatur 3. Ab illa non resistendi Principibus etiam dyscolis lege, non discedebant consuetudines veterum Christianorum, qui tametsi Imperatores pessimi forent, & Religionis Christianæ infensissimi hostes, numquam tamen Christiani aduersùs eos arma mouerant, aut ijs, qui ipsis se opponebant, adiunxerat. Nec dicere fas est, vires tunc temporis defuisse Christianis, imò teste Tertulliano, [vires illis erant tantæ, vt vna nox pauculis faculis largiratem vitionis operari potuisset, si malum malo dispungi Christianis liceisset.] Ideo igitur primi Christiani Reges impios, & persecutores tolerarunt, quia istud suæ religionis esse, arbitrabantur, sequebanturque Christum, qui, cùm posset legiones Angelorum accersere, vt defenderetur, crucem subire maluerat. Quã fidelium patientia præcipuè inualuisse Religionem Christianam, animaduertunt Cyrillus in lib. ad Demetr. & Augustinus de Ciuit. Dei lib. 22. Vnde notum est illud celebre prouerbium: [Sanguis Martyrum semen Christianorum.]

Quòd si quis dicat, Ecclesiam nihil equidem potestatis habere in Reges Ethnicos numquàm baptizatos, rem verò se habere diuersò modo erga eos, qui, vel Christiani sunt, vel baptizati à fide defecerunt, ad huius exceptionis infirmitatem ostendendam, disquirere nunc placeat: an quispiam in Iulianum Apostatam insurrexerit? Num Romani Pontifices quidquam aduersùs Constantium, Valentem, & alios Arianos Imperatores moliti fuerint? Num Reges Gothos in Italia regnantes, & sæpè sibi insidiantes, aut Bona Ecclesiæ inuadentes, deponere tentauerint? Vno verbo, num quispiam ante Gregor. VII. aliquam sibi in temporalia Regum auctoritatem asseruerit, aut in quemquam priuationis Regni sententiam tulerit?

Isthac in Reges potestate non tantùm vsi non fuerunt Episcopi, sed etiam declararunt, se nihil eiusmodi posse tentare; veluti Gregorius Nazianzenus Orat. 1. in Iulianum Apostatam docet, nullum aliud remedium aduersùs eius sęuitiam in Ecclesia esse præter preces, lacrymas, & patientiam. Aduersùs Christianum etiam Imperatorem iniusta tenrantem, & Ecclesiæ Iura inuadentem, nulla præter patientiam, arma, adhiberi oportere, nec vllo pacto resistendum esse, sæpiùs docet Ambrosius ibi. Simile docet Augustinus specialiter asseuerans, nullum Christianorum per Religionem ab obedientia Regibus debita immunem. Concilium quoque Toletanum IV. Can. 75. definit, nulla de causa fideles à Sacramento Regibus præstito absolui posse. Gregorius Magnus denique lib. 7. ep. 1. indict. 11. ita scribit ad Sabinianum Diaconum: [Suggeras Serenissimis Dominis nostris, quòd si ego seruus seruorum in morte Longobardorum me miscere voluissem, hodie Longobardorum gens, nec Regem, nec Duces, nec Comites haberet, atque in summa confusione esset diuisa; sed quia Deum timeo, in mortem cuiuslibet hominis, me miscere formido.] Quantum igitur ab ista Gregorij sententia alieni fuerunt Pontifices, qui magnorum bellorum, innumerarumque cædium auctores fuerunt, cùm sentenria depositionis in Reges prolata, ipsorum Regna alijs, vel primo occupanti tradiderunt, cunctosque insuper ad bella gerenda commouerunt?

Responsio, ac retorsio huius argumenti refutatoria.

Mvlta hic in vnum congesta continentur, quæ ad euitandam confusionem, videntur consultò discernenda. Primò igitur conuenio Elliesium, vt edisserat, num, quando inferiùs prætendit, à Francis vniuersis in Conuentu publico depositum Childericum, & ab ijsdem Solio Regio impositum fuisse Pipinum, Franci transgressi fuerint Christianæ probitatis, Reges quantumuis impios, & ineptos, imò perniciosos deponere vetantis, antiquos mores; Oportuisset profectò, Elliesium intrà suos præcisos limites tenuisse obligationes illas, quę singulos quosque priuatos Christianos afficiebant ad obediendum, & non resistendum Regibus, seu Imperatoribus, quamdiu manebant in statu Regię, seu Imperatoriæ dignitatis. At si publica Comitiorum Francicorum auctoritas, vt Regni sui publicis necessitatibus esset prouisum, iure, & absque vlla Christianę probitatis lęsione, potuit deponere suum, sed ineptum, Regem Childericum, num à Christianitatis Religiosis legibus alienum erit, Reges Ecclesiæ sanctę Iura, ac Religionem Orthodoxam euertere conatos, ad sanctam Ecclesię pacem, & tranquillitatem restaurandam, Solio suo deijcere per publicam super quocumque in terris morali protensam, indefinitam ligandi, & soluendi potestatem?

Pro secundo proinde Elliesius rectè discernebat inter Reges non baptizatos, erga quos nihil potestatis est sanctę Ecclesię, & inter Reges sacri Baptismatis charactere insignitos, sed apostatas, seu hęreticos. Inter prioris conditionis Reges numerandi fuerunt etiam Longobardi, de quibus Gregorius Magnus scribebat, [si in eorum morte se miscere voluisset, Longobardorum gentem, nec Re-

ges, nec Duces, nec Comites vlteriùs habituram fuisse.]

Super his igitur, vbi Christianitatis quoque characterem profiteri cœperunt, Pontificia Gregorij Magni auctoritas nequidquam Iuris habebat, nisi in ordine ad id, quod Morale est, non verò in ordine ad esse Physicum vitę humanę, vt proinde dictus Pontifex Maximus meritò noluerit se immiscere morti Longobardorum. Hinc tamen regrediendo nonnihil ad Imperatores, ac Reges Ethnicos, iterum prouoco Elliesium, vt suę Francię Regum Christianam prohibitatem vindicet, respondendo ad istam quęstiunculam; [An, si ex Regibus adhuc Ethnicis aliquando contigit, Ecclesię Romanę Iura turbari, indeque à Pontifice accitis Gallię Regum armis, euenit, ipsos Regno suo, seu eius saltem parte spoliari, quo Iustitiæ titulo, cum plurimorum nece, id fieri potuerit, cùm tamen huiusmodi Rex Ethnicus non subijciebatur Pontificis Oecumenicæ potestati?] Si pari ergà suos etiam sanctos Franciæ Reges, Carolum præcipuè Magnum, Elliesius vnà mecum reuerentia feratur, res ista videtur ita componenda. Nempe si duæ, quarum neutra est alteri subordinata, supremæ potestates eatenus concurrant, vt vna in alterius iura inuolet, tunc isthæc potest iusto bello hanc iniuriam publicam eatenus à se propulsare, vt secundùm luminis naturalis certa principia, victor possit hostem Iure suo Regio spoliare, sibique Regni bello parti ius vendicare; vti Christianorum Regum exempla perquam frequentia ostendunt. At de fide est, Papæ auctoritatem esse supremam, quæ nullum in terris Superiorem valeat agnoscere. Hoc igitur fidei principium combinando cum illo luminis naturalis principio, Theologicè infertur, Papam posse ad Regem etiam Ethnicum, sibi licèt minimè subiectum, non equidem gladio spirituali vti, imò nec materiali, quippe quem in vagina retinere, in Petro iussus sit. Eo ipso tamen, quòd intra vaginam suam contineatur, suumque adeò, Diuo Bernando animaduertente, Papa dicere queat, redditur hinc consequens, posse eumdem Summum Pontificem mandato suo, Regum sibi subiectorum gladium eatenus exerere, vt ad Regem etiam Ethnicum, sibi licèt minimè subiectum, attamen Ecclesiæ publicum hostem, iuriumque eius aggressorem debellandum, auctoritate sua in subsidium accersere queat Regum Christianorum arma, illumque ab hisce deuictum, spoliare Iure Regni sui, atque hoc vel sibi vendicare, vel Regibus, quorum armis vindicatæ sunt eæ, contra Ecclesiam, ipsumque adeò Christum, ab Ethnico Rege illatæ iniuriæ.

Hinc pro tertio venit meritò redarguendus Elliesius asseuerans, Concilij Tridentini Sess. IV. canone 75. definiri, quòd fideles à Sacramento Regibus præstito nūquam, & nulla de causa absolui possint. Neque enim hic Canon quidquā dicit de auctoritate Pontificia, sed de Iurisiurandi temerandi à subditis arrogata propria potestate, necnon Regis necem, Regieq; dignitatis priuationē moliendi à populo sponte attentata auctoritate: cęteroqui reflexione ad Ecclesiasticam auctoritatem habita, idem Concilium in proximè subsequentibus, pronuntiauit anathematis sententiam aduersùs Regis tyrannidem castigandam, bene tamen Ecclesiasticæ auctoritati esse coercitiuam erga tales virgam; quæ in Papa, vel etiam Concilio Oecumenico ad quodcumque super terris morale, seu soluendum, seu ligandum, à Christo protenditur.

Quando igitur Elliesius pro quarto disquirit, cur Pontifex non insurrexerit in Iulianum Apostatam, vel Constantinum, Valentem, aliosque Arianos Imperatores, siue etiam Reges Gothos in Italia regnantes, Ecclesiæque bona inuadentes, deponendos? Ad hæc olim iam respondebat Dinus Thomas alibi allegatus, illorum temporum statum non permisisse, vt Summi Pontifices, vel per se, vel per cuiusuis alterius Regis subsidia; exererent gladium suæ Apostolicæ auctoritatis, quandoque etiam spiritualem, multò verò minùs materialem. Summi namque Pontificatus potestas per Christi institutionem ita est constituta, vt eius vsus non sit nisi ad ædificationem; non autem ad fatalem, à Regibus, seu Imperatoribus illius actiùs concitandis moraliter certò futuram, Ecclesiæ destructionem. Et hinc gladius Ecclesiasticarum clauium intrà Papæ vaginam meritò tenebatur tunc reconditus, nec nisi patientiæ armis, vti patres ab Elliesio adducti ferunt, vsus fuerat, quousque benigniora succedebant, tempora, quibus Summi Pontifices Ecclesiæ sanctæ propè conculcatæ infestationibus, cum boni effectus maiori securitate occurrere valebant, vti Deus nonnihil posterioribus temporibus concesserat; Childerico Franciæ Rege Pontificiæ auctoritatis interuentu, velut inferiùs ostendetur, in ordinem redacto, & in eiusdem Solium Regium euecto Pipino, Caroloque postea Magno in Italiam arma sua inferente, indeque per Papam asserto Patricio Romanorum, immò ad ipsam Imperatoriam dignitatem euecto, cum Imperij Occidentalis à Græcis per Papæ supremam potestatem in Francos translatione. Quæ omnia vti longè anteriora sunt temporibus Gregorij VII. Sic in apertum prodit Elliesij inepria disquirentis; [An quispiam Pontificum ante Gregorium VII. sibi in temporalia Regum auctoritatem asseruerit?] Quanquam hæc ipsissima Pontificum auctoritas super Regiam potestatem non in se ipsa formaliter spectatam, nec in eiusdem ius qua temporalia, sed qua moralitate in regnum cœlorum ordinabili, atque adeò spirituali tate quapiam superuestita, suam soluendi potestatem protendendo, ac iurisiurandi etiam solemnis Regibus facti relaxationem in subditis faciendo, non ea, quæ iuris Diuini sunt sed horum substratum materiale soluerit, vti antecedenter expositum cernere licet.

§. IV.

An Pontificiæ auctoritatis ſupra Reges, aliquando Eccleſia neceſſitate exigente, etiam deponendos, ſententia meritò arguatur nouitatis.

ELlieſius equidem in ſuo quarto Paragrapho nicitur, vim facere ex hoc, quod Principibus in rebus Ciuilibus, & temporalibus omnes ſubiecti ſint. At iſti effato diſcutiendo aptior locus reſeruatur in examinatione tertij per Clerum Gallicanum conſtituti articuli? vbi proinde ſtudioſè expendemus illationem qualemcumque hinc fortaſſis inceentatam de poteſtatis Pontificiæ ſupra Reges protenſione refellenda. Quare, quem Ellieſius vltimum, & quintum poſuit Paragraphum, eidem hic quartum locum aſſigno.

ARGVMENTVM I.

ELlieſius præſentis cap. 2. §. vltimo arguinentatur 1. Pontificiæ ſupee Regibus deponendis poteſtatis ſententia priſcis inaudita ſæculis, vbi primùm decimo Eccleſiæ ſæculo in lucem prodijt, omnes nouitate ſua perculie; vti teſtantur Otho Friſingenſis in fragmento faſciculi rerum ſciendarum, & Chronic. 6. cap. 35. Benno Cardinalis Imperatoris Henrici IV. contra Papam Gregorium VII. partes ſecutus in 1. & in 2. libro de Hildebrandi vita: Epiſcopi inſuper, & Clerici, quorum nomine conſcripta fuit Apologia pro Henrico apud Aduentinum Annalium Boiorum lib. 5. fol. 179. Waltramus anno 1093. Apologiæ pro Henrico libro 2. cap. 14. Sigebertus Abbas Gemblacenſis in epiſtola anno 1103. ſcripta. Osbertus Leodienſis Epiſcopus in epiſtola de vita,& obitu Henrici IV. anno 1106. ſcripta. Eberhardus Archiepiſcopus in oratione de Hildebrandi Antichriſtiano Imperio in comitijs Ratiſponenſibus ſub Friderico II. recitata. Helmodus Chronici Sclauonici auctor cap. 29. & Albertus Stadenſis ad annum 1080. referentes Rudolphi Sueuiæ Ducis in Henrici IV. locum ſuffecti vltima verba. Ioannes Trithemius in chronico ad annum 1106. Onufrius Panuinius in vita Gregorij VII. Nicolaus Treuirenſis I. contra Imperat. ſententiam Gregorij VII. obſtupendam vocitans nouitatis abuſionem, ac inauditum decretum. Venericus Vercellenſis lib. de conſeruanda Eccleſiæ vnitate. Leodienſes ad Paſchalem II. Gothofredus Viterbienſis, item auctor Chronic. ætatis 6. Cuſpinianus in Henrico IV. Guilielmus Malmesburienſis lib. 3. Anonymus Auctor Apolog. pro Henrico editæ ab Vrſtitio. His annumeratur Lambertus Schafnaburgenſis, ac ſi dixiſſet, Henricum, poſtquam iniquas pacis conditiones cum Gregorio VII. iniiſſet, omnibus odio, & execrationi fuiſſe.

Ad horum vniuerſorum ſententiam magis firmandam ab Ellieſio reproducitur Gregorius Magnus in præcitata epiſtola ad Sabianum ſcribens: [In mortem cuiuslibet hominis formidare ſe miſcere.] Huc reduci poteſt, quod idem Ellieſius proximè præcedenti §. 4. in fine, adfert de Gregorio Magno. Nempè cùm iſte Pontifex accepiſſet à Mauritio Imperatore mandatum de promulganda quadam lege, qua vetitum erat, militibus in monaſterijs monaſticam vitam profiteri, eam licèt iniuſtam exiſtimaret, & Eccleſiæ libertati contrariam, Imperatoris tamen mandato parendo, promulgaſſe, etiam antequam Imperatori ſignificaret ſuam ſententiam. Ex lib. 2. epiſt. 62. & epiſt. 64. ad Theodorum Medicum Imperatoris.

Reſponſio, ac retorſio huius argumenti refutatoria.

EXordiendo à Gregorio Magno, circa eiuſdem ad Mauritium Imperatorem epiſtolam 62. lib. 2. exaratam, inprimis venit annotandum, quod ibi expreſsè ſcribat, ſe in ea neque vt Epiſcopum, neque vt ſeruum iure Reipublicæ, ſed iure priuato loqui. Dum ibidem igitur profitetur, ſe inſpecto iure priuato, & abſtrahendo à iure, ſeu Epiſcopi, ſeu Reipublicæ, tamquam ſubiectum iuſſioni legem Imperatoris, quantumuis eam iniquam agnouiſſet, per diuerſas terrarum partes tranſmitti feciſſe, numquid Apoſtolicæ auctoritatis ſuæ immemor fuerat? Nequaquam, ſiquidem, Baronio ad annum 593. ſub finem pag. 47. ex eiuſdem S. Viri lib. 7. epiſt. 2. indict. 1. probante, ipſe non fuerit edicti illius iniquiſſimi contra iura Eccleſiaſtica ſanciti promulgator, ſed potiùs corrector, emendator, & cenſor, maximumque adeò in his ediderie ſpecimen Sacerdotalis vigoris Pontificiæ auctoritatis, & ſuper Imperium poteſtatis, dum accedens cenſor, & arbiter conſtitutionis Imperatoriæ, & ad ſacram (quam vocabant) tabulam, admouens ſtylum, edicti illius quædam addidit, augens, ac minuens pro arbitrio, vt ad rectam Catholicæ Eccleſię normam, & diſciplinam aptaret, nihilque in eo, quod Eccleſiaſticæ officeret libertati, & ſacris Canonibus contradiceret, prætermittens intactum, poſteris egregium relinquens exemplum, quidquid leges ſanciendo, delirant Imperatores, ac Reges, à Romanæ Eccleſiæ Pontificibus eſſe protinus emendandum, & corrigendum: ſicque ab ipſis fauendum eorum votis, vt eos errantes cum manſuetudine corrigant, & Pontificia poteſtate quod perperam factum norunt, Apoſtolica cenſura caſtigent, ſeque exhibeant eorum Magiſtros, Doctores, & Correctores, iuxta illud Diuinum Hieremiæ 1. exaratum Oraculum, quod non huic cantùm Prophetæ pronunciatum, ſed omnibus, qui pro Deo ad populum diuina legatione funguntur: Conſtitui te hodie ſuper gentes, & regna, vt euellas, & deſtruas, & diſperdas, & diſſipes, & ædifices, & plantes.] Quando proinde idem Pontifex in epiſt. non 64. ſed 63. indict. 11. ſcribebat ad dicti Imperatoris Medicum. feciſſe Deum, vt Imperator non ſolùm militibus,

bus, ſed etiam Sacerdotibus dominaretur, num alia, quàm permiſſionis voluntate Diuina boc factum, ijs verbis innuere voluit Gregorius, qui Deum ſubieciſſe tradit Sacerdoees Mauritio Imperatori, vt olim eoſdem ſubiecerat perſccutoribus Neroni, atque Diocletiano, quos in eos etiam gladio agere permiſit? Vti ex ipſomet Gregorio in pſalm. Pœnitent. 4. liquet, ibidem vlteriùs conquerente: Diabolum adnersùs Eccleſiam concitaſſe Regiam quoque poteſtarem, dum nulla tamen ſinat ratio: vt inter Reges habeatur, qui deſtruit potiùs, quàm regat, Imperium.

Quod porro ex eiuſdem Gregorij Magni ad Sabianum Diaconum epiſtnla proferebatur, quod formidaſſet, ſe miſcere in mortem cuiuslibet hnminis. Id in reſponſione ad proximè præcedens argumentum iam habetut diſcuſſum, quod nempè Summo Pontifici nullum ius ſit in vitam humanam, immò in quamuis rem terrenam quoad eſſe Phyſicum ſpectatam, ſed ſuper moralitate dumtaxat, qua in regnnm cœlorum ordinabili. Sub quo proinde moralitatis ordine, ipſiſſimus ille Pontifex aduersùs Donatiſtas excitarar Exarchum Gennadium lib. 1. epiſt. 72. ita ſcribens ad eumdem: [Sicnt excellentiam veſtram hoſtilibus bellis, in hac vita Dominus victoriarum feeit luce ſulgere, ita oportet, etiam inimicis Eccleſię eius, omni viuacitate mentis & corporis obuiare, &c. comprimendo eornm conatus, &c.] Quantumuis ergo Gregorius formidatit, in cuiuſcnmque mortem ſe immiſcere, minimè tamen horrebat, gladium etiam materialem, adnersùs ſanctæ Eccleſiæ hoſtes, auctoritatis ſuæ Pontificiæ nutu, & Imperio, à Regibus, & Impetatoribus exercendum, concitare.

Hinc pro ſecundo gradum facieodo ad Gregor. VII. comperimus hune Pontificem ab Elliesio notatú graui cenſura, ac ſi rem nouá, & à ſeculis inauditam patraſſet, excommunicando, ac deijeiendo Henticum IV. Imperatorem. Verùm vel ex hoc, quod oota ca ſeu Elliesij, ſen Auctorum ab ipſo allegatorum cenſura, videatur in dubium trahi Pontificiæ poteſtatis ad excommunicandum Imperatorem auctoriras, iam in apertum prodit ſpiritus, Reges, vel exterminans, à conſortio Chtiſtianæ fraternitatis, vel contra apertam Chriſti vocem Matthæi 18. exaratam, pernegans erga Reges Chriſtianos eoercitiuam Eccleſiæ virgam, aduersùs quoſque peccantes fratres exercendam. Quo tamen relicto in medio, plerique ab Elliesio adducti auctores proprijs ſuis verbis produnt, quod iniquas Henrici IV. aduersùs Pontificem Maximum ad eiuſdem vſque exauctorationem in Comitijs Wormatienſibus, ſeſe eiſerentis partes tenuerint, necquidquam ergo atrendi. Sunt equidem nonnulli ex auctoribus ab eodem Elliesio adducti, qui vt ſequenti capire, ſexto §. videbitur, inter Collaudatores Gregorij VII. oumerantur, nec niſi hiſtoricè referunt, nullum ante hac Imperatorem à Summis Pontificibns, vel excommunicatum, vel depoſitum fuiſſe. Sed dum Eccleſiæ ſanctæ neceſſitas in Occidētis Imperatoribus tale quid neque expoſcebae, neqne permittebat, num proptetea ex hoe non vſu, Pontificiæ auctoritati denegare fas eſt, tale quid aduersùs Eccleſiæ ſanctæ rebelles Reges ſtatuendi, poteſtatem? Ipſamet anteriora; ſeu Childerici Francorum Regis, ſeu Leonis Iſautici ab Imperio Occidentali remotiones, vnà eum alijs adducta, & inferiùs firmanda exempla probant iam antiquiotem in Pontificatu Romano anctoritatem ſuper Regibus, ac Imperatoribus, ad eorum vſque exauctorationem procedere prænalentem. Neque credere fas eſt, centum, & decem Epiſcopos, quorum conſilio Gregorius VII. adnersùs Henricum excommunicationis, & exauctorationis ſententiam protulit, tantam auctoritatem ſibi arrogaturos fuiſſe, niſi eam ab ipſomet Chriſto in ſui Vicario Summo Pontifice fundaram noſſent; prout ipſamet Bulla Apoſtolica deſuper edita, huius poteſtatis rationem rednecit in Claues Eccleſiæ, Beato Perro commiſſas, vniuerſiſque manifeſtum reddit, qnàm grauibus de cauſis ad id vrſerit Henrici impietas, Eccleſiæque viciſſim publicæ neceſſitas.

ARGVMENTVM II.

ELlieſ. cit. §. vltimo argumentatur 2. In Religione id omne verum eſt, quod prius eſt, ſuitque ab inirio: illud verò falſum, ac erronenm eſt, quod aliquàndo ignotum fuit, ac poſteà inuentum: uobis enim nihil ex noſtro ingenio indulgere licet, aut ſequi, qnod ab alijs fuerit inuentum: ſed oportet, nos ijs rantùm fidem adhibere, quæ à Chriſto, vel Apoſtolis ad nos vſque per traditionem manarunt. At ptimus ſuper Regibus ad eornm vſque exauctorationem poteſtatis Pontificiæ Parens fuit Gregorius VII. Romanns Ponriſex: ante hunc enim inaudita (vti auctores ſuperiùs citati teſtantur) fuit ea opinio.

Reſponſio, ac retorſio huius argumenti refutatoria.

QVomodò inprimis oportet, id, quod verum eſt, à Chriſto, mediantibus etiam Apoſtolis ad nos vſque per traditionem manaſſe? An in ipſiſmet etiam per Oecumenica Concilia longè poſteriùs definitis Dogmaticis concluſionibus, vel potiùs in ſuis principijs, Verbo Dei ab Apoſtolis ad nos vſque propagato traditis, atque à Spiritu Sancto per Oecumenicorum Conciliorum, ſeu auctoritatis Oecumenicę definitiones ad certa, ſeu fidei Dogmata, ſeu morum Decreta ſanciendа auctoritatiuè applicatis? Niſi hoc poſteriꝰs, mi Elliesi, elegeris, ſed priori illi membro immobiliter inſiſtere malueris, reus eris quorumcumque fidei dogmatum, quæ priùs ignota erant populo Chriſtiano, quàm fuiſſent ab Eccleſia ſuper fidei candelabrum deciſoriè expoſita. At verò ex antecedentibus conſtat, Verbo Diuino expreſsè tradita eſſe ea Oecumenicæ in Eccleſia poteſtatis principia, vt per ſanctiones Canonicas, & Conciliares quoque definitiones fuerit inde concluſum, Eccleſiæ, eiuſque auctoritati Oecumenicæ, poteſtatem eſſe erga Reges Chriſtianos, ipſo-

ipsorum aduersùs Ecclesiam pertinaci proteruia ita exigente, ad excommunicationis, tandemque exauctorationis sententiam procedendi. Qua ratione igitur hoc, quod in primæuis per Christum traditis fidei principijs fundatum, in Ecclesia sancta, etiam ante Gregorij VII. tempora, in vi Clauium à Christo Ecclesiæ, eiusque Capiti Petro, ac huius proinde successori traditarum fuit exercitum, & à Concilijs Oecumenicis, Pontificibusque Maximis ex Diuinis per Christum prolatis oraculis auctoritatiuè deductum, nouitatis à vera Religione alienæ, coarguere permittit Religio?

CAPVT V.

In quo eliduntur exceptiones Elliesij, quas opponit auctoritatibus, & rationibus Theologicis pro Pontificia supra Reges auctoritate afferri solitis.

IN hoc capite eum tenebo ordinem, vt sub ipsismet Elliesij verbis, sim inprimis producturus argumentum in fauorem Pontificiæ supra Reges potestatis adduci consuetum, posteà subiuncturus Elliesij aduersùs tale argumentum exceptiones, ac demum exceptionum huiusmodi confutationem subnexurus.

§. I.

Quantum momenti sit in Veteris Testamenti sacris literis, ad probandam Summi in nouo Testamento Sacerdotij supra Reges auctoritatem.

ARGVMENTVM I.

Ex Veteri Testamento petitum ab exemplo Oziæ Regis.

HIc enim Rex lepra Diuinitus percussus, Sacerdotum iudicio separatus est à cętu populi: vnde Bellarminus sic argumentatur: Si ob lepram corporalem poterat Sacerdos olim Regem iudicare, & Regno priuare, quare id non poterit nouæ legis Sacerdos nunc ob lepram spiritualem, id est, propter hæresim?

Exceptio Elliesii.

EXcipit ergo Elliesius I. Non esse idem iudicium ferendum de lepra spirituali, ac de corporali, quippe corporalis lepra in Veteri Testamento hominem priuabat omni prorsùs aliorum commercio, & societate tam in Ciuilibus, quàm in cæteris. At verò lepram spiritualem peccati, vel hæreseos, hominem tantùm priuare bonis spiritualibus, sicque adeò argumentum rectè procedere: [Lepra corporalis priuabat hominem commercio ciuili, ergo lepra spiritualis priuat hominem communione spirituali.

2. Oziam lepra diuinitus percussum, eò quòd incensum adolere vellet super altare Thymiamatis, à Sacerdotibus declaratum esse immundum, & templo expulsum, at Regno minimè priuatum; velnti constet ex 2. Paralipom. cap. 26. Id enim tantùm dicere Scripturam, [Sacerdotes videntes lepram in fronte eius,] eum festinatò de templo expulisse, ob lepram scilicet, non ob peccatum; quare nihil grauius in eum statui potuisse, quàm quod in leprosos omnes per Sacerdotem statui, Deus iussit, iuxta illud Leuit. 13. [Qui fuerit lepra percussus, separatus ad arbitrium Sacerdotis, habitabit extra castra.] Quapropter Oziam nec Regno, nec regnandi Iure excidisse, sed iuxta sacrum textum, annos quinquaginta, vsque ad mortem scilicet, regnasse. Quinimò Oziam ne Regni quidem administratione priuatum esse per sententiam Sacerdotum, sed cùm ipse iam senior esset, ac vi morbi vrgeretur, nec posset in publicum prodire, satius duxisse, in filium Regni administrationem transferre, non coactum ex iudicio Sacerdotum, sed impulsum ad id faciendum tum pudore, tum rei grauitate.

Refutatio istius exceptionis.

INprimis pro accepto habeo, quod Elliesius asseuerat, lepram corporalem in veteri Testamento hominem priuasse omni prorsùs aliorum commercio, & societate tam in Ciuilibus, quàm in cæteris. At ista Societatis quoque Ciuilis priuatiua separatio erat facienda per arbitrium Sacerdotis, iuxta quod habetur Leuit. 13. sanciendo, [vt lepra percussus, & separatus ad arbitrium Sacerdotis, habitaret extra castra.] Eiusmodi verò Societatis quoque ciuilis, ac politicæ in Ozia Rege lepra percusso, priuatiua separatio, per naturam suam arguebat priuationem administrationis Regni, vtpote essentialiter importantis politicam cum subditis communionem Ciuilem. Sicuti ergo iuxta sacram Scripturam, Ciuilis quoque, ac Politicæ Societatis priuatiua, Oziæ Regis separatio, ipsomet Elliesio fatente, fieri debebat per arbitrium Sacerdotis, sic per huius sententiam oportet, fuisse ipsi ademptam Regni administrationem.

Ex quo pro secundo ita licet vlteriùs argumentari. Veteris Testamenti Sacerdotio erat potestas, non tantùm super leproso ferre arbitrium, Ciuilis quoque Societatis priuationem indicens, sed vbi inter Iudices ambiguum, seu difficile erat Iudicium, ex Deuter. 17. capite erat Sacerdotio potestas, auctoritatiuè decidendi Iudicij veritatem. Numquid ergo Azarias, vnà cum Sacerdotibus 2. Paralip. 26. hanc proferendo sententiam: [Non est tui officij Ozia, vt adoleas incensum, sed Sacerdotum,] ex ipsamet diuina lege tulit Iudicij veritatem, imperans, (vti verbum imperatiuum, egredere, à sacro textu vsurpatum sonat,) egressum de Sanctuario, atque sub diuinæ etiam vindictæ interminatione indicens, contemptus loco habitum iri (vti verbum, ne contempseris indicat) si staret intrà Sanctuarium. Neque Sacerdotes erga Oziam lepra percussum verbis solam admo-

admonitionem præferentibus, agebant, sed verborum asseuerantium, festinatò expulisse eum, proprietas significat, illos vim aliquam non tam physicam, quàm auctoritatiuam adhibuisse. Quia igitur in veteri lege erat auctoritatiua Sacerdotij potestas supra Iudices, ac Reges etiam protensa, num dicere fas est, auctoritatiuam Ecclesiæ virgam etiam coercitiuam Matth. 18. constitutam, in nouo fœdere non protendi supra Reges Christianæ fraternitatis consortes, cum vi non tantùm priuandi communione fidelium, sed ligandi, & soluendi quodcumque, moralitatis in regnum cœlorum ordinabilis formalitate, atque adeò sacræ Religionis publicam vtilitatem, seu necessitatem præferente superueltitum, sicque hoc ipso subordinatum Oecumenici Pastoris Clauibus? Cuiusmodi ex Oziæ exemplo petita argumentatio susius deducta, pluribusque firmata habetur Summarij 1. Capite 5.2. & locis ibidem allegatis.

ARGVMENTVM II.

Ex 2. Paralip. cap. 23. petitum ab exemplo Athaliæ, Ius Regium tyrannicè vsurpantis.

CVm enim Athalia tyrannicè occupasset regnum, & soueret cultum Baal, Ioiada Pontifex vocauit centuriones, & milites, & iussit eis, vt Athaliam interficerent, quod & fecerunt, & pro ea Ioam Regem creauit. Quid ni ergo par proportionaliter potestas sit Sacerdorio noui fœderis?

Exceptio Elliesii.

EXcipit hic Auctor 1. Si quid probaret istud argumentum, hinc probarum iri, quod Reges non tantùm deponi possint à Summis Pontificibus, sed & eorum iussu interfici, quod dicere, non audere ipsosmet aduersarios.

2. Longè disparem esse rationem Athaliæ, & Regis legitimi, quippe illa per tyrannidem inuaserat Imperium post mortem Ochoziæ, occisis eius filijs, è quibus vnus superstes selectus fuit Ioas, ad quem morte Patris, & Fratrum, de iure Regnum successinnis iure deuolutum erat.

3. Tametsi Athalia fouerit Idololatriam, non tamen propter hoc crimen occisam esse à Ioiada, & ijs, qui cum ipso erant, sed propter solam Regni vsurpationem, vt Ioæ legitimo hæredi Regnum restitueretur.

4. Neque solum, neque auctoritate sua, id fecisse Ioadam quasi Summum Sacerdotem, sed tamquam præcipuum ex Regni Iudaici optimatibus, & vti Regis tutorem, ac defensorem: vbi enim opportunum vidit esse tempus restituendi Ioæ, Centuriones, Leuitas, & alios sui consilij participes fecit: [Inijtque, teste Scriptura, omnis multitudo, pactum in domo Dei cum Rege, dixitque ad eos Ioiada, ecce filius Regis regnabit, sicut locutus est Dominus, super filios Israel.] Non ergo Ioadam deposuisse Athaliam, aut constituisse Ioam Regem auctoritate Summi Sacerdotis, sed tantùm populo declarasse, Ioam hunc esse filium Regis, cui Regnum debebatur, populo statim eum agnoscente Regem. Quibus ita se habentibus, nihil soliditatis esse in illo argumento, ex veteris Testamenti Sacerdotio illationem faciente, ad noui fœderis summum Pontificatum.

Refutatio huius exceptionis.

INprimis si attendatur verborũ illud Athaliç exemplum 4. Regum 11. describentium proprietas, in aperto est, Ioadam Summum Sacerdotem, non ex priuata, sed superiore quapiam, vtique non alia, quàm ea, qua fungebatur, Summi Sacerdotij auctoritate processisse aduersùs Athaliæ tyrannidem, à Regij solij possessione eam deijciendo, legitimumque Regem præficiendo. Quidni enim dicere fas sit, hoc esse factitatum ex auctoritate per Deuteronomij legem Sacerdotio impertita ad definiendam Iudicij veritatem, vt pote quæ auctoritas, teste sacra Litera, se extendebat ad omne negotium, omnemque causam Ciuilis quoque status propriam, ea etiam cum energia, vt iudicis imperio, Sacerdotij sententiæ conformiter, pronunciaro non obediens, iuberetur occidendus? Quando igitur in casu illo Athaliæ, Regnum iniustè occupautis, nullus erat constitutus Iudex Laicus, Rege legitimo exturbato, & pro tunc in ius suum restituendo, ipsemet Pontifex proferens veritatem Iudicij, quà nisi sua Summi Sacerdotij per Deum constitura auctoritate progrederetur ad finem tali negotio imponendum, Deo Deut. 21. v. 5. statuente, vt omne negotium ad verbum Sacerdotum finiatur?

Ex quo proinde Ioiadæ Summi Sacerdotis exemplo quidni proportionaliter, secundùm quod Christi verba Clauium Petro, eiusque successori commissarum sphæram circumscribentia sonant, argumentari liceat ad parem Summi in Nouo Fœdere Pontificatus auctoritatem? Prout hæc vniuersa descripta reperiuntur in præcitato huius Summarij secundo capite per vniuersos eiusdem paragraphos.

Ex quibus insuper patebit, quàm impertinens sit Elliesij expositio, verborum Christi Domini Clauium Ecclesiasticarum, Oecumenicique pastoralis officij conditionem Matth. 16. & Ioannis 20. explanantis: quò, vti etiam ad loca ibidem allegata, breuitaris causa Lectorem remitto, vbi etiam videre licebit, quomodò extraordinarius equidem, seu Eliæ, seu Elisæi, seu Samuelis in constituendis, vel deijciendis Regibus, speciali Diuino iussui innitens spiritus, locum habere possit in Oecumenico pastorali officio. Quæ vniuersa cùm fusè deducta sint locis præadductis, & ne apex quidem adferatur ab Elliesio ad fundamenta ibi exposita confutanda, ideò non est, cur quidquam eorum hic reproducam. Quia verò Elliesius circa finem præf. §. 3. ad hoc vnicè collimat, vt Oecumenicam Ecclesiæ auctoritatem intrà spiritualitatis limites coarctet, visum est optimum, coronidis loco hic ostendere, hoc minimè alienum esse à sensu nostro, si res bene expendatur.

Pro secundo igitur lubenter admitto, quòd

quòd Bona temporalia ac Regia sæcularia iura Formaliter vt sic, non subdantur Pontificiæ potestati, sed Materialiter dumtaxat, sub altiori scilicèt, cui substernuntur, formalitate Moralitatis in Regnum Cœlorum ordinabilis. Hæc autem Moralitas est quid spiritale, respiciens in proprio suo subiecto salutem æternam,ac respectu Ecclesiæ publicum huius, atque sanctæ Religionis Bonum, Deique cultum, quà non mero Naturali lumini commensuratum, sed quà fidei lumini proportionatum. Quia igitur denominatio fit à Formali, non à Materiali, an non sicuti absolutè dici potest, nullam esse summo Pontifici temporalem, sed spiritualem in Regea poteestatem, sic pariter negare licebit, Pontificiam auctoritatem protendi super Regum bona, quà sæcularia?

§. II.

Quantum momenti sit in rationibus Bellarmini, inductis ad probandam Pontificiæ potestatis supra Reges præeminentiam?

ELliesius equidem præf. §. 1. inducit Bellarminum asseuerantem, quòd in temporali Pontificis auctoritate comprobanda, solis rationibus vsus fuerit, eò quòd Scripturis, Concilijs, & Patribus iam vsus esset in spirituali Primatu probando. Sed numquid rationi consona hinc fit exprobatio, ac si Indirecta Pontificis potestas temporalis vnicè inniteretur rationibus, & inductionibus minùs certis, vel minùs euidenter deductis? Ad cuius exprobrationis inanitatem ostendendam, operæ pretium est visum,Bellarmini rationes hìc producendas ita reducere ad sacræ Scripturæ principia, vt inde patere possit singularis eorum vis, & energia.

ARGVMENTVM I.

Desumptum ex potestatis politicæ erga Ecclesiam subordinatione.

POtestatis Ciuilis respectu potestatis spiritualis, subordinatio videtur subsistere ex hoc, quod vtraque sit eiusdem Reipublicæ Christianæ, eà tamen cum differentia, vt Principis spiritualis sit, de temporalibus disponere in ordine ad Bonum spirituale, quippe cùm omnis Superior imperare possit inferiori, & hinc finis temporalis potestatis subordinatur Fini spirituali concernenti æternam hominis salutem, quemadmodum autem Fines, sic & facultates inter se subordinari, tradit Aristoteles lib. Eth. cap. 1. Sicuti ergo spiritus, & caro coeunt in vnum hominem, sic potestas spiritualis, & temporalis duæ in vna Ecclesia Respublicæ conueniunt in vnam; vti Gregorius Nazianzenus ait.

Exceptio Elliesij.

EXcipit hìc Auctor 1. Potestatem temporalem haudquaquam esse partem Reipublicæ Christianæ, quatenus Christiana est, sed ex spirituali,ac temporali regimine constitui duas Respublicas, quarum fines sint diuersi, & nullatenus inter se subordinari ex parte facultatum,sed ex parte operantis dumtaxat: ita vt Principis Christiani Finis non equidem sit sola temporalis felicitas, sed æterna sui, ac suorum: attamen facultatis politicæ,quà politiæ Finis etiam vltimus sit temporalis dumtaxat felicitas, nec nisi ex parte operantis, Principis scilicèt Christiani, sit obligatio,Politici quoque regiminis actus referre in finem felicitatis æternæ. Et hinc vniuersi quidem homines Christiani, inter quos Reges quoque, ac Principes temporales numerantur, cum Papa, ac præfectis, seù Ministris Ecclesiæ, in vnam quidem coeunt Rempublicam Christianam, quoad suas characteres Christianitatis insignitas personas, inter se prorsùs disparatas, sed hæ duas distinctas,ac separatas Respublicas constituunt.

Refutatio istarum exceptionum.

ANtequàm ad præsentis difficultatis punctum respondeamus, operæ pretium est, indagare radicem, per quam subsistat ratio eius per Elliesium assertæ obligationis, in vi cuius finis facultatis politicæ, non quidem ex parte sui,ac per se, sed ex parte operantis, atque adeò per accidens subordinari debeat Fini Ecclesiasticæ potestatis, nempè saluti æternæ.

Equidem pro primo statuamus indubitatam cunctorum Moralium in homine circa res spirituales,seù temporales actuum subordinationem ad æternæ felicitatis finem supernaturalem; statuamus insuper temporalium vniuersorum, quà hominis Morali dispositioni subiacentium, ad spiritualia ex infusarum virtutum Moralium exigentia, homini ad statum supernaturalem eleuato,quasi connaturaliter congenitam coordinationem. Statuamus prætereà ex vi huiusmodi supernaturalis eleuationis cunctos omni tempore homines habuisse obligationem, ex virtute præcipuè Religionis constringentem, ad Dei cultum in fide radicatum, adeoque supernaturalem. Ex huiusmodi etiam obligationis contestandæ ratione, erat in Lege Naturæ institutum sacrificium, & Sacerdotium Abelis, Noemi, Melchisedechi, Abrahæ, Iobi & aliorum sanctorum virorum. Numquid verò tali Sacerdotio ipsis quoque Regibus quandoque Diuinitus collato,annexa erat potestas supra Reges, à via salutis æternæ, nedum in suis personis recedentes,sed alios insuper à sancta Diuinæ fidei Religione seducentes? In statu legis Mosaicæ altiùs euehebatur Sacerdotij dignitas, vt haberet potestatem auctoritatiuam, in dubijs interpretandi Diuinas leges iudiciales, debuitque ipsemet Politicus Iudex suum Iudicium isti Summi Sacerdotis sententiæ conformare in tantum,vt reus morteis fuerit pronuntiatus, qui Sacerdotis Imperio, & decreto Iudicis obedire noluisset. Numquid autem hæc Summi Sacerdotis in Lege Veteri auctoritas erat ex temporalium erga spiritualia per Ius naturæ determinata subordinatione, vel potiùs ex Diuina lege

positiua eius status propria? Sic proinde non ex præciso supernaturalis eleuationis statu, temporalium que ad spiritualia subordinationis iure quasi connaturali, sed ex Iure positiuo status Euangelici proprio, definienda est Summi in Nouo Fœdere Sacerdotij super Reges, quoad temporalitates Morali supernaturalis Religionis debito vestitas, protensa potestas. Quod adeò positiuum ex Christi mandato in Petri successore subsistens ius, multis iam expositum fuit, aliqualiter adhuc exponendum sequenti discursu.

Quibus ita constitutis, pro secundo quis Catholicorum inficiari audit, Regis Christiani iura etiam Politica, seù sæcularia, vnà cum ipsius persona esse capacia supernaturalis Moralitatis in Regnum Cęlorum ordinabilis? Hoc negare, foret profectò indignissimum Rege Christianissimo. Numquid verò Iura Regia, quantumuis sæcularia, quatenus Moralitate in Regnum Cœlorum ordinabili vestita, superinduunt formalitatem, sub qua regni cœlorum clauibus Summo Pontifici concreditis subiaceant? Hoc negare, foret perinde, ac negare, ijs clauibus subesse Quodcumque hominis Christiani, ceù ouis Christi Morale in regnum celorum ordinabile. Numquid autem istud pugnaret cum apertis Christi verbis Matth. 16. claues regni cęlorum eatenus definientis, vt Quodcumque in vi istarum clauium à Petro, eiusque successore in terris esset soluendum, pro soluto habendum foret etiam in cœlo? Numquid verò istud Tò Quodcumque in terris per Ecclesiæ claues solubile complectitur temporalia, ac Regia, seù politica, quà sæcularia Iura? Neutiquam. An igitur istud Quodcumque in terris per Summi Pontificis potestatem solubile admittit aliquam exceptionem? At hoc dicere, foret, vniuersalitatem illius Tò quodcumque contra disertum Christi verbum coarctare. Illius igitur vocis Tò quodcumque vniuersalitas nullam quidem admittit exceptionem, sed explicationem Christi verbo consentaneam. Numquid enim istud Quodcumque in terris per Christi vicariam potestatem solubile, ex eiusdem Domini nostri institutione, habet vt sic relationem ad cœlorum regnum, seu Militans, seù Triumphans? Nonne verò ista relatio importat Moralitatem statui supernaturali commensurabilem, de cuius natura est, ordinabilem esse in regnum cœlorum tum Triumphans, tum Militans? Numquid autem istius in regnum cœlorum ordinabilitatis Moralitas radicatur tum in Fide, per quam sumus membra S. Ecclesiæ, ceù vnius Mystici Corporis, tum in Christianitatis per Baptismum impresso charactere, per quem subijcimur sanctæ Ecclesiæ clauibus? Numquid autem membrorum ad corpus suum, seu Politicum, seu Mysticum coordinatio, vti etiam erga sanctam Ecclesiam subiectio, importat obligationem, ad curandum illius Corporis Mystici, sanctæque Ecclesiæ Bonum publicum? An non igitur in vi huius erga Ecclesiam, ceù Corpus Christi Mysticum coordinationis, seu subiectionis in Rege Christiano, secundùm Quodcumque in terris Morale, suum spectato, est debitum ordinabilitatis ad Bonum publicum Ecclesiæ? Quia igitur Quodcumque in terra Regibus Christianis inexistens Morale, complectitur ipsorum Regia quoque Iura sæcularia, sed Materialiter dumtaxat, ac indirectè, & per accidens, nec aliter, nisi quà supernęstita Moralitatis in regnum cœlorum ordinabilis formalitate, sub qua denominantur esse spiritualia, numquid nefas esset, negare, esse vt sic contenta sub illius Christi vocis Tò quodcumque vniuersalitate, omne in terris Morale in regnũ cęlorum ordinabile complectentis? Quia verò ad istam moralitatis in Regnum Cęlorum ordinabilis denominationem, iura regia, vtpotè secularia, se habent solùm materialiter, ac per accidens, nec adeò dici possunt subiacere directè clauium Ecclesiæ auctoritati, neque verò denominatio fit ex illo, quod solùm indirectè, præcipuè materialiter dumtaxàt, vel etiam per accidens conuenit, numquid secundùm præiacta principia rectè dicitur, Ecclesiæ potestas esse spiritualium dumtaxàt, non verè temporalium?

Secundùm hæc igitur Principia, Regem Christianissimum pronunciare exemptum ab illa Regiorum Iurium moralitate, Ecclesiæ clauibus indefinitè, ac vniuersaliter subiecta, perinde foret, ac ipsum alienum facere à Christiano charactere. Quòd si ergo Iura Regia, licèt secularia, statuantur esse capacia moralitatis in Regnum Cœlorum ordinabilis, oportebit fateri, ea materialiter, indirectè ac per accidens subijci sanctæ Ecclesiæ clauibus, non quidem sub ratione suæ temporalitatis, sed sub formalitate spiritualitatis in se deriuabilis, siue moralitatis in Regnum Cœlorum ordinabilis. Secundùm quam proinde distinctionem, si Clero Gallicano placuerit primæ suæ hactenus discussæ propositionis intelligentiam moderari, poterit fortè sustineri secundùm expositionem reflexionis in huius Summarij initio expositæ: Sin minùs, ipsimet sint eius sententiæ censores, quomodo cohęrere valeat eum indefinita super quodcumque in terris morale, qua scilicet in Regnum Cœlorum ordinabile protensa Ecclesiæ sanctæ clauium, Summique Pontificis Oecumenica soluendi, ac ligandi potestate.

ARGVMENTVM II.

Desumptum ex necessitate potestatis Ecclesiasticæ ad sui ipsius defensionem, suique finis à potestate seculari præpediri quandoque soliti consecutionem. 2.

Etenim oportet, Rempublicam Ecclesiasticam in eo esse statu, in quo sibi sufficiens sit in ordine ad finem suum consequendum. Atqui ad finé spiritualem potestatis Ecclesiasticę propriũ necessaria est potestas vtendi, ac disponendi de rebus quoque temporalibus, cùm ęteroqui malis Principibus esset integrum, fouere hæreticos, ac euertere Religionem. Imò vt Respublica quæpiam sibimet sufficiens sit, quando non potest aliter se defendere, debet posse agere aduersùs alteram sibi infestam Rempublicam, eiusque Principem hostilitatis contra illam exercitæ auctorem, armis suis deuictum in ordinem redigere, ac deponere. Qua de causa sub illis ad Petrum Ioan. 21. prolatis Christi verbis: (Pa-

sce

sce oues meas;] subintelligitur Summo Pontifici concessa potestas, ad gregem suum ita tuendum aduersùs lupos, vt hos omni ratione, qua poterit, arcere queat.

Exceptio Elliesij.

EXcipi potest ex huius auctoris mente, si reciproca Rerumpublicarum ad sui defensionem, & conseruationem necessitas exigat, vt Respublica Ecclesiastica possit agere aduersùs Principes seculares, ne hereticos foueant, religionemque euertere impunè præsumant, propterèaque ipsos etiam armis compescere, vel deponere, pari ratione Regi fore potestatem, armis etiam agendi aduersùs Summum Pontificem, Regiorum suorum Iurium iniustum aggressorem. Verùm, quod Pontificiæ supremæ potestati ad se ipsam defendendam ius competit, non esse eius conditionis, vt per arma temporalia, sed spiritualia dumtaxat peragi valeat, sicque adeò pascendi potestatem, Petro commissam, rectissimè equidem extendi etiam erga lupos, hæreticos scilicet arcendos, sed spiritualibus dumtaxàt armis, absque vlla auctoritate in temporalia ipsorum Iura, ac bona. Sanctum equidem Bernardum lib. 4. de considerat. c. 3. ex eo loco Euangelij: [Ecce duo gladij hìc, & ex illo, conde gladium tuum in vaginam, inferre, quòd gladius iste sit Pontificis, licèt non eius manu euaginandus sit: quodque adeò vterque gladius, materialis scilicet, & spiritualis, sit Ecclesiæ, ea tamen sub differentia, vt hic Sacerdotis, ille militis, sed ad Sacerdotis nutum, exercendus sit.] Attamen prætactum Euangelij locum à Bernardo detorqueri in sensum alienum, nisi hic dicatur esse dumtaxàt mysticus, & allegoricus. Imò nutum illum apud S. Bernardum non significare potestatem coactiuam, sed directiuam, veluti exponunt Ioannes de Parisijs, Antonius de Rosellis, & alij. Nec denique talem nutum, aut potestatem gladij, in Pontifice spectare Regum depositionem.

Refutatio istarum exceptionum.

EXcutiendo inprimis ab illa S. Bernardi expositione, clarum est ex ipsomet sacro textu, quod gladius iste fuerit Petri, Christo Matth. 26. vers. 52. dicente: [Conuerte gladium tuum in locum suum.] At eo ipso, quòd gladius hic esset de Iure Petri, itá vt suus propterea diceretur, oporteet, vt non quidem ipsemet contra Christi iussum posset eum euaginare, eo ipso tamen, quòd esset in Iure ipsius, consequens est, agnoscendam esse in eo moralem potestatem, mediante scilicet imperio suo ad eiusdem euaginationem, & vsum exercendum ab ijs, qui subduntur ipsius Oecumenicæ auctoritati, vnde manifestum redditur, sancti Bernardi expositionem ab alijs, vti superiùs ostendebatur, Ecclesiæ sanctæ Doctoribus, seu Theologis comprobatam, haud detortam esse ad alienum sensum: an verò gladius eiusmodi aduersùs Reges ad eorum vsque depositionem Pontificis nutu, & imperio stringi possit, elucidabitur ex proximè sequenti, alibi licèt iam producto, hic autem sub alia forma reproducendo fundamento.

Pro secundo igitur sciscitari lubeat ex Elliesio, an non Iure naturæ certissimum sit hoc principium morale, quòd nempè suprema Regia potestas non tantùm in via defensionis possit Coronæ suæ, seu Maiestatis Iurium inuasorem, vi etiam armata repellere: sed quòd supremæ potestatis auctoritate possit etiam iudicialiter decernere de iniurijs sibi quoad Maiestatis suæ Iura illatis, sicque bellum iustum offensiuè suscipiendum sancire, indeque militari exercitu progredi, ad alterum, quantumuis supremum Regem, sibi non aliter subiectum, quàm ex titulo delicti, aduersùs Iura sua Regia hostilibus quoque armis perpetrati, è Regno suo deijciendum, cum reali simul, & auctoritatiua Iuris Regij eidem priùs competentis priuatione, atque abdicatione? Hoc equidem duplicatum morale principium vix audebit Elliesius negare, iure naturali esse certissimum, cùm cæteroqui Christianissimi Regis sui arma conijceret in discrimen alicuius minùs æquæ vsurpationis. Quo adeò principio morali iam præsupposito, ita licet progredi cursùs disquirendo: an non sit de fide quoque certissimum, quòd Oecumenica Summi Pontificis, vnà & Concilij vicaria Christi auctoritate muniti potestas sit suprema? De cuiusmodi adeò auctoritate, supremæ potestatis veram, & perfectam obtinente rationem, disquiri denuò potest: [An non pari proportionaliter modo per arma sibi proportionata, possit aduersùs Regem, Iurium Diuinæ Religionis sibi per Christum appropriatorum aggressorem incorrigibilem, & contumacem, procedere ad priuationem vsque Regni, Iurisque Regij aliàs & competentis abdicationem, iudicialiter decernendam, & vbi decreta est, auctoritatiuè demandandam executioni?]

Cuius proinde quæsiti sequentem pro tertio accipe resolutionem. In suprema nempè politica, & suprema Ecclesiastica potestate (sub eiusmodi supremæ in terris auctoritatis ratione) est vniuoca conuenientia: sicque adeò ius illud, quod potestati Regiæ aduersùs alterum Regem Maiestatis suæ Iurium aggressorem diximus conuenire, non subsistit ex differentia specifica supremæ politicæ auctoritatis, qua lumini dumtaxàt naturali commensuratæ, sed quemadmodum ratio virtutis est generica, & vniuoca respectu virtutum naturalium, & supernaturalium, sic illud supremæ in terris auctoritatis, qua supremæ ius, de se ipso aduersùs alterum, æquè licèt supremum Regem, iudicialiter, & militariter (per arma cuique proportionata) vindicando, est genericum, & vniuocum respectu cuiuscumque, siue naturalis & politicæ, siue supernaturalis diuino fidei lumini proportionatæ auctoritatis, quatenus suprema est.

Ex quo adeò principio ab Ecclesiasticæ, & politicæ supremarum potestatum specificis differentijs abstractiuo, vbi per fidei lumen subsumere licet, Oecumenicam Ecclesiæ auctoritatem verè supremam esse, per consequentiam theologicè demonstratiuam infertur prorsùs certum, ac indubitatum principium, quòd hæc Ecclesiæ Oecumenica auctoritas

 su-

suprema habeat sibi intrinsecum ius, armis sibi proportionatis vindicandi Iurium suorum, Maiestatisque suæ, Christi Vicariæ, ac Ecclesiæ sanctæ violationes iniuriosas, & sacrilegas, dum contumacia saltem, & contemptus accesserit. Atqui arma Ecclesiasticæ supremæ potestati proportionata sunt tum vis coercitiua Matth.18. descripta, à correctione fraterna procedens ad censuram illam, per quam Ecclesiam non audiens, instar Ethnici, & Publicani sit habendus: cum potestas soluendi quodcumque in terris sub moralitatis Christiano condignæ formalitate obtinens vel respectum ad Regnum Cælorum, vel moralem ab hoc deordinationem. In hoc autem ordine moralitatis ad Regnum Cælorum ordinabilis, quis negare ausit, cunctos Reges Christianos esse censendos, vnà cum suis publici etiam regiminis actibus moralibus, Regiæque potestatis ad suam personam subiectiua applicabilitate, qua iustitiæ & naturali, & supernaturali, Religionique adeò consentanea? Quòd si ergo sub hac moralitatis ad supernaturalem statum diuinitùs eleuatæ mensura, per auctoritatem Ecclesiæ Oecumenicam proferatur iudicium ex indefinita super quocumque ad Regnum Cælorum ordinabili, Regio etiam, qua moralitatem eiusmodi superinduente iure soluendo protensa potestate, quid stante huiusmodi per Christum sancita, & in cælis rata solutione, poterit in Rege Christiano talis censutæ condemnato, superesse de Regiæ potestatis, non secundùm se formaliter spectata supereminentia, sed qua inexistebat huic supposito, Oecumenicæ Ecclesiæ auctoritati subiecto, ac per sententiam legitimè exauctorato?

Hinc pro quarto facile est iudicare, de illo Regis terreni erga iura sua Regia aduersùs Summum Pontificem, eorumdem iniustum vsurpatorem, seu aggressorem defensionis, seu vindicationis iure reciproco. In hoc equidem vtrinque paritas est, quòd non nisi sub legitima quoad substantialem solemnitatem perfectè iudiciaria supremæ auctoritatis sententia prænia locus esse possit illius defensionis, ac vindicationis auctoritatiuæ Iuri.

Verùm ex hoc ipsissimo principio, quòd Oecumenicæ Vicariæ in Romano Pontifice auctoritatis sphæra, sit circumscripta limitibus moralitatis in Regnum cœlorum ordinabilis: ad hosce autem limites, naturalis luminis sphæram transcendentes, nequeat se extendere potestas Politica, ac Regia, vtpotè, cuius mensura intrà naturæ lumen coarctata dignoscitur. Idcircò nihil occurrere vnquam potest ex supremæ Oecumenicæ Christi Vicariæ, Romano Pontifici inexistentis potestatis decretis, seu sanctionibus, seu sententijs quibuscumque, supra quod Politica Regia potestas suam valeat prætendere vel iudiciariæ auctoritatis, vel armorum militarium potentiam.

Quare inter illas duas Politicam, & Ecclesiasticam potestates hoc versatur discrimen, quòd Regiæ potestatis actus etiam publici superinduantur moralitate in Regnum Cœlorum vel ordinabili, vel deordinabili, ad Ecclesiasticam auctoritatem spectante: at inuersus esse ordo, si prætenderetur, actus ab Ecclesiastica Christi Vicaria potestate promanantes, vt sic ad supernaturalis moralitatis lineam traductos, ad inferiorem retrahi posse ordinem, Politicæ, seu Regiæ auctoritati commensurabilem.

ARGVMENTVM III.

Petitum ex pacto, seu iuramento Regum Christianorum de fide Christi defendenda.

Qvando enim Reges, & Principes ad Ecclesiam veniunt, vt Christiani fiant, recipiuntur cum pacto expresso, vel tacito, vt Regna sua Christo subijciant, & polliceantur, se Christi fidem seruaturos, & defensuros, etiam sub pœna Regni perdendi. Quando igitur Hæretici fiunt, aut Religioni obsunt, possunt ab Ecclesia iudicari, atque etiam deponi à Principatu. Quod argumentum grauiùs vrget in ijs præsertim Regibus, qui vti Imperatores saltem, sub sui euectione, & coronatione facere constringuntur, solemne iusiurandum pro Ecclesiæ sanctæ iuribus tuendis: qualis porrò obligatio illis vel maximè incumbit etiam ex munere Aduocati, & Defensoris Ecclesiæ eisdem competente, iuxtà cap. Venerabilem, de elect. & Clementinam Romani, de iureiurando, necnon cap. 2. in 6. de supplenda neglig. Prælatorum.

Exceptio Elliesij.

Excipit hic Auctor propè finem citato §. 2. pactum præinsinuatum neque in Baptismo, aut inauguratione cuiusquam Regis factum, haberi posse, nisi quòd Reges ad Baptismum accedentes, solemni Sacramento, sicut & cæteri homines, se obstringunt ad fidem Christi seruandam, sed sub pœnis tantùm spiritualibus, si ab ea defecerint, nullo autem pacto sub pœna depositionis, priuationis bonorum, aut alia huiusmodi.

Refutatio istius Exceptionis.

Priusquàm proximè positam Elliesij exceptionem elidamus, argumentumque priùs factum obfirmemus, placuit primo loco indagare vim, & momentum posterioris, ex munere Aduocati, seu Defensoris Ecclesiæ, Regibus, seu Imperatoribus Christianis incumbente, per nos effotmati argumenti. Sub cuius discussionis exordio statim occurrit dubium: [Vtrùm Aduocati erga Ecclesiam munus seu Regi, seu Imperatori incumbat ex specifico iure alicuius quasi contractus, seu pactionis saltem implicitæ?] In Occidentis equidem Imperatore videtur talis quasi contractus subsistere, dùm Romanus Pontifex Imperium Græcis ademptum, transtulit in Francos, & Germanos, sub tacita quasi conditione talis oneris. Attamen hæc ratio locum non habebat olim vel in Orientis Imperatore, vel in Regibus, in quibus alia via, ac independenter à Romanis Pontificibus protogatur successio Regiæ potestatis.

De his igitur rursus mouetur quæstio:

[An

[An ex aliquo iure specifico, Romani Pontificatus proprio, obstringantur ad eiusmodi Aduocati, seu Defensoris Ecclesiæ munus, vel potiùs ex obligatione quasi transcendentali, characterem Christianitatis consequente, in vi cuius scilicet quilibet Christianus non priuatos dumtaxat seu personales, seu reales, sed etiam publicos, ac Regios, cum Christi charactere in eo subiecto coniunctos, actus tenetur saltem non vsurpare in perniciem Ecclesiæ.]

Verùm ex quo fundamento ostenditur ista Regis Christiani obligatio positiua, ad se cum vniuersis suis potentijs, & iuribus pro Ecclesia impendendum, in casu saltem necessitatis? An isthæc fortassis obligatio, vti in omnibus Christianis,sic præcipuè in Regibus Baptismali charactere insignitis, fundatur in hoc, quòd per istum Christi characterem sint subditi, per fidem verò membra Ecclesiæ, sit autem Iuris quasi naturalis, vt subditus pro suo Superiore, ac membrum pro sui Corporis seu moralis, seu politici conseruatione, omni virtute, ac potentia sua impendat se in casu, nedum extremæ, sed etiam grauis necessitatis? Hoc autem supposito,ex ipsius etiam naturæ lumine perspectum est, aduersùs illum,in quo est talis obligatio, posse, dùm eam non præstat, institui seu querelam, seu processum publicum. Vnde rectè infertur, Ecclesiæ potestatem esse, conueniendi Reges Christianos, atque duriùs contra ipsos agendi, si deficiant in illa sua obligatione, quamuis ex illo præcisè argumento necdum eluceat, quanta sit Ecclesiæ, ac specificè Summi Pontificis auctoritas, in tali defectu procedendi aduersùs Reges Christianos. Huius proindè erga Reges Christianos potestatis Pontificiæ mensura alia non est, nisi ex verbis Christi, quodcumque in terris morale Oecumenico sanctæ Ecclesiæ Pastori ad soluendum, vel ligandum pro causarum merito committentis. Hinc enim fit consequens, quòd Regia potestas tùm quoad morale sui substratum, tùm quoad suos effectus morales, ex intrinseco characteris Christiani debito,in Regnum Cælorum ordinabiles, subiectiuè adeò, ac materialiter spectata, subsit prætactæ soluendi potestati, Pastorali Petri successoris muneri, per Christi constitutionem annexo.

Quam ob causam pro secundo, insistendo vnicè illi, quam Christus seu Ecclesiæ sanctæ Clauibus, seu Oecumenicæ Pontificiæ potestati posuit mensuram, sequens adhuc panditur via ad indagandum, quomodò Papa vel ex sacrosancto intrà Sacramenti Baptismatis susceptionem implicitè saltem firmato pacto, vel ex vi iurisiurandi sub ipsorum coronatione præstiti, habeat sibi subiectos Reges, & in quantum contra ipsos, pacti, seu iusiurandi huiusmodi temeratores valeat procedere? Nempe in dubium vocare haudquaquàm licet, quod pacti illius Baptismalis temeratio, seu iurisiurandi cuiuscumque, illius præsertim, quo Ecclesiæ defendendæ pollicitatio firmatur, violatio, perlurijque adeò reatus, subsit coercitiuæ Matth.18. Ecclesiæ per Christum concessæ virgæ, ad excommunicationis vsque censuram procedere potenti. Quòd autem ista Ecclesiæ coercitiua virga ad Regum vsque exauctorationem, ac depositionem extendi valeat, manifestiùs euincitur ex sæpè præallegatis Io. 20. & 21. item Matth. 16. claris textibus Euangelicis. Duplex namque in Ecclesia existit Tribunal à Christo Domino institutum. Vnum fori interni pœnitentialis, cui subijciuntur quorumlibet Christianorum cuncta etiam secretissima cordis peccata. Cur hoc? Nisi quia Christus Io. 20. Apostolis indefinitè dixerat: [Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis &c.] In quo autem consistit peccati ratio, nisi in moralitate deficiente à Regni Cælorum, seu finis supernaturalis ordine? At Christus non minùs indefinitè dixit: [Si peccauerit in te frater tuus (non proficiente fraterna correctione) denuncies eum Ecclesiæ, quam si non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & Publicanus.] Qui per Christum constitutus procedendi modus respicit alterum à Christo institutum Ecclesiæ tribunal, pertinens ad forum externum, cui proinde subest omne fratris Christiani peccatum, si tamen respectu eius fori valeat probari. In hoc igitur foro Ecclesiæ externo, quis in terris supremam habet auctoritatem, nisi Petri successor, cui omnes Christi oues sunt concreditæ, vnà cum Clauibus Regni Cælorum & Triumphantis, & Militantis? Quænam verò est materia huius fori, nisi quam Christus definiuit bisce verbis ad Petrum prolatis: [Quodcumque solueris, aut ligaueris super terram, erit solutum, seu ligatum & in Cælis?] Hoc verò [quodcumque,] vtpote vniuersalitatis vocabulum, num artiùs exponi debet, quàm illæ indefinitæ voces: [Quorum remiseritis peccata;] & [si peccauerit in te frater tuus?] Si ergo ex vi harum indefinitè positarum vocum, foro Ecclesiæ tùm secreto pœnitentiali, tùm publico iudiciario subsit omnis moralitas à Regni Cælorum ordine, seu fine supernaturali deuians, quid ni sub isto vniuersalitatis vocabulo, [quodcumque solueris,] dicendum sit, denotari omne morale, qua habens ordinem ad Regnum Cælorum seu Militans, seu Triumphans? Quòd si ergo illa Petro, eiusque successori concessa fori externi potestas extendi debeat super quocumque, atque adeò super Regiminis quoque politici exercitio,& applicatione subiectiua, qua moralitatis in Regnum Cælorum ordinabilis formalitatem superindnente, quomodò fas est, dicere, talem in Regibus moralitatem pro foro conscientiæ,non verò in ordine ad externum indiciarium Ecclesiæ forum, esse subiectam Apostolicæ auctoritati, protensæ super quocumque, vniuersalitatem designante,cùm tamen respectu fori interni subiectio peccatorum, nonnisi sub vocula indefinita designetur? Quia proindè sub illo quocumque, super omnem Christi ouem,& omnimodam in externo foro probabilem, moralitatis in Regnum Cęlorum ordinabilis formalitatem protenso, continetur & Rex Christianus, & cuncta eiusdem quoad Regiæ potestatis exercitium, & applicabilitatem subiectiuam moralitas, quomodò hæc non vniuersaliter dicenda est, subesse Summi Pontificis auctoritati, seu potestati soluendi? Vbi verò Regiæ potestatis ius, qua huic personæ sub morali ad Regnum Cælorum ordinanda applicabilitate inexistens, continget, pet illam Apostolicam auctoritatem ex cau-

sis

ſis moralibus Regnnm Cælorum tam Militans, quàm Triumphans reſpicientibus, Regiſque depoſitionem efflagitantibus ſolui, quomodo intelligi poteſt, non eſſe tunc facta effectiua Regis exauctoratio? In apetto igitur eſt, ex præadductis fidei principijs demonſtrari Summi Pontificis poteſtatem erga Reges Chriſtianos, à Regni Cælorum, & Militantis, & Triumphantis ordine peruersè, ac pertinaciter, cum publica etiam Eccleſiæ pernicie, deficientes exauctorandos.

CAPVT VI.

Quantum momenti ſit in argumentis, ad Pontificiam ſupra Reges poteſtatem probandam deſumptis ab exemplis, ſeu factis Summorum Pontificum, ſeu Oecumenicorum Conciliorum?

§. I.

In quo expenduntur argumenta, petita ex Theodoſij Imperatoris excommunicatione, Gregorij Magni vno, alteròue priuilegio inferiùs referendo; necnon Gregorij II. excommunicationi aduersùs Leonem Iſaurum, ac depoſitione Childerici Galliarum Regis.

ARGVMENTVM I.

Ex Theodoſij, & Leonis Iſaurici excommunicationibus, ac præinſinuato Gregorij Magni priuilegio.

IN primis notum eſt, teferente etiam Theodorito lib. 5. hiſtor. cap. 18. Theodoſium Imperatorem propter cædem Theſſalonicæ factam, à ſancto Ambroſio Mediolanenſi Archiepiſcopo prohibitum fuiſſe ingreſſu Eccleſiæ, ac ea poſtmodùm conditione reſtitutum, vt legem ferret, ne deinceps ſententiæ de cæde, aut bonorum proſcriptione ante triginta dierum ſpatium executioni mandarentur. Vnde Bellarminus probare nititur, poſſe Principes Eccleſiaſticos non ſolùm in foro interno conſcientiæ, ſed etiam in ſoro externo Eccleſiaſtico diſponere de temporalibus, in ordine ad ſpiritualia: quemadmodùm feciſſe noſcitur Ambroſius, cum cædis ab Imperatore factæ cauſam, tamquam ad ſuum tribunal pertinentem iudicando, tum Imperatori mandando, vt legem de ciuilibus ferret.

... Deinde in priuilegijs Abbati Monaſterij Semmerdardenſis à ſancto Gregorio Magno impertitis, ſubijciuntur hæc verba, Pontificiæ erga Reges poteſtatis manifeſtum argumentum præſeferentia: [Si quis Regum, Antiſtitum, Iudicum, & quarumcumque ſecularium perſonarum, huius Apoſtolicæ auctoritatis, & noſtræ præceptionis decreta violauerit, cuiuſcumque dignitatis ſit, honore ſuo priuetur.] Similis forma habetur in priuilegio Xenodochij Auguſtodunenſis.

Inducitur porrò ad intentum noſtrum Gregorij II. exemplum, qui Leoni Iſauro à ſe excommunicato prohibuit vectigalia ſolui ab Italis, & proinde ea parte Imperij mulctauit, immò etſi nonnullis credere velimus, vniuerſo ipſum Imperio deiecit.

Exceptio Ellieſij.

EXcipit hic Auctor 1. Vbi temporalis res cum manifeſto peccato eſt coniuncta, tunc iſtam ratione peccati eſſe Notionis Eccleſiaſticæ, non vt abſolutè de ea diſponat Eccleſia, ſed vt moneat, hanc, vel illam actionem Dei lege non licere. De temporalibus igitur agi poſſe in foro Eccleſiæ, ſed ſpiritualiter, & in ordine ad ſpiritualia, quatenus adiunctam habent bonitatem, vel malitiam moralem. Ex hoc præterea (ſi tamen Theodoritus in ea relatione non ſit deceptus) quòd ſanctus Ambroſius mandarit Imperatori, vt præinſinuatam ferret legem, vnicè probari, Epiſcopo, & Presbytero eſſe poteſtatem, leges indicendi etiam Regibus ſub pœna retentionis peccatorum, vt, quæ ad iſthæc ſananda duxerint eſſe neceſſaria, remedia adhibeant.

Secundò Aduersùs præinſinnata Gregorij Magni priuilegia, ſeu potiùs contra ijſdẽ inſertam Regibus præiudicioſam clauſulam excipit Ellieſius, priuilegium eiuſmodi eſſe ſubreptitium, & ab aliquo recentiore, Gregorio affictum, velut inuictiſſimè à Launoio demonſtratum ſit. Idem dicendum eſſe de priuilegio Xenodochij Auguſtodunenſis, vtpote quod tam variè habeatur, vt hinc intelligatur, eſſe ſuppoſitum, vel interpolatum. Et verò, ſi clauſulæ illæ veris ac genninis Gregorij Magni priuilegijs continerentur, non alium habitura eſſe ſenſum, quàm Imprecatorium, vti Summis Pontificibus in more eſt, tales Diuinæ etiam indignationis imprecationes ſuis decretis, ſeu priuilegijs à ſe conceſſis erga earumdem temeratores, in fine ſubiungere.

Tertiò. Idem Ellieſius contra Leonis Iſauri à Gregorio II. latam excommunicationem excipit, quòd recentiores Scriptores Græci in odium Romani Pontificis eam con finxerint, tum quia in epiſtolis Gregorij nullum in Leonem huius iudicij occurrit veſtigium, Tum quia Carolus Magnus in epiſt. ad Conſtantinum, & Irenem, diſſidij inter Gregorios II. & III. ac Leonem faciens mentionem, non meminit, niſi admonitionis, ac precum, quas illi Pontifices interpoſuiſſent, ſed fruſtra, ad Imperatorem illum à ſuis contra imagines conatibus auertendum Tum quia Paulus Diaconus lib. 6. de geſtis Longobardorum cap. 49. refert, Gregorium II. impediuiſſe, ne Itali alium ſibi Imperatorem, illo reiecto crearent claro, adeò argumento, eum Pontificem Iſauro haud voluiſſe, vectigalia non ſolui, parteque Imperij ſic mulctaſſe. Tum quia Anaſtaſius Bibliothecarius ad annum 658. fusè narrans,

quæ

quæ in dissidio Gregorij II. & Leonis Isauri sunt gesta, nihil haber de excommunicatione Imperatoria, vectigaliumque, iussu Pontificis facta subtractione. Tum quia Gregorius Tertius postea Leonem Imperatorem agnouit, humanissimis ad eum datis literis neque Damascenus orat. de imag. rerum à Leone adversus imagines gestarum mentionem faciens, refert, eum aut Regno priuatum fuisse, aut excommunicatum à Pontifice.

Quantumuis ergo Theophanes, Cedrenus, Zeno, Nicephorus, & cum istis recentiores Historiographi Latini scribant, Leonem Isaurum a Gregorio Secundo fuisse excommunicatum, & exactione tributorum Italiæ priuatum, ipsimet tamen Gregorio, Paulo Diacono, Anastasio, & alijs Scriptoribus, ceu antiquioribus, & fide dignioribus maiorem esse fidem habendam. Procul igitur abesse, vt Gregorius Secundus quidquam tentarit in iura, aut vectigalia Isauri, sed & si quid tentasset: eius factum non esse trahendum in exemplum, cum sit contra Euangelij legem, quæ iubet. [Quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ Dei sunt, Deo teddenda esse.

Refutatio istarum exceptionum.

PRimò. Pro accepto recipio, quod Elliesius circa Theodosij Imperatoris ab Ecclesiæ ingressu interdictum profert, nempe de temporalibus posse quidem agi in foro Ecclesiæ, sed spiritualiter, & in ordine ad spiritualia, quatenus adiunctam habent bonitatem, vel malitiam moralem. Numquid verò potestas Regia, non in seipsa formaliter sed subiectiuè sumpta, quatenus huius Regis auctoritate sua in Ecclesiæ manifestam perniciem, ac sacræ Religionis, fideique Orthodoxæ euersionem abutentis, personę indiuiduę inexistit, sicque ad actus publicos moralitate in regnum cælorum ordinabili, vel extrà ordinem istum exorbitante ineuitabiliter affectos progreditur, sub tali publico preeminentię Regalis abusu tam execrando, iam est coniuncta cum malitia morali. Quandoquidem proinde, ipso Elliesio fatente, Ecclesiæ sanctæ foro subdantur etiam temporalia, quatenus ordinem præferunt ad spiritualia; adiunctamque habent malitiam moralem; publicæ præsertim Religioni infensam, numquid, vbi excellentiæ Regiæ iura temporalia, non equidem ex se formaliter, sed ex subiecti, cui inexistunt, nequitia, per insuperabilem huius pertinaciam, sunt immobilis radix tam enormium scelerum, publicorumque Orthodoxæ Religionis damnorum, procedere licebit Ecclesiæ, ad mali eiusmodi radicem è subiecto illo tollendam mediante Clauium Apostolicarum solutione præualere poteure ad quodcumque in terris morale. siue vti Elliesius loquitur, malitia morali infectum, auctoritatiuè soluendum.

Quo adeò principio per ipsummet Aduersarium nostrum ratificato, haud difficulter pro secundo, refutatur præfacti Elliesij secunda exceptio, prætendentis, clausulas in præadductis Gregorij Magni priuilegijs infectas, esse solùm imprecatorias, non verò auctoritatiuè decretorias exauthorationis Regum, si contra ea priuilegia proterue agerent. Numquid enim ipsa ratio euincit, vt in eiusmodi clausulis prudenter discernamus id, quod à solius Dei imperio ac prouidentia, potestateque dependet, & id quod in ipso etiam Summo Pontifice talem clausulam ponente, respicit auctoritatem interminationis à se factæ, ipso etiam Iure exequendæ potestate præpollentem. Quandoquidem igitur maledictionis æternæ effectus non sint in potestate Pontificis, sed Dei solius erga hos nequit nisi comminatoriam. seu comminatoriè imprecatoriam clausulam, Papa suis rescriptis, seu Decretis inferre. Secùs verò est de effectibus, super quibus protenditur Oecumenica Ecclesiæ sanctæ Clauium auctoritas, intrà cuius sphæram ex diserto Christi verbo. continetur quodcumque morale, sicque adeò temporale, etiam quà morali; vti Elliesius ait, seu bonitate, seu malitia affectum, in quo genere planum est, comprehendi Regiam quoque potestatem, non in se formaliter spectatam, sed quatenus in hoc subiecto reposita, est radix multimodæ malitiæ, ac peruersitatis, in publicam etiam Ecclesiæ perniciem redundantis. In quantum igitur aliqua Pontificia constitutio aduersùs huius temeratores decernit Regalis dignitatis ab hoc subiecto abdicationem, minimè dicenda est talis comminatio esse merè imprecatoria, sed cum reali effectu importat, Regiæ præeminentiæ in tali subiecto priuationem, vel ipso iure, & facto, vel mediante decisoria criminis sententia, incurrendam.

Conatur equidem Elliesius præadductum Monasterij Scumerdardensis priuilegium à Gregorio I. amoliri, ex leuibus tamen seu coniecturis, ac iudicijs, vel argumentis ab auctoritate negatiua dumtaxat efformatis, vti legenti patebit. Idemque facere nititur aduersùs priuilegium Xenodochij Augustodunensis. Aduersus cuiusmodi Elliesianum conatum, sufficiat obseruare, tum quòd de isto priuilegio constet ex lib. 2. Gregorij Magni epistola 10. Tum quòd par clausula contineatur in duabus alijs eiusdem Summi Pontificis epistolis, quas vindicat Auctor tract. de libert. Ecclesiæ Gallicanæ lib. 4. cap. 6. præualidè ibidem confutans Ioannem Launoium, tres illas epistolas suppositas, aut saltem interpolatas ostendere conatum, tametsi ab vndecim ferè sæculis nemo eas in dubium reuocarit, nec solùm à Gregorio VII. allegata fuerit prima earum sed omnes à pluribus, etiam Gallicanorum monimentorum collectoribus exscriptæ sint, velut eo loco per totum cap. ostendere pergit precitatus Auctor, quò Lectorem: si fortassis scrupulo pulsaretur, remittere volui.

Quare ad Elliesij præadductum principium regrediendo, quò dixerat. [Posse in foro Ecclesiastico spiritualiter agi de temporalibus, quatenus ista nimirum adiunctam habent moralem malitiam, comperio effatum hoc minimè dissonare à prædicti Gregorij Magni sententia in Psal. Pœnit. 4. asseuerantis. [Nullam finere rationem, vt iurer Reges habeatur, qui destruit potiùs, quam regat imperium. Quomodò enim fieri possit, vt

vt Gregorius in hoc ſuo iudicio intentus eſſet ad aliam, quàm ad moralitatis, à debito regiminis moderamine in tyrannidem peruerſæ, rationem, ſub qua per ſanctæ Eccleſiæ Claues, meritò pronunciari poſſet indignus Regiæ poteſtatis ſublimitate, qui tot ſceleribus in Imperij ſimul, ac Eccleſiæ perniciem redundantibus, obnoxius, per moralem maliciam ſuam in fori Eccleſiaſtici incideret iudicium.

Hinc tertiò regreſſionem faciendo ad Elliesij exceptiones, quas Gregorij II. aduersùs Leonem Iſaurum latæ excommunicationi vnà & vectigalium in Italia ſpoliationi oppoſuit, vnicè repono, quòd ipſiſſimę hæ oppoſitiones, ac exceptiones iam antehac à præcitato Auctore tract. de lib. Eccleſ. Gallicanæ lib. 4. cap. 12. fuerint eliſæ, tum quod teſtibus aliàs à me allatis, eas contra Iſaurum cenſuras tam clarè affirmantibus, opponendi fuiſſent alij teſtes æquè clarè negantes, aut certè rationes validiſſimæ, dum tamen Elliesius non niſi teſtium de eadem re tacentium; vel ad ſummum alia, non tamen contraria, loquentium auctoritate, vel coniecturis ad dimittendam communem hominum ſententiam, parum potentibus, cauſam ſuam tuetur, vti præallegatus Auctor, rem hanc vbi ſupra exactiùs diſcuriendo pluribus id oſtendit, ibi n. 9. in hæc diſſerens verba: Etiamſi Launoius (ſen Elliesius modo) teſtes adduceret expreſsè negantes; quas alij aſſerunt, Gregorij II. aduersùs Iſaurum cenſuras, non obtineret, quod intenderet. Vti enim ex iuriſperitorum doctrina iura cum iuribus, ſic teſtimonia cum teſtimonijs conciliauda ſunt; dum inter ſe pugnare videntur, nec iuſolubilis eſt contradictio. In huc autem caſu facillima eſſet concordia, certum enim eſt, Gregorium Secundum omni pacifica ratione Imperatorem illum ad ſanam rationem reuocare conatum fuiſſe vnde de illo tempore intelligendi eſſent Scriptores qui negarent, Summum illum Pontificem Imperatori tributa negaſſe, qui autem affirmant prohibitam illam ſolutionem, interpretandi ſunt de vltimo tempore, quando ſcilicet conſtitit, nullam ſpem eſſe, Imperatoris conuertendi, prout haud obſcurè id in ſinuauit Theophanes in Chronologia poſt Gregorij Secundi monita in Iſauro haudquaquam proficientia, ſubiungens, tunc Pontificem [Italiæ tandem ac Romæ, tributa ad ipſum deferenda prohibuiſſe.

Et hinc tam parum prodeſt Elliesij intentioni, quod Paulus Diaconus refert, impediuiſſe ſcilicet Gregorium Secundum ne Itali, reiecto Leone, alium ſibi crearent Imperatorem, vt iſtud noſtro potiùs deſeruiat intento, quatenus hinc redditur conſpicuum, non in Italis, ſed in Summo Pontifice fuiſſe poteſtatem, illum Imperatorem priuandi, imperio vel ex toto, vti poſteà docebitur factum à Zacharia Papa: vel ex parte, quoad vectigalium priuationem, prout fecerat Gregorius II. cui proinde Elliesius (in eo duplicato Gregorij, Italos ab Imperatore alio creando coercentis, ſed tamen per ſeipſum vectigalium ſpoliationem erga Iſaurum decernentis, actu contrarietatem fruſtra etiam confingens) per ſummam calumniam imponit, ac ſi ex hoc reus eſſet violatę ſanctæ Euangelicæ legis, qua Chriſtus iuſſit, [Cæſari, quæ Cæſaris, & quæ Dei ſunt, Deo reddenda eſſe.] Numquid enim auctoritatiuam quodcumque in terris ſoluendi poteſtatem Petro, eiuſque ſucceſſori commiſſam exercendo, Chriſti Vicarius reddit Deo, quæ Dei ſunt, cui Diuino Religionis debito cedere, oportet, quodcumque terreſtre ius, quantumuis Regium. At ipſemet ſupra faſſus eſt, illam Eccleſiæ Clauium propriam ſoluendi poteſtatem, extendi etiam ad temporalia; qua moralitate extra debitum Dei cultum religioſum exorbitante afficiuntur. Hoc autem ſub ipſo Imperatorij iuris aduersùs ſacras imagines enormiſſimo abuſu, in Leone multis ſalutaribus Gregorij Secundi hortamentis ad meliorem frugem reduci nolente, eatenus noſcitur factum, vt propterea fuerit aduersùs ipſum lata excommunicationis cenſura cum ſolutione Imperatorij quoque erga vectigalia Italica iuris. Quæ proinde vectigalium eiuſmodi priuatiua per Chriſti Vicariam poteſtatem indicta ſolutio tantæ fuerat efficaciæ; vt ius eiuſmodi non ampliùs eſſet Cæſaris, ſed per huius auctoritatiuam abdicationem fuerit Deo redditum quod Dei, ſiue quod Diuini honoris ius, & ratio exigebat.

ARGVMENTVM II.

Deſumptum ex Childerici Galliarum Regis depoſitione.

De Zacharia Summo Pontifice inſignium Auctorum eſt relatio, quòd rogatus à Primotibus Francorum, Regem Childericum depoſuerit, & in eius locum Pipinum Caroli Magni patrem, Regem creari iuſſerit. Cuius cauſa fuiſſe dicitur, quod propter ſocordiam, & Religioni, & Regno in Gallia extrema ruina imminere videretur.

Exceptio Elliesij.

Excipit primò Elliesius cit. diſſert. 7. c. 3. §. 3. à pag. 515. liquere omnium Scriptorum ouio, Merouingios, quorum vltimus fuit Childericus, amiſiſſe omnem auctoritatem, ac nomine tenus tantùm Reges fuiſſe. Ad quod probandum, is Pariſienſis Doctor inducit Eginhardum in vita Caroli Magni. Aimonium lib. 4. cap. 66. Abbatem Vrſpergenſem in Chronico ad annum 753. Reginonem lib. 2. Chronicorum. Otthonem Friſingenſem lib. 5. Chronici cap. 21. Abbatem Tudenſem ad annum 754.

Secundò. Scriptores fermè omnes vno conſenſu aſſerere, Zachariam tantùm conſultum eſſe à Gallis, vter, Childericus ſcilicet, vel Pipinus, habendus eſſet pro Rege, atque Pontificem illum conſulentis, potiùs, quàm iubentis, aut definientis in morem reſpondiſſe, inductis in hoc probandum Eginhardo in Annalibus ad hoc anum 749. Aimonio lib. 4. de geſtis Francorum ca. 41. Blondo Flauio lib. 4. Decadis 1. & pluribus ab eodem Elliesio relatis, ex quibus prætendi, conſtare, Legatos à

Gallis

Gallis Romam fuisse missos non vt à Pontifice peterent, auctoritate illius regnum Childerico abrogari, Pipino tradi, seque à sacramento fidei absolui, quod procul dubio petiissent, si tunc huiusmodi potestatem habere Pontificem, fuisset persuasum.

Tertiò. Neque Childericum à solio deiectum, neque Pipinum in eius loco fuisse electum à Pontifice Zacharia, sed ab vniuersis Francis in Comitijs totius Regni; veluti constet ex Eginhardo in Annalibus ad annum 750. Blondo Flauio lib. 10. Decadis, Regione lib. 2. Chronic. Annalib. Francorum ad annum 750. pluribusque alijs ab Elliesio iunctis historiographis.

Hinc quartò post tantam testium nubem non posse in dubium reuocari, quin Childericus non à Pontifice Romano, sed tantùm ex eius consilio, fuerit à Francis vniuersis in conuentu publicò depositus, & ab ijsdem, secundùm antiquum Galliæ morem proclamatus, & in solio collatus Pipinus, sicque adeo, dum quidam dicunt Zachariam deposuisse Childericum, hoc aduertente Ioanne de Parisijs cum Glossa ordinaria, exponendum esse, quod Pontifex Statibus Franciæ, Childericum deponentibus consenserit.

Responsio, ac retorsio harum Exceptionum refutatoria.

DVm, mi Elliesi, in prima exceptione contendis, Merouingios, atque horum postremum Childericum, amisisse Regiam auctoritatem, ac nonnisi tenus tantum Regea fuisse, num per hoc intendis, Childericum alia, quàm publicæ auctoritatis, via fuisse solio regni spoliatum? At ipsemet hic fateris, ius hæreditarium ad Regnum superfuisse Childerico? Quomodò igitur hoc iure suo priuari iustè potuisset, nisi per publicam auctoritatem ipsius etiam Summi Pontificis? vti Eginhardus in vita Caroli Magni, à te (regiminis Regalis actum, & ius, in verbis tuis prioribus confundere viso) perperam allegatus, apertissimè scribit (Gens Merouingiorum, de qua Franci Reges sibi creare soliti erant, vsque ad Childericum Regem, qui iussu Stephani Pontificis Romani depositus, ac detonsus, atque in Monasterium detrusus est, durasse putatur. Pipinus autem per auctoritatem Romani Pontificis ex præfecto palatij Rex constitutus. Cui adstipulantur Annales Francici ad annum 749. & 750. vbi dicitur: Hoc anno secundùm Romani Pontificis sanctionem, Francorum Regem appellatum, & vnctum esse Pipinum, Childerico in Monasterium misso)

Ex Gallis equidem recentioribus, inter loca vitæ Caroli Magni, & præinsinuata loca Annnalium Francicorum contradictionem, vti putat, ferè, insuperabilem opponit aduersarius, quòd in vita Caroli Magni destitutio Childerici, & institutio Pipini tribuatur Stephano Papæ, in Annalibus verò Zachariæ. Sed imaginaria hæc contradictio ex se ipsa enanescit, dum ex libelli de maioribus domus Regiæ non mutilè, sed integrè prolatis verbis liquet, rem à Zacharia sub finem Pontificatus sui inchoatam, à Stephano eiusdem successore perfectam, aut confirmatam fuisse.

Ex præadductis porrò Eginhardi integerrimi Auctoris, nec non Annalium Francicorum verbis, pro secundo, manifestè constat, non de consilio dumtaxat Romani Pontificis, sed huius auctoritatem, fuisse Childericum deiectum, Pipinum verò euectum ad Regale solium. Quemadmodum id Annales præfati ad annum 749. emphaticè describunt, asserendo equidem, (Burchardum Wirzibdrgensem Episcopum, & Idradum Presbyterum Capellanum missos esse ad Zachariam Papam, vt ipsum consulerent de causa Regum: attamen mox subijcit. Per hos Legatos prędictum Pontificem mandasse, quòd melius esset, illum vocari Regem, apud quem summa potestatis consisteret, daeaque auctoritate, iussisse, Pipinum Regem constitui) Quem loquendi modum tenent insuper Regino, Otho Frisingensis, Abbas Vrspergensis locis ab ipsomet Elliesio allatis, vti etiam Sigebertus in Chronico, Paulus Æmilius post Othonem Frisingensem, dicens insuper, populum à iuramento fidelitatis, à Pontifice absolutum fuisse.

Quæ tamen vniuersa elidere nititur Elliesius: Cum ijdem, inquiens (Scriptores responsionem Pontificis, Gallorumque petitionem ita referant, vt patet, consilium solummodò à Gallis quæsitum, & à Pontifice datum esse: reddi hinc consequens, quòd, cùm dicunt: Pipinum iussu, & auctoritate Pontificis factum esse Regem, nihil aliud sibi velint: quàm eum Gallis fuisse auctorem, vt id ferret: siquidem, & consilium, veniat persæpe nomine imperij, & quod ex alicuius consilio sit factum, dicatur ex eius auctoritate factum. Sed quis videat, eam expositionem violentam, & perquàm tortam esse? Quis ex illis luculentissimis verbis Auctorum non inferat, Summum Pontificẽ illi consilio à se postulato adiunxisse auctoritatem? Quid enim aliud sonant verba, quibus dicitur (Iussu Stephani Romani Pontificis, depositum fuisse Childericum daraque auctoritate sua iussisse, Pipinum Regem constitui, ac secundùm Romani Pontificis sanctionem Pipinum Regem Francorum esse appellatum (Quandoquidem proinde luculentissimum testimonium Eginhardi solummodò etiam sufficeret, quia eo tempore vixit, & quia rem narratam ignorare non potuit, eaque sinceritate scripsit, vt fides ei negari non debeat, idipsum nihilominùs confirmant Aimonius in lib. 4. de gestis Francor. cap. 61. Regino Prumiensis Abbas in lib. 2. Chronic. Marianus Scotus in lib. 3. Chronic. Otto Frisingensis in lib. 5. hist. ca. 21. Abbas Vrspergensis in Chronico. Sigebertus in Chronico ad annum 750. Paulus Æmilius in lib. Histor. Franc. Fredegarius Scholasticus in fine Chronici. Guillelmus Nangius in Chronographia manuscripta. Robertus Gaguinus in lib. 3. hist. Franc. Carolus Sigonius in lib. 3. de Regno Italico. Qua proinde ratione tot testimonijs ex parte versa, aliorum quorumdam Scriptorum, vel etiam vnius Anastasij, vti apud Launoium videre licet, silentium anteponitur?

Ea igitur Elliesij miserrima profectò cauillatio, quam verba illa, Mandatum iussio, auctoritas, sanctio, & similia, quibus Scri-

ptores vtuntur, cùm de Summi Pontificis ea in re partibus loquuntur, denotare tantùm consilium, interpretatur, ex ipsorum locorum imperturbato mentis oculo, ac finè præpostero affectu lectorum, contextu dissoluitur. Et verò, cùm ipsimet etiam Aduersatij negare minimè ausint, de consilio, Imò & consensu Pontificis depositum esse Childericum, ac subrogatum Regem Pipinum, num fas est dicere, consilium istud, seu consensum non fuisse auctoritatiuam, nixum scilicet Christi vicaria auctoritate, de qua sępius disseruimus, ac vlterior redibit sermo? Nisi enim Proceres, Status Francici ea in re ad istam Christi vices in terris agentem auctoritatem, in Romano Pontifice respexissent, vt quid ad eum, recursum propterea haberent, dum, vbi ad Reipublicæ suæ dumtaxat Bonum essent intenti, ex se ipsis longe fuissent apriores, ad consilium publico Regni sui Bono coaptatum, communionibus suffragijs capiendum?

Hinc pro tertio, intentioni nostræ nec quidquam restagatur illa Elliesij exceptio, qua prætendit[Childericum è solio deiectum, ac Pipinum eius loco ab vniuersis Francis in Comitijs totius Regnis subrogatum fuisse] In primis enim, quomodò istud cohærere posset cum prætenso illo principio, quò Regia potestas asseritur esse immediatè à Deo, nisi ab hac distingui assereretur Regalis dignitatis collatio, in tantum; vt illa sit quidem iuris Diuini, hæc verò subiaceat humanis quoque dispositionibus, & ordinarionibus? Si porrò Regiæ præeminentiæ ad certum, & indiuiduum suppositum applicatio, ab hominum dispositione dependens ordinario, spectetur ex fine politici dumtaxat regiminis, ad quid Comitia Francica expectassent seu consilium, seu iussionem Romani Pontificis, nisi ex parte huius esset auctoritas protendi potens super Ipsissimum illum Regiæ seu depositionis, seu euectionis actum politicum, sed qua superuestitum moralitate in regnum cælorum ordinabili, vt sic ipso etiam Elliesio fatente, subordinationem habere erga Apostolicam Romani Pontificis auctoritatem.

In statibus equidem politicis Regni Francici, ipsimet Elliesius reponit, vigere morem deponendi Regem ineptum, atque idoneum huic subrogandi potestatem, ex quo autem rationis fundamento istud subsistere valet, nisi per rationem publici Boni, exigentis Regem aptum politico regimini administrando? Num verò ista publici Boni in regimine etiam politico curandi obligatio, & sollicitudo in Statibus Regni Francici stare poterat absque moralitate in Regnum cælorum vel ordinabili, vel deordinabili secundùm ipsum etiam Elliesium, subiecta fori quoque externi potestati Ecclesiasticæ? Numquid ergo ex hoc respectu, tum multò magis ea ex ratione, quòd Ecclesiæ quoque sanctæ necessitas exigere videtur Regem Franciæ, qui sacræ etiam Religionis curam gereret, Papa seu iussionem, seu sanctionem, seu mandatum, seu consilium illa de re facturus, Intentus esse debuit In suam Apostolicam, de quocunque morali super terram soluendo auctoritatem? Ex qua proinde est meritò dicenda, facta fuisse Regiæ, qua moralitate eiusmodi vestitæ sublimitatis solutio, eiusdem intrà hoc suppositum peremptoria, ac translatiua in Pipinum.

§. II.

Quantum momenti sit in argumentis desumi solitis ex Imperij Occidentalis à Græcis ad Francos, indeque ad Germanos translatione, nec non septem Electorum institutione facta per auctoritatem Pontificiam?

ARGVMENTVM. I.

Ex translatione Imperij à Græcis ad Gallos.

HOc argumentum ita proponitur à Bellarmino. Septimum Pontificis supra Reges etiam exauctorandos, potestatis est exemplum Leonis III. [qui Imperium transtulit à Græcis ad Germanos propterea, quòd Græci nullum auxilium laboranti Ecclesiæ Occidentali afferre possent. Imò, quòd Imperatores Græci in hæresim prolapsi eamdem etiam pertinaciter tuendo, infesti essent sanctę Ecclesiæ hostes. Cuius translationis æquitatem, & iustitiam ait, Elliesius, solere insuper probari ex omnium Occidentis Regum, qui Carolum Magnum pro vero, & legitimo Imperatore agnoueruut, iudicio.

Exceptio Elliesij.

EXcipit hic Auctor. Quanta sit huius exempli ad propositum negotium inutilitas, atque futilitas, statim dignosci, cùm Pontifex Romanus nihil omninò iuris, aut terrarum Carolo dederit, aut Imperatori Græco abstulerit: sed merum nomen Imperatoris, idque non solus ipse contulerit, sed simul cum populo Romano, cuius nomine, velut præcipuum eius membrum, egit. Nam primo diu antea, quàm Carolus Imperator nominaretur, Græcus à dominio Prouinciarum Occidentis exciderat, & Carolus iure successionis, aut armorum, Dominus erat Galliæ, Germaniæ, Pannoniæ, partis Hispaniæ, & maximæ partis Italiæ, ac præsertim Vrbis Romæ, quæ sedes erat Imperij. Itaque nomine Imperatoris adepto, ditiorem non esse factum Carolum, nec quidquam Græco Imperatori ablatum esse: ac proinde, etiamsi Leo solus Imperatorium nomen dedisset Carolo, non inde sequi, Romanum Pontificem aliqiud in temporalia iuris habuisse. Quantumnis proinde electio ista, seu potiùs tituli Imperatori collatio, à nonnullis Scriptoribus Leoni, vt Ciuitatis Romanæ Principi tribuatur, ab alijs tamen referri acceptam ex beneficio Procerum, & populi; Annalibus Francorum ad annum 801. contestantibus: [Leonem Papam capiti Caroli imposuisse coronam, & à cuncto Romano populo acclamatum esse, Carolo Augusto, à Domino Corona-

nato, & pacifico Imperatori vita, & victoria.] Iisdem verbis id narrari à Monacho Engolismensi in vita Caroli Magni. Aimonio lib.5.cap.31. Adone in Chronico ætate 6. Gofrido Viterbiensi in Chronico, & Ottone Frisingensi.

Nec iuuare, si cum Bellarmino opponatur: [In præallegatis Francorum Annalibus in eo negotio non aliam fieri mentionem Romani populi, nisi acclamantis, & quidem non ante, sed post coronationem, à Pontifice Leone III. peractam.] Nam contra hoc replicat Elliesius prætactus, notum esse, quòd olim Imperatores Romani per huiusmodi acclamationes à militibus, & populo electi fuerint, cùm priùs à priuatis suissent propositi, & tamen eorum electio non ei, qui proposuerat, sed vniuersis militibus, & populo fuissent attributa: imò acclamationes istas arguere non modò præsentem, sed etiam præcedentem populi consensum.

Secundò. Pontificem coronam Imperatoriam imponendo Carolo, egisse vices omnium Romanorum, velut præcipuum Ciuitatis membrum, vnde multos historicos ne Leonem quidem nominare, sed dicere, à Romanis tantùm fuisse nominatum Carolum Imperatorem: ita facere Marianum Scotum lib. 3. Lambertum ad annum 801. Lupoldum Bambergensem lib. de iurib. Imperij. Asserere Blondum Flauium Decade 2. Leonem Pontificem corouasse Carolum Imperatorem scito, precibusque populi Romani.] Similia habere Æneam Syluium in epitome Blondi de ortu Imperij cap. 9. Philippum Bergomatem lib. 2. in supplemento, & plurimos alios ibi relatos. Ex quibus pruinde constare, Carolum Imperatorem esse declaratum precibus, consensu, votis, scito, & acclamationibus populi Romani. Nec esse, quòd Bellarminus opponat, aliquos ex prætactis Historicis, ac præter hos, Cedrenum, Zonaram, Paulum Diaconum, Eginhardum, dicentes, Carolum à Leone Imperatorem esse factum, aut declaratum, & ab eodem inunctum, atque coronatum: cùm non repugnet, Leonem id dici fecisse, quod non solus fecit, nec sua tantùm authoritate, sed vices agens populi Romani, & veiut voluntatis eius, ac iudicij executor, aut etiam velut Romanorum primus, & præcipuus.

Tertiò. Quod spectat ad coronationem & inunctionem, certum esse, illas esse meras cæremonias ad Imperij substantiam non pertinentes, quas in Gallia ergaRegem Christianissimum ab Episcopo Cantuariensi perfici, neque tamen dici posse, ab istis Episcopis fieri, aut constitui Reges: quemadmodum Iustinum quoque Imperatorem à Ioanne Constantinopolitano iam coronatum, post sex nihilominùs annos voluisse adhuc coronari ab Episcopo Romano. Quare coronationem non facere Imperatorem, nec dare ius ad Imperium, sed supponere eum, qui coronatur, iam esse Imperatorem, aut Regem, habereque aliunde ius ad Imperium. Itaque Carolum Magnum iure successionis, & armorum, possedisse Occidentis Imperium, atque ab vniuerso populo Romano accepisse nomen Imperatoris, à Leone verò coronationem, & inunctionem.

Neque alicuius valoris esse iteratam Bellarmini oppositionem, quòd, [licet Carolus Regnum Longobardorum armis obtinuerit, Romanos tamen numquam bello vicerit, nec proinde eorum Rex fuerit, sicque adeò Regna Occidentis, non tamen Imperium sibi parauerit.] Nam hoc ita elidere nititur Elliesius, Carolum nempe Romanos non bello sibi subiecisse, sed ab his verò fuisse agnitum supremum Dominum: quamuis enim isti suis legibus se regerent, supremam tamen potestatem fuisse penes Patricium, & Imperatorem. Quod addit Bellarminus: [Carolum sibi parasse Regna Occidentis, non autem imperiū,] idem Elliesius refellit, reponendo, id verum esse, si Imperij nomine nudum Imperatoris nomen intelligatur, non autem, si eo nomine importetur dominium, & potestas in terras Imperij. Adhæc, cùm Imperium Occidentis iam diu vacaret diuisumque esset inter multos Regulos, haud dubium esse quin Carolo debitus fuerit Imperij honos, cùm omnes Regiones, quæ priùs Imperium Occidentale componerent, sibi subiecisset, quem tamen nomen istud Imperatorium sibi non arrogasse, sed maluisse, istud habere à populo Romano, & à Pontifice, tamquam vno præcipuis Romanæ Ciuitatis Proceribus.

Refutatio istarum exceptionum.

Torum præsentis quæstionis punctum reducitur in hoc punctum; [An tempore Caroli Magni declarari Imperatoris coronationem præcedente, penes Imperatores Græcos substiterit aliquod ius erga Occidentis Imperium? Et cui fuerit potestas, hoc ius à Græcis adimere, sicque transferre in Carolum Franciæ Regem?] In quo sui ipsius memorem volo Elliesium, quod supra circa Leonis Isauri excommunicationem, ex Paulo Diacono lib. 6. de gestis Longobardorum cap. 49. retulerit: [Gregorium II. impediuisse, ne Itali alium sibi Imperatorem crearent, eo reiecto.] Quòd si verò iis temporibus nihil iuris in Græcis Imperatoribus superfuerat erga Occidentis Imperium, quodnam ex Iuris ratione subesset obstaculum, ne Itali tunc alium sibi crearent Imperatorem, si ex sola etiam populi Romani acclamatione legitimè substitisset collatio tituli Imperatorij? vti Elliesius contendit in prima præsenti exceptione sua, deinceps tamen sibimet contrarius, in sequenti tertia, & quarta exceptione conatus est enincere, quod nomen, non ius Imperatorium fuerit Carolo impertitum à Romano populo.

Quod equidem, si verum obtineret, quomodò rursus fuisset locus argumentationi Elliesij, circa prætactam Isauri excommunicationem, subinferentis, si Gregorius II. tentasset, hunc Imperatorem Græcum vectigalium ab Italis, & Romanis debitorum iure spoliare, reum futurū fuisse violati Dominici præcepti [de reddendo Cæsari, quod esset Cæsaris?] Vnde enim hoc ius superesse poterat Græcis, nisi ex iure Imperij? Hoc igitur in Græcis Imperatoribus non ampliùs tunc subsistente, quomodò eiusdem temerati reus pro-

clamari potuissent ille sanctissimus Pontifex, quando Isaurum spoliasset vectigalibus, in quæ nullum ius habuisset? Sic adeò, mi Elliesi, contradictiones, quibus te ipsum inuoluis, manifestam faciunt linguam tuam, aberrantem à veritatis semita. Sed hoc misso, dum ex ore, & calamo tuo iam constat, proximè ante, quàm Carolus Magnus poiretur titulo Imperatorio, huius ius extitisse penes Græcos Imperatores, via iam panditur alteri prætactæ nostratis disquisitionis membro, [penes quem scilicet potestas fuerit, Ius Imperij Occidentalis à Græcis adimere, & tranferre in Carolum Franciæ Regem?] Cui quæsito responsurus priùs duxi discutiendas Elliesij exceptiones.

Primò igitur huic Auctori detrahenda est larua, sub qua in prima sua exceptione contendit, [diu ante, quàm Carolus Imperator nominaretur, Græcum à Dominio prouinciarum Occidentis excidisse, & Carolum iure successionis, aut armorum dominum fuisse Galliæ, Germaniæ, &c. maximæque partis Italiæ, ipsius etiam Romæ Sedis Imperij.] Sed qua inprimis auctoritate, quo insuper belli iusti titulo, Caroli arma sunt illata in Italiam, nisi ex causa subigendi hostes Ecclesię? Qua de causa ab ipsomet Romano Pontifice in Italiam accersitus est Carolus, sicque adeò armorum istorum iustitia fundabatur, tum super authoritate Papæ, tum super hostilibus infestationibus, non Francico Regno, sed sanctæ Ecclesiæ illatis; vti notissimum est ex historijs, quas hìc repetere, nimis longum foret. Quia verò vis armorum tunc minimè tangebat Græcos Imperatores, sed Reges, seu Regulos Italiæ, Regiam quampiam, minimè tamen supremam Imperatoriam potestatem in suis ditionibus exercentes, quo iam iustitiæ titulo Imperatores Græci, qui nullam iusti contra se belli causam præbuerant, iure suo Imperatorio spoliati potuissent à Carolo? Hinc ergo Elliesij larua detegenda venit, sub qua nempe dominia iure, vel successionis, vel armorum à Carolo Francorum Rege possessa confundit cum Imperiali Occidentis iure, Græcis pro tunc minimè adempto; vti ostensum fuit.

At videamus, quid adminiculi sibi accersat Elliesius tum ex Annalibus Francicis ad annum 801. asseuerantibus: [Leonem Papam capiti Caroli imposuisse coronam, & à cuncto populo acclamatum esse: Carolo Augusto, à Domino coronato Magno, & pacifico Imperatori Romanorum vita, & victoria.] Tum ex paribus verbis Monachi Engolismensis in vita Caroli Magni. Aimonij lib.5.c.31. Adonis in Chronico ætate 7. Gofridi Viterbiensis in Chronico, & Ottonis Frisingensis. Ipsa equidem Annalium Francicorum, & consequenter reliquorum Auctorum ab Elliesio allegatorum, pariter loquentium verba, dum populi Romani acclamationem Caroli coronatione, vtpote titulum Imperatorium, vel supponente, vel conferente, posteriorem asserunt, ex euidentissima sui claritate nullatenus admittunt, vt illa populi Romani acclamatio dici queat importasse tituli Imperatorij collationem: quam ab ipsomet Leone Pontifice factam apertis verbis testatur tum Abbas Vspergensis in Chronico ad annum 796. dicens hunc Papam fecisse Carolum Imperatorem: tum Lupoldus Bambergensis in procemio libri de iuribus Imperij asseuerans: [Translationem Imperij de Græcis Imperatoribus ad Reges Francorum, & ad Germanos, esse factam per sacrosanctam Ecclesiam.] Dum Spondanus Gallus non tantùm referens, sed approbans, quæ Baronius de hac translatione scripserat (vti patet ex Appendice minusculis scripta) sic locutus: [Non tantùm Eginhardus, aut Anastasius de collata per Romanum Pontificem dignitate Carolo Magno, sunt testes, sed fatentur id ipsum Latini omnes, & Græci auctores.] Nisi ergo in sensum sibi (vti visum est) haud cohærentem, torqueantur Auctoris eiusmodi verba, prorsus dicendum est, iuris Imperatorij à Græcos in Occidente abdicationem, & in Carolum Frãcorum Regem translationem, nisi auctoritate Romani Pontificis.

Verùm pro secundo videamus, quid energiæ contineatur in Lupoldi Bambergensis (cuius tamen mentem iam supra manifestam feceramus) Mariani Scoti, Blondi Flaccij, Æneæ Syluij, Philippi Bergomatis, & aliorum Authorum verbis asseuerantium: [Leonem Pontificem coronasse, seu declarasse, seu nominasse Carolum Imperatorem precibus, consensu, votis, scito & acclamationibus populi Romani?] Ista namque verba consensus, sciti, & voti æquiuoca sunt, vt sonare possint, vel subiectionis, vel superioritatis, consensum, seu scitum, & votum. Num verò in Romano populo pro illis temporibus fingere licet ius superioritatis, ad titulum Imperatorium auctoritatiuè decernendum & conferendum, quando adhuc extiterat in Græcis Imperatoribus, vt ipsi etiam Romani ea propter (vti superiùs ostensum fuit) illis pendere deberent annuum vectigal, Imperatorię erga se superioritatis manifestè recognoscitiuum? Ex altioris igitur præeminentiæ iure poterat vnicè factum esse, vt istud Græcorum Imperatorum ius supremum ipsis adimeretur, & in alium transferretur, indeque populus Romanus non iam superioritatis, sed debitæ erga Carolum à Leone Pontifice coronatum Imperatorem subiectionis, seu reuerentialis approbationis, non verò collationis auctoritatiuæ consensum, scitum, & votum acclamationibus suis contestaretur.

Audi, hac super re, quid eapropter fuerit actitatum inter Basilium Macedonem, Orientis Imperatorem, & Ludouicum II. Caroli Magni Pronepotem. Nempe ille Orientis Imperator ad dictum Occidentis Imperatorem dederat literas, quibus cum præfato Ludouico acriter conquestus est: [quòd dignitatem, & nomen Imperatoris, & Basilei vsurparet; vnum tantùm Imperatorem esse, qui Orienti, & Occidenti imperet: rogauitque, hoc nomine deinceps abstineret, sibi, nec alijs debito.] At Ludouicus Constantinopolim misso Legato Antprando cum literis à Baronio ad annum 971. recitatis, inter alia scribebat in hunc modum: [Et ipsi patrui nostri gloriosi Reges absque inuidia Imperatorem nos vocitant: attendentes ad vnctionem, & sacrationem, qua per Summi Pontificis manus sumus ad hoc culmen euecti.] Quid ni ergo Ludouicus ius belli, vel electionis, & collationis

auctoritatiuæ à populo, Senatuque Romano in se factæ prætendisset, si isti tituli de iure suissent eidem suffragati? At de his omninò tacet, solamque Pontificis Summi auctoritatem prætexit.

Pergit proinde Ludouicus ita compellere Basilium: [Præterea mirari se dilecta tua fraternitas significat, quòd non Francorum, sed Romanorum Imperator appellemur, sed scite te conueuit, quia nisi Romanorum Imperator essemus, vtique nec Francorum, à Romanis enim (non quà Collatoribus Imperatoriæ dignitatis, sed qua huic subiectis, vti ex antecedentibus patet, & adhuc constabit ex earumdem literarum contextu) hoc nomen, & dignitatem assumpsimus, quorum gentem, & Vrbem Diuinitus gubernandam (en subiectionis clarum argumentum hìc suggestum) & matrem omnium Ecclesiarum Dei defendendam, atque sublimandam suscepimus, ex qua vel regnandi priùs (opera scilicet Zachariæ Pontificis à Childerico Regnum Francicum in Pipinum transferentis) & postmodùm imperandi auctoritatem (mediante adeò Summo sanctę Ecclesię Pontifice) prosapię nostræ seminarium sumpsit. Nam Francorum Principes primò Reges, deinde verò Imperatores dicti sunt ij dumtaxat, qui à Romano Pontifice ad hoc oleo sancto perfusi sunt, &c. præsertim cùm tales sæpè ad Imperium sunt asciti, qui nulla Diuina operatione per Pontificum ministerium propositi, solùm à Senatu, & populo Imperatoria dignitate poriri sunt: nonnulli verò non sic, sed tantùm à militibus sunt clamati, & in Imperio stabiliti, aut alio modo ad Imperij Romani sceptra promoti sunt.] Quid ni meritò hìc sistamus, exprobrando diuersos Imperatoriæ dignitatis collationis modos eatenus discerni, vt, qui supremi huius iuris titulus accreuit stirpi Caroli Magni, non redueatur in populum Romanum sed in Summum, dumtaxat Ecclesiæ sanctæ Pontificem? Vnde pergit Ludouicus in dicta sua epistola ita scribere: [Porrò, si calumniaris Romanum Pontificem, quòd gesserit, calumniari potteris, & Samuel, quòd spreto Saule, quem ipse vnxerat, Dauidem Regem inungere non renuerit. Sed interim, si paginas reuolaas Grœcorum Annalium, & si, quæ à Vestratibus Pontifices Romani pertulerunt, perscruteris, profectò inuenies, vndè illos iustè non valeas redarguere: vnde meritò apostatis desertis, adhæserunt genti adhærenti Deo, & ipsius Regni fructum facienti.] Ex quo adeò solidissimo eius Occidentalis Imperatoris fundaméto iam elucet summę ęquitatis ratio, per quam Leo Pontifex Imperium à Græcis ademptum, transtulerit in Caroli Magni personam; ac prosapiam.

Quod adeò Pontificiæ supra Regum, & Imperatorū iura, qua moralitate in Regnum Cælorum, vel ordinabili, vel drodinabili superuestita, protensæ auctoritatis fundamentum à Ludouico Imperatore supra insinuatum, pro tertio videre licet accuratiùs deductum præceden. 2. capit. §. 4. num. 8. & §. 7. num. 7. Cuius summa ad hoc reducitur principium, vt, quia ius Imperij Christiano homini appropriatum, ex sui ad regnum Cælorum ordinabilitate computari debet inter illa Quæcumque super terram Moralia, ligandi & soluendi potestati Pontificiæ concredita; secundùm, quod publica Ecclesiæ, seu militantis Cælorum Regni necessitas exigit: consequenter Leo III. ex sui pastoralis muneris auctoritate, virgaque coercitiua, Græcos Imperatores hæreticos, Ecclesiæ sanctæ, eiusque Orthodoxæ Religioni infensos, legitimè spoliarie iure Occidentalis Imperij, atque hoc transtulerit in Carolum Magnum, eiusque prosapiam, de quibus spes esset, faciendi fructus eius regni Cælorum, nempe militantis Ecclesiæ.

Neque iam locus esse potest tertiæ Elliesianæ exceptioni ex eo petitę, [quòd Caroli Magni per Leonem III. facta coronatio fuerit nuda quædam cæremonia.] Etenim cùm ista cæremonia, si fiat per Episcopum aliquem (cui non est ius conferendi, seu Regalis, seu Imperatorij iuris) præsupponat, hoc alio legitimo titulo iam collatum esse, semper redibit quæstio; [Penes quem fuerit potestas auctoritatiua, Occidentis Imperium à Græcis adimendi, & in Carolum Magnum, eiusque prosapiam transferendi?] At ipsemet Elliesius in hac vltima exceptione sua fatetur, supremam Vrbis potestatem non penes populum eo tempore substitisse, sed penes Patritium, & Imperatorem. Quia proinde Carolus Francorum Rex, iuxta historiam in antecedentibus allatam, erat à Pontifice Romano denominatus Patritius, nam ipsi Carolo ex tunc fas fuisset; se ipsum declarare Romanorum Imperatorem? At hoc Carolus sibi haudquaquam arrogabat, sed ipso Elliesio adhuc fatente, respectum debebat habere erga Imperatorem, penes quem existeret suprema Vrbis potestas. Quis verò alius ante Caroli coronationem reputabatur Imperator, quàm Græcus? Quomodò igitur Romano populo fas esse potuisset, vt Imperatorem Græcum exauctoraret, dum ne quidem penes Carolum subsisterat pro tunc legitimus titulus ad illum iure belli exauctorandum? Nulla ergo superstes apparet potestas politica, Imperatoria Græcorum dignitate superior, quę hanc exauctorare valeret, sed vnica Apostolica in Romano Pontifice supererat auctoritas, quæ, vti locis præinsinuatis probatum est, sua super Quocumque morali soluendo, & ligando, protensa potestate, vti etiam per Ecclesiæ virgam tum correctoriam, tum coercitiuam tali indefinitæ Cuiusque moralis soluendi auctoritati coniunctam, facere præualuerit solutionem Imperatoriæ, intrà Occidentem dignitatis, in Græcis peremptoriam, ex causis grauissimorum discriminum Ecclesiæ sanctæ ab ipsis imminentium, de quibus auerendis vnica supererat spes ex Carolo Francorum Rege, aliàs de Ecclesia optimè merito, eiusque deinceps Regali prosapia; vti eleganter insinuabant præallegatæ Ludouici Imperatoris erga Basilium Orientis Imperatorem literæ, ipsomet etiam Elliesio, vbi supra fatente, vbi res etiam temporalis est coniuncta cum peccato, tunc ratione peccati, subesse Notioni Ecclesiasticæ, quam ipsi tamen nefas fuit, coarctare infra sphæram à Christo constitutam super Quocumque in terris, morali, pro meritis causæ, vel soluendo, vel ligando.

AR-

ARGVMENTVM II.

Petitum ex septem Imperatoris Electorum institutione facta per Romanum Pontificem.

EX Bellarmino sequens pro instituto præsenti inducitur argumentatio. Nempe octauum Pontificię supra Imperatoria dignitate potestatis exemplum est Gregorij V. qui sanctionem edidit de Imperatore per septem Germaniæ Principes eligendo. Quod ita esse, probatur per Blondum Decade 2. lib. 3. Naucletum Generat. 34. in vita Gregorij V. aliosque multos Historicos, Magdeburgensibus id etiam asserentibus. In huius argumenti confirmationem adfertur Innocentij III. constitutio in cap. Venerabilem. De elect. relata, ita se habens: [Verùm illis Principibus, & ius, & potestatem eligendi Regem, in Imperatorem postmodùm promouendum, recognoscimus, vt debemus, ad quos de Iure, & antiqua consuetudine noscitur pertenire, præsertim cùm ad eos ius, & potestas huiusmodi ab Apostolica Sede peruenerit in persona magnifica Caroli, qui à Græcis transtulit Imperium in Germanos.] Adducitur in hunc quoque finem Clementina Romani Principes. De iureiurando, edita in Concilio Vienensi sub his verbis: [Ecclesia Romana à Græcis Imperium transtulit in Germanos, & ab eadem ad certos eorum Principes sancitum est ius, & potestas eligendi Regem, in Imperatorem postmodùm promouendum.]

Exceptio Elliesij.

EXcipit hic Auctor I. Illum Canonem Venerabilem, non posse intelligi de Imperij Electoribus, eo saltem modo, quo Canonem illum exponit Iordanes in Chronico docens, à Carolo Magno de consensu, & mandato Romani Pontificis præceptum esse: [Vt Imperium Romanorum apud electionem Canonicam Principum Germaniæ in perpetuum remaneret.] Etenim hanc opinionem, si intelligatur de septem Electoribus, defendi non posse, cùm constet, hoc diu post Carolum Magnum fuisse institutos. Deinde etsi de Principibus Germanis omnibus id intelligatur, tam falsum esse, eam potestatem eligendi Imperatorem, ipsis esse à Pontifice collatam, quàm falsum est, eius solius auctoritate esse Imperium translatum ad Germanos. Vt enim ius electionis Imperatoris Sedes Apostolica in Germanos Principes transtulisset, priùs debuisse illud habere. Inauditum verò esse, quòd Romanus Pontifex solus vllum vmquam Imperatorem elegisset. Nec verò quemquam mouere debere iudicium Innocentij, vtpote in sua causa loquentis. Quòd si tamen quis nollet prorsus reijcere, posse explicari, quasi diceretur: ius istud à Romano Pontifice in Germanos esse translatum nomine totius Romanæ Ciuitatis, quæ istud ius habebat. Certum namque esse, quòd ante Carolum non Germanorum Principum, sed Romanæ Ciuitatis fuerit, creare Imperatorem. Post Carolum verò Principes Francos, & Germanos in electione præcipuas partes habuisse, hoc autem fieri non potuisse sine Romanæ Ciuitatis consensu, eiusque Episcopi, qui, cùm primus Princeps illius esset, eam in istis negotijs repræsentasse.

Hinc, quando in Clementina Romani Principes. De iureiurando, inducitur Concilium Viennense asseruisse: [Quòd Ecclesia Romana à Græcis Imperium transtulerit in Germanos, & ab eodem ad certos eorum Principes deriuatum sit ius, & potestas eligendi Regem, in Imperatorem posteà promouendum:] debere hoc eatenus accipi, quatenus id Romanæ Ecclesiæ, non solius adeò Pontificis consilio, auctoritate, & suffragio factum sit. Quòd si verò illud Concilij Viennensis dictum cuipiam videatur aliquid amplius asserere, respondendum fore, quod de professo decretum, & determinatum est à Concilio, non autem illud, quod narrando dictis inseritur, cuiusmodi esse præadducta illius Clementinæ verba: præcipuè cùm eius Concilij decreta à Pontifice Clemente V. sint concinnata, non ab ipso Generali Concilio emissa.

Secundò excipit Elliesius. Incertum esse, quando, quomodò, & à quo septem Electores in Imperio fuerint instituti. Esse namque Scriptores, vt Iordanem præcitatum, qui hanc Electorum institutionem tribuant Carolo Magno. Sed hanc opinionem ab omnibus haberi falsam, cùm successores Caroli non à certis Germaniæ, sed ab omnibus Franciæ Principibus electi fuerunt. Alios Historiographos eius institutionis Auctores asserere Principes Germaniæ: alijs è contra, veluti Blondo, Nauclero, Platina eam tribuentibus Gregorio V. Alijs porrò, nempe Auentino, & Onuphrio eamdem Gregorio X. adscribentibus, probando etiam, septem Electores non ante fata Friderici fuisse institutos. Nonnullis insuper arbitrantibus, illam institutionem partim Gregorio V. partim Othoni III. partim Principibus Germaniæ tribuendam esse, quia cùm hos omnes diuerso modo ea institutio tangat, ab omnibus approbari debuisse. Baronio tandem primam septem Electorum institutionem attribuente Innocentio IV. vnà & Generali Lugdunensi Concilio: quamquàm in hoc alij recenseantur septem Electores, quàm nunc sint, & olim fuerint: hi enim sunt Moguntiensis, Treuirensis, Coloniensis, Palatinus, Saxo, Brandeburgensis, & Bohemus: cùm è contra, qui à Concilio Lugdunensi recensentur, hi sint: Duces Austriæ, Bauariæ, Saxoniæ, & Brabantiæ, ac Episcopi Coloniensis, Moguntinensis, & Salisburgensis. Ad cuius adeò incertitudinis tenebras dispellendas, oportere, vt consideretur, ad quos Imperatoris electio diuersimodè pertineret. Ante translationem namque Imperij hanc spectasse ad Senatum, populumque Romanum: quamuis plerumque exercitus elegerit Imperatores, qui tamen Senatus, ac populi consensu retinebat Imperium. Verùm post Imperij translationem, Carolum Magnum (veluti à se probatum sit) ab vniuerso populo Romano, Auctore Pontifice, electum esse Imperatorem. Cuius successores Imperium iure hæreditatis, tum etiam ex prauia Principum, ac Procerum Imperij electione, sibi vendicasse.

Vltimum è Caroli Magni ſanguine Imperatorem fuiſſe Ludouicum III. Arnulphi filium, qui prole carens, à Berengario Veronæ victus, vitam & Imperium amiſit. Hinc Imperium ruere cœpiſſe, dum Itali, ac Romani pro Imperatoribus, ac Regibus agnoſcebant victores: ex alia verò parte Franci, & Germani Principes Imperatorem agnouerant Conradum, à Carolina ſtirpe Germaniæ Regem, qui morti proximus, teſte Nauclero generat. 31. anno 937. perſuaſit Principibus, vt Henricum Thuringiæ, & Saxoniæ Ducem in Regem ei ſucceſſorem eligerent, qui tamen duo Imperatoris titulum non habuerunt. Poſthæc Othonem ab omni populo Francorum, & Saxonum, eodem Nauclero atteſtante, electum, Italia recuperata, Imperatoris nomen, ac dignitatem conſenſu populi Romani accepiſſe, & à Pontifice Romæ inunctum eſſe. Qui verò deinceps iſtis ſucceſſere, plerumque hæreditatis iure ab vniuerſis pariter Germaniæ Principibus electos dici: donec ad vitandam confuſionem, ac diuiſionem, cæteri Principes ſeptem Electoribus ſua iura ceſſerunt: neque enim potuiſſet Pontifex iſtud eligendi ius auctoritate ſua quibuſdam Principibus adimere, quippe cùm iure naturali in Regno electiuo electio pertineat ad vniuerſum populum, ſed ad vitandas turbas introductum ſit, vt præcipui Proceres ex conſenſu populi cæteros ciues repræſentantes, Regem, aut Imperatorem eligant: neque verò dubium ſit, quin poſſint ſibi inuicem ius ſuum cedere, & electionem paucis tantùm committere: at Pontificem Romanum id ſine eorum conſenſu facere poſſe, abſurdum prorsùs videri.

Tertiò proinde pergit Elliſius. Videri ſibi veriſimile, quòd Otho III. cæterorum Imperij Procerum adhibito conſenſu, & fortè Gregorij V. auctoritate adiecta, numerum Electorum ſeptenarium conſtituerit: cùm enim is Imperator liberis careret, & periculum eſſet, ne diuiſiones ob Electorum multitudinem orirentur, huic malo obuiam ire volentem, remedio iſto vſum eſſe, ſperando ab omnibus Principibus, id probatum iri: quamquàm ex hiſtoria conſtet, id non ſtatim obtinuiſſe, Principibus ordinarijs Electoribus non omninò conſentientibus, & iuri ſuo cedere nolentibus: nam quemadmodùm Henricus Othonis ſucceſſor non à ſeptem Electoribus, ſed à Principibus Germaniæ electus dicitur, ſic extant plura exempla poſteriorum Imperatorum eodem modo electorum. Ita conciliari inuicem illos, qui dicunt, inſtitutionem ſeptem Electorum ſub Othone III. factam, & qui dicunt, eam non ante Gregorium X. aut Innocentium IV. obtinuiſſe: iſtos enim loqui de vſu, illos de inſtituto. Quòd enim ſolus Imperator, aut Pontifex ſua auctoritate abſque conſenſu cæterorum Principum id non fecerit, probari tum ex eo, quòd facere non potuerit, tum ex Scriptorum benè multorum teſtimonijs, ſpeciatim Chronici veteris, cuius Auctorem dicunt nonnulli Albertum Stadenſem ad annum 1240. Auguſtini Triumphi lib. de poteſtate Eccleſiæ quæſt. 35. art. 2. Leopoldi de iure Imperij cap. 3. Naucleri generat. 34. anno 994. ex quibus habetur, quæ fuerint Pontificis, Imperatoris, & Principum hoc in negotio partes: dum nempe Imperator ſeptem Electores delegit ex conſilio Principum, cæteri autem Principes conſenſerunt, ac iuri ſuo ceſſerunt: Pontifex verò conſtitutionem Imperatoriam ex conſenſu Principum factam probauit, & retulit, non (vti Bellarminus legit) tulit. Ad quam adeò Electorum inſtitutionem ſuo modo concurriſſe Gregorij V. tanquam vnius Pontificis Romani conſenſum, vtpote qui iuxta gradum ſuum in conſentiendo in communem Imperatorem, intereſſe haberet, eapropter, teſte Nauclero, decernens: [Vt electus Romanorum Rex tum demum Auguſtus, & Imperator haberetur, cùm à Romano Pontifice benedictione promiſſa coronaretur.

Refutatio iſtarum exceptionum.

PRimò itaque Innocentius III. in Canone Venerabilem. De electione, ſuæ ſanctionis ſequens ſtatuit fundamentum, quòd nempe [recognoſcae, ius & poteſtatem eligendi Regem, in Imperatorem poſteà promouendum, competere Principibus, ad quos de iure, & conſuetudine noſcitur pertinere, præſertim cùm ad eos ius, & poteſtas huiuſmodi ab Apoſtolica Sede peruenerit, quæ Romanum Imperium in perſonam Magnifici Caroli à Græcis tranſtulit in Germanos. Ex quo adeò fundamento fit conſequens, quod mox ſubiungit Pontifex, quòd hinc [vtique, & recognoſcere debeant, & vtique recognoſcant, ſicuti in præſentia ſua recognouere (Germaniæ Principes) ius, & auctoritatem examinandi perſonam electam in Regem, & promouendam ad Imperium, ſpectare ad ſe, ceu Papam, qui eum inungit, conſecrat, & coronat &c.] Ex quibus adeò verbis dilucidè conſtat, immeritò inde deduci opinionem illam, quæ ſeptem Electorum in Imperio inſtitutionem reducit in tempora Caroli Magni, quamquàm huius inſtitutionis in Romanum Pontificem reducendæ, radix & fundamentum ex ea Canonica ſanctione habeatur, quatenus æquitati prorsùs conſentaneum, ipſaque naturalis luminis euidentia conſpicuum eſt, quòd in eum, qui Romanum Imperium in perſonam Magnifici Caroli à Græcis tranſtulit ad Germanos, reduci meritò debeat inſtitutio, ac deſignatio Principum, quibus ius, & poteſtas ſit, eligendi Regem, poſteà à Sede Apoſtolica promouendum in Imperatorem, quippe cùm ius Occidentalis Imperij, extincta Carolina proſapia, cui ex hæreditaria ſucceſſione erat annexum, non potuerit non regredi ad illum, qui hoc à Græcis ademptum, non vlteriùs, quàm in maſculinæ Carolinæ ſtirpis Reges vnicè collocauerat.

Ee hinc facilè eliduntur ex Elliſianæ exprobrationes, quibus opponit: [Vt ius electionis Imperatoris Sedes Apoſtolica in Germanos Principes tranſtuliſſet, oportuiſſe, quòd priùs id habuiſſet.] Conſtat namque ex præcedentibus, ex eo tempore ſanctæ Sedi quæſitum eſſe hoc ius, quando Græcis illud ademit, & quia non vltra Carolinam ſtirpem, id priùs fecit hæreditarium, hac proſapia extincta, ſecundùm ipſam rei euidentiam, neceſ-

necessariò redijsse ad eandem sanctam Sedem, non Romanæ Ciuitatis, vti antecedenter fuit ostensum, nomine, sed Apostolicæ auctoritatis iure, id Græcis adimentem, & transferentem in Caroli Magni prosapiam.

Ne porrò Elliesius præsumat, Innocentio IV. per summam impudentiam tacitè obijcere, ac si in causa propria locutus, minùs videretur fide dignus, audire lubeat Concilij quoque Viennensis constitutionem in Clementina vnica De iureiurando relatam, cuius operæpretium est, ad partis aduersæ cauillationes euidentiùs reprimendas, integrum tenorem hìc proferre: [Romani, inquit, Principes Orthodoxæ fidei professores; sacrosanctam Romanam Ecclesiam, cuius Caput Christus Redemptor noster, ac Romanum Pontificem, eiusdem Redemptoris Vicarium, feruore fidei venerantes, eidem Romano Pontifici, à quo approbationem personæ ad Imperialis celsitudinis apicem assumendæ, nec non vnctionem, consecrationem, & Imperij coronam accipiunt, sua submittere capita, non reputabant indignum, seque illi, & eidem Ecclesiæ, quæ à Græcis Imperium transtulit ad Germanos, & à qua ad certos eorum Principes ius, & potestas eligendi Regem, in Imperatorem postmodùm promouendum peruenit, astringere vinculo iuramenti, prout tam mos obseruationis antiquæ temporibus nouissimis renouaræ, quàm forma iuramenti huiusmodi sacris inserta Canonibus, manifestant.] Aduersùs hanc igitur Concilij Generalis in Gallia celebrati sanctionem si repugnare contendas, mi Elliesi, quid nisi maledictionem illam in caput tuum accersis, quam Christus Matth. 18. protulit aduersùs illos, qui Ecclesiam in Concilio Generali repræsentatam non audierint? Num verò fas tibi erit excipere, ac si Concilij illius decreta à Clemente V. concinnata, non sint emissa à Generali Synodo? Quæ enim alia Concilij norma, nisi vt eiusdem sanctionum auctoritas subsistere debeat ex Nomine Christi, adeoque Vicaria huius potestate, Romano Pontifici inexistente, sicque vltimatum huiusmodi sanctionibus ex Concilij simul, & Pontificis consensu comprobatis robur impertiente, ac deinceps communi auctoritatis Oecumenicę nomine promulgante? Qui verò prætexendo, in Concilio illud tantummodò vim habere, quod ex professo ibi decretum, ac determinatum est, ab ista auctoritatiua Concilij vi excludere ausis id, quod pro fundamento decreti Conciliaris adstruitur ex professo; quemadmodùm res ita se habet in prægadductæ Synodalis sanctionis conclusione, quòd nempe innitatur ipsissimo illi fundamento, in vi cuius ibi disertè asseritur, Imperium à Græcis in Germanos translatum, sicque ius Imperatorem eligendi ad certos Germaniæ Principes deriuatum fuisse ex Sedis Apostolicæ auctoritate Oecumenica.

Hinc pro secundo non multùm hìc immoror, quòd alibi iam fusè præstiti in indagando tempore, quando, & à quonam Pontifice septem Electorum institutio facta sit? Dum enim substantia rei huius adeò aperta est; quòd reducenda sit in Sedis Apostolicæ auctoritatem, quid interest nostri instituti, multis indagare velle eius circumstantias particulares. Ad huius itaque negotij expeditionem, sufficiat nobis, quòd Elliesius haud obscurè dicat, non nisi vsque ad Imperij ad Græcos translationem, ius constituendi Imperatorem, fuisse vel penes populum, ac Senatum Romanum, vel eius militarem exercitum. Vbi ergo dignitatis Imperatoriæ in Græciam translatæ collatio fuit adempta populo Romano, annui etiam vectigalis solutione suam erga Græcos Imperatores subiectionem antehac profiteri compulso, quomodò in huius poterat esse potestate, vt eam, exclusis Græcis, ad se retraheret? Et quia neque Carolus Magnus Francorum Rex, iure belli multis quidem Italiæ Principatibus sibi comparatis, vllatenus dici potest, à Græcis vindicasse sibi Imperium, quis alius, nisi Romanus Pontifex, ex altiori Vicariatus Christi auctoritate, valuit, Imperium Occidentis, Græcis hæreticis iustè ademptum, transferre in Caroli Magni prosapiam, atque hac exspirante, in Germaniam, vnà cum iure eligendi huius Principibus concesso?

Hoc non parum firmat ipsissimum illud, quod affirmat Elliesius, nempe extincta Carolina stirpe, ruisse Imperium, nec priùs cœpisse quemquam Germaniæ Principem, licèt electum in Regem, potiri Imperatoris titulo, quàm vbi Otho primus à Summo Pontifice in Imperatorem coronatus fuit. Causatur equidem Elliesius: [Cùm iure naturali in Regno electiuo potestas eligendi pertineat ad vniuersum populum, ad turbas autem deuitandas, in Germania sit introductum, vt præcipui Proceres ex consensu populi, cæteros ciues repræsentantes, faciant Regis, aut Imperatoris coronationem.] Attamen ex hoc ipso Elliesij effato se offert mihi occasio; sciscitandi; an igitur fateri tandem compulsus fuerit, Regiæ, ac Imperatoriæ dignitatis ad hanc seu prosapiam, seu indiuiduum applicationem non esse iuris diuini, sed humani, sicque moralitati in regnum cęlorum ordinabili, seu deordinabili subiectam, subesse Oecumenicæ ad quodcumque morale in terris, seu soluendum, seu ligandum Diuinitùs constitutæ potestati?

Quo iterum, iterumque iam præsupposito, videamus pro tertio, quantum momenti sit in tertia Elliesij exceptione, vim in hoc facientis: [Quod neque solus Pontifex, neque solus Imperator absque concursu Principum, ac Statuum Imperij, potuisset ius eligendi Regem, & Imperatorem de iure quasi naturali eisdem competens, certis dumtaxat Principibus appropriare?] Optarem, vt Elliesius in Innocentij III. constitutione venerabilem 34. de electione, & Clementina in Concilio Generali edita sanctione vnica. De iureiurando, attentè obseruasset, quàm circumspectè isti Pontifices, vnà cum præfata Oecumenica Synodo loquantur, ius eligendi Regem, non verò Imperatorem, attribuentes Germaniæ Principibus, subijciendo, ex tunc Regem sic electum, in Imperatorem posteà promouendum, reseruari iudicio, ac examini Summi Pontificis. Quæ distinctio valde circumspecta, ipsomet Elliesio fatente, post extinctam Caroli Magni prosapiam, in praxi etiam fuit in tantùm obseruata, vt duo intra

Ger-

Germaniam electi Reges haudquaquam potirentur titulo Imperatorio, quousque ad hunc à Sede Apostolica postmodum admissus, & coronatus fuerat Otho primus. Quare ea Elliesij argumentatio ex iure quasi naturali euincit quidem, penes Germanos potuisse subsistere ius eligendi Regem, dum tamen intentio semper erat, & erit, non alterum præficiendi, nisi qui promouendus postmodum esset in Imperatorem, quæ promotio ex præcitatis Canonicis, & Conciliaribus sanctionibus stabat penes Romanum Pontificem, idcircò ex præiactis fundamentis iam planum redditur, si ius Regium in Germania discernatur à iure Imperatorio, omnimodam circa hoc ex tempore Imperij à Græcis adempti, & in Carolum Magnum translati; in eiusque tandem prolapia extincti dispositionem, ita rediisse ad potestatem Pontificiam, vt consequenter ius etiam eligendi, non præcisè Regem Germanorum, sed qua promouendum in Imperatorem, reinciderit ad Sedis Apostolicæ auctoritatem.

Quibus taliter constitutis, non omninò improbo, quas Pontificis Imperatoris, & Principum in negotio electionis, seu Regis, seu Imperatoris, functiones discernit Elliesius dum Imperator quidem ex consilio Principum delegisse potuisset certos Regis Germaniæ Electores, vbi tamen cæteri Principes suo ad Regem, sibi subditisque suis præficiendum iuri cessissent, attamen, quia sub hac eligendi norma non erat intentio, sistendi in constituendo Germaniæ, seu etiam Italiæ Rege, sed Imperatoriam dignitatem in natione sua conseruandi, & propagandi, idcireò ea Imperatoria, & Imperij Principum constitutio ita fuerat confirmanda à Sede Apostolica, vt sub hac ipsa confirmatione sua, Romanus Pontifex super Rege, qua in Imperatorem Romanorum postea promouendo, debuerit specificè suam Apostolicam impertire auctoritatem, eo ipso, quod per hanc Imperium à Græcis ademptum, & in Caroli Magni prosapiam, non vlteriùs translatum, sub specifico, Regem posteà in Imperatorem promonendum, eligendi iure non aliter potuerit esse propagatum, nisi ex indulto eiusdem Sedis Apostolicæ.

§. III.

Quantum momenti sit in argumentis, ad Papæ supra Reges potestatem probandam, peti solitis ex Gregorij VII. in Concilio Romano aduersùs Henricum IV. Alexandri III. in Concilio Lateranensi aduersùs Fridericum I. nec non Innocentij IV. in Concilio Lugdunensi aduersùs Fridericum II. editis sententijs.

DEinceps cum Elliesio congrediar inducendo exempla, quæ in via Facti negare non audet, sed in via Iuris contendit, absque legitima auctoritate, seu causa iusta esse facta, quantumuis vna cum Pontifice à Concilia subinde etiam Oecumenica dignoscantur in eis interuenisse. Quæ ratio est, quod prætermittam Ludouici Pij, & Lotharij exauctorationes, quarum priorem nonnulli dicunt factam à Concilio Compendionensi absque Romani Pontificis auctoritate; de posteriori autem scribit Nithardus lib. 4. tom. 7. Conciliot. col. 1177. & 1788. nihil aliud actitatum esse in Coucilio Aquisgranensi, nisi quod Episcopi fuerint in consilium adhibiti, num liceret sibi, partem Francici Regni, à Lothario relictam regere? Censuerintque, id ab ipsis tuta conscientia fieri posse. Quare rem hanc ab Elliesio à pagin. 524. & sequent. fusiùs discussam, relinquo in suspenso.

ARGVMENTVM I.

Desumptum ab exemplo Henrici IV. Imperatoris à Gregorio VII. depositi.

DE hac Gregorij VII. exauctoratione sic loquitur Auctor tract. de libert. Gallic. Eccles. lib. 4. cap. 5. nempe in Coucilio Romano III. sub Gregorio VII. anno 1076. sententia depositionis contra Henricum IV. Germaniæ Regem pronuntiata fuit, atque eius subditi à iuramento fidelitatis absoluti, rursusque in Concilio Romano VII. anno 1080. depositio, & absolutio confirmatæ sunt.

Exceptio Elliesij.

HIc Auctor præs. pag. 536. suis contra hanc Imperatoris depositionem exceptionibus præmittit primò sequétem rei enarrationem historicam. Nempè inter Gregorium VII. & Henricum IV. dissidij causa ferebatur, quod is Episcopos, & Abbates partim pretio, partim priuata auctoritate, quod inuestituram vocant, constitueret. Hac de causa initio Pontificatus Gregorius eum admonuit, ne deinceps largitione corruptus, Episcopatus, & beneficia conferret, alioquin se in delinquentes pœnis Ecclesiasticis vsurum. Sed discordia non erupit ante annum 1076. quo Gregorius, & Henricus sese mutuò damnationibus appetiuere. Imperator enim Legatione Pontificis (quam Elliesius superbam vocitat) exasperatus, Concilium Wormatiæ indixit, in quo Gregorius variorum flagitiorum accusatus, depositus est, missaque Romam Legatio cum contumeliosis literis, quibus denuntiabatur, vt se Episcopatu abdicaret.

E contra verò Gregorius habita Romæ Synodo, Episcopos huius sententiæ auctores excommunicat, ipsisque Henrico Regnum Theutonum, & Italiæ abrogat, omnesque Christianos à vinculo iuramenti absoluit. Hinc varia actitata, quousque Saxonibus bellum contra Henricum parantibus, Principes Allemaniæ veriti, ne Regno spoliarentur, auctores Henrico fuerunt, vt cum Gregorio reconciliaretur, quod Canossæ intra Agrum Regiensem firæ factum fuit, Henrico veniam petente, quam primùm denegatam, ipsi tandem concessisse Pontificem, ait Elliesius mox

ſubjiciens: Gregorium nihilominus, quia inclementia ſua irritatum Cæſaris animum cernebat, clam Rudolphum Ducem Saxoniæ ad Imperium capeſſendum ſollicitaſſe: eumque à Saxonibus electum, Henrico mouiſſe bellum. Hinc Gregorius in Concilio Romano anno 1080. latam in Henricum ſententiam renouat, Imperiumque confirmat Rudolpho, qui tamen eodem anno prælio commiſſo, eſt occiſus, inutili penes ſuos relicta victoria. Interim nouemdecim Epiſcopi Moguntiæ, ac poſtea triginta Brixiæ congregati, Gregorium deponunt, Gnibertum Rauennatem Epiſcopum, dictum Clementem VI. in eius locum eligunt, quem Imperator cum exercitu Romam veniens, expulſo Gregorio, in Sede Epiſcopali collocauit, & ab eo coronam, Imperatoriam accepit.

Exinde fœderati Principes Hermanno Lotharingo Regnum deferunt anno 1082. qui annis poſt ſeptem extinctus eſt, dum triennio ante, ſcilicet anno 1085. mortuus fuerat Gregorius cui ſucceſſit Victor III. vita functus anno 1088. in ſucceſſorem à Cardinalibus delecto Othone Oſtienſi, dicto Vrbano II. qui ſententiam in Henricum, & Guibertum à Gregorio latam confirmauit, ſed variè vexatus, Romæ mortuus eſt, eique anno 1099. ſucceſſit Paſchalis, aduersùs Guibertum bellum gerens, Guiberto paulò poſt anno 1100. è viuis abeunte: neque tamen eius morte factionum ſtudia reſciſſa ſunt, Richardo, qui Guiberto fauerat, ei ſufficiente Albertum quendam Arellanum; atque poſt hunc Maginulpho apud Rauennam vſurpante Pontificatus titulum. Nec minùs Imperium, quàm Pontificatus prædæ tunc erat, dum aduersùs Henricum Pontifices excitauerunt eius filium Conradum, & eo mortuo, filium alterum Henricum, à quo pater Imperio ſpoliatus, captus, & in cuſtodiam coniectus eſt, profugus demum anno 1106. decedens. Cui enarrationi poſt aliorum quoque Imperatorum de inueſtituris varia proximè recenſenda acta, Ellieſius ſubnectit ſequentia, ea nimirum, quæ tum à Pontificibus, tùm à Romanis Imperatoribus eius diſſidij tempore ſunt attentata, atque, in exemplum trahi minimè poſſe, cùm vtrimque multa, præter iura, ac præter æquitatem omnem, crudeliter, & impiè fuerint geſta.

Secundò proinde pergit Ellieſius vlteriorem de inueſtituris enarrationem ita retexere. Violentiam, inquiens, Henrici IV. in Romanos Pontifices, non imitatus eſt modò ſed & ſuperauit Henricus V. qui veniens in Italiam, à Paſchali per vim extorſit iura inueſtiturarum, de quibus tantùm erat certamen exortum, & ab eodem ritu ſolito imperator inauguratus eſt. Sed quamprimùm ille italia diſceſſit, hæc omnia irrita decreuit Paſchalis in Concilio Lateranenſi, anno 1112. Indeque in Concilio Viennenſi, Inueſtituram Epiſcopatuum hæreſim eſſe, declaratum eſt. Sed Gelaſio II. Paſchalis ſucceſſore, Romam redijt Henricus, vt ab eo confirmationem eorum, quæ à Paſchali II. ſibi conceſſa fuerant extorqueret; ſed cum ille Roma aufugiſſet, Burdinum, Gregorium VIII. à nonnullis appellatum, Brachatenſem Archiepiſcopum, Antipapam conſtituit. Poſt diſceſſum Henrici Gelaſius Romam redijt: ſed excommunicato Henrico, & Burdino, iterum exulare compulſus; paulò poſt obijt; cui ſucceſſit Callixtus II. ſub quo pax inter Pontificem, & Imperatorem inita eſt, ac controuerſia de inueſtituris anno 1122. amicè terminata in Conuentu Wormatienſi, in quo Imperator inueſtituram per annulum, & baculum remiſit, Canonicamque electionem, & liberam conſecrationem permiſit, ſed ex alia parte Pontifex Imperatori conceſſit, vt electiones Epiſcoporum, & Abbatum Regni Teuthonici, coram ipſo fierent abſque ſimonia, & violentia, electus autem Regalia per ſceptrum acciperet.

Quo iam rettahere, viſum eſt operæ pretium, quas Ellieſius deplorat ex illis Pontificem inter, ac Imperatorem controuerſijs obortas calamitates. Quot & quantæ, inquiens, Deus boue! ex inueſtituratum controuerſia, & temeraria Gregorij VII. ſententia fluxerunt in Imperio ſeditiones, cædes, rebelliones, bella, parricidia; in Eccleſia mutuæ Epiſcoporum proſcriptiones, Concilia ſibi inuicem oppoſita, ſpoliata templa, violatæ aræ, deiecti Pontifices, alij in eorum locum ſuffecti: de Romano Epiſcopatu vi, & armis decertatum, longo, ac diro ſchiſmate Eccleſia vexata, vno verbo omnia ſiue in Imperio, ſiue in Eccleſia ſuſque deque verſa.

Hinc tertiò pergit Ellieſius in Gregorium VII. inuehi. Quamquàm varia, inquiens fuerint pro varijs affectibus Scriptorum de hoc diſſidio iudicia, nihilominùs tamen omnes Gregorij de Imperatore deponendo conatum, nouum & antehac inauditum fuiſſe, agnouerunt, & ex his non pauci crudelitatis, & ambitionis arguunt Gregorium, ante Pontificatus adeptionem de tyrãnica crudelitate iam notatum à Petro Damiano ep.10. lib.1. Leone quoque Oſtienſi lib.3. cap.24. vocante cùm elatione turgidum, & cap.48. accuſante ipſum perfidiæ, quod poſt reconciliatum ſibi Henricum Mathildæ conſilijs, quemdam miſeriæ, ad coronam illi auferendam, & aduersùs Imperatorem ei ſuaſerit rebellionem: ipſomet etiam Rudolpho, qui in locum Henrici ſuffectus fuerat, in acie vulnerato, paulò ante mortem fatente, ſe iniuſtè ex iuſſione, & mandato Pontificis rebellaſſe; veluti referat Hemoldus Chronici Sclauonici lib.1.cap.24. imò ipſomet Gregorium morti proximo, eorum, quæ contra Henricum IV. tentauerat, pœnitente; vti refert Sigebertus in Chronico. Vnde concludit Ellieſius. Quis ergo non videat, pluris fieri debere morientium Henrici aduerſariorum verba eo tempore prolata, quo veræ tum demùm excutiuntur pectore voces, detrahiturque perſona, atque rei veritas; quàm quæ ipſi odijs, & ambitione impulſi, ſcripſerunt, aut geſſerunt?

Quartò proinde Ellieſius Conciliorum, nempe Romani Tertij, & Octaui, ſub Gregorio Septimo, Beneuentani ſub Victore Tertio, Placentini, & Claromontani ſub Vrbano Secundo, iterumque Romani ſub Paſchali Secundo, decreta elidere nititur, tùm quod maioris fieri non debeat iſtorum Conciliorum auctoritas, quàm ipſorum Pontificum, quorum auctoritate conuocata ſunt, iiſque op-

poni

poni posse Concilia ab Henrico conuocata, quæ in Pontificem sententiam tulerunt; Wormatiense scilicet, Papiense, Moguntinum, Brixiense, & Moguntinum alterum, in quo Brixiensis Concilij sententia est confirmata.

Pari modo pro quinto Auctoribus, qui Gregorij Septimi, factum approbarunt, scilicet Mariano Scoto, Lamberto Schafnaburgensi, Anselmo Cantuariensi, & Lucensi, Geberhardo Salisburgensi, Stephano Alberstadensi, Leoni Ostiensi, Othoni Frisingensi, Dodechino, & Abbati Vrspergensi teponit Elliesius, hos perinde, ac Bellarminus Bennonem Cardinalem, aliosque Scriptores, vti suspectos, reijcit, posse plerosque ex illis, qui Gregorij partes sequebantur, meritò repelli; quippe eùm eo tempore omnes ferè Scriptores vel Imperatoris, vel Pontificis partes acriter tutati sint, vt testis est Anonymus in vita Henrici Quarti. Et primò quidem Mariani Scoti auctoritatem nullius esse momenti, cùm fauerit ipse rebellibus Saxonibus, & defectionem eorum probauerit. Pariter Lucensem Anselmum, Gregorij Septimi, Patronum fuisse, vti testantur Sigebertus, & Trithemius, nec adeò eius auctoritatem maioris esse momenti, quàm Gregorij. Geberhardum quoque eodem munere functum esse, ac disputasse cum Vicetone Moguntino Archiepiscopo: Lambertum quoque Schafnaburgensem, aliosque Scriptores ob Inuestituras, & tentata in Gregorium, damnasse Imperatorem, at eius exauctorationem non omninò approbare, sed historicè tantùm referre. Multos verò Auctores Henricum etiam post hanc exauctorationem appellare Imperatorem, inter quos Anonymum hist. Franciæ Scriptorem apud Duchesnium tom. 4. obseruare, quòd excommunicatio, quæ totum Ecclesiæ statum turbasset, à Gregorio lata fuerit contra totius penè Concilij voluntatem. Albertum Aquensem lib. 1. cap. 7. Guibertum Nouigentinum lib. 3. c. 2. Gulielmum Tyrium lib. 1. cap. 13. & lib. 9. cap. 8. Othonem Bambergensem epist. ad Paschalem Secundum anno 1102. Sugerium in vita Ludouici Sexti, & alios, factum Gregorij, velut nouum, & inauditum, reprehendere.

Nec pro sexto, ait Elliesius, iuuare, si reponatur, nonnullos equidem existimasse, illam aduersùs Henricum, Gregorij sententiam fuisse iniustè latam à Pontifice, nullum tamen fuisse, qui dubitarit, potestatem esse Pontifici, Reges deponere, dum ipse etiam Henricus in epistola quadam, eo tempore, quo Gregorio maximè offensus erat, scripta, agnouit, in materia hæreseos id fieri posse. Etenim ex opposito stare quamplurimos Auctores, qui non modò iniustam, sed & illicitam existimarint Henrici exauctorationem; veluti sunt Anonymus in hist. seù apolog. vitæ Henrici, imò ipsemet Gregorius in epistola 21. lib. 8. & lib. 7. epist. 3. Nec porrò attendendum esse, quæ Henricus, aut alij Imperatores rerum suarum necessitate locuti, dicere, promittere, aut facere potuerunt; eùm omnes sciant, iniquum omninò esse, ex conditionibus per vim extortis, aliquid Iuris assumere. Quòd verò additur, Henricum eo tempore, quo maximè erat Gregorio offensus, agnouisse, in causa hæreseos Reges, & Imperatores deponi posse: id tantùm dubitanter ab illo dictum esse, allunde probando, id minimè fieri debere, & in Ecclesia factum non esse: quemadmodùm pateat ex epistola post Synodum Briacensem scripta, ex qua videre sit, Henricum per concessionem tantùm, ac secundùm principia Gregorij, & Romanorum fateri, ob fidem deponi posse Reges, sed non dicere, à quo deponi possint: imò statim addere, à Deo deponendos esse, idque probare tum exemplo Iuliani Apostatæ, quem Patrum traditio soli Deo iudicandum reliquerit, tum Beati Petri, Regem honorificandum esse, asserentis.

Refutatio istarum exceptionum.

PRimò namque ex ipsamet Elliesij relatione historica manifestum redditur, Henricum Quartum, de Simonia, & immunitatis Ecclesiasticæ temeratione à Gregorio Septimo, ex correctionis Euangelicæ norma à Christo instituta primitus admonitum, si pergeret in Episcopatibus, & beneficijs Simoniacè conferendis: Ecclesiasticarum insuper pœnarum comminationibus, exinde grauiori etiam legationis Apostolicæ auctoritate fuisse absterritum, sed hinc exasperatum, Wormatiæ indixisse Concilium, in quo Gregorius variorum flagitiorum accusatus, fuerit depositus, missa etiam Romam legatione cum contumeliosis literis, quibus denuntiabatur, vt se Episcopatu abdicaret. Quibus secundùm ipsius etiam Elliesij confessionem, itâ se habentibus, dum non Ecclesiastica dumtaxat iura pertinaciter infringebantur, sed vicaria Christi potestas enormissimè violabatur; num fas erat Gregorio, non vibrare virgam coercitiuam Matth. 18. Ecclesiæ sacræ demandatam, sicque non excommunicationis dumtaxat ferre sententiam, sed gladium Imperatoriæ potestatis, quem Henricus aduersùs sanctam Ecclesiam strinxerat, ex eius manu rapere, per illam super Quodcumque in terris Morale, atque adeò super gladium illum Imperatorium, tantæ nequitiæ moralitate in Ecclesiæ, ac Religionis publicæ perniciem vergente contaminatum, protendi potentem, Petro, eiusque successori Romano Pontifici à Christo concessam auctoritatem; soluendo adeò, sicque perimendo in Henrico ius Imperatoriæ dignitatis? Quod ergo Henricus absque vllo iure, imò contra expressum ius Diuinum, præsumpserat in exauctorando Gregorio, hoc iste Summus Pontifex, summo Vicariæ Christi auctoritatis iure, in perfidum illum Imperatorem meritò retorsit cum Concilio Romano, ipsum non excommunicando dumtaxat, sed etiam deponendo à Cæsareæ Maiestatis sublimitate.

Sed quid vituperio dignum posteà egisse, dicendus est Gregorius, quando Henrico supplici non absque difficultate, veniam quidem concesserat, sed ius Cæsareæ Maiestatis ipsi ademptum, necdum restitueræt, animaduertens, ex sua non tam inclementia, quàm iusta ad scelerum enormitatem magis ostendendam, prorsùs proficua retardatione, Henrici animum (vti Elliesius ait) esse exacerbatum, vt maturè sibi prospicere, Rodolphum

Ducem Saxoniæ ſollicitauit ad capeſſendum Imperium; atque hunc à Saxonibus electum, in altero Romano Concilio confirmauit, renouata in Henricum Summi Pontificatus, tam iniquum aggreſſorem, Eccleſiæque adeò ſanctæ publicum hoſtem ſententia, dum præcipuè illius fautores tum Moguntiæ, tum Brixiæ congregati Epiſcopi, Gregorij depoſitionem iteratò molientes, præſumpſerunt eidem opponere. Antipapam Guibertum Rauennatem Epiſcopum, Victori etiam Tertio, poſteà infeſtum, maximæque per Italiam hoſtilis ſtragis manifeſtum reum, meritòque, adeò anno 1088. ab Vrbano Secundo, denuò condemnatum, eò quòd ex hoc Antipapa, eiuſque poſteà ſucceſſoribus Atellano, & Maginulpho continuatæ fuerint aduersùs Romanam Eccleſiam, eiuſque legitimum Caput, atrociſſimæ hoſtilitates? Quare iniquiſſima eſt, quam Elliesius facere nititur, cladium & calamitatum tum Imperio, tum Eccleſiæ ex Henrici Quarti, aduersùs Gregorium Septimum, machinationibus imminentium compenſationem, prætexendo, vtrinque præter iura, ac præter æquitatem omnem, plurima crudeliter, ac impiè geſta eſſe, cùm tamen ex prætactis manifeſtè pateat, pro Gregorio ſtetiſſe ſummum ius, tam æquitatis, quàm Vicariæ Chriſti auctoritatis: cùm èeontra in Henrico Eccleſiæ Romanæ, eiuſque Pontificatus hoſte publico, tam iuſtitiæ, quàm poteſtatis, erga Summum Pontificem non niſi arrogatæ, ratio euidenter noſcatur defeciſſe.

Hinc ergo pro ſecundo ijs, quæ Elliesius ſecundæ exceptionis loco de Inueſtituris oppoſuit, ad tertium Operis noſtri articulum, vndecimam de Regalia diſquiſitionem, reiectis, vnicè reſtat examinanda calamitatum, cædium, ſeditionum, ac rebellionum Gregorij Septimi, in Henricum Quartum ſententiæ, ab illo Auctore imputatarum deploratio, quam hocce Theologico argumento retorquemus. Si namque ſub forma per Chriſtum Matth. 18. ſancita, ſeruato ſeu Diuini, ſeu naturalis, ſeu ſuper hiſce fundati Canonici Iuris debito ordine, Summus Pontifex procedat aduersùs Regem, ſeu Imperatorem, Iuris Diuini temeratorem, eouſque progreſſum, vt Eccleſiam audire contumaciter detrectet, indeque ex Chriſti iuſſu Communionis Chriſtianæ iure deſtituatur, ſeu excommunicetur, ſed necdum correctus, quinimò in ſenſum reprobum datus, ſacræ Religionis, ac Eccleſiæ interitum, quantum in ſe eſt, peruerſa ſua contumacia moliatur, ſitque adeò in eo ſtatu poſitus, vt meritò perſentiſt illam à Chriſto Apoſtolis cit. cap. 18. commiſſam, & ſuper quocumque in terris ſeu ſoluendo, ſeu ligando protenſam virgam coercitiuam: num proptereà, ſi Paſtor Eccleſiæ Oecumenicus, in vi illius Apoſtolicæ auctoritatis, & publicum ſacræ Religionis, ſeu Summi Pontificatus hoſtem liget cenſuris, & ſubditos ſoluat iuramentorum, ſeu homagiorum vinculis, imò ius Regiæ poteſtatis tot ſceleribus contaminatum, ab homine ſibi ſubiecto adimat, numquid vel Chriſto, qui taliter procedendi mandatum fecit, vel eius Vicario, qui poteſtate ſibi Diuinitus commiſſi officij vel compulſus, tali modo proceſſit, imputanda erunt mala inde prouenientia? Vel non potius, dum Pontifex ſtringit gladium ad malos extirpandos, communioneque fidelium, ne boni ab ipſis præcipitentur in ruinam, priuandos, eoſque, ne poteſtatis temporalis gladio aduersùs ſanctæ Eccleſiæ pacem, & Religionem publicam liberè abuti poſſint, exauctorandos, ipſiſſima hæc iuſtitiæ aduersùs Eccleſiæ ſanctæ rebelles, publicæque Religionis perturbatores, demonſtratio, ex ſe ipſa eſt tantum bonum, vt in reſpectu illius quoad moralem imputationem, haudquaquam præualere poſſint mala per accidens, & non niſi ex perſuorum Eccleſiæ rebellium contumacia prouenientia? Hæc igitur, mi Elliesi, expendas, & facilè intelliges, quas Imperij, ac Eccleſiæ calamitates Gregorio Septimo imputabas, in eius Pontificiæ Maieſtatis temeratores meritò retorqueri.

Tertiò proinde conueniens eſſet, mi Elliesi, vt diſcerneres illud, quod Gregorius Septimus, egit ex Cathedræ Apoſtolicæ poteſtate, & ex propriæ affectionis voluntate; quemadmodum Euangeliſta in ipſo etiam Caipha, cùm eſſet anni illius Pontifex, actum ex hoc munere per Diuinum quoque inſtinctum moderato promanantem, eatenus diſcreuit ab illius contra Chriſtum attentata nequitia, vt etiam propheteizaſſe dicatur ab Euangeliſta. Quando igitur ſuperiùs oſtenſum eſt, ex qua auctoritate, Clauium ſcilicet regni cælorum, ſoluendique ſuper [Quodcumque in terris Morale] protenſa poteſtate, iuſtitiæ, ac Religionis publicæ rationibus exigentibus, ſententiam tum excommunicationis, tum depoſitionis Gregorius Septimus, protulit aduersùs Henricum, cuius neſanda iterum ſcelera in epiſtola Ludouici Comitis contra Waltramum à Baronio ad annum 1090. relata inſigniter deſcripta cernere licet. Ideò quantumuis verum eſſet, quod affingis Gregorio, tibi iure merito reponeretur illud ſancti Auguſtini aduersùs Donatiſtas effatum. Quid tibi fecit Cathedra Apoſtolica, vt huius actus, de Conciliorum quoque legitimorum conſilio, & comprobatione aduersùs Henricum factos, euerſos, è contra verò Henrici pertinaciam, & malitiam defenſam velis?

Verùm ſi non iam Cathedræ Apoſtolicæ actus publici, ſed eiuſdem vita priuata in Gregorio expendantur, huius ab Aduerſarijs fruſtra impugnatam innocentiam, egregiè tuetur Bellarminus lib. 4. de Romano Pontifice cap. 13. ad quem, vtpotè ne in apice quidem validè confutatum, remitto Lectorem. Cui ſuffragatur viſio diuinitùs facta à Leone Oſtienſi lib. 3. cap. 53. adducta, ex qua reddebatur manifeſtum, res à Gregorio geſtas diuinitùs etiam comprobatas fuiſſe; vti videre licet etiam ex Baronio ad annum 1084. Quantumuis proinde verum eſſet, quod ab Henrici fautoribus, vti Baronius ad annum 1080. aſſerere confingitur, ac ſi Rudolphum in vitæ ſuæ exitu pœnituiſſet, quòd contra Henricum Regem inſurrexiſſet: [Dexteram, qua ipſi iurauerat, dicendo, iuſto Dei iudicio abſciſſam ſe pati.] Quantumuis inſuper verum eſſet, ipſum quoque Gregorium morti iam proximum pœnituiſſe eorum, quæ non tam ex Cathedræ Apoſtolicæ auctoritate, quàm ex ſubreptione ſuæ priuatæ fortaſſis perſonæ aliquando obrepente poterat ex conſcientiæ te-

ne-

ueritudine ſibi viſus fuiſſe minùs rectè peregiſſe: ex hiſce tamen allegationibus plus non euineitur, niſi qnod Gregorius Magnus antehàc ſcripſerat: [Conſcientias ſcilicet timoratas, vbi culpa non eſt, ſibi metuere:] dum cęteroqui præinſinuatus Ludouicus Comes in ſuis ad Waltcamum literis Papam Gregorium, & Regem Rodulphum de odio erga Henricum, ac de peſſimo hinc interitu damnatos, eatenus vindicat, vt in ipſis locus fuerit illi Pſalmidico effato: [Nonne, qui oderunt te Domine, oderam, & ſuper inimiens tuos tabeſeebam? Perfectò odio oderam illos, & inimici facti ſuut mihi:] ac propterea illa de Gregorij, & Rodulphi interitu exprobratio, ac de Henrieo pro tune ſuperſtite gloriatio, non pluris facienda fuerit, ac ſi quis Neronem, quia Apoſtolis Petro, & Paulo, aut Herodem, quia Iacobo Apoſtolo ſuperuixerat, beatum propterea proclamaret.

Sed mi Ellieſi, pro quarto hinc te conuenio, vt ipſemet ad meutem reducas, quò progreſſus fueris, dum etiam Concilia Romana III. & VIII. ſub Gregorio VII. Beneuentanum ſub Victore III. Beneuentanum, Placentinum, & Claromontanum ſub Vrbano II. iterumque Romanum ſub Paſchali II. non alio prætextu contendis reijcere: [Niſi quòd maioris eorum auctoritas fieri non debeat, quàm ipſorum Pontificum, quorum auctoritate conuocata fuerunt?] Oportet, vt ſiſtas hic, & conſideres, ſi tali ratione liceat non Apoſtolicam dumtaxàt tot Pontificum, ſed ipſornm etiam Conciliorum ab hiſce eonuocarorum auctoritatem elidere, nil iam tutum fore in Eccleſia, ac fruſtrà à Clero Gallieano iam moueri quæſtionem de Coneiliorum non acephalorum, ſed cum Capite Eccleſiæ coadunatorum ſupra Papam ſuperioritate, ſi non tantùm Capitis huius, ſed totius etiam Concilij auctoritatem tam leniter tractare, imò Concilia huiuſmodi comparare liceat Coneiliabulis ab Imperatore Schiſmatico, proptereàque iuſtè exauctorato, coactis ad obtrudendos, ſeu fouendos Antipapas?

Nec pro quinto æqua eſt tua quinta exceptio, qua niteris, Auctores integerrimos, quorum pro Gregorio aſſertiones à Bellarmino ſunt deductæ, æquiparare cum Bennouis Cardinalis, aliorumque Henrici partes tuentium atteſtationibus, quamdiù, quod hactenus non feciſti, nec ſolidè facere vnquam poteris, legitimæ aduerſùs hos exceptionis argnmenta tam fortia, per dictum Bellarminum expoſita, non efficaciter refutaueris. Quando eauſaris, omnes ferè Scriptores vel Imperatoris, vel Pontificis partes acriter eo tempore tutatos fuiſſe, vt vel hinc auctoritatem Scriptorum pro Gregorio ſtantium infringas, oportuit, te cauſæ vel æquitatem, vel iniquitatem ex vna, alteraue parte ſubſiſtentem, æquiori oculo expendiſſe, dum ex Gregorij parte auctoritas Apoſtolica, ex parte autem Henrici contra diuinum, humanumque Ius priùs iam arrogata in Summum Pontificem poteſtas: iterum ex huius parte tam enormia facinora, & facrilegia, etiam ſimoniam cum ſchiſmate, ne dicam, hæreſi coniuncta: ex illius autem parte virga tantorum ſcelerum ex Chriſti præſcripto coerceitiua noſcitur interueniſſe.

Et hinc, quam ſexto loco Ellieſius extennat propriam Henrici Imperatoris de Summi Pontificis ad Reges, ex cauſa ſaltem hæreſeos, deponendos poteſtate confeſſionem, aſſeuerare hanc oporret, ita Iuri Diuino per Chriſtum conſtituto, conſentaneam fuiſſe, vt conſequenter fruſtraneæ ſint, quæ confinguntnr aduersùs illam, exeeptiones, quemadmodùm ea etiam, quàm idem Ellieſius præced. cap. 4. ſ. vlt. oppoſuit nouitatis obiectionem, validè à nobis ibidem confutata cernitur.

ARGVMENTVM II.

Petitum ex Friderici I. & Friderici II. depoſitione.

AVctor dicti tractatus de libertatibus Eccleſiæ Gallieanæ cir. lib. 4. cap. 5. argumentatur tum ex Concilio Lateranenſi ſub Alexandro Tertio, quod anno 1168. Fridericum Primum Imperatorem excommunicauit, eiuſque ſubditos à fidelitatis iuramento abſoluit. Quæ legitimè præſtita fuiſſe, agnouit Fridericus, quandoquidem Pontifici ſe humiliter ſubijciens, ſententiam reuocari exorauerit. Tum ex Concilio Lugdunenſi ſub Innocentio Quarto, à quo ſententia depoſitionis in Fridericum Secundum, & abſolutio ſubditorum à iuramento fidelitatis decreta fuit.

Exceptio Ellieſij.

PRimò equidem Auctor iſte nihil reponit aduersùs ea, quæ de Friderico I. fuere adducta; attamen circa Othonem IV. à pag. 545. & poſteà circa Fridericum II. à pag. 545. talem facit relationem, vt præfatum Othonem contendat, numquam fuiſſe legitimum Imperatorem, de Friderico autem II. aſſerat, vbi iuueſtituras contumaciter ſibi arrogaſſet, & Pontificem Honorium III. de his admonentem ſpreuiſſet, anathemate fuerit primùm perculſus, poſteaque contumacia creſcente, priuatus Regno & Imperio, vniuerſis Imperij & Regnorum ſuorum ſubditis abſolutis à iuramento fidelitatis. Exinde præfatus Ellieſius in Honorij ſucceſſorem Gregorium IX. duriùs eum eodem Friderico agentem, grauiter inuehitur, atque iſtius ex auctoritate Imperatoris partes manifeſtè ſuſcipit. Sed quia eius hiſtorica relatio apertè euaneſcit ex iis, quæ Auctor Regalis Sacerdotij lib. 1. ſ. 7. num. 1. fuſiùs exponit, ad eum ab Ellieſio nullatenus confutatum, remitto Lectorem, ne præter neceſſitatem longior hic eſſe debeam, dum præcipuè cauſam Friderici Concilium Generale Lugdunenſe ſub Innocentio IV. poſtmodùm condemnauit, lata in illum ſententia tenoris inferiùs referendi, ex quo manifeſta redditur iniqua eius Imperatoris defenſio.

Verùm pro ſecundo Ellieſius à pag. 551. non veretur excipere, quòd ſententia præinſinuata non à Concilio, ſed ab Innocentio lata fuerit, Synodo eam neque examinante, neque confirmante: ſit autem neceſſum, vt decretum aliquod Concilij auctoritatem obtineat, conci-

ciliariter id examinari, ſingulis Patrum rogatis ad dicendam ſententiam, neque verò quidquam horum circa illud negotium contigerit in Concilio Lugdunenſi. Addit is Auctor, iſtud Concilium non immeritò negari fuiſſe Generale, cùm non omnes Chriſtianitatis Nationes ad id vocatæ fuerint: quinimò, licèt Generale fuiſſet, dici poſſe, quòd in præſenti quæſtione, vtpotè non tam Iuris, quàm Facti, errare potuerit, quippe cùm in ea Synodo non de iure Pontificis, ſed hoc præſuppoſito, quæſitum ſit; verùm Fridericus ob crimina ibi allegata diris eſſet deuouendus?

Refutatio iſtarum exceptionum.

Exordiendo à poſtrema exceptione, remitto Lectorem ad ea, quæ tum in præſentis articuli diſcuſſione antecedenter diximus, tum fuſiùs circa ſecundum de Concilij, & tertium de Infallibilitate Papæ, ex Cathedra Apoſtolica definientis, fuſiùs diſſeremus de iſthoc quæſtionis puncto, quomodo in ijs, quæ Facti ſunt, vbi cum fidei principijs ſub prudentiali non naturalis dumtaxàt, ſed ſupernaturalis ordinis lumine, per Spiritus ſancti aſſiſtentiam, ab ipſomet Chriſto repromiſſam, conferuntur, ſit in Papa & Concilio infallibilitas practicæ deciſionis, ab omni materiali falſitatis concretione depuratæ per directionem Spiritus ſancti, de quo Chriſtus Ioannis 16. dixit Apoſtolis, fore, vt doceret omnem, adeòque practicam etiam, ex Facto aliquo cum diuini luminis principijs per prudentiam infuſam conferendo, ſubſiſtentem veritatem.

Quo iam præſuppoſito, dum ex fundamentis articulo ſecundo deducendis, etiam patebit, Oecumenici Concilij character fuiſſe in præadducta Lugdunenſi Synodo, ſufficiet pro primo; prætactam eiuſdem Concilij ſententiam, relatam in cap. ad Apoſtolicæ. de ſent. & re iudic. in 6. proferre in medium, ad oſtendendum, tum quòd iſta deciſio verè fuerit non ſolius Innocentij, ſed Concilij: tum quòd præinſinuata Auctoris Regalis Sacerdotij, non verò Elliesij relatio hiſtorica, nitatur veritate, ſummæque iuſtitiæ, ac æquitatis ratio efflagitarit eam decretalem, Friderici condemnatoriam, quæ ita ſe habet: [Cùm dura guerrarum commotio nonnullas profeſſionis Chriſtianæ Prouincias diutiùs afflixiſſet, nos ad Fridericum præcipuum Principem ſecularem, diſſenſionis, & tribulationis auctorem, à felicis recordationis Gregorio Papa IX. Prædeceſſore noſtro pro ſuis exceſſibus anathematis vinculo innodatum, ſpeciales Nuncios, & magnæ auctoritatis viros duximus deſtinandos, &c. Nos itaque ſuper præmiſſis, & quàm pluribus alijs eius nefandis exceſſibus cum Fratribus noſtris, & ſancto Concilio deliberatione præhabita diligenti] quomodo autem iſthæc cum ſacro Concilio deliberatio ſubſtitiſſet, ſi, vti Elliesius gratis prætendit, ſingulorum etiam Patrum ſuffragia non fuiſſent poſtulata? [Cùm Ieſu Chriſti vices, licèt immeriti, teneamus in terris,] En Oecumenici Concilij characterem ex Vicario Chriſti nomine ſubſiſtentem, nobiſque in B. Petri perſona dictum ſit. Quodcumque ligaueris ſuper terram, ligatum erit & in cœlis. [Memoratum Principem, qui ſe Imperio & Regnis, omnique honore, & dignitate reddidit indignum, omni honore & dignitate priuatum à Domino oſtendimus, & denunciamus: & nihilominus ſententiando priuamus omnes, qui ei iuramento fidelitatis tenentur adſtricti, à iuramento huiuſmodi perpetuò abſoluentes, auctoritate Apoſtolica firmiter inhibendo, ne quiſquam de cætero ſibi tamquam Imperatori, vel Regi pareat, & intendat. Decernendo, quoslibet, qui ei deinceps velut Imperatori, vel Regi conſilium, vel auxilium præſtiterint, ſeu fauorem, ipſo facto excommunicationis ſententiæ ſubiacere. Illi autem, ad quos Imperatoris ſpectat electio, eligant liberè ſucceſſorem.

Ex qua proinde Decretali pro ſecundo ad intentum noſtrum ita licet argumentari. Etenim ex eius Canonicæ intrà Concilium Lugdunenſe editæ ſanctionis littera clarè conſtat, eius fundamentum reduci in hoc fidei principium, quo credimus, Summum Pontificem Chriſti in terris agere vices, ipſique in perſona Petri dictum eſſe: [Quodcumque ligaueris, ſeu ſolueris ſuper terram, erit ligatum, vel ſolutum in cœlis.] Quis verò negare auſit, ſub iſto quocumque, quod eſt in terris morale, contineri actus morales publici quoque à Rege promanantis regiminis: & dignitatis Regiæ ad hanc indiuiduam perſonam, qua ex æquitatis ratione faciendam applicabilitatem, eiuſque in Rege Eccleſiæ ſanctæ perſeuerantiam moralem? Sub illo adeò fidei principio, per eam ſanctionem Synodalem expendebatur Imperatoris ex facinoribus ſuis indignitas. Cuius iudiciaria proindè diſcuſſio, licèt fuerit dependens à probationibus, quæ intrà prudentiæ naturalis ſphæram non ſupergrederentur moralem certitudinem, attamen hoc Oecumenici Concilij, vnà & Summi Pontificis iudicium, per Spiritus ſancti gratiam ità depurabatur à materiali, falſitatis periculo obnoxia concretione, vt altior prudentiæ infuſæ commenſurata certitudo practica omnimodam falſitatem excluderet, vtpotè per Dei inſtinctum efformata, & cum illo fidei principio collata, ſicque ſub forma virtualiter ſaltem ſyllogiſtica progrederetur ad concludendam ſententiam, aduersùs Imperatorem iudicialiter ferendam ſub vera lumini ſupernaturali innixa conſequentia Theologica.

His pro tertio ſuppoſitis, diſcutienda foret relatio, qua Elliesius à pag. 552. Ludouici Imperatoris exauctorationem improbabat, ſed certis de cauſis malo circa hoc Lectorem remittere ad ea, quæ Auctor Regalis Sacerdotij citato libro 1. §. 8. diſcuſſit. Quæ verò idem Elliesius à pag. 560. profert circa Bonifacij VIII. Extrauagantem Vnam ſanctam, de maiorit. & obedient. ea à nobis fuſiùs expenſa cernere licet in præf. Summarij cap. 2. §. 4. num. 5. ac ſeq.

§. IV.

Quantum ad præsens institutum momenti sit ex Concilij Lateranensis, Constantiensis, & tandem Tridentini sanctionibus mox adducendis?

ARGVMENTVM I.

Petitum ex duplici Concilio Generali Lateranensi.

AVctor Regalis Sacerdotij citato cap. 5. ita pergit argumentari. Concilium Generale Lateranense sub Alexandro III. cui plurimi Galli interfuerunt, Can. vlt. decernit: [Relaxatos autem se nouerint à debito fidelitatis, ac dominij, & totius obsequij, donec in tanta iniquitate permanserint (Domini temporales) quicumque illis aliquo pacto teneantur annexi.]

Alterum porrò Lateranense Concilium anno 1215. celebratum sic decernit cap. 3. [Si verò dominus temporalis requisitus, vel monitus ab Ecclesia, terram suam purgare neglexerit ab hæretica fœditate, per Metropolitanum, & cæteros comprouinciales Episcopos excommunicationis vinculo innodetur, & si satisfacere contempserit infra annum, significetur hoc Summo Pontifici, vt ex tunc ipse vasallos ab eius fidelitate denunciet absolutos, & terram exponat Catholicis occupandam, qui eam exterminatis Hæreticis, sine vlla contradictione possideant &c.]

Exceptio Elliesij.

NIhil contra prius, sed posterius hic relatum Lateranense Concilium excipit Elliesius.

Primò, nec Ecclesiam, nec Concilium Generale eam repræsentans, quidquam habere iuris in temporalia Regum bona, nec de ijs statuere posse, quippe cùm Regum potestas immediatè à Deo sit, nec adeò eam ijs auferre, aut aliquid iuris alteri in eam tribuere posse, præter ipsummet Deum.

Secundò, illum Canonem non fuisse ab vniuersali Concilio conciliariter, sed à solo Papa conditum, Naucleto, Platina, Iacobo Muldemportio, & Matthæo Parisiensi attestantibus, in eo Concilio multa consultata, sed pauca esse conclusa: adstipulantibus eiusdem Synodi Canonibus 29. 33. 41. 42. 61. & 66. vtpotè qui vniuersi Canones demonstrant, quòd sint opus Innocentij III. partim in ipso Concilio, partim post Concilium, editum. Nec denique Canonem illum esse de dogmate, sed disciplina, neminem verò dubitare, quòd Concilium etiam Generale errare possit in disciplina.

Exceptio istarum Exceptionum.

PRimò, namque Elliesium, qui antè hac in Rege Franciæ Childerico deponendo, & subrogando Pipino, Statuum Regni auctoritatem interuenisse contendebat, conuenio, qualiter sua prima hic opposita exceptio conueniat cum illa tam solemni assertione sua? Et quia Romano Populo in Imperio Græcis adempto, & in Carolum Magnum mandato primas attribuerat partes, rursus ipsum conuenio, sciscitando, qualiter hoc assertum suum subsistat cum principio proximè tradito, quo nititur inferre ex hoc, quòd Regum æquè, ac Imperatorum potestas sit immediatè à Deo, neminem, præter ipsummet Deum, posse eam potestatem illis auferre, aut aliquid iuris alteri in eam tribuere? Sed hæc in anterioribus multimodè iàm discussa fuerunt, quomodò scilicet non tam Regia potestas in seipsa formaliter, quàm concretè, prout est in hoc sanctæ Ecclesiæ subiacente supposito, quod publici etiam regiminis, moralisque in hac indiuidua persona subsistentiæ moralitates, subsit sanctæ Ecclesiæ tum virgæ coercitiuæ, tum Pastoralis officij Oecumenicæ auctoritati.

Pro secundo, ipsa Concilij prætacti acta publica to. 3. par. 2. edit. Colon. à pag. 682. relata, dum decreta sub eiusdem Concilij nomine exhibent, eo ipso probant, esse conciliariter conclusa. Nec obstat, quòd inter multa, quæ fuerunt consultata, nonnisi pauca (ea vtique, quæ dicto loco recensentur) fuerint conclusa: his namque Concilium suam quoque impertijsse auctoritatem, liquet ex prælegatis Canonibus; quippe cùm in 20. dicatur: [De multa prouidentia fuisse in Concilio Lateranensi prohibitum.] Et in 33. iubeatur obseruari mediocritas in Concilio Lateranensi definita. Item in 41. asserat Pontifex: se iudicio Synodali definire. Rursus in 46. voluisse Lateranense Concilium immunitati Ecclesiasticæ prouidere.

Tametsi porrò Canon in argumento superiùs exposito adductus, loquatur de disciplina: quia tamen hæc substantialiter subsistit ex honestate morum per ipsum fidei lumen nobis tradita, consequens est, si Concilium Generale in Ecclesiastica disciplina efformanda substantialem errorem committeret, hunc redundaturum esse contra dogmaticam quoque fidei veritatem; falsissimumque adeò est, quod Elliesius pro indubitato supponit, nempe Concilium etiam Generale in disciplina Ecclesiastica errare posse.

His ita constitutis, pro tertio iubeat præadductam Concilij Lateranensis cit. cap. 3. de hæret. latam constitutionem ad fidei principia reducere, disquirendo: [An sacrosancta hæc Synodus Generalis ea sanctione intenderit, præceptum aliquod imponere, præscribendo modum, quo Papa procedere deberet aduersùs Dominos temporales, Hæreticorum fautores?] Pro quo elucidando, sequens exhibetur dissertatio. Quandoquidem enim sacro illi Concilio notissimum fuerit fidei principium de Ecclesiæ Clauibus cum indefinita super quocumque, quod in terris est morale, pro-

protensa ligandi, & soluendi potestate, legitimo Petri successori competente, ideo nefas foret, dicere, Patres Concilij non tam respexisse ad illam Papæ auctoritatem, quàm ex Concilij propria auctoritate fecisse ipsi iurisdictionis suæ delegationem, decernendo, si Dominus temporalis ob Hæreseos fautoriam excommunicatus, infra annum non satisfecerit, Summus Pontifex vasallos ab eius fidelitate absolutos denunciet, facto mandato, vt terra illius occupetur à Catholicis. Quare in vi huius sanctionis dicendum est, Concilium illud Oecumenicum, ipso etiam Vicario Christi nomine, seu auctoritate fulcitum, vnicè intendisse, vt pro illo incorrigibilitatis casu excitaret Papæ Oecumenicum Pastorale officium, cum eius indefinita ligandi, & soluendi potestate, ad eo modo, quo ibi præscribitur, procedendum aduersùs Dominum temporalem, de Hæreseos fautoria conuictum. Quare per hoc decretum, Pontificiæ auctoritatis excitatorium, redditur manifestum, quòd Concilium illud Oecumenicum agnouerit, & sanxerit, tum suam, tum etiam Papæ auctoritatem protendi super Dominos temporales, eosque supremos, necnon super eorum dominia temporalia, ac territorialia, seu Regia, qua moralitatis ratione, Regni Cælorum Claues respiciente, superuestita, itaut in vi huius auctoritatis suæ, Concilio ita decernente, conueniat Papæ, facere mandatum, de terris illis per alios occupandis.

Et hinc rursus patet, quàm inconueniens, in ipsum Regem suum redundans, sit Elliesij cauillatio, dum ait, iniustam fuisse Ditionis ad Raymundum Comitem Tolosanum spectantis, ex causa Hæreseos, cui iste fauebat, à Concilio Lugdunensi decretam translationem in Comitem Montisfortis ex profligata Albigensium hæresi, singulari præmio dignum, interueniente licèt ipsius etiam Regis Franciæ beneplacito, & auctoritate. Quæ iniustitiæ, erga præfatum Concilium, vnà & Franciæ Regem exprobatio, nullatenus sustineri ex hoc potest, quòd sanctus Ludouicus postmodùm eum Comitatum suo directo, ac supremo Domino apertum dennò restituerit Comiti Tolosano, quando eius filia Alphonso fratri Comiti Pictauiensium ea lege, velut is Auctor dicit, in matrimonium data fuit, vt, si absque filijs ex fratre moreretur, Tolosanus Tractus esset Regum Franciæ. Sic sic adeò in apertum prodit debitæ obseruantiæ in Elliesio satis detestabilis defectus, dum, vt argumenta suæ Thesi aduersantia elidat, in proprium quoque Regem, ac Generale Concilium tam turpiter inuehitur.

ARGVMENTVM II.

Ex Concilij Constantiensis decretis petitum.

Qvatuor ad Ecclesiasticæ supra Reges auctoritatis probationem, perquàm accommodata exempla trahi possunt ex dicti Concilij, ab ipsomet etiam Elliesio relatis decretis.

Primum desumitur ex sessione 20. vbi Fridericus Austriæ Dux sub anathematis, sacrilegij, & priuationis omnium bonorum feudalium, quæ ab Ecclesia, seu Imperio obtinet, & inhabilitationis ad feuda, & officia, beneficiaque vsque ad secundam generationem, necnon honoris, & famæ, atque communionis in consilijs Principum, pœnis requirebatur ad restitutionem iurium, & bonorum Episcopatus Tridentini à se, alijsque occupatorum.

Secundum decretum habetur in sess. 39. vbi ad præcauendum metum, aut impressionem, quæ Papæ Electoribus fortassis esset inferenda, cauetur, vt, cuiuscumque status, gradus, aut etiamsi Imperiali, Regali, &c. præfulgeat dignitate, illas pœnas ipso facto incurrat, quæ continentur in Constitutione Bonifacij VIII. incipiente Felicis. Vbi priuatio bonorum, tamquam pœna statuitur.

Tertium decretum extat in sessione 17. vbi Concilium pœnam excommunicationis, & depositionis statuit in eos, qui impedirent Sigismundum Romanorum Regem proficiscentem ad Regem Aragoniæ pro pace Ecclesiæ.

Quartum decretum desumitur ex sessione 14. vbi in eos, qui Concilium turbauerint, statuitur: Vt sint perpetuò infames, omnique dignitate, statu, honore, officio, & beneficio, Ecclesiasticis, & secularibus, etiamsi Imperialis, Regalis, &c. dignitatis existant, ipso iure sint priuati.

Exceptio Elliesij.

Hic Auctor præf. pag. 557. excipit primò. In præallegato primo decreto esse sermonem de feudis, quæ Fridericus ab Ecclesia, & Imperio obtinebat: esse verò Ecclesiæ, non qua Ecclesiæ, sed qua Domino directo, potestatem priuandi feudis, eorumque bonis; quoad bona autem, quæ Fridericus ab Imperio in feudum possidebat, Concilij sententiam fuisse tantùm directiuam, ipsius etiam Imperatoriæ confirmationis adhuc indigam.

Secundò. Constitutionem Bonifacij VIII. in secundo decreto adductam in eos, quorum Regna, vel Imperia ab Ecclesia non penderent, vnicè statuere pœnam excommunicationis; eos verò, qui Ecclesiæ feudatarij sunt, solis bonis priuari.

Tertiò. Concilium in tertio decreto non loqui de Regibus, sed de priuatis, aut Principibus quibusdam, qui se Sigismundi profectionem, & itineri opponerent. Neque depositionis, sed excommunicationis dumtaxat sententiam proferre, addendo tantummodò, vt vlteriùs omni honore, & dignitate, officio, & beneficio Ecclesiastico, vel seculari sint ipso iure priuati: sub quibus verbis nomine beneficij secularis, non esse intelligendum aliud, quàm quòd Ecclesiæ deberetur, & vti feudum ab ea teneretur.

Quartò. Verba quarti decreti, lati in eos, qui Concilium turbauerit, esse tantùm comminatoria, nec vllum sortiri effectum, nisi fortè ex consensu Principum, vel vltroneæ subiectionis. Addit tandem Elliesius, hæc omnia, vti etiam Concilij Basileensis sess. 39. & 40. decreta similia esse perperam facta, eo tempore, quo vulgaris inoleuerat opinio, Ecclesiam habere aliquid potestatis in Reges, neque Concilia

cilia allata quæstionem istam ex professo definijsse, quippe quam haud examinauerant, sed loqui, vti tunc loqui solebant Ecclesiastici. Quare non posse ea decreta pro definitionibus Conciliatiter factis haberi.

Refutatio istarum Exceptionum.

PRimò. Ipsamet Decreti primi verba manifestè confutant primam Elliesij exceptionem, cùm Fridericus Austriæ Dux, nisi restituat iura, & bona Tridentinæ Ecclesiæ, priuetur etiam feudis Imperij, necnon iure communionis in consilijs Principum, quæ vti temporalia iura sunt, non equidem qua talia, sed qua moralitate in Regnum Cœlorum, seu ordinabili, seu deordinabili, superuestita, spiritualitatis subeunt rationem, ipsomet etiam Elliesio alibi fateri compulso, vt sic subesse auctoritati Clauium Ecclesiasticarum, prout iu anterioribus ostensum fuit. Vnde is Auctor hic etiam compellitur fateri, Concilij potestatem erga illa iura temporalia fuisse directiuam. Sed quid ni, coerecitiuam quoque agnoscat, dum in vi directiuæ eiusmodi potestatis, Fridericus Austriæ Dux transgrediendo decretum eiusmodi, contraheret talem moralitatis à Regni Cœlorum ordine desciscentis reatum, vt ex hoc per apertum Christi mandatum Matthæi 18. Ecclesiæ sanctæ factum, huius vitgæ quoque coercitiuæ subiaceret?

Secundò. Mi Elliesi, dum circa secundum Concilij Constantiensis (constiturionem Bonifacij Octaui, quæ incipit: Felicis) innouantis, decretum fateria, ibi decerni pœnas quoque ciuiles, putà inhabilitationis ad succedendum, ad testandnm, &c. Nnmquid conuinceris, iam profiteri, ciuiles quoque pœnas, atque adeò temporalia Christianorum (quid ni & Regum) iura, in quantum præferunt moralitatem, Ecclesiæ clauibus esse subiecta.

Tertiò. Elliesiua erroris manifestè conuincitur, dum negat, Concilij Constantiensis sess. 17. editum, & tertio loco ab ipso productum decretum complecti Reges; contrarium namque apertè docet eius litera, taliter sonans: [Vt quicumque, cuiuscumque status, etiamsi Regalis, &c. qui Sigismundum Imperatorem impedietit, &c. omni etiam honore, dignitate, officio, beneficio Ecclesiastico, & seculari sit ipso facto priuatus.]

Quartò. Dum Elliesius prætendit, verba Concilij in sess. 14. decreto, quatenus inducunt Regalis quoque dignitatis priuationem, esse dumtaxat comminatoria, num fas ipsi erat, Synodo isti impingere, ac si in comminatione pœnarum, potestatis suæ sphæram transgressa fuisset, vel seriò non egisset, citra etiam veritatem efficaciæ à se intentatæ, vtpote importantis priuationem ipso Iure incurrendam? Hæc profectò plus, quàm ignominiosa sunt erga sacra Concilia, vti etiam istud, quod in fine subnectit, ac si eiusmodi sacrosanctæ Synodi nixę fuissent vulgari dumtaxat opinione de Ecclesiæ in Reges potestate, absque ulla rei huius matura examinatione.

Quidni igitur pro quinto sit è contrario dicendum, Patres in Concilijs Generalibus congregatos, sanciendo præadducta decreta, attentoa fuisse ad potestatis Oecumenicæ sibi Diuinitus concessæ auctoritatem? Sicuti ergo decreta illa effectiuè profluxerunt ex ista auctoritate Oecumenica, sic eorum resolutio in actu exercito, ac virtualiter reducenda est, immò sub prima sua constitutione fuit reducta in fidei principium, quo Concilij Oecumenici auctoritas habetur Diuinitus constituta. Etsi verò ex Christi Domini Matth. 18. exaratis verbis ennstet, Oecumenici Concilij characterem proprium (ex cnius nempe respectu Christus promisit se in Synodi medio futurum) subsistere ex Christi nomine vtique Vicario, eiusque adeò in terris relicta Petro, ac ipsius Successori collata Vicaria auctoritate. Hunc tamen characterem ex Martini Quinti Conciliaria decreta approbantia auctoritate, accessisse Concilio Constantiensi, patet ex eius fine. Quidni ergo dixerimus, præallegatorum decretorum resolutiones, qua in fidei principium reducibiles, immò sub ipsa prima sui constitutione, atque Papæ postmodùm secuta approbatione, reductas in auctoritatem Diuinitus constitutam, ac fide Diuina creditam, ex tunc integram obtinuisse Conciliarium sanctionum firmitatem prorsus certam, ac immobilem, quoad auctoritatem Ecclesiasticam (ceu decretorum illorum principium) in actu exercito, ac virtualiter ijsdem communicatam?

Hinc pro sexto lubeat concludere, hunc in modum argumentando. Nempe præallegatorum Generalinm Conciliornm decreta, sine reducantur in primum illud fidei principium, quo Ecclesiasticarum Clauium super quoscumque Christiano charactere insignitos, & super quocumque in terris morali protensarum sphæra definitur, siue sanctiones illæ reducantur in prudentialis à Spiritu Sancto, Concilijs Oecumenicis assistente inspirati dictaminis, supernaturalis, quasi secundarium principium, sub vtraque ista reductione fit resolutio in lumen aliquod Diuinum, cuius, & hinc deriuatæ conclusionis, seu sanctionis certitudo, longè maior est naturali, seu physica, seu metaphysica certitudine, ad Theologicæ adeò certitudinis sublimitatem sublenanda.



ARTICVLVS II.

De Superioritate Papæ supra Concilium, vel è contra.

PRæsatæ Cleri Gallicani declarationis articulus secundus ita se habet: [Sic autem inest Apostolicæ Sedi, ac Petri successoribus, Christi Vicarijs, rerum spiritualium plena potestas, vt simul valeant, atque immota cōsistant sanctæ Oecumenicæ Synodi Constantiensis à Sede Apostolica comprobata, ipsisque Romanorum Pontificum, ac totius Ecclesiæ vsu confirmata, atque ab Ecclesia perpetua Religione custodita Decreta de auctoritate Conciliorum Generalium, quæ sessione quarta, & quinta continentur. Nec probantur à Gallicana Ecclesia, qui eorum Decretorum, quasi dubiæ sint auctoritatis, ac minùs approbatæ, robur infringunt, aut ad solum schismatis tempus Concilij dicta detorquent.]

Super cuius declarationis verbis Auctor inextinctæ sacri Concilij Tridentini veritatis talem facit reflexionem. Constat ex ipsismet huius articuli verbis, non esse difficultatem in his, quæ sunt iuris, dum decreta illa dicuntur non aliter immota subsistere, nisi quatenus approbata sunt à Sede Apostolica, ipsoque Romanorum Pontificum, ac totius Ecclesiæ vsu confirmata fuere. Quare tota difficultas versatur in hoc, quod est facti, an scilicet Decreta illa ita se extendant vltra schismatis tempus, vt quoad hanc extensionem obtineant robur, & approbationem Sedis Apostolicæ, vtpote per cuius characterem Christi in Concilio vicariè repræsentatiuum, Synodus Oecumenica, infallibili Spiritus sancti assistentia munita, formaliter subsistit. Quanti proinde momenti sit, & in quem finem fiat ista reflexio, ostendetur in huius articuli finali Summario.

Intereà ad exactiorem præsentis rei examinationem faciendam, progressuris nobis sequentes disquisitiones proponere placuit. 1. [Vtrùm ex natura Concilij Oecumenici, & vicissim ex Oecumenici Papatus essentia, huius difficultatis definitio erui valeat? 2. An Superiòritas Papæ supra Concilium demonstrari queat ex sacris Literis? 4. Vtrùm ex testimonijs ipsorum Conciliorum Generalium, varijsque Actis historiarum Ecclesiasticarum? 5. An ex eo, quòd à Concilio ad Papam, non è contra à Papa ad Concilium; detur appellatio? 6. Quantum pro Concilij erga Papam superioritate probanda, valeat Concilij Constantiensis decretum sessione 4. editum? 7. Quantum momenti ad præsens hoc institutum sit in Decreto eiusdem Constantiensis Synodi sessione 5. sancito? 8. An Constantiensis Concilij decreta fuerint recepta ab Ecclesia, & confirmata à Martino V.]

DISQVISITIO I.

Vtrùm ex natura Concilij Oecumenici, ac vicissim ex essentia Oecumenici Papatus superioritas, seu Papæ, seu Concilij demonstrari possit.

§. I.

AVctor tractatus de Libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ lib. 5. capit. 1. egregiè animaduertit, contrarietatem inuolui in illo secundo declarationis Gallicanæ articulo, quo dicitur, Apostolicæ Sedi, ac Petri successoribus, Christi Vicarijs, rerum spiritualium esse plenam potestatem, & tamen subijci Concilio Generali. Quomodò enim inesset Sedi Apostolicæ plena potestas, si Concilijs Generalibus subsunt Pontifices in ea sedentes, etiam extra tempus schismatis. Scimus, beato Petro, & eius successoribus commissam pascendarum ouium curam. Sed in quo scripturarum loco ipse Petrus, eiusque successores legitimi Conciliorum Oecumenicorum iurisdictioni suppositi sunt? Si Romani Pontifices Christi Vicarij sunt, & quidem proximi, & immediati, vt definiuit Concilium Constantiense sess. 45. aduersùs art. 37. Ioann. Wicleff, cui, nisi ei, cuius vices gerunt, subiacent? Quomodò est plena potestas, quæ ab alterius arbitrio, vel iudicio pendet? Eius est, qui facultatem confert; facultatis vsum præscribere, aut si ab altero præscribi voluerit, id clarè significare. Potestatem Romani Pontificis à Christo collatam fuisse, negare non audent Franci Catholici; eam plenam esse concedunt Episcopi Parisijs congregati. Debuerunt ergo, sicut in prima propositione, ita in ista secunda, Euangelij verba referre, quibus ducti sint, id est in quibus Christus B. Petri, eiusque successorum potestatem, Diuinitus traditam, Conciliorum Iurisdictioni subdidit, quantum ad vsum, & exercitium.

Plu-

Plurima è contra sunt, quæ suadent, Concilia, à quibus absit Summus Pontifex legitimus, & indubitatus, auctoritate Pontifici superiorem non habere, sed potiùs inferiorem. Primò quidem, quia seclusо Summo Pontifice, difficile est, vt definiatur Concilium Generale. Secundò, quia Concilium Generale sine assensu Romani Pontificis congregari, vel saltem suis Decretis supremam auctoritatem dare non potest. Tertiò, quia clariùs exprimitur in scripturis sacris Summi Pontificis, quàm Concilij generalis auctoritas. Quartò, quia hanc doctrinam Sanctorum testimonia validiùs confirmant. Sed magis explicanda sunt, atque confirmanda.

Quoniam autem potest Concilium generale illud intelligi, aut cui Summus Pontifex cum reliquis Prælatis intersit, aut verò quod sinè Summo Pontifice, reliquis dumtaxat Episcopis constet. Satis patet, in declaratione Cleri Gallicani, accipi Summum Pontificem sinè Concilio, illinc Concilium sine Summo Pontifice: cùm declaratio Decretis Concilij Constantiensis nitatur, quæ aliam sententiam non admittunt.

Quæ tamen vel in hoc, vel in alijs tractabuntur, eiusmodi erunt, vt sufficiant ad ferendum de illa comparatione iudicium. Sunt enim tria maximè, in quibus fieri potest comparatio, veritas fidei, ac morum disciplina, & iudicia. Consentiunt Catholici aduersùs Panormitanum in cap. significasti. De elect. Concilij Oecumenici sententiam de rebus fidei, ac præceptis generalibus motum, infallibili certitudine gaudere. Idem de Summo Pontifice in libro 7. probabimus. Nec ex eo, quòd Papa Conciliorum verè generalium definitionibus circa fidem derogare non possit, consequitur; Concilium esse Pontifice superius. Nam perinde sequeretur, vnum Concilium omnibus posterioribus præeminere, cùm quæ ab vno definita sunt, nequeant ab alijs immutari, vtpore quorum sit firmissima veritas. Collatio circa decreta de disciplina, ex doctrina de dispensationibus colligi potest. Constat enim ex Gallorum praxi, qui plures, & à Canonica Conciliorum disciplina magis exorbitantes dispensationes postulant, eos in Summo Pontifice auctoritatem super Decretis Conciliorum dispensandi agnoscere. Quot enim mihi numerabis in Gallia Episcopos, qui, vel ad retinenda simul plura Beneficia, vel ad mutandas sedes, vel alijs de causis, dispensatione non egeant? Denique quod spectat ad iudicia, ex illa quæstione pendet, an possit à Papa ad Concilium appellari, quam etiam in hoc libro attingemus.

Hoc Lectoris æquo iudicio relinquentes, vnicè monendum duximus, annon sicut in Rege supremo distinguimus Regiam plenam potestatem formaliter, & quasi in abstracto spectatam, atque subiectiuè, qua homini Christiano applicabilem, sicque quasi in concreto consideratam, itaut illam, vt pote iuris diuini negemus equidem, attamen qua subiectiuè sumptam, sub concreta moralitatis cuiuspiam in Regnum cœlorum ordinabilis consideratione, in Rege Christiano asseueremus, subesse Romano Pontifici; pari ex ratione distinguere oporteat, inter Sedem Apostolicam formaliter, & quasi in abstracto, id est, in sua præcisa natura acceptam, nec non inter Pontificię auctoritatis ad hoc indiuiduum suppositum applicationem quasi materialem, & in concreto sumptam, ita vt illa sit plena in spiritualibus potestas, attamen subiectiuè considerata, quatenus inest huic personæ, quasi per accidens, id est, non secundùm suam intrinsecam conditionem, sed quoad vsum ipsius, ex parte subiecti admittat moralitates, Ecclesiæ, adeoque Concilio Oecumenico Ecclesiam Vniuersalem repræsentanti, subiectas? Hoc equidem à meo sensu remotissimum est, vt id asseuerare cogitem, sed vnicè proponendum duxi hanc difficultatem, ad rei præsentis momentum accuratiùs expendendum.

§. II.

Referuntur Doctorum sententiæ, & argumenta circa statum præsentis disquisitionis, vnà cum aliquali super ijs reflexione.

ARGVMENTVM I.

De Concilij Oecumenici definitione.

AVctor Regalis Sacerdotij, Romano Pontifici asserti lib. 2. §. 1. num. 1. naturam Concilij Oecumenici describit sub hisce verbis. Concilium, inquit, Generale nihil aliud est, quàm Conuentus Ecclesiæ Pastorum, legitima auctoritate indictus, factus, confirmatusque, ad maiora fidei, & Religionis finienda negotia. Sicut enim ob publicas, communesque omnium Ciuium, & Republicæ necessitates, conuocantur à Principe Comitia generalia: sic cùm fidei, quæ omnium Christianorum commune est bonum, periculum, & bellum imminet, omnium Ecclesiarum Pastores euocantur, communem causam communi voto acturi. Cùm ergo oportuerit, in Ecclesia hæres esse, Pastoribus, & præsertim Vicario Christi, data est cura, ne quid in fide turbaretur. Quemadmodum verò tota Ecclesia in ijs, quæ ad fidem spectant, errare, non potest, ita, & multò minùs totius Ecclesiæ Doctores, qui Ecclesiam in Concilio Vniuersali repræsentant, cùm alioquin oporteret, Magistros à discipulis, Pastores ab ouibus, aurigam ab equis regi, corrigi, quo nihil absurdius dici potest, & tamen hoc dicendum esset, data Ecclesiæ infallibilitate, & negata Pastoribus. Hi tamen, cùm non omnes in Concilium conuenire possint (quis enim fideles intereà pasceret, Pastoribus procul auocatis?) hoc ipsum non errandi priuilegium præsentibus Concilio, à Christo concessum est, dicente: [Vbicumque fuerint duo, vel tres in nomine meo congregati, ibi sum in medio eorum] Matth. 8.

Reflexio.

EX hac definitione constat, Concilij Generalis infallibilitatem reduci in hoc, quòd sit repræsentatiuum totius Ecclesiæ. Hinc autem videtur singulari admiratione dignum, quòd sacri Concilij Tridentini Patres passi non sint, huic Oecumenicæ licèt, ac Generali Synodo præfigere titulum, ac si esset repræsentans Vniuersalem Ecclesiam. Res à Pallauicino hist. Concil. Trident. lib. 6 cap. 2. num. 8. exarata, ita se habet: Secuta est alia contentio; quæ, tametsi ex nomine orta, diu Synodum turbauit, nec vnquam sedata, sed solum identidem consopita, rursusque suscitata, importunas procellas penè vsque ad extrema Concilij tempora conflauit: cùm sæpe contingat, voces non tamquam signa æstimari, sed quandoque tamquam etiam rerum causas. Ad epigraphen decreti sanciendi de vitæ integritate in ijs, qui aderant, proposuit Baccius Marcellus Episcopus Fesulanus, vt adderentur ad maiorem Concilij auctoritatem hæc verba: [Vniuersalem Ecclesiam repræsentans,] qui titulus, aiebat ille, à Synodis Constantiensi, ac Basileensi desumptus, prætermittendus non erat in Tridentina, etsi minoris frequentiæ, non tamen minoris æstimationis, atque auctoritatis. In eam sententiam multorum aura conspirauit ex more Communitatis, præsertim recens coalescentis, quæ speciosis nominibus delectatur. At contra disseruit Augustinus Bonuccius Aretinus, Ordinis Seruorum Generalis Præfectus: illum titulum esse recens inductum, nec antiquis Concilijs vsitatum. Addiditque Pighinus esse pariter superuacaneum, cùm ex tenore diplomatis Pontificij, & ex decreto inchoandi Concilij, declararetur ea Synodus Vniuersalis, & Oecumenica, quæ nomina erant paris significationis, sed maioris auctoritatis, & propter consuetudinem minoris inuidiæ. Primus Præsidum vtraque sententia humaniter laudata, ad posteriorem se dixit accedere; illum titulum, telum quippe validissimum ad hæresim Lutheranam configendam, non esse tam citò promendum, ne illorum auribus vulnus infligeret, adeoque in furorem ageret, quos ad resipiscendum alliciebant. Exemplum peti non posse à Synodo Basileensi, quæ in schismaticam degenerauit, & in quam ea fastuosa inscriptio Eugenij Quarti odium irritauit. A Synodo Constantiensi eam sibi appellationem ascitam ex peculiari ratione: cum enim diuturno schismate discinderetur Ecclesia, declarandum erat, eam integram à Concilio repræsentari, adeoque vim habere, qua per sua decreta rursus ad vnitatem ipsam reduceret. Summum potiùs Pontificem imitarentur, qui cùm sibi liceret per titulorum sublimitatem, cœlum petere, mauult tamen in humili manere, & se abiectiori titulo insignire: [Serui seruorum Dei.] Primi Legati sententiam Collegæ laudibus excepere, & cum ijs, quod magni apud Episcopos momenti fuit, Cardinalis Tridentinus ea epigraphe reiecta, quippe apta instammandis Lutheranorum odijs, adeoque illi tempori neutiquam opportuna.

Ex quibus constat illum titulum: [Vniuersam Ecclesiam repræsentans fuisse reiectũ, tum ne ansa præberetur, eum interpretandi in sinistram partem, ac si vniuersæ Ecclesiæ representatio perinde, ac prætendebatur à Concilio Basileensi, subsisteret in Concilio auulso à Capite, Romano Pontifice Eugenio Quarto, & hinc prolapso in apertum schismatum ob verba eidem titulo in Concilio Constantiensi, dum nullum certum caput habebatur, adiecta: [Quæ Synodus à Christo immediatam habet potestatem, cui quilibet cuiuscumque status, vel dignitatis etiamsi Papalis existat, obedire teneatur.] Quæ licèt efficacissimæ ad eum titulum prætermittendum rationes, non eousque tamen præualebant, quin postmodum in sessione 23. eiusdem sacri Concilij Tridentini iterum vocaretur in controuersiam ab Hispanis Episcopis sub Pio Quarto, prout videre licet apud Pallauicinum dict. hist, lib. 21. cap. 12. num. 4. At ne tunc quidem euincebatur, sed in suspenso relinquebatur is titulus, quæ creditur esse causa, cur in omnibus ad 23. vsque Sessionibus, decreto Concilij præfigi soleret iste titulus: [Sacrosancta Oecumenica, & Generalis Tridentina Synodus in Spiritu sancto legitimè congregata;] sed postmodum à sess. 22. ederentur decreta absque hoc etiam Oecumenicæ Synodi titulo, ac in ipso etiam fine Concilij prætermitteretur tam iste, quàm alter ab Hispanis, alijsque Episcopis prætensus titulus, vti patebit perlustranti decreta prætacti sacrosancti Concilij. Quandoquidem igitur ex tanti momenti rationibus, Curia Romana sit detestata illum titulum, sub quo Concilium indubitatò Oecumenicum, diceretur [Vniuersam Ecclesiam repræsentans,] num istud, eiusque infallibilitatem definire, iam fas est ex huiusmodi vniuersæ Ecclesiæ repræsentatione? Sed ad hoc infra §. 3. respondebimus.

ARGVMENTVM II.

OPeræpretium videtur hic ex Auctore cit. tractat. de libert. Eccle. Gallic. lib. 5. cap. 2. ostendere quàm difficile sit, Concilium Generale sine Summo Pontifice definire, eiusque auctoritatem determinare. Concilium inquit hic Theologus, Prouinciale aliquando perfectum, & plenarium dicitur, vt in canone 16. Concilij Antiocheni, vbi sic definitur, [perfectum verò Concilium illud est, vbi interfuerit Metropolitanus antistes.] Ferrandus pro perfectum interpretatus est plenarium n. 144. Breuiar. Canon quo loco Concilium Africæ vocat etiam vniuersale. Hæc sunt eius verba: [Vt Concilium vniuersale non fiat, nisi causa communis, id est totius Africæ coegerit; vt Synodus plenaria tunc dicatur, cùm Episcopus Metropolitanus adfuerit. [Concilium Antiochenum tit. 16. vocetur etiam Vniuersale, Concilium ex tota Africa collectum cap. 19. [Canonum Africanorum, si autem ad Concilium vniuersale accurrere noluerit, &c.] in Gallia simili nomine donatæ sunt Synodi ex pluribus Prouincijs congregatæ vt fidem faciunt Concilium Matisconense II. ac Tullense apud Saponarias Anno 869. Huius Canon 15. bis verbis con-

concipitur; [Placuit omnibus, vt creditur, instinctu Diuino,qui ad vniuersaleConcilium in Vicinia Tullensium confluxerunt, &c.] In Epistola Synodica ad Wenilonem Archiepiscopum hæc etiam leguntur; [Episcopi qui ad Vniuersale Concilium in Suburbano Tullensi conuenerunt.] Et in indiculo,quibus de rebus Salomonem commouere debeant. Placuit VniuersaliConcilio,&c Concilium autem Suessionense III. Anno 866. Epistola Synodica 2. ad Nicolaum I. Papam sic scripserat: [Sed neque ad generalitatis nostræ Synodum, si quandoApostolatus vestri auctoritas nostram fraternitatem pro quibuslibet emergentibus, vel imminentibus negotijs aggregandam decernit, &c.

Sed in alio sensu intelligitur Concilium generale, dum ei Summus Pontifex subesse dicitur, nimirum pro Concilio verè generale hoc est, ex vniuersis Orbis Christiani partibus conuocatum, quod Ioannes Gersonius to. 1. tract. de potest. Eccles. & de Origine Iuris, & legum edito Constantiæ tempore Concilij generalis, considerat. 12. sic definit, [Concilium generale est congregatio legitima auctoritate facta, ad aliquem locum, ex omni statu Hierarchico totius Ecclesiæ Catholicæ, nulla fideli persona, quæ audiri requirat, exclusa, ad salubriter tractandum, & ordinandum ea, quæ debitum Regimen eiusdem Ecclesiæ in fide & moribus respiciunt.] Definitionem huic satis similem tradit Ioannes Maior Doctor Parisiensis in cap. 18. Mat. Concilium, inquiens, est congregatio ex omni statu Hierarchico, quorum interest, conuocata ab ijs, quibus incumbit, ad tractandum communi intentione de vtilitate publica Christiana.

Quocirca plures hinc nascuntur difficultates. Aliqui enim Generales Ordinum & Abbates, alij alios, necessariò vocandos existimant. [De Episcopis, inquit Gersonius loco citato, & superioribus Prelatis non est dubium, sicut iuxta prædicta præcatum sæpius inuenitur in prioribus Concilijs, sed neque videtur ambiguitas esse de minoribus Prælatis, qui sunt Curati, & Hierarche, neque de illis, qui ad hunc duplicem Prælatorum Ordinem reducuntur, quibus non ex Priuilegio solo, sed ex statu & ordinario Iure competit animarum cura, quemadmodùm sunt multi Abbates, Decani, Præpositi cum similibus. Et sanè in Concilio Hierosolymitano, quod veluti primum, atque aliorum exemplar proponitur, interfuerunt cum Apostolis Presbyteri, & vtrorumque nomine conscripta est Epistola, [Apostoli & seniores fratres; &c. visum est Spiritui sancto & nobis, &c.

Sed supposito iuxta communiorem, & veriorem sententiam, Episcoporum tantùm suffragia in Concilio Generali necessariò requiri, cæteros autem nonnisi ex priuilegio vel ad consilium dumtaxat vocem habere, dubium tamen supererit de numero Episcoporum. Licèt enim iuxta communem loquendi modum, vniuersale, seu generale non appelletur, quod maiorem partem non complectitur, tamen aliqua Concilia reputata sunt generalia, in quibus pauciores quàm in nonnullis particularibus interfuerant Episcopi. Exemplum habemus in Concilio Constantinopolitano tempore S. Damasi Papæ, ac Theodosij senioris Imperatoris.

Responderi posset, non tam attendi singulorum Episcoporum, quàm Prouinciarum numerum, sed recurrit difficultas. Nam in dicto Concilio generali plurimæ Prouinciæ, scilicet occidentales, defuerunt. Quid ergo si maior Prouinciarum pars conuenire, aut nolit, aut non possit. Sufficiet, inquies, vt omnes vocatæ sint. Sed quis credat, Galliam ita sentire, quæ tam ægrè Concilia Florentinum, Lateranense quintum, imò & Tridentinum tamquam generalia agnouit, ad quæ certè sciebat, vocatos omnes Episcopos Catholicos, quæque constabant ex maiori Christianarum Prouinciarum parte.

Repones, Concilia ex acceptatione Ecclesiæ, generalia censeri, sed hæc explicatio Concilij ideam confundit, hac enim ipsâ ratione non solùm Concilia Nationalia, vel Prouincialia, sed etiam Diœcesana possent generalium nomine gaudere, accedente Ecclesiæ acceptatione, ac frustra Conciliorum generalium potestas tantum extolleretur. Omnis enim eorum auctoritas in Ecclesiæ vniuersæ consensionem, quæ sola: si adsit, sufficit absque cuiusuis Concilij congregatione, resolueretur.

Ex ijs, quæ de natura Concilij generalis dicta sunt; colligitur, quàm difficile sit, exactam illius definitionem statuere: si ab eo excludatur Summus Pontifex. Quod ideo addo, quia in ea, quam tuemur, sententia, non multi refert, an vniuersi omninò adsint Episcopi, an alij, quàm Episcopi, quinam ex Iure, quinam ex priuilegio, an per se, an per Procuratorem, an absint sinè causa, an cum causa, an inuiti impediantur absentes, an propria sponte abstineant, an consentiant omnes: an discrepent, & dum opposita sunt suffragia, an æqualis sit illorum numerus, vel quæ pars maior, aut minor, imò an Concilium sit verè generale, cùm enim suprema, & infallibilis sit Summi Pontificis sententia, eam, ceu Regulam semper tutò sequentur fideles.

At verò, si penes Concilium solùm sit suprema auctoritas & infallibilitas, incerta sunt omnia, quia dubium est, per quos, & quomodò constitui debeat. Primò enim, si opus est, vt omnes Episcopi conueniant, & vnaquæque pars Ecclesiæ per suum Pastorem repræsentetur, & per vniuersos Pastores Ecclesia vniuersalis, nullum vnquam potuit aut poterit habere ConciliumOecumenicum vt euidens est. Imò difficillimum esset, maiorem partem congregari, vt dicemus alibi. Non repræsentaretur autem Ecclesia, vbi à nemine repræsentaretur pars eius maior.

Si vera esset Ioannis Gersonij, Ioannis Maioris, Iacobi Almaini, & Richerij sententia, scilicet Presbyteros omnes Curatos secundùm praxim Concilij Basileensis, cuius meminit testis oculatus Cardinalis à Turrecremata in Summa de Ecclesia lib. 3. cap. 14. eiusque inconuenientia enumerat, ius habere non solùm præsentiæ, sed etiam voti, & quidem decisiui quandonam posset tanta Curatorum copia, cum tanta Episcoporum multitudine in eumdem locum confluere.

Quid

Quid ergo, si præteeea etiam Abbates, Canonici Ecclesiarum Cathedralium. & alij vocandi sint. Concedit quidem Gersonius Concilio, uumrrum suffragiorum augendi, vel minuendi, facultatem. Sed hæc cautio difficultatem minimè tollit, quia sciendum inprimis est, quid sit illud Concilium, à quo suffragia ad minorem numerum reducenda sunt. Cumque istud incertum sit, nunquam certi esse possumus, an Concilium verè sit Oecumenicum, oisi ex illis omnibus constet qui asseruntur ius habere suffragij.

Supponamus autem rerum staeum adeò commodum, vt eouueuire facilè possiot omnes, quos prædicti scriptores vocandos censent, si vt incómoda vitentur, ne dicã absurda, quæ in deliberando eitca singulas controuersias ex immensa illa hominum multitudine nascerentur, minuendus sit suffragiornm numerus, cùm longè copiosior sit Curatorum, noo ita negligenter sui Ordinis causam illi agent vt saltem ex qualibet Diœcesi vnum superesse non velint, adeòque numero supeeabunt Episcopos. Vix enim fieri poterit, vt ccurum, ducentis, aut multò pluribus curatis cuiuslibet Diœcesis vnus adesse non possit, cùm è contra facilè contingat, vt vnus Episcopus impediatur. Tunc igitur prævalebit, vt numerus, ita & sententia Presbyterorum, Episcoporum iudicio. Licèt euim concedamus, cæteris paribus, præferendum esse Episcoporum suffraginm, si Curarorum suffragia eousoua circa quamdam de fide difficultatem longè plura sint, quàm Episcoporum contrarium iudicaotium, nonne maior pars tùnc Concilium esse censebitur, quantumuis Episcopalis dignitas longè sit Sacerdotali præstantior. Nam solet in omnibus Cœtibus iudicialibus, pro conclusione sententiæ, non qualitas, sed numerus suffragiorum attendi, saltem si pars vna maximo excessu alias superet.

Si autem in Concilijs seruandum sit, vt non maioris absolutè, sed simul maioris, & sanioris partis debeat sententia præualere, quemadmodum de alijs Cœtibus insinuat Concilium Lateranense generale sub Alexandro III. anno 1179. aut secundùm alios 1180 & expresè docee Textus Iuris Cap. Ecclesia vestra quod est 57. De elect. cum Glossa, & Doctoribus ibi, quamquàm ex hodierna praxi, & omnium Scriptorum interpr tatione maior pars censearur etiam sanior, quod inferri videtur ex Concil. Trid. Sess. [illegible]. de Regùl. cap. 6. an ea erit amplectenda sententia, quam tuebuntur Patriarchæ, Primates, & Metropolitani, contradiceutibus Episcopis multò plutibus. Nequaquam, inquies, quia diguitates sunt istæ, ab Ecclesia institutæ, uou à Christo, ita & ipse sentio, secus tamen alij. Illustrissimus Petrus de Marca, antequam etiam Metropoliticam dignitatem esset adeptus, lib. 6. de concord. cap. 1. n. 3. earum institutionem ad Apostolos referendam probare conatus est. Idem etiam statuecat lib. 1. cap. 3. n. 2. Atnulphus Rusæus tractatum de Archiepiscopali dignitate orditur ab hac præfatione, in qua de Iure Diuino esse, demonstrare nititur [Pro fausto, & felici huius materiæ initio, inquiens, quærendum est, quo Iure instituta est Archiepiscopalis auctoritas, seu dignitas. Et vt exordiamur ab ouo, dicendum videtue, quòd non humana adinuentiooe, sed potiùs Diuina quadam constitutione ordinari sunt hi Archiepiscopi Meeropolitaoi respectu suorum Suffraganeorum. Hoc probatue iure Diuino, Ciuili, & Canonico.

Denique in sententia Gersonij, quo gradu maiores Prælati minoribus præstabunt in æstimatione suffragiorum. Quot Curatorum vota vnius Episcopi sententiam æquabunt.

Ne quis suspicetur, nos animo minuendæ Conciliorum auctoritatis, difficultates illas de nouo excogitasse, quibus impossibile fermè demostratur, in Gallorum sententia definire, quid sit Concilium generale, videat Launoium tom. 8. epist. 11. quæ est ad Claudium Amelinum Parisiensem Canonicum, & Archidiacoonm, magnopere desudantem, vt numerum Conciliorum generalium hactenus habitorum assignet, varias eorum ex varijs Scriptoribus conditiones exponentem, ac tandem ioterroganti amico respondere coactum, difficilè rem posse determinari. Quæ igitur etit fidei nostræ regula, in illius Scriptoris, & aliorum Gallorum sententia, qui non errandi priuilegium Summo Pontifici adimunt, & Concilium generale, apud quod reponunt, certis nequeuot notis designare.

Reflexio.

Quod Theologus iste dixie difficile censeo prorsus impossibile, vt Concilium Oecumenicum definiri valeat, absque ioteruentu auctoritatis Pontificiæ. Omnis namque definitio constari debee ex eo, quod in re definita est materiale, ex quo desumitur ratio generis, & formale, ex quo petitur ratio speciei. in Concilio autem Oecumenico quasi materiale est Congregatio Præsulum orbis Christiani, Formale autem iuxta Domini Matt. 18. exarata verba, est Nomen Christi. Sed quomodo. An sub sola fidei in Christum eiusque Nomen, inuocatione. At hoc modo, vbi duo ex quocumque fidelium genere, ad petendum Veritatis Diuinæ lumen, conuenirent in fide, ac nomine Christi iam constituerent Synodum Oecumenicam, cùm secundùm præcitatum textum Euangelicum, non ex maiori, quàm duorum, vel trium numero, si congregentur in nomine Christi constet Concilium Oecumenicum. Nomen igitur Christi, quà Synodi Oecumenicæ forma, non præcisam Christi nominis Religiosam inuocationem, seu Religiosam sub isto nomine, ac fide consensionem, sed auctoritatem Christi nomine contentam significat, cuius etiam auctoritatis intrà Concilium Oecumenicum interuentio debet visibilis esse, vt respectu fidelium possit esse signum Synodi quà Oecumenicæ, à non Oecumenica distinctiuum. At numquid Christi, qui loco cit. dixit, se fore in medio doorum sub nomine suo conuenientium auctoritas personalis visibiliter interesse debet Concilio, vt sit Oecumenicum. Quæ ergo alia est, in terris Christi nomen præferens auctoritas, nisi eiusdem Vicaria, perinde ac Viceregentis potestas præfert nomen & auctoritatem Regis, cuius

est

est vicaria. Hæc igitur Christi vicaria auctoritas, num de facto in alio reperiri potest, nisi in Summo Pontifice, cui in Petro dictum est. Pasce oues meas. pasce agnos meos, ista proinde Christi Vicaria auctoritas ita præfert Nomen Christi, vt sit forma constitutiua, sicque distinctiua Concilij Oecumenici, nec adeò sine illa potest fieri huius definitio.

ARGVMENTVM III.

EX præiacto fundamento facilè iam est, describere Concilij Oecumenici substantiales conditiones, quas ex communi sententia Auctor Regalis Sacerdotij lib. 2 §. 1. num. 2. optimè deducit. Prima nempe est, vt Summi Pontificis mandato, vel approbatione fiat Concilium, ad quod Patres conuocentur. Cap. 1. 2. ac seq. dist. 17. quod videmus in primis quatuor Concilijs obseruatum etiam esse, quæ B. Gregorius eadem veneratione, qua Euangelia, prosequebatur, vt habetur in Cap. Sicut dist. 15. De Concilio Nicæno primo patet ex præfatione ad Canones Concilij Nicæni, & in præfatione ad ipsum Concilium ex S. Isidoro, & Epistola Synodali ad Syluestrum Papam lib. 4. Concilij Nicæni, quæ videri possunt tom. 1. Concilior. Venetæ editionis.

Secunda conditio est, vt Concilio Pontifex per se, vel suos Legatos intersit. cap. 2. & 6. dist. 17. Primo Niceno nomine Syluestri Papæ interfuerunt Osius Episcopus Cordubensis, Macarius Episcopus Hierosolymitanus, Victor, & Vincentius Presbyteri Romani, vt habetur in epistola Synodali ipius Concilij. Nobis fol. 569. tom. 1 Concilior. Concilio Constantinopolitano primo non interfuit quidem, multòque minùs per se, suosque Legatos præsedit Damasus Papa, quòd Patres Romam ad aliud Concilium euocasset, vt patet ex epistola ab ijsdem ad Damasum scripta, & actis Concilij Constantinopolitani inserta: confirmatum tamen à Damaso fuisse, imò eius iussu, & Theodosij indictum, colligitur ex sexta Synodo Constantinopolitana. Act. 18. post subscriptiones PP. nobis fol. 362. col. 2. Et videri potest Baronius ad annum 381. Concilio Ephesino præsedit per suum Legatum S. Cyrillum, Cælestinus Papa, vt constat ex huius ad Cyrillum epistola tom. 1. Concilij Ephesini c. 16. & tres alios Legatos ad Concilium missos, Arcadium videlicet, Proiectum, & Philippum, qui tempestatibus iactati, sub finem Concilij Ephesum appulerunt, vt habetur tomo 2. Concilij Ephel. c. 13. Concilio Chalcedonensi per Legatos Paschasium, Lucentium, Bonifacium, & Basilium præfuit Leo Papa, vt videre est in omnibus Concilij actibus, præsertim actione 3.

Tertia conditio est, vt euocatio Episcorum sit generalis, nec vllus Episcopus, ex quacumque orbis parte adueniat, excludatur; alioqui Concilium non erit generale, sed tantùm prouinciale, vel nationale, &c. colligitur etiam ex cap. 9. dist. 19. & ratio est præter allegatam, quia ad Concilium Prouinciale ab Archiepiscopo omnes Episcopi totius Prouinciæ vocandi sunt. Dist. 18. per totum. Ergo ad Concilium vniuersale Episcopi totius orbis; cùm Papa dicatur Archiepiscopus orbis. Dist. 25. in fine, eiusque Prouincia sit totus mundus: accedit, quod omnes tangit, ab omnibus approbandum esse. De Reg. Iuris in 6. Causa verò fidei, & Religionis omnes tangit. Ergo omnibus vocatis, sed non comparentibus, auctoritas definiendi penes præsentes est, iuxta promissum Christi Matth. 18. [Vbi duo, vel tres in nomine meo sunt congregati, ibi sum in medio eorum.] Non ergo numerus Episcoporum Concilium generale facit, sed ius omnibus factum, & saltem, vt ex maiori parte Christianarum Prouinciarum aliqui adueniant, omnes enim conuenire, res est impossibilis, nec credi debet, voluisse Christum, auctoritatem Ecclesiæ necessariam ad casum, euentumque impossibilem adstringere; & ideò licèt Concilium Carthaginense Nationale tempore D. Augustini Episcopos 217. numerauerit, Concilium verò Constantinopolitanum primum 150. Hoc generale fuit, non illud: & ad Concilia in Oriente habita pauci Occidentalium, sicut ex aduerso ad Concilia Occidentis pauci Orientalium conuenere, nec minùs tamen consensu omnium vniuersalia habita sunt. Vide S. Antonin. 3. p. 1. 23. §. 7. & Bellarminum de Concil. cap. 17.

Reflexio.

Ad istas conditiones stabiliendas, accommodè discernendum est inter Concilij materialem, & formalem generalitatem. Ad illam equidem requirit Auctor præcitatus, vt euocatio Episcoporum sit generalis, ita, vt nullus ex quacumque orbis parte ad Synodum adueniens, citra causam excludatur. At numquid Concilium Hierosolymitanum, cui auctoritate sua Apostolica præerat Petrus, erat Oecumenicum, ad quod tamen haudquaquam vocati sunt vniuersi vel Apostoli, vel etiam Episcopi per orbem tunc dispersi? nisi fortè (quod tamen, præter Paulum, & Barnabam, de reliquis Apostolis negant plerique) dixeris, esse Spiritus sancti instinctu compulsos ad comparendum in eo Hierosolymitano Concilio. Quòd si igitur Concilio huic ita defuisset materialis generalitas, an propterea censendum non esset inter generalia Concilia? At cùm denominationes fieri soleant ex forma, non ex materia, numquid Oecumenica, nempe Apostolica Petri auctoritas, huic Synodo tribuebat suam formalem generalitatem, ex qua meritò dicendum sit generale?

E contra vltra illud Hierosolymitanum Concilium, constat ex tom. 1. Concil. circa initium. plures adhuc celebratas esse ab Apostolis Synodos, quarum vni, alteriue, præcipuè extra Hierosolymam celebratæ, non potest demonstratiuè ostendi, quòd Petrus interfuerit. Anne igitur, si Petri præsentia non interuenisset, sed Pauli, negare fas esset, talem Synodum Apostolicam fuisse Oecumenicam? Numquid enim Paulus Nomen Christi ita præferebat coram Gentibus, & Regibus, & filijs Israel, vt ipsius Apostolica auctoritas esset Generalis, & Oecumenica? Quomodò igitur fieri potuisset, vt Concilio illi non importaret formalem generalitatem, absque interuentu Apostolicæ Petri auctoritati? Quandoqui-

doquidem igitur pars aduersa prætendat, ea ad Apoſtolos Matth. 18. vniuerſim dicta Chriſti verba: [Quidquid alligaueritis &c. quidquid ſolueritis &c.] ita importare Apoſtolicam, atque adeò Oecumenicam auctoritatem, vt hæc etiamnum perduret in Synodis Generalibus, quomodò generatiras illa formalis non æquè ſubſiſteret in Concilijs generalibus abſque interuentu Petri per reliquos Apoſtolos celebraris. In hoc igitur centro ſtat ex parte aduerſa præſentis articuli fundamentum, vti inferiùs expendetur.

CONCLVSIO I.

Ratio quidditatiua Concilii Oecumenici optimè reducitur ad hoc punctum, quòd ſit repræſentans vniuerſam Eccleſiam.

EXplicatur. Ad intentum noſtrum non parùm deſeruit, quod Diuus Auguſtinus epiſt. 164. ſcripſit: Ordinem Epiſcoporum Romanorum verè, & ſalubriter numerari ab ipſo Petro, eo quòd huic totius Eccleſiæ figuram gerenti Dominus dixerit: [Super hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam.] Numquid enim per hoc clarè dicitur Petrus, vtpote totius Eccleſiæ figuram gerens, eſſe repræſentatiuè tota Eccleſia? Numquid autem illa Chriſti verba ad Petrum, cum ordine ad Eccleſiæ portis inferi numquam ſuperandę ſtatum perpetuum, prolata contingunt Petri ſucceſſores, adeò, vt in his, nempe quouis legitimo Romano Pontifice ſubſiſtat iam illa prærogatiua, ſecundùm quam ſit totius Eccleſiæ figuram gerens, ſeu repræſentans Vniuerſalem Eccleſiam? Num verò hinc venit inferendum, illum Concilij Generalis titulum, quòd ſit repræſentans Vniuerſam Eccleſiam, deriuari ex charactere Pontificiæ Chriſti Vicariæ auctoritatis, ceu forma eſſentiali Concilij qua Oecumenici?

Verùm ad hoc magis expendendum deſeruit, ſequentem annotare pro rei præſentis ſtatu maximè accommodam diſtinctionem. Nempe cùm Eccleſia ſit vnum Corpus Hierarchicum, vtique non acephalum, ideò in eius Capite repræſentatur vniuerſa Eccleſia, quoad plenitudinem vicariæ à Chriſto acceptæ poteſtatis, cuiuſmodi tamen auctoritas deriuatur participatiuè in quarumlibet particularium Eccleſiarum, ceu vnius Corporis Hierarchici membrorum, Epiſcopos. Vnde in eiuſmodi corpore Hierarchico eatenus eſt repræſentatio totius Eccleſiæ quoad poteſtatem gubernatiuam, vt in Summo Pontifice ſit tamquam in Capite, in reliquis autem Epiſcopis tamquam membris illi Capiti ſubordinatis. Si proinde Caput cum membris in Concilio Oecumenico conueniat, tunc abſolutè dicere licet, eiuſmodi Synodum repræſentare Vniuerſam Eccleſiam, ceu corpus politicum, ſiue Myſticum, conſtans ex Capite, & membris Hierarchicis huic ſubordinatis. Si verò (dum præſertim Eccleſia eſt Capite deſtituta) Epiſcopi ex vniuerſa Eccleſia congregentur in Concilium, tunc in hoc eſt Eccleſia repræſentatiuè, non abſolutè, ſed cum addito tacitè ſaltem ſubintellecto, nempe quoad corpus acephalum: ipſe verò Summus Pontifex ita dici poteſt totius Eccleſiæ figuram gerere, ſeu repræſentare vniuerſam Eccleſiam, vt tacitè ſubintelligatur, iſtam repræſentationem conuenire Papæ in virtute Capitis, ſeu vicariæ Chriſti auctoritatis.

Hoc iam adaptando Concilijs tum Conſtantienſi, tum Baſileenſi, non ineptè ſit ſequens conſideratio, quòd nempe Concilium Conſtantienſe fuerit in ſtatu tendentiæ ad certum aliquod Caput conſtituendum. Quemadmodùm igitur corpus organicum etiam pro priori, formæ rationalis informationem antecedenti, iam verè dici poteſt humanum, non equidem abſolutè, ſed cum tacito ſaltem addito diſpoſitiuè, & materialiter; ſic Synodus conflata ex totius orbis Chriſtiani Epiſcopis, non adhuc equidem informata charactere Vicarij Nominis Chriſti, ſubſiſtens tamen ſub tendentia ad Vicariam Chriſti auctoritatem intrà ſuum gremium recipiendam, vt ab ea, ceu forma ſua eſſentiali, perficiatur, iam dici poteſt materialiter Oecumenicum, repræſentanſque Vniuerſam Eccleſiam, cum intrinſeca habitudine ad formalem quoque characterem Vicariæ, totam Eccleſiam ſupereminenter repræſentantis, poteſtatis Apoſtolicæ, eatenus recipiendum, vt ex tunc abſolutè appellanda ſit Oecumenica, repræſentans vniuerſam Eccleſiam.

Econtra verò Synodus Baſileenſis, ex quo legitimus Pontifex Apoſtolicæ auctoritatis ſuæ characterem ei ſubtraxit, cùm non tantùm non eſſet in diſpoſitione ad eum recipiendum, ſed per ſchiſma à ſemet introductum, eſſet in diſpoſitione contraria, ne quidem materialiter poterat ex tunc dici repræſentans vniuerſam Eccleſiam, quippe cùm de eſſentia materiæ ſit aptitudo ad formam ſui perfectiuam, eiuſmodi verò ad Apoſtolicæ Chriſti Vicariæ auctoritatem recipiendam aptitudinis expers prorsùs facta ſit illa Baſileenſis Synodus, ex quo per ſchiſma ſe auulſit à legitimo Summo Pontifice. Quibus ſic conſtitutis, nullum prorsùs dubium eſſe poteſt, quòd Concilium Tridentinum abſolutè fuerit repræſentans Eccleſiam Vniuerſam, à quo tamen titulo propter æquiuocationem tunc ex Baſileenſis Synodi iniqua vſurpatione tum ex adiuncta clauſula inferiùs examinanda oborram, videbatur pro tunc conſultiùs abſtineri.

CONCLVSIO II.

Concilium Oecumenicum rectè definitur Conuentus Epiſcoporum ex toto Chriſtiano orbe conuocandorum, ſed in pauciſſimo licèt numero comparentium Apoſtolica, Chriſti nomen præferente, auctoritate informatus.

EXplicatur. Sub Chriſti Nomine venire auctoritatem Apoſtolicam, euincitur etiam ex Act. 9. cap. verſ. 15. vbi Dominus de Saulo ad ſe conuerſo dixit Ananiæ: [Vade, quoniam vas eſt electionis, vt portet nomen meum

meum coram gentibus, & Regibus, & filijs Israel.] Hisce namque verbis Christus Saulum sibi elegit in Apostolum, qui tamquam Legatus suus portaret nomen suum. Sub hoc igitur Christi nomine intelligebatur auctoritas Apostolica Paulo destinata, vt, quemadmodùm Legatus cuiuspiam Regis portat huius nomen, quatenus ex commissione Regiæ auctoritatis in se transfusæ peragit negotia sibi à Rege demandata, sic quia Apostoli, ipsomet Paulo attestante, pro Christo fungebautur legatione, ideo probant nomen Christi: sicque sub ipso Apostolicæ auctoritatis charactere præferunt Christi nomen. Istud nomen Christi Apostolicæ auctoritatis charactere denotatum, est forma Concilij Oecumenici per Christum sancita sub illis Christi Domini verbis Matth. 18. exaratis. [Vbi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi sum in medio eorum. At verò character auctoritatis Apostolicæ, postquam Apostoli ex Ecclesia militante sunt translati in triumphantem Ecclesiam, in nullo alio de facto existit, quàm in Romano Pontifice. Quia igitur nomen Christi, sub cuius charactere subsistit forma Concilij Oecumenici, importatur in auctoritate Apostolica, idcircò absque huius, ceu formæ essentialis interuentu, nequit iam vllum excogitari Concilium Oecumenicum.

Dices. Episcopos esse successores Apostolorum, quibus potestas Iurisdictionis data est immediatè à Christo, siquidem Christus non ad solum Petrum, sed ad vniuersos Apostolos dixerit Matth. 18. [Quæcumque alligaueritis super terram, erunt ligata, & in Cælis, & quæcumque solueritis super terram, erunt soluta, & in Cælis] Quòd si ergo Episcopi conueniant in vno Generali Concilio, iam ex se ipsis præferre characterem illius Apostolicæ auctoritatis, atque adeò Concilium eiusmodi fore non materialiter dumtaxat Generale, sed formaliter Oecumenicum.

Verùm nefas est, dicere, quòd Episcopi in Apostolica, vt sic ad vniuersum orbem se extendente, successerint etiam quoad partem dumtaxat eiusmodi Iurisdictionis, licèt quoad Ordinem consecrationis meritò dicantur Apostolorum successores, quatenus scilicet eodem cum Apostolis potiuntur Ordinis Episcopalis charactere, importante equidem radicalem quamdam spiritualis erga Christianos, sibi per Papam designandos iurisdictionis exigentiam, non ineptè dici solitam radicalem iurisdictionis, minimè tamen reducendam in actualis iurisdictionis statum, nisi ex Summi Pontificis concessione, veluti Diuus Thomas 4. contra Gent. cap. 74. rat. 41. eleganter nos edocet [Christum specialiter promisisse Petro: tibi dabo claues Regni Cælorum; vt ostenderetur potestas Clauium per eum ad alios deriuanda, ad conseruandam Ecclesiæ vnitatem. Vnde in 4. dist. 20. quæst. vn. art. 4. quæstiune. 3. ait, quòd Papa habeat plenitudinem potestatis Pontificalis quasi Rex in Regno: Episcopi autem assumantur in partem sollicitudinis pastoralis, quasi Iudices singuli ciuitatibus prepositi.]

Nec obstat, quòd Paulus Act. 20. dicat, Episcopos esse positos à Spiritu sancto regere Ecclesiam Dei. Vnde videtur euinci, ab ipsomet Spiritu sancto, adeoque Diuinitus conuenire Episcopis potestatem gubernatiuam in Ecclesia. Nam ea Apostoli sententia eatenus intelligenda est, quatenus in ipsamet Apostolicæ potestatis, qua ordinariæ in successores transferibilis, non nisi Petro concessæ, collatione ac institutione suberat præceptum Diuinum de ordine Hierarchico Ecclesiæ instituendo, atque adeo de creandis Episcopis, vocandisque à Papa in partem suæ pastoralis solicitudinis. Quare ex vi huius Diuinæ institutionis in actu quasi signato spectatæ, cuius executio est Papæ Diuinitus præcepta, verissimè dicuntur Episcopi Diuinitus positi à Spiritu sancto ad regendam Ecclesiam Dei, licèt in via executionis, quoad actualem potestatis in Ecclesia gubernatiuè exercitè faciendam collationem, eatenus dependeant à Papa, vt non nisi ex isto secundùm viam potestatis ordinariæ, ex cæteris autem Apostolis secundùm viam extraordinariæ dumtaxat, & quasi personalis, atque adeò cum ipsorum personis extinctæ à Christo sibi commissæ legationis, possit in quemquam Episcoporum esse, vel fuisse vnquam deriuata aliqua Ecclesiastica Iurisdictio. Vnde tantum abest, in Episcoporum, quantumuis ex toto orbe Christiano confluentium, materialiter generali conuentu subsistere nomen Christi, siue characterem Apostolicæ auctoritatis, quamdiu non interuenit Summi Pontificis Oecumenica auctoritas, vt absque huius gratiosa concessione, ne ius quidem obtinere valeant, cum cæteris à Sede Apostolica iam confirmatis Episcopis interueniendi, Oecumenicæ Synodo.

Replicabis. Quandoquidem in cæteris, vltra Petrum, Apostolis, non quidem per viam ordinariæ potestatis, sed per viam extraordinariam personalis legationis, subsisteret Apostolicæ auctoritatis character, in vi cuius intrà Ecclesiam portarent Christi nomen, fore consequens, Petro etiam non interueniente, potuisse à reliquis Apostolis celebrari Oecumenicum Concilium, ex Christi nomine, seu auctoritatis Apostolicæ charactere formaliter constitutum.

Verùm hoc etiam posito, cùm reliquorum, vltra Petrum, Apostolorum auctoritas Apostolica, vtpote se habens per modum legationis personalis, expirarit cum ipsorum personis, firmum adhuc subsisteret, saltem pro statu præsenti, impossibile esse, quòd character Concilij Oecumenici formaliter constitutiuus, absque interuentu Petri successoris, intercedere valeret. Haud equidem dubium est, Pauli auctoritatem Apostolicam fuisse verè Legislatiuam, ipsomet 1. ad Thessalonicenses 4. dicente: Scitis, quæ præcepta dederim vobis. Nec dum est, quin hic Apostolus habuerit sibi assistentem Spiritum sanctum, ex quo condere valebat fidei dogma de solubilitate matrimonij etiam quoad vinculum, quando viro ad fidem conuerso, vel è contra, mulier, in infidelitate contumaciter persistens, erat illi occasio iniuriæ erga Creatorem. Quam proinde Diuinitus concessam auctoritatem, quia Apostolus ille ex se solo exercuerat, vtique potuisset etiam in, & cum Concilio aliquo per semel aggregato eam exercere. Nihilominùs tale Concilium, quan-

tumuis auctoritate eiusmodi Apostolica, vel etiam speciali quapiam Paulo concessa reuelatione Diuina munitum, & informatum fuisset, strictè loquendo, haud dicendum fuisse Oecumenicum, patebit ex sequenti disquisitione rametsi, æquiualenter, ac virtualiter posset taliter denominari ex omnimodæ in rebus fidei decernendis, infallibilitati sibi assistentis charactere.

Corollarium.

EX dictis iam facile est, definire sequentes in nostro primo Inextinctæ veritatis sacri Concilij Tridentini tomo tract. procemiali q.1.& 2. fuisse discussas disquisitiones 1. An Ordinaria, & perpetua potestas conuocandi Concilium Generale, & Oecumenicum sit penes solum Romanum Pontificem? 2. Vtrùm in Concilio Generali suffragandi potestas sit penes solos Prælatos maiores, hoc est, Episcopos, Archiepiscopos: extraordinariè verò penes Cardinales, Abbates, & Generales Ordinum? Quarum adeò disquisitionum resolutiones eo loco factas, ex parte saltem huc reuocare placuit.

Infertur igitur 1. Eo ipso, quòd Romano Pontifici sit proprium, præferre non Christi, sed Vicariam eius auctoritatem, ipsi soli ius est,eduuocandi Oecumenicum Concilium. Ratio huius fundamentaliter petenda est ex illis Christi Domini Matth. 16. ad Petrum prolatis verbis: Tu es Petrus; & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam: & tibi dabo claues Regni Cælorum, & quodcumque solueris super terram erit solutum, & incælis &c. Etenim conuocatio Synodi Oecumenicæ ad illum spectat, qui & auctoritatem præcipuam habet in fidei dogmatibus ex illibato Dei verbo sanciendis, & potestatem, vniuersos Christi fideles suis præceptis,obligandi, in ijs præsertim materijs, quæ fidem ac Religionem: totiusque Ecclesiæ vnitatem, & conseruationem concernunt: hic enim vnicus est scopus, ac finis Conciliorum vniuersalium, tum fidei Dogmata aduersùs hæreses ex sacris Litteris sanciendi, itaque Ecclesiam Orthodoxam seruandi immunem ab erroribus fidei contrarijs, tum leges Religioni, ac cultui Diuino consentaneas pro Ecclesiasticis præsertim statuendi. Atqui ex prætactis Christi Domini verbis efficaciter demonstratur, potestatem vniuersos Christi fideles in materijs fidem præcipuè ac Religionem, Ecclesiæque adeò vnitatem, & conseruationem concernentibus obligandi, esse penes legitimum Petri successorem, nempe Romanum Pontificem.

Minor ista probatur. Nam ad Petrum demonstratiuè, ac determinatiuè diriguntur illa Christi Domini verba, quibus indefinitè, ac vniuersaliter promissa est potestas Clauium, in ordine ad soluendum, ac ligandum, atque adeò ad ferendum leges, itaque hisce medijs, ad obligandum fideles in materijs fidem, & Religionem, Ecclesiæque vnitatem concernentibus. Illa ipsa autem verba secundum clarum sacri Textus tenorem, sunt à Christo Domino prolata cum connexione ad præcedentia: Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam. Vnde planum est, illam potestatem Petro promissam, esse conuexam cum Ecclesiæ per Christum fundatam. At potestas connexa cum statu Ecclesiæ per Christum fundatæ durare debet, quamdiu talis Ecclesiæ status subsistit. Eo ipso autem, quòd Christus Dominus promiserit aduersùs Ecclesiam à se fundandam portas inferi non fore præualituras, sequitur, Ecclesiæ huiusmodi statum fore perpetuum, adeòque duraturum vsque ad extremi iudicij diem. Oportet igitur, secundùm Christi Domini verba, illam indefinitam, & vniuersalem ligandi,ac soluendi potestatem non expirasse in Petro per martyrium in cælos sublato,sed perpetuo duraturam esse vsque ad diem iudicij. At potestas cum Ecclesiæ statu perpetuò connexa, atque adeò perpetua secundùm ipsam rei naturam, ita transit in successores, vt ij cum suo antecessore reputentur vna persona non quidem materialiter,sed formaliter, quoad potestatem officij Pastoralis. Oportet igitur, secundùm Christi Domini promissionem, in Ecclesia talem esse successionem, vi cuius perpetuò subsistat illa Diuinitus promissa, indefinita, & vniuersalis ligandi ac soluendi potestas, omnimodam adeò respectu Ecclesiæ omnes Christi fideles complectentis, iudiciariam, & legislatiuam auctoritatem importans.Atqui alibi demonstratur à nobis, istam Petri successionem stare penes Ecclesiam Romanam, siue eius Pontificem. In hoc igitur ex iure Diuino, Christi Domini promissione firmato, stat omnimoda iudiciaria, ac legislatina ligandi, & soluendi potestas, in ordine ad Ecclesiam à Christo fundatam, complectentem vniuersos, qui per Baptisma fidem concipiendo, in Ecclesiæ vnitatem sunt aggregati.

Cùm igitur conuocatio Concilij ad illum spectet, qui auctoritatem præcipuam habet in fidei dogmatibus ex illibato Dei verbo sanciendis, fidelesque in materijs fidem,ac Religionem, Ecclesiæque vnitatem concernentibus obligandi, eiusmodi verò auctoritas sit penes Romanum Pontificem, ideitcò indubitatum est, eam conuocandæ Oecumenicæ Synodi potestatem esse penes Pontificem Romanum.

Infertur 2. In Concilio Generali suffragandi potestatem ordinariè esse penes solos Episcopos,& Archiepiscopos, extraordinariè verò penes Cardinales, & Abbates: ac Generales Ordinum. Ratio est. Huius namque resolutionis fundamentum desumendum est exipsamet Diuina Concilij Oecumenici institutione à Christo Domino Matth.18.sancita, in vi cuius Concilium Ecclesiæ non est legitimum, nisi congregetur in nomine Christi, id est, Vicaria in terris visibili Christi auctoritate. Ex hoc enim principio fit consequens quòd omnes illi ius suffragij habeant in Oecumenico Concilio, qui nomine Christi, siue huius vicaria in solo Romano Pontifice residente auctoritate sunt congregati, ad fidei controuersias dijudicandas, & decidendas, his enim tale auctoritate in vnum congregatis præstò est assistentia Diuina Christi promittentis, se in medio eorum fore. At verò sicuti Episcopi ordinario Hierarchiæ Ecclesiasticæ iure, Cardinales autem

ac

ac Abbates extraordinaria Priuilegij Apostolici facultate sunt à Pontifice vocati in partem pastoralis sollicitudinis, sic omnes isti iure tum Ordinario, tum Extraordinario eiusdem Pontificis auctoritate Christi vicaria, atque adeò nomine Christi in Concilijs Oecumenicis ad fidei controuersias definiendas, hæresesque in Ecclesia oborras damnandas, congregantur ex antiquissimo Ecclesiæ more.

Sic enim (Pallauicino lib.6. Hist. Concil. Trident. cap.2. num.4. id probante) non in tribus postremis solùm Concilijs, Constantiensi, Florentino, ac Lateranensi Generales Ordinum Religiosorum præfecti, atque Abbates potestate suffragandi vsi; sed in Viennensi in Gallia, in duobus Lugdunensibus, & in alijs quatuor Lateranensibus iuxtà ac Episcopi habiti sunt. Cuius etiam moris vestigium satis apparet in septima Orientali Synodo, vbi in secunda Actione Monachi pariter aduocantur ad suam sententiam proferendam: & in Actione quarta Archimandritæ & Hegumeni, hoc est, Ductores, vnius, vel plurium Monasteriorum præfecturā gerentes, vnà cum Episcopis sua nomina decretis Fidei subscribebant. Huc accedit, Abbates, cùm inaugurantur, obstringere se iteiurando, itidem ac Episcopi solent, vt Concilio intersint, vbi à Pontifice aduocentur. In Romanæ pariter Ecclesiæ Ritualibus connumerantur Abbates inter eos, qui ius suffragij obtinent in Concilijs; additurque, id posteà meritò ad Religiosorum summos Præsides inductum.

Ex quibus proinde liquet, Episcopos ex Ordinarij Iuris potestate, Abbates verò ex priuilegio veteris consuetudinis, habere illum characterem, vi cuius obtineant ius suffragandi in Concilijs Oecumenicis: dum in nomine, id est, Vicaria Christi auctoritate congregantur.

Infertur 3. Pontificiam auctoritatem in hoc equidem æquiparari cum suprema politica Regia potestate, quòd vtraque formaliter in se, ac in abstracto, secundùm suæ essentiæ institutionem spectata, sit Iuris Diuini, attamen discrepare in hoc vel maximè, quòd illius, non istius collatio, atque adeò ad certum indiuiduum suppositum applicatio subiectiua, sit etiam quoad intrinsecam suam rationem Iuris Diuini. Vnde sit consequens, Regiam quidem potestatem quoad sui moralem applicabilitatem, seu subiectiuam, seu effectiuam, qua in Regnum Cœlorum ordinabilem, subesse clauibus Ecclesiæ, attamen in ordine ad subiectiuam Papalis eminentię applicabilitatem in terris nullam esse auctoritatem, quæ super ea se possit ingerere, licèt quoad modum electionis solùm accidentariæ, Ecclesiæ sit potestas, super eo decernendi; proùt dicetur in subsequentibus præcipuè Disquisit. Vbi exactior exhibebitur resolutio dubij in præs. Disquisit. §.1. num. 5. adducti.

DISQVISITIO II.

In quo centro versetur præsentis articuli difficultas?

§. I.

Concilium Vniuersale in quadruplici statu considerari potest. 1. Tamquam acephalum, viuente etiam Pontifice, absque eius auctoritate, & consensu congregatum: Vt sic autem nullam omninò habet potestatem condendi leges obligantes Ecclesiam, siquidem ista auctoritas legatur Petro, eiusque successoribus, non autem vniuersitati Prælatorum Ecclesiasticorum data, quin potiùs istis etiam congregatis tamquam membris non aliter competat, nisi per deriuationem ex concessione Pontificia. Eo ipso autem, quòd Concilium absque Pontificis auctoritate sit congregatum, caret tunc Capite, ex cuius influxu participare possit iurisdictionem.

2. Potest Concilium esse congregatum auctoritate Pontificia, atque tunc controuertitur inter Doctores, an vi conuocationis eo ipso habeat à Pontifice potestatem ferendi leges, quæ antecedenter ad Pontificis approbationem ligarent Ecclesiam. Affirmant enim Bonacina disp.1. quæst.1. par.3. num.13. Victoria in relect. de potestate Papæ quæst. 1. num.6. Econtra Caietanus opusc. de compatar. Papæ, & Concilij. Nauarrus lib. Cons. tit. de Concil. cons.1. num.2. Castropalaus de legibus. punc.23. num.15. & alij arbitrantur, ex vi illius auctoritatiuæ conuocationis summum Pontificem potestatis suæ de vniuersali Ecclesia per leges obliganda delegationem non in tantum facere, quin pro tali obligatione introducenda, opus adhuc sit approbatione Pontificia, eò vel maximè, quòd omnia Concilia Generalia soleant à Summo Pontifice postulare Decretorum suorum confirmationem, veluti à Concilio quoque Tridentino Sess.25. in fine factum constat. Vnde videtur euinci, quòd ipsamet etiam Concilia Generalia iudicent, leges suas, ad obligationem toti Ecclesiæ inducendam; indigere adhuc approbatione Pontificia.

3. De Concilio auctoritate Papæ congregato, posset moueri difficultas; An ipsi per Summum Pontificem posset fieri talis delegatio iurisdictionis suæ Pontificiæ, vt vi talis delegationis leges quæcumque statutæ, eo ipso absque vlteriori Pontificis approbatione ligarent vniuersalem Ecclesiam? In quo equidem affirmat Salas de legib. disp. 8. sect. 19. num.92. Econtra negat Suarez cit. lib. 4. cap.6. in fine, eò quòd leges Canonicæ obligantes totam Ecclesiam, proficisci debeant à potestate, quæ in rebus ad mores pertinentibus errare non possit. Hæc autem potestas pendens à speciali Spiritus sancti directione Pontifici promissa, æquè non est delegabilis, atque potestas articulos fidei definiendi delegari non possit. Verùm Castropalaus cit. punct.23. num. 30. videtur optimè distinxisse. Aliæ enim sunt leges, quæ non tam sunt

positiuæ constitutiones, quàm definitiones fidei, & conclusiones ex principijs tum reuelatis, tum naturalibus deductæ: cuiusmodi censetur esse lex prohibens matrimonia eunuchorum, bigamiam, coitum vagum, mutuum dare sub vsuris, & fortè præscriptionem rei mala fide possessæ. At eo ipso, quòd assistentia Spiritus sancti ad eiusmodi leges requisita delegari nequeat, sequitur, neque potestatem leges eiusmodi ferendi esse à Pontifice delegabilem. Aliæ proindè leges sunt per modum positiuæ constitutionis, nonnisi remotè ad salutem pertinentes, vtpotè quibus etiam non existentibus, salus obtineri posset, cuiusmodi v. g. sunt leges statuentes peculiaria quædam ieiunia, seu beneficia acquirendi modum, vel accidentarias Missæ sacrificij cæremonias. In his autem, cùm non sit opus infallibili Spiritus sancti assistentia, videtur omninò, potestatem legislatiuam esse delegabilem.

4. Denique Concilium Generale potest esse congregatum, vel deficiente Summo Pontifice, vtpote in hæresim lapso, atque adeò auctoritate sua, (quæ nonnisi Capiti, atque adeò membro Ecclesiæ per Christum concessa est) destituto, vel schismate, ratione cuius de legitimo Papa dubitatur, interueniente. In quibus adeò casibus ex ipso iure naturali, ne scilicet Ecclesia omni remedio videatur destituta, posse Concilium taliter congregatum, condere leges Ecclesiæ gubernationi pro illo statu necessarias, non tamen perpetuò; nisi posteà per summum Pontificem approbentur, pro vniuersali Ecclesia duraturas: Suarez citatus num. 4. & ex ipso Castropalao num. 16. probant ex eo, quòd non alia tunc sit Concilio potestas, nisi quæ ex iure diuino naturali in quolibet Corpore Mystico consequitur, vt supremo Capite deficiente, possit se gubernare, ac tueri per particulares in vnum Corpus vnitos principes: eiusmodi verò potestas sit restricta ad talem necessitatis statum.

Quos singulos Concilij Vniuersalis status in subsequentibus pro rei exigentia examinabimus, vnicè hic expensuri statum secundi triplicem difficultatem, quæ in eo se tenet; [Vtrùm Concilio Generali per auctoritatem Pontificiam legitimè congregato, atque per huius Pontificij, Vicarium Christi nomen præferentis characteris concursum solemnizato, competat specialis prærogatiua, ex qua obtineat quamdam supra Pontificem, seu maioritatis, seu superioritatis speciem? Siue: An Concilium Romani Pontificis auctoritate congregatum, sicque in primæua sui apertione Christi Vicario charactere insignitum, ex tunc habeat immediatam à Christo auctoritatem, in vi cuius ex seipso, absque auctoritatis Pontificiæ concursu, reputari possit Oecumenicum, nec adeò ad solius Pontificis voluntatem dissolui ampliùs valeat? Vel? Vtrùm Concilium taliter congregatum, eatenus sit repræsentans vniuersam Ecclesiam, vt Papa non debeat, vel etiam possit dici Caput illius?]

non

§. II.

Referuntur sententiæ, & argumenta Aduersariorum cum congruis Doctorum nobiscum sentientium ad ea responsionibus, & aliquali super istis reflexione.

ARGVMENTVM I.

AD rei huius accuratiorem elucidationem, operæ pretium videtur, primo loco in partis aduersæ fauorem proferre in medium, quæ ad præsens institutum agitabantur in sacro Oecumenico Tridentino Concilio; prout videre est apud Pallauicinum lib. 19. eiusdem hist. cap. 14. num. 5. cap. 15. num. 3. Nempè pro subsecutura Sessione 23. inter alios de Ordinis sacramento Canones, octauus fuerat in hunc modum efformatus: [Anathema sit, si quis dixerit, B. Petrum per institutionem Christi non fuisse primum inter Apostolos, & eius Vicarium in terra; vel necesse non esse, vt sit in Ecclesia vnus Pontifex Petri Successor, eique æqualis in auctoritate regiminis, atque in Romana Sede legitimos eius Successores ad hoc vsque tempus non habuisse ius Principatus in Ecclesia, nec fuisse Patres, Pastores, Doctores omnium Christianorum, nec ipsis traditam à Domino nostro Iesu Christo plenam potestatem pascendi, regendi, & gubernandi Ecclesiam vniuersalem.] In hac Canonis norma Episcopi, ac Theologi Galli improbabant, quòd diceretur: Romanum Pontificem esse Petro æqualem in auctoritate regendi: quippe cùm Apostolus iste potuerit aliqua conficere, v. g. libros Canonicos dictare, quæ Successoribus ipsius non fuerunt concessa. Vellicabat etiam animos Gallorum, ne vllam sinerent irrepere voculam, quæ officeret propositioni, quam Ferrerius Galliæ Regis Orator coram Legatis Pontificijs quasi pro certissimo principio ponebat: Concilium nempè supra Romanum Pontificem esse: Religionem, & Gallicanam Ecclesiam non modò id sentire, sed profiteri, & iureiurando affirmare tanquam articulum necessarium; idque iure optimo ex Concilij Constantiensis auctoritate. Præscribi quidem sibi in mandatis Regijs, ne huiusmodi controuersiam excitarent, sed simul, ne sinerent liberum aditum cuilibet verbo, quod illi ipsorum Religioni opponeretur.

Hinc Seripandus Legatus Pontificius ad Ferrerium conuersus, dixit: allatum ab illo fundamentum Synodi Constantiensis haud solidum esse: id temporis certum Pontificem non extitisse, atque hinc ad schisma sedandum, opus fuisse, vt declaratio ad Synodum pertineret, adeòque, vt illa præesset cunctis illis Pontificibus litigiosis. At in præsentia viuere inter Catholicos supremum Pontificem certum, legitimum, atque indubitatum, cui vniuersa Ecclesia subdebatur. Varijs exinde modis per literas Pontificias Roma allatas propositis, ad componenda cum exteris nationibus dissidia, videbantur cuncta haud diffi-

difficulter perfici posse, vnico excepto, nimirum ne concederetur Pontifici, quod à Florentina Synodo ipsi tribuebatur, hoc est, illi deberi Vniuersalis Ecclesiæ regimen. Iniquissimè id negari, reponebatur, quando etiam ante eam Synodum in eo cognouerat alia Synodus Oecumenica, in Gallia Lugduni celebrata: & quando apparebat in vetustissimis diplomatibus præsens consuetudo appellandi Romanum Pontificem Episcopum Ecclesiæ Catholicæ, quod tantum sonat, quantum vniuersalis: quin etiam, quando ritus est à Cæsare vsurpatus, cùm ad Pontificem scribit, vt apponat inscriptioni: [Ad Romanum Pontificem Vniuersalis Ecclesiæ.] Verumtamen addebatur in ijs literis, ne cum alieni animi duritie decertaretur, posse loco dictarum vocum hanc poni, [Regere vniuersum Domini gregem,] quo pacto loquitur Innocentius IV. cap. 5. de schismate. lib. 6. Decretalium: aut etiam posse illic relinqui simplicem vocem Ecclesiæ Dei, omissa Vniuersalis, dummodò alia quæpiam vox mutaretur ex vsurpatis à Concilio Florentino, nec in hac tantummodò mutatio deprehenderetur.

Multis hanc in rem actitatis, teste Pallauicino cit. historiæ Trid. lib. 21. cap. 12. propositum fuit, quòd in Pontifice esset potestas pascendi cunctas Christi oues: sed vox illa cunctas videbatur importare sensum distributiuum, non collectiuum, cùm significet vnamquamque ouem, non gregem integrum, quà coeuntem in vnum. Actum propterea fuit de adjiciendis Canoni super Summorum Pontificum auctoritate illis verbis: Vniuersales Ecclesiæ Pastores, desumptis ex Cõcilio Lugdunensi, adeòque maioris apud Gallos auctoritatis, maximè, quod legebatur, hoc ipsum Concilium adductum à Basileensi: & loco particulæ Oues Christi; cogitatum est de voce collectiua, hoc est, Gregem Domini, quemadmodùm pro locutione Innocentij IV. censuerat Pius, ad Legatos scibens, prætereaque expetens, vt exprimeretur: [Petrum accepisse à Christo plenitudinem potestatis.

Aliud exemplar exhibuerant Præsules Galli, quo volebant, vt Pontifex appellaretur Rector non Vniuersalis Ecclesiæ, sed Ecclesiæ Catholicæ. Quæ vox tametsi videretur idem valere, à compluribus tamen repudiabatur, tamquam dubia, quando nomen Catholici aptum etiam est ad significandum fidelem, adeòque omnis Fidelium Episcopus dici quodammodò potest Episcopus Ecclesiæ Catholicæ, quemadmodùm in quinta Synodo Generali Augustinus dicebatur Episcopus Ecclesiæ Catholicæ. Et S. Cyprianus legitur voluisse, vt hæretici in Ecclesiæ sinum recepti, Cornelium non solùm confiterentur Pastorem Ecclesiæ Catholicæ, sed cum ista explicatione, id est, Vniuersalis, quòd scilicèt hoc posterius vocabulum auferret quamdam dubitationem prioris. Et ideò videtur in Synodo Lugdunensi attributum Romano Pontifici epitheton Vniuersalis. Quòd si idem vtraque Catholici, & Vniuersalis voce significaretur, quemadmodùm Galli dicebant, cur earum vtralibet æquè non admitteretur? Tamen existimabatur, posse temperamentum capi, si diceretur Pontifex totius Ecclesiæ Catholicæ. Et sanè complures auctores erant, vt etiam absque addito acciperetur vox illa Catholicæ, quippe quæ extat in symbolo, quæque propterea vsurpatur à Summis Pontificibus in solemnibus ipsorum subscriptionibus, adeòque vbi illi voci non acquiescerent, quod ammodò se in his detrimentum passos faterentur. Sed contra reponebatur, plus quæri claritatis, postquàm recentes hæreses conatæ sunt peruersis interpretationibus obscurare antiquæ Scripturæ, Ecclesiæque vocabula. Hinc namque necessitatem ortam esse, non solùm nouas in Concilijs definitiones edendi, sed interdum voces symbolo adjiciendi.

Dum omni studio dabatur opera, vt exemplar propositum per voces cunctis acceptas conficeretur, Nuncius improuisus Cardinalis Lotharingi ad Legatos delatus, ipsos ab opere distraxit: [A se suam illam ideam fuisse propositam Gallis Episcopis, & dum confidebat, eos vniuersè illi assensuros, in pluribus repugnantiam ineluctabilem fuisse offensam, se præstò esse ad eam per se subscribendam, sed absque spe, vt à Synodo comprobaretur.] Hoc Nuntio spes omnis in Legatis euanuit, vt vlla reperiretur ratio, qua cunctis satisfieret in memoratis quæstionibus de Summi Pontificis præcipuè auctoritate. Quamobrem in priuato ipsorum cœtu, mutato proposito actum est de nouo ineundo consilio, & in hanc sententiam conuenerunt, restrictiores Canones esse formandos, in quibus omitteretur, quidquid ad controuersos articulos attinebat, adeò, vt nihil cuiquam recusandum, sed tantummodò desiderandum aliquid appareret. Hac ratione sperandum communem Patrum consensum, qui post tam diuturnam contentionem neutri sperantes, aduersarios aut ad se adductum, aut à se separatum iri, nollent à dubio clarum impediri.

Ex qua Actorum serie videtur pro parte aduersa sequens concludi posse argumentum, ipsosmet etiam Pontificios Legatos in casu dubij Pontificis concessisse Concilio super eo superioritatem. At hæc, oportet, vt habeant fundamentum ex sacris Literis: vix autem ostendi potest ex harum verbis, quæ statuunt de Concilio, continere aliquam vocem ad casum dubij Pontificis restrictiuam, quò minùs erga Pontificem, præcipuè facinorosum, locus esse posset correctoriæ Concilij virgæ etiam coercitiuæ. Deindè ipsummet Pontificem Pium Secundum, eiusque Legatos, vnà cum toto Patrum cœtu, censuisse dissimulandum, super illis quæstionibus de superioritate Concilij supra Papam, & an Pontifex dicendus esset Vniuersalis Ecclesiæ, dum sub hac voce videretur Papæ attribuenda maioritas erga Vniuersalem Ecclesiam, atque adeò erga Concilium, Vniuersam Ecclesiam repræsentans. Hæc autem dissimulatio à mota illa quæstione vltra centum iam annos progressa, an non facit argumentum, quòd sententia superioritatem Concilij supra Papam adstruens, saltem non pugnet cum fide, seu sacris Literis? Quomodò enim aliàs tanto tempore tolerari potuisset? Cur ergo, dum ea propositio hodie asseritur à Clero Gallicano, tantopere commouetur Romana Curia, & non potiùs Patrum Concilij Tridentini amplectitur consilium de ea dissimulanda?

Re-

Responsio.

Quando Papa est dubius, nempe in schismate creatus, dum constare non potest, quis ex pluribus electis sit legitimus, posse Concilium Generale super eo ferre iudicium, est casus expressè definitus in Concilio Constantiensi Sess. 4. & 5. Cuius definitionis adfertur ratio, quòd tunc Concilium non exerceat potestatem in Papæ auctoritatem, sed in eum, quem credit, non esse Papam; nam dubius Papa, de quo non constat, pro nullo habetur, cum in Iure sint paria non esse, & non apparere. Lege Duo sunt Titij 30. ff. De testament. Tut. Leg. In lege 77. ff. De contrahenda emptione. Leg. Omnia 32. §. Species, ff. De legat. 2.

Deindè cur Patres Concilij Tridentini cum Pontificijs Legatis, imò ipsomet Papa dissimularint circa eas de Romano Pontifice quæstiones, specialis interuenerat ratio: tum quòd sacra Synodus vnicè fuerit pro tunc intenta ad Neotericorum hæreses notandas, fideique aduersùs istas decreta, & Canones edendos, abstrahendo à quibuscumque inter Catholicos controuersijs, fidei etiam materiàm, hactenus tamen indecisam, concernentibus: tum quòd Galli, seù Præsules, seù Oratores æquè habuerint Regis sui mandatum, abstrahendi à quæstione superioritatis Concilij erga Papam, dum opportunum haud fuerat, tales inter Catholicos moueri contentiones, ex quibus hæretici, quibus eo tempore superabundabat Gallia, plausum sibi aduersus sacram Synodum facilè conciliassent. Quæ proindè dissimulatio æquè nullum præbet Gallorum sententiæ qualiscumque firmitatis argumentum, atque innumeræ aliæ quæstiones de quapiam fidei veritate inter Catholicos Doctores motæ, dum indecisæ in suo controuerso statu relinquuntur ab Ecclesia, ex huius tolerantia nullum prorsùs alicuius roboris momentum recipiunt. Quod tantò magis locum habet circa illam Gallorum sententiam, quantò maior, ac specialior suberat ratio dissimulandi ad tempus magis opportunum, vel ex variatione circumstantiarum causa magis vrgens quæstionis huiusmodi decisionem. Enim verò cùm Clerus Gallicanus, vbi Galliæ Regnum ab hæresi Caluiniana, seù Hugonottica se expurgatum cernere cœpit, illam sententiam tanta cum solemnitate in cœtu Episcoporum, sub Regio etiam edicto, firmauit, & promulgari fecit, num tutum iam sit, ex parte sacræ Curiæ Romanæ dissimulare, & non potiùs rei momentum ex solidis fidei fundamentis expendere?

Reflexio.

Verum equidem est, quòd Ecclesiæ ratio substantialis ex ipsamet Christi Domini, eam ceu corpus quoddam Hierarchicum instituentis ordinatione, exigat Caput visibile, de quo cunctis fidelibus secundùm prudentialem credibilitatis euidentiam constaret, esse legitimum Petri successorem, Christique adeò Vicarium, & Pastorem Oecumenicum. Cuius proindè credibilitatis, secundùm supernaturalis prudentiæ euidentiam practicam visibilis fundamento, sub statu dubij Papæ intrà Ecclesiam sublato, patitur ista grauissimam violentiam, à qua se meritò vindicare valeat, consulendo sibi de certitudine Pastoris Oecumenici. In quo adeò statu nequaquam agitur aduersùs Papæ auctoritatem, sed pro hac potiùs intrà Ecclesiam certificanda, meritò ex toto Christiano orbe conuocatur Concilium generale, quod supra eiusmodi dubium Papam eatenus obtinet auctoritatem, quatenus character Pontificiæ præeminentiæ tunc circa ipsius personam respectu Vniuersalis Ecclesiæ est in statu suspensiuo, & abstractiuo, minimè adeò per tale Concilium atringi potente. At dum certus est Pontifex, nequit contra istum procedi, nisi tangatur eiusdem Oecumenica, cunctis Christi fidelibus supereminens auctoritas, perinde ac læsæ Maiestatis reus esset quicumque Gallici Regni Conuentus iudicium sibi arrogans supra personam Regis, cuius est indubitata suprema, nulla adeò Regni sui tribunali subiecta, potestas Regia. Ea igitur inter statum dubij, ac certi Pontificis meritò adstruenda est differentia, vt, quando habetur conuincens euidentia prudentialis de Petri legitimo successore, ipsæmet sacræ Literæ eius supremam præeminentiam asseuerantes prohibeant, ne Concilium possit vllam super ipso prætendere superioritatem; at vbi deficit ea de legitima successione prudentialis credibilitatis euidentia, ex prætactis sacris Literis nequaquam potest in tali Papa dubio haberi ratio præeminentiæ per Christum sancitæ: sicque adeò Concilio generali incumbit, super eius certificatione facere iudicium, indeque Ecclesiæ sanctæ prospicere de certo Capite, ac Pastore Oecumenico.

ARGVMENTVM II.

Aduersariorum.

PRæcipuum pro Concilij supra Papam superioritate fundamentum ex parte aduersa desumitur ex Matth. 18. capite vbi sic habetur: [Si peccauerit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te, & ipsum solum, si te audierit, lucratus es fratrem tuum, si autem te non audierit, adhibe adhuc tecum vnum vel duos: quòd si non audierit eos, dic Ecclesiæ, si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & publicanus: Amen dico vobis: quæcumque alligaueritis super terram, erunt ligata, & in cœlis, & quæcumque solueritis super terram, erunt soluta, & in cœlis.] Ex quo proinde sacro textu tale formatur argumentum. Ecce! Hìc Christus Apostolos, eorumque Successores alloquitur, à quibus vult Christianos incorrigibiles Ecclesiæ denunciari, ab eaque damnatos, ad nullum alium iudicem remittit. Vult ergo Christus, vltimum esse tribunal Ecclesiæ, & à Petro ad Ecclesiam, tanquam maioris potestatis iudicem prouocari. Et ita hunc locum videtur intellexisse S. Gregorius lib. 4. epist. 38. Nicolaus 1. in cap. Præcipuè 11. qu. 3. qui duo Summi Pontifices, sibi non obtemperantes, Ecclesiæ se delaturos minantur. Maius ergo Ecclesiæ iudicium esse, quàm suum, agnoscunt.

Re-

Responsio.

Auctor Regalis Sacerdotij lib. 2. §. 15. num. 1. respondet, hoc Matthæi loco velut præcipuo fundamento niti Aduersarios. Sed eam infirmum esse argumentum inde petitum, vt vel hoc maximè prodant causæ, quam defendunt, imbecillitatem, dum tantę molis quæstionem imponunt arenę. In primis namq; nullus est hic sermo de Petro, einsq; successoribus, & tamē de his querimus. Quamuis enim Christus ad Apost. in communi loquatur, quis nescit, generali locutione casus speciali nota dignos, & priuilegiatos non includi? Deinde nomine Ecclesiæ, cui iubet obstinatos denuntiari, intelligit Christus eos omnes, quibus ligandi, & soluendi, puniendique potestas concessa est; vti patet tum ex fine denuntiationis, qui est correctio: tum ex adiuncta illa causali: [Quæcumque alligaueritis super terram, &c.] Certum est autem, potestatem ligandi, soluendique non tantùm ad Concilium vniuersale, sed etiam ad Episcopos, aliosque Ecclesiæ Prælatos pertinere. Si nomine Ecclesiæ Concilium intelligas, oportebit, quoties Christianus furto, adulterio, homicidio peccat; Concilium Generale cogi, vt illic delinquentis causa ventiletur, quo nihil dici potest absurdius, impossibilius, magisque ab omnium Ecclesiarum more alienum; quod tamen dicendum est, si Christus eo loco Concilium intelligat.

Sed demus, Concilium vniuersale intelligi, non tamen sine suo capite, nec à Pontifice separatum, de quo solùm disputamus, an supra Pontificem tolli possit? Deinde obseruandum est, Christum dixisse: [Si peccauerit in te frater tuus, &c.] vt ostenderet, sermonem non esse de Summo Ecclesiæ Patre, & Pastore, qualis est Romanus Pontifex. Legitimus ergo sensus est: [Si peccauerit in te frater tuus, &c.] isque secretæ, & fraternæ tuæ admonitioni non acquiescat, dic Ecclesiæ, id est, Pastori proprio, qui Ecclesiæ præest; vti explicat S. Chrysostomus hom. 61. in Matth. S. Thomas in 4. dist. 19. & 22. q. 24. Albertus Magnus in Matth. 18. Innocent. III. in cap. nouit. De iudicijs. Theophylactus, Euthymius, & alij passim. Ipse enim Prælatus, eùm agit non vt priuata, sed publica persona, vtiturque potestate Ecclesiastica, vulgari, & iam nota phrasi vocatur Ecclesia; quia hanc repræsentat. Et patuit etiam exemplo Gregorij Magni, qui minatus Ioanni Constantinopolitano, nisi titulo vniuersalis Patriarchæ abstineret, se illum Ecclesiæ vniuersali denuntiaturum, sine tamen Concilio vniuersali auctoritate Papali compescuit, & censuris obstrinxit libr. 1. epist. 30. & 31. malè ergo, & contra regulas artis Concilium Papæ anteponunt Aduersarij eo Scripturæ textu, qui nec de Concilio loquitur, nec de Papa, sed de casu omninò alio, & disparato.

Demus tamen, in hoc Euangelij loco esse sermonem de Papa, & Concilio vniuersali, etiam vt Papæ opposito, nihil aliud sequitur, quàm Papam publicè criminosum posse ad Concilium, & Ecclesiam deferri, de remedijs illum emendandi, cohibendique agitari: eumque admoneri, rogari, & si Ecclesiæ infestus sit, etiam iure defensionis coerceri: quæ si omnia facta sint, & incassum cedant, Deo tandem res committenda, cui Ecclesiæ cura est, & quam inter tot persequentium procellas, & priora sub persecutionibus malorum Pontificum exempla agitari quidem permisit, numquam tamen mergi, opprimique: neque enim nobis timendum est, id euenturum, quod nunquam euenit, & quod Christus promisit, numquam se, vt eueniat passurum: essetque impium, cogitare, Ecclesiam propterea, eoque casu sine auxilio esse, cum à solo Deo auxilium exspectabat; ibi enim maximè parata est, & velut in procinctu Diuina custodia, vbi deficit humana: & hoc maximè verum est in supremis Reipublicæ capitibus, quorum delicta suæ tantùm virgæ subiecit, nec voluit subditorum arbitrio, & pœnis committi, ne peius esset malo remedium, obtentu iustitiæ maleuolorum calumnijs, inuidiæ, & affectuum impotentiæ exposita Principis Maiestate. Et ita praxis Ecclesiæ semper obtinuit: quamuis enim Marcellini, Sixti III. Symmachi, Leonis III. Damasi, Leonis IV. aliorumque Pontificum delicta fuerint ad Synodos delata, numquam tamen in eos sententiæ dictæ sunt. Immò in Synodo Oecumenica VIII. lato hoc canone definitum est. [Posse quidem Synodum vniuersalem cum conuenienti reuerentia quamlibet quæstionem de Romana Sede exortam audire, & in ea proficere, non tamen audactee sententiam in Romanum Pontificem dicere.] Vide tomum III. Concil. in actis VIII. Synodi Platinam in Marcellino, in Sixto III. Symmacho, Leone III. & IV. Damaso, &c. Item cap. Nunc autem dist. 21. cap. Nos si incompetenter 2. quæst. 7. cap. Auditum 2. quæst. 5. & cap. mandastis eodem. Vbi animaduertere licet, Pontifices aliquot innocentiæ suæ purgandæ causa, & vt calumnias sibi affictas palam detegerent, Synodorum etiam particularium iudicio discretiuo, & velut arbitrario non tamen coactiuo, quod non poterant, se submisisse.

Reflexio.

Verissimum est, sub illo sacro Euangelicæ coercitionis textu, Ecclesiæ nomine intelligi quoscumque habentes characterem Ecclesiæ repræsentatiuum. Sub hoc namque charactere tum denuntiatio fit Ecclesiæ, tum correctio inde secuta reducitur in Ecclesiam. At eiusmodi character Ecclesiæ repræsentatiuus in Prælatis eatenus importat partem sollicitudinis Pastoralis tum in Episcopali, Sacerdotaline charactere radicatæ, tum in ordine ad actus iurisdictionales, ex Pontificiæ Apostolicæ potestati plenitudine deriuatę vt quidquid intra sphæram sibi ab Ecclesia præscriptam peragit Prælatus Ecclesiasticus, totum id reducatur in Ecclesiam. A fortiori igitur, illo sacro textu Euangelico continetur Romanus Pontifex, qui secundùm S. Augustinum totius Ecclesiæ figuram gerens, quoad virtutem capitis, seu vicariæ Christi auctoritatis, supereminenter repræsentatiuus Ecclesiæ. Quidni ergo Concilium Oecumenicum ex capite, & membris Hierarchicis,

Ec-

Eccleſiam eepræſentantibus coadunatum dixerimus, eſſe Eccleſiam vniuerſam, de qua Chriſtus cit. Matth. 18. cap. pronunciauit: [Vt quiſquis illam non audieeit, inſtar Ethnici, & publicani habendus ſit ?] Chriſtus Dominus hanc Eccleſiæ auctoritatem coercitiuam, vel maximè ſormidabilem pronunciauit verſu ſobſequenti: [Amen dico vobis, inquiens, quidquid ligaueritis ſuper terram, erit ligatum, & in cœlis, & quidquid ſolueritis ſuper terram, erit ſolutum, & in cœlis.] Hoc Chriſti pronuntiatum, numquid Apoſtolos etiam diſtributiuè ſumptos attingebat? Et quidem duplici modo; tum quoad Apoſtolicæ auctoritatis delegationem perſonalem, cum ipſorum in terris peregrinantium vita extinctam, tum quoad Epiſcòpalem iuriſdictionem in charactere ordinis radicatam, ac in ſui exercitio ex Apoſtolicæ poteſtatis in Petri Succeſſore perpetuæ plenitudine dependentem. Numquid verò idem textus Euangelicus Apoſtolos etiam collectiuè ſumptos, qua Eccleſiam Dei modo altiori repræſentantes, cum ordine etiam ad perpetuum Eccleſiæ ſtatum complectitur? Ea poſteriore de illimitata ligandi, & ſoluendi poteſtate ad Apoſtolos directa Euangelij verba ita combinantue cum præcedentibus, vt ex vi quaſi cauſalis connexionis, illa ipſiſſima Apoſtolis promiſſa ligandi, & ſoluendi auctoritas indefinita reducatur in Eccleſiam, cuius ſtatus noſcitur eſſe perpetuus. Hæc autem perpetuitas non ſubſiſtit quoad Apoſtolicam in cæteris, præter Petrum, Apoſtolis ſolummodò delegatam poteſtatem. Oportet igitur, vt Apoſtolicæ illius auctoritatis cunctis Apoſtolis eepromiſſæ perpetuitas referatur ad Apoſtolos collectiuè ſumptos, qua vniuerſam Eccleſiam in Concilio Oecumenico eepræſentantes. An non igitur dicendum videtur, licèt Epiſcopi diſtributiuè ſpectati, Apoſtolorum ſucceſſores non ſint, niſi quoad characterem Epiſcopalem, Paſtoraliſque iuriſdictionis ſolummodo radicem, in ſui exercitio, actualiſque poteſtatis conceſſione dependentem ex Papæ conceſſione, attamen Epiſcopos collectiuè ſumptos, nempè in Concilio Oecumenico aggregatos, ſublimiori quodam modo eſſe Apoſtolorum Succeſſores quoad Apoſtolicæ, nempè illimitatæ, ad ligandum, & ſoluendum poteſtatis communionem? Huius igitur quæſiti punctum, cum ſuis præſentis difficultatis centrum tangentibus conſectarijs, per ſequentes concluſiones accuratiori ſtylo diſcutiendum hic ſuſcipimus.

CONCLVSIO I.

Pro indubitato principio ponendum eſt, quod praadductus Matthai 18. à verſu 17. vſque ad verſum 20. exaratus textus Euangelicus accipiendus ſit de Concilio Oecumenico.

EXplicatur, argumenti exordium deſumendo ex verſu 20. in quo Chriſtus pronuntiauit: [Vbi duo, vel tres in nomine ſuo fuerint congregati, ſe in medio eorum fore.] Quis autem Catholicorum neget, hoc Domini verbum procedere de Concilio in nomine Chriſti, id eſt, (vti ſuperiòs oſtenſum fuit) vicaria eius auctoritate aggregato. At verſus iſte continet cauſalem particulam enim, in vi cuius combinatur cum proximè præcedente verſu, quo idem Chriſtus aſſeuerauit; [Iterum dico vobis, quia ſi duo ex vobis conſenſerint ſupee terram, de omni re, quamcumque petierint, fiet illis à Patre meo, qui in cælis eſt.] Ipſiſſimus verò hic verſus Euangelicus in vi particulæ iterum eeſertue ad Apoſtolos, quibus Chriſtus proximè præcedenti verſu 18. dixerat: [Amen dico vobis, quæcumque alligaueritis, & quæcumque ſolueritis ſupee terram, erunt vel ligata, vel ſoluta in cælis.] Hæc verò indefinita ligandi, & ſoluendi poteſtas non poteſt non eſſe Apoſtolica, in vno Petro ſingulariter ſpectato, ex vi promiſſionis Chriſti Matthæi 16. factæ, per ſucceſſionis ordinem proroganda. Quare huiuſmodi Apoſtolicæ auctoritatis Matth. 18. promiſſa prærogatiua, in cæteris Apoſtolis non niſi collectiuè ſumptis, atque adeò in Concilio aggregandis, dici poteſt perpetua: quippe cùm iſthæc ſoluendi, & ligandi poteſtas indefinita, Apoſtolis vniuerſis per Chriſtum deſtinata, noſcatur ex proximè præcedentis decimi ſeptimi verſus ſacro contextus habere connexionem cum Eccleſia, quæ vt ſic dicit tum collectionem eorum, quibus eſt à Chriſto conceſſa ſoluendi poteſtas, tum perpetuitatem ſtatus ad ſæculi vſque ad finem duraturi. Illa proinde Apoſtolis vniuerſim, ac collectim, qua vnam Eccleſiam repræſentantibus, atque adeò in Concilio Oecumenico aggregandis promiſſa poteſtas, eatenus eſt perpetua, vt quoties fit collectio illorum, qui de ea ſoluendi poteſtate communicant, in tali congregatione, ſeu Concilio, pee vicariam Chriſti auctoritatem conuocato, Chriſtique adeò nominis characterem præfeeente, vltra Petri, eiuſque Succeſſorum propriam ſoluendi poteſtatem Apoſtolicam, ſacro eiuſmodi Cœtui, qua vniuerſam Eccleſiam plenè repræſentanti, competat inſuper peculiaris quæpiam ſoluendi, & ligandi poteſtas Apoſtolica, immediatè à Chriſto eidem impertita.

Obiectio I.

Dices. Si Apoſtolis, eorumque hac in parte Succeſſoribus, nempè Epiſcopis in Concilio, ex vicaria Chriſti auctoritate coadunato, indeque Oecumenico, competat indefinita ſoluendi, & ligandi poteſtas, diſtincta à Petri, eiuſque Succeſſorum, ſoluendi auctoritate, ac ſecundum Chriſti verba ſit æquè indefinita, illi omninò compar, foret conſequens; quod vbi Concilium fuit nomine Chriſti Vicario congregatum, poſſit iam ex ſeipſo decernere, ac definire independentee à concurſu illius Petro, eiuſque Succeſſoribus ſingulariter conceſſæ auctoritatis Oecumenicæ. Vnde curſus ſequitur, quod oporteat quidem, vt Concilium ſit Oecumenicum, eſſe aggregatum in nomine Chriſti nempe vicaria Chriſti auctoritate; qui character antecedentee ad Concilij conuocationem in nul-

lo

lo alio; quàm Summo Pontifice, Petri legitimo Successore subsistens, omninò necessarium est, vt Concilium in prima sui aggregatione sit legitimum, ac Oecumenicum: attamen vbi iam existeret Synodus tali modo coadunata, sicque charactere Oecumenico insignita, ex tunc ex se ipsa immediatè à Christo carenus obtineret auctoritatem Oecumenicam soluendi, ac ligandi, vt auctoritate haud minor esset talis Synodus, quàm Pontifex Maximus, nec adeò per hunc dissolui iam posset, dissentiente Concilio, indeque quidquid statueret, habiturum vim, & auctoritatem decreti Oecumenici. At hoc nullatenus esse concedendum, siquidem hinc sequeretur, Synodum Basileensem non potuisse dissolui ab Eugenio IV. atque adeò iustè, huic talem dissolutionem indicenti, restitisse Synodum, vtpote quæ ex seipsa iam obtinuetat illam Apostolis collectim sumptis, seu in Synodo legitimè aggregatis, promissam indefinitam, adeòque Apostolicam, soluendi, & ligandi auctoritatem, sub qua, ceu charactere Oecumenico, Synodus illa iam independenter à concursu Oecumenicæ Petro, eiusque Successori concessæ, auctoritatis erat verè Oecumenica. Rursus inde sequi, potuisse Concilium vi illius characteris Apostolici, vbi pro tempore cogitaret sui solutionem, in futurum tempus à se determinatum, ex eadem auctoritate Apostolica indicere nouum Concilium Oecumenicum, quin Papæ auctoritas Oecumenica ad talis Concilij conuocationem concurrere deberet: quippe cùm indictio Synodi taliter facta, atque adeò prima etiam eiusdem coadunatio iam obtineret characterem Apostolicum, sub quo, vti ex actis cap. 5. patet, portatur nomen Christi, & in sui tam exordio, quàm progressu insignitum extaret ea Apostolica, cunctis collectis Apostolis pro perpetuo Ecclesiæ statu, adeoque ipsorum quoque Successoribus, per Christum promissa, & ab eo immediatè collata auctoritate, Vicarium Christi nomen præseferente. Hæc igitur, cùm nequaquàm sint consentanea sacræ Ecclesiæ praxi, sintque prorsus aliena à præeminentia Sedis Apostolicæ, imò cùm hinc statueretur quasi duplex Sedes Apostolica, altera in Concilio Oecumenico, altera extra Concilium soli Petro, eiusque Successori legitimo concessa. Idcircò principia superiùs posita, ex quibus profluunt eiusmodi consequentiæ prorsus execrandæ, nullatenus videntur admittendæ.

Responsio.

Præsupposita principia deduci ex sacris Literis, si sacrorum contextuum debita inter se collatio fiat, ex superiùs dictis manifestum extat. Haudquaquam igitur ab eis recedendum est, sed conandum, vt illorum sacrorum contextuum profundior intelligentia, per argumentationem Theologicam inde eruatur. Pro indubitato igitur principio præsupponendum est, illa Christi Domini verba: [Amen dico vobis: quæcumque ligaueritis, & solueritis super terram, erunt ligata, & soluta in Cælis;] connecti cum proximè præcedentibus: [Dic Ecclesiæ, &c. si Ecclesiam non audierit, erit tibi sicut Ethnicus, & publicanus.] At rursus pro certo principio tenendum est, quòd Ecclesia absolutè sumpta, importet Ecclesiam Vniuersalem, à Christo eleuatam ad statum Corporis Hierarchici, constantis ex Capite, nempe Summo Pontifice Petri Successore, & membris, nempe Apostolis, eorumque successoribus. Quemadmodùm autem Corpus humanum nequit subsistere ex Capite, ac membris sigillatim spectatis, sed qua inter se vnitis: sic neque istud corpus Hierarchicum, Ecclesiæ Vniuersæ repræsentatiuum, in suo perfecto statu consideratum, est intelligibile, nisi quatenus Caput cum membris Hierarchicis non iam diuisim, sed collectim sumptis, est vnitum. Ex eo quidem, quòd pars, quidquid est, totius est, fit consequens, ordinari, ac reduci ad totum, quidquid parti conuenit. Et hinc, si peccans denuncietur, vel Episcopo, vel etiam Papæ, atque ab hoc fiat correctio, sequitur manifestè, tunc, & denuntiationem Ecclesiæ, & correctionem ab Ecclesia fieri: nihilominùs, quia in illo sacro textu absolutè, ac simpliciter fit per Christum mentio Ecclesiæ, oportet, sub hac principaliter intelligi totum Corpus Ecclesiæ Hierarchicum, quà vnitum in Concilio Oecumenico, tametsi sub eodem Ecclesiæ nomine reductiuè intelligantur, & Caput, & membra Ecclesiæ etiam sigillatim, ac disiunctim sumpta. At eo ipso, quòd sacer ille contextus, de Apostolicæ soluendi potestatis plenitudine pronuntians, connectatur cum versu proximè præcedenti, in quo est sermo de Ecclesia simpliciter, & absolutè sumpta, quatenus est Corpus Hierarchicum ex Capite, ac membris Hierarchicis non iam diuisim spectatis, sed qua vnitis, atque adeò in Concilio Oecumenico coadunatis substantialiter constitutum: idcircò illa indefinita ligandi auctoritas Apostolica, per Christum promissa cum ordine ad Ecclesiæ statum, ex ipsamet Christi Domini institutione, perpetuum in Apostolorum Successoribus nullatenus locum habere potest, nisi quatenus constituunt vnum Corpus Hierarchicum Ecclesiæ, substantialiter constans ex Capite Petri Successore, reliquisque Hierarchicis membris, Episcopis, ac Ecclesiæ Prælatis, non quà sigillatim sumptis, sed quà vnitis in vno Concilij Corpore Hierarchico, vt sic perfectè, ac plenè repræsentante vniuersam Ecclesiam, sicque Ecclesiæ Hierarchicæ nomen non participatiuè dumtaxat, vel sub præcisa Capitalis potestatis plenitudine, sed absolutè, perfectè, ac simpliciter obtinente. Est autem indubitatæ veritatis principium, quòd Christus promisit Apostolis collectim sumptis, & qua Ecclesiam Vniuersalem in vno Corpore Hierarchico repræsentantibus, sicque adeò in Concilio Oecumenico inter se, & cum Capite vnitis, id nullatenus habere locum extra statum talis vnionis, seu in Concilio Oecumenico coadunationis: quemadmodùm singula quidem humani corporis membra sunt organa diuersa ad varias functiones per naturam ordinata, nullam tamen exercere valent operationem vitalem, nisi qua vnita manent in vno corpore humano. Cùm igitur prætacta auctoritas Apostolica, qua ad perpetuum Ecclesiæ statum relata, ex Christi Domini ordinatione non aliter competat Apostolis, eorumque adeò

Successoribus, nisi quatenus constituunt vnam Ecclesiam Hierarchicam absolutè, & simpliciter in suo statu perfecto consideratam: hæc verò Ecclesiæ Hierarchicæ substantia requirat vnitatem membrorum collectim sumptorum inter se, & cum Capite Papa, non nisi in Concilio Oecumenico coadunandum, consequens est, illam Apostolicæ potestatis, pro perpetuo Ecclesiæ statu promissæ plenitudinis, pollicitationem Diuinam haudquaquam habere posse locum, antequàm fiat talis in Concilio Oecumenico membrorum Hierarchicorum tum inter se, tum cum Capite coadunatio, atque adeò tali vnione soluta, vbi Caput, Romanus scilicet Pontifex, à Concilio, quantumuis primitùs fuisset legitimè congregatum, suum Christi Vicarium nomen, seu Capitalem auctoritatem retrahit, non posse tunc verificari, Ecclesiam Hierarchicam in statu perfecto repræsentari à Synodo, nec adeò in ea ex tunc obtinere illam Apostolicæ potestatis, Apostolis, qua vnam Ecclesiam Hierarchicam constituentibus, promissæ plenitudinem: nec adeò in vi istius Apostolici, Christi nomen præferentis, characteris, vtpote non ampliùs subsistentis, postquàm auctoritas Papę à Synodo legitimè ante hac congregata, se subtraxit, posset Concilium ex tunc factum acephalum, vniuersam Ecclesiam integrè repræsentare, iam impotens etiam, pro futuro indicere nouum Concilium Oecumenicum, quippe cùm ex tunc in ea Synodo defecisset nomen Christi, seu character Apostolicus, sit autem secundùm Christi institutionem de substantia Concilij Oecumenici, esse congregatum in nomine Christi, importante characterem Apostolicum.

Confirmatur hęc Theologica ratiocinatio. Indubitatæ namque, ac ipso naturæ lumine conspicuæ veritatis est, quòd duobus nonnisi collectim sumptis conuenit, non competere ipsis seorsim, ac diuisim spectatis, sic enim, quia vox homo importat complexum, seu compositum ex corpore, & anima vnitim sumptis, nequeunt prædicata hominis, qua eiusmodi compositi propria, conuenire animæ separatæ. At vox Ecclesia, præsertim quatenus accipitur in perfecto Corporis Hierarchici statu, est nomen Collectiuum, significans complexum, seu compositum ex Capite, & membris Hierarchicis. Vt sic autem Christus, vti supra ostensum est, promisit Apostolis illam soluendi potestatis plenitudinem Apostolicam, cum ordine ad Ecclesiæ statum Hierarchicum, eiusque perpetuitatem, in successores adeò transferibilem. Nequit ergo illa Christi Apostolis, qua vnum perfectum Hierarchicum Ecclesię statum conficientibus, sicque intrà Concilium Oecumenicum membrorum Hierarchicorum cum Ecclesiæ Capite coadunatiuum, Vniuersalem Ecclesiam plenè repræsentantibus, promissa potestatis plenitudo locum habere, nisi in quantum subsistit talis Apostolorum collectio, & intrà Cōcilium Oecumenicum ex Apostolico charactere vnicè subsistens vnio plena, & perfecta, vt, si vel solius Capitis character Christi vicarius subtrahatur, prorsus deficiat substratum illud, cui ex Christi ordinatione superstruitur ille alter Apostolorum collectim sumptorum, cum potestatis plenitudine character Apostolicus. Et hinc, si Apostolicæ potestatis Petro, eiusque successoribus per Christum concessæ plenitudo conferatur cum plenitudine auctoritatis, Concilio Oecumenico competentis, non ineptè dicitur, se habere ad inuicem, sicut se habet anima separata ad totum hominem. Vbi namque anima est in statu separationis, habet plenam potentiam intellectiuam, & volitiuam, quibus equidem potitur etiam in statu vnionis, seu contractionis, attamen cum aliqua à corpore dependentia: potestque anima in tali statu exercere operationes sensitiuas, & vegetatiuas, eiusmodi actiones vitales in statu separationis nequaquam elicere valet. Sic proinde, quæ vniuersis Apostolis, qua vnum Ecclesiæ Vniuersalis Corpus Hierarchicum in Concilio Oecumenico repræsentantibus, per Christum promissa fuit indefinita soluendi, ac ligandi potestas, sub pari incircumscripta soluendi, ac ligandi vniuersalitate promissę fuerunt Petro claues regni cælorum, neque hæc Diuina Christi promissio vllam importat dependentiam à Concilio Oecumenico, sed absolutè, ac illimitatè facta est Apostolorum Principi, cum ordine ad perpetuum Ecclesiæ statum, atque adeò cum ordine successionis. Quemadmodùm igitur anima in statu separationis independenter à corporis potentijs, habet plenam, ac perfectam intelligendi facultatem, sic potestas ligandi, & soluendi Apostolica in Petro, eiusque successore non est alligata ad Concilium Oecumenicum, quin independenter ab isto possit plenissimè exerceri.

Nihilominùs Pontificia suprema auctoritas Oecumenica nacta est aliquem quasi cōtractionis, & vnionis statum, sub quo cum reliquis Ecclesiæ membris Hierarchicis, seu eorumdem Caput, eatenus coadunatur in vnum integrum Ecclesiæ Vniuersalis plenè repræsentatiuum Corpus Hierarchicum, vt in tali tandem Corpore locum habeat illa Diuina Matthæi 18. à versu 17. vsque ad 20. versum Christi promissio, de tali Apostolicæ ad soluendum, & ligandum auctoritatis indefinitæ plenitudine, quatenus hæc in sui exercitio debeat esse dependens à toto corpore Hierarchico, & quidem, in tantum, vt corpus Ecclesiæ Hierarchicum cum Capite, & Caput cum membris Hierarchicis in Concilio Oecumenico aggregatum, consentire debeat, quò sanctio dici possit Conciliaris, seu Synodalis. Cuiusmodi adeò definitionis Oecumenicæ, quą Conciliaris auctoritas minimè subsistit, nisi ex duorum, nempe, & Capitis, & reliqui Hierarchici corporis, ex Apostolorum successoribus Episcopis, ac Ecclesiæ Prælatis coadunati consensu, Christo Domino ibidem ver. 19. pronuntiante: [Si duo ex vobis (nempe Corpus Apostolicum Ecclesię Hierarchicę quasi materialiter repræsentatiuum, & Caput talis repræsentationis quasi formaliter perfectiuum) consenserint super terram, de omni re, quamcumque petierint, fiet illis à Patre meo.] Hæc namque verba ita consonare debent cum suo tam antecedente, quàm proximè subsequente sacro contextu, vt, quemadmodùm isti indubitanter sunt de Concilio Apostolico, atque adeò Oecumenico, per Ecclesiæ statum perpetuum prorogando: sic ille textus Euāgelicus accipiendus sit de duobus,

nem-

nempe collectiuè sũptis, consentientibus, qui duo nõ sigillatim spectati, sed qua vnũ Ecclesię Vniuersalis repræsentatiuum, seu perfectũ Hierarchicum statum constituentes, non possunt aliquid aliud esse, quàm Caput, vnà cum reliquo Apostolico, seu Hierarchico, Corpore, Quibus adeò consentientibus, ea est per Christum promissa in definiendo infallibilitas, vt, quamcumque rem, atque adeò dogmaticam veritatem a Patre æterno sibi ex verbo Dei eruendam petierint, ex Christi Domini promissione, ipsis infallibiliter fiat. Quemadmodùm igitur anima in statu vnionis, & contractionis habet quasdam vitales functiones, quas in statu separationis haudquaquam exercere potest; sic num dicere licebit, potestati Pontificiæ, qua intrà Concilium sua Vicaria Christi auctoritate coadunatum, & informatum, cum reliquo Ecclesiæ corpore Hierarchico coadunatæ, superuenire specialem aliquam prærogatiuam infallibilitatis in fidei dogmatibus decidendis, à Christo ex tunc promissæ, vbi ex Apostolis duo, nempe Caput cum reliquo Apostolico Corpore, à successoribus intrà Concilium sub Vicario Christi nomine coadunati, collectiuè adeò sumpti consenserint, in petenda, sicque per Dei gratiam definienda dogmatica veritate?

Obiectio II.

Instabis. Esto, hanc Diuinæ gratiæ assistentiam ex vi promissionis Christi infallibiliter competere illis duobus Apostolicis ordinibus, tum Capiti, Petri successori, cum reliquo Ecclesiæ Hierarchicæ Corpori, intrà Concilium Oecumenicum reliqui Apostolici Collegij successori. Attamen Petro etiam in statu quasi separationis, extrà Concilium Oecumenicum in sua, successorisque sui indiuidua persona, pro perpetuo Ecclesiæ statu erat, Matth. 16. dictum à Christo: [Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, aduersùs quam portæ inferi non præualebunt.] Ac vi istorum verborum, oportere, vt in Petro, eiusque successore sit infallibilitas perpetua ad fidei dogmata etiã extra Concilium definienda, nec adeò in vi prællegatæ Diuinæ promissionis, Capiti, & reliquo Hierarchicæ Ecclesiæ Corpori, seu duobus collectim, in Concilio, nempe Oecumenico coadunatis factæ, videtur maior adstrui posse infallibilitatis in dogmatibus fidei decidendis prærogatiua, quàm Pontificiæ auctoritati, etiam soli, extra Concilium conueniat.

Responsio.

In hoc puncto iam videtur subsistere quasi centrum præsentis difficultatis. Hanc ex occasione Neotericorum expendere compulsus Auctor inextinctæ Concilij Tridentini veritatis, aliquando sic disseruit. Articulus equidem fidei est, Romano Pontifici, seu Petræ, super quam fundata est Ecclesia, independenter à Concilio esse, (ipsomet etiam Clero Gallicano vbi supra disertè fatente) supremam potestatem in causis Ecclesiasticis. An verò ista Diuinitus sibi tradita potestate, cum omnimoda infallibilitate, in decidendis fidei dogmatibus, vti possit, sine interuentu Concilij Oecumenici, Ecclesiam Vniuersalem repræsentantis, non extat de hoc definitus fidei articulus. Vnde sententia huius à Concilio independentis illimitatè decisiuæ, Pontifici Romano competentis potestatis assertiua, est quidem inter Pontificios Theologos ferè communis, validisque ex sacra Scriptura petitis argumentis probari solet, tum quòd Petro, eiusque successori independenter à cæteris Apostolis, adeòque Episcopis, sit commissa illimitata Pastoralis erga vniuersas Christi oues officij cura, tum quòd eidem soli à Christo dictum sit, esse Petram, super quam foret ędificanda Ecclesia; tum denique, quòd Christus pro ipso solo rogarit, vt fides eius non deficeret, cum ordine ad fratres suos confirmandos.

Nihilominùs in comperto etiam est, extare aliquos, præsertim Parisienses Doctores, qui consumatam in decernendis fidei dogmatibus infallibilitatem non concedant Papæ, nisi vnà cùm Concilio; siquidem Ecclesiæ, in Concilio Oecumenico repræsentatiuè congregatæ, prærogatiua singularis sit, quòd ipsi seu Fidei columnæ, ac veritatis firmamento, Diuinitus promissa sit infallibilis Spiritus sancti assistentia.

Quę proinde posterior opinio ad sacros, ex Diuinis Literis pro priori sententia allegatos textus respondebit, illam Pastoralis Petro, eiusque successori illimitatè collati officij, potestatem formaliter, & subiectiuè esse quidem in solo Papa, attamen in suo vsu habere respectum ad Ecclesiam. At eo ipso, quòd Ecclesia ita sit subiecta Pontificiæ potestati, vt ab ipsomet tamen Christo obtinuerit illam prærogatiuam infallibilis assistentiæ Spiritus sancti, idcircò non esse subiectam quasi despoticè, sed (liceat hosce terminos pro regimine alioquin ciuili ab Aristotele vsurpatos, ad res etiam sacras suo modo applicare) quasi politicè, ita nimirum, vt, quemadmodùm in regno politico status, in ordine ad leges pragmaticas statuendas, habent ius suis votis concurrendi, itaque regulandi Regiam, supremam licèt, potestatem; sic Antistites, & Patres, Vniuersam Ecclesiam repræsentantes in Concilio Oecumenico, circa fidei causas habeant ius, suis per Spiritus sancti Diuinitus promissam assistentiam auctorizatis votis regulandi, infallibilitateque sua iuuandi, Concilio Oecumenico repromissa, Pontificiam, de se licèt supremam Ecclesiasticam potestatem.

Quemadmodùm proinde domus non solo nititur fundamento, sed etiam columnis, sic Papam esse quidem Petram, seu fundamentum Ecclesiæ; quia tamen huius forma essentialis sit Fides, Veritati Diuinæ vnicè innitens, oportere, eam sustentari etiam columna Veritatis. Vnde cùm Ecclesia ab Apostolo pronuncietur columna, & firmamentum Veritatis, esse consequens, quòd Concilij Vniuersam Ecclesiam ex Diuina institutione repræsentantis auctoritas interuenire debeat, vt Ecclesiæ ædificium, ex fidei dogmatibus formaliter constans, sub infallibili Veritatis firmitate subsistere dignoscatur. Quare circa Papæ, seu supremi Ecclesiæ Capitis, vnà cum Concilio cum causis Fidei concurrentis infallibilitatem, extat definitus Fidei articulus, de

auctoritate autem Pontificis extra Oecumenicum in Fidei dogmatibus ſanciendis, ea ſaltem tenenda eſt ratio, vt talis Pontificis deciſio non niſi temerè cum aperto ſalutis diſcrimine, ex proprio ſpiritus priuati ſenſu, reijci poſſit.

Obiectio III.

Vrgebis. Quandoquidem definitus ſit fidei articulus, Papam intrà Concilium Oecumenicum concurrendo cum iſto, habere infallibilitatem conſumatam in decidendis fidei articulis; neque verò ſit adhuc definitus articulus; [An Papa extra Concilium Oecumenicum potiatur auctoritate omnimodæ, & conſumatæ infallibilitatis?] Numquid ex hac parte ſaltem quoad nos, ſi non in re ipſa, ſpecialis quæpiam prærogatiua videtur, vltra Pontificiæ auctoritatis plenitudinem, attribuenda Concilio, non equidem Acephalo, ſed quà Oecumenico, nempe coadunato ex Capite, ac reliquo Eccleſiæ Corpore hierarchico?

Reſponſio.

Ad hanc quæſtionem, fateor, mihi vix conſtare, quid reſpondeam. Chriſti equidem verba nimis clara ſunt, quæ definitè ad ſolum Petrum Matthæi 16. proferebantur: [Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersùs eam.] Quis verò aduersùs tam dilucida Chriſti verba, negare auſit, ijs contineri omnimodam in fidei dogmatibus infallibilitatem, cùm cæteroqui, ſi Petro, eiuſque Succeſſori aliquod fidei dogma definienti, ſubrepere poſſet error, quomodò portæ inferi non prænalerent aduersùs talem petram, atque adeò Eccleſiam ſuper hac Petra ædificatam? At dum ipſiſſima hæc Chriſti Domini verba accuratiùs expendo, animaduertendum offert ſe mihi, quòd Chriſtus Eccleſiæ à portis inferi haud ſuperandæ, firmitatem eatenus ſtatuerit ſuper Petra, quatenus ſuper ipſam eſſet ædificata Eccleſia. Num verò Eccleſiæ ſuper hanc Petram, cui commiſſæ ſunt claues Regni cœlorum, ædificatio locum habet etiam extra Concilium Oecumenicum? In hoc equidem Corpus Eccleſiæ hierarchicum, cum Capite, Petræ prærogatiuam obtinente, coadunatum aſſurgit in ſtructuram, vniuerſę Eccleſiæ perfectè, ac plenè repræſentatiuam. An igitur illa Eccleſię ſuper Petram ædificatio conſummari dicenda eſt in Concilio Oecumenico, per Petri characterem Apoſtolicum congregato, & informato, nec ſubſtituto, niſi quamdiu cum iſthoc vicario Chriſti charactere perdurat? quia igitur illa in decidendis fidei articulis infallibilitas, ab inferi portis nunquam ſuperanda, eſt ſubſiſtens, quatenus Eccleſia eſt ſuper petram ædificata, iſta verò perfecta viſibilis, ac militantis Eccleſiæ ſtructura, quoad plenam ſui conſumationem, ſubſiſtit in Concilio Oecumenico, qua inſignito Petrę illius charactere, Chriſti nomen vicarium præferente. Idcirco, an ea Eccleſię, qua ſupra petram ædificatæ, conſummata infallibilitas, auctoritati Pontificię indubitanter annexa, ſit in ſtatu vltimatæ ſuę perfectionis etiam extra Concilium Oecumenicum, in hoc puncto me totum quantùm ſubijcio ſanctę Eccleſiæ iudicio, ne in Tridentino quidem Concilio hactenus manum imponere volenti ad decidendum hoc ſummæ difficultatis punctum. Hinc tamen haud dicere fas eſſe, quod Concilium habeat alicuius ſupra Papam ſuperioritatis prærogatiuam, patebit ex ſubſequenti concluſione.

CONCLVSIO II.

Quantumcumque aliqua ſpecialis prærogatiua eſſet in Concilio Oecumenico, non niſi per characterem Chriſti vicariam, atque adeò per Pontificiam auctoritatem ſubſiſtere potente, non eſſet propterea Concilium, etiam quà Oecumenicum, dicendum, habere præeminentiam ſuperioritatis propriè dicta.

Explicatur, & probatur. Huius fortè concluſionis explicatio, & probatio videri poſſet peraccomodè deſumi ex ſequenti ſimilitudine. Nempè animæ, qua formę: & corporis, qua materiæ, ea eſt habenda ratio vt quidquid perfectionis eſt huic communicabile, totum ſit ex illa, ſcilicet forma. Vnde fit, quòd anima, & corpus ſimul ſumpta, non dicant plus perfectionis intenſiuæ, quàm anima præcisè ſpectata: quia tamen materia, & forma ſunt duæ realiter diſtinctæ entitates ideo extenſiuè loquendo, maius quid eſt homo conſtans materia, & forma rationali, quàm præciſa anima. Pari proinde ratione Concilium qua Oecumenicum, importans integrum Eccleſiæ plenè repræſentatiuum Corpus hierarchicum, formaliter dicit characterem Pontificiæ poteſtatis, ceu vicarium Chriſti nomen præferentem, ac ſe habentem inſtar formæ, Concilij Oecumenici, quaſi phyſicè conſtitutiuæ, atque vt ſic informatiuæ reliqui hierarchici ex Eccleſiæ, Prælatis aggregati corporis, ceu materiæ quaſi phyſicæ, ad Concilij Oecumenici ſubſtantiam integrandā eſſentialiter, ac integraliter concurrentis. Quod ſi ergo fiat capitis, ac reliqui corporis hierarchici ad Eccleſiam vniuerſalem, repreſentandam, inter ſe vniti quędam comparatio, quoad hunc ordinē hierarchicum, ſi ſacerdotij, & Epiſcopatus character ſacramentalis excipiatur, nihil perfectionis reperiri poteſt in toto reliquo Corpore eiuſmodi hierarchico, quod non deriuetur ex Pontificiæ poteſtatis plenitudine. Cuius adeò ſupereminent ia tanta eſt, vt eminenter contineat corporis illius hierarchici, quoad iuriſdictionis prærogatiuas, omnimodam, & totam perfectionem, nec adeò corpus hoc hierarchicum, qua cum capite ſuo in Concilio Oecumenico vnitum, dici poteſt, quoad auctoritatem iuriſdictionalem, eſſe quid maius intenſiuè, ac ſit præciſa Pontificiæ poteſtatis ſupereminentia,

licèt

licèt ambo ſimul ſumpta ſint quid extenſiuè maius.

Verùm quemadmodùm anima cum corpore vnita, eſt ſuſceptiua gratiæ ſanctificantis, ceu altioris, ac ſupernaturalis formæ, animam, ac per redundantiam corpus etiam, perficere potentis: ex qua perfectione omninò reſultat quid intenſiuè maius, quàm ſit anima in puris naturalibus ſuis conſiderata. Sic vbi totum Eccleſiæ Corpus hierarchicum, tam quoad membra, quàm quoad Caput in Concilio Oecumenico vnitum, & ſub Vicario Chriſti nomine, auctoritate nempe Pontificia, ritè, ac legitimè coadunatum fuerit, ex Chriſti Domini Matth.18.cap. verſu 18.& 19. expreſſa promiſſione, duas ſortitur adhuc poteſtatis Apoſtolicæ maximè perfectiuas prærogatiuas. Vna dicto verſ. 18. expoſita Concilij Oecumenici præeminentia eſt ex indefinita ligandi, & ſoluendi poteſtate, quæ non poteſt eſſe maior, Summi Paſtoris, æquè vniuerſali ad ligandum, & ſoluendum auctoritate, Petro, eiuſque Succeſſori ſolitariè, ac indiuidualiter ſpectato, per Chriſtum conceſſa. Altera Concilij Oecumenici prærogatiua eſt ex infallibili Chriſti aſſiſtentia promittentis, ſe in medio eorum fore, vbi duo, vel tres in nomine ſuo, vicaria nempe auctoritate, in terris penès Petrum, eiuſque Succeſſorem relicta, congregarentur. In quo adeò per eiuſmodi Vicarium Chriſti characterem inſignito Concilio, ſicque reddito Oecumenico, dum duo, Caput ſcilicet, & Corpus hierarchicum Eccleſiæ conſenſerint, horum de fidei dogmatibus definiendis petitio ab ipſomet etiam Patre Æterno, iuxta Chriſti promiſſionem, ineuitabiliter habebitur rata.

Hæc igitur infallibilitatis prorſus certæ, ac indubitatæ circa fidei dogmatum deciſionem prærogatiua, Concilio Oecumenico per Chriſtum promiſſa; an ſit æquè in Summo Pontifice, non extat in Eccleſia definitum, ſicque, ſecundùm nos ſaltem, minus ponderis habet quoad certitudinis, ſeu Diuinæ, ſeu Theologicæ omnimodam determinationem: dum diſquirere adhuc licet; an Eccleſiæ in rebus fidei decidendis infallibilitas promiſſa Petro, conſummatiuè tunc primùm habeat locum, quando ſuper Oecumenici Paſtoris Petra extat actualiter ſuperſtructa Eccleſia hierarchica, non niſi in Oecumenico Concilio perfectè repræſentata? Quæ ratio videtur fuiſſe, cur ne ipſe quidem Petrus ex ſe ſolo decidere voluerit quæſtionem dogmaticam de Veteris Teſtamenti Legalium, à Chriſtianis ex Iudaiſmo præſertim, vel etiam Gentiliſmo conuerſis retinenda obſeruantia, ſed ad Concilium Apoſtolicum, adeoque Oecumenicum Hieroſolymitanum, retulit eam definitionem. Et ita obſeruat continua Eccleſiæ ſanctæ praxis, quòd vltimatæ aduerſus hæreſes deciſiones dogmaticæ, ab ipſiſmet etiam Pontificibus omni tempore referrentur ad Concilia Oecumenica; manifeſtè ſanè argumento, Eccleſiæ auctoritatiuam in fidei dogmatibus decidendis infallibilitatem, per modum vltimatæ ſententiæ, ſub omnimoda, & conſummata certitudinis prorſus indubitatæ perfectione ſua, ſecundùm nos ſaltem, maiori cum pondere ſubſiſtere ex parte Concilij Oecumenici, quàm ex parte ſolius Pontificis extra Concilium ſcilicet ſancientis.

Id ipſum firmatur etiam ex eo, quòd Chriſtus Dominus, vbi rogaſſet pro Petro, vt non deficeret fides ipſius, eidem quidem præceperit, quatenus aliquando conuerſus, fratres ſuos Apoſtolos, eorumque adeò Succeſſores confirmaret. Attamen confirmatio non cadit ſuper re quapiam, niſi quatenus ex alio etiam capite habet aliquod firmitatis pōdus, videturque adeò Chriſtus iſto loquendi modo alluſiſſe ad hoc, quòd Apoſtolorum, ac ſucceſſorum in Concilio Oecumenico cum Capite ſuo, Summo Pontifice aggregatorum, in rebus fidei decernendis omnimoda firmitas, neque ex præciſo Petri ſucceſſore, neque ex Apoſtolico Collegiò, ceu hierarchico Eccleſiæ ſanctæ corpore ſubſiſteret, ſed vnitim ex vtroque, itaut oporteret, huic vtrique in vnum Corpus Eccleſiæ perfectè repræſentatiuum coadunato, ſuperſtrui ſpecialis infallibilitatis pondus, ac firmitas, per quam Petri fratres vniuerſi omnimodè confirmarentur. Talis igitur prærogatiuæ ratio videtur magis ſupereminere in Concilio Oecumenico, qua Summi Pontificis auctoritatem Oecumenicam, cum reliquo hierarchico Eccleſiæ Corpore coadunatam complectente, quàm in ſolo Papa extra Concilium ſpectato, hinc tamen nequaquam dicere conuenit, Concilium Oecumenicum, quantumuis plenarium, obtinere ius cuiuſpiam ſupra Papam ſuperioritatis.

Probatur iſtud ſubſumptum. Quantumuis enim gratia: erga animæ ſubſtantiam comparata, habeat ſingularis præeminentiæ prærogatiuam, nequit tamen ex hoc ſundamento ipſi attribui quædam ſuperioritatis ſtrictè ſumptæ, nempe quaſi imperatiuæ præeminentia, eo ipſo, quòd ſit ſubordinata ipſius animæ libertati, atque ea hactenus in prima ſui infuſione, quàm conſeruatione ſit quodammodò dependens, At illa Concilio repromiſſa infallibilitas eatenus ſuperſtruitur auctoritati Pontificiæ, ceu characteri, Chriſti nomen præferenti, atque vt ſic Synodi qua Oecumenicæ formaliter conſtitutiuæ, vt conſequenter ſit dependens à Summi Pontificis, hierarchicum Eccleſiæ Corpus conuocantis, & vnà ſecum coadunantis concurſu libero. Nequit ergo infallibilitatis, Concilio Oecumenico propriæ, prærogatiua huic imperitiri alicuius ſuper Papam ſuperioritatis characterem.

Obiectio I.

Dices. Videri quamdam Concilij ſuper Papa ſuperioritatem euinci ex hoc, quod Abbas Panormitanus 2. par. Conſil. quæſt. 1. & Cardinalis Monilianus de Concilio Oecumenico capit. 33. docent. Nempe ſi in fidei præſertim materia ſolus Pontifex ſentiret contra vniuerſos Concilij Patres, tunc debere Papam illorum accedere votis. Hoc expendens Auctor Regalis Sacerdotij citato lib. 2. §.14.num.6. ita ratiocinatur. Si contra omnes Concilij Patres Papa definiret, hæc definitio tamquam temeraria, nec debito examine, ac inquiſitione veritatis nixa, doctrinæ Concilij cederet. Pontifex enim extra Concilium, & vt priuatus Doctor aliquid docens,

crro-

errori est obnoxius, multòque magis, si temerariè procedat. Sed quando contra cunctorum Concilio præsentium Patrum sententiam pronunciaret, priuatum Doctorem ageret, quia non publicam, sed priuatam opinionem sectaretur, & temerariè decideret, plus sibi, quàm omnibus credens. Et hoc est, quod aliqui dicunt, maiorem esse auctoritatem directiuam Concilij, quàm Pontificis solius, qui tamen non tenetur illi parti accedere, quæ pluribus suffragijs iuuatur, cùm sententia paucorum melior esse possit, l.nemo Iudex, Cod.de sent. & interlocut.cap.sanæ, & passim dist.9.

Responsio.

Num dicere fas est, Papam extra Concilium non nisi vti priuatum Doctorem docere, errorique obnoxium esse? Independenter à Concilio competit Summo Pontifici ex capit.16. Matthæi non minùs indefinita, & vniuersalis ligandi, & soluendi potestas Apostolica, quàm Apostolis collectim etiam sumptis, qua Ecclesiam hierarchicam plenè repræsentantibus, adeoque Concilio Oecumenico Matthæi 18. cap. promissa fuerit. Prærogatiua equidem infallibilitatis indubitanter per Christi Domini verba impertitur Papæ, sed quoad nos saltem maior, id est certior, siue magis notificata inest Concilio Oecumenico, quàm soli Papæ. Neque verò Concilium denominari potest. Oecumenicum, nisi in eo interueniat ligandi, ac soluendi potestas Apostolica, & vniuersalis, ipsaque etiam infallibilitatis prærogatiua, quæ subsistere nequit absque Summo Pontifice, per suum Vicarium Christi characterem formaliter constituente Concilium sub ratione Oecumenici, cui vt sic conueniunt illa tam iurisdictionis Apostolicæ, quàm consummatæ, & in Ecclesia vltimatæ infallibilitatis præeminentia. Quomodò igitur dicere fas est, si omnes Patres Concilij in vnum fidei dogma consentiunt, solo Papa dissentiente, hunc obstringi ad accedendum ipsorum votis, cùm tamen neque infallibilitatis priuilegium ipsis vt sic competat, neque iurisdictione Oecumenica taliter potiantur?

Concilium namque Oecumenicum optimè æquiparatur currui prophetico, ac mysterioso Ezechielis 1.cap. descripto, quòd constaret rotis Cherubicis, nisi quòd in isto curru extiterint quatuor rotæ; in Concilio autem Oecumenico sunt duæ duntaxat, veritatis Diuinæ faciem præferentes rotæ Cherubicæ. Est igitur Oecumenica Synodus currus, in quo veritas triumphat aduersùs portas inferi, cuius rotæ quasi Cherubinæ sunt Primatus Petri, characterem Concilio, qua Oecumenico primitus impertiens, ac reliquum Ecclesiæ Corpus hierarchicum ex Prælatis Ecclesiæ coadunatum. Sicuti ergo totum corpus illius Prophetici currus in circuitu quatuor rotarum erat plenum oculis, sic totum corpus Concilij Oecumenici consistens in corpore hierarchico, vniuersam Ecclesiam plenè repræsentante, est plenum oculis, idest, Spiritu Dei, cum infallibilitatis prærogatiua omnimoda collustratum, sed quatenus est in circuitu duarum rotarum Cherubinarum, nempe Primatus Ecclesiæ, ac reliqui corporis Apostolici, ex membris Ecclesiæ hierarchicis, consistentis. Quemadmodùm porrò in illo Prophetico curru, quòcumque ibat Spiritus, illuc eunte Spiritu, pariter eleuabantur rotæ sequentes Dei Spiritum: sic in Concilio Oecumenico Spiritus Dei non progreditur ad vllum fidei dogma definiendum, nisi rotæ illæ Cherubicæ, Caput scilicet, ac reliquum Ecclesiæ corpus hierarchicum pariter eleuentur, sequentes Dei Spiritum, quia spiritus vitæ est in rotis illis Cherubicis, ac Hierarchicis pariter progredientibus, Christo Domino Matthæi 18. asseuerante, si duo, nempe Caput, ac reliquum hierarchicum Ecclesiæ Corpus in Concilio Oecumenico, sub Christi Vicario nomine coadunata, consenserint, tunc quodcumque petierint à Patre luminum, pro veritate fidei ex verbo Diuino eruenda, infallibiliter fieri, ipsis in vnum fidei dogma consentientibus. Quòd si ergo casus contingeret, vt omnes Concilij Oecumenici Patres consentirent in definitionem cuiuspiam fidei dogmatis, sed Papa dissentiret, nulla adhuc esset sanctio dogmatica cum infallibilitatis prærogatiua, sed esset in materia adhuc informis, quæ nonnisi ex superueniète charactere Christi vicario, adeoq; ex cõsensu Summi Pontificis formati valeret in fallibile, ac certum definitum fidei dogma. Hoc probè agnoscentes Concilij Constantiensis Patres, sub huius finem à Martino V. petierunt confirmationem fidei dogmatum, ex tunc vnanimi consensu suo comprobatorum, adiecta clausula, vt si tunc Pontifex pro tunc confirmare nollet, ad futurum prouocarent Concilium vtique Oecumenicum, Pontificiæ auctoritatis charactere, vicarium Christi nomen præferente, insignitum, vt ex hoc postmodùm per capitis, ac reliqui Ecclesiæ corporis hierarchici consensum perficerent suæ adhuc informes fidei dogmatum definitiones.

Obiectio II.

Instabis. Vbi dogmatica quæpiam fidei definitio per capitis, ac reliqui Ecclesiæ corporis hierarchici concordem consensum nosscitur esse consummata, ei subijci ipsum quoque Summum Pontificem. Pariter in conciliaribus decretis morum, vniuersos Christi fideles concernentibus, quatenus Pontificiam maiestatem condecet, esse vim constringendi ipsum quoque Papam. Ex hac igitur parte rectè dici, Papam esse subiectum Concilio Oecumenico, eiusque decretis, & sanctionibus, seu dogmaticis, seu moralibus.

Responsio.

Instantia hæc ferè æquiparatur illi à Theologis moueri solitæ quæst. [Quomodo Legislator teneatur suis legibus?] In Cõcilio namq; Oecumenico tota ipsius auctoritas legislatiua eiusdem propria superstruitur toti hierarchico Ecclesiæ Corpori ex Capite ac membris hierarchicis coadunato, adeoque decisiones seu fidei, seu morum, qua Conciliares, respiciunt

ciunt Pontificem cum Patribus inibi congregatis indiuisibiliter concurrentem, ceu auctorem, ac legislatorem suum. Illius igitur quæsiti resolutio hunc in modum fieri solet, quòd nempe obligatio legum à summo Principe latarum, ex efficacia legis Æternæ quoad vim directiuam, non autem coactiuam afficiat illum, sub ipsissimo eo virtutis motiuo, quod per legem, quà subditorum obligatoriam est intentum. Quia igitur vis sub fidei motiuo constringens in dogmatibus à Concilio Oecumenico definitis reducitur in auctoritatem infallibilem Diuinitus impertitam Generali Synodo, ceu vltimarum fidei directiuum principium, euidenter patet, dogmaticæ eiusmodi sanctionis energia obstringi Summum quoque Pontificem, vt hæc tamen obligatio non in Concilij, quà ex præciso Corpore Ecclesiæ hierarchico consistentis, congregationem quasi materialem, sed quà Spiritu Dei, eiusque infallibilitate animatam, sicque adeò in principium à Deo immediatè constitutum reduci debeat.

Quoad leges morales in Concilio Oecumenico sancitas, non minor in Pontifice extra, quàm intra Synodum est auctoritas legislatiua per Christum repromissa. Nequit ergo Pontifex constringi legibus moralibus à semet etiam comprobatis, nisi in vi altioris principij, quod suam tunc vim exercere, ad ipsummet etiam Legislatorem, ac Pontificem Maximum peculiari quapiam, ac sublimiori ratione obligandum, mox aperitur. Quemadmodùm enim causæ secundæ operari nul latenus possunt, nisi sub Primæ Causæ influxu tam præuio, quàm concomitante, sic quæuis à Deo communicata hominibus potestas legislatiua, per sui à lege Æterna dependentiam essentialem, non potest imponere vllam obligationem, nisi ipsamet lege æterna ad illam actualiter concurrente. Ex hoc autem actuali legis æternæ concursu accipit lex humana vim, in conscientia etiam foro sub culpa mortali, & pœna æterna obligatoriam. At verò sicuti lex humana essentialiter debet esse ordinatiua in Bonum communitatis, sic consequenter lex æterna legi humanæ se insinuans, eique in conscientia obligandi vim & efficaciam conferens, afficit omnes illos, quorum tamquam vnius corporis Politici, ac Mystici membrorum, est executiuè curare Bonum publicum vi legis intentum. At verò Principis, vtpote Reipublicæ primarij membri est, non tantùm gubernatiuè, & architectonicè, sed executiuè, & quoad viam executionis exemplatiuè procurare Bonum publicum. Ergo lex æterna legi humanæ vim, & efficaciam in conscientia obligatoriam imprimens, vt sic afficit ipsum etiam Principem. At quatenus lex Æterna efficaciam, conscientiæ obligatoriam imprimit legi humanæ, vt sic ista habet formaliter vim obligatoriam conscientiæ sub illo ipso virtutis motiuo, quod per legem est se immediatè intentum, ac definitum. Ergo sub hoc etiàm motiuo, & non tantùm sub generali alicuius cum Republica conformabilitatis ratione, lex à Principe lata obligat ipsum in conscientia. Hinc autem fit manifestum quòd, si materia sub tali virtutis motiuo sit grauis, illa obligatio teneat sub mortali Sicut ergo subditi, sic princeps in materia secundùm se graui v. g. auditionis Missæ, ieiunij &c. obligatur sub mortali ad legis à se latæ obseruantiam? Ex ipso autem, quòd talis obligatio sit præcisè ex legis æternæ legi humanæ intrinsecè se insinuantis concursu, ac efficacia, non autem ex lege, quà formaliter emanante à Principe, oportet, ipsam tenere solummodò quoad vim Directiuam fori conscientiæ propriam, non autem quoad vim coactiuam, foro externo eatenus conuenientem, vt respiciat legem humanam prout est formaliter emanans à legislatore humano. Constat igitur obligationem legum à Principe latarum ex vi legis æternæ in materia de se graui obligare suum legislatorem in foro dumtaxat conscientiæ, atque adeò secundùm vim directiuam, non coactiuam. Et hinc Imperator §. vlt. Instit. Quibus modis Testamenta infirmentur, ait, Licèt legibus soluti simus, in foro scilicet externo, attamen legibus viuimus, in foro scilicet conscientiæ.

Obiectio III.

Vrgebis, Papæ erga Concilium subiectionem videri euincendam sequentibus argumentis. Si namque Papa quoad suam personam fiat hæreticus, posse à Concilio iudicari, ac deponi, vti patet ab exemplo Honorij I. relati in VIII. Synodo Act. 7. Et in Cap. audiuimus 24. q. 1. Cap. Si Papa dist. 40. Cap. Nouatianus 7. q. 1. Cap. Didicimus Cap. Achatius 24. q. 1. Cap. Oues 2. q. 7. extat hoc definitum. Deinde si Papa intrusus. id est, non electus iuxta formam præscriptam in Concilio Lateranensi Can. 1. & Bulla Gregorij XV. quæ incipit æterni Patris, siue aliquis error iuris Diuini: seu naturalis, electioni interueniat, vel electio fuerit simoniaca, vti decernitur in Bulla Iulij II. quæ incipie, cùm tam Diuino vel etiam, si electio facta sit per metum grauem, ac iniustum. Ex Concilio Constantiensi Sess. 39. Tunc eatenus nulla erit Papæ electio, vt propterea arguatur ex hoc argumento, subesse Iuris Canonici dispositionibus.

Adhæc si Pontifex aut vi, aut legibus iniustè latis, alioue modo Ecclesiam destruere nitatur, aut aliorum iura & bona iniustè inuadat, atque monitus non resipiscat, posse bello, & armis coerceri, omnique ratione ad ius naturalia defensionis spectante compesci, probant Turrecremata lib. 2. cap. 106. Bellarminus de Concilior. auctoritate lib. 2. ca. vlt. ad 2. argument. Quod equidem Auctor Regalis Sacerdotij lib. 2. §. 14. n. 4. comprobat sequenti ratione, quòd nempe in casu eiusmodi non resistatur Papæ, sed iniustè ipsius inuasioni, nec in illum exerceatur iurisdictio, sed tantùm iure defensionis agatur, quod ius non iurisdictione, & auctoritate fundatur, sed in facultate naturalis iuris, cui noscitur ipse quoque Pontifex subiectus esse. Ex tota causa 25. q. 1. Sed si hoc defensionis ius competat alicui Laico, præcipuè Regi, quantò magis conuenit Concilio alicui ex totius Christiani orbis Episcopis conscripto Hoc verò numquid, priusquam decernat, super iniustis Papæ aggressionibus faciet processum

cessum iuridicum, sicque adeò iudiciaria auctoritate formabit sententiam super iniustitia aggressionum. Hoc namque iudiciario procedendi modo vtebatur Concilium Constantiense ad certum Ecclesiæ Caput obtinendum, super Papa dubio instituendo processum iudiciarium, vt sine illo potiri valeret. An non igitur eiusmodi processus redarguit Papæ erga Concilium subiectionem aliquam.

Denique cùm grauior fidei præsertim causa, non nisi in Concilio Vniuersali videatur decidi posse, Pontifex tenetur ad hoc adhibendum, vti Patres passim supponunt, rationemque huius adfert præcitatus Auctor, Regalis Sacerdotij n. 5. quod licèt Summo Pontifici sit promissa Spiritus Sancti assistentia in rebus fidei decidendis: hæc tamen promissio supponit omnem diligentiam, & quantum causæ dignitas desiderat, discussionem. conformiter Synodo Hierosolymitanę Act. 15. descriptæ. Numquid verò hinc iam elucescit aliqua Concilij supra Papam maioritas, in vi cuius iudicium super causa ad se primitus delata, sed posteà ad Concilium Oecumenicum relata, videatur esse quodammodò reformabile,

Responsio.

Ex primò casu euincitur equidem Concilio etiam acephalo esse aliquam non super Papa, sed super priuata persona à Papatu iam remota veram iudiciariam, & auctoritatiuè declaratoriam potestatem, de Papatus amissione per ipsummet ius Diuinum sauciata, ac secundùm se iam præuiè suum effectum sortita, non per aliam tamen viam, quàm per GeneraleConcilium cunctis fidelibus auctoritatiuè manifestanda sicque executioni publicæ demandanda conformiter Canoni. [Si Papa dist. 40. vbi sic habetur. Culpas Pontificis, redarguere præsumit mortalium nullus, quia cunctos ipse iudicaturus, à nemine est iudicandus, nisi deprehendatur à fide deuius.] Ex hoc namque Canone euincitur, cùm Papa, quamdiu est in hoc statu, à nemine sit iudicandus, pro casu autem hæreseos, seu à fide deuiationis subijciatur iudicio Ecclesiæ, in Concilio Generali saltem imperfectè & sub intrinseco ad alium Pontificem ordine, dispositiuè & materialiter Generali repræsentatę oportere, in ipso non ampliùs subsistere Pastoris Oecumenici characterem, ex quo scilicet cunctos iudicaturus à nemine est iudicandus. Vnde redditur consequens, ex tunc expoliatum tali charactere non iam iudicari tamquam Papam, sed supponi depositum à Papatu, sicque adeò non tam formaliter deponi à Concilio quàm ab Ecclesia declarari ex Iure Diuino depositum. Cuius ratio est. Quia ex charactere Pastoris Oecumenici Papa est Caput Ecclesiæ. Nequit verò Caput esse Ecclesiæ, nisi sit eiusdem membrum. Huius verò quidditatiua forma est per fidem. Quando igitur Papa per hæresim formalem excidit à fide Diuina, ita desinit esse membrum Ecclesiæ, vt ex Iure Diuino iam non sit ipsius Caput, seu Pastor Oecumenicus. Ergo Ecclesia super Papa facto hæretico, quoad suam priuatam personam, exercendo iudiciariam auctoritatiuè declaratoriam de Papatu per Ius Diuinum amisso potestatem, non prætendit superioritatem super Pontifice, sed super homine, qui desinit esse Papa.

Neque ex secundo casu euinci Ecclesiæ aliquam super Papa superioritatem, demonstratur sequenti fundamento. Etenim Papa non est antecedenter ad legitimam Papatus collationem. Hæc equidem subsistit ex ipso iure Diuino eo ipso quòd Christus Oecumenici Pastoris officium pro perpetuo Ecclesiæ statu sanxerit, Petro promittens: & post Resurrectionem actualiter conferens Claues Regni cælorum, cum ordine ad talem Ecclesiæ statum, vt portæ inferi aduersùs eam non præualerent. In quo diuersa est ratio successionis circa ordinarium Petri Apostolatum, & delegatum, Iudæ inprimis, atque in eius locum subrogatum Matthię commissum Apostolatum, cùm ille, vtpote perpetuus ex prima sui origine esset transferibilis in successorem, hic verò, vtpote personalis, non haberet successionem, nisi quæ speciali sortis Diuinę signo fuerat designata, cum nouę delegationis Apostolicę per sortem, quę Act. 1. cadebat in Matthiam, Diuinitus collatę plenitudine, cuiusmodi specialis delegatio, per singularem reuelationem Diuinam non soli Paulo, sed etiam Barnabę erat, Diuinitus collata iuxta illud Act. 13. Dixit illis Spiritus sanctus, segregate mihi Salum, & Barnabam ad opus, à quod assumpsi eos. Cuiusmodi proinde Apostolatus delegatione, vtpote personali exspirante, ita pro perpetuo Ecclesiæ statu manet superstes Petri Apostolatus, vt eius collatio sit ipso iure Diuino constituta, nec adeò penes Ecclesiam alia sit electio, quàm designatiua personę, adeò vt hac designatione post Summi Pontificis obitum peracta, in hanc deriuetur Apostolicę potestatis plenitudo ex ipsissimo illo iure Diuino: quo per Christum sancita fuitOecumenici Ecclesię Pastoris perpetuitas. Super Papatus igitur collatione, cùm sit iuris Diuini, nulla potest esse Ecclesię superioritas, bene tamen super electione designatiua personæ, Petro successurę, sicque adeò illo Diuino collationis iure potiturę. At sicuti hęc electio actiuè sumpta, non afficit Papam, sed eligentes, passiuè verò spectata, noscitur antecedens Papatus collationem, estque actus ab hac distinctus, sic quatenus Ecclesię auctoritas super eam designatiuam, seu actiuè, seu passiuè spectatam electionem prætenditur, nullatenus importat aliquam super Papa superioritatem, sed super personas tum eligentium, tum electi pro statu, quo needum Papa est; sed primùm pro posteriori redditur particeps illius iuris Diuini, per quod constituitur Summus Pontifex.

Circa tertium casum tota difficultas est; [An, si defensionis Ius aduersùs iniustum alienorum iurium aggressorem, seu etiam dubium Papam à Concilio aliquo Generali iuridicè declaretur, ac processu iudiciario contra talem Pontificem procedatur, possit hinc redargui aliqua Concilij Generalis super Papam superioritas?] In illo statu, quo Papa denunciatur Ecclesiæ, seu Concilio Generali, esse iurium alienorum iniustus aggressor, minimè oportet, iudicium ferri super Papæ persona

suna, eiusque actibus, qua intra ipsum consistentibus, sed super iuribus cuique fidelium inexistentibus, atque horum violationibus passiuis, horum personam contingentibus, nec nisi quà effectibus extra Papæ suppositum & intrà alios fideles moraliter, vel physicè receptis. Quorum adeò iudiciaria præhabita cognitione, si Papa præmonitus, Ecclesiæ, seu Concilio Generali deferre nolit, non potest equidem iudicialiter contra ipsum decerni potest tamen authoritatiuè declarari ius defensionis, fidelibus iniquè læsis per naturalem æquitatem competens ad armatam vsque resistentiam, & violentam etiam iurium raliter læsorum reparationem, seu vindicationem, quin vlla hinc coargui possit Concilij super Papam superioritas.

Dum insuper subest dubietas de valore electionis Pontificiæ, vel dum Ecclesia certificari non potest de legitimo Pontifice, exemplo Synodi Constantiensis, eatenus licet Ecclesiæ processus iudiciarius aduersùs Papam dubium, vt hinc minimè euincatur Concilij super Papam dubium superioritas, sed super eius personam, qua in iudicio Ecclesiæ, non Papam, auctoritatis adeò Pontificiæ pro vltimato eius iudicij statu, iniquum aggressorem; vti mox exponetur. Nam Pontificis Oecumenici receptio per Ecclesiam reduci debet in fidem Diuinam, qua Pastoria Oecumenici munus noscitur à Christo sancitum pro perpetuo Ecclesiæ statu. At stante illa dubietate, haud subsistit, euidentia credibilitatis, per quam sub illo fidei principio credi debeat, hic in indiuiduo esse legitimus Petri successor, atque adeò verus Papa. In tali ergo casu Ecclesia non tenetur talem personam recipere in Summum Pontificem: sicque quoad nos (id est, quoad certitudinem pro ista persona in Summum Pontificem recipienda, constringentem) in iudicio Ecclesiæ, manet Papa, quasi negatiuè depositus, id est, sub tali conditione constitutus, vt non sit habendus pro certo Papa. In quo proinde statu Ecclesiæ ius est, tum inquirendi super argumentis, per quæ, vel perueniatur ad euidentiam credibilitatis, in linea prudentiali certificantem de legitimo Petri successore, vel si hæc certificatio obtineri non valeat, per aliam viam sibi prouidendi, quòusque pertingatur ad talem certitudinem: vnde si aliud, quàm ex Papæ dubij depositione, medium non suppetat, ex illo iure fas est Ecclesiæ, eòusque progredi; nec illa, quæ sanctæ Ecclesiæ Diuinitus repromissa est, Spiritus sancti assistentia in hoc deficiet, vt iudicium illud Ecclesiæ falsum sit, sed omnia, ita disponet suauiter, vt si fortè Pontifex, de cuius legitimitate dubietas supetari non potest, sit re ipsa verus Papa, per eiusdem Spiritus Sancti impulsum resignet, atque adeò certæ in Pontificem designationi locum concedat, vel, si ad talem resolutionem disponi nequeat, ex illo de Ecclesiæ infallibilitate fidei principio legitimum formari possit iudicium super nullitate Papatus ab illo pertinaciter prætensi, contra suæ dictamen conscientiæ in tantum ob strictæ erga Ecclesiam, vt hinc, in certo habendo Christi Vicario Capite, ex iure quasi naturali deferre meritò deberet.

Ex quarto denique casu euincitur quidem aliqua Concilij Oecumenici, qua ipsum Papam complectentis, eiusque charactere, & auctoritate, ceu vicario Christi nomine, insigniti maioritas, saltem quoad nos, siue quoad omnimodam nobis perspectam certitudinem, præeminentia Summo Pontifici solitariè extra Concilium spectato: hanc tamen maioritatem nullatenus præferre aliquem superioritatis characterem, constat ex dictis præced. concl. 2. Quibus ita constitutis, vnum hic superest indagandum; [Quia in Papa dubio abstractio Papalis dignitatis in tantum operatur, vt Ecclesia possit super tali dubio Pontifice iudiciarium processum formare, an non pariter in vero, ac certo, facinoroso & scandaloso, Ecclesiæque pernicioso Papa, possit eatenus facere abstractionem à Papatus prærogatiua, vtpote cum facinorosis eiusmodi actibus nullam habente connexionem, vt sub tali abstractione possit Concilium generale erga ipsius personam auctoritatiuè exerere virgam correctoriam à Christo Matthæi 18. indefinitè erga quoscumque fideles sancitam?

CONCLVSIO III.

Eo ipso, quòd in iudicio Ecclesiæ, secundùm credibilitatis authoritatem in fidei principia reducibilem euidentiam, habeatur quis pro vero, certo ac legitimo Papa, nequit ex tunc Ecclesia, seu Concilium Generale super ipso vllum strictè, ac propriè sumpta superioritatis ius exercere.

Explicatur, & probatur expendendo versum 17. & 18. cap. 18. Vbi Christus imperauit: [Si peccauit in te frater tuus, corripe eum &c.] Numquid enim Summus Pontifex frater nominandus est, quatenus cum vniuersis participat in communicatione gratiæ, & beatitudinis, secundùm quam homo, est adoptiuus filius Dei, atque cohæres Christi? Numquid cum ipso, qua hierarchici Corporis Capite, secundùm Pastoralis sollicitudinis partem communicant reliqua hierarchica Ecclesiæ membra Episcopi, ac Prelati Ecclesiastici, sicque adeò istos vocare solet Fratres. Anne igitur fas est, ipsum excludere ab illo correctionis fraternæ, ac Euangelicæ præcepto? Quando correctionis secretæ impatiens est, num illum nefas erit, denunciare Ecclesiæ? At Ecclesia Corporis Christi hierarchici perfectè repræsentatiua, dum Caput cum ipsa non concurrit, minimè subsistere poterit; sed Concilium acephalum dumtaxat vti tunc poterit illo salubri aduersùs Papam correctionis Euangelicæ remedio. Quòd si ergo deuentum fuerit ad virgam correctoriam, secundùm quam Papa facinorosus & contumax, Ethnico, & Publicano, Ecclesiam audire detrectanti compar pronunciandus

dus ſit, quid iam poteſtatis eric in Concilio? Quæ namque ligandi, & ſoluendi poreſtas Apoſtolica Concilio Oecumenico per Chriſtũ fuit repromiſſa, ea ſuperſtrnitur plenæ, ac Generali Synodo, ex hierarchicæ Eccleſiæ, & Corpore, & Capite ſub Vicario Chriſti charaĉtere aggregatæ:quæ tamen hierarchicæ Corporis plenitudo, ac perſeĉtio, ob Capitis cum eo concurrentis defeĉtum, haud intercedere poſſet, vbi agererur contra ipſum Eccleſiæ Caput Summum Ponrificem. Et verò ipſe Papa etiam ſolitariè ſumptus, ex Matthæi 16.cap. haber æquè plenam, ac indefiniram ſoluendi, ligandique in Eccleſia authoritatem. Quid ergo contra ipſum agere poterit Concilij Corpus acephalum, Synodi Oecumenicæ per Vicarium Chriſti nomen Summi Pontificis proprium, vnicè ſubſiſteutis charaĉtere tunc deſtitutum? In aperto igitur eſt, vbi etiam per viam correĉtionis Euangelicæ agendum eſſet contra Papam facinoroſum, nihil cum eo aĉtum iri ex auĉtoritate, quamdiu maneret in ſtatu certo, & indubitato Papatus, qui, vbi ſub conuincente prudentialis credibilitaris euidentia ſemel eſt receptus ab Eccleſia, à nemine iam releuari poterit, præter cauſam conſummatæ hæreſeos, ſub quo ſtatu, vtì deſinit eſſe Chriſti membrum, ſic Papatus prærogatiua deſtituitur. Ex illo igitur Euangelico correĉtionis, virgęq; cenſorię decretorio ſacro textu nequaquam euinci poteſt Eccleſiæ, ſeu Concilij Generalis ſupra Papã auĉtoritas, ſeu ſuperioritas.

Obieĉtio I.

Dices. Quomodo igitur Concilij acephali, vtpote Chriſti Vicario charaĉtere, Pontificiæ præeminentiæ proprio, deſtituti, ſupra Papam dubium ſuperioritas prætendi poterit? Etenim tam illa indefinitæ ad ſoluendum, & ligandum poteſtatis prærogatiua Apoſtolica, quàm omnimodæ, & conſummatæ in dogmatibus fidei decidendis infallibilitatis ſupereminentia Concilij Oecumenici propria, ſuperſtrui deber Concilio, quà Oecumenico, ceu Corpori hierarchico ſub Capitis, Vicarium Chriſti munus agentis, charaĉtere, rotam, & vniuerſam Eccleſiam plenè repræſentanti. At vbi Papa dubius eſt, atque contra ipſum agit Concilium iam acephalum, pro tunc euidenter deficit ille Eccleſiæ hierarchicæ ſtatus, ſuper quo illa tum indefinita, ſoluendi, & ligandi poteſtas, tum illa conſummatæ infallibilitatis auĉtoritas Oecumenica ſuperſtruitur. Quæ ergo tali Concilio acephalo poteſt eſſe auĉtoritas, contra Papam dubium procedendi vſque ad ipſius depoſitionem?

Reſponſio.

In tali equidem Concilij acephali ſtatu locum non habent præinſinuatæ Concilij, quà Oecumenici propriæ prærogatiuæ. Nihilominùs vniuerſi Epiſcopi, quà poſſibile eſt, ex orbe Chriſtiano aggregati in vnum, comportant authoritatem ſuam Eccleſiæ cuique deſignatæ gubernatiuam, quæ collectim ſumptæ extendunt ſe virtualiter ad vniuerſam Eccleſiam, quatenus ſcilicet omnibus, & ſingulis Epiſcopis huiuſmodi incumbit, catenus proſpicere ſuæ Diœceſeos ſpirituali incolumitati, vt, quia ſingulorum Epiſcopatuum Religio ex intrinſeca ſuæ inſtitutionis conditione ordinatur ad bonum Vniuerſalis Eccleſiæ, ijs iam in vno acephalo Concilio vnitis poteſtas, & obligatio ſit, proſpiciendi de certo Eccleſiæ Vniuerſalis Capite. Ex altera autem, Papæ ſcilicet dubij, parte, dum Papatus eiuſmodi ob defeĉtum prudentialis de legitimo ad hanc dignitatem ingreſſu euidentiæ, nulla eſt habenda ratio, redditur inde conſequens, in iudicio Eccleſiæ, talem Papam perinde habendum eſſe, ac ſi vacaret Sedes Apoſtolica. Vnde Papatus, dum poſt Concilij, licèt acephali in hunc finem aggregati, diligentem diſcuſſionem, non eſt probatu poſſibilis, inconcuſſa, & firma manet illa Epiſcoporum in vnum collata iuriſdiĉtio, procedenti aduersùs Papam dubium vſque ad ſententiam, de Papatus ipſius nullitate auĉtoritatiuè declaratoriam. Quæ ſecùs ſe habent in Papa certo, quantumuis facinoroſo, quippè cum in iſto ſemper præemineat Papatus ab Eccleſia recepti poſſeſſio, & prærogatiua, nullam Concilij, præſertim acephali, ſuperioritatem iudiciariam admittens.

Obieĉtio II.

Inſtabis. Papam habere ſubieĉtionem in foro Sacramentalis confeſſionis, ad cuius tamen valorem requiritur iuriſdiĉtio, ab ipſomet etiam Summo Pontifice ſaltem mediatè deriuata. Quantumuis ergo Concilium Oecumenicum non ſubſiſtat, niſi quà informatum Vicario Chriſti nomine, vt ſic Pontificiæ auĉtoritati proprio, neq; illa Concilio Oecumenico repromiſſa Apoſtolicæ poteſtatis in fidei dogmatibus decidendis prærogatiua ſubſiſtat, niſi quà ſuperſtruĉta plenè Synodo, ex capite, & hierarchicis Eccleſiæ repræſentatiuæ, nequaquam hinc euincitur, non poſſe Concilio Oecumenico competere aliquam ſuper Papa ſuperioritatem.

Reſponſio.

In foro Sacramentalis confeſſionis ita concurrere debet iuriſdiĉtio ab ipſomet Papa mediatè ſaltem deriuata, vt hæc tamen ſit voluntaria, in vi cuius nemo, niſi volens ſubijciatur illi foro. Sic proinde, ſi Papa propter deliĉtum aliquod publicum, ſeipſum ſponte velit ſubijcere alicui Concilio, quantumuis acephalo reſpeĉtu iſtius ſortiretur ſubieĉtionem, ſed merè voluntariam, ex ſeipſo ſcilicet dependentem, non verò ex Concilij etiam, quà Oecumenici natura, Diuinaq; inſtitutione dependentem. Quòd ſi equidem Papa ſeipſum, volens, ſubiecerit foro confeſſionali, adeoque iuriſdiĉtioni à ſemet erga ſe prorogatæ, tunc ſuperuenit charaĉteris Sacerdotalis poteſtas, à ſolo Chriſto tam in ſui infuſione, quàm in ſui exercitio per ſacerdotem, quà Chriſti inſtrumentum in abſolutione Sacramentali perficienda. Sub cuiuſmodi proinde abſolutionis Sacramentalis aĉtu ipſemet etiam Papa perfeĉtam erga Confeſſarium,

quà Christi iam ministrum, imò erga ipsum Christum habet subiectionem, debetque adeò pro tali foro profiteri aliquam supra se, quà Christiano homine, superioritatem, quæ tamen sit principaliter in Christo, instrumentaliter autem in Sacerdote Sacramentaliter absoluente.

Pari igitur ratione quoad fidei dogmatum in Concilio Oecumenico definitiones, Papa plenè, & absolutè est subiectus tali definitioni ex vi auctoritatis, instrumentaliter Concilio Oecumenico, qua suæ quoque vicariæ Christi auctoritatis characterem præferenti, principaliter autem ipsimet Spiritui sancto, Synodo qua Oecumenicæ, secundùm Christi promissionem, assistenti, ineluctabiliter competentis Nihilominùs hæc Papę erga dogmaticasConcilij Oecumenici definitiones subiectio respicit quidem perfectam Spiritus sancti, ac Christi, respectu Papæ superioritatem: at quia Concilium quà Oecumenicum ipsammet Papæ præeminentiam, ceu sui characteristicam formam essentialiter constituentam includit, idcircò non tam superioritatis strictæ, quàm maioritatis cuiuspiam præcellentiam importat; vti supra expositum fuit.

Corollarium.

EX dictis infertur decisio quadruplicis circa Concilium Generale difficultatis. In primis quoad Concilium quantumuis Generale, si acephalum sit, pro primo, & quartò circa huius disquisitionis initium exposito statu, prorsus asseuerandum est, nihil habere specialis potestatis, præcipuè erga Papam, nisi in quantum singulorum Episcoporum in vnum collatæ iurisdictioni accrescit quædam extensiua plenitudo erga dubium præcipuè Papam, vti proximè expositum fuit, singularem obtinens vim, ac energiam.

Deinde quoad secundum statum dicere oportet, quòd Concilium Oecumenicum, vicario Christi nomine insignitum, sicque adeò Papam ipsum, ceu Ecclesiæ Caput cum reliquo eiusdem hierarchico, ex orbis Christiani Episcopis conflato Corpore complectens præter hanc soli Summo Pontifici propriam auctoritatem, sit à Christo Domino immediatè dotatum duplici prærogatiua, altera indefinitæ ad ligandum, & soluendum potestatis, altera omnimodæ, & consummatæ infallibilitatis.

Pro tertio insuper quæstionis circa Concilium Generale statu asseuerandum est, duplicem illam prærogatiuam, cùm non conueniat Concilio, nisi qua Oecumenico, minimè competere Generali Synodo, quantumuis ex Patrum, seu Episcoporum numerosissimo concursu quasi materialiter loquendo, plenissimæ, atque Legatorum Pontificiorum præsentia solemnizatæ, nisi cum isthoc hierarchico Concilij Corpore in fidei dogmate aliquo sanciendo consentiat Summus Pontifex, neque hanc potestatem ex parte Papæ esse delegabilem, sed oportere, consensum personaliter præstari à Pontifice Maximo, vt robur infallibilitatis consummatæ adijciatur eiusmodi dogmaticis sanctionibus.

DISQVISITIO III.

An superioritas Papæ supra Concilium acephalum demonstrari possit ex sacris Literis?

§. I.

COnsultò restringitur hæc disquisitio ad Concilium acephalum, etiam quando legitima Papæ auctoritate congregatum præsentes, ac præsidentes habet Legatos, seu Nuntios Apostolicos, necdum tamen obtinuit consensum Summi Pontificis Decretorum inibi sancitorum confirmatorium. Etenim ex præcedenti Disquisitione constat omnimodæ infallibilitatis auctoritatem, ex Christi Domini institutione non competere Concilio, nisi quatenus Duo, Caput scilicet, ac reliquum Corpus hierarchicum Ecclesiæ consenserint in fidei dogmatibus, ac morum decretis quoad formale honestatis motiuum, & rationem in fidei principia reducendis. Et ideo Concilium quantumuis Generale, priusquam ipsorum sanctionibus accedat personalis Papæ consensus, nec dum est in statu consummatæ Synodi, quà formaliter Oecumenicæ, sed hanc vltimatam sui perfectionem recipit ex Pontificiæ auctoritatis decretorum confirmatoriæ consensu.

Non equidem negauerim, vbi per Summi Pontificem facta est indictio Concilij Generalis, mandato ad vniuersos Christiani orbis Episcopos, Ecclesiæque Prælatos directo, atque in vi mandati conuenerint Ecclesię præsidentibus præcipuè Legatis Apostolicis, Concilium iam in statu esse Oecumenicæ Synodi, quatenus ex tunc verificatur, Vicario Christi nomine, seu auctoritatis Apostolicæ, Vicarium Christi nomen præferentis, charactere insignitum existere Antlitium tali modo coadunatorum Conuentum, Ecclesię Vniuersalis ex hierarchico Capitis, ac reliquorum, in partem sollicitudinis pastoralis assumptorum Præsulum ordine consistentis repræsentatiuum: nec interest, siue pauci, siue plures sub tali charactere fuerint coadunati ex orbe Christiano Præsules Christo Domino Matthæi 18. prounntiante, se in medio eorum fore, vbi duo, vel tres congregati omnimodam in fidei dogmatibus decidendis fuerint. Hæc tamen assistentia Christi infallibilitatem adferens, eatenus requirit Duorum, scilicet Capitis, ac reliqui hierarchici Corporis in vnum consentientium personalem, Legatis Apostolicis haud delegabilem, concursum, vt, antequam hic vtrinque fuerit personaliter præstitus, Concilium quantumuis Generale, ac Oecumenicum, non sit adhuc in statu perfecto, seu vltimatè consummato: tametsi haud negauerim, Apostolicam ligandi, & soluendi potestatem indefinitam Concilio Oecumenico, quà Collegij Apostolici successori immediatè concessam, antecedenter ad illam consummatam, ex personali Pontificij consensus concursu

subsistentem, omnimodæ infallibilitatis perfectionem iam locum habere, ex quo in Christi Vicario nomine sub Sedis Apostolicæ Legatorum præsidentia aggregari, & continuari cœpit.

In cuiusmodi proinde statu, cùm Concilij Oecumenici ad ligandum, & soluendū auctoritas coæquetur cum Pontificia potestate, in vi cuius Synodus ex Capite per Legatos præsidente, & reliquo Ecclesiæ hierarchicæ Corpore coadunata, meritò iam dicenda sit Oecumenica, licèt vltimatam, & consummatam sui perfectionem tandem receptura ex personalis Pontificij consensus ad sanctiones dogmaticas à Patribus definitas accessu. Idcircò sicuti In præcedente Disquisit. dicebamus, Concilium Oecumenicum ex eiusmodi rationis fundamento dici haud posse Papa superius, sic viciſſim neque Papa est dicendus supra Concilium plenè Oecumenicum habere strictam superioritatem. Secùs est de Concilio necdum plenè, sed quasi dispositiuè Oecumenico, in casu dubij Papæ aggregato, ad certum Ecclesiæ Caput inquirendum, ac designandum. Tunc enim tali Synodo, quantumuis materialiter dici possit Generalis, deficit formalis character, quousque veri, ac certi Pontificis auctoritas Apostolica eidem accesserit; dum interea in tali Concilio acephalo non alia, quàm vniuersorum ex Christiano orbe ibi aggregatorum Ecclesiæ Antistitum in vnum collata interuenit iurisdictio, cum aliquo adeò singulis accrescente extensiuo, vt sic ad publicum Ecclesiæ Bonum efficaciùs referibili augumento. Cuiusmodi adeò Concilio acephalo Pontificia auctoritas prorsus superemine; veluti ex sacris Litteris pro vtraque parte adducendis demonstrare conabimur.

§. II.

His taliter præsuppositis, operæ prætium duximus; alios quoque Theologos super præsentis disquisitionis puncto consulere, ac singulariter audire Auctorem tractatus de libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ lib. 5. cap. 10. concludentem: In sacris Litteris clariùs exprimi Pontificis sine Concilio, quàm Concilij sine Pontifice auctoritatem.

Tria igitur præcipuè citantur loca pro auctoritate Conciliorum. Primus locus est Matth. 18. Vbi sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, illic sum in medio eorum. Sed primò Launoius par. 6. epist. t. notat, hunc locum de Conciliorum quouis genere intelligi posse, & à nonnullis Ecclesiasticis tractatoribus subinde intelligi. Secundò quinque sanctorum Patrum interpretationes refert; qui locum illum neque de Concilijs generalibus, neque de Prouincialibus intellexerunt. Et sanè videtur magis ad obedientiam in causis Criminalibus præstandam, quàm ad fidem declarandam, aut Canones condendos pertinere. Præmittitur enim; Si peccauerit in te frater tuus, &c. quæ præscribunt ordinem judiciarium in ferenda excommunicatione seruandum; vel ad orationis efficaciam. Cum enim dixisset Christus [Si duo ex vobis consenserint super terram de omni re, quamcumque petierint; fiet illis à Patre meo, qui in cælis est] immediatè subiungit verba illa [Vbi enim sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum] Accedit, quòd illa verba Concilium Prouinciale, aut adhuc Prouinciali minus, potiùs significant, quàm vniuersale. Nam duo, vel tres Concilium fortassè Prouinciale, non autem vniuersale constituerent.

Alter locus est Ioannis 16. Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem. Sed ea promissio non solùm in omnibus Apostolis collectiuè, sed etiam in singulis erat implenda. Accepto enim Spiritu sancto in die Pentecostes, factum est illud, quod prædixerat Propheta Isaias cap. 45. v. 13. à Christo allegatus Ioan. 6. [Et erunt omnes docibiles Dei] hunc sensum B. Petrus ipso Pentecostes die locum illum Prophetæ Ioelis adduxit [Et erit in nouissimis diebus, dicit Dominus, effundam de Spiritu meo super omnem carnem, & prophetabunt filij vestri, & filiæ vestræ.

Tertius locus est Act. 15. ibi enim primum Concilium, quod est cæterorum norma, scripsit [Visum est Spiritui sancto, & nobis] quæ verba de assistentia Spiritus sancti dubitare non sinuor. Sed illa Spiritus sancti assistentia Apostolos inspirantis Apostolorum gratiæ, non Concilij generalitati tribuenda est. Nec enim generale erat, siquidem ex Apostolis, & Senioribus Ierosolymis consisteotibus dumtaxat constabat, vti probat Cardinalis Baronius ad annum 51. num. 8. adfuisse tunc tantùm ex Apostolis Petrum, Iacobum, Ioannem cum Paulo, & Barnaba, Erant autem in multis mundi partibus Episcopi iam constituti, quos certum est, ab eo Concilio abfuisse, vt vniuersale dici non possit. Adde, quòd Cœtui aderat B. Petrus, vt nihil hinc ad propositum concludi; cùm agamus de Concilio, à quo absit Petri successor, possit.

Probatur etiam auctoritas Conciliorum in omnibus Scripturæ locis, quibus Ecclesiam circa fidem errare non posse demonstratur. Cùm enim Concilium Ecclesiam repræsentet, necesse est, vt sicut Ecclesia, ita Concilium ab omni erroris circa fidem periculo absit. Sed Summus Pontifex meliùs Ecclesiam repræsentat, quàm reliqui Episcopi sine ipso.

Statuitur autem euidentiùs eius, quàm Conciliorum auctoritas in sacris Scripturis. Etenim dum Matth. 16. Petrus fundamentum Ecclesiæ constituitur à Christo dicente [Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersùs eam,] manifestè declaratur, eum, eiusque successorem Romanum Pontificem, ita se habere ad reliquorum fidelium cœtum, sicut fundamenta ad ædificium. Atqui ratione, & experientia compertissimum est, firmitatem ædificij à fundamento; non autem fundamenti ab ædificio pendere. In eumdem ergo modum firmitas in Fide, ac Religione, non à reliquis fidelibus in Summum Pontificem, sed à Summo Pontifice in reliquos fideles prouenit.

Petro datæ sunt claues Regni Cælorum, & per ipsum Apostolorum Collegio, non autem primò Apostolorum Collegio, ac per illud,

illud, seu in illo, B. Petro. Prosequitur enim Christus loco citato; [Et tibi dabo claues Regni Cælorum, & quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum, & in Cælis, & quodcumque solueris super terram, erit solutum, & in Cælis.] Certum est autem, per claues potestatem significari.

Tertiò, Episcopi etiam congregati non desinunt esse fratres successoris Petri; ergo ab eo debent confirmari; pro ipso enim Christus orauit, ne deficeret Fides eius, vt posset deficientes, aut titubantes sustulcire: quod in Petri, & aliorum Apostolorum successoribus potiùs locum habet, quàm inter ipsosmet Apostolos. Nam post aduentum Spiritus sancti Apostoli omnes fuerunt in gratia confirmati, vt beati Petri confirmatione non ita indigerent. Anteà verò non legimus, beatum Petrum tantùm suos fratres iuuisse, vt necessarium eis fuerit indeficientis illius fidei præsidium.

Quartò, dum Christus Ioann. vlt. oues suas pascendas Petro, & in eius persona Romanis Pontificibus tradidit, apertè significauit, Summum Pontificem esse Pastorem, reliquos autem fideles gregem. Quis autem gregi Pastorem præponendum dubitet? Num monstruosa foret ordinis perturbatio, si pastor à grege, non grex à pastore regeretur? Nec responderi potest, intelligenda illa esse de ouibus seorsim sumptis, non autem de toto grege. Nam nullum est in Christi verbis huius distinctionis vestigium. Nihil excipitur, vbi distinguitur nihil.

Ex collatione illorum Scripturę sacrę locorum perspicitur, clariùs expressam esse Petri, quàm aliorum sine ipso, auctoritatem. Sed aliqui Scriptores Gallicani Catholici contendunt, prærogatiuas illas B. Petro datas esse tamquam Ecclesiam repræsentanti, atque adeò toti Ecclesiæ in ipso; ipsum quidem, eiusque successores singulis membris præeminere tamquam Caput, non autem toti Ecclesiæ formaliter acceptæ, vel per Concilium repræsentatæ. Videndum igitur est, quam personam gesserit Petrus, cùm ei Christus auctoritatem contulit locis Scripturæ suprà relatis expressam; & vtrùm ad singulos fideles tantùm referatur, non ad omnes simul? Et adhuc an descenderit ad Romanos Pontifices? Id enim Hæretici negant omninò, & aliqui Catholici, ex parte.

Verùm vltrà progressuri, conabimur in hac disquisitione ostendere, quòd ex sacris Literis haud probetur Concilij supra Papam superioritas, sed econtra Papæ supra Concilium, quà acephalum auctoritas.

§. III.

Aduersariorum argumenta ex sacrosancta Scriptura verbis petita, referuntur cum responsionibus, & aliquali super ijs reflexione.

ARGVMENTVM I.

Aduersariorum.

Forma posteriorum Conciliorum Oecumenicorum petenda est ex norma Concilij Hierosolymitani act. 15. à versu 6. descripti. Vbi patet ex versu 17. & 18. Iacobum Apostolum, postquàm Prophetica, ad disquisitionis tunc de Legalibus propositæ decisionem facientia, adduxisset oracula, postmodùm versu 19. & 20. definitiuam, & iudiciariam protulisse sententiam: [Propter quod, inquiens, ego iudico, non inquietari eos, qui ex Gentibus conuertuntur ad Deum, sed scribere ad eos, vt abstineant se à contaminationibus simulacrorum, & fornicatione, & suffocatis, & sanguine.] In quam proinde Iacobi sententiam versu 23. scribentes Apostoli, & seniores fratres, talem efformarunt epistolam Synodalem: [Visum est Spiritui sancto, & nobis, nihil vltra imponere vobis oneris, quàm hæc necessaria, vt abstineatis vos ab immolatis simulachrorum, & sanguine, & suffocato, & fornicatione.] Neque igitur in definitiua Concilij sententia, neque in hac Synodali epistola videtur vlla fuisse habita ratio Petri præeminentiæ, quod meritò faciendum fuisset, si Petro conuenisset aliqua supra Concilium superioritas.

Responsio.

Auctor Regalis Sacerdotij citato lib. 2. §. 15. num. 3. ad posteriorem illius argumenti partem respondet; hunc esse morem, & stylum; etiam quando Summus Pontifex cum suprema præest potestate, vt nomine Concilij decreta expediantur, quod patere, omnia Concilia, etiam vltimum Tridentinum legenti, nec propterea excludi auctoritatem Pontificiam, quæ primas in Concilio partes agit; sicut cùm dicimus: [Petrus scribit,] quamuis de Capite nihil dicatur, non tamen huius influxus excluditur, sed semper velut necessarius, & principalis subintelligitur: Imò in illo ipso Conuentu Apostolico, vbi omnes à Spiritu sancto gubernabantur, nec errori patebant, multa Petrum Primatus sui argumenta reliquisse, dum primus sententiam dicit, dum, quid definiri debeat, præscribit, dum calentem priùs disputationem, & vota discordantia componit: quæ omnia eum locum legenti patere.

Reflexio.

Ex illo Concilio Hierosolymitano mirificè elucet, quàm diuersa sit conditio Petri, ac

ac eoque Summi Pontificis extra Concilium ex sua priuata sententia procedentis, vel in Concilio auctoritariuam proferentis sententiam. Petrus antehac Gentilibus ad fidem conuersis in fauorem illorum, qui ex Iudaismo Christi religionem amplexi fuerant, Veteris Testamenti Legalia aliqua obtrudebat, reprehensus proinde à Paulo; vti 2. ad Galatas cap. habetur. At in Synodo illa Apostolica proferens sententiam ex Diuinis Oraculis ita pronunciabat: [Viri fratres, vos scitis, quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit, per os meum audire Gentes verbum Euangelij, & credere. Et qui nouit Deus, testimonium perhibuit, dans illis Spiritum sanctum, sicut, & nobis. Et nihil discreuit inter nos, & illos, fide purificans corda eorum. Nunc ergo, quid tentatis Deum, imponere iugum super ceruices discipulorum quod neque Patres nostri, neque nos portare potuimus? Sed per gratiam Domini nostri Iesu Christi credimus saluari, quemadmodùm & illi.] In quo sacro textu occurrit notatu dignum, quòd Petrus in Concilio præferte volens auctoritatem vni suæ personę propriã, dixerit in singulari: [Quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegerit, per os meum audire Gentes verbum Euangelij, & credere.] Ex quibus sanè verbis infertur, auctoritatem credibilitatis specialem substitisse ex ore Petri in Concilio loquentis verbum Euangelij, ac eatenus declarantis, seu definientis, vt exinde præferretur ratio auctoritariuæ credibilitatis. At ex hoc iam elucet Petri in fidei dogmatibus decidendis prę cęteris Apostolis prę eminentia, ac primatus, sub illa ipsa definitiua Conciliari sententia, singularis auctoritatis proferens characterem.

Vnum obseruatione dignum est, quòd, vbi Petrus protulit illam sententiam, subdatur versu 12. Tacuisse omnem multitudinem Concilio adstantem. Quæ taciturnitas tomo 1. Concilior. circa tertiam Apostolorum Synodum dicitur æquiparari consensui. Quem proinde consensum subsecuta est promulgatio Decreti Synodalis facta per Iacobum Apostolum; de quo ex verbis supra num. 14. adductis constat, iudicasse, vt scriberetur Fratribus Antiochiæ consistentibus, nec ex Legalium obseruantia inquietarentur ij, qui ex Gentibus ad Deum essent conuersi. Ipsissima enim huius à Iacobo prolati iudicij verba significant, non tam definitiuum, quàm executiuum decretum: sicque adeò Synodalis ad Antiochenos epistola hunc in modum est formata: [Visum est Spiritui sancto, & nobis, nihil vltra imponere vobis oneris, quàm hæc necessaria; &c.] Quare hinc patet, Petrum proferendo suam sententiam, fuisse quidem vsum sua propria auctoritate, qua sibi singulariter competeret illa prærogatiua, secundùm quam fuerat à Deo electus, [vt per os suum audirent Gentes verbum Euangelij, & crederent:] attamen in finali decreti Conciliaris conclusione coniunxisse consensum suum, cum reliquis Apostolis, ac Senioribus Concilij eiusdem Assessoribus, vt sic seruaretur forma Oecumenicæ Synodi per Christum Matthæi 18. constituta, secundùm quam Duo, Caput scilicet cum reliquis Hierarchicis Ecclesiæ membris, oportet, consentire, quo omnimoda sanctionis dogmaticæ infallibilitas subsistat. Et hinc sub hoc Capitis, vnà, & reliqui Ecclesiæ Hierarchicæ Corporis consensu, subsistere equidem quamdam infallibilitatis eminentiorem maioritatem, non verò strictam Concilij super Papa superioritatem, seu iurisdictionem, constat ex dictis præced. disquisit.

ARGVMENTVM II.

Aduersariorum.

ETenim Act. 20. Paulus sic alloquebatur Episcopos: [Attendite vobis, & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.] Quibus sanè verbis Apostolus agnoscit in Episcopis iurisdictionem super vniuerso Christi grege protensam, quod procedit de Episcopis saltem collectiuè sumptis, atque adeò, qua aggregatis in Concilio præsertim Generali. Et hinc concludit Paulus, Episcopos esse à Spiritu sancto positos ad regendam Ecclesiam indefinitè, adeoque vniuersaliter acceptam. Quare intrà auctoritatis Episcopalis, saltem ex vniuersi Christiani orbis Hierarchis in Synodo Generali aggregatis in vnum collatæ sphæram continetur etiam ratio Boni publici ad Ecclesiam vniuersalem spectantis. Sicut autem ex hoc, quòd Pontificia auctoritas tota quanta mensurari debeat ex ratione Boni publici, Ecclesiæ vniuersali proprij, atque adeò Pontificis Summi cura pastoralis obstringitur ad obseruandum publicum Ecclesię vniuersalis Bonum, sic quatenus istud ab Episcopis in vnum collectis determinatur, eius obseruandi debito tenetur Summus Pontifex, itaque subiacet Episcoporum Concilio, prę sertim Generali.

Responsio.

Auctor Regalis sacerdotij citat. §. 15. num. 5. respondet ad illum Apostoli textum, Episcopum quemlibet, dum propriam, & particularem Ecclesiam regit, hoc ipso, & mediatè regere Ecclesiæ membrum, Bono, & regimine partium cedente in Bonum, ac regimen totius: sicuti bonum, & malum vnius membri est etiam bonum, & malum totius corporis: & tamen omnium membrorum, ipsiusque corporis motus, & directio à Capite pendent, vnde & influxum, & spiritus, motumque accipiunt. Ergo, & Papam, & Episcopos regere Ecclesiam, sed istos, vt membra, illum vti Caput: istos regere particulares Ecclesias, illum totam, & vniuersalem Ecclesiam.

Reflexio.

Alia habenda est ratio Boni publici vniuersalem Ecclesiam complectentis, sub quadam extensiua in vnum collatæ iurisdictionis Episcopalis vniuersalitate, coalescente, vel ex Christiani orbis Episcopis intrà Generale Concilium aggregatis, vel ex ijsdem, quà vnius Corporis mystici, nempe Ecclesiæ sanctæ Hierarchis collectim sumptis, vel ex eisdem sub muneris sui intrinseco fine, vniuersa-

le

ſe Eccleſiæ Bonum reſpiciente, ad ſe inuicem comparatus.

Sub eiuſmodi adeò conſideratione, ſi vniuerſi ex orbe Chriſtiano Epiſcopi cōſpirent in aliquo decreto, quod vniformiter iudicant, eſſe de bono neceſſario vniuerſalis Eccleſiæ, tenetur ipſemet quoque Summus Pontifex illi ſe conformare, non equidem in vi iuriſdictionis Epiſcopalis, ex toto Chriſtiano orbe in vnum collatæ, atque ad vnum Eccleſiæ vniuerſalis bonum, qua neceſſarium ſibi viſum conſpirantis, ſed ex altiori diuini iuris obligatione, ſui moneris Oecumenici curæ paſtorali incumbente: ſicque adeò poteſt ex hoc Papa quidem dici ſubiectus iuri eiuſmodi diuino, non autem illi Epiſcoporum, quantumuis Generali Concilio. Nam vt iſti eſſet quædam ſuper Papam ſuperioritas, oporteret, eidem inexiſtere non illam dumtaxat extenſiuam iuriſdictionis vniuerſalitatem, ſed deberet habere ſupereminentiorem intenſiuè maiorem auctoritatem, ſuper ipſum etiam Eccleſiæ Caput protenſam, in vi cuius ita poſſet obſtringi Papa, vt ex eiuſdem præcepto ſpecifico, non ex tranſcedente dumtaxat diuini iuris obligatione altiori teneretur obedire, ſe conformando rei præceptæ. At quia Chriſtus Ioannis 21. dixit Petro, eiuſque Succeſſori: [Paſce oues meas, paſce agnos meos,] ipſos adeò Epiſcopos, ſequitur, non his erga Papam, ſed iſti erga illos eſſe auctoritatem præceptiuam. Ex illa igitur extenſiua Epiſcoporum, ex toto Chriſtiano orbe ſuas vniuerſas iuriſdictiones, pro communi Eccleſiæ bono, in vnum conferentium vniuerſalitate, nulla reſultare poteſt maioritas ſuperioritatis ſupra Papam protenſæ.

CONCLVSIO.

Concilio generali, qua acephalo, id eſt, ſine Papa conſiderato, nulla eſt ſupra Papam ſuperioritas, ſed huic è contra eſt auctoritas ſuperioritatis erga tale Concilium.

Explicatur. Ad hoc perſpicaciùs intelligendum, lubeat corpus humanum à ſuo capite præſcindere non phyſica ſeparatione, ſed mentali abſtractione. Sub eiuſmodi igitur præciſione mentali, multas in humano corpore vitales, ſeu vegetatiuas, ſeu ſenſitiuas, tum cordis, tum hepatis, aliorumue membrorum functiones deprehendimus, quæ non ſunt in capite, ſicque adeò cum iſto collatæ, faciunt quandam extenſiuam maioritatem vltra proprias functiones à quibus iſtæ quoque, vel maximè, & vt plurimùm neceſſariò dependent. Quæ tamen capitis quoad ſui conſeruationem, & in ordine ad functiones ſibi proprias, à reliquis humani corporis membris, corde præcipuè, ac hepate dependentia, nullam in eiuſmodi corpore, præciſè ſpectato, ſuper caput importat ſuperioritatis quaſi gubernatiuæ rationem, quin potiùs regimen quoddam teneat ſuper totum corpus humanum, eiuſque membra, ac functiones iſtorum, ſaltem quoad mediatum aliqualis directionis, ac moderationis in eas influxum. Sic proinde, ſi Eccleſiæ corpus hierarchicum conſideremus ſecundum quandam capitis, ac reliqui corporis hierarchici in Concilio generali coadunati præciſionem, & ſecundùm aliquam inter ſe collationem, verificatur equidem, quòd Summus Pontifex Eccleſiæ Caput indigeat membris hierarchicis, Epiſcopis à Spiritu ſancto poſitis, vt regerent Eccleſiam Dei. Quæ indigentia ſpectat tum Epiſcopos ſigillatim ſpectatos, qua diuerſarum Diœceſeon Rectores, quas impoſſibile foret ab vno Paſtore ad ſufficientiam gubernari: tum Epiſcopos collectim in vnum Generale Concilium coadunatos, quorum Epiſcopales iuriſdictiones iam faciunt aliquā ſuperiùs expoſitam generalitatem extenſiuam Quæ etiam extēſiua corporis hierarchici vniuerſalitas eſt neceſſaria, vt caput ipſum, Summus Pontifex, potiri poſſit prærogatiua vltimatæ, & conſummatæ infallibilitatis, per Chriſtum repromiſſæ, & annexæ capitis, vnà ac reliqui corporis hierarchici intra Concilium Oecumenicum coadunati conſenſui. Ex qua etiam infallibilitatis prærogatiua capiti Eccleſiæ accreſcit maioritas quædam intenſiua, quam tamen ſuperiùs demonſtrauimus, non importare propriè dictam ſuperioritatem, neque Concilio, qua acephalo, id eſt, ſine capite conſiderato, ſed vtrique collectiuè ſumpto eſſe diuinitus repromiſſam. Quemadmodum igitur corpus humanum ſecundùm abſtractionem mentalem à capite præciſum, nihil habet ſuper iſtud ſuperioritatis, ſed capitis è contra eſt quædā ſuper reliquum corpus gubernatiua ſuperioritas: ſic rem ſe habere in capite collato ad Eccleſiæ hierarchicum corpus, ſeu Concilium Generale, qua acephalum ſine capite conſideratum, oſtendemus in ſubſequentibus; hìc equidem per retorſionem argumentorum ex parte aduerſa allatorum, poſteà verò in §§. ſubſequentibus per directas ex ſacris literis probationes.

PROBATIO I.

In qua fit retorſio primi Aduerſariorum argumenti.

Etenim Concilium Hieroſolymitanum, de quo fit mentio in præinſinuato Aduerſariorum argumento: quantumuis non fuiſſet materialiter Generale, extitiſſe tamen Oecumenicum, & formaliter, vniuerſale, ex eo euincitur, quòd vicario Chriſti nomine, Pontificiæ auctoritatis proprio, fuerit coadunatum: Chriſtus autem Matthæi cap. 18. Concilium formaliter Oecumenicum aſſeuerarit, ſubſiſtere, vbi duo, vel tres in nomine ſuo, nempè vicaria ſua auctoritate Apoſtolica congregarentur. In hoc igitur Concilio Oecumenico, quis Catholicorum negabit, Petrum ibi præſentem, extitiſſe caput Eccleſiæ? Hoc autem ſuppoſito, quis Catholicorum negabit, Petrum ibi præſentem, extitiſſe caput Eccleſiæ? Hoc autem ſuppoſito, quis Catholicorum negare auſit, capiti Eccleſiæ intra Concilium Oecumenicum conuenire officium

ficium præsidentis? Hoc igitur præsidentiæ munus in eo Concilio à Petro exercitum, præter ea, quæ in præcedentis §. num.16. deducta sunt demonstratur. Etenim is ex Apostolis sanè Præsidis munus in Concilio subit, qui quæstionis ibidem definiendæ, conquisitione magna à cœtu facta, primus taliter definit, vt cæteri Apostoli in eius sententiam vniformiter condescendant. Ac legenti sacrum textum cit. cap. 5. Actor. perspicuè constabit, magna prius conquisitione circa propositam controuersiam facta, Petrum surrexisse primum, & taliter definijsse quæstionem vt cæteri Apostoli (ibi præsentes) omnes in eius sententiam descenderent. Et hinc, etsi Petrus, quamdiù conquisitio fiebat, non fuerit primus locutus, secus tamen, vbi deuentum est ad definitionem, in qua primæ debentur præsidi: neque huic muneri derogatur, licèt Paulus, Barnabas, & Iacobus post Petrum locuti fuerint non aliter, quàm à Petro iam definitiuè pronunciatum erat, sicque à Iacobo Petri sententiam ex Diuinis Oraculis comprobante, ad Antiochenam Ecclesiam scribendum, adeoque executioni demandatum fuerit.

Quemadmodum igitur Regis in Comitijs Regni sui generalibus præsidentiæ nihil derogat, quòd vbi ordinum consilia, & vota sunt collecta, decernat ex Regiæ Maiestatis auctoritate, indeque verò Regni primus Cancellarius Decretum scribendum demandet, sic neque præsidentiæ Petri officere potuit: quòd Iacobus Apostolus vrbis Hierosolymitanæ, in qua celebratur illud Oecumenicum Concilium, Antistes in via executionis iudicarit, non esse per legalia (conformiter definitioni iam factæ) inquietandos, qui ex Gentibus conuerterentur ad Deum, sicque ad eos scriberetur. Quia igitur neque corporis physici, neque hierarchici, à capite seorsim spectati, potest aliqua supra caput, in Concilio Oecumenico præsidis munus subire consuetum esse superioritas, idcircò ex præallegata Concilij Hierosolymitani norma euincitur, non Synodum præcisè sine capite spectatam, supra Papam Petri Successorem, sed hunc erga Concilium, qua acephalum habere superioritatem.

PROBATIO II.

In qua fit retorsio secundi Aduersariorum argumenti.

SI namque in publici Regni alicuius, cuius Rex est caput Monarchicum, Comitijs conueniant status vniuersi, in certos distincti Ordines, tunc equidem in vnum conferuntur vniuersæ Regni gubernatiuæ, ex ipso Rege seu mediatè, seu immediatè deriuatæ potestates, in ordine ad consulendum publico Regni bono, ad quod ex intrinseco suo fine transcendentali ordinantur cunctæ particularium trigiminum iurisdictiones ciuiles, ac politicæ. Et hinc ad Regiæ Maiestatis supereminentem dignitatem fit quædam extensiuæ cuiuspiam, bono publico perquàm proficuæ maioritatis accessio, quæ tamen supereminenter, quoad intensiuæ alicuius maioritatis superiorem excellentiam, contineatur vniuersim in ipsa Regiæ Maiestatis præeellentia; nec adeò dicere fas est, Comitia Regni esse supra Regem, si hic sit Monarcha, sed hunc esse supra Comitia.

Pari proinde ratione, si vniuersæ, cunctorum etiam totius orbis Christiani Episcoporum iurisdictiones intra Concilium Generale aggregarentur in vnum, cum suo ad vniuersale Ecclesiæ bonum ordine transcendentali, inde quidem resultaret extensiua quædam maioritas, publicæ Ecclesiæ vtilitati, ac regimini vniuersali accomoda, & vtilis, ve ptopterea Pastor Oecumenicus in publicæ Ecclesiæ necessitatibus obstringatur ad talem Generalem conuocationem, auctoritate Christi vicaria indicendam. Nihilominus tota illa ex iurisdictionibus Ecclesiasticis in vnum collatis resultans extensiua maioritas, supereminenter contineretur in Oecumenica Papę auctoritate, ex qua cunctæ reliquæ inter Episcopos dispertitæ iurisdictiones eatenus deriuantur, vt earumdem consortes, ceu Agni Christi, etiam collectim spectati, semper subdantur Oecumenico Summi Pontificis Pastorali officio, atque adeo vniuersorum Episcoporum iurisdictiones sic in vnum collatæ, secundùm intensiuam maioritatem, ac superioris ordinis, capitis scilicet propriam præeminentiam, superexcedantur à Pontificia auctoritate, vtpotè cui super quocumque in terris ad regnum cœlorum, seu militans, seu triumphans ordinabili morali competat indefinita ligandi, & soluendi potestas. Et licèt Concilio Generali, qua formaliter Oecumenico, vnà cum capite spectato, ex Matthæi 18. peculiaris adhuc promittatur ligandi, & soluendi auctoritas vniuersalis, hæc tamen nequit maior, & vniuersalior esse, ac illa, quæ soli Petro, eiusque adeò Successori Pontifici Romano diuinitus competit, nec adeò Concilium etiamqua Oecumenicum, vnà cum capite spectatum, potest habere maioritatem iurisdictionis, seu superioritatis erga Papam.

Obiectio.

Dices. Auctoritatem Conciliorum probari peculiariter ijs omnibus Scripturæ locis quibus Ecclesiam circa fidem errare non posse, demonstratur. Cùm enim Concilium repræsentet Ecclesiam, necessum est, vt sicut Ecclesia, ita & Concilium, ab omni erroris circa fidem periculo absit. In qua adeò infallibilitatis omnimodæ, & consummatæ prærogatiua Conciliorum supremum Papæ solitariè spectato.

Responsio.

Tanto equidem honore dignatus est Christus suam Ecclesiam, atque adeò Concilium eiusdem repræsentatiuum, vt tali consummatæ infallibilitatis in fidei dogmatibus decidendis prærogatiua supereminere at. Attamen sicuti Ecclesia absolutè sumpta, nequit intelligi sine capite, sic neque Concilium, qua vniuersalem Ecclesiam hierarchicam repræsentans, est intelligibile, quin informatum sit Oecumenico Christi Vicario charactere, Summi Pontificis proprio,

prio, cuius proinde per suum personalem consensum ad Concilij dogmaticas sanctiones accessio est prorsus necessaria, vt istæ teneant omnimodæ, & consummatæ infallibilitatis prærogatiuam; veluti multis dictum est in antecedentibus. Et hinc Concilium, qua ipsum Papam, eiusque ex Apostolicæ auctoritatis charactere profluentem consensum substantialiter includens, habet quidem aliquam maioritatem consumatæ, & vltimatæ in Ecclesia circa fidei dogmata infallibilitatis, attamen ista maioritas non est iurisdictionis, sed præeminentiæ cuiuspiam super Spiritus sancti, ac Christi infallibili assistentia fundatæ, nec adeò exindè quædam Concilij non iàm acephali, sed qua plenè etiam Oecumenici superioritas, seu iurisdictionis maioritas est adstruenda; vti in præcedentibus ostensum fuit.

§. IV.

Nostratis sententiæ argumenta, ex Antiqui Testamenti sacris Literis petita, cum aliquali super ijs reflexione referuntur.

ARGVMENTVM I.

Ex Deuteron. cap. 17.

IN hoc namque sacro textu decernitur, vt causæ difficiles ex Veteris Testamenti legibus iudicialibus decidendæ, in quibus variabant portæ, seu tribunalia secularia, deferrentur ad Sacerdotes Leuitici generis, & ad Iudicem, qui indicarent iudicij veritatem interpretando, & ad causæ controuersæ statum applicando ius, Diuina iudiciali lege contentum. Hi ergo Sacerdotes cum Iudice, nempè Summo Pontifice in loco Sanctuarij congregati, conficiebant Ecclesiasticum Veteris Testamenti Concilium, in quo præsidebat Summus Sacerdos, siue eius Vicarius. At in hoc Concilio sententiam definitiuam spectasse ad Summum Sacerdotem, euincitur ex citato Denter. cap. 17. v. 12. vbi sic habetur: [Qui autem superbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat, & Iudicis decreto, morte moriatur.] Pari ergo ratione in Concilijs Nouæ Legis spectat ad Summum Pontificem, eiusve Legatum, proferre definitiuam sententiam. Atqui in Concilijs Oecumenicis hæc ipsa prærogatiua in Summo Pontifice præsidentiæ, ac potestatis in Concilio Oecumenico sententiam definitiuam proferendi, importat quandam superioritatis supra Concilium maioritatem. Ergo Papa dicendus est, esse potiùs supra Concilium, quàm vt istud dicatur esse supra Papam.

Exceptio partis Aduersæ.

EXcipient fortassis Aduersarij. Quemadmodùm, teste Abulensi qu. 4. in citato cap. 17. Deuteron. Veteris Testamenti Sacerdos Summus, tamquam Præses, nomine, & consensu Concilij proferebat sententiam, sic in Noui Testamenti Concilijs Oecumenicis seu Papam, seu Legatos Summi Pontificis nomine totius Concilij ex suffragijs Patrum definire, ac decernere; vti praxis docet, conformiter praxi Concilij Hierosolymitani, act. 15. descripti, vbi non Petri solius, sed totius Synodi Oecumenicæ nomine noscitur fuisse latum decretum sub hoc tenore: [Visum est Spiritui sancto, & nobis &c.] At quemadmodùm inepta foret consequentia, qua Dux v.g. Venetorum ex eo, quòd nomine totius Senatus proferat sententiam definitiuam, inferretur, esse superior toto Senatu, quin potiùs hic dicendus sit illo maior, sic ex illo argumento haud concludi, Papæ supra Concilium, sed huius potiùs supra Papam superioritatem, seu maioritatem, cùm reuera quisque minor dicendus sit illo, ex cuius nomine, & auctoritate exercet iudicium, seu profert sententiam iudiciariam. Quamvis proindè Deuteron. cap. 17. proclametur reus mortis, qui non obedierit Sacerdotis (non Concilij) imperio: hoc ipsum tamen imperium nomine, ac vice totius Concilij Ecclesiastici à Summo Sacerdote latum, non reducebatur in istum, nisi quatenus erat repræsentans totum Concilium, sicque adeò huius præeminentia debebat in ipso fuisse repræsentata. Pari igitur ratione Concilio Oecumenico per se, vel per Legatos suos præsidens, itá nomine Concilij profert definitiuam sententiam, vt istud sic repræsentans, Diuo etiam Augustino inculcante, quòd Papæ summa prærogatiua competat ipsi, qua repræsentanti Ecclesiam.

Responsio.

Ad præadductam exceptionem confutandam, apprimè conducit, explicare, quo modo Petrus, eiusve Successor dici possit repræsentasse Ecclesiam. In hunc finem Auctor tract. de libertatibus Gallicanę Ecclesiæ lib. 5. cap. 11. num. 4. distinguit tria repræsentationis genera.

Primò, enim vnum repræsentat aliud tamquam nudum signum, rem significatam nequaquam continens, quales sunt v. gr. picturæ, aut quæ metaphoricè de alijs dicuntur.

Secundò, aliquando, quod repræsentat, cum eo, quod repræsentatur, communicat, sed pro sua tantùm rata portione: vt dùm particulare communitatis membrum, totius communitatis nomine pecuniæ summam in singulos ciues distribuendam accipit, itá totam communitatem repræsentat, vt beneficij vniuersitati concessi, tamquam vnum ex eius membris, particeps etiam fit.

Tertiò, aliquando vnum aliud repræsentat tamquam illud sub se habens, vt Princeps, Dux, Paterfamilias, Pastor, aut alterius generis superior, Regnum, exercitum, familiam, alios-

aliosve inferiores, quibus communicant aliquod bonum dispensationi suæ commissum; vt cùm Dux totum exercitum repræsentans, accipit à Rege in præmium reportatæ insignis victoriæ, cuius ipse pars maxima fuerit, ditissimum aliquod munus, cuius tamen participes futuri sint reliqui, tùm Officiales, tùm Milites, prout ipse, pensatis cuiusque meritis, iudicauerit, aut prout Princeps ipse ordinauerit.

Primo dumtaxat modo Ecclesiam à beato Petro repræsentatam fuisse, nemo dixerit. Quis enim ità desipiat, vt Apostolum illum nullam sibi, sed Ecclesiæ tantum, accepisse potestatem sentiat.

Secundo igitur saltem modo beatum Petrum Ecclesiam repræsentasse, fatendum est, vt patem ad minus cum cæteris dignitatem adeptus sit.

Sed Catholicis necessariò concedendum est, tertio etiam modo repræsentatam à beato Petro Ecclesiam. Cùm enim hæreticum sit, negare, beati Petri successores habere Primatum iurisdictionis in Episcopos, nec illum Primatum beato Petro datum legamus, nisi in illis locis, in quibus Ecclesiam repræsentasse dicitur, necessariò sequitur, beatum Petrum alios repræsentasse tamquam existens, vel exindè futurus illorum superior, illosque in sua potestate, atque, vt aliàs ex sancto Ioanne Chrysostomo dicemus, velut in sua manu habens.

Et sanè conuenit illi omninò, quod de Duce mox dicebamus. Illi enim promissum est, ædificandam super eo, tamquam super fundamento Ecclesiam Christi; tradendas claues Regni Cælorum, & potestatem ligandi, atque soluendi, in præmium confessionis, quam, interrogatis omnibus, solus ipse respondens, edidit bis verbis: [Tu es Christus Filius Dei viui;] cuius quidem confessionis laudem, & præmij promissionem statim audiuit à Christo dicente: [Beatus es Simon Bariona, &c. & ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, &c. Matth. 16. v. 18. & 19. & præmium ipsum accipit, cùm et Christus ouile suum commisit his verbis Ioannis vlt. [Pasce agnos meos, pasce oues meas.] Accedamus etiam ad sancti Augustini loca.

Sanctus Augustinus tract. 50. in Ioann. beatum Petrum cum Iuda comparat, eiusque comparationis occasione, pluries reperit, beatum Petrum Ecclesiam repræsentasse. [Quia non vnus est Iudas, inquit, vnus malus corpus malorum significat, quomodò Petrus corpus bonorum, immò corpus Ecclesiæ, sed in bonis. Nam si in Petro non esset Ecclesiæ Sacramentum, non ei diceret Dominus: Tibi dabo claues Regni Cœlorum, quæcumque solueris in terra, soluta erunt & in Cœlo, & quæcumque ligaueris in terra, ligata erunt & in Cœlo.] Si hoc Petro tantùm dictum est, non facit hoc Ecclesia; [si autem in Ecclesia fit, vt, quæ in terra ligantur, in Cœlo ligentur, & quæ soluuntur in terra, soluantur in Cœlo, quia, cùm excommunicat Ecclesia, in Cœlo ligatur excommunicatus: cùm reconciliatur ab Ecclesia, in Cœlo soluitur reconciliatus. Si hoc ergo in Ecclesia fit, Petrus, quando claues accepit, Ecclesiam sanctam significauit.] Hæc verba [Si hoc Petro tantùm dictum est, non facit hoc Ecclesia, &c.] explicant, quo in sensu sanctus Augustinus Petrum dicat, Ecclesiam repræsentasse, cùm ei traditæ sunt claues, quia neque in sui solius fauorem, neque vt ipsis solus vteretur, sed in vniuersæ Ecclesiæ bonum, & ab alijs etiam Ecclesiæ Ministris adhibendæ, à Christo ipsi datæ sunt. Alium sensum non admittit ratiocinatio S. Doctoris. Nàm ex hoc antecedente; hoc Petro tantùm dictum est, non sequitur; ergo non facit hoc Ecclesia, nisi supponatur, nullum alium Ecclesiæ Ministrum, potestatis clauium esse quoquo modo participem. Dummodò enim alij eadem potestate gaudeant, quandocumque, vel à quocumque illam acceperint, non potest dici: [Si hoc Petro tantùm dictum est, non facit hoc Ecclesia.] Potuit enim hoc Petro tantùm dici; & nihilominùs potest hoc facere Ecclesia; si alij Ministri potestatis Petro traditæ participes efficiantur.

Tract. 118. in Ioann. vnitatem, & charitatem, occasione tunicæ inconsutilis Christi, commendans, in vno Petro duodecim Apostolos repræsentatos affirmat: [Inconsutilis autem (inquit, Ecclesiam cum tunica conferens) ne aliquando dissuatur, & ad vnum peruenit, quia in vnum omnes colligit. Sicut in Apostolis, cùm esset etiam ipse numerus duodenarius, idest, quadripartitus in ternos, & omnes essent interrogati, solus Petrus respondit: [Tu es Christus Filius Dei viui;] & ei dicitur: [Tibi dabo claues Regni Cœlorum,] tamquam ligandi, & soluendi solus acceperit potestatem, cùm & illud vnus pro omnibus dixerit, & hoc cum omnibus, tamquam personam gerens ipsius vnitatis, acceperit.] Ideo vnus pro omnibus, quia vnitas est in omnibus. Quocirca sicut beatus Petrus, interrogatis omnibus, solus respondens, etiam non expectata aliorum sententia, vt docet sanctus Ioannes Chrysostomus homil. 55. in Matthæum super hæc verba capitis 16. [Vos verò, quem me esse dicitis, &c.] pro omnibus respondere censetur, quia ipsi Pater Cœlestis pro reliquis omnibus Christi Diuinitatem reuelauit; non quia alij, quid respondendum esset, ipsum docuerunt. Ità ipse fundamentum Ecclesiæ statuitur, vt eam sustentet, non vt sustentetur ab ea, claues accipit ab ipso, cum Ecclesia communicandas, non ab ea iterum recipiendas.

Norunt, qui beatum Augustinum diligenter legerunt, sanctum illum Doctorem sæpè res verè, atque historicè gestas, ad alias significandas transferre, sed ferè vbique, qui eius erat pro Ecclesia amor, & contra hæreticos, & schismaticos zelus, Ecclesiam vidisse. Quamobrem non est existimandum, ex positionibus illis allegoricis sensus literalis auctoritatem vllo pacto imminui. Itaque nihil officit propriæ beati Petri dignitati, aut potestati in Ecclesiam, quòd Ecclesiæ personam gessisse dicatur: præsertim cùm Regnum nemo meliùs quàm Rex ipse, cui subijcitur, repræsentet.

AR-

ARGVMENTVM II.

IN Antiquo Teſtamento Diuina proferebantur Oracula tum ex ex Sanctuario, in quod Summo dumtaxat Sacerdoti patebat aditus, iuxta cap. 16. Leuitici: tum ex rationali Vrim, & Tummim, ornamento Summi Sacerdotis, quo pectus ipſius tegebatur, & cui inſcripta erant iſta verba. [Doctrina, & Veritas.] Quamuis proindè vltimata, & conſumata in rebus fidei decidendis infallibilitas ſubſiſtat ex Papæ, ceu Capitis Eccleſiæ, & Concilij generalis, ceu Hierarchici Eccleſiæ Corporis conſenſu, eo ipſo tamen, quòd in ſolum Papam, qua vnicum Eccleſiæ Caput reducatur, ſub hac etiam infallibilitatis Concilio Oecumenico propriæ, prærogatiua, catenus patet aliqua Papæ ſupra Concilium maioritas, ſeu ſuperioritas, quatenus caput eſt præeminens reliquo corpori.

Exceptio partis aduerſa.

EXcipient fortaſſis Aduerſarij. Illam ipſam conſummatæ in Eccleſia circa res fidei decidendas infallibilitatis prærogatiuam non competere Papæ, niſi dependenter à Concilio. Hanc verò à Concilio dependentiam arguere huius ſupra Papam ſuperioritatem, in eo ſe tenentem, quòd Concilium ſit repræſentans vniuerſalem Eccleſiam; veluti Concilium Conſtantienſe adhuc acephalum, ſuis decretis præfixum eſſe voluit hunc titulum.

Reſponſio.

Quantumuis illa conſummata in rebus fidei decidendis infallibilitas ſubſiſtat ex Papæ, atque Concilij concordi conſenſu, atque Papa quoad iſtam infallibilitatis omnimodę, & abſolutæ conſummationem, ſit dependens à Concilio Generali; quemadmodùm etiam anima quoad functiones ſenſitiuas, ac vegetatiuas eſt dependens à corpore, ex eiuſmodi dependentia æquè non infertur Concilij ſupra Papam maioritas, quàm ex illa animæ erga corpus dependentia concludatur corporis ſupra animam præeminentia. Sed neque ex eo, quòd Concilium Generale ſit repræſentans vniuerſam Eccleſiam, euinci Concilij ſupra Papam auctoritatem, conſtat ex dictis ſupra à n. 30. firmaturque vlteriùs ex ijs, quæ præcitatus Auctor tractatus de libertatibus Eccleſiæ Gallicanæ à num. 10. deducit: Aliquando, inquiens, à S. Auguſtino verbis proprijs, ac perſpicuis, ſingularis dignitas Petri à Chriſto accepta commendatur; velut ſerm. 29. de Sanctis: [Petrus, ait, in illa cæleſtium diſcipulorum ſchola præcipuus, ac primus idoneus, qui verba vitæ ex Chriſti ore ſuſcipiens, per Euangelij poteſtatem Iudæorum gentem perditam quæreret, & abdicatos ad hæreditatem vocaret; interpres legis, aſſertor gratiæ, deſtructor Synagogæ, Eccleſiæ reparator: & ideo ſolus inter Apoſtolos meruit audire: Amen dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, Dignus certè, qui ædificandis in domo Dei populis lapis eſſet ad fundamentum, columna ad ſuſtentaculum, clauis ad regnum.

In ſermone quoque 13. de verbis Domini plurima ſunt, quæ B. Petri auctoritatem ſupra cæteros omnes Apoſtolos, & Eccleſiam ipſam inſinuant; qualia ſunt iſta; [Eſſe Petrum Eccleſiæ vnicæ typum. Ipſe enim Petrus in Apoſtolorum ordine primus, in Chriſti amore promptiſſimus, ſæpe vnus reſpondit pro omnibus. Ipſe denique Domino Ieſu Chriſto requirente, quemnam homines dicerent eum eſſe, & opiniones varias hominum diſcipulis reſpondentibus, rurſuſque Domino interrogante, & dicente: Vos autem, quem me eſſe dicitis? Reſpondit Petrus; Tu es Chriſtus Filius Dei viui, vnum pro multis dedit reſponſum. Vnitas in multis. Tunc ei Dominus ait; Beatus es Simon Bariona, quia non reuelauit tibi caro, & ſanguis, ſed Pater meus, qui eſt in cælis. Deinde addidit; Et ego dico tibi, tamquam diceret; Quia tu dixiſti mihi: Tu es Chriſtus Filius Dei viui: & ego dico tibi; Tu es Petrus. Et inferiùs. In illo ergo vno Apoſtolo, id eſt Petro, in ordine Apoſtolorum primo, & præcipuo, in quo figurabatur Eccleſia, vtrumque genus ſignificandum fuit, id eſt, firmi, & infirmi, quia ſine vtroque non eſt Eccleſia. Et ſerm. 49. c. 3. dicit Petro, in quo vno format Eccleſiam: Petre amas me? Reſpondit, Domine amo. Paſce oues meas.]

Sermone autem 108. de diuerſis ait; [Inter hos penè vbique ſolus Petrus totius Eccleſiæ meruit geſtare perſonam. Propter ipſam perſonam, quam totius Eccleſiæ ſolus geſtabat, audire meruit; Tibi dabo claues Regni cælorum. Has enim claues non homo vnus, ſed vnitas accepit Eccleſiæ. Hinc ergo Petri excellentia prædicatur. Quia ipſius vniuerſitatis, & vnitatis Eccleſiæ figuram geſſit: quando ei dictum eſt. Tibi dabo, quod omnibus traditum eſt. Nam vt noueritis, Eccleſiam accepiſſe claues regni cœlorum, audite, in alio loco quid Dominus dicat omnibus Apoſtolis ſuis; Accipite Spiritum ſanctum. Et continuò, ſi cui dimiſeritis peccata, dimittentur ei, ſi cuius tenueritis, tenebuntur. Hoc ad claues pertinet, de quibus dictum eſt, quæ ſolueritis in terra, erunt ſoluta, & in cœlo, & quæ ligaueritis in terra, erunt ligata, & in cœlo. Sed hoc dixit Petro, vt ſcias, quia Petrus vniuerſæ Eccleſiæ perſonam tunc gerebat...... Columba ligat, columba ſoluit, ædificium ſupra Petram ligat, & ſoluit. Et infra. Meritò etiam poſt reſurrectionem Dominus ipſi Petro oues ſuas commendauit paſcendas. Non enim inter Diſcipulos ſolus meruit paſcere Dominicas oues: ſed quandò Chriſtus ad vnum loquitur, vnitas commendatur, & Petrus primitus, quia in Apoſtolis Petrus eſt primus...... Attendite fratres mei. Paſce, inquit, ouiculas meas, paſce agnos meos, paſce oues meas.

Si Concilium generale ſine Papa Eccleſiam meliùs, quàm Papa ſolus repræſentat, toti Collegio, non ſoli Petro tradendæ erant claues, commendandæ oues, &c. Non ergo vt ſimplex Procurator, ſed vt Monarcha viſibilis claues Regni cœlorum accepit Petrus; non vt deferendas ad Eccleſiam, & ab illa rurſus

accipiendas, sed in illius vtilitatem vsurpandas, & ministris inferioribus communicandas. Certè si Petrus nuda fuisset Ecclesiæ figura, seu simplex Procurator, hinc Petri excellentia non prædicaretur, vt dicit S. Augustinus.

CONCLVSIO

Ex Veteris Testamenti præadductis sacris textibus cum Christi sancto Euangelio collatis, efficaciter ostenditur Summi Pontificis supra Concilium, qua acephalicè spectatum, sicque materialiter dumtaxat Generale, seu superioritas, seu maioritas.

Explicatur. Nam vti sæpe dictum est, duæ sunt Concilij Oecumenici prærogatiuæ, vna absolutæ iurisdictionis, seu indefinitæ ad soluendum, & ligandum potestatis, Apostolis, eorumque successoribus, qua in nomine Christi, atque adeò huius vicaria auctoritate congregatis Matthæi 18. concessæ: quæ Concilio Oecumenico non aliter, quàm Christi nomine, seu auctoritate eius vicaria informato competens præeminentia, ita comparatur ad Concilium, & Papam, vt huius character se habeat vti formale, reliquùm verò Hierarchicum Ecclesiæ Corpus, sub isto charactere aggregatum, sit quasi materiale, cui superstruatur illa Apostolica Oecumenica iurisdictio, præterquàm quòd Papæ etiam solitariè spectato, pariter indefinita ligandi, & soluendi potestas conueniat. Quemadmodùm igitur anima, se habens tamquam principium formale respectu potentiarum ex ea promanantium in corpus, nequit inferior, sed potiùs superior dici debet isto, vtpote quod in ordine ad illas se habet tamquam materiale, subiens rationem principij organici erga operationes animæ, seu sensibiles, seu vegetatiuas, seu rationales, quæ ex phantasia dependentes. Sic in Concilio Oecumenico, qua iurisdictionis illius vniuersalis, per Christi Domini verbum susceptiuo, formale quasi principium eiusdem est character Papæ, præferens Christi nomen vicarium, Synodi qua Oecumenicæ formaliter constitutiuum: materiale verò est reliquum Corpus Ecclesiæ hierarchicum, ex Christiano orbe conuocatis Episcopis aggregatum. Num igitur fas est, dicere, istud corpus, si acephalicè spectetur, esse Papa superius, vel potiùs Summus Pontifex respectu Concilij maior, & superior nominandus est?

Altera Concilij Oecumenici prærogatiua consistit ex omnimoda, & consummata in dogmaticis sanctionibus infallibilitate. Hæc verò competit Concilio non acephalo, sed pleno, ac Oecumenico, vt sic composito ex Capite, ac reliquo Ecclesiæ Corpore per vicarium Christi nomen aggregato, qua ambobus in vnum veritatis Diuinæ sensum consentientibus. Quemadmodùm verò hominis Christi sanguine redempti ad gratiam sanctificantem suscipiendam capacitas nequis conuenire animæ separatæ, sed qua vnitæ corpori; ita tamen, vt hæc aptitudo per se primò conueniat homini ratione animæ, corpore per hanc informato, per modum conditionis quasi materialis. Diuinitus ordinatæ ad statum gratiæ susceptiuum se habente. Sic equidem consummata in fidei dogmatibus decidendis infallibilitas neque soli Papæ, neque Concilio acephalicè considerato, sed pleno Oecumenico Concilio competit, ita tamen, vt auctoritas Pontificia sit quasi formale, reliquum verò ex Episcopis aggregatum Ecclesiæ Corpus hierarchicum sit materiale constitutiuum Concilij, qua susceptiuum illius consummatæ in rebus fidei definiendis infallibilitatis. In quantum ergo anima, in ordine ad gratiam sanctificantem, homini, qua in statu viatoris constituto, Diuinitus destinatam recipiendam, supereminet corpori, eiusdem gratiæ in tantùm participi, in quantum est pars hominis ad hunc Diuinæ amicitiæ statum eleuati: sic Papæ auctoritas, ceu Concilij Oecumenici forma, præualet reliquo Ecclesiæ intrà Synodum Generalem aggregatæ Corpori hierarchico, etiam in ordine ad illam consummatæ in sanctionibus dogmaticis infallibilitatis prærogatiuam; vti magis elucidabitur ex sequentibus probationibus.

PROBATIO I.

Ex Deut. 17. cap. petita.

IN illo namque sacro textu consideratione præcipua dignum est, quòd, licèt iudicium causæ ad Concilium sacerdotale delatæ, spectarit, & ad Iudicem, qui fuisset illo tempore, & ad totum Conuentum Sacerdotum, qui cum Summo Sacerdote coniuncti, deberent iudicare iudicij veritatem; vti facer textus vers. 9. & 10. habet. Nihilominùs obedientia tali iudicio, ac decreto iudiciario debita sequenti versu 12. reducitur in vnum Sacerdotem Pontificem Maximum: quatenus ibidem dicitur: [Qui autem superbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, & decreto Iudicis, morietur homo ille. Ex quo manifestum iam redditur, in Veteri Testamento Concilium illud sacerdotale non fuisse potitum suprema illa iudiciaria auctoritate, nisi qua coniunctum cum Summo Sacerdote. Sub hac verò coadunatione consistebat suprema iudicij auctoritas, vt hæc equidem non spectaret ad solum Summum Sacerdotem, sed coniunctim, qua concurrentem cum Concilio, ad ferendam sententiam. Cuius nihilominùs sententiæ vis, ac energia à præcitato sacro textu adscribitur præcisò Sacerdotis imperio. Cur hoc, nisi quia sub istius tamquam Capitis, ac Præsidis charactere, ceu quasi forma Concilij consistebat huius auctoritas, quæ, vbi Concilio accessisset, vim obtinebat sub mortis etiam reatu obstringendi ad decreti, seu imperij taliter lati obedientiam. Quemadmodùm igitur corporis humani forma huic eatenus præeminet, quatenus in se eminenter continet cunctas etiam corporales seu sensitiuas, seu vegetatiuas poten-

tentias, & hinc, licèt anima secundùm se præcisè spectata, non habeat vim eliciendi tales functiones corporales, sed ad eas præstandas opus habeat corpore, ac membris ipsius, ceu organis ad hoc à natura destinatis. Sic in Veteri Testamento ex ordinatione Diuina, iudiciaria suprema Ecclesiastica potestas, ipsarum etiam Dei legum Iudicialium interpretatiua, & ad causas seu Ciuiles, seu Criminales auctoritatiuè applicatiua, non competebat quidem Summo Sacerdoti, nisi qua concurrenti cum Concilio, eo ipso tamen, quòd huius sententia esset quasi informis, quamdiù non informabatur Summi Sacerdotis consensu, ideò istius imperium ita quidem fuerat dependens à Concilio, ut tamen se haberet tamquam forma in tantum supereminens, in quantum anima in ordine ad functiones etiam corporales supereminet corpori, à quo, ceu organo est dependens: ob cuiusmodi adeò præeminentiam sacer textus præcisò sacerdotis imperio attribuit vim reatus mortiferi inflictiuam, quatenus scilicet Concilij vota in Sacerdotis tandem consensum reduci debebant, vt ab hoc, ceu forma, reciperent vim auctoritatiuam, sicque proinde vis imperij reducatur in sacerdotem, qua Concilio consensu suo accedentem, atque adeò iste Concilio præeminuisse sit meritò dicendus.

Pari igitur ratione intra Nouum Testamentum in expendenda auctoritate Oecumenica Concilij Gener. res ita debet tractari, vt, si Synodus, quantumuis materialiter Generalis, sit realiter acephala, id est, absque Capite Summo Pontifice, nonnisi Episcopalium iurisdictionum in vnum aggregatarum, & sub ista aggregatione in vniuersale Ecclesiæ Bonum naturæ suæ conformiter coordinatarum, Cœtum Ecclesiasticum conficiat, sitque adeò destituta charactere auctoritatis Oecumenicæ. Quòd si verò Concilium Generale sub Vicario quidem Christi charactere sit coadunatum, sicque Oecumenica Papæ auctoritate insignitum, nec adeò dici possit realiter acephalum, sed tamen qua abstractiuè acephalum comparetur cum Summo Pontifice, tunc iste se habet ad illud tamquam forma, nec in sui prima dumtaxàt coadunatione, quæ fieri debet in nomine Christi, seu vicaria huius auctoritate, sed sub ipsa etiam dogmatica definitione, eatenus debet Concilio accedere Summi Pontificis cum illius sensu consonans consensus, vt antecedenter ad istum, sanctio Conciliaris sit adhuc informis, indigens auctorizatiuo Papæ accessu, ceu forma decreti, qua dogmatici perfectiua, & consumatiua. Quantumuis ergo pro isthàc Oecumenici Synodalis decreti vi auctoritatiua Papa sit dependens à Concilio, tamquam ipsius etiam Spiritus sancti organo; quemadmodum etiam anima in ordine ad corporales functiones est dependens à corpore, ceu organo per sui informationem actuato, eo ipso tamen, quòd Papæ Oecumenica auctoritas ad Concilium abstractiuè acephalum comparata, se habeat tamquam forma, reliquum verò hierarchicum in Synodo Generali aggregatum Ecclesiæ Corpus se habeat per modum organi quasi materialis, à quo per Christi institutionem pro vltimata dogmatica sanctione dependere debeat Summus Pontifex, idcircò hic meritò dicendus est præeminere Concilio abstractiuè acephalo.

Obiectio.

Dices. Quòd Concilium sit Papa superius, probari ab Abulensi in defensorij sui par. 2. cap. 72. & 73. ex his Christi ad Petrum etiam prolatis verbis: [Si peccauerit in te frater tuus &c. dic Ecclesiæ.] Etenim Christus hoc dicebat Petro, dum quidem non erat adhuc Papa, illa ipsa tamen verba referebantur ad tempus, quo Petrus erat futurus Papa. At verò ex ijsdem Christi Domini verbis constat, Petrum etiam remitti ad peccatorem aliàs incorrigibilem denunciandum Ecclesiæ. Sub hac verò Ecclesia intelligi Concilium Generale, constat ex præcitati Abulensis cap. 70. Ea autem est natura iudiciorum, vt de inferiori Iudice fiat recursus ad superiorem. Quòd si ergo Petrus; qua Papa, esset maior, quàm Ecclesia, vel saltem ei æqualis, non remitteretur ad eam, qua in Concilio Generali repræsentatam, sed sufficeret, quòd sibi tamquam Papæ de delicto fieret denunciatio, sicque id puniret: cùm Iudex superior numquam litiget coram inferiore, nec appelletur à superiore ad inferiorem, sed è contrario.

Responsio.

Demus, illa Christi Domini verba: [Dic Ecclesiæ,] referri ad Petrum pro eo tempore, quo erat futurus Papa, attamen, si sacer ille textus conferatur cum suo contextu, elucitur, Ecclesiæ nomine ibi venire Concilium Generale, qua in nomine Christi, adeòque vicaria huius auctoritate, Papæ inexistente coadunatum. Vt sic autem, si peccator publicum Ecclesiæ sanctæ Bonum, sanctamque vnitatem, & pacem perturbet, in Papam, cui, ceu Oecumenico Pastori, incumbit Ecclesiæ Vniuersalis cura, peccatur. Dum Papa igitur tanto malo nequit se solo efficaciter remederi, ipsius vtique officio incumbit, vt dicat, seu denunciet Ecclesiæ, seu Concilio Ecclesiam Vniuersalem repræsentanti, minimè tamen subsistenti absque characteris sui, Vicarium Christi nomen importantis, concursu. Quæ nihilominùs denunciatio tunc minimè fit à Papa, qua inferiore, quemadmodum etiam in processu capitalis sententiæ iuxtà Imperij Romani normam fit accusatio nomine Principis territorialis, qui tamen minimè dicendus est inferior suis subditis iudicij criminalis Assessoribus, qua collectim etiam spectatis, seu in commune Concilium ad criminale iudicium perficiendum coadunatis. Ea igitur denunciatio Concilio Generali facienda per Papam, huic competit, qua supremo Ecclesiæ Principi. Et licèt in vltimata dogmatis sanciendi sententia Papa non procedat, nisi vnà cum Concilio; itaùe duos, nempè Caput, ac reliquum Ecclesiæ hierarchicum Corpus, oporteat, iuxtà sacrum contextum, consentiendo, in vnum concurrere, vt omnimoda & consummata stet Dogmatis vniuersam Ecclesiam constringens infallibilitas, sicque adeò Oecumenicum, qua ex Capite simul, ac reliquo

quo Ecclesiæ Corpore hierarchico indiuisim subsistens Concilium, quoad illam infallibilitatis consummatæ prærogatiuam obtineat aliqnam maioritatis excellentiam, de qua non æquè certum, ac definitum fidei dogma est, consistere in solo Papa, nihilominùs ista maioritas ipsam etiam Papæ auctoritatem, ceu formale Concilij, qua Oecumenici constituti. uum complectens, non importat strictam Concilij super Papa superioritatem; velut in antecedentibus ostensum fuit.

PROBATIO II.

Desumpta ex comparatione Veteris, ac Noui Testamenti.

IN Veteri equidem Testamento ea erat Summi Sacerdotis prærogatiua, vt diuina oracula referre posset tum ex Sanctuario, tum ex Rationali Vrim & Thummim, etiam independenter à Concilio. Cuiusmodi in fidei dogmatibus definiendis oraculum diuinum præstò esse Noui Testamenti Summo Pontifici, constat ex eo, quòd sit Petra, super quam fundata est Ecclesia, cui portæ inferi non prævalebunt; quodque Christus pro Petro, eiusue Successore rogarit, ne fides ipsius deficeret, sed in fidei veritatibus confratres suos confirmandi auctoritatem obtineret. Nihilominùs hæc consummata fidei saltem quoad nos, omninò irrefragabilis infallibilitas indefectibilitas subsistit in Papa, qua consentiente cum Generali Oecumenico Concilio. Vnde sicut Sacerdotis Summi in Antiquo Testamento de consulendis Diuinis Oraculis prærogatiua non habebat in ipso locum, nisi qua ingresso Sanctuarium, vel qua consulente Deum per Rationale Vrim & Thummim: sic ea consummata circa fidei dogmaticas sanctiones infallibilitatis omnimodæ prærogatiua competit Papæ intrà Sanctuarium Concilij Oecumenici, quatenus scilicet cum isto consentit. Qui consensus, seu Papæ ad Concilium sub vicaria Christi auctoritate sua aggregatum accessus, est mysticum Rationale Vrim, & Thummim, ex quo Deus ipse loquitur, faciens, quodcumque petierint Duo, Caput scilicet, ac reliquum Ecclesiæ hierarchicum Corpus taliter consentientia, adeòque infallibiliter inspirans ipsis, ac edocens veritatem dogmatis, pro qua firmanda in vnum sunt coadunati.

Quamuis proinde Papæ intrà Concilium sit infallibilitatis consummatæ præominentia maior, quàm secundùm nos saltem, sit in solo Papa extra Concilium constituto: quia tamen hæc ipsa prærogatiua eatenus competit Concilio Oecumenico, quatenus in hoc quasi formale est Papæ auctoritas, reliquum verò hierarchicum Ecclesiæ Corpus est quasi materiale. Idcircò sicuti anima nonnisi, qua vnita humano corpori, est capax gratiæ sanctificantis, ex meritis Christi suscipiendæ, nequit tamen dici, quòd anima, vtpote formale hominis constitutiuum, in ordine ad istam gratiæ sanctificantis capacitatem sit corpore inferior, vel quòd corpori, seu toti homini competat aliqua super animam superioritas: sic licet Papa nonnisi qua coniunctus cum Concilio obtineat consummatam omnimodę saltem quoad nos infallibilitatis prærogatiuam, quia tamen Papę suprema auctoritas est quasi formale Concilij, qua Oecumenici constitutiuum, nequit Concilium dici, habere strictam respectu Papæ superioritatem.

Obiectio.

Replicabis ex Abulensi cit. cap. 72. Ipsummet Petrum actibus suis ostendisse, quòd Concilium Generale ipso esset maius, quia subibat mandata Generalis Concilij, dum scilicet Apostoli, & Seniores, qui erant congregati in Hierusalem, & faciebant Generale Concilium, audientes, quòd Samaria recipiebat verbum Dei, miserunt ad eos Petrum, & Ioannem. Vnde manifestè patet, Concilium putasse, quòd sibi liceret, mandare Apostolis illis, neque hi resistebant, sed suscepto mandato Congregationis, mox iuerunt illuc; veluti patet ex Act. 8.

Deinde, quando Petrus se subtrahebat à Gentibus, & cum ipsis non manducabat de cibis communibus, sed cœperat obseruare Legalia propter quosdam, qui erant de circumcisione, Gentilesque propter hanc dissimulationem scandalizabantur, putantes, quòd etiam tenerentur, obseruare Legalia; Paulus increpuit Petrum, tunc hic tacendo, non se opposuit tali increpationi, sed vbi per Concilium Generale fuit factum decretum de conuersis Gentilibus non adstringendis ad Legalium obseruantiam, prorsùs acquieuit Petrus, credens, se subditum Concilij determinationi, ac statuto.

Responsio.

Num ex eo, quòd Pater in mundum miserit Filium suum Vnigenitum, coarguere præsumes, Patrem esse Filio maiorem, ac superiorem? Hæc missio importat æternam Filij à Patre processionem, vnà cum connotato temporaneæ ad extra transeuntis actionis, personæ Filij hypostaticè vnitiuæ cum humana natura. Respectu cuius equidem in missione illa connotatiuè, ac terminatiuè importatę actionis temporalis, nempè Incarnationis, est aliqua effectiui principij maioritas, attamen indiuisibiliter vna, & communis Patri, ac Filio. Quia proinde illa Filij missio non respicit præcisam Christi humanitatem, sed eiusdem personam in æternitate genitam à Patre, & in tempore vi causalitatis effectricis à Patre & Filio, ac Spiritu sancto indiuisibiliter prodeuntis incarnatam, humanitati personaliter vnitam, nequit vllo modo ex illa missione coargui aliqua personæ mittentis supra personam missam superioritas. Quare nec ex eo, quòd Act. 8. Petrus sit à Concilio Hierosolymitano missus Samariam, inferre licet huius supra Petrum superioritatem, seu maioritatem. Numquid enim inter ipsos etiam homines, qua in vnum seu politicum, seu hierarchicum Corpus adunatos datur alia missio auctoritatiua, & præceptina: alia verò excitatiua dumtaxat, vel officij in maiore etiam existentis, vel charitatis inter superiores, & subditos, necnon in communicatione præcipuè

pnè superoaturali coæquales vigentis? Vtrouis igitur isto modo Petrus mitti potuit à Concilio, quio huius supra ipsum maioriras, seu superioritas euinci valeat.

Quoad Petrum ratiooeLegalium à Paulo increpatum, prorsùs negandum est, egisse quidquam aduersùs Concilij Hierosolymitani Decretum, vt propterea reducendus esset à Paulo ad huius obseruantiam, ex sui erga Concilium Oecumenicum subiectione; sed illud Petri factum, & Pauli increpatio erat antecedens Synodum Hierosolymitanam. Imò ipsissimum illud Decretum ex Oecumenica Petri auctoritate Apostolica ordinaria, ceu sui forma, habebat firmitatem, cui ipsemet etiam Apostolorum Princeps meritò se conformaret ob diuinæ comprobationis ex Concilij, vnà & Oecumenicæ Petri auctoritatis consensione subsistentis, ab omnibus Christi fidelibus, ipsomet etiam Ecclesiæ Capite religiosè obseruandæ reuerentiam; vnis hæc vniuersa patent ex antecedentibus. Eius porrò à Paulo erga Petrum factæ increpationis causam nec quidquam facere ad rem præsentem, videre licet etiam in Vindicijs nostris Baronij ad annum Christi 59. num. 2. & 3.

§. V.

Nostratis sententiæ argumenta expenduntur.

ARGVMENTVM I.

Petitum ex Matthæi 16. cap. à v. 18. vsque ad 20.

Etenim Concilij non acephali, etiam non realiter separati à Capite, sed abstractiuè spectati absque Capite, sed plenè Oecumenici per characterem Christi vicarium Papæ proprium aggregati, atque Summi Pontificis consensu roborati, duæ sunt prærogatiuæ Matthæi 18. traditæ, quarum vna est omnimoda, & consummata in rebus fidei decidendis infallibilitas, altera est indefinita ligandi, & soluendi potestas. Atqui ex Matthæi 16. v. 18. constat, Petro cum ordine ad perpetuum Ecclesiæ statum, atque adeò eius Successori esse promissam perfectam indecretis fidei infallibilitatem, Christo compellante Petrum. [Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersùs eam] Quomodò enim Ecclesia, cuius forma essentialiter constitutiua est fides, esset fundata supra Petram cui portæ inferi præualere haud possent, si ipsa Petra, super quam est ædificata, non omnimoda in fidei dogmatibus decidendis infallibilitate potiretur. Altera deinde Concilij, qua Oecumenici, ex Capite simul, ac reliquo Ecclesiæ hierarchico Corpore consistentis prærogatiua cit. Matthæi 18 traditur sub hisce verbis. [Amen dico vobis quidquid alligaueritis super terram, erit ligatum & in cælis, & quidquid solueritis super terram, erit solutum & in cælis.] At Matthæi 16. v. 18. Petro determinatè, ac indiuidualiter, seu personaliter, atque adeò, qua discretò à reliquis Apostolis, dictum est à Christo, [Tibi dabo claues Regni cælorum, & quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis, & quodcumque solueris super terram, erit solutum & in cælis.] Quomodò igitur hac Petri, eiusque Successoris propria ligandi, & soluendi potestate omninò indefinita dici possit superior seu maior Concilij, etiam qua Oecumenici, æquè licèt indefinita ligandi, & soluendi auctoritas.

Obiectio.

Excipient fortassis Aduersarij. Esto, in vi præadductorum textuum inter se collatorum, non probari Concilij Oecumenici super Papa superioritatem, at ex iisdem Diuinis Oraculis neque Papæ super Concilio superioritatem euinci. Adhæc Diuo Augustino teste lib. 1. Retract. cap. 21. Petram, super qua Christus dixit ædificatum iri suam Ecclesiam, esse fidem, & confessionem Petri profitentis, Tu es Christus Filius Dei viui. Super qua proinde fide, eiusque confessione eatenus est fundata Ecclesia, vt aduersùs istam præualere haud possint portæ inferi. At in vi istorum verborum infallibilitatem fidei, super qua, ceu Petra est fundata Ecclesia, non tam Petro secundùm se præcisè spectato, quàm Ecclesiæ Diuinitùs repromissam euinci. Et hinc S. Augustinum asseuerare, Petro (non in sua præcisa persona) sed qua totius Ecclesiæ figuram gerenti Dominum dixisse, super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.

Responsio.

Si Concilium spectetur quà plenè Oecumenicum, in quo Papa, seu qua Formale quasi constitutiuum, seu qua hierarchici Ecclesiæ Corporis caput essentialiter impnetratur nulla equidem adstrui potest Papæ super illud seu maioritas, seu superioritas. Ac eo ipso, quòd præinsinuatæ Concilij Oecumenici prærogatiuæ huic non competant, nisi quà Papam cum suo Christi vicario charactere complectenti, ideò neutra earum attribui potest acephalo, quantumuis Generali Concilio, sed huic realiter acephalo nulla inest, nisi Episcopalium iurisdictionum in vnum Cœtum pro publico Ecclesiæ Bono collatarum auctoritas, cui ex præadductis sacris literis clarè constat, supereminere Papæ potestatem Oecumenicam. Quòd si verò in ipso Oecumenico Concilio, quà vicarium Christi characterem Papæ proprium importante, per abstractiuam quandam separationem fiat quædam inter Papam & Concilium abstractiuè acephalum collatio, tunc in ordine ad illam duplicem Concilij Oecumenici prærogatiuam, ita debent Papa & Concilium consentire in vnum, vt Papa tamen sit quasi anima, Concilium verò acephalicè consideratum sit quasi corpus respectu totius Ecclesiam Vniuersalem perfectè repræsentatiui Concilij, quà Oecumenici. Cùm igitur Papę etiam solitariè spectato, sic Diuinitus repromissa Petrę in fide firmitas, vnà cum indefinita soluen-

uendi ac ligandi potestate, quarum neutra tamen, iuxta fundamentum ex præallegatis sacris textibus deductum, competit Concilio acephalicè spectato, sed quà plenè Oecumenico, ideo secundùm hanc considerationem rectè dicitur Papa Concilio maior, ac superior.

Neque releuant, quæ in contrarium adducta fuerunt, quasi illa Petræ firmitas, sicque fidei infallibilitas, vnà cum Regni cęlorum clauibus non Petro solitariè spectato, sed Ecclesiæ, siue etiam Petro, quà Ecclesię figuram gerenti, fuisset à Christo repromissa.

Nam sub hoc ipso effato venit considerata dignissimum, quid importetur per istum loquendi modum, quo illa Diuina repromissio dicitur facta Petro, quà totius Ecclesię figuram gerenti. Numquid enim capitis, seu Principis est proprium, ita gerere figuram Regni. vt istud sit in ipso repręsentatiuè. Quia igitur illa Christi verba, [Super hanc Petram ędificabo Ecclesiam meam, & Tibi dabo claues Regni cęlorum, sunt dicta Petro, quà Ecclesiæ figuram gerenti, profectò hinc euincitur, Petro iisdem verbis fuisse à Christo promissum Ecclesię Principatum, vi cuius in ipso esset representatiuè tota Ecclesia, Diuo Augustino tract. 124. in Ioannem circa medium ita differente, Ecclesiæ Petrus Apostolus, propter Apostolatus sui Primatum, gerebat figurata generalitate personam. Quantumuis ergo S. Augustinus sub Petra illa, super quam ædificata est Ecclesia, intelligat Petri de Christo, seu Ecclesiæ fundamento editam fidei confessionem, nullatenus tamen intelligi hoc potest de isthac fideiconfessione in abstracto sumpta, sed quà spectata in concreto, seu quà per Diuinam promissionem fundata in Petro, eiusque adeò Successore, quod proinde fidei fundamentum, cùm sit adeò firmato in Petro, vt portæ inferi aduersùs fidei à Petro editæ, & quà in Petro firmatæ, Petram præualere haud possint manifestè hinc euincitur, ex præadducta S. Augustini lib. 2. Retract. cap. 21. factà ex positione non minùs firmam stare in Petro eiusque Successore circa fidei dogmata infallibilitatis prærogatiuam, ac si dixisset, ea Christi verba: Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, respicere Petrum, eiusque successorem. Quia igitur Concilio quantumvis Generali acephalicè spectato, non competit talis infallibilitatis prærogatiua sed hæc repromissa est Concilio, quà Oecumenico, seu quà per auctoritatis Pontificiæ accessum animato, & firmato, consequens est, hac etiam in parte Papam Concilio acephalicè sumpto quantumuis cæteroqui Generali esse maiorem, ac superiorem.

ARGVMENTVM II.

Ex Ioannis 21. desumptum.

VBi Christus Oecumenicum pastorale officium erga suam Ecclesiam actualiter contulit Petro hisce verbis. [Pasce oues meas, pasce agnos meos.] Sub hisce namque verbis Tò pascere perinde sonare, ac Tò regere, ostensum est in antecedentibus. Quare Oecumenicum Pastorale munus Petro commissum, importat auctoritatem gubernatiuam, protensam super vniuersis Christi ouibus, & agnis. At in Concilio quantumuis Generali, sed acephalicè spectato, qui, nisi oues, seu agni Christi conueniunt, nempe Episcopi ex vniuerso Christiano orbe conuocati? Hi verò secundùm mentalem à Capite suo Petri Successore quandam præcisionem, sub qua intelliguntur conficere Concilium abstractiuè acephalum, nulla potiuntur auctoritate, nisi Episcopali in vnum collatà ad curandum publicum Ecclesiæ Bonum. At qui Episcopalis iurisdictio ab ipsomet Summo Pontifice in Episcopos, ad suæ Pastoralis solicitudinis partem vocatos deriuata non potest non semper manere subiecta Pontificię Oecumenicæ auctoritati, sicue ipsi etiam Episcopi quà Christi oues, seu agni extrahi haudquaquam possunt à sphæra Oecumenici Petro, eiusque Successori commissi Pastoralis officij. Quia igitur in eiusmodi quantumuis Generali Episcoporum Concilio acephalicè spectato, siue in Episcopalibus ex toto Christiano orbi in vnum collatis iurisdictionibus, etiam collectim sumptis, per sacras Scripturas nulla est assignabilis præeminentia alicuius supra Papam maioritatis è contrario autem præadductus sacer textus confert Papæ prærogatiuam supereminentem omnimodæ iurisdictioni Episcopali, atque sua gubernatiua auctoritate Oecumenica complectentem cunctos totius orbis Episcopos, manifesta hinc redditur Papę supra Generale acephalicè spectatum Concilium superioritas.

Obiectio.

Dicent Aduersarij. Ex Concilij Tridentini Actis per nos superiùs descriptis elucere, non esse adhuc definitum dogma, An sub istis Christi verbis. [Pasce oues, seu agnos meos.] isti collectim etiam sumpti, non verò in sensu dumtaxat distributiuo sint contenti sub Oecumenici Papę officij Pastoralis sphęra gubernatiua, nec adeò ex illo sacro textu euinci, quòd Episcopi ex Christiano orbe in vnum collecti, vt sic Concilium Generale saltem abstractiuè acephalum conficientes, subdantur Papę auctoritati Oecumenicę, vt propterea adstruenda sit Papę supra Concilium eiusmodi superioritas.

Responsio.

Etenim Christus sub illis ad Petrum prolatis verbis. Pasce agnos meos, nullam fecit exceptionem sensus collectiui. Quomodò igitur nobis fas erit, huius collectiui sensus ab illis verbis exceptionem facere, absque aliqua in sacris literis fundata solida ratione? Hęc fortassis exceptio fundabitur in hoc, quòd Concilium Generale sit repræsentans Vniuersam Ecclesiam, quę est columna, & firmamentum veritatis. At quia Ecclesia quoad statum perfectè hierarchicum non potest repræsentari in Corpore auulso à Capite, sed quà integrato ex Capite, ac reliquo Ecclesię Corpore hierarchico, nequit ad Concilium Generale quà acephalum spectare illa præ-

prærogatiua, ſecundùm quam ſit columna & firmamentum veritatis, ex qua præeminentia prætendi poſſet illa agnorum Chriſti collectiuè ſumptorum, ab Oecumenica Papæ auctoritate exceptio. Eſt autem ipſo lumine naturæ notum, ſi Comitia Generalia coaleſcant ex ſubditis, neque huic Cœtui, ex Regni Ordinibus coadunato, altior quæpiam præminentia, in comparatione cuius poteſtas Regia non eſſet iam ſuprema, conuenire dignoſceretur, nefas fore, talibus Comitijs alicuius ſupra Regem ſuperioritatis præminentiam aſſerere. At res ita ſe habet cum Epiſcoporum, quantumuis Generali Concilio acephalicè ſumpto, vt quæ Concilio Oecumenico ſunt Diuinitus promiſſæ prærogatiuæ, eidem non comperane, niſi quà conſentienti cum capite eiuſdem quaſi informatiuo; & formaliter perfectiuo. Cùm igitur omnes ac ſinguli Epiſcopi interChriſti agnos computati, ſecundùm ſe, & omnimodam iuriſdictionem ſubiaceant Paſtorali Papæ officio, eiuſque auctoritati Oecumenicæ, neque verò tali Cœtui acephalicè ſpectato, ex ſacris literis noſcatur conceſſa alicuius altioris prærogatiuæ ſupereminentia, nequit iam Epiſcoporum Generalis coadunatio, ſiue iuriſdictionum Epiſcopalium collatio collectiua, vi talis collectionis extrahi è ſphæra Oecumenicæ Paſtoralis, ſeu gubernatiuæ, Papæ propriæ auctoritatis, atque adeò huius per Chriſtum aſſerta vniuerſalitas, nullatenus admittit illam ouium, ſeu agnorum Chriſti collectim ſumptorum à Papæ ſuperioritate exceptionem.

CONCLVSIO.

Ex præadductis textibus Euangelicis efficaciter demonſtratur Papa ſupra Concilium, quà acephalicè ſpectatum, ſuperioritas.

EXplicatur. Huius concluſionis centrum ad hoc punctum videtur reduci, quòd Papæ Oecumenica auctoritas habeat ius ſuperioritatis erga omnimodam Epiſcopalem non diuiſim tantummodò, ſed etiam collectim ſumptam iuriſdictionem: quod tamen principium videtur non eſſe certum, cùm ne Tridentinum quidem Concilium ſuſtinuerit definire quæſtionem multoties in eo motam; An Epiſcoporum reliquis, præter Petrum, Apoſtolis in Epiſcopali munere ſuccedentium iuriſdictio ſit immediatè à Chriſto, ſitque adeò iuris Diuini immediati? Quæ proinde quæſtio, cùm ab illo ſacroſancto Concilio non fuerit definita, num vitio vertendum eſſet, ſi quiſpiam pro eius parte affirmatiua ſtare vellet? Hoc autem poſito, foret conſequens, quòd in Epiſcopis ex orbe Chriſtiano collectis, Capite licèt non interueniente, iam in vnum conferretur Apoſtolorum, quibus Epiſcopi ſuccedunt, iuriſdictio: ſub qua proinde collectione Apoſtolico charactere inſignita iam locus eſſet prærogatiuis illis, quæ Matthæi 18. Apoſtolis in vnum Concilium Chriſti nomine, id eſt Apoſtolica auctoritate condecoratorum, aggregatis ſunt promiſſæ. Sub cuiuſmodi etiam prærogatiuis nequiie iam Concilium, licèt acephalicè ſpectatum, ſubeſſe Papæ ſuperioritati. Quare vt concluſionis prætactæ centrum firmum maneat, oportet, per Theologicam demonſtrationem oſtendere, præmotæ quæſtionis ſtatum necquidquam habere momenti, ac ponderis, ad Papæ ſuper Epiſcopos totius orbis Chriſtiani, etiam collectim ſumptos, ſuperioritatem eneruandam; velut ex præſentis concluſionis decurſu patebit.

PROBATIO I.

Quà ex Matthæi 16. firmatur Petri, atque adeò Papæ ſupra Concilium Generale acephalicè ſumptum ſupereminentia quoad infallibilitatis in fidei rebus prærogatiuam.

ETenim ſub iſtis Chriſti Domini verbis: [Super hanc petram ædificabo Eccleſiam, meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam,] manifeſtè comprehenditur Eccleſiæ in fide indefectibilitas, atque adeò in rebus fidei decidendis aliqua intrà Eccleſiam conſiſtens infallibilitas. Atqui ea verba eſſe accipienda, de Petro cum ordine ad perpetuum Eccleſiæ ſtatum, atque adeò cum ordine ſucceſſionis, probat vnanimis conſenſus Patrum. Tertullianum namque de præſcript. cap. 22. ſic ait: [Latuit aliquid Petrum ædificandæ Eccleſiæ petram dictum, claues Regni cœlorum conſecutum?] Origenes in Matth. de canone noui Teſtamenti: [Petrus, inquit ſuper quem Dominus fundauit Eccleſiam, &c.] Cyprianus de Vnita. Eccleſiæ ſic ait: [Probatio eſt ad fidem facilis compendio Veritatis. Loquitur Dominus ad Petrum. Ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, &c. Et tibi dabo claues Regni cœlorum. Et infra: Eidem poſt reſurrectionem ſuam dicit: Paſce oues meas. Super illum vnum ædificat Eccleſiam ſuam, & illi paſcendas mandat oues ſuas.] Baſilius Magnus ad cap. 2. Iſaiæ. [Vnus ex his montibus fuit Petrus, quem Petram appellauit propter maximam fidei firmitatem. Et infra: Super quam petram promiſit ædificare Eccleſiam.] Ambroſius Serm. 47. [Petrus pro ſoliditate durationis Eccleſiarum petra dicitur, ſicut ait Dominus? Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo &c.] Epiphanius in Ancorato: [Ipſe Dominus conſtituit Petrum principem Apoſtolorum, petram firmam, ſuper quam Eccleſia Dei ædificata eſt, &c.] Hieronymus Epiſt. 54. ad Marcellum: [Apoſtolus Petrus, ſuper quem Dominus fundauit Eccleſiam.] Et in cap. 16. Matthæi. [Prudens lector inquirat, quomodò poſt tantam Beatitudinem, Beatus es Simon Bariona, hæc audiat? Vade retrò ſathana &c. Sed ſi conſideret, qui hoc quærit, Petro illam beatitudinem, ac poteſtatem, & ædificationem ſuper eum Eccleſiæ in futuro promiſſam, non

in præsenti datam intelliget, Ædificabo, inquit Christus, super te Ecclesiam meam, & dabo tibi claues Regni cœlorum.] Cyrillus Alexandrinus lib. 2. in ioan. cap. 12. [Christus, cùm se esse, qui cuncta, antequàm fiant, nouit, nec Simon fore sibi nomen, sed Petrus prædixit, vocabulo illo commodè significans, quòd in eo tanquam petra, lapidèque firmissimo suam esset ædificaturus Ecclesiam.] Augustinus Serm. 5. in Festo Petri, & Pauli. [Solus inter Apostolos meruit audire, tu es Petrus, & super hanc petram &c.] Ex quibus tale formatur argumentum. Petro, eique soli dictum est: [Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.] At Petrus dictus est petra propter soliditatem durationis ex sancto Ambrosio citato. Ergò super Petrum tanquam petram cum soliditate durationis ædificata est Ecclesia, quatenus. Christus ipsi dixit: [Pasce oues meas.] Ex Cypriano supra.

Obiectio I.

Dices. Si Petrus, eiusque Successor est Petra, super quam ædificata, seu fundata est Ecclesia, quomodò verificari iam potest illud Apostoli 1. Corinth. 3. vers. 2. dicentis: [Non posse aliud statui fundamentum, præter id, quod positum est, quod est Christus Iesus?]

Responsio.

Congruentissimè, ac solidissimè responderi solet ad eam obiectionem, Petrum, eiusque Successorem, quà Ecclesiæ clauibus, ac in definiendis rebus fidei infallibilitatis prærogatiua Diuinitus dotatum, esse secundarium dumtaxat, seu Vicarium, ac Christo subordinatum Ecclesiæ fundamentum, Diuo Augustino serm. 5. in festo Petri, & Pauli ita disserente de Petro: [Solus inter Apostolos meruit audire: Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, dignus certè, qui ædificandis populis in domo Dei lapis esset ad fundamentum, columna ad sustentaculum, clauis ad regnum.] Quare sacræ Scripturæ auctoritatem catenus solum Christum statuere fundamentum, ac lapidem Ecclesiæ, vt tamen super hoc fundamentum detur aliud, seu fundamentum, seu lapis fundamenti superstruatur, cui conueniant, esse Petram, seu fundamentum Ecclesiæ non primarium, & absolutè instar Christi, sed vicariè dumtaxat, ac secundariò, seu participatiuè. In vi cuius adeò Diuinitus participatæ præeminentię subsistere Papę supra Concilio quà acephalicè spectato maioritatem, seu superioritatem.

Obiectio II.

Instabis. Vt ex huiusmodi prærogatiua euincatur Papę supra Concilium Generale, acephalicè licèt spectatum seu maioritas, seu superioritas, oportere, tali Concilio non esse Diuinitus concessam parem preeminentiam. At Synodum eiusmodi Generalem nihil aliud esse, quàm Vniuersalem Cœtum Episcoporum, qui sunt Apostolorum Successores, eorumque adeò potestas est immediatè à Deo. Ad quos proindè in vnum congregatos pertinet etiam illa Christi Domini promissio Matthęi 18. facta sub hisce verbis: [Amen dico vobis, quęcumque alligaueritis super terram, erunt ligata in cœlis, & quęcumque solueritis super terram, erunt soluta, & in cœlis.] Et iterum: [Si duo consenserint in quacumque re super terram, fiet eis.] Quamuis enim hęc Christi verba sint conexa cum sacro contextu, quo Synodi Apostolicę, cui ea promissio facta est, charactere in hoc statuitur à Christo, vt eempe fiat aggregatio in nomine suo: eo ipso tamen, quòd Episcopi sint Apostolorum Successores, iam portant nomen Christi. Vnde quia Episcoporum Apostolis succedentium in Concilio etiam acephalo aggregatorum coadunatio habet verum Synodi Oecumenicę ex Christi nomine Vicario subsistentem characterem, consequens est, ei vt sic competere illam indefinitę ad soluendum, & ligandum potestatis auctoritatem, vnà cum infallibilitatis in rebus fidei definiendis repromissę prerogatiua.

Responsio.

In Apostolis sigillatim spectatis duplex erat potestas, nempe Ordinis Episcopalis, & iurisdictionis à Christo sibi delegatę erga vniuersum orbem. Num verò dicere fas est, Episcopos huius Apostolicę ad vniuersum orbem protensę, ac indefinitę, licèt delegatę, auctoritatis heredes esse, & quoad plenam eiusdem participationem à Christo, prętee Petrum, Apostolis per modum dumtaxat delegationis personalis concessam, esse horum successores? In Episcopis igitur est talis successio quoad Ordinis dumtaxat Episcopalis characterem, ac potestatem, adeòque radicalem solummodò pastoralis officij propriam iurisdictionem, non verò quoad actualis iurisdictionis potestatem proximam: sed hanc accipiunt à Summo Pontifice in partem pastoralis sollicitudinis eos vocante: quemadmodùm in Sacerdotibus etiam simplicibus est quidem potestas absoluendi à peccatis quoad characterem Ordinis Sacerdotalis, & radicalem in hoc importatam super peccatis, ac peccatoribus suum confessionis sacrę tribunal accedentibus iurisdictionem, quę non aliter subire valet proximę, & actualis à peccatis absoluendi potestatis denominationem, nisi actualiter per facultatem Episcopi, seu ex concessione Papę promanantem.

Quemadmodùm igitur Sacerdotes quoad istam à peccatis absoluendi potestatem, quà in charactere Sacerdotali radicatam, sunt quidem ipsorum etiam Apostolorum, quà Sacerdotum successores non absolutè, sed limitatè, ac restrictiuè, sic Episcopi quoad illam regendæ Ecclesiæ potestatem radicalem, quà scilicet radicatam in Episcopali charactere, non absolutè, sed eum isthac limitatione dici queunt Apostolorum Successores, nec adeò præferunt characterem Oecumenicę Apostolicæ iurisdictionis erga vniuersam Ecclesiam protensæ, qui vt sic charactee Concilij Generalis quà Oecumenici formaliter est constitutiuus. Qui proindè character, cùm defi-

deficiat in Concilio qua acephalico, ex meria iurisdictionibus Episcopalibus coacervato, ideo ad tale Concilium haud pertinent Christi promissiones factæ de Indefinita soluendi, ac ligandi super terram potestate, eique connexa in rebus fidei infallibilitate. Cùm igitur è contra tales præeminentiæ fiot in Papa, cuius Oecumenica proinde auctoritas protenditur super vniuersas Episcoporum in pastoralis sollicitudinis partem vocatorum iurisdictiones, manifestè hinc euincitur Papæ supra Concilium acephalum, nulla altiori, præter iurisdictionum Episcopalium pro vniuersali Ecclesiæ bono in vnum coalescentium coaceruationem, præeminentia dotatum, maioritas, ac superioritas.

PROBATIO II.

Desumpta ex Oecumenica indefinita Matth. 16. repromissa ligandi, ac soluendi auctoritate.

Etenim hæc auctoritas protenditur super quocumq; in terris subsistente morali, ad Regnum Cœlorum, Ecclesiam scilicet militantem, & triumphantem ordinabili. At sub isto quocumq; continetur vtique omnimoda Episcopalis iurisdictio tum quoad actualē sui collationem, & proximæ ad regendam certam Diœcesin potestatis actuationem, tum quoad sui morale omnimodum exercitium. Nequit ergo in Concilio acephalo, præter characteres Episcopales immediatè à Christo promanantes, & in hisce radicatas, adeoque radicales dumtaxat ad regendum Dei populum iurisdictiones, non nisi per Summum Pontificem in statum actualis, & proximæ potentiæ reducibiles, quidquam reperiri quod sub illo quocumque ad regnum cælorum ordinabili morali, non sit contentum, super quo adeò emineat Papæ Oecumenica auctoritas, & superioritas.

Obiectio I.

Dices. Ista verba: [Tibi dabo claues Regni cœlorum,] non ad solum Petrum, sed ad Apostolos vniuersos dicta esse, siue respicere Petrum non in se solo spectatum, sed qua totius Ecclesiæ figuram gerentem, vti passim tradit S. Augustinus. Ergo illam potestatem attribuendam esse toti potiùs Ecclesiæ, quàm Petro solitariè sumpto. Vnde in Decreto Gratiani causa 24. q. 1. cap. 6. sic haberi: [Quando Petrus accepit claues, Ecclesiam sanctam significauit.

Responsio.

Quæ sanctus Augustinus tract. 124. in Ioannem circa medium. Hanc in rem eleganter differnit, ad hanc reduci possunt formam syllogisticam. Nempe id, quod per proprietatem in Christo est Ecclesia, hoc per significationem est Petrus in Petra, atque adeò sub ista significatione intelligitur Christus ita esse Petra Ecclesiæ, vt hæc sit in Christo per proprietatem Capitis absoluti, ac primarij, Petrus autem sit Ecclesia per significationem, seu figuratam dumtaxat Capitis Vicarij repræsentationem. Ac istia ad Petrum prolatis Christi verbis: [Tibi dabo claues Regni cælorum:] Ecclesia in Christo fundata, ab hoc claues Regni carenns accepit in Petro, quateons per hunc significatur, siue repræsentatur Ecclesia propter Apostolatus sui primatum; vti præcitarus Sanctus Augustinus loquitur. Quia igitur Ecclesia accepit claues regni cœlorum in Petro, propter Apostolatus sui primatum, manifestè sequitur, claues Regni cœlorum in Petro ita esse datas Ecclesiæ, vt in Petro esset talis potestas tanquam in Principe, seu Capite, siue Præposito vniuersæ Ecclesiæ; vti apertis verbis loquitur is S. Doctor lib. quæst. Veteris & Noui Testamenti. item lib. 2. de Baptismo contra Donatistas cap. 1. Quandoquidem ergo Concilium acephalum, quantumuis Generale, sit destitutum tali Capituli præeminentia, cui annexæ sunt claues Regni cælorum, Ecclesiæ, in Petro, ceu Principe suo concessæ, harum verò indefinita auctoritas protendatur super quocumque ad Regnum Cælorum in terris ordinabili Morali, neque vero Episcopi in Concilium Acephalum quidquam, præter characterem Episcopalem cougerant, quod non sit contentum sub illo quocumque, manifestum hinc redditur, Papæ, ceu Capiti, & principi Ecclesiæ, competere Oecumenicæ auctoritatis super tali Concilio superioritatem.

Obiectio II.

Instabis. Nullibi haberi in sacris Litteris expressum: quod illa indefinita super quocumque in terris morali Ecclesiæ in Petro concessa clauium potestas transierit in Petri Successores, Romanos Pontifices, nec adeò horum super Concilij, acephali etiam, superioritatem euinci posse ex illo sacro textu.

Responsio.

Esto omnino, sub ijs formalibus verbis non habeatur expressa Romanorum Pontificum in ea clauium potestate successio, sub ijs tamen eatenus cōtinetur virtualiter, vt per Theologicam demonstrationem efficaciter, ac ineluctabiliter inde eruatur. Etenim illa Christi verba: [Tibi dabo claues Regni cœlorum, determinatè, ac demonstratiuè diriguntur ad Petrum. Illa ipsa autem verba secundùm clarum sacri contextus tenorem sunt à Christo prolata sub connexione ad præcedentia: [Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.] Vnde planum est, illam potestatem Petro promissam, esse connexam cum Ecclesia per Christum fundata durare debet, quamdiu talis Ecclesiæ status subsistit ipso autem, quod Christus Dominus promiserit, aduersùs Ecclesiam à se fundandam portas inferi non fore præualituras, sequitur Ecclesiæ huiusmodi statum fore perpetuum, adeoque duraturum vsque ad extremi iudicij diem. Oportet igitur, secundùm Christi Domini verba, illam indefinitam & vniuersalem ligandi, ac soluendi potesta-

tem non expiraſſe in Petro per Martyrium in cœlos ſublato, ſed perpetuò duraturam eſſe vſque ad diem iudicij. At poteſtas cum Eccleſiæ ſtatu perpetuò connexa, atque adeò perpetua, ſecundùm ipſam rei naturam, ita tranſit in ſucceſſorem, vt iſti cum ſuo anteceſſore reputeutur vna perſona, non quidem materialiter, ſed formaliter quoad poteſtatem officij Paſtoralis. Oportet igitur, ſecundùm Chriſti Domini promiſſionem, in Eccleſia talem eſſe ſucceſſionem, vi cuius perpetuò perſiſtar illa Diuinitus promiſſa, indefinita & vniuerſalis ligandi, ac ſoluendi poteſtas, omnimodam adeò reſpectu Eccleſiæ, omnes Chriſti fideles complectenti, iudiciariam, & legislatiuam auctoritatem importans.

Obiectio III.

Replicabis. Saltem non conſtare ex iure Diuino, ſeu fidei principijs, quod Romanus Pontifex ſit Petri Succeſſor, nec adeò Papæ ſuper Concilio acephalo ſuperioritatem eſſe omninò certam.

Reſponſio.

Etenim diſcernere oportet, tum inter illum de auctoritate indefinita ſoluendi, ac ligandi, cum Eccleſiæ ſtatu perpetuò connexa poteſtate arriculum, ipſius Chriſti Domini promiſſione firmatum, atque adeò fidei dogma complectentem; tum inter prudentiale credibilitatis iudicium, quo ſtatuitur, quis in illa per Chriſti Domini promiſſionem firmata auctoritate ſit legitimus Petri ſucceſſor. Atqui ex conſenſu Eccleſiæ ſucceſſionem à Petro in Romanis Pontificibus enumerantis, deſumunt ſancti Patres argumentum prudentialis credibilitatis, ex quo legitimum in principatu Petri ſucceſſorem ſtatuant Romanum Pontificem. Ea verò natura eſt argumenti, prudentialem in dogmatibus fidei credibilitatem fundantis, vt iſtud nō ſit quidem ex ſui natura ſufficiens ad ſpecificandum, ſeu mouendum, ac terminandum actum fidei, ſit tamen inducens ad Veritatem Diuinam taliter applicandam, vt ex reuerentia erga hanc veritatem voluntas ſe inclinet, intellectumque imperio ſuo captiuet in fidei obſequium. In quo exemplo ſuo ita præiuit ſanctus Auguſtinus cap. 4. contra epiſt. fundam. vt ex illa Romanorum Pontificum à Petro numerata ſucceſſione, tanquam prudentiali credibilitatis argumento, dixerit, ſe iuſtiſſimè teneri in Eccleſia, per fidem nimirum Diuinam.

Hoc igitur ſancti Auguſtini exemplum ſequi, oportet, cunctos fideles, ac exinde taliter argumentari. Patres antiqui ex Romanorum Pontificum à Petro numerata ſucceſſione deſumpſerunt prudentiale credibilitatis fundamentum, ex quo concludebant, in illa ipſa Eccleſia ſtare Veritatem Dei, in qua ſubſiſteret iſta ſucceſſio. At iſta Veritas Dei pronunciauit indefinitam ligandi, ac ſoluendi poteſtatem Petro taliter promiſſam, vt deberet eſſe connexa cum Eccleſia per Chriſtum fundata, deberetque adeò cum huius ſtatu perpetua eſſe. Vnde cùm iſta Veritas Diuina perpetuetur in Eccleſia, Romanorum Pontificum à Petro ſucceſſionem enumerante, oportet, illam indefinitam ligandi, ac ſoluendi poteſtatem perpetuari in Romano Pontifice, ceu Petri ſecundùm ſanctos Patres ſucceſſore, ſuper quocumque Morali in terris, adeoque ſuper Epiſcoporum quoque in Concilio acephalo aggregatorum actualibus iuriſdictionibus, earumque exercitijs, & actibus vniuerſis ſuperioritatem obtinente.

Obiectio IV.

Vrgebis. Chriſtum Dominum Matth. 18. vniuerſis Apoſtolis promiſiſſe: [Quæcumque alligaueritis ſuper terram, erunt ligata, & in cælis, & quæcumque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta, & in cœlo.] Hiſce namque verbis æquè cæteris Apoſtolis videtur promiſſa fuiſſe indefinita ligandi, & ſoluendi poteſtas. Atqui hanc ipſam promiſſam poteſtatē Deus actu contulit Apoſtolis Ioann. 20. dicens: [Sicut me miſit viuens Pater, & ego mitto vos.] Hanc ipſam verò poteſtatem fuiſſe reſpectu totius orbis, patet ex illo Matthæi vlt. [Euntes ergo, docete omnes gentes &c.] Quomodò ergo plus auctoritatis conuenire potuit Petro, quàm cæteris Apoſtolis? Et quia iſta auctoritas non tranſijt in ſucceſſores Apoſtolorum, cur ſoli Petri ſucceſſori competeret illa vniuerſalis auctoritatis prærogatiua?

Reſponſio.

Ex antecedenter dictis multoties iam conſtabat, illam ſoluendi, ac ligandi vniuerſalem à Chriſto promiſſam poteſtatem fuiſſe Apoſtolis vniuerſis collatam per modum legationis, ſeu miſſionis, iuxta prædicta verba, [Mitto vos.] Vnde, & Paulus 2. Corinth. 5. v. 20. ait: [Pro Chriſto ergo legatione fungimur.] Et ſpecialiter de ſe ipſo Paulus ad Epheſ. 6. v. 20. ait: Pro quo (ſcilicet Euangelij myſterio) legatione fungor. Atqui ex ipſa natura legationis conſtat, ipſam non eſſe perpetuam, ſeu ad ſucceſſores transferibilem, ſed induſtriam perſonæ, cum qua cohęreat, atque adeò expiret, eſſe in ea electam.

E contra verò Chriſtus Dominus Matth. 19. ita promiſit Petro claues regni cœlorum, cum indefinita, & vniuerſali poteſtate ligandi, ac ſoluendi, vt apertis verbis ſuis ſtatuerit huius cum Eccleſia ſua ſuper petram inuiolabiliter, ac perpetuò fundanda connexionē. At verò auctoritas cum perpetuo Eccleſię ſtatu connexa non poteſt non perpetua, atque adeò in ſucceſſores transferibilis eſſe. Hanc ipſam verò indefinitam auctoritatem Chriſtus poſt reſurrectionem actualiter contulit Petro dicens Ioann. 21. v. 15. 16. & 17. [Paſce agnos meos, Paſce oues meas] At hiſce verbis ſignificatur Paſtoralis officij poteſtas, indefinitè complectens omnes Chriſti fideles, atque adeò ipſos etiàm Apoſtolos, ceu Chriſti agnos.

In quo iterum elucet diſcrimen poteſtatis Petro, ac cæteris Apoſtolis commiſſę, cùm iſtis nullibi dictum ſit, vt eſſent Chriſti ouium & agnorum indefinitè Paſtores, ſed vt per modum miſſionis, ſeu legationis euntes docerent omnes gentes, Vnde concluditur, ſoli Petro eſſe commiſſum paſtorale in omnes Chri-

Chriſti fideles officium, qua connexum cum perpetuo Eccleſiæ ſtatu. Cùm igitur officium paſtorale cum tali perpetuo Eccleſiæ ſtatu annexum, Petro commiſsum, oporteat, eſſe perpetuum, è contra verò poteſtas ligandi ac ſoluendi cæteris Apoſtolis per modum legationis conceſsa, de ſua natura ſit reſtricta ad perſonam, facilè elucet, cur Petri, non autem cæterorum Apoſtolorum iuriſdictionis auctoritas tranſierit in ſucceſsores.

Quandoquidem igitur Petri, einſq; Succeſsoris Oecumenica paſtoralis officij ſuper cunctos Chriſti agnos, atque adeò Epiſcopos etiam protenſa poteſtas, ſit ipſiſſima clauium Eccleſiæ prorſus indefinita ad quodcumq; ſuper terris morale, adeoq; ſuper Epiſcopales iuriſdictiones, earumque intrà Concilium acephalum exercitia, & actus proteſtatiuos ſeſe extendens auctoritas, nequit Concilium, quantumuis Generale acephalicè ſpectatum, quoad vniuerſa in eo agitanda, non ſubeſſe ſuperioritati Romani Pontificis.

Corollarium.

Ex dictis infertur. In ea quæſtione; An Papa ſit Concilio ſuperior? ſemper eſſe circumſpectè diſtinguendum inter Concilium qua formaliter etiam Oecumenicum, & abſtractiuè ſaltem acephalum, atque ſolùm materialiter vniuerſale, ac generale. Sub priori namque conſideratione duæ ſuntConcilij formaliter etiam Oecumenici prærogatiuæ, quarum vna eſt conſummata in fidei dogmatibus decidendis infallibilitas, quam Papæ extra Concilium definientis infallibilitate ſecundùm nos (id eſt, in quantum ex Eccleſiæ definitione nobis conſtat) eſſe maiorem, ſæpe iam dicebamus, quamquam nullam inuoluat ſuperioritatem reſpectu Papæ, vtpote Capitis tali Concilio præſidentis, à cuius etiam charactere, & concurſu dependet illa omnimodæ, ac conſummatæ infallibilitatis præeminentia.

Etſi porrò tali Concilio, quà Oecumenico, competat illa Matthæi 18. promiſſa indefinita ligandi: & ſoluendi poteſtas, omnimodaque adeò legiſlatiua, & iudiciaria auctoritas, per hanc tamen nihil vnquam ſtatui poteſt, quod ſub indefinito illo in Regnum cœlorum ordinabili quocumque Morali non comprehendatur, atque adeò per auctoritatem Papæ ſemper ſit ſolubile, niſi quatenus altioris principij ratio talem ſolutionē, ſeu variationem vetat, quemadmodùm fit in decretis fidei, ex quorum ſanctionibus ſupra candelabrum Eccleſiæ ſanctæ ita ponitur Primæ Veritatis reuelantis auctoritas, vt ex huius reſpectu neque Papa, neque Concilium vllum Oecumenicum poſſit in eis aliquam facere mutationem. Quare ad fidei decreta obligatur quidem Papa, non tamen in vi ſuperioritatis Concilio ſuper ſe competentis, ſed in vi illius altioris principij, nempe Primæ Veritatis, mediante tali per Concilium, vnà, & Papam firmato decreto, ſua omnimodæ infallibilitatis certitudine applicatæ. At verò in ordine ad morum decreta à Concilio Oecumenico firmata ſemper integra manet indefinita, & Oecumenica ſuper quocunque Morali protenſa Summi Pontificis propria ligandi, & ſoluendi auctoritas, quamquam in vi huius nequat Papa dici ſuperior Concilio Oecumenico, vtpote quod parem ſecum ad Concilium tale concurrentem iuriſdictionem obtinet. Secùs autem eſt de Concilio acephalicè ſpectato, cui vt ſic, qua ſecundùm præciſionem vel realem, vel mentalem auulſo à Capite, neutra illarum Concilio qua formaliter, ac perfectè etiam integraliter Oecumenico, ſolummodò promiſſarum præeminentiarum connenit, manetque adeò in ſtatu ſubiectionis erga Oecumenicam Papæ auctoritatem.

DISQVISITIO IV.

An Papæ ſupra Concilium acephalicè ſpectatum ſuperioritas ex ipſiſmet Oecumenicis Synodis Generalibus, hiſtorijſque Eccleſiaſticis demonſtrari valeat?

§. I.

Egregia in hanc rem argumenta producere licet, ac lubet ex Auctore tract. de libertatibus Eccleſiæ Gallicanæ. lib. 5. cap. 13. Conſentiunt, inquiente, Catholici, Summum Pontificem eſſe viſibile Caput Eccleſiæ. Viſibile, inquam; nam inuiſibile, ac primum, ac præcipuum ſolus Chriſtus eſt. Caput autem non ſolùm pars corporis præcipua eſt; ſed & in eo ſolo vigent omnes ſenſus, vt, ſi diſcindi ſine interitu corpus poſſet, Caput cæteris omnibus membris, etiam ſimul ſumptis, præſtantius foret. Frequentiſſimum eſt in tota vita ciuili, præſertim apud Iuriſconſultos, vt caput pro perſona ipſa accipiatur, quod de reliquo corpore vix aliquod reperias exemplum.

Cùm numquam contigerit (neque futurum ſit vnquam) vt Summus Pontifex legitimus, & indubitatus magnum, vel maiorem Epiſcoporum numerum, à ſua parte ſtantem non habeat: nonne Eccleſiæ Corpus per Caput cum multis alijs membris præcipuis meliùs repræſentabitur, quàm per alia membra ſine capite? Quid igitur aliud efficiunt, qui Concilium ſine Pontifice cum Pontifice ſolo comparant, eique præferunt, quàm vt periculoſo ſchiſmati viam aperiant?

Ipſi etiam Epiſcopi non ſolùm ſeorſim, ſed etiam in Concilio congregati, Romanum Pontificem Caput, ac Patrem habent. Hoc inter alia profitetur Concilium Chalcedonenſe in Epiſtola, ſeu relatione ad S. Leonem ſub finem: [Rogamus igitur, & tuis Decretis noſtrum honora iudicium, ſicut nos Capiti in bonis adiecimus conſonantiam, ſic & Summitas Tua filijs, quod decet, adimpleat.] Caput autem Concilij dicitur Pontifex, non tantùm, quòd primo, ac præcipuo loco ſit, ſed quia, vt ait idem S. Leo alibi citatus; [Chriſtus ab ipſo quaſi quodam Capite dona ſua velut in corpus omne diffundit.] Sicut ergo quilibet Epiſcopus, quia eſt Eccleſiæ

par-

particularis Caput, Ipſamet Eccleſia particularis cenſetur,eiuſque Paſtor, & Doctor, quem audire, ac ſequi tenentur non ſolùm ſinguli, ſed etiam omnes illius Diœceſis homines; nec ad eos de illius doctrina, & regimine ſpectat iudicare, ſed ad ſuperiorem extra Diœceſim,ita Summus Pontifex,Eccleſiæ vniuerſæ Caput, ipſam ſolus melius, quàm cætera membra ſine ipſo, videtur exhibere; eiuſque Paſtor, & Doctor eſt, cui tenentur obedire tum Laici, tum Clerici, tum ſeorſim, tum coniunctim, quotquot intrà Eccleſiam ſunt.

Adeò difficilis, ac ferè impoſſibilis eſt Conciliorum generalium congregatio, vt veriſimile non ſit, Chriſtum principalem eis Eccleſiæ regendæ poteſtatem contuliſſe. Etenim per tria prima ſecula,cùm Imperatores, alijque Principes, Infideles eſſent, & ad Eccleſiam perſequendam, quàm iuuandam paratiores; nullum haberi potuit huiuſmodi Concilium: omneſque tum temporis hæreſes ſtudio, & auctoritate Romanorum Pontificum potiſſimùm extinctæ ſunt. Poſſet autem contingere, quod tamen, diſponente diuina prouidentia, numquam futurum ſperandum eſt, vt per totidem ſecula, vel plura idem impedimentum obſtaret.

Incommodorum in conuocandis Concilijs occurrere ſolitorum partem recenſet ſanctus Ambroſius epiſt.9.lib.1. his verbis; [Vexabuntur Sacerdotes Senes, transfretabunt maria, iterum inualidi corpore patriam peregrino mutabunt ſolo, iterum ſacroſancta Altaria deſerentur, vt in longinqua proficiſcantur, iterum pauperum turbæ Epiſcoporum,quibus ante onerosa paupertas non erat, externæ opis egentes, compellentur inopiam gemere, aut certè victum inopum itineris vſurpare.] Præterea tam diuerſa ſunt Principum Chriſtianorum ſtudia; tam frequentes bellorum perturbationes; tot circa præcedentiam,& alia capita contentiones; vt ob varias illas difficultates, quarum aliquæ poſteriora Concilia tamdiu produxerunt,Scriptores dixerint,eſſe ferè impoſſibilem Conciliorum generalium congregationem.

Præſtantia hic præcipuè propter certitudinem attenditur. At infallibilitatem ſententiæ Concilij Oecumenici auctoritati Summi Pontificis potiùs, quàm aliorum Epiſcoporum numero, adſcribendam, ipſa experientia conſtat. Nam aliqua Concilia valde numeroſa errauerunt, ac per Summos Pontifices, & per alia Concilia emendata ſunt; vt patet de Concilio II. Epheſino, & de Concilio Ariminenſi. Anno 754. habitum eſt Conſtantinopoli Concilium,quod ſanctæ, magnæ, & vniuerſalis Synodi titulo ſe inſigniuit,338. Epiſcopis conſtans, quorum omnium ſuffragio definitum eſt, cultum imaginum eſſe idololatriam: hunc errorem correxit, ſeu damnauit Stephanus IV.Papa in Concilio Romano anno 769. deinde Hadrianus Primus, & iuxtà eius definitionem, ſeptima Synodus generalis.

Declarat autem, quæ ſit in conuocandis, ac dirigendis Concilijs ſanctæ Sedis auctoritas, Epiſtola Hadriani ad Taraſium Conſtantinopolitanum, lecta in 7.Syn. act.2. [Quòd ſi autem non perſpecta mihi eſſet, & probè cognita erga ſacras Synodicas ſex conſtitutiones, & venerandas imagines, veſtra ſinceritas, & Orthodoxa fides, nequaquam ad Synodum conuocandam aſſentiremus...... Inprimis autem veſtra Sanctitas pijſſimis, & triumphatoribus noſtris Imperatoribus ſine trepidatione inducat in animum, vt falſam congregationem illam ſine conſenſu, ac præſentia Apoſtolicæ Sedis,contra omnem Patrum venerabilium traditionem, contra venerandas imagines, ſine ordine,& debita conuocatione, factam execretur, & anathematizatam præſentibus apocriſarijs noſtris, cognoſcat; quò omne zizanium ab Eccleſia eradicetur, & Ieſu Chriſti Domini noſtri verbum impleatur, cùm ait: Et portæ inferorum non præualebunt aduersùs eam, & alibi; Tu es Petrus, &c.]

Eandem auctoritatem exponunt Gelaſius Epiſt. 13. & Nicolaus 1. Epiſt. 8. „Sanctæ memoriæ Flauianum, inquit Gelaſius [Pontificum congregatione damnatum, ſoli renore, quoniam ſola Sedes Apoſtolica non conſenſit, abſoluit, potiùſque, qui illic receptus fuerat, Dioſcorum ſecundæ Sedis Præſulem ſua auctoritate damnauit, & impiam Synodum, non conſentiendo ſubmouit, ac pro veritatis, vt Synodus Chalcedonenſis fieret, ſola decreuit &c.] Et Nicolaus primus; [Non ergo dicatis, non eguiſſe vos in cauſa pietatis Romanæ Eccleſiæ, quæ collecta Concilia ſua auctoritate firmat, ſua moderatione cuſtodit.] Vnde quædam eorum, quia conſenſum Romani Pontificis non habuerunt, valetudinem perdiderunt. [Quomodò non egeat quælibet Synodus Romanæ Sedis, quando in Epheſino latrocinio, cunctis Præſulibus, & ipſis quoque Patriarchis probantibus, niſi Magnus Leo, imitator ſcilicet illius Leonis, de quo ſcriptum eſt, vicit Leo de Tribu Iuda, Diuinitus excitatus, os aperiens, totum orbem, & ipſos quoque Auguſtos concuteret, & ad pietatem commoueret, Religio Catholica penitus corruiſſet.]

Nec cogites, Concilia illa dumtaxat, quæ ſine vlla Summi Pontificis auctoritate congregata fuerant, vel in proferenda ſententia libera non fuerunt, per eos,quibus dictum in perſona Petri; [Confirma fratres tuos,] fuiſſe confirmanda. Etenim in Concilio Chalcedonenſi Act. 5. propoſitæ ab Aſclepiade fidei definitioni, vel periculoſæ, vel imperfectæ conſenſerant omnes Epiſcopi, eamque cum applauſu exceperant, præter aliquos Orientales, & ſanctæ Sedis Legatos, qui receſſuros ſe à Concilio, proteſtati ſunt, niſi epiſtola S. Leonis integrè ſuſciperetur, ſupreſſa illa definitione, in qua ſub verbis ambiguis, & æquiuocationi obnoxijs, Dioſcori virus latere ſuſpicabantur; quæque adeò rectæ fidei nocere potuiſſet.

Concilia Oecumenica, niſi Summi Pontificis auctoritatem ſuperiorem eſſe, cognouiſſent, quomodò eius, non ſuo nomine, Decreta communi conſenſu conſtituta, edi paſſa eſſent, vt auctoritatem à Pontifice mutuari, approbationem tantùm à Concilio habere intelligerentur? Quod in ijs dumtaxat Concilijs obſeruatum legimus, quibus interfuit ipſemet Papa, quò expreſſiùs ſignificaretur, perſonæ ipſi Summi Pontificis, quatenus Petri ſucceſſoris, hanc competere prærogatiuam.

nam. Vnde in Concilijs tantùm Occidentalibus ea forma ſeruata eſt, eò quòd in Orientalibus numquam adeſſe voluerint Summi Pontifices, licèt rogati, & aliquando facilè, vel ſine magno incommodo adeſſe potuiſſent.

Quamquàm extant etiam illius prærogatiuæ veſtigia in Concilijs Orientalibus. Nam condemnatio Dioſcori in Chalcedonenſi Concilio ſub nomine S. Leonis, quamuis abſentis, cum approbatione, & ſubſcriptione Epiſcoporum à Paſchaſino Legato edita eſt; Sanctiſſimus, & Beatiſſimus Archiepiſcopus Magnæ, & ſenioris Romæ Leo, per nos, & per præſentem ſanctum Synodum, vna cum ter beatiſſimo, & omni laude digno Beato Petro Apoſtolo, qui eſt petra, & crepido Catholicæ Eccleſiæ,& recta fidei fundamentum, nudauit eum (Dioſcorum) tam Epiſcopatus dignitate,quàm etiam&ab omni ſacerdotali alienauit miniſterio. Magna eſt energia verborum illorum; [Leo per nos, & per præſentem ſacram Synodum, quibus denotatur Papæ authoritas; & ſequentium, vnà cum ter Beatiſſimo, & omni laude digno B. Petro [quibus ſignificatur auctoritatis origo, ſcilicet priuilegium Romanis Pontificibus in perſona Beati Petri à Chriſto collatum. Nec illam ſibi auctoritatem vindicauerunt Apoſtolicæ Sedis Legati, niſi poſtquam eis dictum fuit [Petimus veſtram Sanctitatem, qui habetis, magis autem, qui habetis locum ſanctiſſimi Papæ Leonis, promulgare in eum, & regulis inſitam contra eum proferre ſententiam. Omnis enim & tota vniuerſalis Synodus concors efficitur veſtræ Sanctitatis ſententiæ.] Concilium Chalcedonenſe Act. 3. In qua lecti ſunt etiam, nemine reclamante, plurimi libelli, in quorum titulo diſtinguebatur ſanctus Leo à Concilio, eique anteponebatur, nec non Patriarcha, vel Archiepiſcopus vniuerſalis appellabatur.

Quamuis Reges, alijque Principes à populo plerumque ſuam auctoritatem acceperint, non à Deo, niſi mediatè; tamen Regem Galliæ Comitijs generalibus ſuperiorem eſſe, qui reuocaret in dubium, puto tanquam læſæ Maieſtatis reum habendum; eamque ſuperioritatem omnes intelligunt in eo ſignificatam, quòd, quæ in Comitijs deliberata ſunt, Regis nomine inſcribuntur, & auctoritate promulgantur. Cùm in Comitijs generalibus Galliæ ſub Henrico III. conſcripti fuiſſent quidam articuli, quibus exigebatur, vt Rex Comitiorum ſententiam ſequi teneretur, repudiati ſunt tanquam Regiæ Maieſtati iniurioſi: & iure merito inquit Dupleix iſta recitans, nam Rex non eſſet, ſi ei à Comitiorum ſententia recedere non liceret. Porrò quomodò Summus Pontifex Eccleſiæ ſubiacebit, à qua ſuam non eſt mutuatus poteſtatem, & cui potiùs iure Diuino, tanquam Chriſti Vicarius, ex Conſtantienſi Concilio Seſs. 8. tanquam Caput corpori, iuxta Concilium Chalcedonenſe Act. 3.& in Epiſtola ad S.Leonem; tanquam Paſtor gregi, vt canit Eccleſia, prapoſitus eſt.

§. II.

Referuntur ac expenduntur partis aduerſæ argumenta per Toſtatum, Abulenſem Epiſcopum 2. par. Defenſorij cap. 75. & 76. deducta en illa auctoritate: SI peccauerit in te frater tuus, &c. dic. Eccleſiæ.

ARGVMENTVM I.

Ex hac namque auctoritate Author ille argumentatur 1. Inde elici, quòd non ſolum in pertinentibus ad fidem Concilium iudicet de ſtatu Papæ, ſed etiam in pertinentinentibus ad mores & crimina. Nam quando dicitur Papa eſſe ſubiectus Eccleſiæ vniuerſali matri ſuæ, cuius vicem plenè tenet ſacrum Generale Concilium, aliqui non ſecundùm Deum, ſed ſecundùm hominem fauere volentes Pontificibus, quaſi conſtituentes eos Deos impeccabiles, dicunt, verum eſſe, quòd Papa in his, quæ ſunt fidei ſit Concilio ſubiectus, quia de hoc expreſse continetur in Cap. Si Papa. 10. diſt. vbi habetur, quòd pro cauſa fidei Papa accuſari, & deponi poſſet. Verùm pro alijs delictis aſſerunt, Papam ſoli Diuino relictum eſſe arbitrio, nemineinque mortalium, ne quidem Concilium Generale poſſe iudicare Papam; iuxta cit. Cap. Si Papa. & alia Iura. Hi tamen minimè aduertunt ad præinſinuatam Chriſti Domini auctoritatem, quæ maior eſt quibuſcumque epiſtolis Summorum Pontificum, ex qua neceſſum eſt, accipi, Papam ſubiectum fore iudicio Generalis Concilij non ſolùm in pertinentibus ad fidem, ſed etiam in tangentibus actiones morales: quia in ea lege de correctione fraterna Chriſtus ſubiecit beatum Petrum Eccleſiæ, quæ eſt Concilium Generale, & tamen lex de correctione, non ſolùm habet locum in peccato hæreſis, ſed etiam in omnibus alijs, ſicut tota Eccleſia obſeruat.

Reſponſio.

Cur, ſi Papa deficiat à fide, ſubijciatur Concilio, ex ſolis etiam Epiſcopalibus iuriſdictionibus aggregato, in promptu eſt ratio: quòd vt potè ab Eccleſia auulſus, iam nequeat huius eſſe caput; nec adeò proceſſui aduersùs ipſum faciendo obſiſtere poſſit charaéter Pontificius, ex quo eſt eiuſdem ſupra Concilium præeminentia. Imò ſi vel Papa dubius ſit, dum talis character Epiſcopalibus iuriſdictionibus ſupereminens, ſecundùm prudentialem credibilitatis euidentiam non patet, atque adeò conſtare nō poteſt, eſſe exemptus à iuriſdictionibus Epiſcopalibus in vnum acephalum Concilium collatis, iam præſumendus eſt, hiſce ſubeſſe, atque adeò contra ipſum procedi poteſt in tantum, vt pro Eccleſiæ Bono de ipſo decerni queat, ac ſi nulla prætenſi Papatus in ipſo habenda eſſet ratio. Verùm ſi certa ſit Pontificia dignitas, quomodò aduersùs ipſam ratione cuiuſque ſceleris procedere fas erit, eouſque, vt, dum

Caput

Caput est Ecclesiæ, perinde tamen ac Ethnicus, id est, ab Ecclesia auulsus, habendus ex correctionis fraternæ censura authoritatiuè decernatur? Quomodo enim inter se cohærere possunt, esse verum adhuc Ecclesiæ Caput, & tamen reputandum esse ad instar membri à corpore Ecclesiæ abscissi?

ARGVMENTVM II.

Abulensis prætiratus, postquàm multis ibidem ostendisset, illum de correctione fraterna textum Euangelicum non de peccatis fidei duntaxat: sed vel maximè de alijs peccatorum generibus intelligendum esse, sic argumentatur 2. Secundùm hanc correctionis fraternæ regulam, remittitur Papa ad Concilium, denunciando peccata cuiuslibet alterius. Sed & quilibet alius mittitur ad Concilium, denunciando peccata Papæ, cùm ipse sit frater omnium. Ergo etiam peccata actionum mortalium Papæ possunt iudicari per Generale Concilium. Et sic factum est sæpe antiquitus, vt paret in B. Damaso Papa, qui accusatus fuit de adulterio, & coram Concilio Generali se purgauit cum quadraginta quinque Episcopis. Sic etiam Symmachus Papa tempore Regis Theodorici regnantis in Italia, coram sancta Synodo purgatus est: & ita de multis alijs Summis Pontificibus, vti legitur in gestis Summorum Pontificum, & in historia B. Damasi. & sæpe in Decretis 2. q. 5. Ad quod facit etiam Cap. 11. Octauæ Synodi Oecumenicæ: vbi sic habetur: [Vniuersalis Synodus cum conuenienti reuerentia quamlibet quæstionem de Romana Sede exortam audire tenetur, & in ea proficere: non tamen audacter sententiam in Romanum Pontificem dicere.]

Responsio.

Considerata dignissimum est, quomodò ex Christi circa correctionem fraternam præscripto, Papa remittatur ad contumacem Ecclesiæ, id est, Concilio Generali denunciandum? An hæc remissio fiat in vi indefinitæ Concilio Generali, qua Oecumenico, sicque per Papæ characterem informato, competentis Mathæi 18. descriptæ ad ligandum & soluendum potestatis? At non minùs vniuersalis, ac incircumscripta noscitur ex Matthæi 16. cap. ligandi & soluendi potestas Papæ conuenire. Quid ergo ex hac parte specialis inesset vtilitatis illi ad Concilium Generale contumacis denunciationi, dum solitaria etiam Papæ auctoritas, æquè ac Concilij Generalis auctoritas illa præualere potest ad contumacem auellendum ab Ecclesiæ communione, vt instar Ethnici ac publicani sit propterea habendus? An rursus ea contumacis ad Concilium Generale remissio per Papam facienda, est tanquam ad tribunal superius in causa facti, vt scilicet delicti veritas per processum iudiciarium indagetur, sicque pœnæ condignæ subijcienda, vlteriùs deuolui non valeat? At quid vtilitatis in hac quoque remissione interueniret, dum quæ Concilio Generali, qua Oecumenico, sicque ipsummet Papam ceu Ecclesiæ Caput inuoluenti, est concessa iudiciaria suprema potestas, vnicè fundatur in illa indefinita ligandi & soluendi auctoritate, cui ex paritate verborum noscitur compar Papæ etiam solitariè spectato, competens æquè vniuersalis ligandi ac soluendi potestas? An ergo, vbi peccator Papæ correctioni, eiusque decretis contumaciter resistendo, vel apertè, vel plusquàm probabilis hæreseos, ne in Ecclesiæ, ac Religionis sanctæ publicum detrimentum cedat, censura condigna reprimendę dignoscitur reus, hoc delictum non tam quoad processum Facti, quàm quoad decisionem Iuris, fidem ipsam contingentis, sicque dogmaticam ex fide definitionem publicam & auctoritatiuam efflagitantis, per Papam est referendum ad Generale Oecumenicum Concilium, non ideo, quod ipse Papa, ceu Petra, super quam ædificata est Ecclesia, non habeat etiam dogmatis ex fidei principijs auctoritatiuè decisiuam potestatem, sed quòd certior adhuc secundùm nos sit fidei regula ex definitione Generalis, qua per Papam informati, eiusque consensum firmati Concilij, consummatam in fidei dogmatibus decidendis infallibilitatis auctoritatem omnimodam obtinentis? Et qua proinde Concilij, quà Oecumenici, sicque Papam ceu formale suum constitutiuum, & principium suo consensu cooperans, seu confirmans includentis, secundùm nos certiori infallibilitatis prorsùs consummatę prærogatiua subsistit equidem Synodi Generalis, quà Oecumenicæ, & quà per Papam confirmatæ maioritas quædam, nulla verò supra Papam propriè dicta superioritas; velut in antecedentibus habetur declaratum.

Quando porrò Abulensis in suo præsenti argumento ex Christi de correctione fraterna verbis prætendit: [Papam eatenus remitti ad Concilium Generale, quatenus ipsius, vtpote fratris peccata, hæresim licèt non redolentia, possint deferri ad eiusmodi Synodum.]

Ad hoc responsio in promptu est. Dum enim nullum Papæ peccatum est intelligibile, quod sub peccati reatu sit profluens ex Papali auctoritate per Christum instituta, sed ex personæ huius potestatis per Christi ordinationem participe, vt sic communicantre cum fidelibus vniuersis tam in gratiæ & charitatis sanctę, quam in Religionis ac Ecclesiæ sanctę, Boni etiam publici communione, quis neget, Papam vt sic esse fratrem Christi fidelium, adeòque non iam vt Papam, sed quà Christianum hominem subesse correctioni fraternæ per Christum Matth. 18. institutæ? Quid ergo? Si Papa, quà peccator, sicque adeò quà homo priuatus secretè, vel etiam coram testibus priuatim à viro ad hoc idoneo secundùm præceptum Euangelicum correctus, se non emendet, sed Ecclesiam suam publicis peccatis suis scandalizare protetuè pergat; an nefas erit, ipsum deferri ad Concilium etiam acephalum, vt ab eo acriori verborum reprehensione castigatus, ad melioris vitę frugem reducatur? Sed vbi nec ista reprehensio & correctio verbalis profecerit, dum in fide non defecit, adeòque Ecclesiæ membrum & caput permanet, indefinita adeò ligandi & soluendi, super quocunque ad regnum cælorum ordinabili protensa, præfulgens potestate, quomodò iam Concilium Generale (cui equidem non nisi quà Oecumeni-

menico: adeòque Papam ipsum inuoluenti pariter indefinita soluendi seu ligandi auctoritas competit) aduersùs ipsum stringere poterit virgam coercitiuam? Hoc ipsissimum est, quod ex Cap. 11. Octauę Oecumenicę Synodi superiùs adducto habetur, quòd scilicet Generalis Synodus audacter (qualis audacia prorsùs interueniret, si virga coercitiua stringeretur aduersùs potestatem æquè indefinita ligandi & soluandi auctoritate dotatam) sententiam in Romanum Pontificem proferre haud quaquam possit.

Si equidem Pontifex sponte sua, & voluntariè se vti peccatorem, atque adeò quà hominem priuatum, vti fit etiam in foro Confessionali, se subijciat Concilio, meritò istud procederet ad quæuis salubria, ac emendationi procurandæ congrua remedia, absque vlla tamen iudiciatia coercitiua fori externi propria auctoritate, vtpote haud potente constringere illum, cui, quamdiu hæreticus non est, inamissibiliter inest absoluta, & indefinita ligandi potestas. Et hinc à fortiori potest Papa vti subsidio Concilij Generalis ad famam iniquè sibi ereptam, Ecclesiæ Bono, ac regimini perquàm necessariam reparandam: in quo tamen actu nulla erga Papam, sed hoc ipsomet etiam concurrente, suamque auctoritatem Synodo pariter impertiente, erga eius iniquos diffamatores exercetur iurisdictio.

CONCLVSIO.

Ex regula fraternæ correctionis per Christum Matthæi 18. instituta nequit vlla Concilij Generalis supra Papam superioritas euinci.

Explicatur. Ipso namque naturæ lumine conspicuum est, superioritatem prætendi haud posse erga alterum, nisi ex auctoritate, hunc suis, seu mandatis, seu sententijs iudiciatijs constringere præualente: quorum neutrum in Concilio, quantumuis Generali qua acephalo, posse locum habere, multis iam habetur ostensum in præcedentibus, & aliquantò magis firmabitur ex subsequentibus.

PROBATIO I.

Refutatoria primi, & secundi per Abulensem suprà allati argumenti.

Fingamus enim, Concilium aliquod Generale, quod eo ipso, dum est acephalum, nequit formaliter Oecumenicum esse, aduersùs Papam non hæreticum, adeoque Iure Diuinò non depositum, vel etiam non dubium, nec Episcopalibus ex orbe Christiano ob Ecclesiæ Bonum publicum in vnum congestis iurisdictionibus subditum, eousque procedere, vt in ipsum, ab Ecclesia agnitum verum Papam, stringat excommunicationis censuram, Ethnici adeò, & publicani statu condignum eum decernens: quid efficaciæ, seu vis constringentis poterit in tali sententia reperiri, dum ipsemet Papa talis sententiæ vim euacuare, imò omni prorsus efficacia constringente destitutam, adeoque nullam ex sua Oecumenica auctoritate declarare, ac iuridicè procurare valeret? At eo ipso, quòd de fide sit, Papæ ab Ecclesia recepto competere claues Regni Cælorum cum indefinita, super quocumque in Regnum Cælorum ordinabili Morali protensa, soluendi, & ligandi potestate, euidenter redditur manifestum, quamcumque Concilij aduersùs Papam quomodocumque latam sententiam, posse ex vi illius Oecumenicæ auctoritatis eneruari à Papa, imò omni prorsus constringente efficacia destitutam, seu nullam iuridicè, ac iudicialiter pronuntiari. Sicuti ergo ex fidei principijs euincitur, nullam esse Concilio Generali vim & auctoritatem, suis sententijs constringendi Papam, sic ex ijsdem principijs confutatur Concilij Generalis erga Papam auctoritas. In quo proinde principio, & Concilia, & Summos Pontifices, & sanctos Patres, ac Theologos conspirare, constat ex ijs, quæ Auctor Regalis Sacerdotij lib. 2. §. 21. singulari industria sua congessit: Patres. inquiens, Concilij Romani sub Syluestro Pontifice, & Constantino Imperatore num. 244. docent: [Romanam sedem à nemine, ne quidem toto Clero iudicari posse; ab ipsa verò iudicari omnes.] Tomo 1. Concil. post Concilium Nicænum. Et ipsum Concilium Romanum Canon. vlt.

Patres Concilij Nicæni I. numer. 318. [Papam esse vicarium Christi super omnes populos, & vniuersam Ecclesiam Christianam.] Habetur in act. Concilij Canon. 39. Tom. 1. Concilior.

Patres Concilij Sinuessani, numer. 180. [Non posse alterius ore, sed suo tantùm Papam iudicari: illum reum, illum iudicem sui esse.] Acta Concilij Sinuessani Tom. 1. Concilior. & Nicolaus I. in epist. ad Michaelem Imperatorem.

Patres Concilij Romani sub Symmacho Papa, & Theodorico Italiæ Rege, num. 115. [Papam esse summum Pastorem, nullius, extra casum hæresis, iudicio subiectum.] Tomo 1. Conciliorum & Anastasius in Symmacho.

Patres Synodi Romanæ sub Leone III. & Carolo Magno ex Alemannia, Gallia, Italiaque quàm plurimi. [Rem inauditam esse, Romanum Pontificem Concilio reum sisti, qui numquam alium, quàm se iudicem habuerit.] Anastasius in Leone III. Æmilius de rebus Francor. in Carolo Magno Baronius ad Annum DCCC.

Patres octauæ Oecumenicæ Synodi sub Hadriano II. Pontifice, num. 102. [Ne quidem à Concilio Generali posse in Romanum Episcopum sententiam dici.] Can. 21. & habetur tom. 4. Concilior.

Patres Concilij Lateranensis sub Leone X. num. 114. [Papæ auctoritatem Concilio præcellere.] Sess. 11. Et Rex Christianissimus per suos Oratores Lateranensi Concilio se adhærere professus est. Sess. 8.

Sanctus Anacletus Papa, & Martyr: [Depositionem Summi Pontificis soli Deo reser-

cere auctoritate Dei: ideo ipso approbante aliquid, & nos approbare debemus. Imò ipsius sententiæ est magis standum, quàm sententiæ totius mundi.]

Denique Ecclesia, & Natio Gallicana hanc ipsam veritatem de Pontificis auctoritate Concilijs superiore, aliquoties, totoque audiente orbe Christiano, amplexa palam, & professa est, vt infrà dicetur. Videatur interim Raynaldus ad Annum 1441. num. 10. & Acta Concilij Lateranensis vltimi Sess. 8.

PROBATIO II.

Prioris continuatiua.

Videri equidem posset, Concilij super Papa superioritatem euinci ex cap. Confidimus, cap. Contra cap. Prima salus, cap. Ideo, 25. qu. 1. quatenus hisce Canonibus habetur sancitum: Summum Pontificem Vniuersalium Synodorum decretis, & sanctionibus Canonicis alligari, decereque apprimè sanctam Sedem, vt constitutiones eiusmodi curet obseruari. Quò faciunt etiam, quod Gregorius Magnus in cap. Sicut, distin. 15. relatus dixerat: [Ne quidem à Summo Pontifice solui posse, quos quinque Concilia Oecumenica ligarunt, aut ligari, quos illa soluerunt.] Et quod S. Antoninus 3. par. tit. 23. cap. 1. §. 6. asseruit. [In ijs, quæ ad fidem pertinent, maiorem esse Comitijs auctoritatem, quàm Summi Pontificis.] Item in ijs quæ uniuersalis Ecclesiæ statum concernunt, non posse Papam contra Concilium aliquid statuere.

Verùm ad solidam super hisce reflexionem faciendam, lubeat ea aduersarijs sciscitari cuiusnam auctoritatis iure, ac efficacia constringantur Summi Pontifices ad Synodorum vniuersalium decreta, seu Canonicas sanctiones, in rebus fidei præcipuè, vel vniuersalis Ecclesiæ concernentibus statum, obseruanda? In fidei equidem sanctionibus à Concilio Oecumenico latis, & per Papam firmatis, ex hoc capitis vna, & hierarchici Ecclesiæ corporis consensu eatenus stat omnimodà & consummata veritatis infallibilitas, vt Papa etiam debeat ei, se subiectum profiteri, tum ex fidei virtute propter primæ veritatis supereminentem auctoritatem, tum ex virtute prudentiæ infusæ, propter credibilitatis prudentialem euidentiam supernaturalem dogmaticæ veritatis, non tantùm sufficienter, sed conuincenter, sub omnimoda scilicet infallibilitatis moralitate applicatoriam.

In ijs porrò, quæ statum Ecclesiæ concernunt, Summus Pontifex se conformare, & accomodare tenetur Oecumenicorum Conciliorum decretis, ex ipsa Iustitiæ legalis, à Religionis supernaturali haud distinctæ obligatione, Papam eo impensiùs constringente, quod tanquam Oecumenicus Ecclesiæ pastor huius vniuersale, bonum magis, quàm cæteri promouere teneatur. In his statutis Synodalibus autem fideles quousque, etiam singulariter spectatos, concernentibus, quoad materias, quæ Papalem dignitatem non dedecent, eorum secundùm vim directiuam obligatio stringit etiam Papam, vt qua Ecclesiæ sanctæ membrum, reliquo mystico, cuius est caput, corpori se conformet. idque in vi æternæ legis, atque ex hac deriuatæ naturalis etiam supernaturalizatæ legis, omni mandato humano sese insinuantis, suamque transcedentalem obligationem in id transfundentis. Quia tamen eiusmodi à Concilio, quantumuis etiam Oecumenico, sanciti decreti vis, & efficacia non potest non computari in censu moralis ad Regnum Cælorum in terris ordinabilis vinculi; quomodo extrahi valeret ab indefinita, super quamcumque in terris ad Regnum Cælorum ordinabilem moralitatem protensa ligandi, & soluendi, Papæ etiam solitariè spectati, potestate? Quare tantùm abest, vt hæc sit illi subiecta, sed tota potiùs decreti Synodalis secundùm se specificè spectati, obligatio subiacet Summi Pontificis auctoritati. Quam ob rationem nulla etiam est excogitabilis in terris iudiciariæ potestatis sententia, cui non superemineat Papæ suprema potestas Oecumenica.

Hoc totum dilucidis verbis profitebantur sancta Concilia, asseuerando, Summum Pontificem à nemine, præter solùm Deum, iudicari posse; veluti industria præcipuis laudibus digna Auctor regalis sacerdotij lib. 2. §. 6. à num. 2. nostros ob oculos ponit exempla sequentia, quorum primum est anni 303. de Marcellino Pontifice Imperatorum Diocletiani, & Maximiani, seu minis, seu blanditijs ad thus Vestæ adolendum permoto, sed mox pœnitente ad Synodum Sinuessæ In Crypta Cleopatrensi celebratam reuertente, ex qua hanc retulit sententiam, Synodus vniuersa dixit: cunctorum iudicio ru e is index, ex te damnaberis, & iustificaberis, tu enim iudex, tu reus:] veluti fusiùs habetur tom. 1. Concilior. & in epist. Nicolai I. ad Michaelem Imperatorem, relata in Synodo Oecumenica VII. act. 6.

Secundum anni 324. exemplum est desumptum ex Concilio post baptizatum Constantinum Imperatorem in Thermis Traiani per B. Syluestrum cum ducentis octoginta quatuor Episcopis celebrato, in quo Valentiniana & Sabelliana hæresis damnata est, vbi iuxta tom. 1. Concil. 20. cap. ita habetur: [Nemo dijudicet primam Sedem, quoniam omnes Sedes à prima Sede iustitiam desiderant temperari, neque ab Augusto, neque ab omni Clero, neque à Regibus, neque à populo iudex iudicabitur.

Tertium anni 433. exemplum est Concilij celebrati in Atrio Sessoriano ob Sixtū III. Pontificem de stupro accusatum; vbi præsente Imperatore Valentiniano, cùm dictum esset: [Non licere aduersùs Pontificem dare sententiam,] surrexit protinus Imperator, & in arbitrio præfati Pontificis tribuit iudicare iudicium suum; vti habetur in dicta Nicolai Papæ ad Michaelem Imperatorem epistola, relata tom. 5. Concil.

Quartum anni 502. exemplum est ex Synodo Romana, celebrata sub Symmacho Papa, vbi in Apologia ex mandato Concilij aduersùs schismaticorum erga Symmachum criminationes scripta ab Ennodio sic habetur: [Aliorum fortè hominum causas Deus voluit homines terminare, sed Sedis istius (scilicet Romanæ) Præsulis suo sine quæ-

ſtióne reſeruauit arbitrio . Voluit B. Petri Apoſtoli Succeſſores cælo tantùm debere innocentiam, ſubtiliſſimi diſcuſſoris indagini inuiolatam exibere conſcientiam .] Cuius aſſerti mox ſubijcitur ratio, quod vni dictum ſit; [Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam; & quæcumque ſolueris ſuper terram, erunt ſoluta, & in cælis .] Ex Ennodio tom. 2. Concil. libello Ennodij.

Quintum anni 800. exemplum eſt ex Synodo Romana ſub Leone III., & Carolo Magno celebrata, vbi cùm Carolus infenſiſſimorum Leonis hoſtium audacias ſacrilegas vindicaturus iuſſiſſet, vt Synodus in Leonem, eiuſque obiecta inquireret, Patres vnanimi voce exclamarunt: [Nos Sedem Apoſtolicam, quæ eſt caput omnium Dei Eccleſiarum iudicare non audemus; nam ab ipſa nos, & Vicario ſuo iudicamùr, quemadmodum antiquitus mos fuit.] Ex Anaſtaſio in vita Leonis, & Æmilio de geſtis Francorum ſub Carolo Magno.

Sextum anni 968. exemplum eſt iterum ex Romana Synodo ſub Hadriano II. habita in caſu Photij, vbi Pontifex ſic fuit præfatus, [Romanum Pontificem de omnium Eccleſiarum Præſulibus iudicaſſe legimus, de eo verò quemquam iudicaſſe non legimus, licèt enim Honorio ab Orientalibus poſt mortem anathema ſit dictum, ſciendum tamen eſt, quia fuerat ſuper hæreſi accuſatus, &c.] Quæ verba lecta, & approbata ſunt in VIII. Synodo Oecumenica act.7.

§. III.

Noſtratis de Papa ſupra Concilium ſuperioritate ſententiæ argumenta referuntur, ac expenduntur.

ARGVMENTVM I.

Deſumptum ex Papa per ſe, vel Legatos ſuos in Concilijs Oecumenicis præſidentia.

FIngunt equidem hæretici moderni, in nullo Vniuerſali Concilio ante Synodum Conſtantinopolitanam, pro octaua Oecumenica habitam, vel per ſe, vel per Legatos ſuos præſediſſe Romanum Pontificem.

Verùm huius manifeſti commenti manifeſta fit confutatio ab inductione Conciliorum Oecumenicorum. Nam 1. ex actis Nicæni Concilij conſtat, huic Synodo, vnà cum Vito, & Vincentio, Eccleſiæ Romanæ Presbyteris, præſediſſe Hoſium Cordubenſem quem fuiſſe Romani Pontificis Legatum, aſſerunt etiam in præfatione Concilij Sardicenſis.

Inſuper ſanctus Athanaſius in epiſt. ad vitam ſolitariam agentes ſcribit, Hoſium in Concilio Principem egiſſe: teſtanturque acta Concilij, Hoſium prætactum vnà cum Presbyteris Romanis Vito, & Vincentio primo loco ſubſcripſiſſe. At quis credat, Hoſio ſimplici Epiſcopo Cordubenſi præ Patriarchis illi Concilio præſentibus permiſſum fuiſſe, vt primo loco ſubſcriberet, niſi Romani omnibus Patriarchis ſuperioris Pontificis Legatum egiſſet? Vnde Cedrenus in Compendio hiſtoriarum, & Photius lib. 1. de ſeptem Synodis ſcribunt, Syluestrum per ſuos Legatos Nicæno Concilio auctoritatem intulis.

Verum quidem eſt, Concilio Conſtantinopolitano I. Oecumenico II. neque per ſe, neque per ſuos Legatos interfuiſſe Damaſum Papam, eo quod Epiſcopos Orientis Conſtantinopolim conuocatos, volebat Romam ad pleniſſimam Epiſcoporum Occidentalium ibi congregatam Synodum vocare, niſi iſti iuſtas ob cauſas ſe excuſando, contra Macedonianos, ac Eunomianos ſententijs, & animis ſe coniunctos probaſſent cum Epiſcopis Occidentalibus. Nihilominùs illa Conſtantinopolitana Synodus in tantùm cœpit eſſe Oecumenica, in quantùm, teſte Photio in libello de ſeptem Synodis à Damaſo Papa confirmata fuit, in ijs nimirum, quæ ad Macedoniæ, ac Eunomianæ hæreſeos condemnationem, fideique Nicænæ confirmationem, ſpectant, ex ſancto Gregorio lib. 6. epiſtola 125.

3. Quod ſanctus Cyrillus in Epheſino Oecumenico Concilio haberit auctoritatem Legati à Cæleſtino Papa conſtitui, expreſsè euincitur ex epiſtola Cæleſtini ad Cyrillum relata tomo 1. Concil. edit. Colonienſ. pagin. 373. & alibi, teſtanturque Euagrius lib. 1. cap. 4. Photius in lib. de ſeptem Synodis. Proſper in Chronico, Nicephorus lib. 14. cap. 34. Liberatus Abbas in Breuiario. Iuſtinianus in edicto, & Nicolaus I. in epiſt. ad Michaelem.

4. Ex Leonis ad Concilium Chalcedonenſe epiſt. 47. apertè conſtat, Legatos ipſius fuiſſe ad iſtam quartam Oecumenicam Synodum taliter directos, vt ipſemet Papa in ijs præſideret. Quam Romani Pontificis intentionem fuiſſe ratam habitam à Concilio, conſtat ex huius ad Leonem act. 3. in quibuſdam exemplaribus, in alijs verò circa finem Concilij relata epiſtola; vbi habentur ſequentia: [Quibus (Epiſcopis nimirum Concilij) tu ſicut membris caput præeras in his, qui eum tenebant ordinem.] Vnde apertè falſum eſt, quod vti Neoterici aiunt, illi legati Pontificij non egerint munus iudicis, ſed accuſatoris. Nam oppoſitum euincitur tum ex eo, quod in omnibus actionibus primi nominentur, primi ſedeant, primi ſubſcribant, ſententiamque definitiuam nomine Papæ, & totius Concilij proferant in Dioſcorum bis verbis: [Sanctiſſimus, ac beatiſſimus Papa, caput vniuerſalis Eccleſiæ Leo, per nos Legatos ſuos, ſancta Synodo conſentiente, Petri Apoſtoli præditus dignitate, qui Eccleſiæ fundamentum, & petra fidei, & cœleſtis regni Ianitor nuncupatur, Epiſcopali dignitate Dioſcorum nudauit, & ab omni opere ſacerdotali fecit extorrem. Nec eſt, cur Neoterici officium Iudicis, ac Directoris in prætacto Concilio referant, ad viros Conſulares ab Imperatore Martiano conſtitutos. Hi enim erant deſtinati dumtaxat ad reprimendam violentiam, ſi quæ, vt Dioſcorus in Concilio Epheſino II. moliebatur, eſſet inferenda: ipſe enim in Orat. ad Synodum faſſus erat, ſe

non

non alio fine venisse, nisi ad confirmationem seu defensionem fidei, non verò ad iurisdictionis Ecclesiæ vsurpationem.

5. Circa Concilium Constantinopolitanum II. Oecumenicum IV. nimis planum est. Eutychium, Patriarcham Constantinopolitanum, agnouisse, quod præsidentia sit debita Romano Pontifici: sic enim in epist. ad Vigilium in fine 1. collat. 5. Synodi relata scripsit: [Petimus, præsidente nobis vestra Beatitudine, de tribus capitulis quæri, & conferri. Vnde Zonaras in vita Iustiniani. Sub hoc, ait, quintum Concilium est coactum centum sexaginta quinque Episcoporum, quorum Princeps fuit Vigilius, Papa Romanus.

6. In Concilio Constantinopolitano III. Oecumenico VI. præsides fuisse Legatos Agathonis Romani Pontifici, Petrum, & Georgium Presbyteros, ac Ioannem Diaconum, testatur Zonaras in vita Constantini IV. patetque ex ipsa Synodo, vbi in omnibus actionibus isti primi omnium nominantur, loquuntur, ac subscribunt. Neque Imperatorem, licèt primo loco sederit, egisse munus Iudicis, vel Præsidis constat ex eo, quod vltimo loco subscripserit, nec adrò definierit, sed decretis, ac subscriptionibus Episcoporum consenserit.

7. Concilium Nicænum II. non pseudoœcumenicum (à Genio Caluinistico sic vocitatum, quod damnarit eos, qui sacras Christi, & Sanctorum Imagines omni honore spoliabant) sed legitimum Præsides habuisse Adriani I. Legatos Petrum Archipresbyterum, & Petrum Abbatem sancti Sabæ, constat ex actis Concilij, in quibus isti primi nominantur, & primi subscribunt.

8. Denique Synodus Constantinopolitana II. inter Oecumenicas octaua, celebrata sub Adriano Papa, præsidentes habuisse huiùs Legatos Donatum, & Stephanum Episcopos, & Marinum Diaconum, probatur ex eo, tum quòd primi nominentur, & subscribant, tum quòd in prima eius actione rogati à Concilio, vt ostenderent literas Papæ, præsidentiam eis concedentes, exhibuerint; tum denique quòd ad finem Concilij primus ex illis ita subscripserit: [Ego Donatus, Dei gratia Episcopus Hostiensis, locum obtinens Domini mei Adriani vniuersalis Papæ, huic sanctæ, & vniuersalis Synodo præsidens, omnia, quæ superiùs leguntur, promulgaui, & manu propria subscripsi.] Quandoquidem ergo tam apertè extet probatum Summi Pontificis in Concilijs Oecumenicis præsidendi, hoc verò præsidentiæ ius importet superioritatem, prorsùs dicendum videtur, quòd Papa sit super Concilium.

Exceptio.

Excipient fortassis Aduersarij, præsidentiam in Concilio non tam arguere ius superioritatis erga totum Concilium, quàm erga singulos reliquos in Synodum aggregatos Antistites: exemplo Comitiorum Imperialium, quibus Cæsar quidem præsidet, ceu superior singulorum Statuum, ac Principum, nullatenus tamen obtinere superioritatem supra Comitia, constare potest ex his, quæ Hermannus Hermes in suo publici Iuris fasciculo cap. 40. à n. 79. adfert. Quinimò in Senatu Venetæ Reipublicæ Dux, seu Senatorum singulorum superior, obtinet quidem præeminentiam, cùm tamen totus Senatus super ipsum habeat ius superioritatis. Quidni ergo dicatur, ex Papæ in Concilijs Oecumenicis præsidentia, rectè concludi eius super cunctos singillatim spectatos Antistites superioritatem, hinc tamen minimè euinci superioritatis ius erga totum Concilium, imò ne huius quidem supra Papam superioritatis ius efficaciter excludi ex illo iure præsidendi.

Responsio.

Verùm quidquid sit de iure præsidendi in Comitijs Imperialibus competente Cæsari, vel de præsidentia Ducis Veneti in suæ Reipublicæ Senatu, oportet, Summi Pontificis in Concilijs Oecumenicis præsidendi ius expendere ex ipsissimo illo Diuinitus constitutæ auctoritatis fundamento, cuius intuitu ipsæ quoque Generales Synodi manifesta superioritatis testimonia Papæ detulerunt, quæ in vnum fasciculum præcipua quadam diligentia collegit Auctor Regalis Sacerdotij lib. 2. §. 5. Nam 1. Nicænam Synodum à Syluestro Summo Pontifice in altero Romæ coacto Concilio fuisse confirmatam, anathemate in eos, qui aliter crederent, prolato, constat ex tom. 1. Concilior. & epist. Synodali 4. Felicis Papæ III. vbi sic habetur, Domino ad B. Petrum dicente: [Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, eam vocem sequentes trecenti, decem, & octo SS. Patres apud Nicæam congregati, confirmationem rerum, atque auctoritatem sacræ Romanæ Ecclesiæ detulerunt.

Secundò. In fine Concilij 1. Constantinopolitani, sed Oecumenici II. ita habetur: [Damasus ad examinanda Synodi Constantinopolitanæ acta, pro Ecclesiæ Romanæ more, & auctoritate Romæ Concilium indixerat, ad quod & Orientales vocati, Legatos cum purgatione miserunt. Id sequenti anno frequentissimum celebratum est, Concilium Constantinopolitanum confirmatum, & omnes hæreses condemnatæ.

Tertiò. In Concilio Ephesino Oecumenico III. præter alia argumenta, notatu dignissimum occurrit, quòd Romanus Pontifex Caput sit Concilij, Patres autem in ea Generali Synodo congregati Ecclesiæ membra acclamarentur: dum Legatus Pontificius Patribus in hæc verba egerat gratias: [Quòd sanctis suis vocibus, pijsque præconijs sancta Ecclesiæ membra sancto suo Capiti se exhibuerint.

Quartò. In Concilio Chalcedonensi quarto Oecumenica Synodo III. Leo Pontifex passim vocatur Ecclesiæ Vniuersalis Pontifex, Caput Vniuersalis Ecclesiæ, Vniuersæ vineæ custos &c.

Quintò. Ex secundo Constantinopolitano Concilio notatu dignum occurrit, quod Act. 4. habetur: [Nos Apostolicam Sedem sequimur, & obedimus, & ipsius communicatores habemus, & condemnatos ab ipsa, & nos condemnamus.

Sextò. In tertia Constantinopolitana VI. Oecu-

Oecumenica Synodo habetur 18. Act. & Synodali Epist. quòd primæ Sedis Antistes dicatur Vniuersalis Ecclesiæ, stans supra firmam fidei petram, qui proinde auctoritate sua etiam Apostolica confirmauit istam Synodum, vti constat ex Epistola Leonis II. relata post Acta Concilij.

Septimò, In Oecumenica Septima Synodo Constantinopoli celebrata Act. 2. Legatis Apostolicis interrogantibus; num sacra Synodus recipiat sanctissimi Papæ Veteris Romæ literas, sacrarum scilicet imaginum cultum facientes? Respondit sacra Synodus: Ita sequimur, recipimus, & probamus; manifesto sanè argumento subiectionis erga auctoritatem Apostolicam.

Octauò. In octaua Oecumenica Synodo itidem Constantinopoli celebrata habetur præter alia Act. 4. 10. & vltima, necnon Canone 21. quòd Concilio non liceat audacter sententiam dicere contra Summos Seniotis Romæ Pontifices.

Nonò, In Concilio Lateranensi sub Alexandro III. prout refertur in Cap. De elect. extat sancitum: [In Romana Ecclesia debere aliquid speciale quoad electionem constitui, cùm non possit recursus ad Seniorem haberi.

Decimò. In Concilio Lugdunensi sub Gregorio X. contra Græcorum errores celebrato ita habetur inter alia: [Ipsa quoque sancta Romana Ecclesia summum, & plenum primatum, & principatum super Vniuersam Ecclesiam Catholicam obtinet: quem se ab ipso Domino in Beato Petro Apostolorum Principe, siue Vertice, cuius Romanus Pontifex est Successor, cum potestatis plenitudine recepisse, veraciter, & humiliter recognoscit.

Vndecimò. Concilium Florentinum in literis Vnionis circa finem ita habet: [Definimus, sanctam Apostolicam Sedem in vniuersum terrarum orbem tenere primatum, & ipsum Pontificem Romanum Successorem esse Beati Petri Principis Apostolorum, & verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiæ Caput, & omnium Christianorum Patrem, & Magistrum existere, & ipsi in Beato Petro pascendi, regendi, & gubernandi Vniuersalem Ecclesiam à Domino nostro Iesu Christo plenam potestatem traditam esse.

Duodecimò, Ex Concilio Lateranensi celebrato sub Leone X. relatu dignissima, ac æternæ memoriæ commendanda sunt, quæ ceu vniuersorum Conciliorum intento præsenti deseruientia Summaria quępiam Sess. 10. habentur sub hisce verbis exarata: [Nec illud nos mouere debet, quòd sanctio ipsa, & in ea contenta in Basileensi Concilio edita, & ipso Concilio instante, à Bituricensi congregatione recepta fuerunt, cùm ea omnia post translationem eiusdem Basileensis Concilij per Eugenium IV. factam, à Basileensi conciliabulo (quod post talem translationem Concilium ampliùs appellari non merebatur) facta extiterint, ac propterea nullum robur habere potuerint: cùm etiam solum Romanum Pontificem pro tempore existentem, tamquam auctoritatem super omnia Concilia habentem, Conciliorum inducendorum, transferendorum, ac dissoluendorum, plenum ius, & potestatem habere, necdum ex sacræ Scripturæ testimonio, dictis SS. Patrum, ac aliorum Romanorum Pontificum, etiam Prædecessorum nostrorum, sacrorum Canonum decretis, sed propria etiam eorumdem Conciliorum confessione manifestè constet: quorum aliqua referre placuit, reliqua verò, vtpote notoria præterire. In Alexandrina enim Synodo, Athanasio ibidem existente, Felici Romano Pontifici ab eadem Synodo scriptum fuisse legimus, Nicænam Synodum statuisse, non debere absque Romani Pontificis auctoritate Concilia celebrari. Neque nos latet, etiam Leonem Pontificem Ephesinam I. Synodum ad Chalcedonem transtulisse. Martinum etiam Papam V. Præsidentibus suis in Concilio Senensi potestatem transferendi Concilium, nulla consensus ipsius Concilij mentione habita, dedisse. Ephesinam quoque primam Synodum Cœlestino, ac Chalcedonensem eidem Leoni, sextam Agathoni, septimam Hadriano, octauam Nicolao, octauam etiam Constantinopolitanam Hadriano Romano Pontifici, Prędecessoribus nostris maximam reuerentiam exhibuisse, eorumdemque Pontificum institutionibus, & mandatis in sacris codicillis per eos editis, & factis reuerenter, & humiliter obtemperasse. Vnde Damasus Papa, & cæteri Episcopi Romæ congregati, scribentes de Concilio Ariminensi in Illyrico constitutis, præiudicium aliquod per numerum Episcoporum Arimini congregatorum fieri non posse testantur, quandoquidem constet, Romanum Pontificem, cuius ante omnia decebat spectari decretum, talibus non præbuisse consensum: eumdemque Leonem Pontificem, vniuersis Siciliæ Episcopis scribentem, idem voluisse, apparet. Consueueruntque Conciliorum Patres, pro eorum, quæ in suis Concilijs gesta fuerunt, corroboratione à Romano Pontifice subscriptionem, approbationemque humiliter petere, & obtinere, prout ex Nicæna, & Ephesina, ac Chalcedonensi huiusmodi, & sexta Constantinopolitana, & septima eadem Nicæna, & Romana sub Symmacho habitis Synodis, earumdemque gestis, nec non in Aimari libro de Synodis manifestè colligitur, quod etiam maximè Patres Constantienses fecisse, constat: quam laudabilem consuetudinem, si Bituricensis, & Basileensis secuti fuissent, huiusmodi molestia proculdubio careremus.] Ex quibus proinde vniuersis liquidò constat, Papæ in Concilijs Oecumenicis ius præsidendi, ac vltimatè definiendi non fundari super superioritate erga Antistites sigillatim dumtaxat spectatos, sed niti auctoritate erga vniuersam Ecclesiam, totumque Concilium, atque adeò importare strictam super Synodo, quantumuis Generali, superioritatem.

ARGVMENTVM II.

Petitum ex hoc, quòd Concilio nulla sit infallibilitatis auctoritas, nisi accedat eidem Papæ consensus, & confirmatio.

Auctor Regalis Sacerdotij cit. lib. 2. §. 10. egregiè argumentatur hunc in modum, Qui primas Concilio tribuunt, hoc ipso

ipso, & necessariò quidem inferre debent, vltimam ac peremptoriam sententiam penes Concilium esse, quæ nec censuram, nec correctionem admittat, & consequenter ab omni errore sit libera: si enim errori, & correctioni subiaceat, iam non erit vltima, sed superiorem aliquam, tutamque regulam, & erroris immunem habebit, ad quam exigatur: quemadmodùm linea recta est regula, & iudex omnis obliqui, quia sola, & necessariò non exorbitat, & proximo tramite in centrum pergit.

Si ergo probatum fuerit, Concilium errasse, eadem opera probatum erit, alteri subiectum esse, qui errores emendet, omni ipse errandi periculo liber, nisi velimus, in Ecclesia esse omnia incerta, & ludibrijs opinionum exposita. Age iam ergo, & ostendemus; nihil fixum, ratumque in Concilijs esse, quando do Romanam Cynosuram præ oculis non habent.

Anno Domini 359. sub Liberio Pontifice errauit Synodus Ariminensis, cui & Legati Apostolici (quorum vnus Vincentius fuit Capuanus Episcopus) & Episcopi supra 400. interfuerunt; quando specioso componendæ pacis obtentu, sic enim blandiebantur Ariani, expuncta voce consubstantiali, Filium Patri similem dixerunt; tunc enim, teste Diuo Hieronymo, dedita velut arce fidei, & Religionis Catholicæ, Nicænæ Synodi damnatio est conclamata, totusque ingemiscens orbis se Arianum esse, miratus est. Negauit Liberius Papa Ariminensi formulæ, & symbolo suffragium, & ideo in exilium deportatus est. Audi epistolam Damasi, & Synodi Romanæ apud Theodoretum lib. 2. c. 22.

Numerum Episcoporum, qui erant Arimini congregati, præiudicij vim habere non debere, præsertim cum formula illa composita sit, neque Episcopo Romano, cuius sententia præ cæteris omnibus erat exspectanda, neque Vincentio, neque alijs, ei consentientibus, cùmq; illi ipsi, qui in fraudem illecti, à veritate deflexisse visi essent post ad meliorem mentem denuò traducti, planè testarentur, hanc formulam sibi magnopere displicere.] Idem narrat Sozomenus lib. 4 cap. 18. Si dicas, non esse in hoc Concilio legitimè progressum, nec liberas Episcoporum voces fuisse, partim videlicet Arianorum fraudibus, partim metu, tædioque expressas Id equidem haud negamus, sed vel ex hoc ipso apparet, Concilium aut metu, aut ignorantia, aut odio, aut qualibet alia ratione nec enim interest quali, corrumpi posse, à vero flectere, & de legitimo illegitimum fieri, nisi approbatione & testimonio Romani Pontificis, sine quo affectibus, & perturbationibus agi potest, nec à Spiritu sancto certò turòque ducitur, & quod Ariminense metu, doloque fecit, aliud ambitione, aliud cupiditate; aliud amore, aliud ignorantia faciet, verbo errare potest, nec interest, quo diuerticulo, si via excedat. Quæ pro alijs etiam Concilijs aduertenda sunt.

Anno 381. errauit secunda Synodus Oecumenica Constantinopolitana 150. Patrum quando contra præscriptum Nicæni Concilij, & iura Ecclesiæ Alexandrinæ, Patriarchæ Constantinopolitano primas à Romano Pontifice detulit, absente, nec audito Timotheo Alexandrino, quem canonem Romana Sedes numquam ratum habuit, vtpote & cum Nicæno Concilio pugnantem, (cuius decreta à Pontifice probata, sine huius assensu solui non poterant) & cum alterius iniuria coniunctum, cui nolenti auferri sua non poterant Vide SS. Leonem epist. 51. ad Anatol. Gregorium M. l. 16. ind. 15. epist. 51. & Maymb. lib. 1. de schism. Græcorum. Et quamuis hic error non fuerit in materia, & puncto fidei, fuit tamen in materia iustitiæ, grauique reprehensione dignus, & à Summis Pontificibus emendatus, quod satis eorum ostendit supremam iudicandi potestatem, cum in nulla seu fidei iustitiæ causa inferior superiori ius dicat.

Anno 451. errauit Synodus quarta Oecumenica Chalcedone habita sub Leone I. Pontifice M. & Marciano Imperatore, quando Act. 15. Can. 28. Archiepiscopo Constantinopolitano Primatum in Oriente detulit, qui canon à Sedis Apostolicæ Legatis continuò expungi iussus, vt habetur Actione 16. & in epist. D. Leonis 59. & epist. ad Anatol. & B. Gregorij M. l. 6. indict. 15. epist. 51. Vide P. Maymb. l. 1. de schism. Græcorum. In eadem Synodo Chalcedonensi Sess. 6. cùm à Patribus formula, & Symbolum fidei conceptum esset, quod propter omissas quasdam voces hæreticorum instinctu, non satis contra Eutychetem sententiam Catholicam exprimere videbatur, simili ferè cum Ariminensi Concilio errore, Legati Pontificij numquam passi sunt eam formulam actis Concilij inscribi, & quamuis importunè Patres occlamarent, aliam conscribi fecerunt, vt habetur Act. 5. tom. 2. Conciliorum.

Anno 552. Constantinopoli celebrata est Synodus Quinisexta sub Sergio Pontifice & Iustiniano Iuniore Augusto, cui tristis est Balsamon in Nomocanone, Legatos Apostolicos interfuisse, seque ipsam, in Actis concilij, vniuersalem appellat, eiusque canones præsertim 82. Adrianus Papa in Epist. ad Tharasium valdè commendat. Errauit tamen hæc Synodus, & grauiter quidem quoad cœlibatum Sacerdotum, & Sabbathi ieiunium, vt patet ex can. 13. & 55. & proptereà à Patribus Erraticæ nomen tulit, nec vnquam Sergius, aliique Pontifices: vt eam reciperent: adduci potuerunt, teste Anastasio in Sergio, & Beda Venerab. de 6. ætatibus in Iustiniano Minore.

Anno 1519. sub Leone Pontifice Maximo, & Theodosio iuniore errauit Synodus 2. Ephesina Episcoporum 128. cui & Legati Apostolici interfuerunt. In ea Eutyches absolutus, damnati verò sanctissimus Flauianus, aliique Catholici Episcopi, vt proinde optimo iure fuerit à maioribus latrocinalis, & prædatoria appellata, eiusque memoriam Leo Papa abolitam, damnatamque voluerit.

Anno 1521. errauit Concilium Basileense à Martino V. & Eugenio IV. indictum, & posteà ab eodem Eugenio, & Leone X. in Concilio Lateranensi damnatum assensu Ludouici Regis Christianissimi, qui Basileensi Concilio renuntiauit, promisitque Regio diplomate per suos Oratores in publico Consen-

uentu recitato, se Lateranensi Concilio adhæsurum.

En tibi, in quos errores Concilia inciderint, vbi à Romani Pontificis directione flexernnt, quæ causa, vt sacris Canonibus sancitum sæpe fuerit, nullam esse Conciliorum auctoritatem, quæ a Romano Pontifice non fuerint confirmata, hæc enim confirmatio necessaria non esset, si Concilia falli non possent, cur enim ab alio tam necessariò ducantur, reganturque ipsa erroris tuta, & falli nescia. Quod necessariò calidum est, alio non eget, à quo calorem accipiat, ita quod necessariò certum, & verum est, alia confirmatione, per quam certum fiat, opus non habet.

Exceptio.

Excipient fortassis Aduersarij, priusquam ad dogmaticas Concilij sanctiones accedat Papæ consensus se, haud diffiteri, erroti obnoxiam esse Synodum, quem tamen Papæ cum Concilio consentientis accessum decreti Synodalis approbatorium non fieri in vi auctoritatiuæ supra Synodum Generalem superioritatis, sed in vi quasi contractus, quomodo Hermannus Hermes in Iuris publici fasciculo precitato 40. capite à n.80. scribit Iurisperitorum quorundam esse sententiam, quòd in Comitijs Imperialibus quidquid agitur, & concluditur, contractus & transactionis instar, esse inter Imperatorem ex vna, & Status Imperij ex altera partibus, ita vt in tali contractu vna pars transigens sit Imperator, & altera ipsi Imperij Ordines coniunctim. Vnde infert is Auctor, qualis in contractibus duarum partium paciscentium, vel transigentium requiritur consensus, talem etiam in Comitijs requiri ideoque sicut in alijs contractibus alter alterum non obligat inuitum, cùm omnis contractus ab initio voluntatis sit, & mutuum Synnalagma ab vtraque parte interuenire debeat. Lege Labeo 14. ff. De V. S, Sic in Comitijs Imperij nec vni, nempe Cæsari, maiorem, nec alteri, nempe Statibus collectim sumptis minorem in decernendo competere auctoritatem. sed sicut inuitum obligari, ita etiam obligare alterum inuitum nequire. Quid ni ergo pari ratione discurrere liceat de Concilio Oecumenico, ita vt in hoc sit vna pars Summus Pontifex, altera verò pars sit reliquum Ecclesiæ hierarchicum Corpus ex Præsulibus Ecclesiasticis coalescens maximè cum Christus cit. cap. 18. Matthæi infallibilitatem Concilij Oecumenici visus sit ex hoc determinasse, quòd, vbi duo, nempe Papa, & Concilium consenserint, adeoque quasi transigendo conuenerint in vnum fidei dogma definiendum, Pater Æternus sit eis quamcunque rem, adeoque veritatem in Synodo quæsitam, ex Christi Domini promisso infallibili impertiturus. An non igitur hi Duo nempe Papa & Concilium, consentiendo in vnum fidei dogma, sicque inter se de veritate dogmatis quasi transigendo, atque in huius consensionis infallibilitatem à Christo promissam, & à Patre æterno adimplendam certissimè obtinendo, catenus inter se comparati debent, quatenus neuter sit maior, seu superior, quemadmodum de Imperij Statibus ac de Cæsare inter Comitia in vnum aliquod statutum consentientibus superiùs dicebatur.

Responsio.

Hunc Papæ ad Concilium in definiendo fidei dogmate accessum auctorıtatiuum non esse in vi quasi contractus, seu transactionis dumtaxat, sequentis conclusionis probationibus demonstrabimus. Intereà lubeat audire quæ præcitatus Auctor Regalis Sacerdotij vbi supra post n. 8. ad præsens institutum adfert. S. Iulius Pontifex Maximus epist. 1. to. 1 Conciliot. relata ita disserit. [Ipsa verò primæ Sedis Ecclesiæ conuocandarum Generalium Synodorum iura, & Episcoporum iudicia, singulari priuilegio Euangelicis, & Apostolicis, atque Canonicis concessa sunt institutis, quia semper maiores causæ ad Sedem Apostolicam multis auctoritatibus referri præceptæ sunt. Nec ullo modo potest maior à minori iudicari. Ipsa namque omnibus maior, & prælata est Ecclesijs, quæ non solummodò Canonum, & sanctorum Patrum decretis, sed Domini Saluatoris nostri voce singularem obtinuit principatum. Tu es, inquit, Petrus &c. Porrò dudum à sanctis Apostolis, successoribusque eorum in priuatis antiquis decretum fuerat statutis, quæ hactenus sancta & vniuersalis tenet Ecclesia, non oportere, præter sententiam Romani Pontificis, Concilia celebrari, nec Episcopum damnari, quoniam sanctam Romanam Ecclesiam primatem omnium Ecclesiarum esse voluerunt & sicut Beatus Petrus primus fuit omnium Apostolorum, ita & hæc Ecclesia ipsius nomine consecrata, Domino instituente, prima & caput sit cæterarum, & ad eam quasi ad matrem, atque apicem omnes, maiores Ecclesiæ causæ, & iudicia Episcoporum recurrant, eiusque iusta sententia terminum sumant, nec extra Romanum quidquam ex his debere decerni Pontificem.

S. Nicolaus Papa I. epist. ad Mediolanenses quæ habetur, in cap. Omnes dist. 22. Qui autem Romanæ Ecclesiæ priuilegium ab ipso summo omnium Ecclesiarum Capite traditum auferre conatur, hic proculdubio in hæresim labitur, & cùm ille vocetur iniustus hic est proculdubio vocandus hæreticus. Fidem quippe violat, qui aduersùs illam agit, quæ est mater fidei, & illi contumax inuenitur, qui eam cunctis Ecclesiijs prætulisse cognoscitur. Vnde & ipse sanctus Ambrosius se in omnibus sequi magistram sanctam Romanam profitetur Ecclesiam.

CON-

CONCLVSIO.

Præadducta historiarum Ecclesiasticarum, & Conciliorum sacrorum fundamenta, cum fidei sacris Literis traditæ principijs, quibus nituntur, collata. Theologicè demonstrant Papæ supra Concilium, quamtumuis Generale, quà abstractiuè saltem acephalum auctoritatiuam superioritatem.

EXplicatur, & probatur. Si ipsam namque primænam Concilij Oecumenici aggregationem expenderis, ex Matthæi 18. pernosces, oportere, fieri in nomine Christi nempe vicaria huius auctoritate Apostolica præferente Christi nomen, non enim, nisi sub hoc nomine aggregatis promisit Christus, se fore in medio eorum ex versu 20. Vbi in Concilio sic aggregato peruentum fuerit ad sententiam definitiuam, oportet, hanc consistere ex consensu duorum, nempe Capitis, nomen Christi Vicarium præferentis, & reliqui Ecclesiæ Corporis hierarchici, vt sic hisce duobus (quorum ambo Apostolorum, Caput equidem Petri, reliquum verò hierarchicum Corpus Apostolici in vnum aggregati Collegij sunt successores) in vnum consentientibus, de re, quam petierint, dogmatis nempe definiendi veritate, ex Christi promisso, adeoque infallibiliter fiat eis à Petro qui in cælis est. Ex versu 19. Cum quo illorum, duorum consensu sacer contextus connectit verba præcedentis versûs 18, de indefinita ligandi, & soluendi potestate, Apostolis, qua Ecclesiam, de qua in præcedenti versu 17. fit sermo, repræsentantibus, sicque in Christi nomine aggregatis promissa, nec adeò hæc præeminentia competere potest Concilio, quà etiam abstractiuè acephalo, sed qua per vicarium Christi characterem formaliter Oecumenico. Quare in Concilio acephalicè spectato nihil est auctoritatis, nisi quam Episcopi ex orbe Christiano conuocati prò Ecclesiæ Vniuersalis Bono (ad quod iurisdictio Ecclesiastica ex intrinseca natura sua transcendentalem habet ordinem) in vnum conferunt. Nequit autem iurisdictio Episcopalis, tum qua deriuata ex Papalis potestatis plenitudine, tum quoad sui morale exercitium omnimodum, non esse de illo quocumque ad regnum cælorum ordinabili, super quo Christus Petro, eiusque Successori contulit clauium potestatem cum indefinita ligandi, & soluendi potestate. Constat igitur, in Concilio acephalicè spectato, præter Episcopalem characterem, & radicalem in hoc contentam iurisdictionem Ecclesiæ gubernatiuam, nonnisi Papæ auctoritate actuabilem nihil moralitatis esse intelligibile, super quo Papa non habeat superioritatem à Christo sibi concessam, sed vniuersæ præeminentiæ Concilio per Christum promissæ respiciunt Synodum qua iunctam cum Capite Christi è vicario; veluti ex sacrorum Conciliorum sententijs à n. 42. adductis mox demonstrabitur.

PROBATIO I.

In qua ad Theologicæ argumentationis formam reducuntur prællegatæ Oecumenicarum Synodorum sententiæ.

ETenim prima Nicæna Synodus Oecumenica confirmationem dogmatum Concilij suffragio faciendorum, profitetur, subiectam esse confirmationi, atque auctoritati sacræ Romanæ Ecclesiæ, non alio ex principio, quàm quòd B. Petro, eiusque adeò Successori dictum sit [Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam] Ex dictis n. 43. Ex quo fundamento constat insuper, Acta Synodi Constantinopolitanæ esse à Damaso Papa reuocata ad Concilium Romæ indictum, vt post eorumdem examinationem, sua auctoritate firmasset decreta, ac sententias hæresum condemnatorias, sancitas, in præfata Synodo Constantinopoli priùs celebrata, cuius Patres non attento, quòd Conciliariter aggregati eas tulissent sententias, obedienter se submiserunt Romano Pontifici, suos Legatos cum purgatione ad hunc mittendo. Ex dictis n. 43. Et hinc quando Ephesini Concilij Patres se tanquam Ecclesiæ membra sancto suo Capiti Romano Pontifici deuotos acclamarunt, oportet, hanc acclamationem intelligere de Ecclesiæ membris hierarchicis, quà collectim sumptis, nempe in Concilio Oecumenico aggregatis, atque vt sic Capiti Nestorianæ hæresis condemnationem præfinienti, sese coadunantibus; vti patet ex actis eiusdem Concilij ca. 15. & nostra te n. 44. quod clarioribus verbis professa est IV. Oecumenica Synodus Chalcedonensis, Papam Romanum vocitans Ecclesiæ Vniuersalis Pontificem nec non Caput Vniuersalis Ecclesiæ. Ex n. 45. Ex quo adeò principio in præadductis Christi ad Petrum Matthæi 18. prolatis verbis fundato, Concilium V. Oecumenicum, II. Constantinopolitanum profitebatur, quòd sequeretur Apostolicam Sedem, cuius etiam essent communicatores, ei obediendo, & ab ipsa condemnatos condemnando. Ex n. 46. Cui principio inhærens sexta quoque Oecumenica Synodus, Constantinopolitana tertia, Romanum Pontificem appellauit Primæ Sedis Antistitem Vniuersalis Ecclesiæ, stanteu super fidei petram, cuius etiam auctoritati Apostolicæ submisit decretorum suorum confirmationem. Ex n. 47.

Vnde liquidum prorsus euadit, & clarè demonstratum, præsidentiam Romani Pontificis vnà cum auctoritate Concilij confirmatoria, fundari in eius præminentia non erga singulos dumtaxat Synodi Patres, sed erga Vniuersam Ecclesiam, atque adeò erga Vniuersale quoque Ecclesiæ Vniuersæ repræsentans Concilium. Illa ipsa verò definitiua, & Conciliarium sanctionum confirmatoria auctoritas, secundùm præadductas Synodos

Oecumenicas, fundatur in verbis Christi [Tu es Petrus super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam [At ex sacri contextus connexione noscuntur verba etiam posteriora [Tibi dabo claues Regni cælorum. Et quodcumque solueris] &c. æquè, ac priora verba habere respectum ad Vniuersalem Ecclesiam. Illa verò clauium potestas, & indefinita ligandi, & soluendi auctoritas per intrinsecam naturæ suæ conditionem noscitur importare superioritatis præeminentiam. Quia igitur clauium eiusmodi potestas, vnà cum Petræ, super quam ædificanda esset Ecclesia, prærogatiua per Christi verba, secundùm prææallegatorum Conciliorum Oecumenicorum intelligentiam, noscitur protendi super Vniuersam Ecclesiam in Concilio Generali repræsentatam, imò iuxta vocum à prætactis Concilijs adhibitarum claritatem, super Vniuersale Concilium, Ecclesiæque sanctæ in Synodo Generali cum Capite coadunata, membra, in aperto iam extat probata Papæ supee Generali, qua ex membris Ecclesiæ hierarchicis in vnum aggregatis consistente Concilio, superioritas.

Atque hæc est ratio, cur septima Generalis Synodus tam promptè receperit Papæ super sacrarum imaginum cultu literas Apostolicas. Ex n. 58. Cur etiam octauum Generale Concilium pronunciarit, sibi non licere contra Summum Pontificem sententiam dicere. Ex n.49. Cur Concilium Lateranense sub Alexandro III. edixerit, à Papa non posse concursum haberi ad superiorem. Ex n.50. Cur in Concilio Lugdunensi sub Gregorio X. plenus primatus, & principatus super Vniuersam Ecclesiam fuerit agnitus in Petri Successore Romano Pontifice. Ex n.51. Concilium Florentinum definierit, Romanum Pontificem in vniuersum terrarum orbem tenere primatum, Pontificem Romanum Petri Successorem esse totius Ecclesiæ Caput. Ex num. 52. Cur denique Concilium Lateranense sub Leone Decimo à Rege Galliarum comprobatum, ac receptum, reiecerit, & nullitatis damuarit acta Synodi Basileensis superioritatem Concilij supra Papam adstruentis, adstruendo ècontra per inductionem prærogatiuas Papæ supra Concilium in antiquioribus Oecumenicis Synodis agnitas, & approbatas.

PROBATIO II.

In qua Papæ supra Concilium abstractiuè acephalum præminentia vindicatur ex sanctionum dogmaticarum illius suffragio editarum confirmatoria auctoritate.

Explicatur. Quantumuis enim Papa per suos Legatos, vel etiam per seipsum sit præsidens, in hoc tamen claritatis gratia discernere oportet, tum quæ Concilij quasi acephalicè spectati, quæque Capitis, nempe Summi Pontificis, sunt Munera, tum pro isto discrimine meliùs dignoscendo expedit, signum temporis antecedens Papæ consensum, suffragij à Concilio Vniuerso lati approbatorium, distinguere à signo, in quo actualiter fit accessus Papæ, auctoritate sua vltimatè definitiua confirmantis dogma per maiora saltem Concilij suffragia sancitum. Signo igitur Papæ consensum, seu vltimatæ definitionis accessum auctoritatiuum antecedente, noscitur equidem Concilium legitimè congregatum in Christi vicario nomine, cui tamen pro tunc deficit adhuc infallibilitas in definiendis fidei dogmatibus. Nam licèt Christus promiserit, se in medio eorum fore, qui in nomine Christi, sub auctoritatis adeò Christi, Vicariæ, vni Romano Pontifici competentis, charactere sunt congregati: huius tamen assistentiæ, Christi infallibilitatem adferentis effectus, secundùm sacrum Euangelij contextum, allegatur duorum, nempe Corporis hierarchici, & Capitis Ecclesiæ consensui. Quantumuis ergo Concilij Patres in ferendis suis suffragijs legitimè procedant, quantumuis etiam suffragiorum maioritas in vnum collata, iam præferat Concilij Oecumenici consensum, pro signo tamen antecedente Summi Pontificis consensum vltimatè definitiuum, atque Conciliatis dogmaticę sanctionis auctoritatiuè confirmatorium, nondum subsistit infallibilitas pee Christi assistentiam tunc sortitura effectum, quando Duobus illis, Ecclesiæ scilicet Capite, & Corpore hierarchico per Concilium Oecumenicum repræsentato, inter se consentientibus, quamcumque petierint dogmaticæ sanctionis veritatem, certissimè impetiturus est Pater cælestis. Quandoquidem igitur antecedentee ad hoc signum Papalis vltimatè definitiui, & auctoritatiuè confirmatorij consensus, in decretis Concilij, quantumuis Generalis, necdum subsistat illa omnimodę infallibilitatis prærogatiua, sed absque accessu talis consensus Pontificij Concilium fabulaceat errabilitati; veluti demonstrant exempla in argumento secundo latiùs exposita, idcirco ex hoc etiam fundamento manifestè extat demonstrata Papæ super Concilium quasi acephalicè spectatum præeminentia.

§. IV.

Corollarium.

Ex dictis iam facilè infertur; quantum momenti sit in rationibus, quibus Theologi nonnulli nituntur Papæ supra Concilium superioritatem ostendere. Eiusmodi namque rationum vis, & energia tota quanta est petenda ex earumdem collatione cum fidei principijs, sub Conciliorum Oecumenicorum sanctionibus conformiter applicatis ad Theologicam aliquam ratiocinationem. Prima igitur ratio eiusmodi desumitur ex hoc, quod, cùm Christus Ecclesiam suam maximè dilexerit, sicque ipsi præcipuè voluerit, (esse consultum, optimam vtique gubernandi formam in ea instituerit, qualis censetur esse Monarchica. Hæc autem subsistit ex

vno supremo Principe; cui totum Regnum oporteat esse subiectum; Quandoquidem igitur Ecclesiæ sanctæ Regnum conueniat, esse optimum, oportet, eatenus esse Monarchicum, vt eius Princeps, Summus Pontifex nequaquam subiacere debeat Concilio, Ecclesiæ militantis Regnum in terra repræsentati, sed super hoc oporteat illum habere superioritatis præeminentiam.

Verùm alij è contra Theologi, dum regimen Monarchicum Aristocratico mixtum, censent puræ Monarchicæ præcellere, eadem Ecclesiastici regiminis statum non inconuenientes probant ex eo, quòd Christus (Matthæi 18. dicendo: Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam) huius indefectibilitatem, atque adeò in decidendis fidei dogmatibus infallibilitatem, non aliter sanxerit, nisi cum respectu ad Ecclesiam, cuius Concilium Oecumenicum est repræsentatiuum. Vnde in ordine ad dogmaticas eiusmodi sanctiones Christus etiam Matthæi 18. consummatæ infallibilitatis, secundùm nos quarenus scilicet nobis ex sanctæ Ecclesiæ definitionibus hactenus innotuit præeminentiam non vel soli Petro, vel soli Generali licèt Concilio, sed Duobus pollicitus est. Sub qua proinde, Capitis, extra Concilium etiam Regni cælorum claues obtinentis, & Concilij hierarchicum Ecclesiæ Vniuersalis Corpus repræsentantis coniunctione, videtur Christus consummatum Ecclesiæ regimen ad fidei dogmata sancienda procedere potens, constituisse sub mixta Monarchici, & Aristocratici regiminis norma: ita tamen, vt si hierarchicum Concilio Generali Aristocratiæ normam præferens Ecclesiæ Corpus spectetur quasi acephalicè, per Christi Domini institutionem superiùs probatam, omninò dici debeat Papa esse Concilio maior, ac superior.

Secunda ratio petitur à causa potestatis Ecclesiasticæ Efficiente, quæ est ipsemet Christus conferens claues Regni cælorum, non Concilio acephalicè spectato, sed vel plenæ, quà Caput etiam complectenti, ac formaliter Oecumenicæ Synodo Vniuersali, vel etiam soli Petro cum perpetuæ successionis ordine, dicens Matthæi 16. Tibi dabo claues Regni cælorum quod ex hoc etiam capite erat permaximè conueniens, imò necessarium, cùm propter difficultates in aggregando Oecumenico Concilio, in immensum excrescerent controuersię Ecclesiasticæ, si his ab vno Capite, ac iudice supremo nullus imponi posset finis.

DISQVISITIO V.

Vtrùm ex appellatione à Concilio ad Papam, vel è contra à Papa ad vniuersalem Synodum validè demonstretur Summi Pontificis supra Concilium superioritas?

§. I.

HOc punctum cum Auctoribus à se allegatis ueruosè tractat Auctor tractatus de libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ lib. 5. cap. 14. Adstruitur, inquiens, etiam Papæ superioritas ijs omnibus argumentis, quæ probant, supremum esse Romani Pontificis Tribunal, nec ab illo licere appellare: Aliorum fortè hominum causas (inquit Ennodius Diaconus, cuius doctrinam recepit, & approbauit, tamquam sua Decreta, Concilium Romanum V. sub Symmacho Papa, quemque alia occasione iam supra citauimus) (Deus voluit per homines terminari: Sedis istius Præsulem suo sine quæstione reseruauit arbitrio; voluit B. Petri Successores cælo tantùm debere innocentiam.) Præmiserat autem, Concilio potestatem, quam aliàs non habuisset, ad iudicandum Papam, ab ipsomet Pontifice concessam: (Iudicia & iste voluit, amauit, attraxit, ingressus est: &, quòd posset fidelium corda doloris iusti aculeis excitare, venerando Concilio auctoritatem, etiam contra se, si mereretur, indulsit.)

Concilium Lateranense sub Alexandro Tertio maiorem vult adhiberi cautelam in eligendo Romano Pontifice, quia Episcoporum quidem reliquorum electio, vel electus Episcopus, emendari poterunt, sed quoad Romanam Ecclesiam non poterit ad superiorem haberi recursus. Concilij Lateranensis sub Leone Decimo testimonium protulimus supra.

Cæterùm si in propria causa Romani Pontifices audiri debent (fieret autem illis magna iniuria, præsertim sanctitate, doctrina, & prudentia conspicuis, si non audirentur) plurimi sunt, qui hanc suæ Sedi auctoritatem vindicatunt. In collectione Lucæ Holstenij in Synodo Romana num. 8. Bonifacius Rufo Thessalonicensi scribit. (Talia scripta dereximus, quibus vniuersi fratres intelligant, primò conuenire te citra conscientiam minimè debuisse: deinde de nostro non esse iudicio retractandum.) Numquam etenim licuit de eo rursùs, quod semel statutum est ab Apostolica Sede, tractari.

S. Gelasius in epist. 3. iam citata, quæ est ad Episcopos Dardaniæ; (Cuncta, inquit, per mundum nouit Ecclesia, quoniam quorumlibet sententijs ligata Pontificum, Sedes B. Petri Apostoli ius habeat resoluendi, vtpote quòd de omni Ecclesia fas habeat iudicandi, neque cuiquam de eius liceat iudicare iudicio: Si quidem ad illam de qualibet mundi parte Canones appellari voluerint, ab illa

autem nemo sit appellare permissus.] Deinde varijs exemplis confirmat auctoritatem Summi Pontificis supra Concilia; [Sed nec illa prætermitimus, quòd Apostolica Sedes frequenter, ut dictum est, more maiorum etiam sine ulla Synodo præcedente, & absoluendi, quos Synodus iniquè damnauerat, & damnandi, nulla existente Synodo, quos oportuit, habuerit facultatem: sanctæ memoriæ quippe Athanasium Synodus Orientalis addixerat, quem tamen exceptum Sedes Apostolica, quia damnationi Græcorum non consensit, absoluit; itemque sanctæ memoriæ Flauianum Pontificum congregatione damnatum pari tenore, quoniam sola Sedes Apostolica non consensit, absoluit, potiùsque, qui illic receptus fuerat, Dioscorum, secundæ Sedis Præsulem, sua auctoritate damnauit, & impiam Synodum non consentiendo submouit, &c.] Idem scribit epist. 4. seu commonitorio ad Faustum. [Nobis opponunt Canones, dum nesciunt, quid loquantur, contra quos hoc ipso venire se produnt, quòd sanctæ Sedi sana, rectaque suadenti parere fugiunt. Ipsi sunt Canones, qui appellationes totius Ecclesiæ ad huius Sedis examen voluere deferri; ab ipsa verò nusquam prorsùs appellari sanxerunt, ac per hoc illam de tota Ecclesia iudicare, ipsam ad nullius commeare iudicium. Nec de eius unquam præceperunt iudicio iudicare, sententiamque illius constituerunt, non oportere dissolui, cuius potiùs sequenda decreta mandarunt.]

Gelasium secutus, & imitatus est Nicolaus I. epist. 8. etiam supra citata, quæ est ad Imperatorem Michaelem: [Quoniam, inquit cùm secundùm Canones, vbi est maior auctoritas, iudicium inferiorum sit ad verendum, ad dissoluendum, scilicet, vel ad roborandum, patet profectò, Sedis Apostolicæ, cuius auctoritate maior non est, iudicium à nemine fore retractandum, neque cuiquam de eius liceat iudicare iudicio, si quidem ad illam de qualibet mundi parte Canones appellari voluerunt, ab illa autem nemo sit appellare permissus. Iuxta quod & Bonifacius, atque Gelasius sanctissimi Præsules, non suis adinuentionibus, sed Ecclesiæ Romanæ consuetudines non ignorantes, dicunt.]

Non minùs perspicua est Paschalis Secundi sententia, Epistola ad Archiepiscopum Poloniæ, relata à Baronio è Codice Vaticano ad annum 1102. Aiunt, in Concilijs statutum non inueniri, quasi Romanæ Ecclesiæ legem Concilia vlla præfixerint, cùm omnia Concilia per Ecclesiæ Romanæ auctoritatem, & facta sint, & robur acceperint. & in eorum statutis Romana patenter auctoritas excipiatur.

Denique nec ipsi Antesignani auctoritatis Conciliaris ausi sunt indiscriminatim asserere, à Summo Pontifice posse ad Concilium prouocare in quolibet casu. [Non est fas (inquit Ioannes Gersonius Tractatu, quomodo, & an liceat in causis fidei à Summo Pontifice appellare à Papa, vel eius iudicium in causis fidei declinare). appellare à Papa, vel eius iudicium in causis fidei declinare, non quidem pro omni, & in omni casu, sed quando facit id, quod in se est, & quando non apparet deuius à fide, sed ambulat rectè ad veritatem Euangelij sine personarum acceptione. (Ecce quibus in casibus secundùm Gersonium à Summo Pontifice non licet appellare) Porrò Dominus noster tollere poterit efficaciter suspicionem sinistram, quæ contra Sanctitatem suam fieri posset, si dicta sua factis compenset: hoc est, si sponte, nullo requirente, damnet illam doctrinam pestiferam, & crudelem contra Polonos cum similibus alijs, cum tali celeritate, & rigore, qualem fidei materia vergens in scandalum, & perniciem Reipublicæ postulat, & requirit, procul abiecta quauis acceptione personarum.

Materiam istam egregiè tractat Franciscus Victoria relectione 4. proposit. 20. vbi appellationes istas reijciens, post alias solidas probationes addit; Præterea hoc probatur experientia, & exemplis, quæ in moralibus faciunt magnam probationem. Omnes enim appellationes hactenus factæ ad Concilium, malè cesserunt, & tandem deuenerunt in schisma aliquod, vel etiam hæresim. 3. [Quia hoc esset magna occasio perturbationis in Ecclesia: quia si Papa timeret, ne facta eius deberent rescindi in Concilio, numquam vellet congregare Concilium, cum magna iactura profectò rerum Ecclesiasticarum; & congregare sine illo, vel non licet, vel esset valde difficile. Semper enim erunt aliqui, imò maior pars, qui velint sequi partes Pontificis, & vnus Princeps faueret Concilio, alius Pontifici; & sic nihil pacificè, nec ad vtilitatem Ecclesiæ fieri posset: imò essent multò maiores perturbationes, ve experientia compertum est.] Nec minùs acriter illas appellationes impugnat Nauclerus de Monarch. Eccles. lib. 3. cap. 10. [Quintum denique, inquit, ac postremum de præcipuis priuilegium illud est, de quo hìc quæstio vertitur, quod supra tetigimus, contra quod ridiculæ fiunt à quibusdam Schismaticorum parte sua partim malitia, partim imperitia fouentibus, obiectiones, nonnullaque ad suam confirmandam rebellionem exempla producuntur, quæ à doctissimo nostræ ætatis Theologo viro sanctissimæ vitæ Valo, eruditè refutata, & explosa studiosus Lector videre poterit. Tot sacris Ecclesiæ Decretis, Canonibusque veluti diuini sancti Spiritus oraculis ritè consideratis, iustoque ratiocinio, Theologicæque sapientiæ trutinatis examine, quàm iustè spiritualem anathematis gladium contra prouocantes à Pontificij Monarchæ iudicio ad futurum Concilium, à sanctissimis Sedis Apostolicæ Præsulibus euagiuatum fuisse, credere debemus.]

Testatur libertatum Ecclesiæ Gallicanæ defensor Dominus Petrus de Marca, vsum illum esse nouum. Sic enim inchoat cap. 17. lib. 4. [Superiore capite nouam quamdam rationem vidimus in Ecclesiam inuectam ab ijs, qui se Romanæ Curiæ censuris premi existimabant, scilicet appellationem à Papæ decreto ad futurum Concilium. Nouam dixi, quia numquam in Ecclesia admissa fuit prouocatio à Papa ad Concilium.] Numero autem 4. originem notat his verbis; [Primus omnium, qui appellatione ad Concilium vsus est, prodit se apud Historicos Fridericus II. Imperator.] Sed vt refert Matthæus Parisius in verbis à Marca relatis, Legatus Friderici

appellauit à Concilio ipſo generali, quod tunc ſcilicet anno 1245. Lugduni celebratum erat, ad aliud generalius. [Appellauit pro eo ad Concilium proximè futurum generalius. Nec enim nunc omnes Prælati, vel Principum Procuratores apparent hic inpræſentiarum.

Itaque appellationum illarum origo, vt alibi videbimus, ad Gallos referenda erit, qui anno 1303. nomine Philippi, dicti Pulchri, Franciæ Regis appellarunt à Bonifacio VIII. ad futurum Concilium. Primo loco illam refert, qui probationes libertatum Eccleſiæ Gallicanæ collegit, cap. 13. cuius titulus eſt de huiuſmodi appellationibus. Verùm tunc allegabatur, aut fingebatur, Bonifacium non eſſe legitimum Pontificem, & perinde appellabatur ad futurum legitimum Pontificem, vt ad Concilium generale.

Nec niſi poſt ſchiſma inuenietur interpoſita appellatio abſoluta à Summo Pontifice pro vero accepto. ad futurum Concilium: Itaque cùm Concilium Papæ præponi cœpit, aperta eſt via ad appellandum ab illo ad iſtud. Multùm autem verendum eſt, ne illæ appellationes eo fine aſſumantur, vt obtegatur inobedientia prætextu Concilij, quod vel impoſſibilè, vel difficillimè haberi poſſe, compertum eſt.

Cęterùm antiquorum Scriptorum in Gallia, tum in alijs Prouincijs Chriſtianis doctrina erat, à Papæ ſententia non poſſe prouocari: ita Hincmarus Epiſcopus Rhemenſis tom. 2. epiſt. 44. quæ eſt ad Epiſcopos Diœceſis Rhemenſis num. 25. Iuo Carnotenſis in Decreto par. 5. cap. 9. & 10. & epiſt. 233. & 236. Protho Presbyter Prumienſis de ſtatu domus Dei lib. 3. S. Thomas Archiepiſcopus Cantuarienſis epiſt. 73. S. Antoninus, & alij etiam ex recentioribus ſanctæ Sedi minùs æquis, vt Carolus Feuretus lib. 9. de abuſu cap. 3. num. 5.

Denique cùm Summo Pontifici vineæ cuſtodia à Saluatore commiſſa ſit, vt confeſſa eſt Synodus Chalcedonenſis in relatione ad S. Leonem; ideſt, cùm Petro totius Eccleſiæ cura commiſſa ſit, vt ſcribit S. Gregorius l. 4. epiſt. 32. cùm idem officium ad ſingulos Petri ſucceſſores tranſierit, & ſingulis cum S. Fulberto Epiſcopo Carnotenſi epiſt. 22. dici poſſit; [Dilectiſſime pater, cui totius Eccleſiæ cura commiſſa eſt:] cùm eis Gregis ſit commiſſa cuſtodia, vt docet S. Epiphanius de Beato Petro Anchoratus cap. 4. Cùm Summus Pontifex alijs quàm pluribus titulis à ſanctis Patribus inſigniatur, quibus ſignificatur, vnum Papam eſſe ſuper Eccleſiam totius mundi, vt Epiſcopi Patarenſis apud Liberatum Breu. cap. 22. verbis vtar, quomodo illi præferendum eſſet Concilium generale, licèt totam Eccleſiam ſine Pontifice repræſentaret? Quomodo ſucceſſor eius, cui totius Eccleſiæ gubernacula tradita ſunt, vt prædicat ſanctus Maximus Epiſcopus Taurinenſis homil. 3. in Natal. Beatiſſimorum Petri, & Pauli, gubernandus ipſe eſſet ab Eccleſiæ parte quantumuis præcipua? Sanior videtur ſententia Ioannis de Selua in Senatu Pariſienſi Pręſidis tract. de Benefic. par. 3. qu. 8. num. 32. Papa, inquit, præfertur toti Concilio.

§. II.

Referuntur, ac expenduntur argumenta Aduerſariorum.

ARGVMENTVM.

Oppoſitum à Toſtato Abulenſi Epiſcopo Defenſor. par. 2. cap. 76.

APparere, ait hic Auctor, ex fundamentis Euangelicis Matt. 18. traditis, Chriſtum reliquiſſe in Eccleſia vnum tribunal ſupremum, quod de omni homine haberet iudicare, & iſtud eſſe Concilium Generale, Vniuerſalem Eccleſiam ſufficienter repręſentans. Et iſtud tribunal eſſe impeccabile, nec vllatenus errare poſſe in his, quæ ſunt de neceſſitate ſalutis. Et ob hoc pertinere ad ipſum, iudicare & determinare vltimatè de omnibus dubijs, tam in fide, quàm in actionibus moralibus, & poſt eius determinationem non licere alicui fidelium reſiſtere, quia manifeſtè Diuino iudicio reſiſteret. Ad hoc intentum faciunt exempla quàm plurima collecta ab Authore libri De Eccleſiæ Gallicanæ immunitatibus cap. 13. Nempe ad futurum Concilium aduersùs Bonifacium VIII. appellauit Philippus Pulcher anno 133. Cui appellationi acceſſerunt Prælati Galliæ, vnà cum Vniuerſitate Pariſienſi. Ex dicto cap. 13. n. 2. & 3. Regius item Procurator Caroli VII. contra Pium II. ad futurum Concilium appellauit anno 1460. ibi n. 10. Pariter appellauit Ludouicus XI. contra Sixtum IV. anno 1478. Item Vniuerſitas Pariſienſis aduersùs Innocentium VIII. anno 1491. Et poſteà contra Leonem X. anno 1517. ibid. n. 15. & 18.

In præcitato libro de Gallicanæ Eccleſiæ immunitatibus ex varijs Autboribus inducuntur à Papa ad futurum Concilium appellaſſe, tum Legatus Friderici II. contra Innocentium IV. anno 1246. Tum Eccleſia Anglicana aduersùs eundem Pontificem anno 1246. Tum Clerus & Nobilitas eiuſdem Regni aduersùs Vrbanum IV. anno 1264. Tum Ludouicus Imperator ex Domo Bauarica aduersùs Ioannem XII. anno 1323. Tum Generalis Ordinis Minorum contra eundem anno 1331. Tum Reſpublica Veneta contra Iulium ſecundum anno 1509. Tum Reſpublica Florentina aduersùs eundem Iulium anno 1526. Tum Carolus V. contra Clementem VII. anno 1526. Tum Cardinalis Columnenſis cum ſua familia aduersùs eundem Clementem anno 1527.

Reſponſio.

Author Regalis Sacerdotii cit. lib. 2. §. 8. n. 4. reſpondet. Huiuſmodi appellationes fuiſſe ad Concilium factas non tanquam ad mains tribunal, & Iudicem Papæ, à quo videlicèt Papales ſententiæ reſcindi poſſent, ſed ad meliùs, pleniùſque informandum ipſum Papam: poſſe namque quæſtiones in materia fidei, aut morum adeò graues, tantæque deli-

deliberationis nasci, vt Concilium Vniuersale omnium Nationum sit necessarium, sine quo nempe Papa non censeatur sufficienter informari posse, ac instrui, vt procedere queat ad definitiuam sententiam. Atque pro casu eiusmodi sanctos Patres, quando Concilium Vniuersale dicunt necessarium, esse intelligendos; speciatim S. Augustinum lib. 4. contra duas epist. Pelagianorum cap. 12. & lib. 1. de Baptismo contra Donatistas cap. 7. & cap. 18. Item lib. 2. cap. 4. adstipulante etiam forma Philippi Francorum, & Parisiensis Vniuersitatis, aliorumue ad futurum Concilium appellantium sub hoc tenore: [A sanctissimo Domino nostro minùs debitè consulto ad ipsum meliùs consulendum, & ad S. Sedem Apostolicam meliùs consulendam, nec non ad sacrosanctam Synodum celebrandam, illumque, vel illos, ad quem, siue ad quos de iure prouocare, vel appellare licet &c.] Vnde patet, appellationem huiusmodi non interpositam fuisse ad Concilium, ceu Papæ oppositum, sed ad Concilium auctoritate Papali fultum, & ad Papam in Concilio meliùs informandum.

Exceptio.

Excipi potest ex parte aduersa. In Sessione vltima Concilij Constantiensis fuisse Papæ Martino V. supplicatum: [Vt hæreticos, ac errores, seu hæreses per sacram Synodum damnatos pariter damnaret, atque damnatos publicè pronunciaret, antequàm Concilium dissolueretur, alioqui protestari de grauamine, de appellando ad futurum Concilium. Quibus sic factis, Papam dixisse ad prædicta respondendo, quòd omnia & singula determinata, conclusa, & decreta in materijs fidei per præsens Concilium Conciliariter facta approbabat, & ratificabat, & non aliter, nec alio modo.] Hæc igitur ad futurum Concilium prouocatio & appellatio aduersùs Papam, vbi suam approbationem decretis Conciliariter factis noluisset impertire, quid continuisset vel rationis, vel vtilitatis, si in Concilio futuro non fuisset vis, & auctoritas compellendi Papam ad talem confirmationem?

Responsio.

Sciscitari lubeat è contrario, si Concilio fuisset auctoritas compellendi Papam, vt suam pro confirmandis decretis illis adijceret auctoritatem, cur non ipsamet Synodus Constantiensis fuerit vsa tali erga Papam auctoritate? Ad quid ergo conducere poterat ea ad futurum Concilium prouocatio & appellatio, si ipsi Generali Constantiensi Synodo, vtpore quæ non minoris eum futuro Concilio auctoritatis fuerat, non erat vis, ad Papam pro dicta approbatione compellendum? Ipsissima hæc ratio sanè euincit, altiorem subesse appellationis huiusmodi rationem, ex qua nullatenus probari valeat Concilij supra Papam superioritas. Nempe appellatio eiusmodi impropriè dicta in eo se tenebat, quòd nempe ipsum Concilium profiteri debuerit, in se acephalicè sumpto, absque Capitis interuentu non esse consummatam auctoritatem pro fidei decretis, à se Conciliariter licèt factis sub omnimoda infallibilitate firmandis, sed ad hanc obtinendam indigere adhuc Papæ confirmatione, & approbatione auctoritatiua; conformiter Christi ordinationi, secundùm quam Matth. 18. consummata in fidei sanctionibus, Conciliariter licèt factis, infallibilitas promittitur ex consensu Duorum, Capitis scilicet, ac vnà hierarchici Ecclesiæ Corporis ex Prælatis Ecclesiasticis consistentis. Quare illa ad Concilium futurum appellatio non habebat rationem strictè, ac propriè dictæ appellationis, cuius natura est, esse prouocationem ab inferiore ad superiorem, sed erat prouocatio à Papa tanquam Ecclesiæ Capite per suæ Oecumenicæ auctoritatis accessum consummare omnimodam fidei decretorum à Christo promissam infallibilitatem potente ad Synodum, non quà acephalicam, sed quà completè, ac formaliter Oecumenicam, vt sic Papam ipsum, ceu Concilij Caput taliter importantem, vt Papa respectu Concilij quà acephali esset maior, ac superior, attamen Concilium, quà plenè Oecumenicum, præemineret Papæ solitariè accepto quoad consummatæ saltem quoad nos infallibilitatis prærogatiuam, absque vlla tamen erga Papam superioritate, vtpore quod totam hanc præeminentiam, vnà cum indefinita soluendi, & ligandi potestate authoritati Papali compare non aliter obtineret, nisi quà completè Oecumenicum, vt sic inuoluens ipsum etiam Pontificem, quà Ecclesiæ Caput; veluti hæc patent, tum ex antecedentibus, tum elucescent ex proximè subsequentibus.

CONCLVSIO.

Quamuis ad Concilium formaliter & completè Oecumenicum, ipsummet adeò Papam includens, in rebus præcipuè fidei spectet vltimatum iudicium ex Papæ simul & Synodi consensu consummandum, hinc tamen minimè infertur, à Papa posse strictè ac propriè loquendo, appellari ad Concilium Oecumenicum.

Explicatur & probatur. Ponamus, in Veteri Testamento super causa aliqua ex portis, seu tribunalibus Regijs ad Sacerdotium, magnumque Concilium, cui præsidebat Summus Pontifex, delata, fuisse ab hoc ex ipsismet Diuinis iudicialibus legibus pronunciatum iudicij veritatem: attamen Regem eius temporis non acquieuisse, sed interpellasse Pontificem, vt ingressus Sanctuarium, Dominum consuleret super eiusdem iudicij veritate, vel ex Thummim & Vrim super tali iudicio maiorem adhuc Diuini Oraculi requireret certitudinem: num dicere fas est, talem à Rege factam Summi Pontificis interpellationem habuisse rationem strictè appellationis? In tali causa ab ipsomet Sacerdote Maximo, vnà & Magno Concilio fiebat recursus ac eundem Summum Pontificem,

cem, quatenus ipsi soli erat Diuinitùs concessum, vt semel in anno ingressus Sanctuarium, posset consulere Dominum, vel ex Thummim & Vrim reportare Diuinum Oraculum. Qui proinde ad Summum Pontificem recursus non erat de vno Iudice inferiori ad alium superiorem Iudicem, sed ad eundem, qua diuersis à Deo dotatum prærogatiuis, nec adeò strictè loquendo, poterat dici appellatio.

Pari proportionaliter ratione contingere potest, imò de facto contigit circa hæresin à Luthero excitatam, cuius falsa dogmata primitus erant Romæ damnata à Leone X. Pontifice Maximo, at cùm ista condemnatio haud proficeret, sed hæresis latiùs diffunderetur, à Regibus & Principibus facta est instantia, vt Papa congregaret Concilium Oecumenicum. Cur hoc? Non ea quidem ratione, vt Concilium sine Papa, ceu Capite definiret, & vltimatam proferret sententiam, sed quia Summus Pontifex, per cuius auctoritatem vnicè stat Concilium formaliter & complerè Oecumenicum, est quidem Petra, cui superstruitur ædificium Ecclesiæ, habetque sibi à Christo collatas claues Regni cælorum cum indefinita ligandi & soluendi in terris potestate, in vi cuius potest auctoritatiuè super fidei dogmatibus pronunciare iudicij veritatem. Attamen præter istam prærogatiuam est ipsi Diuinitùs concessum priuilegium, vt in nomine Christi, adeòque huius vicaria sibi propria auctoritate, possit cogere Concilium Oecumenicum, in eoque munus Præsidis ac Iudicis exercere, ita tamen, vt vltimatam, omnimodam, & consummatam in sanctionibus fidei infallibilitatem obtentura sententia iudiciaria, neque ex solius Concilij suffragiorum maioritate, vel etiam vniformitate, neque ex solius Papæ arbitrio, sed ex vtriusque consensu subsistere debeat. Quod adeò Concilij Oecumenici Sanctuarium ingrediendi, indeque prorsùs infallibile, & consummatum super fidei quæstionibus iudicium reportandi, priuilegium singulare est Summi Pontificis præeminentia Diuinitùs constituta, non absimilis illi prærogatiuæ, quam Veteris Testamenti Pontifex habebat in Diuino oraculo ex Vrim, & Thummim reportando: ille ipse namque Summi Pontificis ad Concilij suffragia accessus & consensus est instar Vrim & Thummim, obtinens ex Christi Domini promisso consummatæ infallibilitatis omnimodam iudicij certitudinem, ac veritatem. Quando igitur à Summo Pontifice, ex suæ licèt Apostolicæ auctoritatis Cathedra, extra Concilium tamen pronuntiante, ad Concilium Oecumenicum, qua ipsummet Papam includens, atque adeò ad Papam ipsum, qua consentiendo Concilij suffragio, vltimatum omnimodæ & consummatæ ex Christi promisso infallibilitatis certitudine nixum iudicium proferentem fit appellatio, nequit talis à Pontifice extra Concilium pronuntiante, ad Papam in & cum Concilio ex consensu vtrinque præstito, vltimatè definientem recursus, propriè loquendo dici appellatio, cùm sit ab vno ad eundem, sub diuerso tamen statu constitutum, & secundùm diuersas à Christo constitutas prærogatiuas consideratum Iudicem.

PROBATIO I.

In qua refutatur Abulensis argumentum cum exemplis ibidem productis.

Libenter equidem damus, Concilium Generale, qua formaliter, & completè Oecumenicum, ipsummet adeò Papam includens, esse vltimatum in Ecclesia tribunal circa fidei, aut morum sanctiones dogmaticas pronunciare potens. At in hoc sacro tribunali plerumque incipit iudicium à quæstionibus Facti, qua conferendis cum quæstionibus Iuris, fidem, aut mores concernentibus. id etiam, quod Facti est, eius quandoque conditionis est, vt importet statum causæ, quoad personas, vel ipsam etiam substantiam suam spectatæ, dumtaxat particularem, quandoque verò habet respectum ad vniuersalis Ecclesiæ statum publicum. Sub priori equidem causę qua particularis statu nefas prorsus foret, à sententia Summi Pontificis iuridicè lata prouocare ad Concilium, quamuis illi, qui se læsum probare potest, facultas supersit, à Papæ iudicio recurrere ad Papam meliùs informandum, qui tamen recursus nequit habere rationem appellationis eo ipso, quod de vno minùs bene, vti prætenditur, informato iudice fiat recursus ad eumdem meliùs informandum.

Quod si facti quæstio concernet totius Ecclesiæ bonum publicum, tunc equidem videri potest, à minùs bene informato circa causam concernentem publicum Ecclesiæ statum, licere prouocare ad Concilium formaliter, & completè Oecumenicum, ceu vltimatum Ecclesiæ sanctæ tribunal, eo ipso tamen, quod huius sancti tribunalis quasi anima, & forma sit Papæ auctoritas Oecumenica, neque illius iudicium definitiuum, seu sententia vltimatè decisoria subsistat, nisi ex Papæ cum Concilij suffragijs maioribus consensu auctoritatiuo accessu, nequit talis à Papa extra Concilium statuente, ad completa Oecumenicum, ipsummet Papam, vt sic formaliter includens Concilium, prouocatio subire rationem strictæ, ac propriè dictæ appellationis.

PROBATIO II.

In qua discutitur vis opposita exceptiones, & super hac reposita responsionis.

In quæstionibus fidei, vbi Papa ex suæ Apostolicæ auctoritatis cathedra protulit sententiam hæresis alicuius condemnatoriam sed hac non attenta, malum hoc publicam perturbans Religionem serpit latiùs, non in summo dumtaxat Pontifice est obligatio recurrendi ad vltimum Ecclesiæ sanctæ tribunal & Concilium Oecumenicum, pro adhibendo remedio aduersùs sanctę Ecclesię pacis perturba-

turbatores: sed insuper in eiusdem sanctæ Ecclesiæ Præsulibus, vti etiam in Christianis Principibus, præsertim Regibus ad Ecclesiæ vniuersale bonum procurandum, vel ex Christiano charactere, vel ex iuramento, vel etiam ex muneris, & characteris, Episcopalis intrinseca ratione stat ius, & obligatio vrgendi Papam ad celebrandum Concilium Oecumenicum. Quæ proinde erga Papam pro Synodo Oecumenica instantia, licèt in vi præinsinuati iuris fiat, sicque interponi fortassis contingat quædam à Papa extra Concilium decernente prouocatio ad Concilium Oecumenicum, qua ipsummet etiam Papam formaliter includens, attamen ex antecedenter dictis constat, nullatenus subire posse strictæ appellationis rationem.

Pari adeò modo ad finem Concilij Constantiensis fuit interposita appellatio à Papa ad futurum Concilium, casu, quo Pontifex Maximus noluisset decreta fidei Conciliariter conclusa suæ auctoritatis accessu, & consensu approbare, & auctorizatiuè confirmare. Vbi namque decreta fuerant conciliariter conclusa, ad sui firmitatem, & consummatam fidei infallibilitatem, ex Christi præscripto, ita indigebant Papæ consensu auctorizatiuo, vt ad hunc à Papa exigendum ius esset tum Concilio acephalicè adhuc spectato, tum singulis Præsulibus, vel etiam fidelibus vniuersis. Quod si proinde Papa hunc decretorum Conciliarium auctoritatiuum consensum suum non tantùm denegasset, sed si quæ à fidei veritate fuissent discordantia, positiuè reprobasset, tunc decreta eiusmodi prorsùs nulla, & inania extitissent. Vbi verò Pontifex suum consensum sanctionum Synodalium auctorizatiuum suspendisset, tunc harum firmitas tamdiu mansisset in suspenso, quamdiu non esset eisdem accessura Summi Pontificis approbatio, & confirmatio. Quare tum Concilio, quamdiù hæc non accederet, acephalico, tum præsulibus Ecclesiæ ius erat semper integrum, apud Papam instandi pro tali consensu: & dum iterum, iterumque suspenderetur, causam pertrahendi ad futurum Concilium, vt in eo caperetur experimentum, vel de coniungendo vtriusque Concilij, & Papæ consensu, vel de huius positiua, sicque decretorum annullatiua reprobatione. Iuxta quem adeò modum illa sub Constantiensis Concilij finem interposita hypotethica, à Papæ grauamine, dum scilicet nollet suum auctorizatiuum consensum decretis Conciliariter factis adiungere, ad futurum Concilium appellatio nihil aliud importabat, quàm instantiam recursus ad futurum Concilium, ad efflagitandum mutuam, & Concilij, & Papæ super conciliaribus decretis consensionem, vt omnimodæ hinc infallibilitatis certitudo, & firmitas consummata accederet Synodalibus sanctionibus. Ex cuius adeò appellationis modo, & conditione per se liquidum, & manifestum est, nullam inde probari Concilij, præsertim acephali, super Papa superioritatem.

§. III.

Nostratis sententiæ argumenta referuntur, ac expenduntur.

ARGVMENTVM I.

In quo per sacrorum Canonum, ac Theologorum auctoritates ostenditur, ita esse Papæ auctoritatem iudicandi de omnibus, vt nulli, nec adeò Concilio acephalo, liceat iudicare de eius iudicio.

AVctor regalis Sacerdotij cit. lib. 2. §. 7. num. 1. ad hoc probandum, inducit sacros Canones ex Gelasij rescripto in capit. cuncta 9. quæst. 3. & cap. ipsi 9. quæst. 3. Item ex S. Bonifacij Martyris literis cap. si Papa distinct. 40. Nec non ex Concilij Sinuessani ad Marcellinum Pontificem responso, per quod idololatriæ à Summo Pontifice patratæ & ad illius Concilij iudicium delatæ punitio non arrogabatur à Synodo, sed ad ipsius Pontificis arbitrium reseruabatur.

Adiungit idem Auctor Theologorum in hanc rem sententias, inter quos facilè Princeps S. Thomas lib. de Poten. quæst. 10. art. 4. ad 13. ita disserit: [Ex Gestis Chalcedonensis Concilij habetur primò, quod sententia Synodi à Papa confirmatur: secundò, quod à Synodo appellatur ad Papam: tertiò, quod à Papa ad Synodum non appellatur, vt habetur ex gestis Concilij Ephesini.] Similia fusiori quodam stylo tradunt B. Augustinus Triumphus de potestate Ecclesiastica quæst. 6. art. 1. B. Antonius in Sum. tit. 23. cap. 3. §. 3. item Dualius Doctor, & Theologus Sorbonicus lib. 4. quæst. post. Nec non S. Bernardus epist. 213. quorum verba videre licet apud præcitatum Auctorem Regalis Sacerdotij. Quandoquidem igitur Papæ iudicium eius sit auctoritatis, vt ab eo nefas sit appellare ad Concilium præcipuè acephalum, consequens est, huic nullam esse super Papa superioritatem, sed è contrario cùm à Synodo appelletur ad Papam, huic esse super Concilio superioritatem.

Exceptio.

Excipi potest ex parte aduersa. Si pro casus etiam præsentis statu Summus Pontifex super ipsissima hac Papæ supra Concilium acephalum, superioritate ferret sententiam decisoriam, Clerus verò Gallicanus se grauatum prætendens, appellaret ad futurum Concilium, numquid illa Papæ sententia subijcienda foret iudicio Generalis Synodi ea propter congregandæ, ad vltimatū iudicium super illa Papæ sententia ferendum? At numquid ex hoc aliqua Concilij super Papam, eiusque iudicium superioritas videretur euincenda?

Responsio.

Casu, quo appellatio fieret ad Concilium acephalum, non esset in hoc reperibilis vlla præeminentia, nisi quæ subsisteret ex iurisdictionum Episcopalium ad vniuersale etiam Ecclesiæ bonum ex natura sua intrinsecè coordinatum in vnum collarione. At verò sicuti Papa super singulis Episcopalibus iurisdictionibus habet auctoritatem superioritatis, sic quia hisce in vnum collectis, quamdiù eisdem non accedit Oecumenica Papæ auctoritas, nulla ex Dei verbo noscitur superuenire altior quędam prærogatiua diuino iure sancita, superexcedens Papæ auctoritatem Oecumenicam, ideò appellatio à sententia Papæ ad tale Concilium acephalum esset à superiore ad inferiorem, nullius adeò valoris, quinimmò sacræ Pontificiæ Maiestatis aperta temeratio,

Nec iuuaret, etiamsi supponeretur, quod tamen verum non est, illas Episcopales iurisdictiones in vnam Synodum Generalem acephalam collatas, esse immediatè à Christo in singulis etiam Episcopis, essetque adeò iuris diuini, super quas nulla proinde SummoPontifici competere posset auctoritas.

Hoc, inquam, posito, sed minimè dato, dicendum adhuc foret, saltem moralem Iurisdictionum eiusmodi Episcopalium vsum continueti adhuc sub illo quocumque ad Regnum Cælorum in terris ordinabili morali, super quo Christus Petro, eiusque Successori contulit superioritatis præminentiam, nec adeò talium iurisdictionum in vnum etiam Concilium acephalum collatarum vsus moralis, atque adeò quodcumque ex tali Concilio promanans iudicium præualere posset Papæ iudicio, sed huius tamquam superioris sententiæ deberet prorsùs subiacere. Quare ex hoc etiam capite Concilij acephali super Papæ sententiam protensum iudicium, in vi supereminentis Pontificiæ auctoritatis esset nullum, & inualidum. Si equidem pro casu præsupposito, Clerus Gallicanus à Summi Pontificis sententia prouocaret ad Generale completè, ac formaliter Oecumenicum Concilium, tunc equidem Papa, cui est commissa vniuersalis cura, ex vi sui officij obstringeretur ad procurandum consummatum ex Concilij, qua formaliter Oecumenici definitiua sententia causæ vltimatè determinatiuum iudicium, quia tamen hæc consummati, & vltimati iudicij ratio: secundùm Christi præscriptum, non subsisteret, nisi ex Papæ consensu conciliaris sententiæ auctorizatiuo, ideò in tali casu non esset dicendus fieri recursus ab inferiore iudice ad superiorem, sed à Papa extra Concilium statuente ad eumdem Papam, qua in Concilio Oecumenico vi sui auctoritatiui consensus auctorizare potentem, conciliare iudicium: veluti patet ex antecedentibus.

ARGVMENTVM II.

Quo ostenditur ex antiquo Ecclesiæ vsu, & praxi, non à Papa ad Concilium, sed à Concilio ad Papam fuisse interpositas appellationes.

Auctor Regalis Sacerdotij cir. lib. 2. §. 8. probat, à Concilio vniuersali ad Papam appellari tum ex cap. ipsi sunt & capit. patet 9. quæst. 3. & Gelasij 1. epist. 13. Nec non Synodi Sardicensis, eiusque Oecumenicæ sub Iulio Pontifice, & Imperatoribus Constante, atque Constantino, anno 346. in causa Athanasij celebratæ can. 3. & 4. aliàs 7. Tum ex Synodi Nicænæ can. 18. sancientis: [Vt omnes Episcopi, qui in quibusdam grauioribus causis criminantur, liberè Apostolicam Sedem appellent, &c.] Tum ex B. Leonis epistola 87. ad Episcopos Galliæ, necnon eiusdem epistola 23. ad Theodosium Augustum, vbi hic Pontifex Flauianum Patriarcham Constantinopolitanum à Concilio Ephesino II. Generali appellantem ad Sedem Apostolicam recipit, &c. Tum ex sententijs Patrum, ac Summorum Pontificum S. Antonini par. 3. tit. 22. cap. 6. §. 20. Sixti Papæ canone si qu s 2. quæst. 6. Marcelli Papæ relati in cap. ad Romanam 2. quæst. 6. Zephyrini Papæ canone ad Romanam ibi 6. Iulij Papæ epist. ad Eleutherium relata capit. qui se scit. ibi & Nicolai Papæ relati in cap. arguta ibidem. Nec non S. Bernardi lib. de consider. cap. 2.

Exceptio.

Excipi potest ex parte aduersa. Hunc ad Papam appellandi morem, vel Papæ erga Ecclesias procedendi modum auctoritatiuum non fuisse semper probatum Antiquitati. Sic enim cùm Victor Papa Ecclesias Asiaticas, ob decimam quartam lunam, & non diem Dominicam Paschatis celebrationi destinatam, à Communione excludendas duceret, eidem obstitisse Episcopos Gallicanos: sic Concilium Carthaginense anno 419. cùm Romanus Pontifex per suos Legatos prætenderet transmarinas ad Sedem Apostolicam appellationes, producto Sardicensi Canone, Concilij Nicæni nomen præferente, obstitisse huius prætensioni, reiecto etiam illo, qua Synodo Nicænæ appropriato Canone, atque ad Pontificem in hæc rescripsisse verba: [Itaque ne velitis permittere, vt fumosum mundi fastum (prætendendo appellationis vltimatum tribunal) in Christi Ecclesiam inducere videamini.]

Responsio.

Distinguere in primis oportet, circa hoc, quòd Pontifex Romanus aliquando redargueretur, vel de errore Facti, vel de imprudentia, ac indiscretione, & inter istud, quòd Antiquitas, attamen Orthodoxa, falsò prætendatur aliquando redarguisse Papam de prætenso iure appellationis ab alijs Ecclesijs, vel etiam Concilijs Generalibus, sed qua acephalicis, ad suam Apostolicam Sedem in-

terponendæ. Constat namque ex Eusebio capit. 25. & 26. neque Irenæum, neque alios Episcopos Gallicanos arguisse Victorem de vsurpatione iurisdictionis sibi non competentis. Quinimò Irenæus illam Victoris sententiam, ceu indiscretam, & commodis Ecclesiæ minùs conuenientem asserendo, præsupponebat in ipso legitimam iurisdictionis auctoritatem. Etsi verò Pauli Petro in faciem ex aliquo Facti, non autem Iuris errore venialiter culpabili resistentis exemplum secuti Episcopi Gallicani, Victorem, quasi excommunicationis gladium, consilio minùs maturo imprudentiùs strinxisset, literis obiurgarunt, in hoc ipso tamen fuisse deceptos, tempus postcà reuelauit, quo compertum est, sub illo Paschatis decima quinta luna celebrandi ritu latuisse Iudaismum à Blasto latenter introductum, vti patet ex Tertulliano de præscript. in fine.

Deinde quando Legati Pontificij in Concilio Carthaginensi Canonem Synodi Sardicensis allegabant sub nomine Concilij Nicæni, id optimo iure faciebant. Etenim Sardicense trecentorum septuaginta sex, ex triginta sex Prouincijs vniuersi orbis Christiani congregatorum Episcoporum Concilium, æquè, ac Nicænum, fuisse Oecumenicum, ac legitimum, constat ex sancto Athanasio in princip. Apol. 2. Augustino epistola 162. Sulpitio lib. 2. sacræ hist. Socrate lib. 2. cap. 16. hist. Eccles. ac ex actis Concilij præsertim in fine: nec adeò aliquis auctoritatis maioris fucus fieri potuisset, etiamsi Canon à Sardicensi Concilio editus sub nomine Nicæni Concilij esset allegatus.

Et verò Concilium Sardicense nullibi ponitur separatim à Concilio Nicæno, sed post illud secundo loco statim numeratur Constantinopolitanum. Quæ igitur huius est ratio? nisi quia Sardicensis Synodus cum Nicæna censetur vna, & eadem, partim, quia vtrique interfuerint ijdem ferè Patres, nihilque aliud in Sardicensi Concilio constituerint, quàm quòd Nicænam Synodum confirmarint, eiusque Canones dumtaxat explicarint: partim quia Canones vtriusque Concilij Sardicensis nimirum, ac Nicæni in Romana Bibliotheca, & in quodam exemplari Concilij Nicæni, quod Dionysius ante mille annos è Græco conuertit, quodque etiamnum adhuc Atrebati in Monasterio Sancti Vedasti extat, ita coniuncti habeantur, quasi vnius Concilij Canones essent, ex tom. 1. Concilior. edit. Colon. pag. 446.

Falsum porrò est, quòd Concilium Carthaginense anno 419. celebratum, appellationes transmarinas ad Sedem Romanam simpliciter improbarit, seu reiecerit. Nam appellationes Episcoporum à Concilio Prouinciali ad Sedem Romanam fuisse illo etiam tempore ab Ecclesia Africana ratas habitas, constat ex S. Augustino epist. 162. & 261. In quorum priori dicitur, ius fuisse Carthaginensi Episcopo, ad Romanam Ecclesiam, in qua semper viguerit Apostolicæ Cathedræ principatus, prouocare, causamque suam ibi dicere. In posteriori autem recensentur aliquot exempla appellationum ab Episcopis Africanis ad Sedem Romanam interpositarum, & ab hac sancta Sede iudicante, vel iudicia primæ instantiæ (vti Augustinus citatus loquitur) firmante terminatarum. In qua porrò epistola hic sanctus Ecclesiæ Doctor apertis verbis defert appellationis causâ ad Sedem Romanam interpositæ.

Fucus præterea sit, ac si Concilium Carthaginense suas ad Papam literas ita concludendo: [Itaque ne velitis permittere, vt fumosum mundi fastum in Christi Ecclesiam inducere videamur,] per hoc prætenderit, talem mundi fumosum fastum sub ipso ad Sedem Apostolicam appellationis asserto iure contineri. Ex sancti namque Augustini epistola 261. constat, quòd, vbi Antonius Fussalensis Episcopus ab Episcopis Africanis ad Romanum Pontificem appellasset, causamque suam ibi egisset, tumor spatijs fuerit, de ipso per publicam militaris manus à Pontifice submittendę potestatem restituendo. Quam proinde militarem manum, ceu fumosum (vt Concilium Carthaginense ad Cœlestinum Papam scripsit) siue tamquam violentum (vti Augustinus citatus scribebat) inter fratres dominatum deprecabantur Episcopi Africani. At ea hoc ipso clarè constat, ius appellationis ad Romanam Sedem non fuisse vocatum in dubium, sed de executionis modo (quem rumor publicus prædicabat) habitum fuisse recursum ad illius Sedis Pontificem.

Verum quidem est, Patres Africanos apud Concilium Carthaginense cap. 105. ad Cælestinum Papam sic scripsisse: [Presbyterorum quoque, & sequentium Clericorum improba refugia (sicut te dignum est) repellat Sanctitas tua, quia, & nulla Patrum definitione hoc derogatum est Africanæ Ecclesiæ.] In quibus adeò verbis videtur allusisse ad Canones 14. Sardicensis, 15. Antiocheni Concilij.

In quibus proinde Canonibus non interdicitur appellatio Episcoporum ad Romanam Sedem, sed inferiorum dumtaxat Clericorum. At eo ipso, quòd Episcoporum appellatio ad istam Sedem semper attinuerit, eatenus hinc concluditur Romani Pontificis principatus, vt ipso tamen consentiente, ob incommoda ex quorumuis, etiam inferiorum ad sanctam Sedem recursu in prouincijs transmarinis facilè oritura, fuerit permissum, vt Presbyterorum, ac reliquorum Clericorum causæ, saluo tamen iure Pontificio, vltimatè terminarentur à Metropolitanis, vel Synodis Episcoporum.

CONCLVSIO.

Non à Papa ad Concilium, sed à Concilio acephalo ad Papam appellandi ius, atque adeò Romani Pontificis supra Synodum acephalicè sumptam superioritas ex ipsismet fidei principijs demonstrari potest.

Explicatur, & probatur. Sixtus IV. equidem Pij II. constitutioni (de qua inferiùs dicetur) insistens, excommunicationis sententiam protulit in illos, qui à Papa appellarent ad futurum Concilium, sequcutibus inni-

innixus fundamentis. [Tum quòd de minoribus ad maiores iudices dumtaxat appellare permittat auctoritas, & propterea inhibeat, ab Imperiali, & Prætorio iudicio appellari: tum quòd non homo, sed is solùm, qui solo verbo fecit cælum, & terram, Apostolicam Sedem, & in ea sedentem prætulerit vniuersis etiam Concilijs, quæ ab ea robur accepisse, sanctorum Patrum decreta testantur, & etiam Gelasius Papa contra Acatium Fausto Legato scribens, dum ait; Ipsi sunt Canones, qui appellationes totius Ecclesiæ ad huius Sedis examen voluerunt deferri, ab ipsa numquam appellari debere, & ipsam de tota Ecclesia iudicare, de ipsius autem iudicio numquam iudicari senserunt, &c.] Vnde inferebat idem Pontifex: [Omnes qualitercumque appellantes à Romano Pontifice, &c. ad non indictum, nec congregatum Concilium appellare præsumentes, aliud Caput in Ecclesia Dei constituere, ac imaginarium maius, sublimiusque tribunal confingere contra Apostolum dicentem:] Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id, quod Christus instituit, [sicque sanctæ Sedis primatum negare, Ecclesiæ vnitatem diuidere, non vnum solum priuilegium eidem Ecclesiæ adimere, sed præcipuum, & principalem dictæ Sedis auctoritatem, quam, & vox Christi, & Maiorum traditio, & Canonum fulcit auctoritas, penitus subuertere, &c.]

Quæ proinde fundamenta in formam syllogisticam reducendo, hanc conficiunt argumentationem Theologicam. Nempe appellatio secundùm naturam suam est prouocatio à minori ad maiorem Iudicem. At Sedes Apostolica ex institutione illius, qui solo verbo fecit cælum, & terram, habet ius prælationis super vniuersis Concilijs, vtpote quę ab ea robur accipiunt, suosque Canones ad eiusdem Sedis examen deferri voluerunt. Ergo præsumentes appellare à Romano Pontifice ad Concilium non indictum, nec congregatum, constituunt aliud Caput in Ecclesia Dei, maiusque, ac sublimius fundamento per Christum posito confingunt tribunal, sicque negant Sedis sanctæ primatum, adeoque diuidunt Ecclesiæ vnitatem, penitusque subuertunt principalem Sedis Apostolicæ auctoritatem, quam, & vox Christi, & maiorum traditio, Canonumque fulcit auctoritas.

In hisce Bullæ Sixtinę verbis apprimè videtur consideratione dignum, quòd, si appellatio à Romano Pontifice fiat ad non indictum, neque congregatum Concilium, videatur aliud, præter Summum Pontificem, præsumptunsè in Ecclesia Dei constitui Caput, atque confingi tribunal maius Petri cathedra, sicque subuerti Sedis Apostolicæ principalis auctoritas. Quid ergo specialis energiæ est in hoc, quòd appellatio huiusce modi interponatur ad non indictum, neque congregatum Concilium? An, si hoc fuerit de præsenti coadunatum, fas erit, à Summo Pontifice ad illud appellari? An non, si hoc saltem liceret, sublimius iam Sede Apostolica Tribunal prætenderetur?

Verùm si vel indictum, vel aggregatum sit Concilium Oecumenicum, iam interuenit Apostolica auctoritas, ceu forma, & anima Synodi qua formaliter Oecumenicæ. Quòd si ergo ad Concilium tali modo indictum prouocetur à Papa, non iam ab inferiori fit appellatio ad maiorem, sed Papæ expostulatur auctoritas, qua forma Oecumenici Concilij, nec aliud in hoc agitur, nisi, vt quæ Papæ auctoritas extra Concilium decteuit, eadem sub altiori Diuinitus constituta præeminentia, Papæ vna, & Concilij consensioni auctorizatiuæ annexa, imploretur ad effectum omnimodæ, & consummatæ per Christi promissum infallibilitatis in fidei dogmatibus obtinendum. Num igitur dicere fas erit, quòd solemnissima illa singulis annis in Bulla Cœnę promulgari solita excommunicatio aduersùs illos, qui à Papa appellant ad futurum Concilium, locum habere possit in eo, qui post Papæ super controuerso fidei articulo decisionem extra Concilium factam, non alia intentione, ac verborum expressione prouocaret ad futurum non acephalum, sed auctoritate Papæ indicendum, ac celebrandum, continuandumque Concilium, quà plenè, & formaliter Oecumenicum, quàm, vt per Papæ, cum Synodo eiusmodi Generali consensionem auctorizatiuam obtineretur vltimata, & consummata veritatis circa dogma definitum infallibilitas? In hoc sanè statu, sicuti non interueniret propriè dicta à Papa ad futurum Concilium appellatio, sic difficile foret asserere, talem prouocationem subesse prætactæ excommunicationis censuræ, dum præsertim fieret debita cum submissione, vel cum expressione infallibilitatis consummatæ sic obtinendæ, vel sub allegatione publicæ pro Religionis sanctæ pace vtilitatis, seu necessitatis.

PROBATIO I.

In hac ostenditur, ex quo sacræ Scripturæ fundamento appellationes à Papa ad futurum Concilium à Pio II. in Bulla Execrabilis condemnentur tamquam erroneæ, ac detestabiles.

Hic Pontifex Maximus in dicta Bulla Execrabilis dicit, spiritu rebellionis imbutos esse, qui à Papa ad futurum Concilium appellare præsumunt. Huius autem dicti sui rationem profert ex hoc, quòd Romano Pontifici Christi Vicario dictum sit in persona Beati Petri: [Pasce oues meas, &c. Quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in Cœlis.] Ex quo adeò Christi verbo elucescit, nihil esse super terram morale in Regnum Cœlorum ordinabile, quod non subsit superioritati Romani Pontificis. Quamuis proinde character Episcopalis, vnà cum vi Corporis & Sanguinis Christi consecratoria, necnon vnà cum radicali iurisdictione Pastorali in eo charactere contenta, vtpote qui sit immediatè à Christo, non sit de illo quocumque super terram Summi Pontificis superioritati subiecto morali, attamen eiusdem vsus, qua moralis, superinduit conditionem superioritati illi subiacentem. A fortiori autem talis subiectionis conditionem subit omni-

moda Episcopalis iurisdictio formalis, & actualis, vtpote deriuata à Papa, & multò magis eius etiam collectiuè sumptæ, & ab vniuersi Christiani orbis Episcopis in vnum collectæ in Concilio acephalicè spectato exercitium morale, vtpote quod nullatenus dici potest esse immediatè à Christo, sed euidenter continetur sub illo quocumque super terram in Regnum Cœlorum ordinabili morali, supra quod protenditur illa Romani Pontificis adligandum, & soluendum potestas indefinita.

Quamuis portò consummatæ infallibilitatis præeminentia Concilio formaliter atque completè Oecumenico per Christum asserta, sit immediatè à Christo, nec adeò possit vt sic subesse Romani Pontificis superioritati, eo ipso tamen, quòd ea infallibilitas nonnisi duobus, nempe Capiti, & Corpori Ecclesiæ hierarchico, qua intrà Concilium Oecumenicum consentientibus sit promissa, ex parte sui substrati iam inuoluit illam Papæ superioritatem. Quamuis insuper Concilio Oecumenico etiam Diuinitus competat indefinita ligandi, & soluendi potestas, compar Papali Oecumenicæ auctoritati, attamen decreta Conciliaria moralia inde promanantia, sicuti sunt de illo quocumque in Regnum Cœlorum ordinabili morali: sic subiacent etiam Pontificis Maximi superioritati in tantum, vt eiusmodi morum decreta solus etiam Pontifex secundùm rerum exigentiam mutare, dispensare, vel etiam abolere valeat: sicuti etiam Pontificiæ leges morales ex vi illius vniuersalis Concilio, qua Oecumenico per Christum collatæ auctoritatis possunt quidem immutari, eo ipso tamen, quòd hæc etiam Concilij Oecumenici, non nisi ex Capite, & hierarchico Ecclesiæ Corpore subsistentis auctoritas, ex parte sui substantialis substrati inuoluat Papæ super omne in terris morale superioritatem, illi Concilij, qua Oecumenici potestati indefinitæ comparem, nequit iam Concilio, qua completè etiam, ac formaliter Oecumenico attribui strictè sumpta erga Papam superioritas. Quare eiusmodi quoad superioritatis præeminentiam inter Papam, & Concilium comparatio, nequit habere locum respectu Concilij completè Oecumenici, sed qua abstractiuè saltem acephali. Vt sic autem nihil est assignabile in Concilio eiusmodi, quod immediatè sit à Christo, præter characteres Episcopales cum vi eisdem congenita, sed quæcumque actualis iurisdictio, & à fortiori quodcumque Synodale decretum, sunt de illo quocumque morali, super quo protenditur Papæ superioritas, clarè, ac liquidè asserta Christi verbis per Pium II. pro suæ constitutionis fundamento positis. Aduersùs hæc igitur Christi verba, & hisce assertam Papæ superioritatem meritò dixit Pius exeri spiritum rebellionis ab illo, qui à Pontifice Romano appellat ad futurum Concilium.

PROBATIO II.

Desumpta ex hoc, quòd Papa sit immediatus, & proximus Christi Vicarius.

IN ipso namque Concilio Constantiensi sess. artic. 37. inter alios Wicleff errores damnatur iste quoque articulus: Papa non est immediatus Vicarius Christi. In quo Synodus ista consonat cum Nicæni Concilij Canone 39. inter octoginta Arabicos relato tom. 1. Concilior. post Acta Nicænæ Synodi, vbi excommunicationis censura notatur, qui negauerit, Romanum Pontificem esse Vicarium Christi super cunctos populos, & cunctam Ecclesiam Christianam. Ex quo proinde fidei principio ita licet argumentari. Quò potestas Ecclesiastica est propinquior Christo, eò noscitur esse superior. At eo ipso, quòd Romanus Pontifex sit immediatus, & proximus Christi Vicarius, nequit vlla dari in terris auctoritas Ecclesiastica, quæ sit Christo propinquior, neque adeò vlla in terris potestas potest esse superior Apostolica Papæ auctoritate, sed fateri, oportet, eam, sicuti est immediatè à Christo, atque huius Vicaria, sic esse supremam. Atqui appellationis natura est, esse prouocationem ab inferiori Iudice ad superiorem. Quia igitur Christi Vicaria in Papa potestas est immediata, & proxima Christo, sic ab ea non datur vlla appellatio strictè, & propriè sumpta, ad ipsam verò à quocumque in terris constituto Iudice Ecclesiastico appellationem admittere, oportet.

Corollarium.

EX dictis infertur 1. Concilium Constantiense principio per semetipsum sancito de Vicaria Christi erga hunc proxima, & immediata Papæ asserta auctoritate, haud conformiter acturum fuisse, si, quam Concilij, præsertim acephali, proue se habebat in eo statu, super Papa superioritatem adstruere videbatur, intelligendam voluisset, non de dubio duntaxat, sed etiam certo, ac indubitato Papa, vtpote de quo, iuxta fidei articulum ab eadem Constantiensi Synodo sancitum, oporteret credere, esse Christi Vicarium immediatum, nullique adeò, qui Christo posset propinquior esse, superiori subordinatum. Ne proinde Constantiense Concilium sibimet contrariari videatur, accuratiùs expendenda sunt eiusdem decreta, quibus Concilij super Papam superioritas adstruitur; prout sequentibus disquisitionibus enitemur hoc punctum enodare.

Intereà pro secundo visum est operæ pretium, hic præmittere, quæ Auctor tract. de libert. Ecclesiæ Gallicanæ lib. 5. cap. 15. ad præsentis operis nostri institutum solidè exposuit. Duplici, inquiens, præcipuè ratione impugnabat Eugenius IV. huius Synodi de Conciliorum generalium auctoritate Decreta. Prima, quòd dubia esset eorum auctori-

tas. Secunda, quòd ad tempus schismatis restringenda essent. Vtramque improbant Illustrissimi Præsules Comitiorum Parisiensium his verbis; [Nec probari à Gallicana Ecclesia, qui eorum Decretorum quasi dubiæ sint auctoritatis, ac minùs approbata, robur infringant, aut ad solum schismatis tempus Concilij dicta detorqueant.] Sed numquid etiam Comitijs Cleri Gallicani inferior est auctoritas Papæ, ac illorum potiùs, quàm Summi Pontificis sequenda sententia?

Eugenius igitur Decreta, de quibus est quæstio, hac inprimis ratione non valere, contendebat, quòd ab vna tantùm obedientia fuissent facta, id est, à Prælatis Ioanni XXIII. obedientibus, quod affirmat etiam Cardinalis à Turrecremata, de rei veritate optimè instructus, ac gestorum ex parte oculatus testis, & pro suo merito fide dignus. Rem narrat his verbis, Summa de Eccles. lib. 2. cap. 99. [Notandum, quòd Congregatio illa Constantiæ celebrata tria tempora habuit. Primum fuit, in quo sola obedientia præfati Ioannis Balthasar Constantiæ conuenerat. Secundum tempus fuit; in quo Angelus Coriarius vocatus, in obedientia sua Gregorius XII. iuri suo cedens, præfatæ Congregationi se sub certis modo, & formis coniunxit. Tertium tempus est, in quo Reges, & Principes, & Prælati obedientes Petro de Luna, Benedicto XIII. vocato, in obedientia sua per suos Oratores, noua conuocatione Concilij, se vnierunt præfatæ congregationi ad pacem dandam vniuersali Ecclesiæ. Et fuimus nos tunc præsentes in minoribus constituti, pro quo solo tempore conuenientibus omnibus simul tribus obedientijs, fuit certum dicere, quòd vniuersalis Ecclesia repræsentatiuè congregata esset Constantiæ. Nullus autem dubitat, quin asserere, quòd sola obedientia Ioannis faceret Concilium vniuersale, vniuersalem Ecclesiam repræsentans, esset temerarium, & scandalosum alijs duabus obedientijs. Tertiò ea, quæ inducuntur de Decretis Concilij Constantiensis, non militant: quoniam auctoritati illius aliæ duæ obedientiæ, scilicet Gregorij, & Benedicti apertissima contradictione in plena Congregatione se opposuerunt, & eorum contradictio fuit accepta.] Subiungit infrà idem Cardinalis; [In illorum determinatione non modò non interuenit vniuersalis Ecclesia, sed obedientia vna tantùm, scilicet Ioann. XXIII. vt dictum est, sed etiam non integrè tota illa obedientia; quoniam plures Patres doctissimi illius obedientiæ, illis non præstiterunt consensum, aut assensum suum. Item nec ipsa in sua obedientia vocatus Ioann. XXIII. quoniam cùm post recessum suum à Constantia, Scaphusæ constitutus, audiret præfatam declarationem conclusam, Dominis Oratoribus Christianissimi Regis Franciæ visitantibus eum, videlicet Domino Duce Bauariæ, Domino Nicolao de Colauilla, alijsque eorum collegis, amaro animo conquestus est, falsa quædam, & erronea aduersus auctoritatem Summi Pontificis Romani decreta per æmulos suos post recessum eius esse conclusa, &c.] Quæ omnia confirmantur ab alijs Scriptoribus, & ab actis ipsius Concilij Constantiensis, in Bibliotheca Vaticana extantibus, quorum summam in lucem nuper emisit doctissimus vir Emmanuel Schelstrate.

Cæterùm quoniam Illustrissimi Antistites Parisienses hæc decreta à Sede Apostolica comprobat dicunt, quod præcipuè de Martino V. intelligendum videtur, qui depositis à Concilio Constantiensi tribus Pontificibus, inter se de Pontificatu contendentibus, Pontifex creatus est, & ab omni Ecclesia pro vero, & legitimo acceptus; videndum est, quæ fuerit eius de his decretis mens. Sed priùs obseruandum est, etiamsi Concilium Constantiense legitimum non foret, Martinum nihilominùs legitimum fore Pontificem, quippe cùm Ioannes, & Gregorius Papatui renunciarint, vt patet ex Actis concilij Constantiensis sess. 12. & 14. & Gregorius ante decesserit, quàm Martinus V. deligeretur, ac deinde Clemens VI. Benedicti successor eidem Martino cesserit. Præterquàm quòd ex auctoritate Concilij ad tollendum schisma, non ritè, cùm sit exceptio regulæ generalis, inferatur auctoritas iudefinita supra Papam in omnibus casibus.

Vt autem ad Martinum V. redeamus, prohibuit ille appellationes ab Apostolica Sede, seu Romano Pontifice, vt testatur Ioannes Gersonius tractatu, [Quando, & an liceat à Summo Pontifice in causis fidei appellare, seu eius iudicium declinare.] Quæ sanè prohibitio absona fuisset, si Concilij iudicium iudicio Papæ superius existimasset. Quis enim iudicem non derideat, à sua sententia ad iudicem superiorem appellari vetantem, in ijs causis, in quibus alius est re vera iudex superior. Fuit autem promulgata illa Martini Quinti Constitutio in Consistorio generali celebrato Constantiæ sexto Idus Martij, anno primo, id est, ante finem Concilij, quod terminatum est 10. Kalendas Maij anno 1418. etiam Pontificatus primo, & à Pontifice approbatum: quæ confirmatio in actis refertur his verbis; [Sanctissimus Dominus noster Papa dixit: respondendo ad prædicta (scilicet de condemnatione libelli Ioannis Falkemberg) quòd omnia, & singula determinata, conclusa, & decreta in materijs fidei per præsens Concilium, conciliariter tenere, & obseruare inuiolabiliter volebat, & nunquam contraire quoquo modo. Ipsaque sic conciliariter facta approbat, & ratificat, & non aliter, nec alio modo, & illud idem iteratò fecit dici per organum Domini Augustini de Pisis Fiscalis, & sacri Consistorij Aduocati prædicti, qui nomine Papæ à Prothonotarijs, & Notarijs ad scribendum Acta Concilij ordinatis, & deputatis petijt instrumenta publica fieri.] Quorsum autem verba illa, & non aliter, nec alio modo, nisi vt Decreta, illa, quæ vt suprà vidimus, à solis Prælatis obedientiæ Ioannis XXIII. nec etiam ab illis omnibus, edita fuerant, probaret non videtur?

Verùm licèt illa Concilio generali adscriberentur, & quæ à Martino V. aut Eugenio VI. in genere dicta sunt, ad hæc, de quibus specialis, imò specialissima facienda fuisset mentio, referri possent; non tamen extra casum schismatis, de quo tunc erat quæstio, aut hæresum, de quibus accusabantur Pontifices contendentes, ad alios casus essent de-

tor-

torquenda; quæ altera erat Eugenij ratio. Nec enim ibi generaliter statuitur, omne Concilium generale in omni casu supra Pontificē auctoritatem habere, sed tantùm Concilium Constantiense, & alia generalia, quæ ob eamdem causam congregari opus esset. Hæc enim sunt verba Concilij Constantiensis. sess. 5. [In nomine sanctæ, & indiuiduæ Trinitatis, Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Amen. Hæc sancta Synodus Constantiensis generale Concilium faciens, pro extirpatione ipsius schismatis, & vnione, & reformatione Ecclesiæ Dei in capite, & in membris, ad laudem Omnipotentis Dei, & in Spiritu sancto legitimè congregata, ad consequendum faciliùs, securiùs, liberiùs vnionem, & reformationem Ecclesiæ, ordinat, definit, decernit, & declarat, vt sequitur. Et primò declarat, quòd Ipsa in Spiritu Sancto legitimè congregata, Concilium generale faciens, & Ecclesiam Catholicam repræsentans, potestatem à Christo immediatè habet, cui quilibet, cuiuscumque status, vel dignitatis, etiamsi Papalis existat, obedire tenetur in his, quæ pertinent ad fidem, & extirpationem dicti schismatis, & reformationem dictæ Ecclesiæ in capite, & in membris.]

[Item declarat, quòd quicumque, cuiuscunque conditionis, status, dignitatis, etiamsi Papalis, qui mandatis, statutis, seu ordinationibus, aut præceptis huius sacræ Synodi, & cuiuscumque alterius Concilij generalis legitimè congregati semper præmissis, siue ad ea pertinentibus, factis, vel faciendis, obedire contumaciter contempserit, nisi resipuerit, condignæ pœnitentiæ subijciatur, & debitè puniatur, etiam ad alia Iuris subsidia (si opus fuerit) recurrendo.] Idem ijsdem ferè verbis statuitur sess. 4. [Notanda sunt illa verba ipsa (scilicet Synodus Constantiensis) in his, quæ pertinent ad fidem, & extirpationem dicti schismatis: Præceptis huius sacræ Synodi: super præmissis, siue ad ea pertinentibus,] quæ decreta illa circumscribunt, ac sine limitatione intelligere vetant.

Testis est ipsemet Ioannes Gersonius tantùm ad Conciliorum generalium auctoritatem constituendam feruens, sententiam de superioritate Papæ ad Concilium, non solùm ante, sed etiam post Decreta Concilij Constantiensis à multis fuisse propugnatam, quòd euidens signum est, decreta illa vel non esse Concilij verè generalis (alioquin enim à nemine Catholico reuocarentur in dubium vel in certo dumtaxat casu locum haberet. Si enim generalia essent, quis superesset disputandi locus apud eos, qui à Concilio verè generali statuta crederent. Fallor, inquit Gersonius de potest Eccles. consideraт. 12. si non ante celebrationem sacrosanctæ huius Constantiensis Synodi sic occupauerat mentes plurimorum literatorum magis, quàm literatorum ista traditio, vt oppositorum dogmatizator, fuisset de hæretica prauitate vel notatus, vel damnatus. Huius rei signum accipe, quia post declarationem, & quod vrgentius est, post determinationem, & practicationem eiusdem sanctæ Synodi inueniuntur, qui talia passim asserere non paucae. Rationem autem, cur huic sententiæ tantùm esset infensus, hanc insinuat conside. at 10. Quia scilicet, vt ipse arbitrabatur, ea semper manente, perseuerasset semper schisma, ab ea nutritum.

Ex quo conijcitur, de hoc tollendo malo cogitasse, quotquot rectâ intentione concilium Papæ anteferre studuerint. Cæterùm enim non solùm ante Concilium Constantiense, sed etiam posteà extiterunt magni nominis Auctores, qui sententiam illam. Summum Pontificem Concilio subijcientem erroneam iudicarunt. Non solus Cardinalis Bellarminus, qui de Concilijs lib. 2, cap. 11 hæc habet, Concilium Basileense cum Legato Pontificis communi consensu statuit, concilium esse supra Papam, quòd certè nunc iudicatur erroneum, sed & alij quàm plures ex quibus Franciscus de Syluestris, vulgò Ferrariensis, à patria nuncupatus, Ordinis Prædicatorum Generalis, super S. Thomam l. 4. contra Gentes cap. 76. in fine sic scribit. Ex prædictis constat, vanam esse, & à fide Christiana alienam opinionem dicentium, Concilium, & Ecclesiam esse supra Papam, & ipsum Papam ab Ecclesia auctoritatem habere tamquam ab ipsa institutum, quæ censura non solam vltimam propositionem afficit, vt patet ex probationibus, sequitur enim [Nam manifestum est ex prædictis, quòd Christus ipse regimen Ecclesiæ instituit, non autem ipsa Ecclesia, aut populus Christianus, & quòd in Ecclesia Petrum suum Vicarium, & Successores eius instituit, sicut & ad Sacramenta dispensanda instituit Ministros.] Vnde cùm dixit Petro, Pasce oues meas, præmisit interrogationem. Simon Ioannis diligis me plus his. [Vt ostenderet; se auctoritatem Petro dare, vt distincto ab alijs discipulis præsentibus. Propter quod exponens Chrysostomus prædicta verba, ait, præteriens alios, Petro loquitur &c.

Doctrina, pietate, ac miraculis clarissimus S. Antoninus Archiepiscopus Florentin. eamdem doctrinam validè defendit part. 3. Summæ tit. 23. de appellatione Papæ cap. 3. §. 3. fin. Sed nec ad Concilium generale à Papa appellari potest, quia Papa omni Concilio superior est, nec robur habet quidquid agitur, nisi auctoritate Romani Pontificis roboretur, & confirmetur. Sentire ergo quod ad Concilium à Papa appellari possit, est hæreticum, & contra illum articulum. Sanctam Ecclesiam Catholicam. Sic autem fortius argumentatur. Quicumque priuilegium Romanæ Ecclesię à Christo traditum auferre conatur, est hæreticus. Sed dicens, & tenens; quòd licet appellare à Romano Pontifice ad Successorem eius, aufert priuilegium Romanæ Ecclesiæ à Christo traditum, ergo talis manifestè est hæreticus. Et sic probat Minorem: Quicumque sentit, Romanum Pontificem non esse summum, supremum, & vnicum caput totius Ecclesiæ, auferre conatur priuilegium Romanæ Ecclesiæ à Christo traditum, sed quicumque à Papa appellandum sentit, sentit, Papam non esse summum & vnicum Caput Ecclesiæ, ergo &c. Vnde sequitur quòd, quicumque hoc sentit, sentit contra articulum Nicænæ Synodi, vbi dicitur vnam Sanctam Ecclesiam, quia Ecclesia habet vnitatem ex vnitate capitis, Vnde & Ioan. 10. dicit Christus. Fiet vnum ouile,

& vnus Pastor. Si licitum esset appellare à Papa, & ille, ad quem appellatur, esset Caput, Sic Papa non esset Caput, vel essent duo Capita, quod esset monstruosum.

DISQVISITIO VI.

An Concilij super Papam superioritas euinci possit ex Concilij Constantiensis decreto, Sessione quarta edito.

§. I.

Auctor Regalis Sacerdotij cit. lib. 3. §. 16. n. 1. sequentia ad præsens institutum consideratu digna ex Concilio Constantiensi profert decreta. Primum est ex Sessione 4. & 5. vbi definitum extat: Concilium Vniuersale potestatem immediatam à Christo habere cui quilibet cuiuscumque dignitatis, & conditionis sit, etiamsi Papalis, obedire teneatur; Secundum est ex sessione 15. vbi Concilium varijs honoribus afficit Gregorium XIII. eò quòd sponte renunciasset Papatui, declaratque; eum gratijs, & priuilegijs Concilio acceptis, nec à futuro Papa, nec à Concilio priuari posse. Tertium est ex Sessione 39. vbi Synodus præcipit futuris Summis Pontificibus, vi singulis decennijs Concilium generale cogant & si contingat duos insignia Pontificalia induere, iubet sub interminatione Diuinæ maledictionis, vt continuò renuntient, & nisi faciant, eos priuat omni iure, quod ad Papatum haberent, inhabilesque reddit ad omnes in futurum dignitates. Quartum denique est ex sessione 45. sub initium, vbi Oratores Regis Poloniæ, & Magni Ducis Lithuaniæ Martino V. Contifici supplicant, velit libellum quendam & opiniones Ioannis de Falchenberg hæreticas, & in Concilio publicè damnatas declarare, nisi faciat, suorum Principum nomine se ad futurum Concilium appellaturos.

Hisce opponit præcitatus Auctor plura ex Concilio Constantiensi argumenta, ex quibus ostendi valeat, Synodum illam stetisse pro superioritate Papæ certi, ac indubitati. Tum quòd Concilium istud, electo Martino V. nihil ampliùs, vti ante electionem, statuerit, definiuerit, seu prohibuerit, sed omnia nomine electi Pontificis, ab eoque deinceps, sacro approbante Concilio, sint constituta, certo sanè argumento, Concilij potestatem, electo iam Pontifice, cessasse, & consequenter Concilium non esse supra Papam; cùm potestas superior, præsente minori, non cesset, sed hæc potiùs illi cedat. Tum quia sessio. 15. & 17. Pontifici futuro, & indubitato reseruatur potestas dispensandi in ijs, quæ Concilio statuta sunt, relaxandique censuras ab eodem fulminatas. Et sess. vlt. expresse definitur, supremam in Ecclesia potestatem non esse penes Concilium, sed Papam, quod omninò foret falsum, si Papæ præferretur Concilium.

Exinde idem Auctor validè confutat quæ in contrarium adducebantur, argumenta, ostendens allata ex sess. 4. & 5. ac 15. non aliter accipienda esse, nisi de casu schismatis, & Pontificis dubij, quippe cùm Synodus, quoties de potestate Concilij supra Papam loquitur, semper restringat ad præsens Concilium qua processurū ad schismatis tunc grassantis extirpationem. Sic enim habetur in sess. 4. [Hæc sancta Synodus Constantiensis, & Generale Concilium faciens, pro extirpatione præsentis schismatis, & vnione, ac reformatione Ecclesiæ Dei in Capite, & in membris fienda.] Et paulò post. [Et primò, quòd ipsa Synodus in Spiritu sancto congregata, legitimè Generale Concilium faciens Ecclesiam Catholicam militantem repræsentans, potestatem à Christo immediatè habet, cui quilibet, cuiuscumque status, vel dignitatis, etiamsi Papalis existat, obedire tenetur in his, quæ pertinent ad fidem, & extirpationem dicti schismatis, reformationē generalem Ecclesiæ Dei in Capite, & in membris.] Et in sess. 5. ita habetur: [Declarat Synodus, quòd ipsa in Spiritu sancto legitimè congregata, Concilium Generale faciens, & Ecclesiam Catholicam repræsentans, potestatem à Christo immediatè habet, cui quilibet cuiuscumque status, vel dignitatis, etiamsi Papalis existat, obedire tenetur in his, quæ pertinent ad fidem, & extirpationem dicti schismatis, & reformationem dictæ Ecclesiæ in capite, & in membris.]

[Item declarat, quòd quicumque, cuiuscunque conditionis, status, dignitatis, etiam Papalis, qui mandatis, statutis, seu ordinationibus, aut præceptis huius sacræ Synodi, vel cuiuscumque alterius Concilij generalis legitimè congregati, super præmissis, seu ad ea pertinentibus factis, vel faciendis obedire contumaciter contempserit, nisi resipuerit, condignæ pœnitentiæ subijciatur, & debitè puniatur, etiam ad alia iuris remedia, si opus fuerit, recurrendo.] Vult ergo Concilium apertè innuere, se in casu tantùm schismatis, & Papæ incerti potestatem habere, cur enim aliàs toties, & tam constanter adiecit illam restrictionem: In his, quæ pertinent ad fidem, & extirpationem dicti schismatis, si extra casum schismatis, dubijque Pontificis, eam potestatem sibi vendicabat? Nec enim ignorabant Patres, inclusionem vnius exclusionem esse alterius ex vulgatissima Iuris regula. Videtur planè laborasse Concilium, vt sæpius reperita eadem restrictione, intelligeretur de superioritate in Papam non absoluta, sed tantùm in casu excepto. Hinc in Bulla Martini V. sacro approbante Concilio facta, quæ habetur sess. vlt. inter aliàs propositiones, quæ suspectum aliquem hæresis Hussitiæ faciunt, etiam hæc ponitur: [Papa canonicè electus, non est successor Petri, nec habet in EcclesiaDei supremam auctoritatē.] Agnoscit ergo Concilium supremā in Pontifice auctoritatem, non autem suprema esset, si aliā haberet, cui subesset: tunc enim suprema potestas non Papæ, sed Concilij foret: sicut enim cœlum Empyreum supremum dicitur & ignis supremum elementum, & tectum suprema pars domus; quia supra se aliud in genere suo superius non habent, ideo, & suprema pote-

potestas in Pa , quia nulli subest ; sicut etiam in Republica , qualis erat olim Romana , & statu Democratico, nemo dixerit, supremam potestatem esse penes Consules , aut Senatum ; sed penès populum : in Aristocratia verò penes Senatum , & Magnates .

Ad ea porrò , quæ ex dictæ Constantiensis Synodi sess. 39. & 45. fuerunt in contrarium allata , prællegatus Auctor in dicto §.16.respondet in hunc modum, statuisse quidem Concilium singulis decennijs Concilia Vniuersalia indici , sed nullo modo in futuro Pontifici imperare, aut voluisse , aut potuisse: quamquàm in Concilio sit potestas, statuendi leges, quæ etiam Pontificem quoad vim directiuam obligent ; maximè cùm ordinantur ad obseruantiam Diuini , & naturalis iuris, earumque transgressio pacem , quietemque publicam offendit : qua ratione , quamuis nemo sibi subiectus sit, seque ipso inferior , communis tamen sententia habet , Principem suis legibus obligari . S.Thomas 1. 2.q.96.a.5.ad 3.Suarez l.3. cap. 35. de leg. S. Ambros. lib.5.ep.32.& sumitur ex Matthæi cap.23.cap.quæ contra d.8. cap. Iustum. d.9.cap. cùm omnes. De constit.ff.Quod quisque iuris l. Digna vox . C. de leg. l. 23.de legat.3.Ad appellationem à Papa ad futurum Concilium, nomine Regis Poloniæ factam, non potest meliùs responderi, quàm ipse Martinus V. responderit , vt habetur in Actis Concilij sess. 45. cùm enim animaduerteret , Legatos Poloniæ, & Lithuaniæ ex Synodi Constantiensis doctrina animos sic appellandi sumpsisse : vt ad ipsas radices securim poneret , continuò respondit : [Se, quæ in puncto fidei contra Wicleffum , & Husum à Patribus essent Conciliariter decreta , sanctè obseruaturum , & rata, & confirmata habere: non verò,quæ ad fidem non pertinerent, aut quæ non Conciliariter , hoc est , cum debito examine , discussione , initisque suffragijs, essent definita.] Nec contentus Papa hæc appellantibus Legatis , & Concilio præsentibus respondisse, voluit insuper hanc suam protestationem, & responsionem in Acta publica Concilij referri , & ab eiusdem Concilij Notarijs, & Actuarijs solemnia, & authentica instrumenta confici : & re ipsa in Bulla, Concilij confirmato iam, quæ ad calcem vlt. sess. habetur . Martinus V. ex Actis in Concilio Constantiensi nihil aliud confirmauit, quàm damnationem errorum Wicleffi , & Hussi à Patribus Synodaliter factam . In quo Martinus V. suorum Prædecessorum exempla imitatus est, nam & Leo sanctissimus Papa , & tot encomijs à Patribus Chalcedonensibus cumulatus,noluit, Concilium Chalcedonense , nisi quoad illa, quæ in materia fidei sancita fuerant, confirmare , vt videre est in epistola eiusdem B. Leonis circulari ad Patres Concilij 61. & ad Anatolium 45. quæ habent tom. 2.Concilium verùm,vt ex verbis ipsius Concilij Constantiensis res meliùs intelligatur, credaturque , placuit ea hic attexere . Sic ergo sess.45.& vlt. sub initium habent: [Quibus sic factis , sanctissimus Dominus noster Papa dicit , respondendo ad prædicta , quòd omnia, & singula determinata , conclusa, & decreta in materia fidei per præsens Concilium Conciliariter tenere, & inuiolabiliter obseruare volebat , & numquam contraire quoquo modo : ipsaque sic Conciliariter facta approbat , ratificat, & non aliter, nec alio modo . Et illud iteratò fecit dici per organum D.Augustini de Pisis, Fiscalis,& sacri Cõsistorij Aduocati prædicti, qui nomine Papæ à Prothonotarijs ad scribendum Acta Concilij ordinatis , & deputatis , petijt instrumenta publica fieri .]

His taliter constitutis , idem Auctor tandem concludit in hæc verba . Cùm igitur ea sententia, quæ Concilium Pontifici præponit, non tantùm de fide non sit , sed etiam à communi Doctorum , praxi Ecclesiæ, testimonijs Patrum , sacræque Scripturæ plurimùm aliena sit , imò à sanctis etiam Patribus grauiter perstricta, & à Concilio licèt asserta, numquam tamen confirmata fuerit à Martino V.qui expressè professus est , sibi animum non esse , Concilium confirmandi , nisi quoad illa , quæ fidei sunt . Idcircò non videri , qua ratione Patres Conuentus Parisiensis inducti fuerint , vt dicerent : [Non probari ab Ecclesia , qui Decreta Concilij Constantiensis sess. 4.& 5.ad casum schismatis detorquent , eorumque robur constringunt , tamquam sint dubiæ auctoritatis,minusq; approbata .] Quasi verò nos decreta Concilij ad casum schismatis restringamus ; & non ipsum Concilium , tot tam claris , tamque repetitis verbis restringat, vt planè vim Concilio faciat , qui ad hunc casum schismatis non restringit : aut Concilium illi detorqueant, qui nihil Concilio addi volunt , nihil detrahi,sed ipsum eo sensu intelligi , quo loquitur : Verba Concilij sunt sess.4. [Ipsa Synodus in Spiritu sancto legitimè congregata disponit,statuit , decernit , declarat , vt sequitur : & primò quòd quilibet , cuiuscumque status , vel dignitatis , etiamsi Papalis existat , obedire tenetur in his , quæ pertinent ad fidem, & extirpationem dicti schismatis , & reformationem generalem Ecclesiæ Dei in Capite, & membris .] Eadem repetuntur Sess. 5. vbi videmus , Concilium ipsum suam definitionem limitare ad casum , & statum , in quo tunc temporis Ecclesia versabatur ; si enim limitatione voluisset, poterat tot verbis pareere, & absolutè dicere : [Teneri Papam Concilio Vniuersali obedire .

Quibus ita se habentibus , duo præcipua hic veniunt discutienda . 1. An vi primi in Constantiensis Synodi Sessione 4. [editi decreti fuerit acephalo huic Concilio potestas à Christo immediatè proueniens , ad procedendum aduersùs Papam dubium ? 2. Vtrùm decretum Constantiensis Synodi in quarta Sessione editum de Concilij superioritate supra Papam, sit restrictum ad statum Papæ dubij , & incerti , ac tempus durantis schismatis .

Refer-

§. II.

Referuntur argumenta circa quartæ Sessionis Constantiensis Concilij primum decretum.

HVius difficultatis status singulariter dependet ex ijs, quæ inter Maymbourgum ex parte Gallicani Conuentus Ecclesiastici, & Emanuelem à Schelstrate ex parte sacræ Vaticanæ Bibliothecæ, siue ex huius Manuscriptis fuerunt in certamen deducta. Hic nempe Bibliothecæ Vaticanæ Præfectus anno 1683. ediderat dissertationem, in qua ex indubitatæ fidei manuscriptis codicibus ostendebat, tantum abesse, quòd decreta Constantiensia ab Oecumenica Synodo fuerint edita, & comprobata à Sede Apostolica, vt potiùs constet, quòd decretum primum Sessionis quartæ ex compilatione Basileensium corruptum, ad manus nostras peruenerit sub hoc tenore: [Primò declarat, quòd Synodus in Spiritu sancto congregata, legitimè Generale Concilium faciens, Ecclesiam militantem repræsentans, potestatem à Christo immediatè habet, cui quilibet, cuiuscumq; status, vel dignitatis, etiamsi Papalis existat, obedire tenetur in his, quæ pertinent ad extirpationem dicti schismatis, & reformationem Generalem Ecclesiæ Dei in capite & in membris.] Ipsissimum hoc decretum renouatur in sess. 5. dictæ Synodi, eidemque subijcitur alterum, cuius, iuxta Basileensium compilationem, tenor, præcit. §. 1. num. 5. refertur. De quibus proinde Sessionis 4. duobus decretis, præcitatus à Schelstrate ostendit, edita fuisse: contra protestantibus Cardinalibus, & Regis Galliæ Oratoribus, omniaque insuper à Concilio nondum Vniuersali fulsse pronuntiata, quæ proinde ab ipsius Constantiensis Concilij Patribus post trium obedientiarum vnionem non sint recepta, & ab ipso etiam Martino V. infirmata.

Hanc Vaticanæ Bibliothecæ Præfecti dissertationem oppugnandam suscepit anno 1686. Maymbourgus in suo historico de Romana Ecclesia tractatu à cap. 22. vsque ad cap. 26. illum coarguens, quòd in ea destruere voluerit, quidquid à Galliæ Clero de decretis Constantiensibus erat statutum, adiungens deinde, quòd acta authentica Concilij Constantiensis, & Basileensis perperam traducat. Huius igitur inter Maymbourgum, & Emanuelem à Schelstrate concertationis argumenta, & responsiones sub forma methodica aliqualiter reducta, priùs audire placeat, vt propositæ difficultatis status ex solidis fundamentis tandem valeat determinari.

ARGVMENTVM.

Ex parte Maymburgi vbi supra oppositum.

HIc igitur Gallicus Auctor argumentatur in hunc modum. Quamuis gesta, & acta authentica, quæ Concilijs Constantiensi, & Basileensi continentur, omnium manibus terantur, ac pius, quàm à ducentis sexaginta annis pro verissimis habita sint, nec quisquam toto illo tempore se vnquam ijs opponere somniauerit, voluisse tamen Emanuelem à Schelstrate sibi disputare hanc legitimam pacificam possessionem.

Responsio.

Ad hanc obiectionem respondet prænominatus Vaticanæ Bibliothecæ Præfectus recte animaduertendo, præsentis concertationis statum redaci ad hoc punctum; An scilicet Constantiensis Concilij decretum sess. 4. factum, & ex Basileensium compilatione editum, fuerit adulteratum? Maimbourgus ex rationibus inferiùs deducendis contendit, non solùm Basileenses sincera fide vsos, nihil addidisse, nihilque detraxisse de verbis illius Decreti, sed & genuinam esse lectionem, quæ ex ipsorum compilatione posterorum memoriæ consecrata fuit. E contrario Emanuel à Schelstrate in tract. de Decretis Constantiensibus dissert. 1. cap. 1. duo in se suscepit, quorum primum est, quòd acta Constantiensia ex Basileensium compilatione primùm ad manus nostras peruenerint. Cùm enim Basileenses post electionem Felicis V. in locum Eugenij IV. per ipsos assumpti vidissent auctoritatem suam contemni, & toto orbe Catholico diminui cœpisse, eam Actis Constantiensibus restituendam esse crediderunt; & illorum compilationem septem è suis ad id specialiter deputatis mandarunt. Compilatione itaque à Deputatis facta, pauci, qui Basileæ permanserant, illam auctoritate sua roborarunt, & speciali Bulla eidem partim præfixa, partim postposita præceperunt, compilationi sic eamdem fidem adhibendam esse, ac si ab ipsis Patribus Constantiensibus facta, & eorumdem Bulla authentica munita esset: [Statuimus, inquiunt, ac decernimus, & mandamus, quatenus præfatis decretis, Gestis superiùs insertis in iudicijs, & extra vbicumque producta, exhibitaque fuerint, vel ostensa, in omnibus, & per omnia stetur, ac fides plenaria adhibeatur, perinde ac si Bulla eiusdem Constantiensis Synodi bullata forent; nec ad illorum probationem aliud adminiculum quomodolibet requiratur...] Datum Basileæ pridie Nonas Februarij Anno à Natiuitate Domini 1442.

Ita Basileenses in ea parte Bullæ, quæ compilationi Actorum Constantiensium à Deputatis suis factæ, subiungitur. Cùm autem Actorum istius compilationis exemplar authenticum cum Bulla plumbea in corda serici prudente asseruatum fuisset in Germania vsque ad annum 1490. eo ipso anno Ioannes Huober ex Inderdorff Artium Liberalium Magister, & sacræ Theologiæ Baccalaureus, illud propria manu descripsit, eiusque copiam cum Originali conuenire, testatus est Mathias Steinbach publicus auctoritate Apostolica Notarius, vt patet ex hoc eius testimonio: [Concordant Sessiones, & Decreta suprascripta sacri Generalis Concilij Constantiensis cum exemplari de pergameno Bulla plumbea sacræ Generalis Synodi Basileensis modo, forma, & Notario, quibus supra, bullato, & auscultato, facta vna cum præfato

Eeee Magi-

Magistro Ioanne infrascriptorum Scriptore collatione diligenti per me Matthiam Steinbach Clericum Eistettensis Diœcesis, publicum sacra Apostolica auctoritate Notarium subscriptum, rogatum, & requisitum, in fidem, & testimonium omnium, & singulorum præmissorum redacta in 23. folijs præsenti in numero computato, quod protestor manu, & sigillo solito meis proprijs.] Extat hoc testimonium in Constantiensis Concilij editione; quæ anno 1500. in Imperiali oppido Hagenovv ad fidem supradictæ copiæ cum Originali fideliter collatæ typis prodijt.

Atque hæc est omnioò prima Actorum Constantiensium editio, quæ vt ex compilatione Basileensium primùm typis descripta apparuit, ita & in sequentibus editionibus seruata fuit, vt post diligentem earum collationem cuique constabit. Prima enim editio nullo verbo addito, nullo detracto, anno 1511. opera Zachariæ Ferrerij Abbatis Vicentini, annis 1524. & 1535. Parisijs cura Iacobi Merlini Doctoris Sorbonici, vti & anno 1530. Coloniæ typis Quentelianis iterum excusa fuit. Petrus Crabbe, qui post has Actorum Constantiensium editiones anno 1538. nouam Conciliorum collectionem duobus Tomis in folio edidit, eamdem planè compilationem Actorum Constantiensium seruauit, sed addito ad Decretum primum Sessionis quartæ verbo ad fidem, quod in præcedentibus editionibus deerat, & adiunctis per modum Appendicis plurimis alijs, quæ in manuscripto Codice Coloniensi inuenerat, cum quibus à cæteris Conciliorum Collectoribus Synodi Constantiensis Acta subinde typis descripta fuerunt. Hoc tamen diligenter posteriores obseruarunt, quòd Acta, quæ Petrus Crabbe ex manuscripto Codice Coloniensi in Appendicem retulerat, illi iuxta textum suis locis diuerso charactere inseruerint. Compilationem enim Actorum Constantiensium à Basileensibus factam semper integram, & intactam seruare voluerunt Conciliorum Collectores, qui, licet priorem partem Bullæ Basileensium abstulerint, in huius tamen veritatis confirmationem posteriorem partem retinuerunt. Videri possunt collectio Conciliorum, quæ anno 1588. Venetijs prodijt apud Nicolinum: Collectio Conciliorum, quæ Romæ anno 1628. typis Reuer. Cameræ Apostolicæ quatuor Tomis in folio excusa fuit: Editiones Conciliorum Colonienses, quas Seuerinus Binius post Romanam adornauit: Collectio Conciliorum LupaRea, quæ triginta septem ingentibus Tomis ex Typographia Regia Parisijs edita fuit: Labbeiana demum, quæ quarta parte auctior publicam lucem aspexit: manifestumque fiet in his omnibus editionibus posteriorem partem Bullæ Basileensium, & testimonium Notarij Apostolici suprà relatum nunquam omissa fuisse, sicque verum esse, quòd in dissertatione mea nuper annotaui, Decreta Constantiensia, prout ad manus nostras peruenerunt, à Basileensibus compilata fuisse.

Alterum proinde, quod dictus Emmanuel à Schelstrate probandum suscepit, in eo se tenet, quòd in primum Constantiensis Concilij Sessionis IV. decretum ex prima per Basileensium superiùs relatam compilationem anno 1500. facta editione duo irrepserint errores, quorum primus consistit in omissione vocis ad fidem, quam adesse debere, ex manuscriptis Constantiensis Concilij codicibus ostendauerat ille Vaticanæ Bibliothecæ præfectus. Secundus verò error consistit in additione illorum verborum: [Et ad reformationem Ecclesiæ Dei in Capite, & in membris, quæ abesse debere, sic ostenditur.

Tres nempe codices manuscripti, continentes Acta Constantiensis Concilij à Notarijs ipsius conscripta, ex quibus Basileenses decreta compilarunt, non habent illa verba in primo decreto Sessionis quartæ: Et ad reformationem generalem Ecclesiæ Dei in Capite, & in membris. Codices quatuor manuscripti, continentes Gesta indubitata Constantiensis Synodi, quorum duo circa ipsius Constantiensis Concilij tempus conscripti sunt, licèt habeant multò plura, quàm hactenus edita, nullam tamen mentionem faciunt in Decreto Sessionis quartæ de reformatione Ecclesiæ in Capite, & membris. Quinimò in vno ex istis Codicibus post hæc Decreti verba: Ad fidem, & extirpationem dicti schismatis, notatum erat: Iste (nimirum articulus) imperfectè fuit factus, vt sequitur, ideo suppletur in Sessione sequenti, Quibus indicatur, clausulam de reformatione Ecclesiæ in Capite, & in membris, abesse debere à Decreto primo Sessionis quartæ, ideoque illud Decretum renouatum fuisse in Sessione quinta, in qua solummodò clausula illa adiungenda est, vt statim videbimus. Duo demum Codices, continentes Regestum Actorum Constantiensis Concilij, quorum vnus circa tempus ipsius Concilij scriptus, spectauit ad Eminentissimum Cardinalem Sirletum, alius antiquo charactere Italico conscriptus est, licèt omnia Acta contineant à prima Sessione vsque ad electionem Martini V. nullam tamen mentionem faciunt in Decreto Sessionis quartæ de reformatione in Capite, & in membris. Cæteros, quos vidi, Codices recentiores prætereo, in quibus tamen omnibus prædicta verba desiderantur, vt indubitatum sit, à Basileensibus erroneè Decreto Sessionis quartæ adiuncta, & à Collectoribus Conciliorum errore Basileensium deceptis, typis fuisse edita.

Exceptio Maymbourgi.

Excipit hic Auctor c. 23. suæ hist. p.235. non quidem primum negando errorem, sed secundum, atque verba illa de reformatione Ecclesiæ in Capite, & in membris decreto Sessionis quartæ adesse debere, tam pertinaciter contendendo, vt codices ab illo de Schelstrate citatos pro nihilo ducens, errorem Basileensibus ab ipso tributum, verterit eidem in crimen. [Vnde, inquiens, ipse habet, quòd codex manuscriptus, quo pro compilatione Actorum vsi sunt Basileenses, non continuerit ista verba. Quare sine certa causa accusat illos imposturæ? Nonne quotidie videmus, quòd plures manuscripti codices eiusdem operis differant, sic vt reperiatur in vno, quod omissum erat in alio, & quòd hac ratione corrigantur.

Res-

Reſponſio.

Emmanuel à Schelſtrate cit. c. 1. pag. 21. reponit, totum hoc poſſe obijci etiam de voce Fidei, cuius tamen omiſſionem à Maymbourgo tribui potiùs tabellario, quàm Baſileenſibus. Vnde enim hic Auctor accepit, quòd codex manuſcriptus Baſileenſium, ex quo prima editio Actorum Conſtantienſis Synodi prodijt in Imperiali oppido Hagenovv, habuerit vocem fidei? Quare ſinè certa ſcientia accuſat tabellarium erroris? An ignorat forſan, quòd copiam ex manuſcripto ipſorum Baſileenſium manu Ioannis Huober ex Inderdorff ſacræ Theologiæ Baccalaurei extractam, cum ſuo Originali concordare teſtatus ſit Matthias Strinbach publicus auctoritate Apoſtolica Notarius? Cur ſine firmo fundamento Notarij Apoſtolici fidem non ſolùm in dubium reuocat, ſed apertè ſugillat, eumque, qui pro veritate ex officio teſtimonium tulit, falſitatis arguit? An ignorat quoque, poſt decem annos à prima editione Acta Conſtantienſis Concilij ex Baſileenſium compilatione veniſſe ad manus Zachariæ Ferrerij Abbatis Vicentini, quòdque ipſe in editione Mediolanenſi anni 1511. non ſolùm omiſerit vocem fidei in primo Decreto Seſſionis quartæ, ſed & illud ipſum in compendium redigens, his verbis retulerit: Quòd Conſtantienſe Concilium poteſtatem habet immediatè à Chriſto, & eidem quicumque, etiam Papalis dignitatis, ſubijcitur in pertinentibus ad extirpationem ſchiſmatis, & reformationem Eccleſiæ in Capite, & membris. Hic D. Maymbourg videre poterat, Abbatem Ferrerium non magis in compilatione Baſileenſium vocem Fidei inueniſſe, quàm Matthiam Strinbach publicum auctoritate Apoſtolica Notarium. Nonne legit Merlinum Doctorem Pariſienſem, quòd eodem modo iuxta Baſileenſium compilationem omiſerit vocem fidei in collectione Conciliorum editionis Pariſienſis anni 1524. apud Gallionum à pratis, Colonienſis anni 1530. ex Ædibus Quentelianis, & Pariſienſis anni 1535. apud Franciſcum Regnauit?

Hi autem omnes, cùm Acta Conſtantienſis Concilij iuxta Baſileenſium compilationem ediderint, quid reſpondebit D. Maymbourg, ſi ab ipſo petatur, vndenam habeat, Tabellarium potiùs, quàm ipſos Baſileenſes vocem fidei in Decreto primo Seſſionis quartæ omiſiſſe? Nonne fateri debuit, hoc gratis, & ſine vllo fundamento ab ipſo aſſertum eſſe? Numquid negare poterit, me rectiùs eorum, qui compilationem Baſileenſium viderunt, teſtimonio innixum dicere potuiſſe, in ea perperàm omiſſam eſſe vocem fidei, quam in Manuſcriptis Conſtantienſis Concilij codicibus ante tempora Baſileenſium conſcriptis extare conſtat; proindeque à Petro Crabbe anno 1538. in editione Conciliorum non immeritò adiunctam fuiſſe?

Sicut autem quoad omiſſionem vocis fidei, ita quoad clauſulam: De reformatione Eccleſiæ in Capite, & in membris, Decreto primo Seſſionis quartæ à Baſileenſibus adiunctum errorem irrepſiſſe, ex ijſdem manuſcriptis codicibus Conſtantienſis Concilij, niſi mea me fallat opinio, oſtendere licuit. Neque percipere potui, quid ſibi velit D. Maymbourg, dum mihi varias Codicum lectiones obijcit, ac ſi negaſſem, reperiri poſſe in vno, quod deeſt in alio: quaſi verò ego ipſe non oſtendiſſem, in Actis Conſtantienſis Concilij reperiri vocem fidei, quæ omittitur in compilatione Baſileenſium, & è contra in Actis Conſtantienſibus non reperiri clauſulam de reformatione, quæ in compilatione Baſileenſium adiungitur. An fortè credit, manuſcriptos codices reperiri poſſe, in quibus aliquid deeſt, quod ex alijs ſuppleri debeat: & reperiri non poſſe, in quibus aliquid adiunctum fuit, quod omitti debuerat? Vltimum circa clauſulam de reformatione in compilatione Baſileenſium contigiſſe, ex manuſcriptis indubitatę fidei codicibus, Acta Concilij Conſtantienſis continentibus, clariùs monſtraueram, quàm vt negari potuerit. Iam enim non modò oſtenderam, illa verba in ijs deeſſe, ſed poſitiuè probaueram, ea planè excludi debere.

Replicatio Maymbourgi.

PErgit hic Auctor loco proximè citato. Cùm varia ſint Acta Conſtantienſis Concilij, omneſque codices manuſcripti non eamdem Actorum collectionem contineant, petendo ab eodem Vaticanæ Bibliothecæ Præfecto: [Vnde habeat, quòd codex manuſcriptus, quo pro compilatione Actorum Conſtantienſium vſi ſunt Baſileenſes, non continuerit illa verba, quæ primo decreto quartæ Seſſionis indebitè adiecta fuiſſe prætendantur?

Reſponſio.

Emmanuel à Schelſtrate pag. 24. huic obiectioni reponit, hoc euinci ex eo, quòd tres codices manuſcripti continentes Acta Conſtantienſis Concilij à Notarijs conſcripta, ex quibus Baſileenſes decreta compilarunt, non habeant illa verba, in illo primo Seſſionis quartæ decreto ita ſonantia: [Et ad reformationem Generalem Eccleſiæ Dei in Capite, & in membris.] Num enim potuiſſet clariùs quid aſſeri, ad probandum, vnde habeatur, verba illa, quibus Baſileenſes vſi ſunt, deeſſe? Baſileenſes namque vſi ſunt Actis à quatuor Prothonotarijs Conſtantienſis Synodi collectis, vt in titulo ſuæ compilationis ipſimet fatentur: in Actis autem, quæ ab ipſa Conſtantienſi Synodo per Protonotarios ad id deputatos collecta fuerunt, verba illa deeſſe, ex tribus eiuſdem collectionis manuſcriptis codicibus probaui: neque quidquam, vt puto, ad confirmandam rem noſtram expreſſiùs dici, vel afferri potuit. Ne autem quiſpiam ſuſpicetur codices à me ſuprà allatos dubię fidei cenſendos eſſe monere placuit, illos antiquiſſimos eſſe, & inter eos reperiri, qui aute tempora Baſileenſis Concilij ſcripti fuerunt, contra quos ne vnum quidem antiquum codicem manuſcriptum, Acta à quatuor Notarijs Con-

stantiensis Concilij scripta continentem, D. Maimbourg attulit, sed nec vnquam adferre poterit, in quo Decretum primum Sessionis quartæ cum clausula de reformatione exhibetur.

Quamuis autem vel sola Acta Notariorum Constantiensium sufficere debuissent, ad Basileensium compilationem erroris conuincendam, volui tamen in Dissertatione mea alios manuscriptos codices adferre: prioribus namque tribus adiunxi quatuor alios indubitæ fidei, Gesta Constantiensia continentes, quorum duos circa tempus ipsius Concilij scriptos fuisse, constat. Citaui insuper duos Codices antiquissimos, Regestum Constantiensis Synodi continentes, quorum vnus circa tempus Constantiensis Concilij scriptus ad Eminentissimum Cardinalem Sirletum spectauit, alter antiquo charactere Italico exaratus est, in quibus eadem verba desunt in decreto 1. Sessionis 4. Quod si hi non sufficiant, adiungere possum celeberrimum codicem Capranicensem, qui ad vsum Cardinalis de Capranica Basileensis Concilij temporibus scriptus videtur, & quo Philippus Labbæus sæpius vsus est in Appendice ad Synodum Constantiensem, in hoc enim, vt in reliquis omnibus supra citatis deest clausula [De reformatione Ecclesiæ in Capite, & membris] Accedit alius codex planè antiquissimus, qui ex Bibliotheca Eminentissimi Cardinalis Ludouisij in Bibliothecam Eminentissimi Cardinalis Otthoboni migrauerat, eiusdemque Romanæ Ecclesiæ Principis liberalitate in Bibliotheca Vaticana repositus fuit, in quo eadem omninò desiderantur. Demum omissis alijs, testari possum, quòd inter omnes manuscriptos codices Constantiensis Synodi, quos magno numero me vidisse contigit, nullum reperetim, in quo verba illa habeantur, preterquam vnum recentiori manu ex Sirleti codice transcriptum, in quo Tabellarius, cùm Originale difficili charactere exaratum esset, Acta ex editis codicibus descripsit, & verba illa contra fidem Originalis manuscripti Decreto primo Sessione quarta adiunxit.

Instantia Maymbourg

Auctor iste pag. 236. instat, se reperisse in Gallia codicem manuscriptum Constantiensis Concilij, qui verba illa, ad reformationem Ecclesiæ in Capite, & in membris, habeat adiecta ad finem decreti Sessionis quartæ [Hoc ipso momento, inquit, quo hæc scribo, in mea commoratione apud S. Victorem Parisijs, vbi annuentibus Dominis Canonicis Regularibus huius Regalis Monasterij, mihi delegi secessum honestum, & professioni, ac modo viuendi conformem, præ oculis habeo celebre illud Manuscriptum famosæ ipsorum Bibliothecæ, ex quo D. Spondanus desumpsit rariora historiæ suæ de Constantiensi Concilio, de quo procul dubio pulcherrimus est magni sui operis locus. In hoc itaque manuscripto, quod est antiquissimum eorum, quæ haberi possunt, lego hoc Decretum de verbo ad verbum, sicut est in Actis typis descriptis, & in vltimis editionibus, quæ exactiores sunt, & correctiores. Sed ecce, quòd magis vrget. Habemus in istis manuscriptis sancti Victoris extractum Sessionum, quas, vt celebrabantur, illi, qui pro parte Nationis Gallicæ Concilio aderant, Lutetiam mittebant. Et Decretum hoc Sessionis quartę affertur ibi eodem modo, quo illud habemus D. Schelstrate dicente, Concilium Basileense, quod pluribus annis post Constantiense habitum fuit, hæc extracta corrupisse? Quid ad ista respondere poterit]

Responsio.

Emmanuel à Schelstrate præf. pag. 29. reponit in hæc verba: Quid respondere possim, inquit Maymbourgus, ac si duorum Manuscriptorum suorum testimonia irrefragabilia essent, posterioris auctoritati nihil opponi valeat, cùm tamen facillimè ei satisfiat. Si enim verum est, quod obseruat, quosdam pro Natione Gallica Constantiæ existentes, Acta Sessionum eo modo Lutetiam misisse, quo in illo codice continentur. Respondeo, à Natione Gallicana præcipitanter conclusum fuisse, vt Decretum cum istis verbis Sessione quarta publicaretur, & Decretum illud eo modo in ipsa Sessione Cardinali Florentino, vt publicè ab eo legeretur, oblatum fuisse. Cardinalem tamen, cùm inter legendum ad illa verba: De reformatione venisset, & vt testatur Panormitanus in tractatu, cui titulus est: Sententia finalis, noluisse illa verba legere, tamquam præter communem deliberationem addita: Decretum autem ab ijs, qui, pro Natione Gallicana Constantię erant, Parisios missum fuisse, prout in Natione sua conclusum erat, & ita facilè auctorem codicis S. Victoris Parisijs commorantem decipi potuisse, qui ipsemet conqueritur de inuerso quandoque ordine eorum, quę de Actis Constantiensis Concilij in Codice suo descripserat. Quod vltimum, si D. Maymbourg quærat, vnde habuerim, id à fidissimo, & oculato teste me accepisse, reponam, & si necesse sit, nomen eius adducam. Ipse interim codicem suum reuidere poterit, ad cuius auctoritatem confirmandam pag. 237. ita contra Manuscripta à me allata subiungit. Ne demum nobis opponendam putet multitudinem suorum Manuscriptorum, numerat enim vsque ad nonem dicam ipsi; Parisijs plus quàm decem reperiri, quæ consonant huic codici sancti Victoris, qui vel solus pluris valeat, quàm omnes sui. Verùm fallitur D. Maymbourg, & de re sibi incomperta loquitur: licèt enim codicem sancti Victoris meritò cæteris Manuscriptis Parisijs asseruatis, quæ se vidisse asserit, præferre potuerit immeritò tamen codicibus manuscriptis à me citatis, quos numquam vidit, præponi debere contendit, cum vix vllum codicem manuscriptum citauerim, qui non præstet codici sancti Victoris ab ipso allato, nec mihi solùm, sed & alijs notissimo.

Cæterùm hæc responderi possunt, supposito, quòd D. Maymbourg verum dicat de clausula in codice sancti Victoris adiuncta,

quod ideo repeto, non quia suspicari licet de non adhibita sufficienti diligentia, cuius defectu ipse deceptus fuit, & Sessionem quartam cum quinta confundit. Etenim mentem meam clarè exponam, vix credere possum, verba de reformatione Ecclesiæ in Capite, & in membris, reperiri Sessione quarta in codice sancti Victoris, vel alio quopiam antiquiori ex omnibus ijs, quos Auctor se vidisse, & Parisijs asseruari, testatus est. Neque mihi imputare debet D. Maymbourg quòd ita de scriptis suis sententiam, sed sibi, quando tam asseueranter pro se citat Ioanem Gersonium Vniuersitatis Parisiensis Cancellarium, cuius verba, tamquam oculati testis, putat esse irrefragabilia.

Obiectio iterata Maymbourgi.

Hic igitur Auctor vbi supra pag. 238. obijcit, quòd Ioannes Gersonius Vniuersitatis Parisiensis Cancellarius, de cuius fide dubitare non liceat, & Manuscripta penes se existant, pluribus in locis referat illud primum quartæ Constantiensis Sessionis decretum, prout habetur in Manuscripto sancti Victoris, & Actis editis, retuleritque illud in sermone facto coram toto Concilio [pro Viaggio Regis Romanorum] vbi cùm integrum recitasset cum hac clausula [Ad reformationem Ecclesiæ Dei in Capite, & in membris] immediatè dixit ad Patres Concilij, exponens opinionem suam his verbis omninò efficacibus [Conscribenda prorsus mihi videtur in eminentioribus locis, vel insculpenda per omnes Ecclesias saluberrima hæc definitio, lex, vel regula &c. Rogo nunc D. Schelstrate, vt mihi sincerè dicat, an audeat credere, Cancellarium Parisiensem tam impudentem fuisse, vt recitasset in sermone coram Patribus Concilij Decretum Sessionis quartæ aliter, quàm ipsimet illud fecerant? Vt adiunxisset impudenter hæc verba [Ad reformationem Ecclesiæ in capite, & in membris] quæ Concilium ipsum non adiunxerat, & ad ipsos subinde locutus fuisset eo modo, quo iam retuli. Habeo illum pro viro nimis honesto, & prudenti, quàm vt vnico momento hæc cogitet. Et nullatenus dubio, quin Deo gloriam tribuat, admittendo, quòd, cùm Gersonius coram toto Concilio recitarit hoc Decretum, sicut est in Actis editis, omninò euidens fit, ita à Concilio factum fuisse, neque vllatenus falsificatum esse, cùm Concilium alioquin illum impudentem falsificatorem explosisset.

Hæc D. Maymbourg, qui iam dicta putat testimonio inuicti, cui nihil omninò opponi potest: adeò certò namque supponit, Ioannem Gersonium Cancellarium Vniuersitatis Parisiensis citasse Decretum primum Sessionis quartæ, vt ne dubitari quidem ea de re fiuat, neque planè victum existimet: prosequitur proinde argumentum, & adiungit alium locum eiusdem Gersonij ex sermone, quem habuit coram Concilio [secunda Dominica post Epiphaniam] ad hunc textum Euangelij [Nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ] Vbi post alia dicit [Numquid non ideo sacra huius Synodi, Constantiensis impugnantur iudicia, quæ sic habent. Primò declarat &c.] Et adducit hic integrè Decretum Sessionis quartæ cum hac clausula [Ad reformationem Ecclesiæ in Capite, & in membris] Ecce inquit subinde ad Patres Concilij, Decretum, quod fecistis. Post hæc autem D. Schelstrate audebitne, adhuc dicere, quòd Basileenses falsificarunt hoc Decretum, adiungendo illi hæc verba Citauerat in margine pag. 239. vltra loca allata ex eodem Gersone tractatum [De potestate Ecclesiastica, tractatum [An, & quomodo liceat ne appellare] Et subiungit pag. 245 Et ne D. Schelstrate dicat, huius Doctoris textum falsificatum esse, adiunctis ei bis verbis [Et ad reformationem Ecclesiæ in Capite, & in membris: declaro ipsi, quòd tractatus [De potestate Ecclesiastica] vbi magnus ille vir hoc Decretum affert, collatus sit cum quatuor Manuscriptis, duobus Bibliothecę sancti Victoris NN. S. & MM. II. vno Collegio Nauarræ, & altero Bibliothecæ D. Colbert sub numero 99. tractatus [An, & quomodò appellare liceat à Summo Pontifice, vbi idem Decretum repetitur, omninò consonet duobus Manuscriptis; vno sancti Victoris Signato NN. 9. & alteri Bibliothecæ Nauarricæ. Quod sermo pro viaggio Regis Romanorum fuerit pariter collatus cum Manuscripto S. Victoris signato in antiquis catalogis NN. II. alio Bibliothecæ Nauarricæ, & vno Bibliothecæ D. Colbert sub num. 99. Quòd demum id, quod legitur in serm. super Euangelium Nuptiæ factæ sunt, vbi Gerson coram Patribus Concilij recitauit Decretum Sessionis quartæ, reperiatur in antiquissimis Manuscriptis sancti Victoris signato NN. 19. de verbo ad verbum, sicut editum est... Et hæc mihi sufficere videntur, vt D. Schelstrate credere cogatur.

Responsio.

Emmanuel à Schelstrate præcitati operis sui pag. 35. reponit sequentia. Cùm in toto toto tractatu Maymbourgi nihil inuenerim toties repetitum, ac tanto labore cum manuscriptis codicibus collatum, quod nunc præ manibus habemus, ex Ioannis Gersonij locis desumptum, operæ pretium iudicaui, loca cum tanto verborum apparatu proposita ex Gersonis operibus adducere, eaque cum verbis anterioribus à D. Maymbourg omissis in medium afferre. Primus itaque Gersonis locus ex sermone ius pro Viaggio Regis Romanorũ desumptus est, vbi sic loquitur [Prima lex siue directio libetans iter nostrũ à primo scãdalo, quæ data est in Sessione publica sexto Aprilis, anni præsentis: Concilium Generale potestatem immediatè à Deo habet, cui quilibet, cuiuscumque status, vel dignitatis, etiamsi Papalis existat, obedire tenetur in his, quæ pertinent ad fidem, & extirpationem schismatis, ac generalem reformationem Ecclesiæ Dei in Capite, & in membris: conscribenda prorsùs esse mihi videretur, &c.] Ex tractatu de potestate Ecclesiastica desumptum est aliud Gersonis testimonium sequens: [Confirmant hanc sententiam statuta, & practicata in hoc sacro Constanticusi Concilio, præsertim

tim 6. Aprilis anni 1415. in Seſſione publica, cuius inter alia ſunt hæc decreta duo prima: & primò declarat, quòd ipſa in Spiritu ſancto legitimè congregata &c.] Item declarat, quòd quicumque, cuiuſcumque ſtatus, vel dignitatis &c. Eadem omnino duo Decreta retulit ſermone habito Dominica ſecunda poſt Epiphaniam, & demùm in tractatu; [An,& quomodo appellare licet à Summo Pontifice, vbi Gerſon agit de determinatione Concilij, quæ multipliciter facta eſt, & practicata, & ſpecialiter in Seſs. publica celebrata die 6. Aprilis,anno 1415.quæ ſic habet inter cetera: & primò declarat, quòd ſancta Synodus in Spiritu ſancto legitimè congregata &c. Item declarat, quòd quicumque &c.]

Hæc ſunt loca Ioannis Gerſonis à Domino Maymbourg allata, quorum priora verba omiſit, quòd forſan ea nihil ad rem facere crediderit, cùm tamen ex ijs quæſtio noſtra decidenda ſit. Agimus enim de Decreto Seſſionis quartæ, quæ celebrata fuit Anno 1415. die 30. Martij, qui tunc incidebat in Sabbatum ſanctum, ſeu Vigiliam Paſchæ, vt fidem faciunt omnia Acta Conſtantienſis Concilij tam edita,quàm inedita,tam in Gallijs,quàm in Italia conſeruata. Gerſonius autem locis ſupra allatis loquitur expreſsè de Decreto, quod anno 1415. die 6. Aprilis in Seſſione publica editum fuit. Dies autem ſextus Aprilis non fuit Vigilia Paſchæ, ſed Sabbatum poſt Paſcha, vt habent Geſta Conſtantienſis Concilij: Seſſio quoque publica ſexti Aprilis non fuit Seſſio quarta, ſed quinta, de qua ſola Ioannes Gerſonius loquitur, vt cognoſci poterat ex ſecundo Decreto de auctoritate coactiua priori ſubiuncto. Cùm namque Ioannes Gerſonius ex eadem Seſſione duo Decreta allegarit,& ſecundum nonniſi Seſſione quinta publicatum fuerit, nimis manifeſtum erat,Gerſonium citaſſe Decretum Seſſionis quintæ, quàm vt id ipſum à quopiam ignorari potuerit.

Iam triumphum canat D. Maymbourg, qui ſe victorem aſſeruit, antequàm pugnauit, meque cedere oportere credidit, priuſquàm in arena conſtitutum aſpexit: [Voila,inquit, ce me ſemble, de quoy obliger M. Schelſtrate à ſe rendre.] Poteratne enim maiori certitudine factum aliquod proponi,cum firmiori de victoria ſecuritate vrgeri, cum plurium verborum apparatu plebi inculcari, quàm illud de Decreto Seſſionis quartæ ex locis Ioannis Gerſonis deſumptum? Quid alij de eo iudicaturi ſint, nolim conijcere, id vnum fateor, me, vbi primò errorem hunc notaueram, ſatis mirari non potuiſſe, quomodo factum ſit, quòd Auctor ille ſcribens de re grauiſſima, tam viſibiliter lapſus fuerit, nemineinque Pariſijs inuenerit, qui in conferendis locis Gerſonis cum manuſcriptis codicibus errorem animaduerterit. Cùm autem vel ex hoc conſtet, D. Maymbourg Seſſionem quartam cum quinta confudiſſe, ſibi imputare debet, quòd non ita facilè ipſi fides habeatur aſſerenti, clauſulam de reformatione in cæteris Manuſcriptis S. Victoris ab eo citatis reperiri in Decreto primo Seſſionis quartæ. Quinimò, dum fatetur, eo modo reperiri in Manuſcriptis S. Victoris, alijſque codicibus, quo à Ioanne Gerſone citatur; Decretum autem cum clauſula: De reformatione ab ipſo Gerſone citetur tamquam Seſſionis quintæ; conſequitur profectò ex ipſius Auctoris verbis, etiam in codicibus ſuis manuſcriptis reperiri Seſſione quinta potiùs, quàm quarta; quod ipſum teſtati ſunt illi, qui plures ex illis codicibus manuſcriptis Pariſijs viderunt, eoſque Decretum primum Seſſionis quartæ ſine mentione: De reformatione continere,aſſeuerarunt: vt nihil ſit, quod me cedere cogat, nihil,quod Manuſcripta à me allata defectuoſa oſtendat; ſed plurimum, vnde D. Maymbourg errorem ſuum hæc legendo agnoſcat, & agnoſcendo corrigat.

Iterata Replicatio Maymbourgi.

Conqueritur iſte Auctor tractatus ſui pag. 234. Emmanuelem à Schelſtrate argumento negatiuo traduxiſſe Baſileenſium fidem.

Reſponſio.

Præfatus Vaticanæ Bibliothecæ Præfectus 1. diſſertat. ſuæ cap. 2. à pag. 40. ita reponit. Quamuis argumentum negatiuum cenſendum non ſit, quod ex codicibus, manuſcripta Acta Conſtantienſis Synodi continentibus deſumpſi, cùm in illis clauſula controuerſa debuiſſet reperiri, ſi Decreto primo Seſſionis quartæ à Patribus Conſtantienſis Synodi adiuncta fuiſſet. Videamus tamen, an aliud protulerim, ex quo de rei veritate conſtare poterat.

Notaueram in Diſſertatione cap. 1. articulo 1. quòd in codice Manuſcripto Conſtantienſis Concilij poſt hæc Decreti verba: Ad fidem, & extirpationem dicti ſchiſmatis, adiunctum erat: Iſte (nimirum articulus) imperfectè fuit factus, vt ſequitur, ideò ſuppletur in Seſſione ſequenti: quibus verbis, vt ibidem notaui, indicatur, clauſulam: De reformatione Eccleſiæ Dei in Capite, & membris, abeſſe debere à Decreto Seſſionis quartæ, ideòque illud Decretum renouatum fuiſſe Seſſione quinta, in qua ſolummodò clauſula adiungenda eſt. Et ne D. Maymbourg huius codicis teſtimonium in dubium reuocet, adiungendum eſt aliud Auctoris celeberrimi, qui tempore Conſtantienſis Concilij viuebat, & prout Patres Conſtantiæ Acta publicabant, ea ipſa ad poſterorum memoriam literis mandabat. Hic ergo de Decreto Seſſionis IV. ita ad annum 1415. notat: [Penultima die Martij, quæ fuit Vigilia Paſchæ, fuerunt pronunciati quidam articuli per vnum de Cardinalibus minùs ſufficienter: quapropter 6. die menſis Aprilis ijdem articuli per vnum alium de Concilio, Rege præſente, pronunciati ſunt reformati. Primus hic erat: Synodus in Spiritu ſancto congregata, Generale Concilium faciens, Eccleſiam Catholicam militantem repræſentans, poteſtatem immediatè habet à Chriſto,cui quilibet, cuiuſcumque ſtatus, vel dignitatis, etiam ſi Papalis exiſtat, tenetur obedire in his, quæ pertinent ad fidem, & extirpationem ſchiſmatis, ac reformationem

Ec-

Eccleſiæ Dei in Capite, & in membris. Tertius articulus, dimiſſis cæteris; fuit de irritatione gratiarum per Ioannem Papam factarum per receſſum ſuum à Concilio &c.] Qui hoc teſtimonium poſteris reliquit, eſt Gobelinus Perſona Decanus Bilsfeldienſis, & Officialis Paderbornenſis, qui teſtatur circa finem operis, illud à ſe ſub Bonifacio IX. inchoatum, & ſub Martino Papa V. anno Pontificatus eius primo, die prima menſis Iunij anno Dominicæ Natiuitatis 1418. Illuſtriſſimo Sigiſmundo Romanorum, Teuthoniæ, & Hungariæ Regnorum in ſceptris agente, conſummatum fuiſſe.

Hic iam rogo D. Maymbourgū, an clarius teſtimonium deſiderare poſſet pro confirmandis illis, quæ ex Manuſcripto codice noſtro ſupra retulimus? Gobelinus, qui Conſtantienſis Concilij Acta eo ipſo tempore, quo ſtatuebantur, habuit, & cum fine Conſtantienſis Concilij ſcribendi finem fecit, teſtatur, penultima die Martij, quæ fuit Vigilia Paſchæ, quoſdam articulos pronunciatos fuiſſe per vnum de Cardinalibus minùs ſufficienter; quod ipſum teſtatur codex Manuſcriptus à me citatus, qui eadem Vigilia Paſchæ, qua Seſſio IV. celebrata fuit, refert de articulo 1. eum imperfectum pronunciatū fuiſſe, ſine illis nimirum verbis: Et ad reformationem generalem Eccleſiæ Dei in Capite & in membris. Addit Gobelinus, quia articuli minùs ſufficienter pronunciati fuerant per vnum de Cardinalibus in Seſſione IV. ideò 6. die Aprilis eoſdem per vnum alium de Concilio pronunciatos fuiſſe reformatos: quod idem codex Manuſcriptus à me citatus his verbis affirmat: Imperfectè fuit factus, ideò ſuppletur in Seſſione ſequenti. An manifeſtiùs conuenire poterat Manuſcriptus codex cum Gobelino? Quid ad hæc reſpondere poterit D. Maymbourg?

Quòd ſi plura deſideret, erit, quo abundè ei ſatisfiat: Concilium enim Baſileenſe, cuius auctoritatem tanti facit, refert ex Geſtis Conſtantienſis Concilij, quòd ob diuerſas opiniones de poteſtate Concilij Generalis in his, quæ ad reformationem Eccleſiæ ſuper prima definitione præſcriptus omiſſus fuerat articulus de hoc faciens mentionem, & ſequens, qui ex primo dependet. Quid clarius? Quid manifeſtius? Quid in rem noſtram expreſſius ſcribi, vel afferri potuit? Probauimus ex Manuſcripto codice, & Gobelino Perſona, in Decreto 1. Seſſionis IV. non reperiri clauſulam: De reformatione. Geſta ipſius Conſtantienſis Synodi teſtantur, id mirum videri non debere, quia ob varias opiniones de auctoritate Concilij circa reformationem Eccleſiæ Seſſione IV. ſuper prima definitione præſcriptus fuerat omiſſus articulus de hoc faciens mentionem: adduntque, ob omiſſum Seſſione V. articulum illum, Decretum ex integro alia Seſſione pronunciatum fuiſſe, quòd & omninò dicendum eſſet, licèt ex teſtimonijs à nobis allatis minimè conſtaret. Cur enim Decretum illud Seſſione V. repetitum fuiſſet, ſi illi nihil omninò in Seſſione IV. defuiſſet?

Iterata Inſtantia Maymbourgi.

VRget hic Auctor pag. 248. in Manuſcripto ipſius Schelſtrate legi in Præfatione decreti, ſicut in Actis penès ſe extantibus: [Hæc ſancta Synodus Conſtantienſis, legitimè congregata pro extirpatione præſentis ſchiſmatis, & vnione, ac reformatione Eccleſiæ Dei in Capite, & in membris, ad conſequendam faciliùs, ſecuriùs, vberiùs, ac liberiùs vnionem, ac reformationem Eccleſiæ, ordinat, definit, & declarat, vt ſequitur, quòd ſcilicet quilibet, cuiuſcumque dignitatis ſit, etiam Papalis, obedire tenetur Concilio in his, quæ pertinent ad fidem, & extirpationem dicti ſchiſmatis.] Et quis non videt, pro ſenſu integro, iuxta intentionem & expreſſa Concilij verba, non ibi hærendum eſſe, ſed neceſſariò adiungi debere. Et ad reformationem Eccleſiæ in Capite, & in membris? Et hoc eſt in codicibus noſtris, qui ſunt veri, & deeſt in codicibus ſuis: quæ omiſſio, cùm nullo modo ſuſtineri queat, eos defectuoſos eſſe, oſtendit.

Reſponſio.

Idem Schelſtrate cit. cap. 2. pag. 46. replicat. Hæc irrito conatu ſibi opponi. Si enim verum eſſet, quod Maymbourgus ex illa præfatione deducit, ſequeretur, à Decreto 1. Seſſionis IV. abeſſe debere vocem Fidei, utpote de qua in præfatione per ipſum allata nulla mentio facta eſt. Cùm autem ex voce Fidei, quæ in Decreto adeſt, & in præfatione non extat, omninò ſequatur, Decretum præfationi in omnibus correſpondere non debere; videat, quæſo, cui fundamento argumenta ſua innitantur, & quàm debili ratione concludat, codices meos defectuoſos eſſe. Non ſolùm à manuſcriptis codicibus verba: De reformatione abeſſe, ſed & abeſſe debere, ijs teſtimonijs comprobaui, quæ nemo prudens contempſerit. Et quamuis ſequatur, quòd primum Decretum Seſſionis quartæ non fuerit integrè pronunciatum, id nihil obſtabit, cùm id factum eſſe, teſtentur Geſta ipſius Concilij, & confirmet Gobelinus. Vnde conſtat, quòd omnes manuſcripti codices, qui articulum de reformatione adiunctum habent, defectuoſi ſint, illique veri, ac genuini, qui nullam eius articuli mentionem faciunt.

Et hæc ſufficiant de corruptione 1. Decreti Seſſionis IV. prout ex compilatione Baſileenſium ad manus noſtras peruenit, quod emendatione indigere, nimis clarum, & manifeſtum eſt, quàm vt in dubium reuocari poſſit. Quod enim D. Maymbourg adijcit de Concilio Baſileenſi, & eius Præſide Iuliano Cardinali, ac ſi Decretum 1. Seſſionis IV. Conſtantienſis citaſſent cum clauſula: De reformatione Eccleſiæ Dei in Capite, & in membris, eodem vitio laborat, quo cætera loca ſuperiùs examinata: citant enim Baſileenſes, eorumque præſes Iulianus Cardinalis decretum primum non Seſſionis 4. ſed 5. quas, cùm Auctor noſter confuderit, mirum videri non debet, quod manuſcriptos co-

codices nobis obiecerit: mirum tamen videbitur, si postquam eos cum editis contulerit, & quandonam sessio 4. habita sit, diligenter notauerit, eos obijcere perrexerit: tunc enim non solùm codices suos errasse, sed (quod longè ab ipsius mente alienum puto) eum quoque errare velle, & ex prædictis constabit, & ex codicibus Gallicis, quorum auctoritatem infringere non audebit, confirmari poterit.

Neque enim desunt manuscripti codices Gallici, in quibus decretum primum sessionis 4. sine clausula: de reformatione, exhibetur: præterquam enim, quod plures ex illis, quos ipse D. Maymbourg vidit, clausulam illam non continere, sciam notum est, Parisijs asseruari manuscripta Auctoris grauissimi, qui tum viuebat, cum Synodus Constantiæ celebrabatur; in quibus decreta ex speciali Galliç Legatorum relatione exhibentur. & sine mentione istius clausulç posterorum memoriæ consecrantur. Cùm enim Auctor decretum illud descripisset, aliaque ad annum 1415. spectantia attulisset. subiungit: [Redeo ad Concilium generale Constantiæ celebratum pro pace, & vnione Ecclesiæ; vt indicem res notatu digniores huius anni, de quibus cum certitudine instructus fui per huius coronç Legatos.] Ita Auctor in opere manuscripto, quod ante aliquot annos ex Bibliotheca Thuana Parisijs prodijt, & non semel, sed centies à D. Maymbourg in scriptis suis citatum fuit: adeoque, si dubium aliquod ex codicibus à me deductis hucusque habuerit, ex manuscriptis, & editis codicibus Gallicanis dubium suum auferre poterit, quinimmo, nisi Legatorum Galliæ, qui Concilio Constantiensi adfuerunt, testimonium in dubium reuocare velit, auferre debebit.

Ex quibus iam facile est, respondere ad exprobationem illam, quç in pręsentis argumenti initio à Maymbourgo fuit opposita; quasi Emmanuel à Schelstrate acta Concilij Costantiensis; & Basileensis, quæ plusquam à ducentis ex sexaginta annis pro verissimis habita sunt, incusando de sui deprauatione, atque adulteratione, perperam nitatur in controuersiam trahere eorumdem legitimam, & pacificam possessionem trium ferè sęculorum auctoritate firmatam.

Ad hanc, inquam, exprobrationem parata est responsio ab eodem Schelstrate sui de decretis Constantiensibus tractatus pag. 8. reposita, quod nempè acta, & gesta Constantiensis Synodi, quæ ex manuscriptis indubitatæ fidei codicibus adduxisset, veritatem contineant, quç Tertulliano libro de pręscriptione teste, sempiterna quędam res est, cui nemo pręscribere potest; non spatium temporum, non patrocinia personarum, non priuilegia nationum ei præiudicare possunt. Imò acta, ex quibus Basileenses suam collectionem compilarant, nullibi repugnant cum ijs, quæ Schelstrate ex manuscriptis codicibus attulit, sicque confirmant potiùs, quod errores in acta, prout ex compilatione Basileensium posteritati tradita sunt, irrepserint: sicque cùm S. Augustino enarrat. in psal. 61. dicere licet, quod veritas quidem latere potuerit, vinci non potuerint. Quare iuxta aliam Tertulliani regulam de præscript. dici oportet, in hoc etiam rei statu, id esse verum; quod sit priùs traditum, id verò extraneum & falsum esse, quod est posteriùs immissum.]

Qua de causa illud primum sessionis 4. Constantiense decretum sub hac verborum formula accipiendum est. [Primò declarat, quod ipsa Synodus in Spiritu sancto congregata legitimè, generale Concilium faciens: Ecclesiam militantem repręsentans, potestatem, à Christo immediatè habet, cui quilibet cuiuscumque status, vel dignitatis, etiamsi Papalis existat, obedire tenetur in his, quæ pertinent ad fidem, & extirpationem dicti schismatis.] In quo adeò decreto expēdendo, discussione singulari dignum occurrit; quomodo Synodus illa, cùm non fuerit conuocata per aliquem certum Papam, dici potuerit in Spiritu sancto congregata legitimè? Quomodò iterum esset generale Concilium: Ecclesiam militantem repræsentans? Quomodo asseuerare potuerit, sibi esse potestatem immediatè à Christo? Quomodo quilibet, etiamsi Papalis existeret potestatis, in his, quæ ad fidem, & extirpationem schismatis pertinent, ipsi obedire teneretur? Quæ vniuersa tum in proxima conclusione: tum in subsequentibus §§. discutiemus.

CONCLVSIO.

Constantiensis Synodus in statu acephali licèt Concilij adhuc constituta, habebat potestatem immediatam à Christo; ad statuendum, quæ ad fidem, ac extirpationem schismatis pertinebant.

EXplicatur. Hæc equidem conclusio non caret difficultate propter ea, quæ in antecedentibus dixeramus de statu acephali Concilij, quod nempè tota eius auctoritas consistat ex iurisdictionibus Episcopalibus pro publico Ecclesiæ bono in vnum collatis, ex intrinseca tamen ratione sua transcendentali coordinatis ad vniuersale bonum, adeoquè pacem, ac tranquillitatem Ecclesiæ. Quandoquidem igitur iurisdictio Episcopalis formalis, & actualis immediatè deriuetur ex Papalis potestatis plenitudine, Episcopos in Pastoralis sollicitudinis partem vocantis. Quomodo iam verificari potest, Concilij Constantiensis adhuc acephali potestatem in his, quæ ad fidem, ac extirpationem schismatis pertinebant, fuisse immediatè à Christo?

Difficultatem augere videtur, quod Auctor Regalis Sacerdotij cit. lib. 2. §. 9. post medium num. 2. differit: [Si inquiens, obijciatur, Concilium Papæ oppositum, adhuc pollere auctoritate quasi Papali sibi à Christo immediatè collata, sicque adeò non esse corpus truncum, seu acephalum, cum habeat plenam, integramque potestatem. Responderi debere, hæc vtique dici, repetique, sed nunquam probari, nec vnquam fore probanda; quippe cùm nec vnus quidem sacrę scripturæ apex adferri possit, quod hanc pleni-

tudi-

tudinem potestatis acceperit Concilium acephalicè sumptum; veluti pateat ex sanctis Ecclesiæ Doctoribus, & ex Concilijs, ipsamet quoque Constantiensi Synodo sess.8. vbi apicem potestatis à Christo in Papam, non in Concilium immediatè collatum legi: Petro namque, eiusque Successori, non Concilio dictum esse: [Tibi dabo claues regni cœlorum: super te ędificabo Ecclesiam meam: confirma fratres tuos: si amas me, pasce oues meas.] Quandoquidem igitur iura nolint, Principis delegato fidem haberi, nisi suæ delegationis tabulas ostendat; cùm delegario sit facti cap. Cum in iure 31. ff. de offic. deleg. Idcircò nobis credendum non esse, quòd Concilio sit plena in Ecclesiam potestas à Christo delegata, nisi tabulas, & chirographum Principis, verbum sacrę scripturę exhibeat: & ideò nullum Concilium, sedente legitimo Papa, hanc potestatem sibi vsurpasse.

PROBATIO I.

In qua ostenditur, quomodo potestas Concilij Constantiensis, in statu Papæ dubij fuerit immediatè à Christo.

INdubitatum namque est, potestatem Episcopalis characteris esse immediatè à Christo, in eoque radicatam esse iurisdictionem Pastoralem, nuncupari solitam radicalem in Corpus Christi mysticum, nempè Ecclesiam, eiusque fideles potestatem spiritualem, seu Ecclesiasticam: ad quam Paulus Apostolus actor.20. volebat, intentos esse vniuersos Ecclesię Præsules, dicendo: [Attendite vobis, & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.] In quantum ergo charactee Episcopalis immediatè à Christo, seu principali causa collatus, intrinsecum, ac essentialem habet ordinem ad Corpus Christi mysticum, in tantùm Spiritus sanctus, in vi ipsius Episcopalis characteris Sacerdotalis, qua protensi super Corpus Christi mysticum, vt sic importat fori pœnitentialis propriam potestatem absoluendi à peccatis. At verò hæc ipsa Sacerdotalis à peccatis absoluendi potestas, in ordine ad peccata mortalia: vt sortiri valeat suum effectum, indiget quidem actuali, seu formali per Episcopum, seu Papam concedenda iurisdictione, & tamen absque huius delegatione, seu collatione specifica pro casu necessitatis prodire potest in effectum validę absolutionis moribundo impendendæ. Sic proinde Pastoralis in charactere Episcopali radicata potestas, ex intrinseca natura sua eatenus respicit Corpus Christi mysticum, Sanguine Christi redemptam Ecclesiam, vt in ordine ad actuale sui exercitium secundùm viam ordinariam indigeat aliqua sui morali actuatione, per iurisdictionem formalem, & proximam à Papa deriuabilem facienda. Nihilominus vi eiusdem characteris Episcopalis ex natura sua intrinseca respicientis Corpus Christi mysticum, sicque ex substantiali sua habitudine ordinati ad vniuersalis Ecclesię bonum publicum, in casu extraordinariæ necessitatis, quæ maximè vrget, dum nullum noscitur Ecclesię sanctæ caput Oecumenicum, pro tunc resultat obligatio prouidendi publico Ecclesię bono, estque adeò vi eiusdem characteris Episcopalis, & in hoc radicatæ gubernatiuę erga Christi Ecclesiam potestatis libera, & expedita Episcoporum, vt sic à Spiritu sancto pro Ecclesiastico regimine ordinatorum facultas, ad prospiciendum fidelibus, Ecclesięque sanctæ in ijs, quę fidem, ac extirpationem schismatis, atque capitis certi prouisionem concernunt. Quia proinde generalis quædam Episcoporum illo Christi charactere insignitorum, & in huius à Spiritu sancto ad Ecclesiæ sanctę regimen ordinatorum congregatio præsentabatur in Synodo Constantiensi, ad schismaris, fideique errorum extirpationem coadunata, rectè dicitur fuisse congregata legitimè in Spiritu sancto; à quo scilicet omnes illi Episcopi ad Ecclesiæ regimen, eiusque bonum publicum erant ordinati, eratque proinde Synodi istius potestas immediatè à Christo, vtpotè coalescens ex Episcoporum ibi aggregatorum pro publico Ecclesiæ sanctę bono, nempè hęresum, ac schismatis extirpatione in vnum collatis à Christo, ceu causa primaria, vnà & Spiritu sancto immediatè promanantibus characteribus.

PROBATIO II.

In qua ostenditur, quanta ex vi characteris Episcopalis à Christo immediatè competat potestas ad publicum Ecclesiæ regimen, & huius bonum vniuersale, pro casu Papæ certi, ac indubitati, suo tamen Pastorali munere debitè non fungentis.

EO ipso, quòd Episcopi vi characteris à Christo immediatè accepti, sint à Spiritu sancto positi ad regendam Ecclesiam, ideoque pro casu necessitatis vrgeat ipsos stricta, & grauis obligatio ad prouidendum publico Ecclesiæ bono, in grauissimum discrimen conijci solito, ex hæresibus pręcipuè, dum Papa, vel in his refellendis, seu peruersis tranquillitatis publicę turbatoribus coercendis, essee negligens, vel prauis suis exemplis alios facilè traheret in perniciem tum animarum, tum cuiusuis generis prauarum machinationum. Idcircò pro etiam Ecclesiæ statu, quo certus, ac indubitatus noscitur Papa, vrgente pręinsinuata, vel simili Ecclesiæ necessitate, obstringuntur Episcopi tam sigillatim, quàm collectim ad quęuis remedia non equidem coactiua, vtpotè sphęram inferioris auctoritatis excedentia, sed directiua ad excitandum Papæ officium instando etiam, vbi opus fuerit, pro Concilij Oecumenici à Papa indicendi conuocatione, aliaque opportunè præstando, quæ conducere videri possint ad Ecclesię mala auertenda, eiusque pacem, & vnitatem, seu conseruandam, seu restituendam.

§. III.

In quo examinatur Synodi Conſtantienſis Seſſione quarta editum primum decretum, quòd ſcilicet de Concilij ſuper Papam ſuperioritate non aliter ſtatuat, niſi ſub reſtrictione ad ſtatum Papæ dubij, & incerti, ac tempus ſchiſmatis.

AVdiamus hac de re Emanuelem à Schelſtrate præcitati Tractatus de ſenſu, & auctoritate decretorum Concilij Conſtantienſis differt. 1. cap. 3. ita differentem. Notauerani, inquit, in diſſertatione mea cap. 1. art. 2. pag. 41. 42. & 43. quòd poſt fugam Ioannis Papæ XXIII. tres nationes credentes, ſola via coactionis ſchiſma extirpari poſſe, tumultuosè concluſerant, celebrandam eſſe Seſſionem IV. tumque deſignauerant duo decreta eadem ſeſſione publicanda, quorum primum agit de auctoritate Conſtantienſis Concilij, cui quilibet, cuiuſcumque auctoritatis, licèt Papalis, obedire deberet in bis, quæ ſpectant ad fidem, extirpationem præſentis ſchiſmatis, & reformationem Eccleſiæ in Capite, & membris. Secundùm verò, quòd quicumque, licèt Papalis auctoritatis exiſtat, huius, ſiue alterius Concilij Generalis ſtatutis quoad prædicta obedire contumaciter cōtempſerit, à Concilio puniri poſſit, & legitimæ pœnitentiæ ſubjici. Obſeruari inſuper, his Decretis ſeſe oppoſuiſſe Cardinales, alioſque, qui tam conſtanter reſtiterunt eorum publicationi, vt conſentientibus Nationibus, à primo Decreto ablata ſit illa clauſula: [Et ad reformationem Eccleſiæ Dei in Capite, & in membris;] & ſecundum Decretum de auctoritate coactiua Cōcilioium omninò omiſſum fuerit.

Neque hæc deſumpſeram ex ſuppoſititijs ſcriptis, ſeu dubijs quorumdam teſtimonijs, ſed ex manuſcriptis indubitatæ fidei codicibus, Acta Conſtantienſis Concilij hactenus inedita continentibus, ex quibus quiſque colligere poterat, Cardinales Capitulis Seſſione IV. publicandis noluiſſe ſubſcribere, quinimò die 29. Martij aperte declaraſſe Regi Romanorum, quòd nolebant ad Seſſ. IV. die ſequenti celebrandam venire, niſi ſub conditione: [Quòd non fierent, neque ſtatuerentur alia capitula, niſi capitula infraſcripta:] cùmque die 30. Martij hora ſeptima ante meridiem, conuenientibus in Palatio Epiſcopali Conſtantienſi, Domino Rege Romanorum, Dominis Cardinalibus, & Nationibus, fuiſſet plurimùm ſuper infraſcriptis, & alijs capitulis altercatum, tamdem hora circiter decima ante meridiem, inchoata iam Seſſione, mediante Rege Romanorum, conueniſſe inter Dominos Cardinales, & Deputatos Nationum: [Diuino flamine inſpirante, in vnam ſententiam conuenerunt, quòd tantùm capitula infraſcripta in dicta Seſſione ſtatuerentur.] Inter capitula autem inferiùs relata, eſt primum Seſſionis IV. ſiuè mentione: De reformatione Eccleſiæ in Capite, & in membris, & non reperitur ſecundum de auctoritate coactiua Conciliorum, quo Pontifices, quoad prædicta obedire detrectantes, legitimæ pœnitentiæ ſubijci poſſint.

Quod ex Regeſto, hoc etiam conſtat ex Geſtis Conſtantienſis Concilij, quæ referunt, non Cardinales tantùm, ſed Legatos quoque Regis Galliæ vnum, idemque feciſſe, nam inquiunt Geſta illa, quia die 30. Martij ante initium Seſſionis [Cardinalibus adhuc non fuerat plenè aperta materia agendorum in illa Seſſione, nec etiam Ambaſciatoribus Regis Franciæ, præfati Cardinales, & Ambaſciatores erant deliberati, non intereſſe in Seſſione, & licèt Rex multùm inſtaret apud Cardinales, quòd intereſſent, tamdem cùm Prælati ſederent in Concilio cum Mitris, & Pluuialibus, Rex tractauit cum Cardinalibus, & per eius medium adhibito quodam moderamine in expediendis in illa Seſſione, Cardinales conſenſerunt intereſſe, & fecerunt, quòd etiam interfuerint Ambaſciatores Regis Frācorum, cum quibus Cardinales ſe coniunxerunt, & illi cum Cardinalibus.] Ita Geſta ipſa Conſtantienſis Concilij, in quibus refertur, omiſſum fuiſſe tam articulum: De reformatione, quàm ſecundum Decretum de auctoritate coactiua, prout, & duo iſta inter Decreta Seſſionis IV. in iiſdem Geſtis relata deſiderantur.

Quibus præſuppoſitis, iterum deſcendere placeat in arenam certaminis inter dictum Schelſtrate, & Maymbourgum conditi.

Argumentum Maymbourgi.

AVctor hic præf. hiſtor. ſuæ pag. 250. ex præinſinuato per Regem Romanorum adhibito moderamine, argumentatur in hunc modum. Nempe quatuor articuli examinandi erant quoad dictum decretum. Primus; An Concilium receperit immediatè à Ieſu Chriſto poteſtatem, cui Pontifex ipſe obedire tenetur in his, quæ ſpectant ad fidem, & extirpationem ſchiſmatis? Secundus? An in decreto poni deberet, quod ſpectat ad reformationem Eccleſiæ Dei in Capite, & in membris? Tertius; An, quando Pontifex nollet obedire, puniri poſſet? Quartus; An hæc omnia æquè bene intelligi deberent de omni alio Concilio Vniuerſali, ac de Conſtantienſi, quod tempore ſchiſmatis celebrabatur? Quantum ad primum omnes Nationes facilè conuenerunt, ſed quantum ad alios tres, aliqui, & præcipuè Cardinales, qui volebant quoad hoc ſaltem Papæ gratificari, ſeſe oppoſuerunt. Moderamen autem ab Imperatore Sigiſmundo repertum pro vniendis omnibus fuit, quòd Decreto 1. Seſſionis IV. non declarentur alij, quàm duo primi articuli, & quoad duos alios, de illis videretur poſteà, quid ſequenti Seſſione faciendum eſſet. Hoc manifeſtum fit ex Actis manuſcriptis noſtris, & Manuſcripto ipſius D. Schelſtrate, &c.

Reſ-

Responsio.

Emmanuel à Schelstrate cit. cap. 3. à pagina 54. reponit in hunc modum. Ponamus, Maymbourgum ex Manuscripto meo rectè deduxisse, quòd moderamen à Rege Romanorum adhibitum in eo constiterit, vt in Decreto 1. Sessionis IV. statueretur, Concilium Constantiense à Deo potestatem accepisse, cui quilibet, licèt Papalis auctoritatis, obedire teneatur quoad fidem, & extirpationem schismatis: ponamus quoque, duos vltimos articulos de potestate coactiua, & de auctoritate Constantiensis Concilij alijs etiam Synodis Generalibus adiudicanda, pro Sessione sequenti relictos fuisse. Ponamus demum, hæc planè constare ex actis editis, & ineditis, Manuscriptis Gallicis, & Italicis. Hæccine placitis Illustrissimi Cleri Gallicani conueniunt, & ad confirmationem declarationis ipsius facient?

Dicat, obsecro, D. Maymbourg, si Decretum Sessionis IV. solùm restringatur ad Concilium Constantiense, cuius tempore tres de Papatu contendebant, quomodò saluabitur articulus secundus à præfato Clero anno 1682. Parisijs editus, & suprà à nobis allatus, in quo dicitur, quòd de auctoritate aliorum Conciliorum Generalium intelligendum sit Decretum Sessionis IV. neque ab Ecclesia Gallicana probetur sententia eorum, qui illud ad solum schismatis tempus referunt? Si omnia Acta Costantiensis Concilij tam edita, quàm inedita, tam Romæ, quàm Parisijs asseruata, à quatuor Protonotarijs Concilij Constantiensis conscripta, quàm à Basiliensibus compilata innuant, Decretum IV. solummodò agere de auctoritate Constantiensis Concilij tempore schismatis celebrati; qua ratione, quo fundamento improbari poterit sententia illorum, qui illud ad solum schismatis tempus retulerunt? Quid hic aget D. Maymbourg? Quibus verbis articulum suprà dictum quoad Decretum Sessionis IV. saluabit? Ego sanè in dissertatione mea solùm monstraueram, Decretum 1. Sessionis IV. corruptum, ad manus nostras peruenisse, vnde ad summum deduci poterat, ab Ecclesia Gallicana improbari non posse, qui illud, prout hucusque typis descriptum fuit, dubiæ auctoritatis esse, iudicant. At nunc ex omnium Manuscriptorum, & editorum codicum fide etiam constare dicitur, Concilium Constantiense primo suo Decreto Sessionis IV. non egisse de Conciliorum extra tempus schismatis celebratorum auctoritate, vnde sequitur, neque à Gallicana Ecclesia improbari potuisse eos, qui illud ad solum schismatis tempus referunt.

Quamuis autem vix dubitem, quin hisce perpensis, D. Maymbourg facilè agnoscet, quòd Acta à me allata causæ suæ minimè faueant, non tamen sibi persuadere debet, quòd ab omni difficultate sese extricauerit, dicendo: quòd, etiamsi verba illa: [Et ad reformationem Ecclesiæ in Capite, & in membris.] non fuissent posita in Decreto 1. Sessionis IV. id tamen nihil faceret ad punctum difficultatis, quandoquidem re ipsa sint in Decreto Sessionis V. cùm nihil referat ad validitatem Decreti, quanam Sessione statutum sit. Huic enim obiectioni facilè satisfieri potest, cùm plurimùm faciat pro confirmatione Decreti Constantiensis, quòd Sessione V. potiùs, quàm IV. editum sit; licèt enim duæ illæ Sessiones ab vna tantùm ex tribus Obedientijs factæ sint, & in eo conueniant, quòd plenum robur habere non possint; in eo tamen Sessio V. differt à IV. quòd V. contradicentibus grauioribus de Obedientia Ioannis XXIII. Patribus, celebrata sit, vbi IV. consentientibus omnibus, habita fuit, vt dissertatione sequenti fusiùs ostendemus.

Nec quemquam posthàc reperiendum puto, quin plurimùm interesse iudicet, quòd Decretum cum clausula De reformatione solùm Sessione V. publicatum fuerit. Cùm enim non agatur de Decreto Concilij Generalis, ad quod omnes fideles tenentur, sed de Decreto Concilij non Generalis, quod ob varias rationes in dubium reuocatur, quò plures rationes militant contra illud, eò magis infirmari, necesse est. Vltra rationes autem, ob quas Decretum Sessionis IV. in dubium reuocatur, reperitur contra Decretum Sessionis V. & illa de plurium Patrum contradictione: sicque Decretum, quia solùm Sessione V. cum clausula De reformatione publicatum fuit, minimè firmum, & dici potest, & dici debebit. Itaque non parùm interest, qua Sessione Decretum cum clausula supradicta editum fuerit.

Ex ijs, quæ à Schelstrate hactenus dicta fuerunt de decreto primo Sessionis quartæ, iam facilè patet, quàm malè concluserit Maymbourgus pag. 253. quòd scilicet ipse non debeat corrigere Concilium Constantiense iuxta ea, quæ in Manuscriptis à dicto Schelstrate allatis reperiuntur; sed hunc è contra debere textum iuxta sua Manuscripta corrigere. Hoc namque Maymbourgi dictum, quàm remotum est à verò, tam alienum est ab æquo, quippe Schelstrate ostenderit ex manuscriptis indubitatæ fidei codicibus, & æqualium Scriptorum testimonijs, non solùm dubium esse decretum primum Sessionis quartæ, sed etiam corruptum ad manus nostras peruenisse, adeò vt emendatione omninò indigeat, & quòd facta ista emendatione, nihil planè ad Conciliorum Generalium, sed solùm ad auctoritatem Concilij Constantiensis, tempore schismatis celebrati, faciat.

CONCLVSIO.

Decreta Constantiensia quartæ, & quintæ Sessionis de superioritate Concilij, uti re vera sunt restricta ad tempus schismatis, & erga Papam dubium, ita si eorumdem vlterior extensio prætenderetur, excipi posset; non esse decreta Oecumenici Concilij, ac Synodo Constantiensi nullam fuisse auctoritatem decernendi super Oecumenicæ Synodi, vel Papæ auctoritate.

Explicatur. Quid enim interfit, vt ex fundamentis solidis à Schelstrate hactenus deductis firmum, ac fixum teneatur, primum quartæ Sessionis Constantiensis (nam de quintæ Sessionis decretis examinandis sequenti disquirit. maiora adhuc argumenta proferentur) coarctati ad tempus schismatis, atque ad statum Papæ incerti, ac dubij, satis constat ex antecedentibus. Hoc enim principio firmato, Cleri Gallicani articulus secundus eo etiam ex capite corruet, quòd super illis Synodi Constantiensis decretis fundet auctoritatem Conciliorum Generalium, quam tamen, Vicario Christi nomine, Papæ proprio, non interueniente, minimè dici posse Oecumenicã superiùs est probatum; atque adeò ex ipsis terminis redditur euidens, si decretum illnd Constantiense sit restrictum ad tempus schismatis sub quo nullus noscitur certus & indubitatus Papa, qui Concilio Generali impertiat suam Apostolicam auctoritatem Christi Vicariam & Occumenicam, nullatenus habere locum circa Concilia completè Generalia, ac formaliter Oecum enica. Quam etiam ob rationem meritò improbatur in dicto Cleri Gallicani articulo secundo: quòd Synodum Constantiensem absolutè, & simpliciter vocet Oecumenicam, vtpore quæ sub illis præsertim IV. & V. Sessionis decretis eatenus destituebatur charactere Papali, nomen Christi Vicarium in terris præferente: vt ex huius ceu animæ Concilij, qua Oecumenici formaliter constitutiuæ defectu, ad summum quasi materialiter, vel etiam dispositiuè denominari potuerit: seu Generalis, seu etiam Oecumenica, nec adeò: dum eisdem non accessit auctoritas Pontificia, eorum confirmatoria, vim habere possunt sanctionis Oecumenicæ.

PROBATIO I.

In qua ostenditur, etiam præscindendo à manuscriptis codicibus ex Schelstrate adductis, & insistendo Basileensium de Synodi Constantiensis Actis compilationi, nec non Cleri Gallicani verbis secundo suo articulo expressis, adhuc euinci, quòd decreta quarta & quinta, eius Concilij Sessionis sint restricta ad tempus schismatis, & ad statum Papæ dubij.

Etenim prætactæ Sessionis IV. proloquium extat hisce verbis conceptum. Hæc sancta Synodus Constanriensis, Generale Concilium faciens pro extirpatione præsentis schismatis, & vnione, ac reformatione Ecclesiæ Dei in Capite, & in membris fienda ad laudem Omnipotentis Dei in Spiritu sancto legitimè congregata, ad consequendum faciliùs, securiùs, liberiùs, & vberiùs vnionem & reformationem Ecclesiæ Dei, ordinat, disponit, statuit, decernit, & declarat, vt sequitur.

Sub qua verborum formula disquirere inprimis lubeat, cùm Sessionis Quartæ, ac Quintæ Decreta sint concepta postquam Ioannes Papa suam Papatus cessionem iam fecerat, sed pœnitentia ductus; Constantia clam recesserat, nec adeò quisquam seu certum, seu etiam dubium Apostolici Pontificatus characterem Christi Vicarium præferens interuenerat; quomodò ea Synodus, pro tali statu in Cleri Gallicani Declaratione dici potuerit Oecumenica, quippe cùm istius forma sit ex nomine, seu charactere Christi, non per se corporaliter, sed per Vicarium suum interris visibilem præsidentis Verum istius dubij resolutio est in promptu, si expendatur; Synodum illam Constantiensem in præfato proloquio in tantùm dicere, se pro extirpatione præsentis schismatis, & vnione, ac reformatione Ecclesiæ Dei in capite & in membris facere Generale Concilium, vt per hoc manifestè supponat, Synodum eiusmodi pro tali statu substitisse absq; certo Capite, imò ad certum Ecclesiæ Caput constituendum, in Spiritu Sancto legitimè congregatam esse. In aperto igitur est, Decreta eius Synodi pro tali statu condita, non habere locum, nisi in casu schismatis, seu de Ecclesiæ legitimo Capite dubietatis statu. In qua adeò rerum peristasi Synodus Constantiensis faciebat Generale Concilium non in statu consummato, ac perfecto, vtpore vicarium Christi characterem exigente, sed in statu tendentiæ ad consequendam vnionem, ac reformationem Ecclesiæ in membris, & Capite, primùm constituendo, sub qua proinde tendentia ita erat Synodus illa legitimè in Spiritu sancto congregata, vt eius tamen quà Concilij Occumenici perfectio, & omnimoda infallibilitas minimè subsisteret, quousque tandem superuenisset Vicarius Chri-

Christi character, Decreta ab ea Synodo condita approbans, suaque muniens auctoritate.

Neque verò ista Pontificiæ Christi Vicariæ auctoritatis adiectio latiùs extendenda est, quàm ipsa Decretorum formula disertis verbis præferat. Sic igitur se habet istius Quartæ Sessionis præinsinuatum Decretum: [Ipsa Synodus in Spiritu sancto congregata legitimè, Generale Concilium faciens, Ecclesiam Catholicam Militantem repræsentans, potestatem à Christo immediatè habet, cui quilibet, cuiuscumque status, vel dignitatis, etiamsi Papalis existat, obedire tenetur in his, quæ pertinent ad fidem, & reformationem Generalem Ecclesiæ Dei in Capite & in membris.]

Circa quod proinde Decretum liquidò constat, esse editum pro statu, in quo non erat certum Ecclesiæ Caput. Quomodò igitur Ecclesiam Catholicam non ex membris dumtaxat, sed etiam ex Capite visibili, quo Ecclesia Militans, quoad certitudinem saltem, destituebatur, constantem pro tunc repræsentabat. At sicuti Synodus illa non erat in perfecto Concilij Oecumenici statu, sed erat in statu tendentiæ ad huius ex Capite Christi Vicario characteris perfectionem, suique cum legitimo tandem Capite vnionem consequendam, sic vniuersalis Ecclesiæ repræsentatio nondum erat consummata, sed eius consummatio quærebatur ex schismatis extirpatione, generalique Ecclesiæ Dei in certo Capite & membris reformatione. In quo proinde statu, clarum est, loqui Decretum, vnde sicut nullus dignitatis Papalis, characterem, cum certitudine saltem, præferens tunc existebat, sic Decretum illud nequit intelligi, quòd afficiat verum, ac certum Papam, quippe cùm disertè dicatur, omnem cuiuscumque etiamsi Papalis existat dignitatis, teneri ad obediendum in his, quæ ad extirpationem schismatis, & generalem in Capite & membris Ecclesiæ reformationem etiam pertinent. Cuiusmodi adeò restrictiones aliud non respiciunt, nisi perturbatum illud ex Capitis incertitudine resultans tempus.

Et licèt fidei dogmatum in Synodo illa Constantiensi sanciendorum obedientia sub eo Decreto exigatur etiam à Papa, vtì tamen Synodus illa, sic eius quoque sanctiones Dogmaticæ pro tunc erant in statu tendentiæ per characterem Christi Vicarium in terris haud certò tunc subsistentem, sed ipsiusmet Concilij in hunc finem legitimè in Spiritu sancto congregari auctoritate, eandem consequendum, quo superueniente, in his, quæ ad fidem pertinent, eatenus succedebat sanctionis dogmaticæ consummatio, vt omni, etiamsi Papalis existat dignitatis, sit in eis obediendum. Cuius tenoris sunt etiam Decreta Quintæ Sessionis, vtì clarè patet legenti, disertèque in horum proloquio dicitur, Synodus Constantiensis, Generale concilium (tunc inchoatiuè, postea autem per certi Vicarij Christi characteris accessum consummatiuè) faciens, legitimè in Spiritu sancto congregata pro extirpatione schismatis, ac vnione, & reformatione Ecclesiæ in membris & in Capite, ad quem etiam finem, ibidem asseritur, ordinari subsequentia Decreta, vt hinc prorsùs manifestum euadat, istas ordinationes esse ad huius finis mensuram restrictas, ac ordinatas ad eam Oecumenicæ sanctionis consummationem, quæ non nisi ex Summi Pontificis, ad quem constituendum collimabat ea Synodus, mediante Vicario Christi charactere obtinenda esset. Iuxta quem adeò sensum accipi quoque debere dictum Cleri Gallicani Declarationis articulum secundum, liquidò constat ex eiusdem verbis proprijs, vtpote quibus Synodi Constantiensis Decreta non aliter, quàm ex Sedis Apostolicæ, atque adeò Summi Pontificis postea subsecuti comprobatione dicuntur, valere tamquam Oecumenica, sicque immota subsistere.

PROBATIO II.

In qua ostenditur, Concilium Constantiense pro statu IV. ac V. Sessionis non fuisse strictè, ac formaliter Oecumenicum, seu Generale, nisi cum addito diminutiuo materialiter, ac dispositiuè.

Ex dictis superiùs constat, quomodò Concilium dici possit Generale secundùm denominationem generalitatis tum formalis, tum materialis. Generalitas materialis importat quamdam coaceruationem Episcoporum ex vniuerso Christiano orbe conuocatorum, quorum character Episcopalis importat quidem aliquid etiam de formali erga vniuersale Ecclesiæ sanctæ regimen, ordine quasi radicali, & transcendentali, in Ecclesiæ publica necessitate sub schismatis præcipuè tempus ad debitam prouisionem vniuersos Episcopos tam sigillatim, quàm collectim constringente, ita tamen, vt eiusmodi, regiminis Ecclesiastici ordo hierarchicus in charactere Episcopali fundatus, nullatenus protendi valeat super Papæ auctoritate Oecumenica, quin potiùs ista super illius tam actuatione, quàm exercitio morali extendatur. Quamdiu ergo Concilium constat ex solis Episcopis, quantumuis ex toto Christiano orbe essent conuocati, nequit dici perfectè Oecumenicum, vel Generale, nisi vel materialiter dumtaxat, vel secundùm quamdam adhuc incompletam formalis generalitatis, qua characteri Episcopali inexistentis sed quoad sui actuationem & moralitatem omnimodam supremo Ecclesiæ Capiti Romano Pontifici subordinatæ denominationem, siquidem ex: Matth. 28. capite sæpius iam fuerit à nobis ostensum quomodò neque prima Concilij Oecumenici ratio subsistat, nisi ex Vicario Christi nomine Papæ in terris proprio; neque præeminentia consummatæ in fidei dogmatibus decidendis infallibilitatis locum habeat: nisi ad hierarchici Ecclesiæ Corporis Decretum Conciliare accedat Capitis consensus, neque indefinita Papali auctoritati compar ligandi & soluendi

di auctoritas Apostolis collectiuè sumptis pro perpetuo Ecclesiæ statu promissa, competere possit Concilio, nisi qua indiuisibiliter & Papam; & Apostolorum in Episcopali charactere successores collectim, & in vnam Synodum aggregatos complectenti. Quàm parùm ergo corpus organicum hominis dici potest humanum, nisi materialiter & dispositiuè quamdiu ipsi deest anima, ceu forma in esse humani corporis essentialiter, ac formaliter constitutiua, sic neque Concilium potest completè, ac formaliter Oecumenicum, seu generale denominari, nisi Ecclesiæ Corpus hierarchicum ex Episcopis, ac Præsulibus Ecclesiæ in Synodo aggregatis consistens, sit vnitum Romano Pontifici, ceu suo, & sanctæ Ecclesiæ Capiti Vniuersali, ac Oecumenico. Quandoquidem igitur Concilium Constantiense pro statu schismatis, & Papæ dubij perinde habendum fuerit, ac si nullus eidem interesset verus Papa; Capitis Oecumenici characterem præferens in facie sanctæ Ecclesiæ, imò tempore 4. & 5. Sessionis ne dubij quidem Papæ character interuenerit, quinimò, ne quidem Episcopi dubiorum Paparum obedientiis diuersimodè addicti, vniuersi, ibi adhuc præsentes extiterint meritò iam sciscitari licet quomodo pro tali statu Synodus illa vti potuerit titulo Generalis Concilij, nisi quoad generalitatem quasi materialem, & incompletè dumtaxat formalem, qua Episcopali characteri insitam subsistentem pro tunc sub statu tendentiæ, tum ad omnimodam materialem ex duorum Paparum obedientijs coaceruandam, tum ad perfectam ex Papa certo sufficiendo suisque Conciliaribus Decretis accessuro substituram formalem generalitatem. Sub cuiusmodi adeò restrictione poterat eadem Synodus pro eo statu dici repræsentans Ecclesiam Catholicam militantem, quatenus scilicèt Ecclesiæ hierarchicum, sed incompletum & Capite certo destitutum corpus repræsentabat sub ordine tendentiæ ad istam sui ex Capite integritatem recuperandam.

§. V.

Corollarium

Operæ pretium duco, vt coronidis loco hìc examinetur, quod Maymbourgus pag. 217. & 254. scripsit de Concilio Pisano, ac si quæstionem de auctoritate Synodi generalis supra Pontificem, decidisset pro Concilio. Ità enim iste Auctor tract. sui hist. cap. 23. cit. pag. 217. scribit de Concilio Pisano. Celebris Doctor Petrus Planust vnus ex Deputatis Vniuersitatis Parisiensis, quæ tunc maximi apud omnes fiebat, habuit in plena Congregatione longam, & doctam orationem, in qua pluribus rationibus probabat, Ecclesiam vniuersalem, & consequenter Concilium generale ipsam repræsentans, esse supra Papam, adiungendo, hanc esse sententiam Vniuersitatis Parisiensis, & cæterarum omniũ Vniuersitatum Galliæ. Vix è cathedra descenderat, cùm Episcopus Nouariensis eam ascendit, & legit alta voce scriptum, quo declarabatur, centum & tres Doctores, & Licentiatos in Theologia ex ijs, qui deputati erant ab Vniuersitatibus, conuenisse de mandato Cardinalium, vt deliberarent super hac materia, quodque omnes communi voto amplexi essent sententiam Vniuersitatis Parisiensis. Asseuerabat enim, quòd præter Vniuersitates Galliæ, ità quoque sentiret celebris Vniuersitas Bononiensis, cuius literæ habebantur, & Vniuersitas Florentina, quæ sententiam suam dederat in scripto à 120. Doctoribus subsignato. Hæc D. Maymbourg ex Actis Pisani Concilij; prout edita fuerunt tomo 11. Conciliorum Philippi Labbei, & tomo 6. Spicilegiorum Lucæ d'Acherij, quorum Auctorum editiones citat pag. 216. in margine.

Cui proindè Maymbourgi oppositioni solidis rationibus occurrit Schelstrate; priùs tamen, quàm de re ipsa indicet, adferens illas Concilij Pisani editiones inter se plurimùm discrepantes. Nàm prior minùs correcta, à Philippo Labbæo ex alia anteriori editione Parisiensi exhibita, refert de Petro Plaoust, quòd anno 1409. die 29. Maij orationem habuerit, qua mentem suam de suprema auctoritate Ecclesiæ in publica Congregatione exposuit, sed addidit, quòd post orationem attulerit opinionem Vniuersitatis Parisiensis: [Et postmodùm posuit opinionem Vniuersitatis Parisiensis, videlicet, quòd Petrus de Luna est schismaticus pertinax, & hæreticus, etiam accipiendo hæresim propriè, & strictè, præcisusque ab Ecclesia Dei, eiectus à iure Papatus, & priuatus, ac per Concilium de facto tamquam talis eijciendus, & priuandus, & hæc declarauit pluribus rationibus. Et subiunxit, quòd de eadem opinione erant Vniuersitates Andegauensis, & Tholosana. Ipso autem descendente de cathedra, ascendit quidam Episcopus Italus, qui opinionem tredecim Magistrorum, & plurium Licentiatorum, & Baccalaureorum Formatorum, ac Vniuersitatis Bononiensis in quadam schedula publicauit, quæ est conformis opinioni Vniuersitatis Parisiensis.] Ità Acta Pisana prioris editionis, quæ Lucas d'Acherius his verbis tomo 6. Spicilegiorum integriora reddidit ex tribus codicibus Bibliothecæ Gemmeticensis.

[Decimatertia sessio fuit die Mercurij 29. Maij, quæ fuit in septimana Pentecostes, in qua post Missam, & Litanias Magister Petrus Plaoust pro Vniuersitate Parisiensi dixit, & declarauit, opinionem Vniuersitatis esse, istos duos contendentes debere reputari schismaticos, & antiquati schismatis nutritores, & hæreticos pertinaces, firmans auctoritatem Concilij ad decidendam hanc causam, & declarandum, eos esse ab Ecclesia præcisos, & abiectos, & eos, quantum opus est, abijciendos, &c. sumens thema suum: Congregabuntur filij Iuda, & Hierusalem, & ponent sibi caput vnum .... Posteà immediatè vnus Episcopus Italus, dictus Nouariensis, legit quamdam schedulam facientem mentionem, qualiter secundùm ordinationem Dominorum Cardinalium per D. Cardinalem Mediolanensem fuerunt simul congregati omnes Magistri in Theologia, & Licentiati, & Baccalaurei Formati, qui ad dictum Concilium de multis partibus, & Vniuersitatibus conuenerunt, & inter eos fuerat plena delibe-

ratio ſuper iſta materia, & poſteà in eamdem opinionem conuenerunt, & concordes fuerunt, videlicet, quòd dictos ambos contendentes tenent ſchiſmaticos, & hæreticos pertinaces, &c. vt ſupra. Et omnium, & ſingulorum nomina recitauit, quorum multi ſunt Epiſcopi, & Prælati, & faciebant omnes numerum centum & trium. Item poſteà dixit, quòd in eadem opinione fuit Vniuerſitas Florentina, in qua fuerunt centum & viginti Magiſtri ſubſcripti. Idem etiam deliberauit Vniuerſitas Bononienſis, quæ de hoc miſit literas. Idem Vniuerſitates, ſiue Studia, Aurelianenſis, & Andegauenſis, & Tholoſana per ſuos Ambaſciatores ibidem.] Hæc omninò ſunt Acta Piſana, quibus vſus eſt D. Maymbourg, vt probaret, Vniuerſitatem Pariſienſem, iuxta Petrum Plaouſt, ſententiam tuliſſe pro auctoritate Concilij ſupra Pontificem, eiuſdemque opinionis fuiſſe alias Vniuerſitates ab Epiſcopo Nouatienſi allatas.

Illatio.

EX Concilij Piſani Actis prædallegatis nullatenus conſtat, Vniuerſitatem Pariſienſem egiſſe de auctoritate Concilij ſupra indubitatum Pontificem, ſed ſolùm de tempore ſchiſmatis ſtatuiſſe; velut oſtendere pergit præcitatus Schelſtrate cit. cap. 1. à pag. 69. Id Acta, inquit, prioris editionis expreſsè innuunt, dum his verbis referunt Vniuerſitatis Pariſienſis opinionem: [Quòd videlicet Petrus de Luna eſt ſchiſmaticus pertinax, & hæreticus præciſus ab Eccleſia Dei, & eiectus à iure Papatus, ac per Concilium de facto priuandus.] Acta correctiora per Lucam d'Acherium edita teſtantur non ſolùm de Petro de Luna, ſed de duobus contendentibus Vniuerſitatem Pariſienſem ſenſiſſe: [Debere reputari ſchiſmaticos, & antiquati ſchiſmatis nutritores, & hæreticos pertinaces.] Hæc, & non alia in Actis Piſani Concilij dicitur Pariſienſis Vniuerſitatis ſententia per Petrum Plaouſt allata, vt videre non poſſim, vndè nam D. Maymbourg habuerit, Vniuerſitatem Pariſienſem egiſſe de auctoritate Concilij ſupra verum, & indubitatum Pontificem. Quo loco enim id habent Acta Piſana? Quibus verbis id teſtantur? A quo tempore id memoriæ prodiderunt? Quandonam id in illis legi cœpit?

Ante paucos ſanè annos nondum id habebant, neque id in ijs legerat Auctor ille, dum libro de magno ſchiſmate Occidentis, hiſtoriam Piſani Concilij exponendo retulit de Petro Plaouſt: [Declarabat, & confirmabat opinionem Vniuerſitatis, quòd nimirum duo contendentes haberi deberent pro veris ſchiſmaticis, qui nutriebant infortunatum illud ſchiſma; quin & pro hæreticis, deſtruendo, quantum poterant, articulum Symboli, quo vnitas Eccleſiæ creditur; & concluſit demum, quòd Concilium illos pro talibus habere, excommunicare, & deponere debebat de Papatu, de quo per ſchiſma, & hæreſim iam exciderant.] Hæc tunc D. Maymbourg, quæ cum ipſis Actis conueniunt, & ex aduerſo pugnant cum ijs, quæ in recentiori ſuo tractatu de ſenſu Vniuerſitatis Pariſienſis adduxit. Vnde patet profectò, Auctorem illum contra fidem Actorum Piſani Concilij ſcripſiſſe, quòd inter cæteras Galliæ, & Italiæ Vniuerſitates de illa quæſtione conuenerit, cùm de ea ab illis tunc actum non fuerit.

Neque ad rem facit, quòd Concilium Piſanum de duobus contendentibus ſententiam tulerit, prout D. Maymbourg ex Ioanne Launoio, quem vbique in tractatu ſuo hiſtorico ſecutus eſt, obijcit. Quamvis enim notet ex eiuſdem Launoij epiſtola ad Henricum Barilloniuum, Concilium Piſanum ſententiam tuliſſe conformiter ad decretum, quo anteà definiuerat, ſeſe repræſentare Vniuerſalem Eccleſiam, & ſupremum, ac vnicum in terris Iudicem habendum eſſe, ad quem huius cauſæ iudicium ſpectabat, ſicque depoſiti fuerint duo de Papatu contendentes, quorum vnus verus Pontifex erat: negari tamen non poteſt, quin de ſingulorum Pontificatu plures dubitarent, indeque neuter contendentium pro certo à tota Eccleſia agnoſceretur. Et hoc eſt, quod Vniuerſitas Pariſienſis in datis anno 1394. ad Carolum Francorum Regem literis reſpondit ijs, qui partium ſtudio ducti, vnum pro certo, & indubitato Pontifice ab omnibus haberi volebant, eoque modo Pontificem ſuum à iudicio Synodi eximere ſtudebant: [Si certum, inquit Vniuerſitas, videte, ne verbo abutamini, qui id certum appelletis, de cuius obſcuritate, atque ambiguitate tanta ſemper fuit, & eſt apud tantam Fidelium portionem contentio.] Ponamus itaque, Pontifices, quos tempore ſchiſmatis Romana Eccleſia ſecuta eſt, fuiſſe veros Pontifices, non tamen apud omnes de ijs conſtabat, & aliæ obedientiæ illos non agnoſcebant, vndè certi, & indubitati tunc dici non poterant: quod etiam in cauſa fuit, quòd plures Orbis Catholici Prouinciæ cum Collegio Cardinalium, & Patribus Piſani Concilij, tam ei, cui Romana Eccleſia tunc parebat, quàm eius Competitori obedientiam ſubtraxerint, & ipſum Piſanum Concilium de duobus contendentibus, tamquam de dubijs Pontificibus ſententiam tulerint.

Falſum itaque eſt, in Synodo Piſana actum fuiſſe de indubitato Pontifice: falſum, quæſtionem de ſuperioritate Concilij ſupra certum, & indubitatum Pontificem ibidem deciſam fuiſſe, & de ea Pariſienſem Vniuerſitatem tunc egiſſe. Vtriuſque ſanè obedientiæ Cardinales in illis literis, quibus anno 1408. Gregorium XII. ad Concilium Piſanum conuocarunt, adducunt concluſiones Vniuerſitatum Pariſienſis, & Bononienſis, in quibus ſolummodò mentio fit quæſtionis de auctoritate Concilij ſupra duos de Papatu contendentes, de quibus propter dubia facti, & iuris ignorabatur, vter verus Pontifex cenſendus erat. Vnde quinta illarum Vniuerſitatum concluſio fuit: [Quòd ſtante dubio Papatus inextricabili propter dubium facti, & iuris, ne in ſubuerſionem fidei Eccleſia ſic remaneat diuiſa perpetuò cum tanto ſcandalo, & animarum perditione, prouiſio ſpectat ad Concilium, & Eccleſiam vniuerſalem, vt vtrumque, eis non cedentibus, poſſit à Papatu eijcere.] Ita Vniuerſitates Pariſienſis, & Bononienſis in concluſionibus, quæ ad vnam vſque agunt de caſu duorum contendentium tem-

pore

pore schismatis, vt videre licet in Cardinalium literis apud Lucam d'Acherium tom. 5. Spicilegiorum editis, & à Philippo Labbeo iterum excusis.

Quamvis autem nunc communiter admittatur in scholis, Concilium tempore inueterati schismatis iudicare posse de Pontificibus dubijs, & in tempore Concilij Pisani in sententiam illam Italiæ,& Galliæ Vniuersitates propenderint; voluit tamen Concilium Pisanum vlteriùs Inquiri, an duo contendentes non solùm tempore schismatis viuerent, sed ipsius schismatis nutritores, & veri hæretici censendi essent? Cùm enim quisque propter hæresim extrà Ecclesiam,vel, vt cum Paulo loquar, [foris constituatur,]& inter omnes conueniret, hæreticum ipso facto ab Ecclesia præscindi; voluit Concilium Pisanum inquiri, an dubij illi Pontifices hæretici reputandi essent, vt sub illo etiam titulo tantò certiùs à Papatus regimine eijcerentur, quantò magis inter omnes constabat, Pontifices à fide deuios omni iure Papatus destitui,& re ipsa priuatos censeri.

Tantæ molis erat, tempore Pisani Concilij sententiam ferre in dubios Pontifices, quos tamquam de Papatu colludentes, & articulum fidei de vnitate Ecclesiæ non quidem dogmatizando,sed operando, destruentes,ab omni dignitate Ecclesiastica excidisse, Synodus iudicauit; cuius tamen iudicio non acquieuit totus Orbis Catholicus, cùm plures Prouinciæ Gregorium, & Benedictum sequi perrexerint, & viri doctissimi sententiam huius Synodi reuocarint. Nolim hìc repetere, quæ Salmanticensis Vniuersitas cum Hispaniarum Ecclesijs pro Benedicto XIII. allegarit, neque quid alij ex obedientia Greg. XII. contra Synodum Pisanam scriptum reliquerint. Videri potest Diuus Antoninus Archiepiscopus Florentinus, qui parte 3. chronicor. tit. 22. cap. 5. §. 2. vti & in alijs locis omninò contendit, Gregorium malè hæreseos accusatum fuisse, & ideo non immeritò ab illo Ioannem Dominicum missum fuisse ad Sigismundum Imperatorem: vt cum eo secretò tractaret de modo tenendo in congregando Concilium aliud: vbi ex toto auferretur schisma, quod vbique per Pisanum Concilium, vel Conciliabulum) cùm hoc non esset auctoritate alicuius eorum, qui se gerebant pro Pontifice, congregatum) non erat ablatum ipsum schisma, sed augmentatum, ex duobus, tribus iam pro Papa se gerentibus.

Dicit D. Antoninus, per Pisanum Concilium schisma non extinctum, sed adauctum fuisse, eò quòd vbi ante illud duo dumtaxat de Papatu contendebant, post electum in eorum locum Alexandrum V. tres de Papatu contendentes apparuerint: ita vt de Occidente tunc dici potuerit, quod Magnus Hieronymus epistola ad Damasum olim de schismate Orientali scriptum reliquit: [Vetusto Occidentem populorum furore collisum, indiscissam Domini tunicam minutatim per frusta discerpsisse.] Dici potuit,post Pisanum Concilium minùs Inter multos constituisse, apud quem incorrupta Petri seruaretur successio: licèt namque Benedictus, Gregorius, & Ioannes cathedram Petri suam esse dicerent, & vnaquæque Obedientia se Petri Successorem sequi assereret, ob dubium tamen Facti, & Iuris super Papatu, plures Catholici de tribus contendentibus ancipites fuerunt. Vnde ipsum Constantiense Concilium numquam induci potuit, vt vnum ex illis tanquam indubitatum Pontificem toti Ecclesiæ proponeret, sicut ex Actis, & Gestis ipsius statim citandis constabit.

DISQVISITIO VII.

Quantum pro Concilij supra Papam superioritate probanda, valeat, decretum Concilij Constantiensis Sessione 5. editum?

§. I.

Ad præsentis, ac præcedentis disquisitionis statum meliùs intelligendum, haud parùm conducit, nosse historicam rei seriem, quæ decretis tum IV. tum V. Sessionis in Concilio Constantiensi ansa, & occasio fuit, ex authenticis manuscriptis codicibus descripta à Schelstrate in sui de eisdem decretis tractatus compendio Chronologico.] Nempe Clemens V. in Romanum Pontificem electus, Sedem Apostolicam anno 1305. transtulerat Auenionem: sed Gregorius XI. anno 1370. rediJt ad Vrbem, vbi cùm fatis functus esset, Cardinales ad instantiam plebis, Papam Italum petentis elegerunt Archiepiscopum Barensem, qui se Vrbanum VI. nominauit, Cardinales verò Galli, cum tribus Italis, prætexendo, ac si ille fuisset per metum electus, Fundis congregati elegerunt Robertum ex Comitibus Gebennensibus, qui Clementis VII. nomen assumpsit, Cathedramque rursus Auenionem transferre conatus est. Ex pluribus M.SS. Codd. Bibliothecæ Vaticanæ, & in actis Pisani Concilij editis tom. 6. Spicilegiorum Lucæ d'Acherij, & tomo XI. Conciliorum Philippi Labbei.

Ex horum duorum electione ortum habuit magnum, & horrendum schisma, cui nullum simile fuit neque temporis diuturnitate, neque causæ, & rei dubietate, neque Regnorum, & Prouinciarum diuisione. Clementi enim VII. adhæserunt omnes Galliæ ab Alpibus inclusiuè, vsque ad Belgium, & Oceanum Brittannicum, Scotia, Hispania cum Insulis eidem subditis, Cyprus, Rhodus, & Ianua. Vrbano autem paruerunt reliqua Regna, & Prouincia, Italia nimirum cum suis Insulis, Germania, Belgium, Bohemia, Hungaria, Polonia, & Anglia. Ex Appendice ad Constantiense Concilium tomo 9. Philippi Labbei, & plusquàm sex manuscriptis Bibliothecæ Vaticanæ codicibus.

Mortuo Romæ Vrbano VI. à Cardinalibus istius Obedientiæ quarto nonas Nouembris electus est in eius locum Bonifacius IX. cui anno 1404. successit Innocentius VII. qui, vnà cum Cardinalibus in Conclaui existentibus, se se iuramento adstrinxerat ad cedendum Papatui, quoties alterius Obedientiæ Pontifex

tifex idem faceret. Quod iuramentum præstitit quoque Innocentij Successor Gregorius XII. Anno 1406.mense Decembris in Pontificem electus, sicut, & præstiterat Auenione Petrus de Luna Benedictus XIII. in Clementis VII. Successorem anno 1394. substitutus, Ex Actis Pisani Concilij, Leonardo Aretino, & Theodorico Niem Scriptoribus contemporaneis.

Gregorio XII. & Benedicto XIII. promissionem cedendi Pontificatui non adimplentibus, Cardinales vtriusque Obedientiæ ab ijs recesserunt,& duos illos de Papatu contendentes ad Concilium pro extirpatione schismatis, & vnione Ecclesiæ anno sequenti habendum euocarunt. Ex actis Pisani Concilij tom.6. Spicilegij Lucæ d'Acherij, & tomo 11.Conciliorum Labbei editis: vbi ipsæ Cardinalium epistolæ hac de re Liburni hoc anno editæ exhibentur.

Benedictus XIII. post subtractam sibi per Galliæ Regem obedientiam fugit in Aragoniam ad Perpignianum, & se se Concilij iudicio subiectum non esse, respondit. Gregorius verò XII. Senas tetrocessit, ad se Concilij conuocationem spectare constanter assernit, ipsosque Cardinales ad aliud Concilium in Prouincia Aquileiensi enocauit. D.Antoninus par.3. Chron.tit.22. §.3.& huius tract.Differt. 2.cap.2.

Celebratur ab vtriusque Obedientiæ Cardinalibus Pisanum Concilium, in quo tantùm abest, decisam fuisse quæstionem de superioritate Concilij, vt decisa fuerit quæstio de auctoritate Concilij supra Papam tempore schismatis. Licèt enim Vniuersitatum Parisiensis,& Bononiensis sententia esset, quòd, [stante dubio Papatus inextricabili propter dubium Facti, & Iuris,] prouisio spectet ad Concilium, & Ecclesiam vniuersalem; Patres tamen Pisani non ausi fuerint hoc titulo duos de Papatu contendentes deponere,sed voluerunt primùm pro pari, Gregorium, & Benedictum ad inuicem colludere, & non quidem docendo, sed operando contra articulum Symboli de vna Ecclesia Catholica schisma fouere, eosque proinde tamquam schismatis nutritores, & veros hæreticos censeri debere. Ex Actis Pisani Concilij à Notarijs conscriptis hactenus non editis; vel ex Actis tom. 6. Spicilegiorum Lucæ d'Acherij, ac tomo XI. Conciliorum à Philippo Labbeo editis, ex quibus vltimis id ipsum traditur ab Auctore magni schismatis Occidentis ad hunc annum. Vide Dissertationem nostram 2. cap.1. art.1.

Die 5.Iunij Sessione 15.Patres Pisani[visis, & diligenter inspectis omnibus, & singulis productis, probatis, & agitatis in præsenti causa; habitaque priùs inter se ipsos, & demum cum copiosa multitudine Magistrorum in S. Theologia, atque vtriusque Iuris Doctorum pluriès diligenti collatione, tandem deliberatione matura in prædicto, tamquam de Papatu colludentes, schismaticos, & veros hæreticos sententiam depositionis] pronunciant, & die 26. Iunij Cardinales in eorum locum eligunt Petrum de Candia, Ordinis Minorum, qui se Alexandrum V.nominauit. Ex Actis Pisani Concilij editis, & ineditis.

Depositis in Concilio duobus contendentibus, & in eorum locum suffecto Alexandro V. schisma non extinctum, sed adauctum fuit, nihilque aliud Patres Pisani assecuti fuere, quàm vt duobus de Papatu contendentibus tertium adiecerint. Non obstante enim dicta depositione, Benedicto adhæserunt Regna Scotiæ, Nauarræ, Castellæ, & Aragonum cum Sardinia, Maiorica, & Canarijs Insulis, alijsque terris tam Regi Arragonum, quam Comitibus Fuxi, & Armeniaci subiectis: Gregorio verò XII.dudum post Pisanum Concilium paruerunt Regnum Siciliæ,& Regnum Neapolitanum, & vsque ad Sessionem XIV. Constantiensis Concilij in ipsius obedientia fuerunt Carolus de Malatestis cum Remandiola, Duces Bauariæ, cum pluribus Episcopis Germaniæ, vltra plures timoratos, qui Gregorium vsque ad cessionem Papatus pro vero Pontifice habuerunt; vt testis est D.Antoninus Archiepiscopus Florentinus part. 3.Chron.tit. 22. vbi affirmat, Gregorium XII.non collusisse,nec schismaticum, aut hæreticum fuisse. Vide Dissertationem 2. cap.1. cart.1.infra.

Mortuo Alexandro V.ab Eius Obedientiæ Cardinalibus in Pontificem eligitur Balthassar Cossa Legatus Bononiensis, qui Ioannis XXIII.nomen assumpsit, & cum Imperatore Sigismundo Laudam anno 1413. cõuenit,vbi pro extirpatione schismatis,& vnione Ecclesiæ Concilium Constantiense ad annum sequentem conuocauit. Ex Bulla conuocationis Sessione 1. Constantiensis Concilij.

Ioannes die 27. Octobris publicè Constantiam intrauit, & 16. Mensis Nouembris primam Sessionem habuit, in qua nihil omninò actum est de materia vnionis, sicut nec post illam Sessionem vsque ad finem Ianuarij anni sequentis, [quia apud aliquos erat morbus: noli me tangere,] vt testantur Gesta Constantiensis Concilij in quatuor manuscriptis codicibus, quibus consonat ea, quæ edita sunt à Philippo Labbeo in Appendice.

Die 19.Nouembris ante valuas Conuentus Augustinianorum, qui pro habitatione Legatorum Gregorij XII. parabatur, affiguntur insignia, vulgò Arma, eiusdem Pontificis, quæ sequenti nocte demandato forsan Ioannis XXIII. amota fuerunt, ob quod grauis quæstio exorta est inter Patres Concilij, quorum aliqui arma prædicta à Legatis apponi non potuisse, alij rectè apposita fuisse, existimarunt: omnes autem in eo conuenerunt, quòd Gregorius ipse, si personaliter Constantiam aduenisset, Arma Pontificia, non obstante Ioannis XXIII. præsentia, potuisset affigere. Ex Regesto Constantiensis Concilij in tribus manuscriptis codicibus. Vide Dissertationem tertiam capit. secundo.

Legati Gregorij petunt saluum conductum à Rege Romanorum, & Ioannes Dominici cum capello rubeo, tanquam Cardinalis, publicè Constantiam ingredi cupit. Variæ hanc in rem inter Patres exortæ sunt disceptationes, & quamuis IoannesXXIII.indubitatus Pontifex haberi volens,Gregorium instar Pseudopontificis ob hæresim Pisis dam-

nati, eiusque Legatos minimè audiendos putauerit, Concilium tamen Ioannis mentem in hoc minimè secutum fuit, & quæstionem de iure Pontificatus intactam relinquens, Ioanni Dominico in habitu Cardinalitio Constantiam die 21. Ianuarij ingredi permisit. Ex Regesto suprà, & Actis Constantiensis Concilij in Bibliotheca S. Victoris Lutetiæ Parisiorum asseruatis. Vide Dissertationem III. cap. 2.

Cùm Ludouicus Bauariæ Dux pro Obedientia Gregorij XII. obtulisset Patribus Concilij, quòd sese vniret, & Gregorius ipse personaliter ad Concilium accederet, si Ioannes XXIII. à præsidentia ipsius amoueretur, nonnulli Patres exinde ansam arripuerunt agendi de materia vnionis. Circa initium itaque Mensis Februarij cùm Cardinalis Sancti Marci schedulam publicasset, qua de varijs viis, quibus ad vnionem perueniri potest, mentem suam exponebat, & de via coactionis nonnulla conscripsisset, quæ Ioannis XXIII. auctoritatem lædere videbantur, pro auctoritate eiusdem Pontificis tres schedulæ editæ sunt, in quibus pro hæretico habendus esse dicebatur, qui indubitatum Pontificem, de nullo hæresis crimine diffamatum, ad Pontificatui cedendum cogi posse, tuetur. Quibus schedulis per nonnullos priuatim Constantiæ editis, aliam schedulam vulgauit Petrus de Alliaco Cardinalis Cameracensis, in qua per modum conclusionum de aliorum opinionibus mentem suam exposuit. Ac prima quidem conclusione supponit, agi de Pontificatu, quem licèt Obedientia Ioann. XXIII. eidem canonicè competere existimabat, aliæ tamen duæ Obedientiæ probabiliter contrarium tenebant; quòdque in ea opinionum diuersitate non essent minores difficultates iuris, & facti, quàm erant ante Pisanum Concilium. Statuit autem conclusione VI. quòd attenta perplexitate casus præsentis contendentes pro pace Ecclesiæ acceleranda, possint compelli, & nolentes cedere, deponi, eamque Cardinalis Cameracensis opinionem Concilium posteà secutum fuisse, ex infrà dicendis constabit. Ex Gestis Constantiensis Concilii in quatuor manuscriptis codicibus, & Appendice eiusdem Synodi apud Labbeum tom. 11. Conciliorum.

Concilium, prætermisso tunc suprà dictorum examine, solam viam cessionis tentandam esse credidit, & pro ea apud Ioannem XXII. instare cœpit, qui die 2. mensis Martij in Sessione publica obtulit, se Papatui cessurum pro vnione Ecclesiæ, casu, quo alij duo de Papatu contendentes per se, vel per Procuratores suos cederent. Ex Gestis manuscriptis, Regesto, & Actis editis.

Die II. Martij cœpit Rex Romanorum cum Nationibus Galliæ, Germaniæ, & Angliæ instare apud Ioannem XXIII. quòd vellet constituere Procuratores ad cedendum Papatui, vbi, & quando Concilio videretur expedire. Quod, cùm Ioannes animaduerteret, excogitatum ad ipsum ante duos alios Pontifices contendentes Pontificatu priuandum, nihil inrentatum reliquit, vt hoc telum à se auerteret, obtulitque die 15. eiusdem Mensis se Papatui cessurum pro Vnione Ecclesiæ; & casu, quo per ipsum staret, quò minùs Vnio fieret, tunc ab omnibus haberi vellet pro non Papa, & perinde, ac Papatui expressè renuntiasset. Verùm persistentibus Germaniæ, & Angliæ Nationibus in petendo Procuratorio, & die 19. Martij accedente ad eatum conclusionem maiori parte Nationis Gallicanæ, Papa hoc sentiens, post mediam noctem inter diem Mercurij, & Iouis 21. Martij fugam arripuit, Duce Frederico illum conduci faciente, & Schaffusam quatuor milliaribus Germanicis à Ciuitate Constantiensi distantem peruenit. Ex Gestis Concilij hucusque non editis, quibus consonant cætera Acta, & monumenta istius temporia.

Magna animorum turbatio oritur Constantiæ ex discessu Papæ, & ex eius mandato, quod statim post suam fugam misit Constantiam affigi valuis Ecclesiæ, quo omnes Romanæ Curiæ Officiales, suosque familiares Schaffusam euocabat. Vnde Collegium Cardinalium die 22. Martij nominauit tres Cardinales Legatos ad Papam, ne Concilium dissolueret, sed Procuratores ad renunciandum Papatui constitueret. Legatis autem die sequenti ad iter se parantibus, monentur omnes Cardinales pro parte Regis Romanorum, & Nationum, vt vellent interesse Missæ S. Spiritus pro vnione Ecclesiæ, & extirpatione schismatis. Post quam Missam habuit sermonem Ioannes Gersonius Vniuersitatis Parisiensis Cancellarius in derogationem iurisdictionis Apostolicæ, vt fidem facit Regestum Actorum Constantiensium in tribus manuscriptis codicibus, & fusiùs ostenditur Dissert. 11. cap. 1. art. 2. huius Tractatus.

Occasione huius sermonis à Ioanne Gersonio die 23. Martij coram Patribus habiti orta est quæstio tam Schaffusæ, quàm Constantiæ de potestate Ecclesiastica. Cùm enim tres Cardinales Legati eodem die 23. Constantia discessissent, & vnà cum illis Archiepiscopus Rhemensis, Ludouicus Bauariæ Dux, & Nicolaus de Calnilla Regis Galliæ Oratores ad Ioannem peruenissent, ac de sero cum eodem locuti fuissent, Papa amaro animo conquestus est cum Oratoribus prædictis, quòd Ioannes Gersonius vnus ex ipsorum Collegis quædam contra Sedis Apostolicæ auctoritatem effutire ausus fuisset, aliosque Patres ad falsa, & erronea contra Romanum Pontificem concludenda incitasset. Hæc autem querela apud Oratores Christianissimi Regis interposita effecit, quòd ea de re cum Cardinalibus egerint, & sese cum ijs coniunxerint, ac Decretis contra Apostolicæ Sedis auctoritatem edendis obstiterint. Ioannes verò eodem die 23. Martij dedit ad Vladislaum Poloniæ Regem, aliosque Principes litteris, conquestus est inter alia, quòd suffragia Patrum neque libera essent, neque singulorum vota in Sessionibus audirentur, sed quatuor suffragia Nationum per earum Præsides lata, totam auctoritatem Concilij repræsentarent. Ex Regesto, & Manuscriptis Constantiensis Concilij Romæ asseruatis; vel ex Actis Parisijs in Bibliotheca S. Victoris custoditis: item ex Turrectemata lib. 2. de Ecclesia, cuius testimonium vide Dissert. 2. cap. 2.

Archiepiscopus Rhemensis Constantiam redux, frustra offert Regi Romanorum, & Na-

Nationibus Procuratorium nomine Ioannis XXIII. Exacerbatis enim ob ipsius fugam Patrum animis, cuncta, quæ pro illo offerebantur, figmentorum instar habita sunt. Et feria tertia post Palmas, quæ fuit 26. Martij, celebrata est ante meridiem tertia Sessio, cui non interfuere, nisi duo Cardinales, Cameracensis nimirum, & Florentinus, reliquis omnibus aut Schaffusæ constitutis, aut indecorum reputantibus eidem assistere, vt fidem faciunt Acta Victorina Parisijs asseruata. Statutum fuit in illa Sessione, Concilium Constantiense per recessum Ioannis XXIII. dissolutum non fuisse, sed nec dissolui debere ante extirpationem schismatis, nec ad alium locum sine consensu Concilij transferri posse; nemini demum sine iusta causa ante finem Concilij discedere licere. Quæ omnia Petrus de Alliaco Cardinalis Cameracensis, & Franciscus Zabarella Cardinalis Florentinus non alia ratione publicari permiserunt, nisi sub conditione, quòd Ioannes XXIII. ea ratificaret. Omissam hac de re à Basileensibus in compilatione Actorum Constantiensium protestationem habes in Regesto eiusdem Constantiensis Concilij, & in manuscripto codice Capranicensi, ex quo eam edidit Philippus Labbeus in Appendice eiusdem Synodi Tomo XI. Conciliorum.

Post III. Sessionem eodem die 26. Martij Constantiam reuersi sunt tres Cardinales Legati cum duobus alijs, qui de sero coram Rege Romanorum, & quibusdam Patribus agere cœperunt de auctoritate Ioannis XXIII. qui sibi tamquam vero, & indubitato Pontifici auctoritatem dissoluendi Concilium competere existimabat, eaque occasione locuti sunt contra ipsum Concilium, scilicet, quòd dissolutum esset propter absentiam, & discessum Papæ. Cùm verò nonnulli Patres sese acriter opponerent, suscitato contra Cardinales clamore, Cardinales, insalutato hospite, abierunt. Theodoricus Niem in vita Ioannis XXIII. Francofurti anno 1620. edita.

Die Mercurij post Palmas, Cardinales, & Ambassiatores Regis Francorum volentes lenire, quæ præcedenti die pronuntiauerant, retulerunt Nationibus, & Regi in congregatione publica, quòd Ioannem induxerant ad dandum Procuratorium, & continuandum Concilium, & non fugiendum ad loca remotiora, dummodò ipsi præstaretur securitas. Quæ parum accepta fuere Nationibus, & Regi; omnia enim tamquam ludicra, & fictè pro parte Ioannis oblata credebantur. Vnde multæ altercationes tam ipsa die 27. quàm 28. sequenti fuerunt inter Dominos Cardinales, & Nationes, fuitque ibidem exclamatum: [His non obstantibus, fiat Sessio, fiat Sessio.] Gesta Concilij in 4. manuscriptis codicibus, & Regestum eiusdem Synodi in tribus Manuscriptis.

Die Veneris sancto Ioannes à Schaffusa de nouo aufugit: vnde turbatis contra ipsum cunctorum animis, plures ex Nationibus Germanica, Gallica, & Anglicana deliberarunt, in crastinum celebrare Sessionem IV. & in ea statuere primò, quòd Concilium Constantiense potestatem habeat immediatè à Deo, cui etiam Papa obedire teneatur in his, quæ spectant ad fidem, extirpationem schismatis, & reformationem Ecclesiæ in Capite, & in membris. Secundò, quòd cogi possit, si obedire contumaciter contempserit. Tertiò alia complura. Quæ omnia, contradicentibus pluribus Patribus, apud Nationes conclusa sunt. Cùm autem non solùm Nationi Italicæ displicerent, sed & sacro Cardinalium Collegio ad deliberandum oblata non fuissent, noluerunt dicti Cardinales, & Ambassiatores Regis Galliæ ad Sessionem venire, nisi inter alia Capitula secundùm mitteretur, & in 1. Decreto non fieret mentio reformationis Ecclesiæ in Capite, & in membris: Ex manuscriptis Gestis, & Regesto Constantiensis Concilij, Eugenio IV. in sua Apologia contra Basileenses, Turrecremata lib. 2. De Ecclesia cap. 99. & Roderico Calaguritano in Dialogo de auctoritate Romani Pontificis; quorum testimonia vide Dissert. 2. cap. 2. huius Tract.

Sabbato in Vigilia Paschæ, cùm Patres iam parati essent cum Mitris, & Pluuialibus ad celebrandam Sessionem IV. mediante Rege Romanorum, adhibitum est quoddam moderamen in expediendis in illa Sessione, quòd nimirum inter cætera Decreta omitteretur secundum de potestate coactiua Concilij, & in 1. Decreto nulla fieret mentio de reformatione Ecclesiæ, sicut re ipsa obseruatum fuisse, testantur contra Maymbourg omnes codices manuscripti Romæ reperti, quorum Catalogum hoc tractatu reperies præter alios omnes in Bibliotheca Cæsarea Viennæ, & alios in Bibliotheca Salernitana propè Constantiam, ac in reliqua Germania, & ipsamet Gallia Lutetiæ Parisiorum asseruatos, quibus consonant Auctores contemporanei, quos videre licet Dissert. 1. cap. 2. & 3. infra.

Cùm Cardinalis Florentinus, ad quem tamquam vltimum Cardinalem spectabat pronuntiare Decreta in Sessionibus publicis, venisset ad verba de reformatione Ecclesiæ in Capite, & in membris, quæ Nationes in schedula delere omiserant, substitit, eaque falsa esse, & præter communem deliberationem addita asseruit. Vnde non solùm tunc omissa fuit clausula de reformatione, sed eadem Sessione IV. Cardinales monuerunt Nationes, quòd suspenderent ad tempus materias illas, quæ habent magnas difficultates, & maturam exigunt deliberationem. Abbas Panormitanus in sententia finali, & Regestum Constantiensis Concilij in tribus manuscriptis codicibus.

Post IV. Sessionem Patres Constantienses non instituunt de articulis, & Decretis controuersia examen publicum, neque statuunt, coram Concilio ipso habendum, sed quasi de re parui momenti ageretur, nominarunt aliquos, qui cum Cardinali Florentino desuper agerent: vbi tamen inter eos aliqualiter disputatum est, Deputati quatuor Nationum die 2. Aprilis inter alia multa statuerunt, quòd proxima Sessione omnes articuli, & clausulæ concordatæ per Nationes in vltima Sessione prætermissæ expediantur. Regestum Concilij in tribus manuscriptis codicibus.

Cùm Cardinales nullatenus Nationibus con-

consentirent quoad articulos, & clausulas Sessione IV. prætermissas, easque, se inuitis, Sessione V. publicandas esse percepissent, statuerunt primùm, non venire ad Sessionem, sicut & quatuor Cardinales ad eam venire noluerunt: vbi autem alij animaduerterunt, omnes sine publico scandalo, & periculo dissolutionis Concilij, abesse non posse, statuerunt, ad Sessionem venire, præmissa tamen protestatione secreta in Camera Paramentorum Palatij Constantiensis, quòd propter scandalum euitandum ad Sessionem ibant, non animo consentiendi his, quæ audiuerant, in ea statui debere. Eandem protestationem fecerunt quoque Legati Regis Galliæ, qui sese quàm strictissimè cum Cardinalibus coniunxerant: adeò, vt non solùm contra mentem Ioannis XXIII. sed & contra sententiam totius sacri Cardinalium Collegij, & ipsorum Galliæ Legatorum publicata sint Decreta de potestate Ecclesiastica, quæ D. Maymbourg de superioritate Concilij intellecta, non solùm indubitatæ auctoritatis, sed instar dogmatum fidei habenda esse credebat. Ex Regesto Constantiensis Concilij in tribus manuscriptis codicibus.

Præmissa protestatione, ad Sessionem V. venerunt Cardinales, & inter eos Cardinalis Florentinus Canonistarum sui temporis facilè princeps, ad quem tunc spectabat Decretorum publicatio, qui rogatus, vt Decreta legeret munus illud exequi recusauit: electus itaque Poznaniensis legit Decreta per modum Constitutionum Synodalium, quia Cardinalis Florentinus ea legere noluit. Postquàm autem Decreta per modum Constitutionum recitasset, idem electus Poznaniensis legit alia in materia fidei contra hæreses Wicleffi, Hus, & Hieronymi de Praga. Ita Gesta Constantiensis Concilij in quatuor manuscriptis codicibus, Acta Protonotariorum in tribus manuscriptis, & alia in editis. Vide Dissert. 1. cap. 2. & Dissert. 3. cap. 3.

Lectis Decretis tanquàm priùs (ante Sessionem IV. (apud Nationes deliberatis & conclusis, dicere quidem poterant quatuor Præsides, quòd illorum publicatio placeret maiori parti Nationum, non tamen Collegio Cardinalium. Cùm enim Cardinales post fugam Ioannis XXIII. frustra petijssent pro sacro Collegio suffragium à Nationum suffragijs distinctum, separarunt se à Nationibus, earumque Congregationibus interesse noluerunt. Vnde factum est, quòd Nationes sine Cardinalibus deliberarint, & concluserint; Sicque à III. Sessione vsque ad VII. inclusiuè (penè in omnibus Decretis Concilij factum est Cardinalibus, quòd tam arctò, & breui tempore ostensa sint Decreta iam conclusa in Nationibus, vt non fuerit in eorum potestate, sufficienter deliberare, & in magnum contemptum habiti fuerint.) Acta manuscripta Constantiensis Concilij in Bibliotheca Regis Christianissimi Parisijs asseruata. Item Gesta eiusdem Concilij in quatuor manuscriptis codicibus Romæ reperta.

Quibus ita se habentibus, cùm præsens disquisitio se teneat in examinandis Decretis V. Constantiensis Sessionis, duo hic expendemus. I. An ista Decreta, consentientibus omnibus, quorum intererat, publicata sint? Cui quæstioni subiungetur conclusio, in qua videbimus, (qualiter Conciliares congregationes hand dici possint celebrari à Spiritu sancto, quando receditur à forma Concilij per Christum præscripta, sicque adeò locus aperiatur tumultuosis concertationibus. 2. An Patres Constantienses in Sessione V. sufficienter repræsentarint Ecclesiam, vt eorum Decretis esset ab omnibus parendum?) Cui quæstioni subnectetur conclusio, in qua iterum fiet discussio quædam illius characteris, sub quo Concilia dici queant repræsentare vniuersam Ecclesiam.

§. II.

Referuntur argumenta Maymburgi cum eorundem responsionibus circa Decreta V. Sessionis.

Emmanuel à Schelstrate in sua Dissert. Antuerpiensi cap. 1. art. 2. ostenderat ex Regesto Constantiensis Concilij, tam tumultuosè apud Nationes Decreta prætacta V. Sessionis fuisse conclusa die 27. Martij, vt non solùm magna animorum concertatio inter Patres orta fuerit, sed & Cardinales cum Regis Galliæ Oratoribus noluerint venire ad Sessionem IV. die 30. Martij celebrandam, nisi sub conditione, quòd auctoritatem Pontificiam spectantia in ea omitterentur, prout consentientibus Nationibus, omissa fuerunt. Monstraui igitur ex Gestis Constantiensis Concilij, quòd Cardinales, vnà cum Regis Galliæ Ambassiatoribus iterum difficultatem fecerint interessendi Sessioni V. in qua Nationes sine matura deliberatione, & nouo examine Decreta priùs conclusa publicare volebant; & licèt posteà ad Sessionem venerint, ostendi ex Regesto, quòd ante Sessionem illam in Camera Paramentorum secretam protestationem fecerint. (quòd propter scandalum euitandum ad Sessionem ibant, non animo consentiendi his, quæ audiuerant, in ipsa statui debere.)

Hisce igitur dicto modo, vel etiam per æqualium Scriptorum testimonia à Schelstrate cóprobatis, sequentia opposuit Maymbourgus tract. sui hist. pag. 254. quæ vnà cum oppositis responsionibus deinceps proferemus.

Argumentum Maymburgi.

Hic igitur Auctor loco cit. ita argumentatur. Scio equidem, quòd super decretis illis magnæ contentiones habitæ fuerint, & quòd Cardinales sese opposuerint. Concedo quoque ipsi id, quod inuenit in suo Manuscripto, & quod asserit, numquam antcà notum fuisse, & forsan verum non est, Cardinales, & ipsos Galliæ Oratores in camera paramentorum fecisse protestationem secretam: (Quòd propter scandalum euitandum, ad Sessionem ibant, & non animo consentiendi his, quæ audiuerant, in ipsa statui debere.) Quid potest inde concludere? Hæc ibi Auctor ille, petens subinde, numquamne

legerim

legerim hiſtoriam de aliquo conclaui, vel peruoluerim librum famoſum Pauli Suauis de Concilio Tridentino, in quibus refertur, quòd poſt magnam animorum contentionem omnes conuenerint de certo Pontifice eligendo, vel decreto in Seſſionibus publicando: ſic, inquit, factum eſt in Conſtantienſi Synodo: ponamus, fuiſſe magnas oppoſitiones, conteſtationes, proteſtationes ſecretas, & omne id, quod placuerit D. Schelſtrate nos ex Manuſcripto ſuo docere. Poſt hoc Cardinales, alijque omnes, qui conteſtati, & ſecretè proteſtati ſunt venerunt ad Seſſionem V. & ſicut Spiritus ſanctus vnit omnium animos in Concilio, vt dici poſſit: [Viſum eſt Spiritui ſancto, & nobis,] ſic poſtmodùm duo decreta huius Seſſionis communi ſenſu ſtatuta fuerunt; proue referunt Acta, quibus D. Schelſtrate nihil habet, quod ex Manuſcriptis ſuis opponat. Sic enim in Actis legitur: [Quibus articulis, ſiue conſtitutionibus lectis, Concilium eos, & eas vniformiter approbauit, & concluſit.

Reſponſio.

Emmanuel Schelſtrate ſui præcitati tractatus Diſſert. 2. cap. 2. à pag. 94. reſpondet in hunc modum. Apparet ex prætacto diſcurſu, quòd D. Maymbourg non ſolùm Baſileenſium ſententiam de confirmanda decretorum illorum auctoritate, ſed & artem eorum in ea contra obiectiones propugnanda, imitari voluerit. Quod, vt clariùs conſtet, animo repetenda ſunt, quæ diſſertatione mea de Baſileenſibus notaueram: cum enim illi Orbi Catholico obtrudere conarentur, quòd decreta Conſtantienſis Concilij ſummo animorum conſenſu, nemineque penitùs diſcrepante publicata fuerint, Eugenio IV. contrarium aſſerenti, Geſta eiuſdem Synodi hac arte obiecerunt, vt verba pro ſe facientia aſſerrent, cauſæ verò ſuæ minimè fauentia omitterent. Verba, quæ Baſileenſes pro ſe facientia attulerunt, indicaui, fuiſſe ſequentia: [Licèt iterum maior pars Cardinalium faciebat difficultatem intereſſendi, omnes tamen, præter infirmos venerunt ad Seſſionem, præſente Rege Romanorum in Imperialibus Inſignijs, præſidente Cardinali de Vrſinis Epiſcopo Albanenſi, & celebrauit Miſſam de Dominica Raynaldus Archiepiſcopus Rhemenſis.] Verba autem cauſæ ſuæ minimè fauentia, quæ omiſerant, oſtendi, eſſe iſta ſuperioribus immediatè ſubiuncta. [Fuerunt pronunciatæ diffiuitiones ſequentes per electum Poznanienſem, quia Cardinalis Florentinus illas noluit pronuntiare.] De quibus vltimis verbis cùm ſedulò inquiſiuiſſem rationem, cur à Baſileenſibus omiſſa eſſent, aliam non inueni, quàm quia inſtituto ſuo minimè fauerent: vbi enim ex verbis per ipſos citatis colligi poterat, omnes conſenſiſſe, ibi ex verbis ſubſequentibus conſtabat de oppoſitione Cardinalis Florentini, & omnium ipſi adhærentium, ex quibus planè colligebatur contrarium.

His præmiſſis, videndum eſt, quàm manifeſtè D. Maymbourg veſtigia Baſileenſium inſecutus fuerit. Admittit Auctor ille verba Geſtorum Conſtantienſium, quibus aſſeritur, quòd, non obſtantibus Patrum contradictionibus, & Cardinalium proteſtationibus ſecretè factis, omnes tamen ad Seſſionem V. venerint: omittit verò, quæ de Cardinali Florentino, eiuſque ſequacium oppoſitione ex ijſdem geſtis adiunxeram, & tunc aſſerit, de communi omnium conſenſu decreta fuiſſe publicata, nihilque in manuſcriptis codicibus reperiri, quod his Actorum verbis opponere potuerim [Concilium ea vniformiter approbauit, & concluſit.] Manifeſtiùs, vt puto, Auctor ille ſequi non poterat artem Baſileenſium in referendis ijs, quæ pro ſe faciunt, & ſilentio prætereundis, quæ menti ipſius contradicunt: nullibi tamen incautiùs, quàm hic egit, cùm eumdem errorem, quem in Baſileenſibus notaueram, ipſe committere voluerit. Neque mirari ſatis poſſum, quòd tam aſſeueranter ſcripſerit, me nihil habere, quod ex manuſcriptis codicibus opponam: cùm ex illis, & æqualium ſcriptorum teſtimonijs expreſsè oſtenderim, Cardinalem Florentinum cum ſequacibus, ac ipſo inprimis Ioanne XXIII. repugnaſſe. Quæ vt clariùs conſtent, fuſiùs comprobanda ſunt.

Et de Ioanne quidem conſtat ex Appendice Conſtantienſis Concilij tom. XI. collectionis Philippi Labbei, quòd ſeſe pro certo, & indubitato Pontifice haberi volens, numquam probarit eorum ſententiam, qui Concilio auctoritatem aliquam ſuper ipſum tribuebant. Notæ ſunt cedulæ ex parte Ioannis XXIII. initio Conſtantienſis Concilij publicatæ, in quibus per modum concluſionis quærebatur: [An Papa verus & Canonicus, de hæreſi non infamatus, nec ſuſpectus poſſit contra ea, quæ ſunt ſui iuris, ab aliquo compelli vel arctari; eumque non hæreticum condemnantes, hæretici ſint cenſendi? [Et reſponſum ad hoc concluſ. 3. datum: [Hoc forte mauus ponere in Chriſtum Domini, neque immeritò dubitari, an ille, qui talia pijs auribus ingerere auſus erat, [bonus Catholicus cenſeri poterat.] Cùmque Petrus de Alliaco Cardinalis Cameracenſis in caſu ſchiſmatis, vt tunc erat, de Ioanne iudicari poſſe contenderet, fatetur in Tractatu de auctoritate Cardinalium, ſe hanc ob rem, [graue, & periculoſum dicti Ioannis Papæ odium incurriſſe:] quòd Ioannes ſemper exiſtimarit, ſe pro indubitato Pontifice haberi debere, proindeque à Concilio cogi non poſſe. Vndè cùm poſt II. Seſſionem tres Nationes concluſiſſent, quòd ipſe ad ceſſionem Pontificatus ob ſchiſmatis extirpationem cogi poſſet, factum eſt, quòd ab ijs, qui Concilio interfuerunt, ſeſe audiuiſſe teſtatur Rodericus Calaguritanus Epiſcopus Dialogo de auctoritate Pontificis, Ioannem XXIII. ea de cauſa infeliciter fugam arripuiſſe.

Poſt fugam autem illius contigit, quod Card. Turrecremata, qui in minoribus conſtitutus, Concilio Conſtantienſi interfuit, de graui Ioannis XXIII. querela memoriæ prodidit. Cùm enim poſt fugam eiuſdem Ioannis Cancellarius Pariſienſis vnus ex Galliæ Oratoribus ſermonem coram Patribus in diminutionem Iuriſdictionis Apoſtolicæ habuiſſet, idque Cardinales à ſacro Collegio ad Papam Schaffuſæ conſtitutum miſſi retuliſſent: [Dominis Oratoribus Regis Franciæ

ciæ viſitantibus eum, inquit Turrecremata; amaro animo conqueſtus eſt Ioannes, falſa quædam, & erronea adversùs auctoritatem Romani Pontificis decreta per æmulos ſuos poſt receſſum eius eſſe concluſa.] Ita Scriptor ille. qui occaſione decretorum querelam illam interpoſitam putauit, cùm tamen occaſione ſermonis Gerſonij interpoſita fuerit, ideòque cum Collegis Gerſonij potiùs,quàm cum alijs conqueſtus fuerit. Neque hæc à Ioannis XXIII. mente aliena, ſed eidem omninò conſona eſſe, firmatur ex teſtimonio Niemi, in vita eiuſdem Papæ referentis de Cardinalibus Schafuſa Conſtantiam reuerſis, quòd Concilium ex mandato Ioannis diſſoluere voluerint, & auctoritatem diſſoluendi eidem competere propugnarint.

Verùm de Cardinalibus poſteà redeamus ad Ioannem, qui 24. Menſis Martij in epiſtola ad Poloniæ Regem inter varias rationes, quibus fugam ſuam à Concilio excuſat, hanc ponit: [Quòd quorumdam cæca, & inconſulta temeritas vſque adeò ab ipſo Concilij principio ita omnia peruertere, ita omnia perturbare concupiuit, vt non concordiam, ſed diſſenſionem, non vnionem, & pacem Eccleſiæ, ſed ſchiſmata, & ſcandala quærere viderentur, qui nullo antiquorum Conciliorum ritu obſeruato, non publicè,ſed ſparſim, & priuatim de rebus Eccleſiæ Conciliabula celebrabant in contemptum Sedis Apoſtolicæ, & in vilipendium noſtrum ſectas, diſſenſioneſque adversùs nos ſeminantes, ac non per viam ſancti Spiritus, vt decet, ſed per vim & ſtrepitum,contumelias in rebus ſingulis adversùs nos moliebantur, multa machinabantur indigna relatu contra decus Apoſtolicæ Sedis, & honorem noſtrum.] Ita immediatè poſt ſermonem Gerſonij Ioannes XXIII. in litteris ad Ladiſlaum Poloniæ Regem, iuxta quam formam, & ad alios Reges de Conſtantienſi Concilio ſcripſiſſe creditur.

Clariùs mentem ſuam expoſuit in articulis, quos vnà cum litteris ad Ducem Biturigum Schaffuſa Pariſios miſit. Eorum vnus erat, quòd, licèt in Concilijs Generalibus non debeat fieri Nationum differentia, ſed omnes & ſingulos ſententiam ſuam publicè aperire oporteat, vt vnius inſtructione informentur alij: hoc tamen Conſtantiæ non fuerit permiſſum, quinimò ſtatutum, quamlibet Nationem vnam tantummodò vocem, ſiue ſuffragium habituram, Etiamſi in Natione Gallica eſſent trecentæ voces notabiles, & in Italica totidem quoniam erant ex duabus illis Nationibus ducenti Prælati perſonaliter ibi comparentes & de Anglicana eſſent tantùm tres Prælati, ac cæteri Clerici nouem numero. Alter verò erat, quòd, cùm in Concilijs Generalibus ſecundùm ſtatuta Canonum ius ſuffragij non competat, niſi Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, quorum ſuffragia requirenda ſunt in Seſſionibus publicis, & non priuatis conſilijs, nihilominùs quicumque ad eiuſmodi conſilia fuiſſent admiſſi, nullo diſcrimine perſonarum habito, omnium ſuffragia,etiam Laicorum,ſubtractis Prælatorum ſuffragijs,recepta ſint vſque quaque etiam Prælatis contradicentibus. Alius demum articulus, vti cæteros omittam, erat, quòd, licèt in Concilijs ſuffragia debeant eſſe libera, nihilominùs multæ extiterint cauillationes, & ſubordinationes per minas, & terrores ab Imperatore procedentes.

Scripſit hęc omnia de prioribus Conſtantienſis Concilij Actis Ioannes XXIII. quæ reperiuntur in duobus manuſcriptis codicibus Victorinis, vbi D. Maymbourg ea legere poterit: à me autem hoc loco allata ſunt,quæ Pariſijs publica Vniuerſitatis Congregatione lecta dicuntur, & non parum conferunt ad monſtrandum, quòd Ioannes XXIII. obſtiterit ijs, quæ Conſtantiæ contra Sedis Apoſtolicę auctoritatem acta putantur,& numquam à ſententia ſua hac in re diſceſſerit, vt iu diſſertatione Antuerpiæ edita indicaui. Meminit Ioannes diſſenſionum, cauillationum, & contradictionum, quæ ſi vllibi, procul dubio quoad Decreta Seſſionum IV. & V. locum habuerunt: Sic enim teſtatur in Apologia ſua contra Baſilienſes Romanæ Eccleſiæ Pontifex Eugenius IV. quòd contra Decreta de auctoritate Conciliorum nonnulli reclamauerint grauiores,qui ſtrepente multitudine ſuperati, ſicut his nouiſſimis temporibus, quibus carnales exuberant paſſiones factum eſſe manifeſt audiri nequiuerunt. Eadem refert Rodericus Calaguritanus Epiſcopus in Dialogo de auctoritate Romani Pontificis, ſeſe nimirum audiuiſſe à magnæ auctoritatis viris,qui Concilio Conſtantienſi interfuere,quod contra Decreta Seſſionis V. reclamauerint complures Prælati, & Doctores: de quibus etiam affirmat Cardinalis Turrecremata lib. 5. de Eccleſ. cap. 99. quòd plures Patres doctiſſimi non præſtiterint conſenſum, aut aſſenſum ſuum. Quæ vltima verba notata ſunt, quia ex Ioannis XXIII. articulis confirmationem accipiunt, vbi dicitur: priuatis conſilijs ſuffragia etiam Laicorum, ſubtractis Prælatorum ſuffragiis, recepta fuiſſe, neque in Seſſionibus publicis vota ſingulorum, ſed quatuor dumtaxat Nationum audiri conſueuiſſe. Quod ad ad perpetuum Cardinalium diſſenſum probandum,quàmplurimum conferre, ex Actis, & Geſtis hucuſque ineditis clariùs oſtendemus, quàm vt à quoquam in dubium reuocari poſſit.

Refertur in manuſcripto codice Bibliothecæ Regis Chriſtianiſſimi, quòd poſt receſſum Ioannis XXIII. Romanæ Eccleſiæ Cardinales à Nationibus petiuerint, vt ipſorum Collegium quoad ſuffragia vnum votum cum ipſis haberet in Seſſionibus publicis, eorumq; mentio fieret in litteris, & ſubſcriptionibus Synodicis. Illuſtriſſimus Apamienſis Epiſcopus Spondanus, qui hunc codicem Regium teſtatur Cardinales repulſam paſſos fuiſſe,putatque, id ſolùm intelligendum de mentione ipſorum in litteris, & ſubſcriptionibus Synodicis, non autem quoad ſuffragium in Seſſionibus publicis. Fallitur tamen vir eruditus exiſtimans, Cardinalem Præſidem in prioribus Seſſionibus pro ſe, & collegio Cardinalium per verbum Placet ſuffragium tuliſſe. Tantum enim abeſt, id factum fuiſſe in Seſſionibus poſt receſſum Ioannis XXIII. vt Geſta Concilij hactenus inedita ad Seſſionem VII. notent, quod Cardinalibus vix vnquam communicata fuerint Decreta publicanda in Seſſio-

Seſſionibus, vt deſuper deliberarent. Nam inquiunt plenè in omnibus Decretis Concilij factum eſt, Cardinalibus ita arcto, & breui tempore oſtenſa ſunt Decreta in Nationibus, vt non fuerit in eorum poteſtate ſufficienter deliberare, imò in magnum contemptum habiti ſunt. Plures conqueſti ſunt Cardinales de contemptu. Et finaliter petierunt, quòd, cùm eſſent in Concilio quatuor nationes, vna Angliæ, in qua non erant viginti Capita, de quibus tres ſolùm Prælati, & Cardinales eſſent ſexdecim, & alij futuri, de quibus plures magni, & inſignes Doctores propter dignitatem Collegij haberent vocem, & auctoritatem tantam, ſicut Natio Anglicana. Quod fuit recenſatum, & dictum, quòd venirent ad ſuas Nationes. Ita quod nullam habent auctoritatem]

Magni omninò faciendum eſt hoc Geſtorum indubitatæ fidei teſtimonium, quod hucuſque latuit Orbem Catholicum: ex eo enim non ſolùm confirmantur, quæ ſuperiori capite notauimus de Decretis Seſſionis V. præcipitanter, & ſine matura deliberatione publicatis, ſed & monſtratur, rationibus deſtitutum non fuiſſe, quòd contra Nationes de inæqualitate ſuffragiorum ſcripſit Ioannes XXIII. ac patet, veriſſimum eſſe, quòd contra Spondanum probandum ſuſcepi, Cardinales repulſam paſſos fuiſſe quoad ſuffragium in Seſſionibus publicis. Idem confirmatur ex Actis Conſtantienſis Concilij tam editis, quàm ineditis, in quibus ante Seſſionem XI. nullibi reperitur, Cardinalem Præſidem pro ſe,& ſacro Collegio ſuffragium tuliſſe,id quod primùm Seſſione XI. factum fuit; quamuis non ſine myſterio Geſta Conſtantienſis Concilij id primùm Seſſione IV. contigiſſe referant. Affirmant enim, quòd pro vnione Gregorii XII. admiſſa fuerit noua Concilij conuocatio,ac de ea reſponderint [Quatuor Prælati pro quatuor Nationibus Placet, & Cardinalis Oſtienſis pro Collegio Cardinalium Placet, & hoc inquiunt,nunc primum reſponſum eſt ex parte Cardinalium] Quæ vltima notanda ſunt, non enim error iſte ad diminuendam, ſed augendam potiùs Geſtorum fidem facit, ſicut latiùs,vbi,& quando,neceſſitas vrgebit exponemus.

Hiſce ex manuſcriptis indubitatæ fidei codicibus præmiſſis redeundum eſt ad Decreta, de quibus, ſicut de vilis aliis, intelligenda ſunt,quæ habent Geſta ſuperiùs allata. De nullis enim aliis Decretis æquè,ac de iſtis referunt quòd præcipitanter à Nationibus ſint concluſa, & conſtanter à Cardinalibus eorum publicationi contradictum fuerit. Teſtantur itaque, quòd Cardinales noluerint ad Seſſionem IV. venire in qua Nationes ea publicare decreuerant [quia ſuper illis non fuerant habitæ,nec ſufficienter petitæ deliberationes eorum. Additur in Regeſto, quòd, poſtquam Cardinales effecerant, vt illorum Decretorum publicatio tunc omitteretur, Seſſione 4. publicè monnerint [Vt omitterentur illæ materiæ, quæ magnas habent difficultates, & magnam exigunt deliberationem] Cumque animaduertiſſent, conſilium ſuum à Nationibus negligi, & ſinè communi examine, ac noua deliberatione Decreta Seſſione 5. publicanda fore, teſtatur idem Regeſtum, quòd Cardinales eodem die, quo Seſſio illa habenda erat, proteſtationem ſecretè fecerint in camera Paramentorum Palatij Conſtantienſis [Quòd propter ſcandalum euitandum ad Seſſionem ibant, non animo conſentiendi his, quæ audiuerant, iu ipſa ſtatui debere] Adiungunt Geſta Conſtantienſis Concilij, Decreta per vltimum Cardinalem in Seſſionibus publicis pronuntiari conſueuiſſe, idquè tunc ſpectaſſe ad Franciſcum Zabarellam Cardinalem Florentinum, omnium ſui temporis Canoniſtarum facilè Principem; Decreta tamen Seſſionis 5. pronuntiata fuiſſe per electum Poznanienſem[Quia Cardinalis Florentinus ea noluit pronuntiare.

Scribat iam D. Maymbourg, Decreta Seſſionis 5. conſentientibus obedientiæ Ioannis XXIII. Patribus, publicata fuiſſe, meque nihil habere quod ex manuſcriptis codicibus opponam. Dicat, omnes qui vnquam contradixerunt,Seſſioni 5.in vnam,eamdemq; conueniſſe ſententiam, idque etiam de Cardinalibus conſtare ex eo, quòd Concilium dicatur, Decreta poſt eorum publicationem approbaſſe. Nonne ex iam dictis manifeſtè conſtat,approbationem Actorum per quatuor Prælatos ex parte Nationum fieri conſueuiſſe, & Præſidem pro ſolis Nationibus votum tuliſſe? Nonne teſtatur codex manuſcriptus Regis Chriſtianiſſimi, quòd poſt receſſum Ioannis XXIII. Cardinalibus negatum ſit votum ſpeciale in Seſſionibus publicis? Nonne ex ſeptem codicibus manuſcriptis, Geſta & Regeſtum Actorum Conſtantienſium continentibus, manifeſtum ſit, Cardinales noluiſſe ſeſe Nationibus coniungere quoad conclufionem Decretorum Seſſionis 5. ſed ſeparatim egiſſe, & totis viribus eorum publicationi obſtitiſſe? Nonne ex tribus manuſcriptis codicibus patet, Cardinales Seſſioni 5. intereſſe noluiſſe niſi præmiſſa proteſtatione ſecreta, quòd conſentire nolint ijs, quæ audierant in ea ſtatui debere? Nonne ex Geſtis Concilij habetur, Cardinalem Florentinum, ad quem de more ſpectabat, Decreta pronuntiare,diſſenſum Cardinalium ſufficienter indicaſſe, dum in ſeſſione 5. à Nationibus rogatus, ea legere publicè recuſauit? Nonne eadem Concilij Conſtantienſis Geſta perhibent, Cardinalem Præſidem ſeſſione 5. pro Cardinalium Collegio nullum votum tuliſſe, adeòque, licèt quatuor Prælati iuxta morem Conſtantiæ introductum, pro maiori parte eorum, qui in quatuor Nationibus erant, per verbum Placet Decreta admiſerint, neminem fuiſſe, qui pro Cardinalibus ſuffragium ferret? Nonne ex his omnibus clariſſimè conſtat, non ſolùm grauiſſimos Patres à contraclamante multitudine in Congregationibus Nationum ſuperatos, per ſe nullum votum tuliſſe, ſed nec Cardinales per alios conſenſum præbuiſſe?

Quid ad hæc reſpondere poterit Dominus Maymbourg? Qua arte perget adſtruere communemPatrum circaDecreta conſenſum? Quo fuco errorem illum poſt hæc promouebit? Conabantur quondam Baſileenſes Orbi Catholico obtrudere Decreta ſeſſionis 5. ac ſi vnanimi omnium Patrum conſenſu ſtatuta, nemineque penitus diſcrepante, publicata fuiſſent: ſed arte vſi ſunt, omittendo ea Geſtorum verba, ex quibus de conſtanti grauiſſi-

mo-

morum Patrum dissensu constabat, vt ante biennium in dissertatione mea ostendi, & hoc capite contra D. Maymbourgum ex manuscriptis codicibus Gallicis æquè, ac Italicis iterum monstraui. Quibus ex quatuor manuscriptis codicibus, Gesta Constantiensis Synodi continentibus, adiungi pro coronide potest, quòd Cardinalibus Decreta sess. 5. improbantibus sese coniunxerint Oratores Regis Christianissimi, Ludouicus nimirum Dux Bauariæ, Frater Reginæ Franciæ, Raynaudus Archiepiscopus Rhemensis, cæterique per Monachum Sandionysianum,& alios relati. Cùm enim Gersonius vnus ex Galliæ Oratoribus die 23. Martij sermonem in diminutionem iurisdictionis Apostolicę habuisset, & posteà Ludouicus Bauariæ Dux cum Raynaudo Archiepiscopo Rhemensi, & Nicolao de Calauilla ad Ioannem XXIII. Schaffusam peruenisset, idem Ioannes Oratoribus Regis Franciæ visitantibus eum amaro animo conquestus est, teste Turrecremata, falsa quædam & erronea aduersùs auctoritatem Romani Pontificis post suum discessum Constantiæ proposita fuisse. Quæ Ioannis verba tantum valuerunt apud dictos Oratores, vt Constantiam reuersi sese coniunxerint Cardinalibus, & non solùm difficultatem fecerine veniendi ad sessionem 4. sed etiam ad sessionem 5. venire noluerint, vt idem dicunt Gesta Constantiensis Concilij.

Nec refert, quòd postea ad sessionem 5. luerint: nam eos præmisisse protestationem, testatur Regestum Actorum Constantiensium; quòd idem de Regis Christianissimi Oratoribus affirmat, vtpote qui vnà cũ Cardinalibus in camera Paramentorum Constantiensis Palatij fecerunt protestationem secretam, quòd propter scandalum euitandum ad Sess. ibant, non animo consentiendi his, quæ audiuerant, in ea statui debere. Praeclariora autem sunt hæc verba, quàm vt illa tamquam parum ad rem facientia missa faciamus. Agunt enim de protestatione contra decreta sessionis 5. facta ab ipsius Regis Christianissimi Oratoribus, quorum sententiam, si contra vlla Conciliorum, decreta quidquam valere posse, existimetur, contra indelibetata, & tumultuosa decreta sessionis 5. Constantiensis Concilij ab vna obedientia, eaque non integra statuta facere, Galli in primis fateri deberent. Et hæc sufficiant de decretis sessionis 5. vt Orbi Catholico constet, non solùm sine communi deliberatione tantę rei debita, sed nec ab omnibus vnius obedientiæ Patribus, quin potiùs reclamantibus grauioribus, & contradicentibus Regis Galliæ Oratoribus, statuta fuisse, adeoque verissimum esse, quod in Dissertatione Antuerpiæ edita notaveram, dubiæ saltem auctoritatis ex hoc capite, & à nobis, & à Gallis in primis censenda esse.

CONCLVSIO.

Non mirum est tam tumultuosè fuisse edita illa sessionis 5. decreta Constantiensia, dùm in ijs recedebatur à forma veri Concilij per Christum præscripta, ex cuius iam defectu, non poterat eiusmodi Congregatio in Spiritu sancto celebrata esse.

Explicatur. Ponamus, illos, qui decretis sessionis 5. interuenerant, sub hisce prætendisse, definire Concilij super Papa non dubio solùm, ac pro tempore schismatis tunc interuenientis, sed absolutè super Papa in futurum etiam certo, ac indubitato superioritatem. Ex hoc ipso tamen noscerentur in tantum cecessisse à Concilij Generalis, cui Spiritus sanctus assistit, forma per Christum præscripta, vt congregatio eiusmodi ne quidem dispositiuè, & quasi materialiter dici posset Oecumenica, seu esse etiam in via tendentiæ ad Synodum formaliter Oecumenicam redintegrandam, prout patebit ex subsequentibus probationibus.

PROBATIO I.

In qua ostenditur, quænam sit à Christo constituta forma Concilij, vt ipse vnà cum Spiritu sancto ei noscatur assistere.

Etenim Christus Matthæi 28. Apostolos missurus ad docendas omnes gentes v. 20. eisdem promisit: [Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consumationem seculi.] Hæc igitur assistentiæ Christi promissio noscitur esse annexa charactеri Apostolico vsque ad consumationem seculi in Ecclesia permansuro. At ea Christi promissio est ipsissima illa, quam Christus iturus ad mortem Ioannis 14. v. 16. fecerat eisdem Apostolis: [Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis.] Ista igitur Spiritus sancti assistentia ex Christi orationis efficacia in æternum persistit eatenus in Apostolis, quatenus semper est annexus charactеri Apostolico. At verò iste character Apostolicus non consistit in præciso charactеre Episcopali, sed in indefinita ligandi, & soluendi auctoritate, prout patet ex Matt. 18. Neque verò iste Apostolicus indefinitæ ad ligandum, & soluendum potestatis character, iuxta dicti cap. 18. sacrum contextum, repetitur in aliquo Ecclesiastico Concilio, nisi sit aggregatum in nomine Christi, quod scilicet Apostolica, seu Christi Vicaria auctoritas præfert. Atqui sublatis Apostolis, cùm solius Petri Apostolica auctoritas antecedenter saltem ad Concilij Oecumenici aggregationem, reperiatur in eius successore, euidenter notum est,

eſt, non poſſe Oecumenicum Concilium, cui Chriſti, ac Spiritus ſancti aſſiſtentia ſit Diuinitus repromiſſa, vllatenus intelligi, niſi Peeri, eiuſve ſucceſſoris Apoſtolica interueniat auctoritas. Quandoquidem igitur ſeſſionis 5. Congregatio Conſtantienſis ſibi vendicarie pro tunc auctoritatem eiuſmodi Apoſtolicam abſque vllius Papæ interuentu, atque adeò cum excluſione characteris Apoſtolici, prætendendo ſcilicet Concilij acephali ſuper Papa ſuperioritatem, nequit pro tunc habuiſſe illam à Chriſto promiſſam ſui, ac Spiritus ſancti aſſiſtentiam, cùm re vera ex nullo Euangelij apice poſſit, vel vmbram adferre, ad probandum, quòd character Apoſtolicus, indefinitam ligandi, & ſoluendi poteſtatem erga totum Chriſtianum Orbem præferens, conueniat Synodo, Chriſti Vicario ſoli Petri ſucceſſori proprio nomine non inſignitæ. Et hinc mirum non eſt, tot tumultibus agitatam fuiſſe illam ſeſſionem, dùm contrariam ſe gerebat erga characterem Apoſtolicum, ſub quo noſcitur Concilio Eccleſiaſtico promiſſus Spiritus ſanctus, vnà cum Chriſti, eiuſque Patris Æterni aſſiſtentia.

PROBATIO II.

In qua oſtenditur illam ſeſsionis 5. Congregationem Conſtantienſem in eo ſe poſuiſſe ſtatu, vt ne quidem materialiter, & diſpoſitiuè dici poſſet Generalis, ac Oecumenica Synodus.

Conſtiterat ab initio hæc Synodus ex Epiſcopis Ioannis Papæ dubij XXIII. obedientiæ addictis, ad prouidendum Eccleſiæ de certo Capite. Sub hoc ſtatu ipſimet characteres Epiſcopales in vnum collati, ex intrinſeca natura ſua faciebant Synodo poteſtatem ſuper Papis dubijs; vbi ad ſchiſmatis extinctionem id opus foret, etiam deponendis, & proſpiciendo de vnius indubitati Pontificis ſuffectione; vti ex antecedentibus conſtat. Quæ nihilominùs Synodus intenta erat de Papis dubijs remouendis per ſpontaneam renunciationem, ſicque erat in ſtatu tendentiæ ad characterem Apoſtolicum ex Papæ certi electione ſibimet coniungendum, poteratque adeò tunc dici diſpoſitiuè, & materialiter Generalis, vtpotè habens aptitudinem ad Concilij Oecumenici formalem ex Papa poſteà eligendo characterem obtinendum. Verùm vbi Ioannes XXIII. Conſtantia aufugerat Schaffuſium, non attento, quòd iteratò promiſiſſet renunciationem, ad auctoritarium proceſſum deſcendit, non contra iſtum duntaxat dubium Papam, ſed, vti ex parte aduerſa prætenditur, etiam ad decretum Concilij ſuper Papam quoque certum ſuperioritatis definitiuum. In quo adeò ſtatu Synodus illa ſe poſuit in ſtatu contrario erga characterem Concilij, qua Oecumenici formaliter conſtitutiuum.

Probatur iſtud ſubſumptum. Sì namque Aduerſarij totum euoluant Euangelium, non poterunt vllum aſſignare apicem, qui ſecùs ac Matthæi 18. eſt traditum, ſtatuat Concilij Oecumenici characterem ex alio, quàm Chriſti nomine Vicario conſiſtentem. Quis verò dicere fas eſt, Apoſtolicam auctoritatem, Chriſti nomen præferentem, ac ſub indefinita ligandi, & ſoluendi poteſtate conſiſtentem, ex vllo Apoſtolorum, ſi diuiſim ſpectentur, tranſiiſſe in aliquem Succeſſorem, excepto vnico Petro, cui claues Regni Cœleſtis cum ordine ad perpetuum Eccleſiæ ſtatum, adeoque cum iure ſucceſſionis ſunt collatæ. Quæ verò indefinita ligandi, & ſoluendi poteſtas Apoſtolis collectim ſumptis, qua Eccleſiam Vniuerſalem repræſentantibus cit. 18. Matth. eſt promiſſa, noſcitur ex ſacro contextu non aliter ſubſiſtere, niſi Concilium fuerit congregatum in nomine Chriſti Vicario, antecedenter ſe habente ad Concilium, quippè cùm iſtud debeat per hoc conuocari, opuſque adeò eſt ad illum Apoſtolicæ plenitudinis charactetè. Synodi, qua Oecumenicæ, formaliter conſtitutiuum, Apoſtolis collectim, qua Eccleſiam repræſentantibus promiſſum effectiuè obtinendum, vt Concilium fuerit conuocatum ſub nomine Chriſti Vicario, extra Concilium iam priùs competente Petri Succeſſori. Quia igitur Congregatio illa Conſtantienſis aduerſus iſtum Petri Succeſſoris proprium characterem ſe oppoſuit, ei, qui eſt Chriſto immediatus, & proximus Vicarius, ſuperponendo characterem Chriſto immediatiorem, indeque adeò ſuperiorem, dùm Concilij ſuper Papa ſuperioritatem ſtatuit, nequit pro tunc permanſiſſe in ſtatu etiam materialiter duntaxat Generalis, ac diſpoſitiuè Oecumenici Concilij, quamuis poſteà non ad iſtum ſolummodò ſtatum redierit, ſed tandem ex acceſſu Martini V. ad Synodi completè, ac formaliter Oecumenicæ ſtatum ex Vicario Chriſti charactere, illi tunc certo Papæ inexiſtente, peruenerit.

§. III.

An Patres Conſtantienſes in ſeſsione 5. Eccleſiam Vniuerſalem ſufficienter, aut perfectè repræſentauerint?

Emmanuel à Schelſtrate in ſuæ Antuerpianæ diſſertationis cap. 1. art. 1. probauerat, Patres Conſtantienſes ſeſſione 5. non ſufficienter repræſentaſſe Vniuerſalem Eccleſiam, vt eorum decretis omnes vbique Fideles parere debuerint. Quid ergo huic probationi oppoſuerit Maymbourgus tractatus ſui hiſtorici pag. 156. in præſenti, vnà cum dicti Schelſtrate reſponſionibus præſ. tract. diſſert. 2. c. 3. repoſitis, hic proferre, animus eſt.

Argumentum Maymbourgi.

Hic Auctor loco proximè citato ſic arguit. Tertium demum argumentum, quo Emmanuel Schelſtrate vtitur ad infirmandam auctoritatem decretorum ſeſſ. 4. & 5. conſiſtit in eo, quòd in Concilio tunc duntaxat vna obedientia Ioannis XXIII. fue-

fuerit, quæ Ecclesiam Vniuersalem repræsentare nequiuit. Vt autem demonstretur nullitas huius argumenti, quod procul dubio omnium pessimum est, duobus verbis ipsi dicam, id, quod supponit post Bellarminum (qui infirmas illas obiectiones ei commodauit.) esse falsissimum.

Responsio.

Prꝫallegatus igitur Schelstrate dicto tractatu pag. 113. ac seq. ita respondet. In pluribus errat Maymbourgus: ac primò quidem in eo, quòd argumentum nullitatis arguere præsumpserit, quod est longè validissimum. Secundò falsissimum dixerit, quod est verissimum. Tertiò demum, obiectiones mihi à Bellarmino commodatas somniarit, quas ex solis actis, & gestis Constantiensis Concilij, ac æqualium Scriptorum testimonijs desumpseram, vt sequentia legenti constabit. Primum enim testimonium, cui argumentum innititur, desumpseram ex duobus Auctoribus grauissimis, qui Constantiensi Concilio interfuerunt, & tresdecim prioribus sessionibus non nisi vnam Ioannis XXIII. obedientiam adfuisse notarunt. Congregationem istius obedientiæ noluerunt aliæ duæ pro generali Ecclesiæ conuentu agnoscere, vt fidem faciunt Turrecremata, & Summus Ecclesiæ Pontifex Eugenius IV. quorum primus ea de re testatur his verbis: [Nullus dubitat, quòd asserere, quòd sola obedientia Ioannis faceret Concilium vniuersale, vniuersalem Ecclesiam repræsentans, esset temerarium, ac scandalosum alijs duabus obedientijs. Secundus verò in Apologia contra Basileenses asserens: Non dixit obedientia Gregorij, non Benedicti, quæ Christianitatis pars non modica erat, antè tempus conuentionis plenarium fuisse Concilium, nec priùs actitata quasi Synodi generalis plenaria auctoritate suscepit. Itaque oportuit, ipsis conuenientibus, primò ab obedientia Gregorij, deinde ab obedientia Benedicti nouum Concilium conuocari, hincque vniuersa Ecclesia concurrente, plenariæ Synodi rem, & nomen accepit. Quod ergo antè illum articulum ipsis à Patribus ibi consedentibus actum est, vniuersæ Ecclesiæ non debet adscribi, sed eis tantùm, qui ibidem considebant, & vnius tantùm obedientiæ Synodum faciebant.]

Secundum testimonium desumptum fuit ex gestis Constantiensis Concilij hucusque ineditis, ex quibus ostendi, rem nouam non esse, quòd Concilium Constantien. antè trium obedientiarum vnionem vniuersale fuisse negetur, cùm in ipso Concilio coram Patribus Constantiensibus publicè dixerint Legati Regis Aragoniæ: [Quòd quidem vellent se vnire Concilio, non tamen reputare, esse Generale Concilium, neque agi de rebus Concilij Generalis, donec venirent Legati Regis Castellæ.] Ita in Gestis Constantiensis Concilij ad mensem Octobris anni 1416. in quibus referuntur quoque literæ scriptæ à Rege, & Regina Castellæ ad Congregationem quatuor Nationum in Constantia. Quæ literæ cum hac inscriptione coram Patribus Concilij lectæ fuerunt, qui nullam sibi iniuriam ex omisso titulo Generalis Concilij fieri existimarunt, nihilque ad illud responderunt: quin potiùs ante Vnionem duarum Obedientiarum sese vniuersalem Ecclesiam non repræsentasse, tacitè admiserunt.

Ostendi namque tertio loco ex Regesto Constantiensis Concilij, Gregorium XII. cum sua Obedientia noluisse sess. 14. vnionem inire, nisi improbata conuocatione per Ioannem XXIII. facta, & noua Concilij conuocatione admissa. Extant ea de re Bullæ Gregorij XII. quarum prima inscribitur, De potestate auctorizandi istud Concilium. Secunda directa fuit ad Carolum de Malatestis, vt conuocato de nouo, & auctorizato Concilio, suo nomine de Pontificatu cederet. Quibus omnibus adiunxit ex session. 22. Actorum Constantiensium, quòd Concilium ipsum iuxta concordata Narbonæ cum Obedientia Benedicti XIII. inita, non solùm tertiam conuocationem admiserit, sed in literis, quibus Patres istius Obedientiæ ad Concilium vocabat, à titulo Vniuersalis, seu Oecumenici abstinuerit, & Patrum Hispanorum literas receperit, ac receptas in publica sessione legi, Actisque suis inseri iusserit, licèt nulla Generalis Synodi mentio in ijs fieret.

Hæc ergo in Dissertatione mea Antuerpiensi non quidem ex Bellarmino, vt putauit D. Maymbourg; sed ex Actis Constantiensis Concilij editis, & ineditis, ac æqualium Scriptorum testimonijs, quæ clariora sunt, quàm vt hic Auctor ea attingere, ne dum refutare ausus sit: maluit namque cuncta superiùs allata sub silentio præterire, quàm ea in memoriam reuocando, præiudicium aliquod opinioni suæ afferre. Quamuis autem illud palliandæ malæ ipsius causæ prodesse possit, à me nullatenus tacendum fuit, cùm ex ijs clarissimè constet, Concilium Constantiense à duabus Obedientijs Gregorij XII. & Benedicti XIII. pro Vniuersali habitum non fuisse.

Ne tamen D. Maymbourg nimis harum Obedientiarum terminos restringat, memoria repetendum est; illas non modicam, vt cum Eugenio IV. loquar, Christianitatis partem constituisse; in obedientia enim Gregorij, constat, fuisse non ignobiles Italiæ Vrbes cum tota Romania, eiusque Principe de Malatestis; celebres insuper Episcopatus Germaniæ, Wormatiensem nimirum, Spirensem, ac Werdensem, qui omnes cum Duce Bauariæ, alijsque paruerunt Gregorio vsque ad cessionem Pontificatus. In obedientia verò Benedicti XIII. patet, fuisse quatuor integra Regna, Scotiæ nimirum, Nauarræ, Castellæ, & Aragonum, quorum Reges, vnà cum celeberrimis totius Hispaniæ Ecclesijs, & Vniuersitatibus, Concilium vsque ad sess. 37. noluerunt pro Generali agnoscere, prout in ipso Constantiensi Concilio coram Patribus, nemine eorum contradicente, non semel, sed pluries exposuerunt. His autem, si adiungas Dominum de Fuxo, & Armenico, cum populis Bearnæ ipsi subiectis, Insulas Maioricarum, Sardiniæ, & Corsicæ de Obedientia Benedicti; Ioannem Dominicum Archiepiscopum Ragusinum cum alijs de Obedientia Gregorij: patebit profectò, eorum iudicium contemnendum non esse.

Exte-

Exceptio per Maymbourgum oppoſita.

Hic enim Auctor pag. 257. denuò obijcit, omnes Cardinales duarum illarum Obedientiarum, qui ſeſe vniuerant in Concilio Piſano, & duobus contendentibus depoſitis, Alexandrum VI. in eorum locum elegerant, ſub eius Succeſſore Ioanne XXIII. Concilium Conſtantienſe continuaſſe.

Reſponſio.

Verùm dictus Schelſtrate ibi à pag. 119. reponit, ſe neſcire, cur Maymbourgus duarum obedientiarum Cardinales obijciat pro firmanda auctoritate Conſtantienſis Concilij, eùm illos prorſus Decretis ſeſſionis 4. & 5. refragatos fuiſſe, in Diſſertatione Antuerpienſi ex Geſtis Concilij oſtenderim; id, quod capite ſuperiori rurſus probaui. Complures enim Cardinales, quos nobis ex obedientia Ioannis XXIII. obijcit, ipſi ſunt, qui conclusioni Decretorum obſtiterunt ante ſeſſionem 4. & contra eorum publicationem proteſtati ſunt ante ſeſſionem 5. Illi ſunt, qui in camera Paramentorum, vnà cum Oratoribus Regis Franciæ, declararunt, quòd ad ſeſſionem ibant ob ſcandalum euitandum, non animo conſentiendi his, quæ audiuerant, in ea ſtatui debere. Illi ſunt, qui ſeſſione 5. coram Patribus ipſis recuſarunt, eius publicationi annuere. Acta enim typis edita referunt, per electum Poznanienſem pronuntiata fuiſſe, quia Cardinalis Florentinus, vt Manuſcripta Geſta teſtantur, ea noluit pronuntiare.

Quòd ſi pro cognoſcendo ſenſu Cardinalium mens Cardinalis Florentini non ſufficere videatur, audiendus eſt Petrus de Alliaco Cardinalis Cameracenſis apud Gallos celeberrimus, qui non anno 1415. vt putauit Illuſtriſſimus Apamearum Epiſcopus Spondanus, ſed anno 1417. ante aduentum Legatorum Regis Caſtellæ ſcripſit Tractatum de Eccleſiæ, & Cardinalium auctoritate, & parte 1. cap. 4. aliqua dubia propoſuit, quæ dicebat, apud nonnullos magnam perplexitatem inducere. Primum dubium, [an quatuor Nationes in hoc ſacro Concilio ſie diſtinctæ, videlicet Italica, Gallica, Germanica, & Anglicana, excluſo dicto Cardinalium Collegio, faciunt Generale Concilium, cùm ſine plura Concilia particularia valde inæqualiter, & improportionaliter diuiſa, & ad partem deliberantia, quæ deliberatio, excluſa deliberatione dicti Collegij, & non facta in communi ſeſſione collatione votorum, videtur multis non eſſe cenſenda deliberatio Concilij conciliariter facta.] Secundum dubium, [an dictæ Nationes, quæ ſunt nona Collegia particularia, quæ multis videntur contra, vel præter conſuetudinem antiquam ſacrorum Conciliorum inſtituta, licèt ex rationabili cauſa, & ſub debitis circumſtantijs ita inſtitui potuerint, habuerint à iure Diuino, vel humano auctoritatem priuandi Romanam Eccleſiam, & ſacrum Collegium ipſam repræſentans (quod eſt antiquum Collegium, & antiquo iure, & in ſacris Generalibus Concilijs, & in ſanctorum Patrum Decretis fundatum) priuandi, inquam, iure ſuo, habendi ſcilicet vocem in ſacro Concilio, & Summum Pontificem eligendi? Hæc ibi Petrus de Alliaco affirmans, iſta dubia à ſe propoſita fuiſſe, vt ſuper his Concilium deliberaret, ne in futurum Acta reprobarentur: quod ſanè numquam Cardinalis Cameracenſis monuiſſet, niſi auctoritatem Conſtantienſis Concilij quoad aliqua decreta in dubium reuocari poſſe, præuidiſſet.

Neque hæc ſingularis opinio Petri de Alliaco, ſed communis totius ſacri Collegij fuit, vt occaſione Decreti de non eligendo ſine Concilij aſſenſu Pontifice, ſufficienter conſtitit: cùm enim ſeſſione 14. editum ea de re fuiſſet Decretum, non ſolùm Cardinales ſeſe ad illud minimè teneri, exiſtimarunt, ſed vnanimi totius ſacri Collegij conſenſu contra illud proteſtati ſunt, vt fidem faciunt Geſta Conſtantienſis Concilij hactenus inedita, quæ notant poſt ſeſſionem 38. quòd Cardinales attenderint conſtitutionem. Vbi periculum maius, de elect. in 6. & alia iura, & etiam Decreta Concilij ſuper electione Papæ hac vice, per quæ Concilium decreuit electionem fiendam modo, & forma, loco, tempore, & materia per Concilium ordinandis, & pœnas terribiles imponit contrarium facientibus, ſuſpenditque omnia iura poſitiua in illa materia. Addunt, dictos Cardinales non reputaſſe, illa Decreta valere propter opiniones Doctorum ita dicentium. Et licèt publicè ea impugnare noluerint, ne electio futuri Pontificis impediretur; Acta tamen affirmant, eos noluiſſe tacitè, vel expreſsè iuri ſcripto renuntiare, ideoque proteſtationem minoribus terminis feciſſe, quibus concipi poterat, eamque coram ſingulis Nationibus de ſacri Collegij mandato prælegi feciſſe.

Iam videre incipiet D. Maymbourg. niſi mea me fallat opinio, Cardinales, quos ex obedientia Ioannis XXIII. adduxit, ſuo inſtituto non fauere, cùm decreta ſeſſionis 14. ipſimet in dubium reuocarint, ſeſeque illis non teneri, publicè eoram ſingulis Nationibus expoſuerint. Clariùs autem infirmitatem Decretorum illorum videre poterit ex alia proteſtatione Cardinalium poſteà contra Regem Romanorum, & Nationem Germanicam edita, in qua non ſolùm fatentur: [Quòd Clerus, & populus nonnullorum Regnorum, & Prouinciarum nondum ſolidè, & clarè Concilio adhæſerant, ſed, vt communiter fatebantur, expectarent fiendæ electionis Summi Pontificis euentum, vt, ſi electus foret canonicè, illi obedirent, aliàs non. Nec non etiam, quòd quorumdam, qui eidem Concilio adhæſerant, propter rumores diſcordiarum, & quaſi impreſſionum, quas in eodem Concilio fieri audiebant, fidem iam de eodem Concilio vacillare: ideòque ſcriptum, & relatum tunc fuiſſe à pluribus Magnatibus, & alijs Zelatoribus pacis, & vnionis Eccleſiæ, in Italia plurimùm dubitari, ne in Vrbe Romana, prætextu rumorum, & dilationis, prædictorum aliquis pro Summo Pontifice aſſumeretur, cui forſan, præmiſſis attentis, tota Italia obediret.] Hæc ferè in terminis Cardinales ante ſeſſionem 39. ex quibus patet, quænam tunc eſſet plurium fidelium de Con-

cilio Conſtantienſi opinio, quænam de admittendis eius Decretis non Cardinalium dumtaxat, ſed totius fermè Italiæ ſententia, pro qua Nationem quoque Hiſpanicam adducere poſſumus, quòd illa publicè cum Cardinalibus admiſerit, ad electionem Pontificis procedi poſſe: [Non obſtantibus quibuſdam huius Concilij Decretis, quibus, inquit, Nos Hiſpanica Natio, etiamſi aliàs valida exiſterent, non ligamur.] Quo nihil clarius dici à Natione Hiſpanica potuit, nihil manifeſtius de auctoritate Conſtantienſis Concilij, ante trium obedientiarum vnionem, in edendis de electione Pontificis Decretis poſterorum memoriæ conſecrari valuit.

Statuerat Concilium Conſtantienſe ante vnionem Hiſpanorum, à Cardinalibus procedi non poſſe ad electionem Romani Pontificis, niſi de conſenſu Concilij, quod Decretum non ſolùm, tamquam inualidum, Cardinales impugnarunt, ſed à tota Natione Hiſpanica reiectum hac ratione fuit, quod etiamſi aliàs validum exiſteret, ſe illo minimè ligari, exiſtimaret. Hæc poſt ſeſſionem 38. Natio Hiſpanica in publico Iuſtrumento, quod nomine ſacri Cardinalium Collegij, & duarum aliarum nationum in Eccleſia Conſtantienſi Regi Romanorum, & Nationi Germanicæ prælectum fuit, & ab ipſa Natione Gallicana negari non poterit, vtpote, quæ vna ex duabus illis Nationibus fuit, & non ſolùm hanc Hiſpanorum ſententiam proteſtationi ſuæ inſeri, ſed & per Archiepiſcopum ſuum Bituricenſem publicè legi permiſit. Quæ omnia hic annotare placuit, vt videat D. Maymbourg, quàm longè à vero aberret, dum Decreta ſeſſionis 5. tamquam Concilij Generalis ſtatuta, ab omnibus accipienda eſſe voluit. Si enim, fatentibus in Conſtantienſi Concilio Gallicanæ Eccleſiæ Epiſcopis, Natio Hiſpanica non tenebatur Decreto ſeſſionis 14. quia eidem non adfuerat, multò minùs tenebitur Decreto ſeſſionis 5. Sedes Apoſtolica, quæ non ſolùm ei non interfuit, ſed per tres ſeſe pro Pontificibus Romanis gerentes, ac per plures de ſacro Cardinalium Collegio, Romanam Eccleſiam repræſentante, manifeſtè contradixit.

Neq; reſponſum meretur, quod D. Maymbourg de Concilijs Generalibus, & ſignanter Tridentino, obijcit, ac ſi eorum auctoritas in diſcrimen vocaretur, vacillante auctoritate Conſtantienſis Synodi. Non ſufficit enim ad Concilium Vniuerſale, quòd omnes Epiſcopi conuocati ſint, prout falsò ſupponit Auctor iſte; ſed requiritur, quòd legitima auctoritate conuocentur. De illa namque, ſi dubium exurgat, & variæ Catholicarum Regionum ſententiæ reperiantur, quibuſdam volentibus, ab illegitima auctoritate Concilium conuocatum eſſe, ideoque ſeſe non teneri, nec velle ad illud accedere, ſicuti magna Italiæ, & Germaniæ pars cum Gregorio XII. & quatuor integra Scotiæ, & Hiſpaniarum Regna, multæque aliæ Regiones cum Benedicto XIII. ſentiebant de Conſtantienſi Concilio; tunc auctoritas Concilij ex plurimorum Catholicorum abſentia, & contradictione infirmatur. Et hoc eſt, quod in Conſtantienſi Synodo à duabus obedienrijs non ſemel, ſed ſæpius dictum fuit, & ab ipſa obedientia Ioannis XXIII. negari non potuit vtpotè quæ nouam Concilij conuocationem admiſit, & in literis, in quibus Benedicti XIII. obedientiam euocanit Conſtantiam, à generalis Concilij titulo de communi quatuor Nationum ſuarum conſenſu abſtinuit. Quod ſi Patres Conſtantienſes, ipſaque Natio Gallicana morem geſſerint Hiſpanis, Concilium ante trium obedientiarum vnionem pro particulari, & non generali tenentibus; quid, quæſo, nunc D. Maymbourg æquiparat hoc Concilium vniuerſalibus, de quorum legitima conuocatione nemo Catholicorum vnquam dubitauit?

Iterata Maymbourgi inſtantia.

Auctor iſte pag. 258. rurſus inſtat. Si non ſufficiat, conuocari omnes ad Concilium, quemadmodum per Ioannem XXIII. ad Synodum Conſtantienſem conuocati fuerant Epiſcopi aliarum duarum obedientiarum, tunc hæreticos obijcere poſſe, præcipuè contra Tridentinum Concilium, quod ibi neque adfuerint Epiſcopi Eccleſiæ Anglicanæ, neque Daniæ, neque Noruergiæ, neque Sueciæ, neque ex ea Germaniæ parte, quæ ſequebatur Confeſſionem Auguſtanam: (dicere poſſent) non adfuiſſe Græciæ Antiſtites, non Orientis, neque Ægypti, qui omnes tempore Tridentini Concilij non magis dici poterant de obedientia Pontificis, Concilium conuocantis, quàm erant tempore Conſtantienſis Synodi illi, qui Petrum de Luna, vel Angelum Corarium ſequebantur.

Reſponſio.

Prææallegatus Schelſtrate ſui tractat. pagina 128. reſpondet: Concilio quidem neceſſariam non eſſe præſentiam eorum, qui foris ſunt. Angliæ, Græciæ, Orientis, & Ægypti Regiones in ſchiſma, & hæreſim prolapſæ erant, vt illarum Epiſcopi æquè, ac Germani Lutheranam hæreſim ſequentes, extra Eccleſiam conſtituti eſſent. Potuit itaque ſine illis tota Eccleſia per Concilium Tridentinum repræſentari, prout re ipſa repræſentata fuit. Sed aliud erat de Conſtantienſi Concilio, à quo Catholici ipſi ex rationibus ſuprà citatis aberant, quibus Concilio contradicentibus, & repugnantibus, tota Eccleſia Conſtantiæ repræſentari non poterat. Accedit, caput defuiſſe Eccleſiæ, ſinè cuius conſenſu decreta ſimilia, qualia ſeſſione 5. publicata feruntur, robore ſuo carere dicenda ſunt: ſicut Concilij II. canon pro primatus honore Conſtantinopolitanę Eccleſię tribuendo, nullius roboris fuit, quia Sedes Apoſtolica neque per Legatos Concilio adfuit, neque per ſe Canonem probare voluit.

Replicatio Maymbourgi.

Hic Auctor pag. 260. iterum obijcit, ſi decreta Conſtantienſis Concilij auctoritate ſua deſtituantur, quia abfuerunt duæ obedientiæ, & Pontifex non interfuit, ſequentur exinde terribilia quædam, ac primò qui-

quidem, quòd condemnatio errorum Wicleffi & Hus foret inualida, quia condemnati fuerunt sessione 15. ante vnionem reliquarum obedientiarum, & cùm nondum Pontifex Concilio adesset. Secundò, quòd detestabilis illa propositio Ioannis Petit, quæ cuilibet vasallo permittit, & imponit occidere tyrannum, quocumque modo possit, non esset legitimè condemnata hæreseos. Et demum, quòd sententia condemnationis, & depositionis Ioannis XXIII. quæ dudum lata fuit ante vnionem duarum illarum obedientiarum, sine vlla auctoritate facta fuisset; iuxta illud Cardinalis Iuliani ad Eugenium IV. [Nam si quis dixerit, decreta illius Concilij non esse valida, necesse habet fateri, priuationem olim Ioannis factam vigore illorum decretorum, non valuisse. Si illa non valent nec etiam Papæ Martini tenuit electio, facta illa superstite. Si Martinus non fuit Papa, nec sanctitas vestra est, quæ per Cardinales ab ipso factos electa est.

Responsio.

Præfatus Schelstrate à pag. 130. respondet; primum obiectionis punctum non maioris momenti esse, quàm præcedentia, cùm facillima sit illius solutio. Licèt enim propositiones Vvicleffi, & Hus à Concilio nondum vniuersali condemnatæ fuerint, à quatuor tamen Nationibus cum deliberatione debita, & de communi omnium Nationum, ac Cardinalium consensu condemnatæ sunt, quorum sententiam Martinus V. auctoritate Apostolica confirmauit, prout speciali constitutione: [Ad perpetuam rei memoriam;] quæ incipit: [In eminentis Apostolicæ dignitatis specula, omnibus manifestum facit: vt infrà latiùs videbimus.

Quoad secundùm de detestabili illa propositione Ioannis Petit, quæ cuilibet vasallo permittit, & impouit occidere tyrannum; nescio qua ratione Auctor iste inuidiam mihi creare voluerit: habet enim de propositione illa Concilium Constantiense sess. 15. [Præhabita deliberatione matura, declarat, decernit, & definit, huiusmodi doctrinam erroneam esse in fide, & in moribus, ipsamque tamquam hæreticam, scandalosam, &c. reprobat, & condemnat; declarat insuper, decernit, & diffinit, quòd pertinaciter doctrinam hanc perniciosissimam asserentes sint hæretici, & tamquam tales iuxta Canonicas sanctiones puniendi.] Cùm enim ex his constet, Concilium Constantiense, præhabita matura deliberatione, de communi omnium Patrum consensu propositionem illam tamquam erroneam in fide damnasse, ipseque D. Maymbourg fateatur, hæreticam iudicatam fuisse, nonne videt, decretum de illa tamquam in materia fidei conciliariter factum, à Martino V. probatum fuisse, adeoque auctoritate Pontificia confirmatum, iuxta principia à me posita, plenum robur obtinere? Quod si dubitet hac de re, legat sessionem 45. in qua Martinus V. professus est se omnia, & singula determinata, conclusa, & decreta in materijs fidei per Concilium Constantiense, conciliariter tenere velle, ipsaque sic conciliariter facta approbare, & ratificare, & non aliter, nec alio modo.

Vanæ itaque sunt terribiles sequelæ, & somniorum instar habendæ, vtpotè quæ nec menti meæ conueniunt, nec ex principijs à me positis deduci possunt, sicut nec deduci potest, quòd Ioannis XXIII. depositio, aut Martini V. electio in dubium reuocandæ sint; prout D. Maymbourg pro tertia terribili sequela sententiæ meæ opponit. Supponit namque Auctor iste, me voluisse in dissertatione Antuerpiç edita, quòd solùm confirmata fuerint Synodi Constantiensis decreta contra Ioannem Vvicleff, & Hus in materia fidei conciliariter statura, vnde cap. 24. mihi obijcit: [Quid erit igitur de alijs decretis, quæ facta sunt pro extirpatione schismatis, & reformatione Ecclesiæ .... Dicat mihi, an hæc decreta approbata sint, nec ne? Si approbata non sunt, debet iuxta sua principia admittere, quòd depositio, & condemnatio Ioannis Vigesimitertij sit nulla, & quidquid eam subsecutum est, subsistere nequeat.... Si approbata sunt, dubitari non potest, quin etiam confirmata sint decreta sessionis 4. & 5. quandoquidem præcipuè pro extirpatione schismatis facta sint.] In obiectionem, quæ huic falsæ suppositioni innititur; quod ego dixerim, nulla alia decreta Constantiensis Concilij confirmata fuisse, quàm illa contra Ioannem Hus, & Vicleff edita. Vbinam ego id scripsi in dissertatione mea Antuerpiensi? Quibus verbis id asserui? Legat Domin. Maymbourg, & peruoluat dissertationem meam Antuerpiæ editam, & inueniet, me quidem admisisse, quod Martinus V. sessione 45. ex decretis in illa materia fidei Constantiæ editis solùm illa auctoritate Apostolica confirmauit, quæ conciliariter facta erant non negasse, omnia alia decreta confirmatione caruisse. Licèt enim vi confirmationis explicitæ, quam Martinus V. sessione 45. fecit solùm confirmata sint decreta, quæ in materia fidei conciliariter statuta fuerant, aliunde tamen constare potest de speciali approbatione, vel acceptatione, aliorum decretorum Constantiensium, sicut specialiter constat de tribus decretis, de quibus ex libro primo de diuersis formis anno 1. Pontificatus Martini notatum est in manuscripto codice 6915. Bibliothecæ Vaticanæ. [Ad perpetuam rei memoriam. Confirmat quædam decreta Concilij Constantiensis, videlicet primum circa honores, loca, prærogatiuas, & excellentias ab antiquo debita, & consueta singulis Regibus, & Principibus Orthodoxis, ac eorum Ambassiatoribus, & Nuntijs tam in præsentia Summi Pontificis, quàm alibi! &c. Secundùm circa annullationem, & cassationem priuationum, & pœnarum, à certa die per Benedictum Decimumtertium in sua obedientia nuncupatum, factarum, promulgatarum, fulminatarum, &c. ex quacumque causa contra quascumque personas, &c. prouisionum, promotionum, & translationum Ecclesiarum, &c.] & generalium omnium concessionum, beneficiorum, dignitatum, &c. gratiarum dispensationum, matrimoniorum beneficiorum, &c. Tertium circa repræsentandas, & habendas voces Prælatorum, & aliorum absentium in Concilio per Reges Aragonum, Legionis, Castellæ, Nauarræ, Portugal-

tugalliæ, eorumque Ambassiatores, & Nuntios compurandos in natione Hispanica, &c. iuxta capitula Narbonæ concordata, &c.] Datum Gebrnnis quarto Kalend. Iulij anno primo.

Sunt itaque constitutiones quædam Constantiensis Synodi, quas Martinus V. post illius finem specialiter confirmauit. Sunt & aliæ; quas durante Concilio, particulari bulla probauit, vt cuique Concilij acta perioluenti constabit. Sunt drmum, & alia, quæ tres obrdientiæ, & Martinus V. ac tota Ecclesia ipsomet facto acceptarunt, sicut Ioannis Vigesimirertij depositionem, quæ locum habere potuit, quamuis decreta sessionis 4. & 5. in sensu Basileensium intellecta, robore caruerint. Ad hoc enim, vt depositio Ioannis subsistat, non requiritur, quòd Concilium supra vnieuin, & indubitatum Pontificem auctoritatem habeat, sed sufficit, quòd trmpore schismatis vigrbat, quo tres simul, de Papatu contendebant, de quibus, vt nunc communiter admittitur: Concilium sententiam ferre poterat.

Quamuis autem ad deponendum Ioannem Decimumrertium supradicta auctoritas Concilio sufficiat, ita vt Martini electio ex hoc capite in dubium rruocari nequeat; tamen ipsius etiam Ioannis Decimitertij consensus accessit, vt testatur Leonardus Aretinus in commentario rerum suo tempore in Italia gestarum, bis de Pontificatu cessit: semel Florentiæ, postquam depositus, & in eius locum Marrinus V. electus fuerat. Quod enim D. Maymbourg ex Aretino objicit, Ioannem vltima vice de Pontificatu cessisse, quia cognouerat, se aliàs iussu Martini Mantuæ perpetuo carcere includendum, ex verbis ipsius Aretini refutari potest, qui expresse testatur, Ioannem eo Martini consilio cognito, antequam Mantuam veniret, aufugisse, & in Ligures abijsse. [Et ibi cum esset liber & sui iuris, siue conscientia ductus, sine quod desperabat aliquid efficere posse, sponte sua Florentiam venit: & sese pedibus Martini subijciens, eum, vt Pontificem verum, & vnicum tecognouit. In aduentu eius tota ciuitas obuiam profusa multis lacrymis, & incredibili commiseratione respexit hominē è tantæ dignitatis fastigio in tantas calamitates prolapsum. Ipse quoque miserabili propè habitu incedebat. His omnibus commiseratio populi augebatnr. Susceptus à Martino, tamdem intercessione ciuitatis, primus Cardinalis efficitur, nec annum integrum superstes è vita migrauit.

Hæc ibi Aretinus, ex quibus D. Maymbourg discere potuit, Ioannem non metu perpetui carceris, quando à militibus Mantuam ducebatur, sed cùm manibus militum elapsus erat, & in Liguribus liber, ac sui iuris existebat, nihilque sibi timere debebat, sponte sua Florentiam venisse, pedibusque Martini sese subijciendo, eum, vt verum, & vnicum Ponrificem agnouisse. Quod idem Aretinus Martino V. de Ciuirate Florentina conquerenti his verbis sese dixisse, testatur: [Ioannes Pontifex, de cuius depositione propter vim adhibitam multi dubitabant, & scrupulus quidam relinquebatur in mentibus, securitate, atque fiducia huius loci Florentiam venit, tibique se sponte sua subiecit, ac Dominum, & Pontificem verissimum tecognouit, quo facto omnis est penitus scrupulus, ambiguitasque sublata, neque enim de vlla vi adhibita sollicitus esse quisquam potest, cùm ipsius voluntaria in loco sibi tutissimo sit conspecta subiectio.] Quæ Aretini verba adeò Martino placuere, vt Florentinæ Ciuitati pro hac etiam cessione ibidem facta, se plurimùm obstringi, confessus sit. Vnde manifestum sit, si quis scrupulus de legitima electione Martini superesset in nonnullorum animis, hunc sublatum fuisse per spontantam Ioannis renuntiationem, quamuis re vera hac renuntiatione Martini electio minimè indiguerit, vtpote, quæ legitimè à tribus Obedientijs facta, & consensu totius Orbis Catholici confirmata fuit. Quæ omnia de Decretis Sessionis V. dici non posse, & hac Dissertatione ostendimus, & sequenti adhuc pluribus demonstrabimus.

CONCLVSIO.

Pro statu V. præsertim Sessionis vltra schismatis statum sese protendentis, ad decernendam Concilij super Papa etiam certo superioritatem, non potuit in Synodo Constantiensi Ecclesia Vniuersalis sufficienter, ac perfectè repræsentata fuisse.

Explicatur. Ecclesia namque quòd statum suum Hierarchicum completè non subsistit ex corpore acephalo, sed substantialiter importat tum Caput, Oecumenica Apostolica auctoritate præpollens, tum Corpus Hierarchicum, ex Præsulibus Ecclesiasticis in Pastoralis sollicitudinis partem vocaris coalescens. Dum ergo neque Caput Ecclesiæ, neque integrum Corpus illud Hierarchicum interterat Concilio Constantiensi, non potest istud sufficienter repræsentasse Vniuersam Ecclesiam; vti patet tum ex antecedentibus, tum ex subsequentibus magis elucidabitur.

PROBATIO I.

Qua ostenditur, ne materialem quidem generalitatem pro statu V. Sessionis habuisse locum in Concilio Constantiensi, quod proinde haud fuisse sufficienter repræsentatiuum Ecclesiæ Vniuersalis, etiam quoad acephalum illius Corpus Hierarchicum.

Cvm Christus Matthæi 18. disertis verbis sit contestatus, se in medio eorum fore, vbi duo, vel tres in nomine suo congregati fuerint; clarè hinc euincitur, Concilij Oecumenici generalitatem constare posse ex paucioribus etiam Præsulibus Ecclesiasticis, modò isti congregati fuerint in nomine Christi

ad

ad totum Christianum orbem se protendente, in vi indictionis per auctoritatem Apostolicam conuocantis cunctos Christianæ Ecclesiæ Antistites, licèt pauciores ex his posteà compareant. At neque ista connocatio, neque aggregatio Præsulum Ecclesiasticorum pro Synodo Constauriensi prætendi potest esse facta sub certo Christi Vicario charactere, qui eo ipso, quòd incertus sit, nequit Ecclesiam certificare de statu Oecumenici Concilij nec adeò in facie Ecclesiæ haberi potest ralis Synodus qua Generalis, nisi dispositiuè fortassis,& materialiter, non aliter ramen, quàm sub respectu ad indubitatum Christi Vicarium characterem, soli Papæ certo, secundùm prudentialis credibiliratis euidentiam, inexistere possibilem.

Etsi verò ipsorum etiam Præsulum characteres Episcopales in vnam Synodum Constantiensem collati, ex suo eranscendentali ad Ecclesiæ regimen ordine, atque adeò ex sua connata ad certum Ecclesiæ Caput prouidendum, habitudine, & ordinatione intrinseca, iam fundarine materialem quamdam Concilij generalitatem, sub statu tendentiæ ad certi Papæ characterem obtinendum positæ, hæc ipsa tamen generalitas materialis pro eo etiam statu, quo Synodus Constantiensis supra Papam certum contendebat se efferre, necdum complectebatur Episcopos, ac Præsules Benedicti XIII. & Gregorij XII. obedientiam professos. Quæ integritas materialis in Concilij Constantiensis V. præcipuè Sessione tantò magis decrescebat quòd ea ipsa etiam Ioannis XXIII. Obedientia quàmplures Patres in contrarium protestati fuerint imò dum congregatio eiusmodi à charactere Concilij Oecumenici formaliter constitutiuo, Vicario scilicet Christi omine se alienum ostendebat, ex tunc prorsus deficiebat Conuentus illius ordo, & habitudo ad characterem Christi Vicarium,siquidem istę per essentiam suam non admittat auctoritatem Christo immediatiorem, atque adeò se maiorem, sicque adeò sancira Concilij super Papam auctotirate,iam abijciebatur ille Vicarius Christi character. Vnde quando Sessionis illius V. Congregatio neque reliquarum duarum Obedientiarum Patres, neque plures ex Ioannis XXIII. Obedientia Præsules, vtpote in contrarium protestantes, complexa est, sed insuper desijt esse in tendentia ad sui complementum formale, & substantificum, ex immediato Christi Vicario charactere, solius Papæ proprio sibi adsciscendum, omninò consequens est, rune ne quoad materialem quidem Hierarchici Corporis generalitatem fuisse illam Synodum Ecclesiæ Vniuersæ sufficienter repræsentatiuam.

PROBATIO II.

Qua ostenditur pro illo statu, longè magis defuisse Concilio formalem generalitatem, atque adeò vim Ecclesiæ Vniuersalis sufficienter, & completè repræsentatiuam.

Concilium Oecumenicum venire nomine Ecclesiæ, dicere debene illi vniuersi, qui asseuerant, ipsi appropriari posse illud Matthæi 18. Dic Ecclesiæ. Et; [Qui Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & publicanus.] Num verò sub isto Ecclesiæ vocabulo in hoc sacri Euangelij textu dicere fas est, intelligi Corpus Ecclesiæ Hierarchicum acephalicè sumptum, an verò qua Capiti suo Summo Pontifici vnitum? Certè Ecclesiam illam, quam quis non audierit, esse à Christo condecoratam indefinita ligandi, & soluendi Apostolica auctoritate,constat ex sacro Euangelico contextu. Constat insuper ex hoc,Ecclesiam illam ea pollere præeminentia, vt, si Duo inibi aggregati consenserint, super quacumque re, quam petierint, ipsis fore impertiendam à Patre Cælesti. Constar prætereà ex eiusdem Euangelij contextu, istos Duos esse, tum qui congregantur in nomine Christi, tum consequenter illum, qui præfert hunc Christi Vicarium characterem. Nequit ergo illa in Concilio Oecumenico repræsentatiuè consistens Ecclesia sufficienter, ac integraliter subsistere, nisi illi Duo, nempe Corpus Ecclesiæ Hierarchicum nomine Christi aggregatum, & Caput Vicarium Christi characterem præferens, coniungantur in Generali Concilio. Quia igitur in Concilio Constantiensi pro statu præsertim V. sessionis erat defectus tum ex parte Corporis Hierarchici,tum ex parte Capitis, imò quia huius auctoritas suprema, qua Christi Vicarium nomen immediatè præferens, tollebatur è medio, consequens est, Concilium Constantiense pro illo statu non fuisse Ecclesiæ Vniuersalis sufficienter repræsentatiuum, ita vt in eius medio Christus vnà cum Patre suo Æterno, ac Spiritu sancto adstitisse dici potuerit.

§. IV.

Corollarium.

Ex dictis facilè patet, quàm ruinoso nitatur fundamento articulus secundus Cleri Gallicani, sessionis IV. & V. decretis Constantiensis Synodi innitens. Ad cuius illationis nostræ maiorem elucidationem videre hic placeat, an verum sit, quod Maymbourgus pag. 223. prętendit,nullam vmquam quæstionem esse meliùs examinatam, quàm illam de auctoritate Conciliorum discussam Constantiæ, cùm enim, & post sermonem Gersonis in Congregationibus Nationum,iuxta ordinem à Concilio statutum, esset examinata, exinde relatum de ea fuisse in sessione IV.

Ve.

Verùm Emmanuel à Schelstrate dicti tract. sui Dissert. 2. cap. 1. art 2, reponit, ea verba non solùm cum anterioribus pugnare, sed etiam Actis Constantiensis Concilij contradicere. Etenim hic ipse Auctor lib. 5. de schismate Occidentali anno 1415. tradidit, solùm post sermonem Ioannis Gersonis de quæstione illa Constantiæ agi cœpisse. Cùm enim narrasset de Ioanne XXIII. quòd 21. Martij fugam arripuisset, & Ioannes Gersonius post biduum sermonem habuisset coram Patribus Concilij de auctoritate Ecclesiæ supra Pontificem: [En, inquit, occasionem, quæ tunc peperit celebrem illam quæstionem, quæ numquam anteà agitata erat in Ecclesia;] An nimirum Concilium sit supra Papam, aut Papa supra Concilium? Sicut enim sermo Cancellarij Parisiensis magnum rumorem excitauerat tam Constantiæ, quàm Scaffusæ, vbi plures Cardinales, & alij Concilij Patres ad Papam peruenerant, non omiserunt ea de re disputare cum magno feruore immediatè post sessionem 3. quæ cœpit die 25. Martij, & die sequenti continuata fuit. [Hæc ibi D. Maymbourg, citans in margine Acta Constantiensis Concilij, & Auctores contemporaneos, vt eorum testimonio probaret, quæstionem de superioritate Concilij ex sermone Gersonis ortum Constantiæ, & Scaffusæ duxisse: vnde Auctor ille nullatenus sibi constat dum in tractatu historico scripsit, ante eumdem sermonem à Nationibus quæstionem illam agitatam fuisse.

Neque minùs dissonat Actis Concilij, in quibus refertur, quòd post fugam Ioannis XXIII. tres Cardinales deputati fuerint, vt ad Papam Scaffusæ commorantem accederent, & ad Procuratorium super cessione Pontificatus constituendum, Conciliumque continuandum inducerent: quodque 23. Martij dicti tres Legati Cardinales, dum ex mandato sacri Collegij ad iter se parabant, summa animorum admiratione exceperint nouum de audienda Missa sancti Spiritus pro vnione, & extirpatione schismatis. [Propter quod, inquit Regestum, Cardinales valde admirati sunt, timentes, ne Concilium aliquid furiosè attentaret contra Dominum nostrum Papam; propter quod deliberauerunt, Missæ non interesse. Infrà tamen Missam, accersito Domino Rege Romanorum, in quadam Cappella Ecclesiæ Constantiensis secum locuti sunt. Finita itaque Missa celebrata per D. Patriarcham Antiochenum, recitatoque sermone per quemdam Doctorem de Vniuersitate Parisiensi, in confirmationem Concilij, & derogationem iurisdictionis Apostolicæ, nulloque alio actu ibidem facto, prædicti tres Cardinales Legati iter arripuerunt versùs Dominum nostrum Papam.].

Doctor Parisiensis, cuius hic, tacito nomine, meminit Regestum, est Ioannes Gersonius, qui modum, quo sermonem hunc composuerat, his verbis indicauit: [Iussit, inquit, de Vniuersitate Parisiensi, hesterno Vesperi per Ambassiatores, & Nuntios suos hic præsentes, quatenus hoc matutino tempore essem habiturus orationem nomine suo pro veritatis elucidatione circa ea, quæ per hoc sacrum Concilium agenda videntur occurrere. Nullus, opinor, mirabitur, si ad hanc iussionem ego fragilitatis meæ conscius, & temporis arctatione pressus expaui.] Ita ipse Gersonius de sermone suo vnica nocte composito, quo Constantiæ coram Patribus publicè agere cœpit pro confirmanda superioritate Concilij, idque adeò inconsultè, vt Regestum significet, eum in derogationem iurisdictionis Apostolicæ sermonem habuisse, post quem tamen, teste eodem Regesto, contra auctoritatem Pontificiam nihil aliud in Concilio actum, nihil omninò à Nationibus deliberatum, nihil planè à Patribus decisum fuit.

Prima, quam D. Maymbourg in tract. de schismate Occidentali superioritatis mentionem reperit, est illa apud Niemum in vita Ioannis XXIII. quæ post reditum trium Cardinalium coram Rege Romanorum, & quibusdam Patribus priuatim facta est die 26. Martij: [Redierunt huc, inquit Niemus, scilicet ad Constantiam de Schaffusa quatuor Cardinales, & illa die fuit Congregatio illorum, qui erant de Concilio, & interfuit Rex, & ad illum accesserunt sex Cardinales, & amplè multùm locuti fuerunt cõtra ipsum Concilium, scilicet quòd dissolutum esset propter absentiam, & recessum dicti Balthasaris. Et eis responsum fuit acriter per plures de ipso Concilio, viros magnæ auctoritatis, & scientificos, scilicet, quòd Papa non esset supra Concilium, sed esset sub Concilio. Facta illinc contentio magna hinc inde.] Vltima hæc Niemi verba repetit D. Maymbourg in tract. historico cap. 21. pag. 222. & loco acriter malè legit alacriter. Quòd enim acriter legendum sit, non solùm testantur Spondanus, & Odoricus Raynaldus ad hunc annum, sed ex ipso Niemo patet, qui nihil nisi cum acerbitate, & contentione hinc inde dictum fuisse, notat, adiungens, [quòd suscitato maiori clamore contra Cardinales in Congregatione præfata, ipsi, insalutato hospite, abierunt.]

Nolim hic inquirere, an quæstio, cuius meminit Niemus, versaretur circa auctoritatem Concilij supra indubitatum Pontificem, an potiùs circa auctoritatem Ioannis XXIII. dissoluentis Concilium: quamuis enim supponamus, de auctoritate Concilij supra indubitatum Pontificem actum fuisse, vt voluit D. Maymbourg, inde tamen nihil consequetur pro matura deliberatione, cùm ex verbis ipsius Niemi deducatur, nihil deliberatè, sed contentiosè potiùs, & cum clamore strepitantium in priuato illo congressu asserrum fuisse. Eodem modo dicendum est de contentione super decretis die 27. Martij habita. Cùm enim Cardinales, & Regis Galliæ Legati illo die coram Nationibus publicè referre deberent, quocumque Ioannes XXIII. pro cessione Pontificatus, & continuatione Concilij offerebat: [Hæc omnia, inquit Regestum, tamquam indicta, & fictè pro parte Domini nostri Papæ oblata per Regem Romanorum, & alios ibidem adstantes reputata fuerunt, fuitque ibidem vnanimiter vociferatum: his non obstantibus, fiat sessio, fiat sessio.] Post hanc enim vociferationem, concitatis contra Ioannem Papam Patrum animis, à tribus Nationibus conclusa sunt decreta de auctoritate Conciliorum superiùs allata, idque tam præcipi-

cipitanter, & inconſultè, vt Cardinales, qui nihil ſciebant de agendis in ſeſſione, vnà cum Ambaſſiatoribus Regis Franciæ, ad eam venire recuſarint, & re ipſa numquam veniſſent, niſi obtinuiſſent, mediante Rege Romanorũ, quòd primum decretum ſine mentione reformationis Eccleſiæ publicaretur; ſecundum verò de auctoritate coactiua Conciliorum omninò omitteretur, vt ex manuſcriptis indubitatæ fidei codicibus diſſertatione præcedenti probauimus.

Notandum verò ex iiſdem manuſcriptis, quòd Cardinales ideo ſeſſioni 4. intereſſe noluerint, quia ſuper illis definitionibus non fuerant habitæ, nec ſufficienter petitæ deliberationes eorum. Ex quibus verbis apertè conſtat, quòd, licèt ante ſeſſionem 4. apud Nationes actum fuiſſet de ſuperioritate Concilij, non tamen ſufficienter, & plenè: quam ob rem ſemper addidi, non fuiſſe cum matura, ſufficienti, & debita deliberatione diſcuſſa ea decreta, vt ipſi Cardinales verbis ſupra citatis atteſtantur. Neque videre poſſum, ex quibus monumentis D. Maymbourg ſupponens, decretum ſeſſionis 4. ad ſuperioritatem Concilij ſpectare, eam aſſeueranter tradiderit, quæſtionem illa de re ante ſeſſionem 4. debitè examinatam fuiſſe. Non ſolùm enim conſtat ex geſtis Conſtantienſis Concilij, paulò antè ſeſſionem 4. conueniſſe inter Cardinales, & Deputatos Nationum, quòd in illa nulla mentio fieret de alio, quàm Conſtantienſi Concilio tempore ſchiſmatis celebrato, ſed ex regeſto actorum Conſtantienſium hactenus inedito etiam clariſſimè patet, quòd à Cardinalibus ſeſſione 4. monitæ ſint Nationes; vt ſuſpenderent ad tempus materias, quæ habent magnas difficultates, & maturam exigunt deliberationem.

Verò contrà æſtimanda eſt prudentiſſima illa Cardinalium admonitio, qua decreta maiori deliberatione indiguiſſe, teſtantur. Si enim concluſio Nationum de decretis facta fuerit ante ſeſſionem 4. & in ipſa ſeſſione 4. ſacrum Cardinalium Collegium publicè Nationes monuerit, materiam illis contentam habere magnas difficultates, & maturam exigere deliberationem, dubium eſſe non poteſt, quin ſine debita deliberatione, & cum inſufficienti examine factum putauerit, quidquid circa illa ante ſeſſionem 4. à Nationibus actum fuit. Nec eſt, quòd quiſquam contra hoc grauiſſimum teſtimonium opponat cum D. Maymbourg, id à Bellarmino ante centum annos excogitatum fuiſſe, non enim agimus hic de ſententia vnius Cardinalis Bellarmini, qui conſtare, dixit, quòd decretum Conſtantienſe de auctoritate Conciliorum ſine examine factum fuerit, ſed agimus de integro Cardinalium Collegio, quod Concilio Conſtantienſi interfuit, & non ſolùm ante ſeſſ. 4. decreta ob defectum ſufficientis deliberationis conſtanter reiecit, ſed in ipſa quoque ſeſſione Nationes publicè admonuit, quòd pluribus difficultatibus obnoxia eſſent, & maturiori deliberatione indigerent.

Memoria repetebant Romanæ Eccleſiæ Principes, quid antiquitus fieri conſueuerat, quando in aliquo Concilio de re maioris momenti, & varijs difficultatibus obnoxia, ſtatuendum erat. Sciebant, quàm magno examine, vt cætera omittam, de cultu imaginum in Synodo Nicæna generali 7. actum fuerat. Extant etiamnum geſta iſtius Concilij, ex quibus manifeſtum fit, iſtius Synodi Patres, habito inter ſe communi conſilio non ſemel, ſed ſæpius, Eccleſiæ traditionem de illo conſuluiſſe. Vnde in actis etiamnum reperiuntur centena antiquorum de cultu Imaginum teſtimonia, quæ omnia coram Patribus in ſeſſionibus publicis recitata fuerunt, antequàm res illa contra Iconoclaſtas deciſa, & decreto Synodico firmata fuit. Et hoc eſt, quod Cardinales à Nationibus in ſtatuendis de auctoritate Conciliorum decretis omiſſum fuiſſe ſeſſione 4. admonere potuerunt, cùm in re tanti momenti, vt in cæteris omnibus fieri ſemper conſueuerat, expendenda fuiſſent antiquorum Patrum ſcripta, Summorum Pontificum Decreta, & Conciliorum generalium monumenta, ex quibus de traditione circa auctoritatem Pontificiam conſtare debebat.

Ex his enim patuiſſet, quam auctoritatem veneranda antiquitas Sedi Apoſtolicæ competere, tradiderat, quam iuriſdictionem ipſius Pontifices, tamquam ouilis Dominici Paſtores, exercuerant in Eccleſia, & quanta cum veneratione de ſuprema Petri, eiuſque Succeſſorum poteſtate Concilia ipſa egerant. Conſtitiſſet, quòd Concilium Chalcedonenſe 4. omnium Oecumenicorum Conciliorum numeroſiſſimum, in epiſtola Synodica Leonem I. Summitatis titulo nominarit, eaque canonem ſuum 28. de tribuendo Sedi Conſtantinopolitanæ ſecundo honoris loco ad Leonem I. vt eius auctoritate confirmaretur, miſerit, & quia iudicio ipſius firmatus non fuit, robore ſuo caruerit. Innotuiſſet, Cœleſtinum ſuis Legatis ad Concilium Epheſinum generale 3. proficiſcentibus in mandatis dediſſe, quòd ipſius nomine in Concilio iudicare, non verò à Concilio iudicari deberent, quod his verbis legitur in Cœleſtini commonitorio: [Auctoritatem Sedis Apoſtolicæ cuſtodire debere; ſiquidem & inſtructiones, quæ vobis traditæ ſunt, hoc loquuntur, vt intereſſe Conuentui debeatis: ad diſceptationem ſi fuerit ventum, vos de earum ſententijs iudicare debeatis, non ſubire examen.] Conſtitiſſet, iuxta hæc mandata coram Patribus Concilij Philippum Cœleſtini Legatum cum Collegis ſententiam tuliſſe in Neſtorium, aſſerendo: [Quòd nulli dubium ſit, ſed potiùs ſeculis omnibus notum, ſanctum Petrum Apoſtolorum Principem, & Caput, fideique columnam, & Eccleſiæ Catholicæ fundamentum, à Domino noſtro Ieſu Chriſto claues Regni cœleſtis accepiſſe, & non ſolùm in ſuis Succeſſoribus viuere, ſed & iudicium exercere.] Quod iudicium etiam de actis Synodalibus intelligendum eſſe, demonſtrat Gelaſius I. ſcribens in tomo de anathematis vinculo, hoc robur obtinuiſſe, quod in Synodo firmauit Sedis Apoſtolicæ auctoritas; quod refutauit, firmitatem habere non potuiſſe.

Et hæc procul dubio, ac centena alia Antiquorum teſtimonia conſuli voluerunt Cardinales ſeſſione 4. antequàm de re tanti momenti quidquam ſtatueretur, indicantes, nullum debitum examen à Nationibus de auctoritate Pontificum inſtitutum, nullam maturam deliberationem ante decretorum con-

clusionem habitam fuisse. Quæ cùm ex actis ipsius Constantiensis Concilij clariùs constent, quàm vt à quoquam negare possiue; vndènam D. Maymbourg probabit, quòd nulla vuquam quæstio melius examinata fuerit, quàm illa de auctoritate Conciliorum generalium in Constantiensi fuit? Tantum sanè abest, quòd illud moustrare possit ex actis, vt gesta Constautiensis Concilij hactenus inedita habeant, quòd post illam sessionem fuit per Cardinalem Florentinum super hoc eum aliquibus Deputatis aliqualiter disputatum: vbi notandum est, ideo dici, post sessionem 4. aliqualiter disputatum fuisse, vt indicetur, non sufficienter. Refertur quoque, per Cardinalem Florentinum, & quosdam deputatos, aliqualem istam disputationem factam, vt innuatur, neque à Nationibus, neque coram omnibus Concilij Patribus communi consilio ea de re actum fuisse. Pro qua re facit quoque regestum Constantiensis Concilij, in quo habetur, solos Deputatos post aliqualem illam disputatiouem statuisse: [quòd in proxima sessione omnes articuli, & clausulæ concordatæ per Nationes in vltima sessione prætermissæ expedirentur.] Vbi & notanda sunt illa verba: [clausulæ concordatæ per Nationes in vltima sessione prætermissæ.] Ex illis enim rursus colligitur, Deputatos conclusioni die 27. Martij sine matura deliberatione factæ inhæsisse, sicque sine noua Nationum deliberatione, sine nouo Concilij examine sessione 5. decreta publicata fuisse. Confirmant id acta manuscripta Constantiensis Concilij à quatuor eius Protonotarijs collecta, & in tribus codicibus, quos videre licuit, seruata, dum referunt, publicata fuisse decreta, [tamquam priùs conclusa, & deliberata.] Quæ verba ex manuscripto codice Coloniensi edidit primùm Petrus Crabbe, & posteriores Conciliorum collectores retinuerunt. Quod ideo aunotare placuit, vt certò constet, Decreta, de quacumque auctoritate Conciliorum generalium apud Patres Constantienses controuersa intelligantur, sessione 5. sine noua deliberatione publicata fuisse, cùm enim expressè dicantur priùs conclusa, & deliberata, innuitur profectò, Concilium inhæsisse priori conclusioni, quam Nationes die 27. Martij cum minùs sufficienti deliberatione posuerant, & cui Cardinales non solùm ante, sed etiam post sessionem 4. contradixerant, nolentes Decretorum publicationi in ipsa sessione 5. faciendæ consentire.

DISQVISITIO VIII.

Vtrùm Sessionis 4. & 5. Constantiensis Synodi decreta fuerint recepta ab Ecclesia, & confirmata à Martino V. Summo Pontifice?

§. I.

AD præsentis Disquisitionis intentum singulariter deseruire potest, si ob oculos ponatur varietas opinionum, quæ tempore Constantiensis Synodi viguerat circa supremam Concilij Generalis auctoritatem. Hanc rem optimè exponit sæpè fatus Emmanuel à Schelstrate tract. præcit. disser. 3. cap. 1. Inter varias (inquiens) opiniones, quæ temporibus Constantiensis Concilij de auctoritate Synodorum Generalium circumferebantur, vna erat à pluribus Doctoribus propugnata, quam Benedictus XIII. sustinuit, Romanum scilicet Pontificem in nullo casu subijci Concilij iudicio. Cùm enim à Cardinalibus anno 1408. ad Concilium Pisanum pro sopiendo schismate euocaretur, eorum operam derisit, inquit D. Antoninus tom. 3. Chron. tit. 22. §. 3. dixitque: [Controuersiam fore de iure Papatus inter se, & Gregorium, & nihil ad eos spectare de re ipsa.] Idem sustinuit post sententiam contra se latam, asserens: [Cardinales potestatem, & auctoritatem conuocandi Generale Concilium, à tempore Apostolorum solis Romanis Pontificibus reseruatam, temerè vsurpasse, & non considerantes, quòd inferior superiorem non potest soluere, vel ligare, iurisdictionem, & potestatem iudicandi Sedem ipsam, sibi temeritate sacrilega vendicasse.] Ita Benedictus in Conuentu Barcinonensi, cuius sententiam propugnasse plures viros doctos, notat Odericus Raynaldus ad annum 1409. vbi ex manuscriptis codicibus adfert, hanc eorum conclusionem pluribus rationibus, & Antiquorum auctoritatibus comprobatam: [Quòd propter nullum crimen Papa potest deponi à Papatu per aliquem purum hominem, vel per aliquos alios homines mundi, siue sint Cardinales, siue Archiepiscopi, siue Primates, siue Patriarchæ, nec etiam à Concilio Generali, imò nec à tota Ecclesia Vniuersali.] De qua sententia intelligendus videtur Ioannes Gersonius lib. de potest. Ecclesiast. considerat. 12. dum scripsit: [Fallor, si non ante celebrationem huius sacrosanctæ Constantiensis Synodi sic occupauerat mentes plurimorum literalium magis, quàm literatorum ista traditio, vt oppositorum dogmatizator fuisset de hæretica prauitate, vel notatus, vel damnatus.]

Secunda sententia fuit, Pontificem etiam tempore schismatis viuentem, deponi non posse, nisi ob crimen hæresis, quàm ipsum Pisanum Concilium sequi voluit in deponendis Benedicto XIII. & Gregorio XII. Hos quidem ne quidem dubios Pontifices deposuisset,

set, nisi hæreseos crimini obnoxios, & contra arriculum fidei de vnitate Ecclesiæ ambos pugnasse existimasset, vt latè probauimus ex Actis editis ipsius Concilij, quibus in huius veritatis confirmatione alia addi possunt hucusque inedita. Acta enim à Notarijs ipsius Synodi conscripta, & hactenus inedita referunt, omnes Magistros in Theologia tam Episcopos, quàm Abbates, & Generales Ordinum Mendicantium anno 1419. die 28. mensis Maij ad requisitionem sacri Cardinalium Collegij congregatos fuisse in Sacristia Conuentus Fratrum Minorum de Pisis, vt deliberarent de his duobus articulis: Primò; [An duo de Papatu contendentes, essent schismatici, & hæretici reputandi? Secundò; Dato, quòd sic, vtrùm sub titulo hæresis ab Vniuersali Ecclesia, & Papatus regimine eijciendi?] Additurque in Actis: Ad has quæstiones habita pluries ad inuicem matura deliberatione, concorditer, & vnanimiter responsum fuisse, prædictos contendentes hæreticos censeri, & vt tales per sententiam Concilij declarari, ac Pontificatu eijci posse, prout eiectos fuisse, ex sententia ipsius Synodi, ostendimus supra. Atque hæc est sententia, quam adeò verã putauit Ioannes XXIII. vt, dum aliquis initio Constantiensis Concilij per cedulam publicasset, eum inuitum cogi posse ad cedendum de Papatu, in alia cedula quæstionem proponi fecerit: Si verus, & Canonicus Papa, non suspectus de hæresi possit ab aliquo compelli, vel arctari? Et cursus in alia responderi curauerit: Quòd hoc esset manus ponere in Christum Domini, & qui contrarium publicauerat, si fuisset bonus Christianus, & intellexisset Scripturas, nullatenus talia pijs auribus suggessisset. Hæc itaque est secunda sententia de auctoritate Concilij illis temporibus vbique ferè recepta, quòd ob solam hæresim de Romano Pontifice iudicare liceret.

Tertia sententia fuit Petri de Alliaco Cardinalis Cameracensis, qui tenuit, Pontificem tempore schismatis, pro pace Ecclesiæ celeriùs procuranda, ab Vniuersali Ecclesia, seu Concilio Generali compelli posse. Extat eius sententia in cedula quadam initio Constantiensis Concilij publicata, in qua reperiuntur variæ conclusiones de facto Ioannis XXIII. statuit, Ioannem, attenta perplexitate schismatis, cedere debuisse, & nolentem potuisse tamquam schismaticum, & de fautoria schismaticæ prauitatis suspectum legitimè condemnari: illos autem, qui in casu prædicto Papam tamquam hæreticum, vel schismaticum condemnarent, & dictam condemnationem iustam, & canonicam assererent, nullatenus hæreticos censeri posse. Ex qua cedula lucem accepit eiusdem Cardinalis Cameracensis sententia, quam in eodem Constantiensi anno 1417. exposuit 3. par. tract. de auctorit. Eccles. cap. 2. vbi asserit, Papam subijci Concilij Generalis iudicio in casu, quo accusatur de crimine hæresis propriè dictæ, & quibusdam alijs, quæ possent quodammodò ad hæresim reduci.

Quarta autem sententia fuit de auctoritate Concilij tempore schismatis, quòd nimirum illa sese non extenderet ad reformationem Ecclesiæ, vtpote quam non nisi post electionem Pontificis, eodem consentiente, fieri posse, sustinuit Franciscus Zabarella Cardinalis Florentinus omnium Canonistarum sui temporis facilè princeps. Adduximus eius sententiam differt. 1. præs. tract. in qua ex Gestis manuscriptis Constantiensis Synodi ostendimus, eum cum suis sequacibus noluisse admittere articulum de reformatione, quia non erat verus de iure, ideoque omissum fuisse in Decreto 1. Sessionis 4. in qua Sessione prætermissum quoque fuit Decretum 2. de auctoritate Concilij coactiua supra Pontificem, vt abundè suprà monstrauimus.

Quinta sententia fuit plurium Patrum Constantiensium, quòd nimirum Concilium, Generalem Ecclesiam repræsentans, habeat auctoritatem tempore schismatis non solùm ad procurandam vnionem, deponendo illos, qui de Papatu contendunt, & ad iudicandum de materia fidei, damnando eos, qui contra illam hæreses seminant, sed etiam ad reformandam Ecclesiam circa ea, in quibus tam membra, quàm Caput ipsum reformatione indigent: & hoc modo Decretum 1. Sessionis 4. interpretatur Cardinalis Turrecremata lib. 2. de Ecclesia cap. 99. asserens de sola Constantiensi Synodo actum fuisse: [Falsum est, inquit Turrecremata, quòd Constantiæ declaratum sit, siue Decretum de Vniuersali Synodo, in Spiritu sancto legitimè congregata; planè numquam in Constantia sub hac forma legitur Decretum factum: declaratio autem facta per Patres illos sub Obedientia Ioannis XXIII. congregata, emanauit sub hac forma: Hæc sancta Synodus Constantiensis, Generale Concilium faciens, pro extirpatione præsentis schismatis, & vnione, ac reformatione Ecclesiæ Dei in Capite, & in membris fienda, declarat, quòd ipsa in Spiritu Sancto legitimè congregata, &c.] Quibus verbis indicat de solo Constantiensi Concilio tempore schismatis celebrato intelligendum esse 1. Decretum, de quo omninò tempore etiam plures intelligunt Decretum 2. [Quòd quicumque, cuiuscumque dignitatis, etiamsi Papalis, qui mandatis, aut præceptis huius sacræ Synodi, & cuiuscumque alterius Concilii Generalis legitimè congregati super præmissis, seu ad ea spectantibus factis, vel faciendis obedire contumaciter contempserit, nisi resipuerit, condignæ pœnitentiæ subiiciatur, & debitè puniatur, &c.] Ad nihil enim aliud huic Decreto adiuncta putant hæc verba: Super præmissis, seu ad ea spectantibus factis, vel faciendis, nisi vt 2. Decretum referretur ad 1. de solo schismatis tempore statutum, quo Patres Constantienses contra opinionem Cardinalis Zabarellæ, & sequacium declarabant, Concilium Generale non solùm fidei, & schismatis causas decidere, sed & Ecclesiam in Capite, & in membris reformare posse, & cunctos eidem etiam de Papatu contendentes, Decretis desuper faciendis obedire debere, ita vt obedire nolentes deponi possint, & legitimæ pœnitentiæ subiici.

Sexta demum sententia fuit Ioannis Gersonii, qui tenuit, Concilium Generale esse supra Pontificem, adeoque Pontificem Concilii Generalis iudicio subiici, quo sen-

ſit interpretatus eſt Decreta Conſtantienſis Concilii, quæ non de ſolis Synodis tempore ſchiſmatis, ſed de Oecumenicis Conciliis quocumque tandem tempore celebratis intelligenda eſse, putauit. Patet id ex duobus ſermonibus eiuſdem Gerſonii, quorum vnum Dominica 2. poſt Epiphaniam, & alterum pro Viaggio Regis Romanorum coram Patribus ipſius Conſtantienſis Concilii habuit, in quibus Decreta Seſſionis 5. interpretatus eſt de ſuperioritate Concilii, quæ interpretatio adeò firmiter menti eius inhæſerat, vt à Romano Pontifice ad Concilium Generale appellari poſse, nullatenus dubitaret. Vnde Martino V. Decreta Seſſionis 5. illo ſenſu minimè recipienti, & appellationem à Pontifice ad Conciliū Vniuerſale reprobanti, verumque & indubitatum Pontificem pro ſupremo in cauſis fidei iudice habendum eſse, ſtatuenti, oppoſuit Gerſonius Tractatum ſub hoc titulo: [An, & quomodò appellare liceat?] In quo oſtendere conatur, declarationem Martini pugnare cum determinatione Seſſionis 5. quæ, inquit, multipliciter facta eſt, & practicata. Reſpicit his verbis ad ea, quæ Conſtantiæ facta erant in cauſa Ioannis XXIII. quem iuxta Decreta Conſtantienſis de ſuperioritate Concilii intellecta, iudicatum, & depoſitum fuiſse, exiſtimabat, & illam Ioannis Gerſonii ſententiam pluribus propugnarunt Edmundus Richerius, Ioannes Launoius, D. Maymbourg: quorum opinio ſequenti §. examinabitur, vbi expendemus; Quo ſenſu Patres Conſtantienſes ante, & poſt trium Obedientiarum vnionem, Decreta Seſſionis 5, ſuſceperint.

§. II.

Referuntur, ac examinantur argumenta circa ſuſceptionem prætactorum Seſsionis 5. decretorum.

Q Vamplures fuiſse de auctoritate Concilii opiniones, propter quas in 4. & 5. Seſſione fuerunt motæ difficultates, ex actis, & geſtis Conſtantienſis Concilii hactenus indicatæ. At ſextam dumtaxat opinionem placuiſse Concilio, fuiſseque multipliciter prædicatam, aſseruit olim Ioannes Gerſon, cuius veſtigiis poſteà inhærebat Edmundus Richerius lib. 2. hiſt. Concil. Generalium cap. 3. prout mox dicetur.

ARGVMENTVM.

Richerij prædicati de Concilij ſupra Papam auctoritate prætenſa in Concilio Conſtantienſi.

H Ic Auctor loc. cit. ita argumentatur, De cauſa Ioannis XXIII. iiſdem Seſſionibus 4. & 5. Patres cauent, ne Ioannes XXIII. quem pro vero, & indubitato Pontifice agnoſcebant, totum Concilium, vel partem Concilii, hoc eſt, perſonas eidem Concilio adhærentes interturbet, vel aliò traducat, ipſo inuito Concilio, hocque eſt primum exemplum praxeos, Decretorum de Concilii auctoritate ſupra Papam ... Die 2. Maii in 7. Actione formulæ citationis contra Ioannem Papam, Concilio parere detrectantem, & contra Hieronymum Pragenſem inſtruuntur. Hocque eſt ſecundum exemplum praxeos Decretorum 4. & 5. Seſſionis contra Pontificem ...X. Actione die 14. Maii pronuntiatur ſententia ſuſpenſionis ab officio Papali contra Io. XXIII. Hocque eſt tertium exemplum praxeos auctoritatis Concilij ſupra Papam ... XII. Seſſione die 25. Maij Patres ſententiam diffinitiuam aduersùs Ioannem pronuntiant, illumque velut notorium ſimoniacum, Bonorum Eccleſiæ dilapidatorem, & notoriè ſcandalizantem Eccleſiam ſuis deteſtabilibus, atque inhoneſtis vita, moribus, &c. condemnant, & à Papatu, atque omni eius adminiſtratione Spirituali, & temporali priuant, atque deponunt... Et hic occurrit quartum monimentum praxeos auctoritatis Concilij ſupra Papam.

Hucuſque Richerius, clarè ſupponens, Ioannem XXIII. à Patribus Conſtantienſis Concilij pro certo, & indubitato Pontifice habitum fuiſſe, & conſequenter, quidquid Conſtantienſe Concilium contra eum ſtatuit, pro ſuperioritate Concilij facere. Idem omninò ſupponit Ioannes Launoius in varijs litteris de Conſtantienſi Concilio ſcriptis, cuius veſtigia hic, vt vbique in tractatu ſuo hiſtorico ſolet, inſecutus eſt D. Maymbourg, qui finit caput 23. non ſemel, ſed ſæpius affirmans, quod Concilium Conſtantienſe numquam dubitarit, quin Ioannes XXIII. eſſet verus Papa.

Reſponſio.

Emmanuel Schelſtrate tract. ſui diſſert. 3. cap. 2. à pag. 152. ita reſpondet, primò. Quamuis Concilium Conſtantienſe initio Ioannem pro Pontifice habuiſſet, non tamen iudicaſſe, quòd deberet pro certo, & indubitato Papa haberi ab alijs Obedientijs. Si enim Concilium Conſtantienſe Ioannem XXIII. pro certo, & indubitato Pontifice ab omnibus habendum eſſe, duxiſſet, cur igitur quibuſdam eum pro tali initio eiuſdem Concilij habentibus, & à nemine iudicari poſſe, aſſerentibus, Petrus de Alliaco Cardinalis Cameracenſis in cedula per Philippum Labbeum ex manuſcripto codice Capranicenſi in Appendice Conſtantienſis Concilij publicata, oppoſuit hanc primam concluſionem? [Licet Concilium Piſanum fuerit legitimè, ac Canonicè conuocatum, ritè & Canonicè celebratum, & duo olim contendentes iuſtè, & Canonicè condemnati, & electio D. Alexandri V. fuerit Canonicè, & ritè facta, & dicta electio ab illis, qui fuerunt in illo Concilio, fuerit legitimè, & canonicè accepta, prout hæc omnia tenet obedientia Domini noſtri Papæ Ioannis XXIII. tamen duæ obedientiæ duorum contendentium probabiliter tenent contrarium, in qua opinionum diuerſa, & aduerſa veritate non ſunt minores difficultates Iuris, & Facti, quàm ante Concilium Piſanum erat de iuſtitia duorum contendentium.]

Secundò. Si nemo dubitare potuit de Ioan-

Ioanne XXIII. quin certus, & indubitatus Papa exiſteret. cur igitur Ioannes Cardinalis Raguſinus arma Gregorij XII. cuius Nuntius exiſtebat, in valuis Monaſterij Auguſtinianorum Conſtantiæ publicè appendiſſet, & Ioannis XXIII. ſequacibus ea de nocte auferentibus, magna illa animorum contentio exorta fuiſſet inter Patres Concilij, de qua teſtatur Regeſtum Actorum Conſtantienſium in duobus codicibus manuſcriptis: [Cumque ſuper affixione, & appenſione dictorum armorum, & deletione, ſiue amotione eorumdem inter congregatos in Concilio oriretur diſceptatio, mandatum eſt, Prælatos, & alios, qui ad Concilium venerunt, congregari ſuper hoc. Die Martis 20. Menſis Nouembris congregatis Reuerendiſſimis in Chriſto Patribus Dominis ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus numero decem, & octo, Prælatis, Procuratoribus Dominorum, Magiſtris, & alijs in ſacro Conſtantienſi Concilio exiſtentibus in Aula inferiori Palatij Apoſtolici pro cauſa ſuprà dicta, cùm ſuper ea per vnum ex Dominis Cardinalibus propoſitio fieret, variæ inter eos fuere ſententiæ, alijs aſſerentibus, arma prædicta appendi, ſiue affigi potuiſſe, & per conſequens, ex quo deleta fuerant, reponi debere. Et huius ſententiæ fuerat Dominus Fekrenſis, & Concordienſis Epiſcopi, & plures alij: alijs verò aſſerentibus, ſuprà dicta arma in locis prædictis in obedientia Domini noſtri Ioannis Papæ XXIII. conſtitutis appendi, ſiue affigi non potuiſſe, & per conſequens, ex quo deleta fuerant, reponi non debere, & huius ſententiæ fuit D. Patriarcha Gradenſis, & alij, cui plures, quàm alteri ſententiæ adhæſerunt, dicentes, niſi Angelus Corrario perſonaliter veniat, ipſius arma ibidem non debere depingi.] Verum quidem eſt, nihil tunc à Concilio deſuper ſtatutum fuiſſe: notanda tamen ſunt verba Regeſti Conſtantienſis Concilij, ex quibus habemus, nullatenus dubitatum fuiſſe, quin Gregorius XII. arma Pontificia affigere potuiſſet in valuis Monaſterij, ſi perſonaliter Conſtantiam veniſſet, & quæſtionem ſolummodò fuiſſe de Ioanne eius Nuntio. Quinimò plures Patres rectè à Nuntio appendi potuiſſe, ſuſtinuerunt. Vnde manifeſtò conſtat, Ioannem XXIII. pro certo, & indubitato Pontifice ab omnibus agnoſci non debuiſſe, cùm Gregorij arma Pontificia in Diœceſi, & præſentia Ioannis XXIII. à Gregorio, vel eius Nuntio, iuxta communem ſententiam, appendi potuerint.

Tertiò. Si numquam Conſtantiæ dubitatum fuit de Pontificatu Ioannis XXIII. cur igitur Ioanni Dominici Nuntio Gregorij ſupradicto publicum ingreſſum cum pileo rubeo facere cupienti in plena Congregatione anno 1415. die 4. Ianuarij coram Ioanne XXIII. aliqui licentiam illam concedendam eſſe, aſſeruerunt? Alij quidem aſſeruerunt, inquit Regeſtum Conſtantienſe, [licentiam Fratri Ioanni Dominici concedendam, cum capello rubeo ingrediendi; & huius ſententiæ fuit Reuerendiſſimus DD. Petrus Tituli ſancti Chryſogoni Presbyter Cardinalis Cameracenſis, & quidam alij.] Et cur igitur ſententia iſta Petri de Alliaco præualuit, & iuxta eam, dicto Ioanni permiſſum fuit, tamquam Cardinali, cum pileo rubro Conſtantiam ingredi? [Die namque Martis 22. Menſis Ianuarij, teſte Regeſto, [D. Frater Ioannes Dominici tituli ſancti Marci Presbyter Cardinalis Raguſinus, vt Cardinalis, & cum capello rubeo medius inter Dominos Bauariæ, & Ducem Bigæ, ac D. Ioannes electus Conſtantinopolitanus in habitu Prælati cum capello nigro ſic in obedientia Gregorij nominati, ſequentibus eos Dominis Wormatienſi, Spirenſi, & Vverdenſi Epiſcopis, in obedientia dicti Gregorij perſiſtentes, qui omnes prædictis Legatis dicti Gregorij extra Conſtantiam obuiauerunt, Ciuitatem Conſtantiæ ſunt ingreſſi, in Conuentuque Eremitarum S. Auguſtini, qui pro habitatione & ſuorum aſſignatus fuerat, collocati ſunt.] Ita regeſtum de Ioanne Dominico, quem Gregorius XII. primò Archiepiſcopum Raguſinum, poſteà anno 1408. 2. Iunij Cardinalem creauerat, in quo gradu numquam receptus fuit à Piſano Concilio, vel ab electo ibidem Alexandro V. eiuſque Succeſſore Ioanne XXIII. qui vltimus omni conatu impedire tentabat, ne Conſtantiam tamquam Cardinalis ingrederetur; quod dum Synodus Conſtantienſis permiſit, indicauit, ſe Ioannem XXIII. pro vnico, certo, & indubitato Pontifice non habuiſſe. Ne autem, quæ de pileo rubro hucuſque dicta ſunt, D. Maymbourg in dubium reuocet, conſulere poteſt codices ſuos manuſcriptos Bibliothecæ Victorinæ, quos huic veritati teſtimonium perhibere, reperiet.

Plura adiungi poſſent de mente Patrum Conſtantienſium, niſi de ea ex Actis Seſſionis 14. clarius conſtaret, quàm vt in dubium reuocari poſſet. Cùm enim Gregorius XII. ſeſe pro Pontifice gereret, & antequàm de Pontificatu cederet, eemota à Concilio Ioannis præſidentia, nouam conuocationem Concilij fieri debere, contenderet, non dixit Concilium, Gregorium pro Pſeudopontifice habendum eſſe. Sed quomodò, ſi dubius Pontifex eſſet, & Concilij conuocatio ad ipſum ſpectare non potuiſſet, Patres in publica Seſſione, dictam conuocationem, auctorizationem, & confirmationem; in quantum ad Gregorium pertinet, & attinet eis, admiſerunt, & ceſſionem Pontificatus communi omnium conſenſu acceptarunt; vt manifeſtum ſit, eos Ioannem pro vnico, & indubitato Pontifice non habuiſſe, ſed potiùs pro dubio, quem licèt, iuxta ſententiam nunc communiter acceptam, Concilium Generale iudicare potuerit, tunc tamen Patres Conſtantienſes illo ſolo titulo iudicare auſi non ſunt, quòd plures tenerent ſententiam, quæ Pontificem etiam dubium à Concilio Generali ob ſolam hæreſis cauſam iudicari poſſe, ſuſtinebat.

Neque id negare poteſt D. Maymbourg, cùm ipſemet admiſerit ad finem cap. 23. Tractatus hiſtorici pag. 364. plures negare, quòd Concilium Vniuerſale poteſtatem habeat iudicandi de Pontifice, qualiſcumque ille ſit, niſi in cauſa hæreſis. Hoc enim loco cùm Auctor iſte loquatur de dubio Pontifice, cum fateri neceſſe eſt, ſuſtinuiſſe plures Theologos, vel Scriptores Eccleſiaſticos, quòd Concilium Generale ne quidem dubium

Pon-

Pontificem iudicare poſſit. Illam ſententiam ego diſſertatione 2. Patribus Concilij Piſani placuiſſe, oſtendi: probaui namque ex Actis illius Concilij, non ſuffeciſſe Patribus, quòd ob dubia Facti, & Iuris ignoraretur, quis ex duobus contendentibus pro vero Papa habendus eſſet; ſed inſuper diſcuti feciſſe, an ſchiſmatis nutritores, verique hæretici cenſeri deberent, vt eos illo titulo Papatu excidiſſe, ſententia Synodica declararent. Veſtigia autem Piſanorum inſequi voluerunt Patres Conſtantienſis Concilij, de quibus referunt Geſta hucuſque inedita, quòd inter alios articulos accuſationis Ioannis XXIII. inſeruerint, & illum, quòd fouiſſet, foueretque ſchiſma, & hæreſim, vt ſic manifeſtum fieret, etiam plures iſtius ſententiæ fuiſſe in Conſtantienſi Concilio, quòd ne quidem tempore ſchiſmatis de Papa dubio iudicari poſſet, niſi hæreſeos crimen accederet.

Additur quidem in Geſtis Conſtantienſis Concilij, quòd poſt lectionem ſuprà dicti articuli in publico Patrum congreſſu ſurrexerit Cardinalis ſancti Marci, & expreſsè monuerit: [Quòd attenderet Concilium, quod Procurator Concilij propoſuerat, vt in citatione proponebatur, crimen hæreſis, & fautoriæ ſchiſmatis, & alia quædam, de quibus nõ conſtabat.] Quodque ex ea Cardinalis admonitione articulus hæreſeos omiſſus fuerit in ſententia contra Ioannem XXIII. à Concilio Conſtantienſi lata: hoc tamen nihil facit ad probandam ſuperioritatem Concilij ſupra certum, & indubitatum Pontificem: cum enim Concilium Ioannem pro indubitato, & certo Pontifice non haberet, ipſeque de Papatu cùm duobus alijs, vt ſupra monſtrauimus, contenderet, eum tamen inuitum, & reluctantem deponere auſum non fuit Conſtantienſe Concilium, ſed poſtquàm à Cardinale ſancti Marci notatum fuerat, non conſtare de hæreſeos crimine, ſtatim Rex Romanorum, Cardinales, & Deputati, pluresque alij tractauerunt materiam, quòd Papa conſentiret ſententiæ ſuæ depoſitionis, & ex abundanti renuntiaret. Ita Geſta Conſtantienſis Concilij hucuſque inedita, in quibus adiungitur, ordinatum fuiſſe, quòd Cardinales de Vrſinis, Cameracenſis, de Thalanco, Saluciarum, & Florentinus irent ad Papam, ad perſuadendum ſuprà dicta, eoſque iuiſſe, & Papam conſenſiſſe in forma cedulæ ſibi oblatæ, qua ſeſe determinationi Concilij ſubijciebat, eiuſque ſententiam ſeſe ratificaturum, comprobaturum, & acceptaturum promittebat. Neque ſatis fuit Concilio, quòd ante ſententiam Ioannes XXIII. prędicta promiſerat, ſeque de Papatu ceſſurum obtulerat, ſed & poſt ſententiam Concilium miſit ad Papam (inquiunt Geſta ſuprà laudata) & Papa ſententiæ acquieuit, & ex abundanti renuntiauit in forma prædictæ cedulæ ſuprà ſcriptæ.

Et ex his videre poteſt D. Maymbourg, quid Patres Conſtantienſes poſt Seſſionem 5. ſenſerint de poteſtate coactiua Concilij ſupra Pontificem. Si enim Papam dubium tempore ſchiſmatis deponere auſi non fuerint, niſi ipſo conſentiente, approbante, & de iure ſuo cedente, dicendine ſunt, vnicum, verum, & indubitatum Pontificem coactiuæ Synodorum poteſtati ſubijcere, & hoc ſenſu 2. Seſſionis 5. Decretum firmare voluiſſe? Affirmat quidem D. Maymbourg, qui cap. 25. id probare conatur argumentis Baſileenſium, quæ hic refutarem, niſi mentem Patrum Conſtantienſium ex ſolis ijs, quæ in Synodo ipſorum facta ſunt, inueſtigandam ſuſcepiſſem. Relictis itaque argumentis Baſileenſium, quibus Eugenius IV. pluteſque illorum temporum Viri grauiſſimi reſponderunt, ad Concilium Conſtantienſe redeo, quod poſt trium Obedientiarum vnionem, numquam auſum fuit, Decretum 2. Seſſionis V. de vnico, vero, & indubitato Pontifice interpretari.

Vnum ex præcipuis fundamentis, quo hanc veritatem comprobaui, deſumptum erat ex Geſtis Conſtantienſis Concilij hucuſque ineditis, in quibus refertur, quòd poſt trium Obedientiarum vnionem, magna animarum contentio exorta fuerit de reformatione Eccleſię in capite, & in membris. Natione Germanica, & Rege Romanorum volentibus, eam fieri ante electionem vnius veri & indubitati Pontificis, reliquis verò Nationibus cum ſacro Cardinalium Collegio volentibus, fieri poſt electionem eiuſdem. Additur in ijſdem Geſtis, Nationem Germanicam tandem conſenſum præbuiſſe de eligendo ante reformationem Pontifice, dummodò à Concilio expediretur [aſſecuratio, & cautio per Decretum irritans, quod poſt electionem Papæ fieret reformatio ante coronationem Papæ, & adminiſtrationem aliquam.] Cùmque ad hanc Nationis Germanicæ petitionem fuiſſent factæ diuerſæ formæ Decreti, eis finaliter reſponſum fuit, quòd Papa electus ligari non poteſt. Ex quibus omnibus vltima præſertim verba notanda duxi, quòd ex illis non difficilè colligeretur longè aliam tunc fuiſſe mẽtem Patrum Conſtantienſium de auctoritate veri, & indubitati Pontificis, quàm orbi Catholico obtrudere conati ſunt nonnulli Baſileenſiũ ſequaces.

Enimverò, inquiebam, ſi Concilium ſeorſim ſumptum, ſit ſupra vnicum, & legitimum Pontificem, & de legitimo Pontifice intelligenda ſint Decreta Seſſionis V. ſuperiùs allata, vt Baſileenſes voluerunt, cur quæſo, Concilium Conſtantienſe hæc Decreta in præſenti locum habere noluit. Cur non renouauit Pontificem obedire debere Concilij Decretis, adeo vt, qui obedire contempſerit, debitè puniatur. Cur his fundamentis innixum, non iudicauit, electionem Pontificis in caſu contumaciæ irritandam. Nihil horum tentauit Concilium, quia aliena fuerunt à mente Patrum Conſtantienſium, vndè reſponſum eſt, Papa electus ligari non poteſt. Quando Decreta Seſſionis V. ab vna Obedientia edita fuerunt, tres erant de Papatu contendentes, & illa ad liberiùs obtinendam vnionem ſtatuta ſunt quando verò agebatur poſt Seſſionem XXXVIII. de Decreto irritante, ſermo erat de vnico, & indubitato Pontifice, quem etiam ante coronationem ligari non poſſe reſponſum eſt. Memoria ſcilicet repetebant Patres Conſtantienſis Concilij illud Antiquorum effatum, quòd, qui ſummam poteſtatem ligandi, & ſoluendi à Chriſto Domino acceperat in Petro, ita alios iudices, vt de illo nemo mortalium ſententiam

ferat,

ferat, ideoque Papa electus ligari non poſſe. Hoc à Patribus Conſtantienſibus datum reſponſum, nemo in hunc vſque diem typis edidit, & quia illud, aliaque plura ignorauit Orbis Catholicus, opinio Baſileenſium apud nonnullos præualuit, ad quam euertendam vel hoc ſolum teſtimonium ſufficit.

Obiectio Maymbourgi.

HIc Auctor pag. 293. inſtat, vt Emmanuel Schelſtrate explicet illud myſterium, quod in diſſertatione proximè expoſita contenta, aiebat, verbis Patrum Conſtantienſium Nationi Germanicæ petenti, vt ante electionem Papæ fieret reformatio, non poſt ipſius electionem, reſpondentium, quod Papa electus ligari non poſſit. Maymbourgus igitur ſciſcitatur ex Schelſtrate, an putet, ex hoc reſponſo deduci, quòd credendum ſit, Papam legitimè electum, vt erat S. Syluestar: non teneri ſubſcribere Decretis Concilij Ocumenici, ſicut fuit Concilium Nicænum: Tumque adiungit. Anne videt quòd pro eruendo vero ſenſu horum verborum, illa referenda ſint ad quæſtionem, de qua agebatur. An nimirum poneretur in, quòd Papa proximè futurus teneretur reformare Eccleſiam ante ſuam coronationem, & adminiſtrationem aliquam, & deberet dari bona cautio, prout Natio Germanica petebat. De quibus meritò reſponſumfuit, quod Pontifex adſtringi non poterat ad rem tam indignam Maieſtate Papali, neque taliter ligandus erat; vt ipſi auferretur poteſtas gubernandi Eccleſiam, quam habet Iure Diuino ratione ſui Primatus eo ipſo momento, quo canonicè electus eſt Petri Succeſſor.

Reſponſio.

Emmanuel à Schelſtrate præſ. 3. diſſert. pag. 165: reſpondet, Maymbourgum in illo ſuo diſcurſu dubitare de mente ſua quam clarè tamen priùs expreſſerit, & de qua proinde dubitandum non fuiſſet, & obijcere Nicæni Concilij exemplum, quod nihil omninò ad rem faceret. Non enim hoc loco agitur de auctoritate directiua Conciliorum Generalium, an nimirum Concilium, cui Pontifex per ſe, vel per Legatos præeſt, vt S. Syluester per Oſium Cordubenſem Epiſcopum, & Vitum, & Vincentium præfuit Nicæno, habeat auctoritatem ſtatuendi leges; illiſque, ſi ad Bonum Eccleſiæ neceſſariæ ſint non ſolùm in conſcientia ſubſcribere, ſed & eas exequi teneatur Summus Pontifex. Sed agitur de auctoritate coactiua Conciliorum Generalium: & quæritur, an illa iudicium aſſumere poſſint ſupra verum, & indubitatum Pontificem, & caſu, quo reus iudicetur ab ijs corrigi poſſit, & deponi. Hoc enim eſt, quod Concilijs Generalibus non competere ex hac Antiquorum regula indicaui. Quòd, qui ſummam poteſtatem ligandi, & ſoluendi à Chriſto Domino acceperat in Petro, ita alios iudicet, vt de illo nemo mortalium iudicium ferat. Non agitur itaque hoc loco de poteſtate directiua, ſed coactiua, quam Natio Germanica idſi Conſtantienſi Concilio ſupra futurum Pontificem tribuere volebat, non ſolùm enim petebant Germani, vt ederetur Decretum, quo futurus Pontifex reformare deberet Eccleſiam ante coronationem ſuam, & adminiſtrationem aliquam, ſed etiam, quòd à Concilio daretur cautio per Decretum irritans; quo Pontifex in caſu inobedientiæ Papatu priuaretur Et de hoc vltimo præſertim reſponſum fuiſſe indicaui, quod Papa electus ligari non poterat. Cùm enim reſponſum hoc datum fuiſſe perhibeatur, poſtquam non vna forma Decreti, qua Pontifex nouiter eligendus ad reformandam Eccleſiam teneretur ante adminiſtrationem aliquam, ſed plures formæ Decreti factæ eſſent, quibus Pontifex teneretur ſub pœna depoſitionis reformare Eccleſiam in capite, & in membris, nullum dubium eſſe poteſt, quin Patres Conſtantienſes ideo reſponderint, Papam electum ligari non poſſe quia Decreto irritante, quod Natio Germanica per modum cautionis petierat, Romanum Pontificem poſt electionem ligari non poſſe, iudicabant.

Neque obeſt, quòd hoc reſponſum datum fuerit in particularibus Nationum congregationibus, quamuis enim putet D. Maymbourg, prædicto Nationum reſponſo ſatisfieri poſſe, ſi dicatur, inhærendum non eſſe ijs, quæ apud Nationes acta ſunt, ſed illis, quæ in Seſſionibus conciliariter definita fuerunt, tali tamen reſponſione dicta mea potiùs confirmantur, quàm conuelluntur. Præterquam enim, quod pleraque in ſeſſionibus publicis ſtatura ex ijs, quæ in congregationibus ante acta ſunt, interpretationem accipiant, ſupradicta in Nationum Congregationibus quoad Decretum Irritans reſponſa ex Ipſis Decretis, quæ in ſeſſionibus publicis conciliariter definita ſunt confirmari poſſunt. Morem itaque D. Maymbourg geramus, & à particularibus Nationum congregationibus ad ſeſſionem 40. progrediamur.

Extat ſeſs. 40. Conſtantienſis Concilij Decretum à quinque Nationibus Conciliariter editum his verbis. [Sacroſancta Generalis Synodus Conſtantienſis. Spiritu ſancto legitimè congregata, Vniuerſalem Eccleſiam repræſentans, ſtatuit, & decreuit, quòd futurus Romanus Pontifex per Dei gratiam de proximo aſſumendus, cum hoc ſacro Concilio, vel deputandis per ſingulas Nationes debeat reformare Eccleſiam in capite & membris, & Curiam Romanam ſecundùm æquitatem; & bonum regimen Eccleſiæ, antequam hoc Concilium diſſoluatur. Quòd hoc Decretum occaſione eorum, quæ geſta fuiſſe diximus, editum fuerit, adeò certum eſt, vt D. Maymbourg in Tract. ſuo hiſtor. id negare nequiuerit. In Decreto inquit, quod hac de re conciliariter factum eſt ſeſſione 40. Papa eo modo non ligatus fuit, quo Germani propoſuerant. In quibus verbis duo ſunt, quæ Auctor iſte fatetur. Primum, quod memoratum Decretum ſit illud ipſum, de quo ante ſeſſionem 40. à Natione Germanica actum erat. Secundum, quod Papa à Concilio eligendus, eo modo ligatus non fuit, quo Natio illa propoſuerat. Quod vltimum ex Decreti verbis patet, cùm in eo non reperiatur,

pæ-

pœna depositionis, quam futuro Pontifici, Ecelrsiam reformare detrectanti, Catio Germanica imponi volebat. Quòd si D. Maymbourg petat, cur hac saltem in parte Patres Constantiensis Concilij non satisfecerint Cationi Germanicæ, & iuxta II. Drcretum sessionis 5. de potestate coactiua Conciliorum non statuerint, quòd Pontifex proximè eligendus deberet reformare Ecclesiam ante finem Concilij, &casu, quo statutum hac de re adimplere contemneret, legitimæ pænitentię subijceretur, & Pontificatu priuaretur seu debitè puniretur, nonne admittere debebit, quòd Decretum sessionis 5. hic locum nnn habere iudicauerint Patres Constantienses, quia agebatur de vnico, vero, & indubirato Pontifice, qui cogi non poterat, ideòque sessione 40. Drcretum ediderint sinè vlla coactionis mentione suprà allatum.

Quòd autem hæc fuerat sententia Patrum Constantiensium, ex pluribus alijs locis constat, ac præsertim ex capitulo Frequens sessione 39. in quo pro veris, & indubitatis Pontificibus Concilia Generalia statuto tempore conuocare nolentibus nullam pœnam imponunt, uullam omnino mentionem coactionis faciunt, prout tamen faciunt in secunda parte eiusdem Decteti, quæ de schismatis tempore agit, in qua circa Pontifices illo tempore viventes pœnam etiam priuationis Papatus constituunt. Hæc totidem ferè verbis in dissertatione mea notaueram, quæ ex Actis ab ipsis Basileensibus compilatis, & ex Conciliorum collectionibus vbique terrarum editis constat: ex quibus numquam probari poterit, quòd Patres Constantienses post trium Obedientiarum vnionem pro legitimo Pontifice, extra tempus schismatis Ecclesiam gubernante, pœnam aliquam statuerint, quamuis ad hoc non semel, sed pluries incitati fuerint.

CONCLVSIO.

Concilij Constantiensis decretum de Concilij super Papam superioritate, in senso ad certum, & indubitatum Papam protenso, numquam fuit receptum, & comprobatum à sancta Ecclesia.

EXplicatur. Quemadmodùm decreta dogmatica sanciuntur à sancta Ecclesia repræsentata in Concilio Oecumenico, sic firmantur ex immoto consensu Ecclesiæ, quæ tam in definiendis, quàm recipiendis, & immobiliter asseruandis fidei dogmatibus est columna, & firmamentum veritatis, ita vt, quod in Spiritu sancto à legitimo Concilio Oecumenico est semel sancitum pro indubitato dogmate, immobiliter teneatur à sancta Ecclesia, vnde firmum deduci potest argumentum, si quod dogma in Ecclesia non teneatur tanquam omninò certum &indubitatum, sed positiuè etiam ab eo recedatur non fuisse vnquam à legitimo Concilio Oecumenico constitutum. At rem ita se habere circa Concilij Constantiensis Decretum de Synodi supra Papam auctoritate sessione 4. & 5. editum, quatenus sensus ipsius vltra dubium, & incertum Papam foret extendendum, patet ex antecedenti Emmanuelis à Schelstrate dissertatione, qnòd scilicèt eiusmodi erga Papam certum quoad vim coactinam extensio, sub ipsa adhuc durante Synodo Constantiensi, minimè fuerit comprobata à Patribus.

Prætendi equidem solet, in Basileensi Concilio fuisse posteà illam de Papa etiam certo extensionem ratam habitam, & practicatam: hæc namque Synodns Sess. 11. expresè definierat, Concilium esse supra Papam, nec adeò, nisi Patres consentiant, posse Concilium à Pontifice aliò transferri, aut dissolui. Et Sess. III. monitorium aduersùs Eugenium IV. pœnasque non obtemperanti decreuit. Insuper Sess. IV. interdixit Papæ, ne durante Concilio, ad promotionem nouorum Cardinalium procederet. Item Sessione VII. sanciebat, non posse Papam de BeneficijsCardinalium à Concilio punitorum disponere. Et Sess. 8. Eugenium auctoritatiuè, & sub pœnis contumaciæ ad Concilium citat. & Sess. 9. rescindit omnia Acta & processus ab Eugenio Summo Pontifice contra Wilhelmum Concilij Protectorem factos. Et Sess. 12. acriter in Eugenium Summum Pontificem declamat, definitque, & olim in Romanns Pontifices à Concilio animaduersum esse, & deinceps animaduerti posse. Et Sessione 14. conditiones Eugenio Papæ tribus formulis comprehensæ, à Concilio præscribuntur, in quas nisi consentiat, Papatu exuitur. Et Sess. XVI. Eugenins Papa, vt ibi habetur; [citationi, monitioni, & requisitioni sacri Concilij plenariè satisfacit.] Bullas & diplomata contra Concilium à se edita, nulla & inania fuisse, declarat; ipsum verò Concilium fuisse legitimè inchoatum, legitimèque continuatum: quo videbitur Eugenius omnia in superioribus Sessionibus facta, & consequenter citationes, & sententias contra se dictas confirmasse, & Concilij auctoritatem supra legitimum Papam agnouisse. Et Sess. 17. admittit, vt præsideant, Legatos Papæ, sed cum certis conditionibus, quarum præcipua, ne vllam in Concilium exerceant iurisdictionem coactiuam. Et Sess. 18. expresè definit, maiorem esse Concilij, quàm Papæ auctoritatem, & hunc, nisi obediat, posse à Concilio puniri. Et Sess. 21. tollit Concilium omnes Annatas, & qui eas exegerit, pœna simoniacis decreta punit: ipsum verò Summum Pontificem, si aliquid contra hoc decretum moliatur, iubet Concilio deferri. Et Sess. 26. iterum definit, Papam notoriè criminosum iurisdictioni Concilij subiacere, ipsumque Eugenium Papam in ius vocat. Et Sess. 26. circa medium, clarissimè iterum auctoritas Concilij supra Papam asseritur. Et Sess. 31. Eugenium suspendit. Et Sess. 33. etiam deponit. Et Sess. 38. Concilium Generale supra Papam esse, definit, idque ad veritatem fidei Catholicæ pertinere, & qui hoc pertinaciter negat, hæreticum esse. Et Sess. 39. Amadeum Sabaudiæ Ducem, sub nomine Felicis V. Papam renuntiat.

In Appendice ad Seſs. 17. quæ habetur poſt Acta Concilij, Legati Eugenij IV. Romani Pontificis, [iurant, fideliter laborare pro ſtatu & honore Concilij Baſileenſis, eiuſque decreta defendere & manutenere, & ſpecialiter decretum Concilij Conſtantienſis de ſubiectione Pontificis. Et aliud Synodi Baſileenſis decretum, quòd Papa Concilio Vniuerſali obedire teneatur.] Idem habet Platina in vita Eugenij IV.

Ex quibus proindè Concilij Baſileenſis Actis videtur eatenus firmata fuiſſe Synodi Generalis ſupra Papam auctoritas, vt ex tunc videri poſſet recepta ab Eccleſia, dum præſertim Eugenius IV. licèt ex metu ſchiſmatis, nève ſpes pacis cum Græcorum Eccleſia ineundæ diſſiparetur, condeſcenderat Baſileenſium poſtulatis, inſtaurando eam Synodum, ac refigendo Bullas, atque cenſuras, quas in Patres tulerat, admittendoque alias conditiones, quas tamen Pontificiam dignitatem dedecere, poſteà fuit compertum. De his ergo Synodi Baſileenſis Actis in præſenti oritur quæſtio; [An aliquid roboris adiecerint Decretis Conſtantienſis Concilij ad firmandam eam extenſionem, in vi cuius prætenditur Concilij auctoritas eſſe ſupra Papam etiam certum & indubitatum?]

P R O B A T I O I.

In qua oſtenditur illa de Concilij ſupra Papam certum auctoritate protenſio nihil firmitatis, ac roboris accepiſſe ex Actis Concilij Baſileenſis.

HOc equidem Concilium ſub prima ſui aggregatione erat legitimum, ac Oecumenicum, vt pote conuocatum in nomine Chriſti, nempe auctoritate ipſius vicaria penes Eugenium IV. tunc indubitatum Summum Pontificem ſubſiſtente. Verùm iſte Concilij Oecumenici character proprius ab illa Synodo cœpit eſſe remotus? vbi à Capite ſuo Romano Pontifice diuiſa eſt, ex eo, quòd Eugenius Concilij diſſolutionem, ac in fines Italiæ translationem decreuiſſet ſua Bulla, quę incipit: [Poſtquàm Diuina prouidentia,] relata in Appen. ad Acta Concilij Baſileenſis. Ex tunc enim Patres, negantes Concilium ſemel legitimè conuocatum, diſſolui poſſe, aliòue transferri, Eugenio in contrarium ſuis decretis agente, deuenerant ad præinſinuata aduerſus Pontificem attentata. Sub quo proinde ſtatu Synodus deſijt eſſe congregata in nomine Chriſti, prorsùſque cœpit eſſe deſtituta charactere vicariæ Chriſti auctoritatis, iuxta Chriſti Domini Matthæi 18. ſancitam ordinationem, prorſus requiſitæ ad Concilium Oecumenicum. Quare enumerata à Seſſione 2. vſque ad Seſſionem 39. decreta Synodi in eo iam erant ſtatu, vt prorſus eſſent incapacia illius auctoritatiui per Summum Pontificem acceſſus, de quo Chriſtus ibidem v. 19. dixit: Si duo (in Concilio nempe Oecumenico, de quo ibi ſermonem eſſe, facet contextus probat) ex vobis (quorum vnus nempe Capitis in Eccleſia vicem agebat, alter verò hierarchicum Eccleſiæ Corpus ex Apoſtolis reliquis, eorumque Succeſſoribus conſiſtens repræſentabat) [conſenſerint ſuper terram, de omni re, quamcumque petierint, fiet illis à Patre meo, qui in cælis eſt.

Quandoquidem igitur Concilium Baſileenſe, ex quo Pontificia auctoritate fuit diſſolutum, cœperit eſſe deſtitutum charactere Chriſti Vicario, ſub quo ſtat forma Synodi, qua Oecumenicæ, vt ſic repræſentatiuæ hierarchici Eccleſiæ Corporis, omnino redditur conſequens, eius decreta non fuiſſe in eo ſtatu, vt capacia eſſe poſſent conſenſus illius à Summo Pontifice faciendi, vt ſic eorumdem taliter auctoritatiui, vt per mutuam, & Capitis, & hierarchici Eccleſiæ Corporis in dogmate aliquo conſenſionem, decretis ſub illius à charactere Chriſti Vicario, auctoritatue Pontificia auulſionis ſtatu editis, accedere valeret conſummata per Chriſtum promiſſa infallibilitas. Quare decreta illa, inter meta Synodi iam acephalæ, imò Capiti ſuo refractariè oppoſitæ, aduersùs immediatum Chriſti in terris Vicarium attentata, ſunt in tantum recenſenda, vt ipſius etiam Chriſti inſtitutioni eatenùs repugnarent, quatenùs immediatæ Chriſti Vicariæ auctoritati ſuperponebant aliquam Chriſto immediatiorem, nempe Concilij ſuper Papa ſuperioritatem; quippè cùm ex principijs fidei ſit indubitatum, quo maior eſt in Eccleſia ſuperioritas, eò eſſe Chriſto immmediatiorem, ſicque ſoli Chriſti, nulli verò in terris ſubijcibilem, atque adeò, vbi Synodus eſſet Papa ſuperior, eò ipſo haberet propinquiorem reſpectu Chriſti immediationem, ſicque proindè Papam non fore immediatum Chriſti Vicarium, quod à fidei principijs hactenùs traditis prorsùs alienum eſt.

P R O B A T I O II.

Qua oſtenditur, illa decreta Baſileenſia nedum aliquid roboris adieciſſe decretis Conſtantienſibus, ſed illa, ceu nulla, & in ſuis intrinſecis principijs inualida, ac inania, fuiſſe deinceps poſitiuè reprobata in ſancta Eccleſia.

PRætermiſſis alijs, nempe S. Antonino 3. part. tract. 22. cap. 10. §. 4. Ioanne Capiſtrano de Papæ, & Concilij auctorit. par. 3. Ioanne de Turrecremata, qui Baſileenſium factioſas machinationes graui cenſura ſolummodò notant, duo reprobatæ Illius Synodi argumenta hìc proferre placet. Vnum eſt Bulla Pij II. retractoria eorum, quæ priùs tamquam conſors egerat in Baſileenſi, à Capite diuulſo, Concilio. [In minoribus, inquit, agentes, nondum ſacris Ordinibus initiati, cùm Baſileę inter eos verſaremur, qui ſe Generale Concilium facere, & Vniuerſalem Eccleſiam repræſentare, aiebant, Dialogorum quemdam libellum ſcripſimus, in quo ignorantes (vt Paulus) perſecuti fuimus Romanam, Primamque Sedem. Vnde in Domi-

no commonemus, ne fidem vllam præstetis prioribus illis scriptis, quæ supremam Apostolicæ Sedis auctoritatem quouis modo elidunt. Nec cum Pontificatu hæc nobis opinio aduenit. Sed cùm Iulianus S. Angeli, & Ioannes S. Petri, Cardinales, quibus plurimùm credebamus, ad Eugenium defecissent: cùm paucissimi in fide Basileensi remansissent: cùm Fridericus Romanorum Rex Felici V. in Eugenij locum suffecto, honorem tamquam Pontifici Romano exhibere nollet, cùm in Friderici Aula agentes, Eugenium in multis falsò accusatum inuenissemus: cùm Iulianus Cardinalis post vnionem Græcorum, & Latinorum Ferrariæ, Florentiæque conclusam, in Vngaria legatione functus, Viennæ nobis occurrisset, dixissetque, vnam vocem Græcorum & Latinorum hanc esse, saluari non posse, qui sanctæ Romanæ Ecclesiæ non teneret vnitatem: cùm Ioannes Cardinalis Apostolici Palatij Auditor, alijque docti viri multùm nobis frequentibus colloquijs suis profuissent: cùmque Cæsar Basileenses induceret, vt Ecclesiasticæ pacis causa, se ad nouum Concilium, quod Constantiæ indiceretur, transferrent: illi verò id primò recusarent, ob eamque rem multi doctissimi viri, & opinione sanctitatis illustres, scire se dicerent; Basileenses Spiritum sanctum non habere ductorem: his omnibus consideratis, recognouimus errorem nostrum, Basileense Dogma reiecimus, Eugenio Pontifici Maximo caput submisimus, illud Hieronymi diximus: (Cathedræ Petri Communione consocior, super illam fundatam Ecclesiam scio.) Eramusque adhuc Clericali tantùm charactere insigniti, quando ad Eugenij obedientiam rediuimus.]

Alterum Basileensis Synodi ab Ecclesia reprobatæ argumentum est ex Concilio Lateranensi, quod Iulius Secundus, & posteà Leo X. opposuit Concilio Pisano circa annum 1509. auctoritate Maximiliani Imperatoris, & Ludouici Galliarum Regis dicto Iulio Secundo infensorum celebrato, tandemque reprobato à præfato Ludouico Rege, Synodum illam Lateranensem recipiente tamquam veram & legitimam, in qua tamen reprobatum fuerat Basileense Concilium, seu potiùs Conciliabulum. Ad firmandum istud argumentum audire inprimis lubeat verba mandati Regij, initio Sessionis 8. relata in hunc modum: [Cùm intellexerit præfatus Rex, Sanctitatem suam insequendo in hac parte gesta dicti Iulij, dictum prætensum Concilium Pisanum, tamquàm minùs legitimum, & non habentibus potestatem, indictum, nec non omnia in eo gesta damnasse, & improbasse, & dictum Concilium Lateranense tamquam ritè & legitimè indictum, eiusque omnia gesta & decreta approbasse, fuerieque postmodum per suam Sanctitatem, tam per litteras in forma breui, quàm aliàs diuersimodè paterne admonitus, vt à dicto prætenso Concilio tamquàm minùs ritè, & à non habentibus potestatem indicto, recederet, & dicto Lateranensi tamquam vero, indubitato, vnico, & Oecumenico Concilio adhæreret, ipseque Rex solo Religionis zelo atque in[...]inctu adductus, sperans desideratam vniuersalem Christi fidelium pacem auspicijs præfati Sanctissimi D. N. Leonis prestò affuturam, ac propediem (fauente Domino) vnanimi Christianorum Principum & populorum consensu, arma in Orthodoxæ fidei, communesque hostes conuertenda esse: considerans insuper, quanti sit in his & cæteris rebus omnibus Summi Pontificis auctoritas, quam præsertim vitæ munditia, atque innocentia comitatur, quæ sunt in præfato Sanctissimo D. N. perspicua, paternis suæ Sanctitatis monitis, & suasionibus abundè permotus, quippe qui illius auctoritati & sententiæ potiùs, quàm alterius cuiusque mortalium, sanctiùs & seueriùs semper stare iudicauit, præsertim vbi scandalum Ecclesiæ imminet, & scissura, pro singulari, quam erga præfatum Sanctissimum D. N. & sanctam Sedem Apostolicam gerit, deuotione, vestigia Christianorum Franciæ Regum prædecessorum suorum non solùm imitari, verùm etiam (si fieri potest) anteire cupiens, animaduertens præsertim, quia per mortem præfati Iulij, omnis odij, & suspicionis materia est extincta, & quòd nonnulli ex prænominatis Cardinalibus, nec non Imperator electus, qui dictum prætensum Concilium Pisanum indixerant, iam illi renuntiarunt, & dicto Lateranensi a[d]hæserunt. Hinc est, quòd in præsentia præfati Sancti[ssimi] D.N. Leonis X. coram nobis Notarijs, & testibus infrascriptis, personali[te]r cõstituti Reuerendiss. in Christo D. Fridericus S. Theodori Diaconus Cardinalis de S. Seuerino vulgariter nuncupatus, nec non Reuerendus in Christo Pater D. Claudius de Seysello electus Massiliensis, ac magnificus, & generosus Ludouicus Forbini Dominus de Solerijs, præfati Christianissim[i] [L]udouici Francorum Regis Procuratores, ad omnia, & singula infra scripta peragenda specialiter deputati, constantibus literis paten[tibus] dicti Christianissimi Regis sua manu subscriptis, & sigillo suo sigillatis eiusdem Regis nomine & mandato, cum ea, qua decuit [r]euerentia atque humilitate à dicto prætenso Pisano Concilio penitus discesserunt, il[li]que plenariè renuntiauerunt, ac purè, libere, & simpliciter sacrosancto Lateranensi Concilio prædicto, tamquam vero, vnico, & legitimo adhæserunt. Et insuper procuratorio nomine, quo supra, promiserunt, quod præfatus Rex Christianissimus nullum deinceps fauorem, nullamque assistentiam dicto prætenso Concilio Pisano quoque pacto præstabit, quinimmò quoscumque in ciuitate Lugduni, aut alibi in Regno, terris & dominijs suis, sub nomine dicti prætensi Concilij Pisani persistentes, infrà vnum mensem proximè futurum abire faciet, & pertinaciter resistentes, cuiuscumque status, gradus, dignitatis, aut conditionis fuerint, Ecclesiastici, vel secularis, de facto eijciet & expellet, ac pro schismaticis habebit, ac contra eos velut tales, ad omne mandatum præfati Sanctissimi Domini Nostri etiam manu armata (si opus fuerit) procedet. Et vlteriùs promi[se]runt præfati Procuratores nomine, quo suprà, prænominatum Christianissimum Regem facturum, & curaturum cum effectu, quod sex Prælati, & quatuor Doctores, [se]u Graduati ex honoratioribus, ex numero eorum, qui p[er] dicto prætenso Concilio Pisano interuenerunt, destina-

stiuabuntur ad eumdem Sanctiss. Dominum Nostrum Papam, nomine dicti pretensi Concilij Pisani, & cum legitimo mandato per illud pro tempore repræsentantes, tam eorum, quàm aliorum omnium, qui dicto Concilio adhæserunt, nomine facto. Qui Prelati, & Doctores, seu Graduati infrà Kalendas Ianuarij proximè futuri coram sua sanctitate personaliter comparebunt, dictoque Concilio Pisano purè, & simpliciter renuntiabunt, illudque abiurabunt, & veniam, atque absolutionem à sua sanctitate humiliter in forma conuenienti, & suæ sanctitati accepta, postulabunt: & vlteriùs dicto Concilio Lateranensi tamquam vero, vnico, indubitatoque tam suo, quàm aliorum adhærentium prædictorum nomine, adhærebunt, & se incorporabunt. Quodque si præmissa facta non fuerint, præfatus Rex nulli eorum, qui dicto pretenso Concilio Pisano interfuerunt, aut fauerunt, opem, auxilium, aut fauorem dabit aduersùs sanctę Sedis Apostolicę auctoritatem, quinimmò præfati Sanctissimi Domini Nostri sententias, decreta, & censuras contra eos exequi faciet pro posse, etiam manu forti, & armata (si opus fit) absque vlla simulatione, vel fraude. Et vlteriùs prouiserunt præfati Procuratores, quo supra nomine, quòd quàmprimùm commodè fieri poterit, venient aliqui Prælati, & Insignes viri nomine totius Ecclesię Gallicanæ cum sufficienti mandato, qui dicto Concilio Lateranensi adhærebunt, & assistent, quemadmodum cęterę Nationes.]

Lubeat deinde hic ex parte repetere, quæ ex eiusdem Lateranensis Concilij à præfato Christianissimo Galliarum Rege pro legitimo habiti sessione decima superiùs adferebamus, præcipuè cùm dictus Rex ei se inhæsurum solemniter promiserit. Ita igitur se habent sanctionis illius Synodicę verba: [Nec illud nos monere debere, quod sanctio ipsa, & in ea contenta, in Basileensi Concilio edita, & ipso Concilio instante, à Bituricensi congregatione recepta, & acceptata fuerunt, cùm ea omnia post translationem Basileensis Concilij, per Eugenium Quartum, etiam Prædecessorem nostrum factam, à Basileensi Conciliabulo, seu potiùs conuenticulo, præsertim post huiusmodi translationem, Concilium ampliùs appellari non merebatur, facta extiterint, ac propterea nullum robur habere potuerint: cùm etiam solùm Romanum Pontificem pro tempore existentem, tamquam auctoritatem super omnia Concilia habentem, Conciliorum indicendorum, transferendorum, ac dissoluendorum, plenum ius, & potestatem habere, needum ex sacræ Scripturæ testimonio, dictis sanctorum Patrum, ac aliorum Romanorum Pontificum etiam Prædecessorum nostrorum, sacrorumque Canonum decretis, sed propria etiam eorumdem Conciliorum confessione manifestè constet;] prout referebamus in præsentis artic. nostri præcitata disquisit. 4. §. 3. à num. 53. videre est.

PROBATIO III.

In qua exhibentur acta Eugenij IV. aduersùs Basileense Concilium, ad ostendendam Papæ supra Synodo, à suo præcipuè capite diuulsa, superioritatem.

Etenim Eugenium Quartum decreta Basileensis Synodi, quibus auctoritas Pontificia impugnabatur, contrarijs decretis oppugnasse, manifestum redditur ex eiusdem Concilij actis. Nam & Archiepiscopos Coloniensem, & Tarentinum misit, qui ab huiusmodi decretis Concilium prohiberent, cuius egregia ad Patres oratio extat in appell. Concilij; & per Iacobum Ebroduuensem acta Concilij rescidit, ex ead. app. Et fautores Concilij grauissimis pœnis affecit Act. Concilij sess. 9. Et quidquid contra Pontificiam auctoritatem decreuerant, nulla & irrita esse declarauit, quique ea tuerentur, dignitatibus eiecit Act. Concilij sess. 16. Et denique: vt testatur Cardinalis Turrecremata, qui Concilio assedit l. 2. de Eccles. cap. 100. [Numquam Eugenius adduci potuit, Concilio licet omnia mouente, vt ea confirmaret.

In quem finem inseruiunt etiam, quæ Ioannes Turrecremata lib. 2. de Ecclesiastic. cap. 100. qui & Concilio Basileensi interfuerat, super decreto; quo Synodum Pontifici præferendam contendebant, disseruit: [Licèt Basileenses, inquiens, cum maximo studio repetitis vicibus supplicauerunt, ortauerunt, & requisiuerunt per Oratores suos, vt Dominus Eugenius eorum decreta approbaret, & confirmaret, nunquam tamen talem approbationem, aut confirmationem ab eo habere potuerunt. Et meritò, quia Sedes Apostolica, in qua Religio Christiana semper immaculata permansit, & permanebit, talia decreta, quæ ab Euangelica veritate, & sanctorum Patrum doctrina aliena videbantur, nullo modo ab eo passa fuisset confirmari.

Et infra: [Non parùm admirandum est aduersarios Basileenses, tanta caligine mentis inuolutos, & excæcatos malitia, vt in materijs fidei definiendis, & declarandis, maluerint sequi homines, ab Ecclesia Dei in doctrina sua damnatus; sicut fuit Marsilius de Padua, Guillelmus Ocham, & aliquorum Fraticellorum opiniones erroneas renouantes quàm Doctores sanctos ab Ecclesia approbatos, & alios præstantissimos Doctores antiquos, & reputatissimos in schola Theologica, quorum doctrina fulget in Ecclesia, vt sol, & Luna.] Contra quos, ait Augustinus & habetur in Canone non afferamus 24. q. 1. [Non afferamus stateras dolosas, nec appendamus, quod volumus, pro arbitrio nostro dicentes: hoc graue, hoc leue est: sed afferamus Diuinam stateram ex scripturis sacris, tamquam thesauris Dominicis, & in illa, quid sit grauius; appendamus.

Quare Gallicanus Clerus meritò expendat, quæ Meldensis Episcopus legationis à Carolo VII. Galliarum Rege destinatæ Prin-

ceps in sacro Purpuratorum Senatu disseruit; prout videre est apud Raynaldum ad annum Christi 1541. & Ganguinum in Carolo VII. [Nimio feruore, inquiens, resistendi (Basileenses) ad hanc vesaniam deuenerunt, quòd supremam potestatem in vno supposito consistere denegant, sed eam in multitudine, quæ citò in diuersa scinditue collocant, & pulcherrimam Monarchiam, quæ Christianos hucusque tenuit in vnitate fidei, in vna professione Religionis Christianæ, in vno ritu Sacramentorum, in vna obseruantia mandatorum, in eisdem ceremonijs diuini cultus, atque pacem, & tranquillitatem asseruit, abolere, & supprimere contendunt, nobilissimã politiam, quæ beatitudinem cœlestem habet pro fine, ad Democratiam, vel Aristocratiam redigentes, & vlteriùs in malis procedendo; vnum sibi in capite assumpserunt, qui non eis præferrur. & sic schisma factum est nedum in obedientia capitis, sed & in doctrina Euangelij, quod omnibus Christicolis est abominandum. Et hnc animaduertens præfatus Christianissimus Rex Franciæ, vehementi dolore ingemiscit, & condolens Ecclesiæ, remedia vbique perquirit, ac denique consulto Prælatorum, & aliorum multorum sapientium Regni sui, videtur sibi, quòd nullum est aptius remedium ad hoc schisma extirpandum, quàm euellere, aut disperdere duas prædictas extremitates, ad quod faciendum necessarium est generale Concilium. Porrò Concilium olim Basileense vnam extremitatem nimis exacuit, quando veritatem de suprema potestate in vno extinguere pertentauit. Concilium autem Florentinum hanc veritatem bene quidem lucidauit, vt patet in decreto Græcorum, sed pro regnãndo vsum huius potestatis nihil edidit, nihilque locutum est.]

Expendat iterum Clerus Gallicanus, quòd citato Raynaldo teste, idem Meldensis Episcopus in Concilio Florentino Regis Christianissimi, & Gallorum nomine supremam potestatem in vno supposito sit professus, detestando illos, qui eam collocant in Concilio, sicque Catholicam scindunt vnitatem.

Expendat denique Clerus Gallicanus, qualiter in Concilio Lateranensi Fridericus Cardinalis S. Seuerini, Claudius electus Episcopus Massiliensis, & Ludouicus Dominus de Soterijs, Legati Regis Christianissimi, suo, & Regio nomine coram Notarijs, & testibus; in literis patentibus Christianissimi Regis manu subscriptis, eiusdemque sigillo munitis, purè, liberè, & simpliciter sacrosancto Concilio Lateranensi tamquam vero, vnico, & legitimo adhæserint, in quo Concilio sess. 10. expresse definitum est, Papam esse supra Concilium generale.

§. III.

Referuntur, ac expenduntur argumenta circa quintæ Constantiensis sessionis decretorum confirmationem à Martino V. vel concessam, vel denegatam.

Decreta Synodi Constantiensis sessione 5. de Concilij supra Papam (præcipuè si extensio fiat erga certum Pontificem) auctoritate non fuisse confirmata à Martino V. nec adeò habere vim Oecumenicæ conciliaris sanctionis, tum ex antecedenter dictis, tum ex proximè dicendis, redditur manifestum ex concertatione circa hoc punctum interuenienre inter Maymbourgum, & Emmanuelem à Schelstrate.

Argumentum Maymbourgi.

Hic Auctor tractatus sui historici cap. 21. & 24. pag. 256. contendit, Martinum V. bis confirmasse sessionis quintæ Constantiensis decreta, in prætacto cap. 24. circa initium ita scribens: [Iam ostendi, quòd Martinus V. bis solemniter approbauerit decreta. Semel quando statuit peti ab illis, qui ab hæresi conuertuntur, oum probent sioc exceprione omne illud, quòd damnat? Et rursus sessione vltima, vbi declarat, se approbare, & inuiolabiliter obseruare velle omnia decreta, quæ in hoc Concilio edita sunt circa materiam fidei, & sicue se exponit nouo vocabulo,] Conciliariter.

Quæ Auctor iste hoc loco obijcit de interrogandis ijs, qui ab hæresi conuertuntur, cap. 21. probat ex eo articulo: [Verùm credant, quòd sacrum Concilium Constantiense vniuersalem Ecclesiam repræsentans approbauit, & approbat in fauorem fidei, & ad salutem animarum, quod hoc est ab vniuersis Christi fidelibus approbandum & tenendum. & quod condemnauit, & condemnat esse fidei, vel bonis moribus contrarium, hoc ab eisdem esse tenendum pro condemnato, credendum & asserendum.

Responsio.

Præinsinuatus Schelstrate sui tractatus dissert. 3. cap. 3. pag. 127. reponit, disquirendo, vbinam loco per Maymbourgum citaro habeatur, quod ipse dixit, ab hæreticis, qui reuertuntur ad Religionem Catholicam, petendum esse: [Num probent sine exceptione omne illud, quod probat Concilium?] Agitur supradicto articulo de statutis Concilij in fauorem fidei ad salutem animarum, adeoque non de omnibus decretis Concilij, multò minùs de decretis sessionis quintæ, quæ ad materiam fidei non spectant. Deinde etiamsi supponeremus tamquam ad fidem spectantia per vnam obedientiam decisa fuisse, quæ de auctoritate Conciliorum sessione 5. statuta sunt, non sequeretur, illa hoc articulo

per

per Martinum confirmata fuisse. Non solùm enim dicitur, quæ Concilium approbauit, sed additur, & approbat, vt constaret, non agi de omnibus Decretis, quocumque tempore editis, sed de solis illis Decretis, quæ post trium obedientiarum vnionem, siue tunc, cùm hoc interrogatorium emanabat, à Concilio approbabantur, qualia non erant Decreta sessionis 5. in sensu Basileensium, vtpote quæ Concilium tunc non probasse constat.

Plura sunt, quæ pro huius veritatis elucidatione superiori capite adduximus; sed contemnendum non est, quod ex Capitulis Reformationis ad instantiam Nationis Germanicæ propositis, & ex responso à Martino V. & alijs Nationibus ab ea dato desumitur. Cùm enim Natio Germanica frustra petisset [Decretum irritans in forma] vidissetque Decretum II. sessionis 5. de potestate coactiua, non intelligi de vnico, vero, & indubitato Pontifice statutum Concilij de reformanda Ecclesia adimplere nolente, curauit, inter octodecim articulos reformationis à Concilio, vnà cum futuro Pontifice decidendos, hunc quoque apponi [Propter quæ, & quomodo Papa possit corrigi, & deponi] Ad quem articulum rectè obseruarunt Cardinales ab Eugenio IV. deputati, dum Galliæ Legatis Decretum II. Constantiense sessionis 5. in sensum Basileensium obijcientibus responderetur [Quod Patres de Constantia non videntur habuisse illum erroneum sensum de potestate Conciliorũ quem habuerunt Basileenses, & practicauerunt. Rationem adiungunt: Quòd cùm omnes Obedientiæ simul Constantiæ conuenirent, decreuerunt in sessione 36. in Manuscriptis, est 40. ineditis quòd Papa cum Concilio haberet declarare, propter quæ, & quomodò ipse posset corrigi] Ac si dixissent Cardinales, ex prędicto articulo de Nationum consensu futuri Pontificis iudicio reseruato constare, quòd post trium Obedientiarum vnione Concilium non inhæserit Decreto II. sessionis 5. in sensu Basileensium, ac si toties Pontifex corrigi, & deponi potuisset, quoties Generalis Concilij Decretis obedire contemneret.

Manifestiùs constat de plurium Nationũ sententia ex responso ad prædictum articulum post Martini V. electionem dato. Quamuis enim inter edita à Philippo Labbeo ex codice Capranicensi quindecim Reformationis capita nullum reperiatur, quod huic articulo correspondet; nullatenus tamen dubitandum est, quia inter Reformationis capita reperiri debeat. Cùm enim ad omnes fermè articulos Reformationis responsum datum reperiatur in capitibus à Philippo Labbeo editis, cur, quæso, ad maximi momenti articulum de correctione Pontificia responsum omissum fuisset? An fortè, quod Martinus V. dignatus non sit ad articulum Sedis Apostolicæ auctoritati Germanis oppositum vel verbum respondere? Sic tamen est, quòd Natione Germanica post electionem Martini V. in aduisamentis de reformatione hactenus ineditis vrgente hunc articulum Martino V. integrum non fuerit, eum sub silentio præterire, ideoque responderint [Non videtur, prout nec visum fuit in pluribus Nationibus, circa hoc aliquod statui, vel decerni] Extat hoc Martini responsum in duobus codicibus manuscriptis antiquis, quorum vnus in Bibliotheca Vaticana, alter in Palatina seruantur, vt duo variarum Religionum Manuscripta hac in re conuenient, & veritati testimonium perhibeant. Hęc autem si Richerius vidisset nunquam ex articulo [Propter quæ, & quomodò Papa possit corrigi, & deponi] argumentum pro sensu Patrum de superioritate Concilij deduxisset.

Tam certò autem hoc testimonium sensui illi aduersatur, vt, cùm [in Dissertatione Antuerpiensi] id proposuissem D. Mayombourg, in [Tractatu suo historico] illud prætermittere maluerit, quàm referendo, præiudicium aliquod causæ suæ afferre. Omissa proinde hac de re mentione, ad alia confugit, & responsum Martini V. quo sessione 45. Conciliariter facta approbat, vrgere voluit. Dicit itaque Martinum V. etiam Decreta sessionis 5. confirmasse, dum sessione 47. omnia, & singula in materia fidei Conciliariter facta his verbis probauit [Quòd omnia, & singula determinata, conclusa, decreta in materia fidei, per præsens sacrum Generale Concilium Constantiense, Conciliariter tenere, & inuiolabiliter obseruare volebat, & nunquam contrauenire quoquo modo, ipsaque sic Conciliariter facta approbat, & ratificat, & non aliter, nec alio modo] En verba Martini ex sessione 45. Constantiensis Concilij, quibus innititur secundum argumentum D. Maymbourg ad monstrandum, quòd ab eodem Pontifice probata, seu confirmata fuerint Decreta Constantiensis Synodi sessionis IV. & V. circa auctoritatem Conciliorum edita. Verùm nonne videt Auctor iste, Martinum V. ibi solummodò agere de Decretis ad materiam fidei spectantibus, seu de articulis Ioannis Wicleff, Ioannis Hus, Hieronymi de Praga, & Bohemorum, qui in sessionibus publicis Conciliariter damnati erant tamquam hæretici? Hos enim Martinus V. sese pro damnatis habere significat confirmans, & probans Decreta in materia fidei Constantiæ edita, non verò Decreta sessionis 4. & 5. de potestate Ecclesiastica, quòd illa sub materia fidei non comprehenderentur, & a Patribus Constantiensibus pro articulis fidei edita non fuerint. Et hoc est, quod in Dissertatione Antuerpiẽsi edita non ex infirmis, aut suppositritijs monimentis, sed ex Actis ipsius Constantiensis Concilij probaueram: in ijs enim sessione 5. refertur, quòd electus Poznaniensis publicauerit Decreta supradicta per modum Constitutionum Synodalium. Et post illorum, aliorumque Decretorum publicationem adiungitur, quòd idem Poznaniensis legerit [quædam aduisamenta in materia fidei, & super materia Ioannis Hus detenti per Concilium, & quodam Ioanne Wicleph ibidem subiuncta] Appellabam hic oculos eruditorum, sicut & iterum appello, vt Acta Constantiensis Concilij typis descripta peruoluant, mecumque obseruent, ipsa sessione 5. in qua Decreta publicata sunt differentiam factam fuisse inter nonnulla, quæ per modum Constitutionum Synodalium publicata sunt, ac alia, quæ ad materiam fidei spectanda dicebantur. Quæ sub nomine Constitutionum Synodalium intelligenda erant, dicuntur duo priora Decreta de quibus in præsenti agimus. Quæ ad mate-

ttriam fidei spectabant, dicuntur articuli Ioannis Wicleff, & Hus. Ex quibus certò constantiense Concilium Decreta sessionis 5. sub materia fidei non comprehenderit, & consequenter Martinus V. sessione 45. probando omnia, & singula in materijs fidei Conciliariter determinata, conclusa, & decreta, non confirmarit Decreta sessionis 5. de potestate Ecclesiastica per modum Constitutionum Synodalium dumtaxat edita.

Possem pluribus rationibus hanc veritatem confirmare, & in quonam constitutiones Synodales à Decretis fidei differant, ostendere, nisi in cōperto esset, constitutiones nihil aliud esse, quàm leges, quarū publicatio spectat ad Legislatorem; Decreta verò fidei esse dogmata, quorum decisio pertinet ad Doctorem. Concilium autem sessione 5. non publicauit duo priora Decreta per modum dogmatum in materia fidei, sed per modum Constitutionum Synodalium, vt Acta Constantiensis Concilij in terminis astruunt, & ipse Ioannes Gersonius negare non potuit, vtpote qui in sermone pro Viaggio Regis Romanorum coram Patribus Concilij de Decretis illis opinionem suam hoc modo retulit [Conscribenda, inquit, prorsus esse mihi videtur in eminentioribus locis, vel insculpenda, per omnes Ecclesias saluberrima hæc definitio, lex, & regula] Quibus verbis Decreta per modum legum statuta fuisse: Gersonius ipse agnouisse videtur.

Quando igitur Martinus V. sessione 45. declarauit, se probare omnia, & singula in materia fidei Conciliariter determinata, conclusa, & decreta nō intendit probare Decreta, sess. 5. sed omnia, & singula circa articulos Wicleffi, Hus, Hieronymi Pragensis, & Bohemorū Constantiæ in Sessionibus publicis statuta; imò si rem funditùs examinemus articulum quoque Ioannis Parui de occidendo tyranno sessione 17. publicatum confirmauit, vtpote quem solùm in Bulla sua confirmatoria, sicuti postea videbimus, Decretis ad fidem pertinentibus omiserat.

Cùm enim Legati Regis Poloniæ Sessione 45. institissent pro damnatione famosi cuiusdam libelli Ioannis à Falckenberg, quem, teste Martino Ceomero Warmiensi Episcopo lib. 18. de rebus gestis Polonorum: dictus Ioannes à Cruciferis subornatus, in Vladislaum Regem, & in omne Polonum nomen scripserat, & in quo, teste Ioanne Gersonio in Dialogo Apologetico pro Constantiensi Concilio hactenus inedito, agebatur de occasione omnium Polonorum facienda absque lege, vel ordine, ipsis nec auditis, nec defensis] Martinus V. videns tumultum inter plures exortum fuisse, quia librum illum sessione vltima Conciliariter damnare nolebat, cùm multi varia dicerent, & aliqui damnatum à Patribus Ioannis Parui errorem renouandam fore, nisi Pontifex libellum Ioannis à Falckanberg censura publica proscriberet, assererent. Martinus respondendo ad prædicta declarauit, se omnia, & singula in materia fidei per Constantiense Concilium cōciliariter tenere, & inuiolabiliter obseruare velle, ipsaque sic Conciliafacta approbauit, & ratificauit, vt constaret, à se quoque confirmari Decretum Constantiense circa propositionem Ioannis Parui de non occidendo tyranno, quod decretum, quia Martinus specialiter antea non approbauerat, aliqui ab eo non confirmari credebant. Et hæc quidem de ijs, quæ Martinus V. Sessione 45. auctoritate Apostolica ex Concilij constantiensis Decretis in materia fidei editis approbauit, & ratificauit.

Addidit autem idem Pontifex eadem sess. 45. hanc clausulam [Et non aliter, nec alio modo] qua significauit, à sese quædam Decreta improbari, de quibus nunc inquirendum est, quænam illa esse possint Vt autem ingenuè fatear; vllum vnquam mihi dubium fuit; quin aliqui Scriptores hìc verè annotauerint, Martino in primis hoc loco reiectum fuisse Nationum, & Cardinalium Decretum de damnando in Sessione publica libello Ioannis à Falckenberg, vtpote quod licèt in materia fidei esset, non tamen Conciliariter in sessione publica confirmatum erat. Non tamen placet, quod post Richerium D. Maymbourgh voluit, hanc clausulam solummodò ad reijciendam damnationem libelli Ioannis à Falckenberg prudentissimus ille Pontifex non solùm confirmauit Decretum Constantiense contra articulum Ioannis Parui, quem prædictus libellus renouare videbatur sed omnia, & singula in materia fidei Conciliariter facta à sese approbari, significauit: ita occasione eiusdem libelli idem Martinus non solùm reiecit statutum à Nationibus, & Collegio Cardinalium de damnando in Sessione publica libello Ioanni è Falekemberg, sed terminis generalioribus vsus est, & alia quędam, vel ad materiam fidei non spectantia, vel non conciliariter edita sese reprobare, indicauit. Vnde Illustriss. Apameensis Episcopus Spondanus scribit Martinum V. non solùm respondisse ad petitionem Legatorum Poloniæ, sed ea occasione significasse, quæ Concilij Decreta auctoritate Apostolica confirmaret, quænam verò reprobanda duceret. Audiendus est Auctor ille ad annum 1418. vbi agens de petitione Legatorum Regis Poloniæ, & Martini ad eam responso [Putamus, inquit, prædictorum Nuntiorum petitionem de industria Martini nutu ad Sessionem vltimam reseruatam, vt ea occasione significaret, quæ Concilij decreta ipse auctoritate Apostolica, ac suprema probaret, quæ verò non; ne, si anteà quidquam de ijs agere voluisset, murmur aliquod, tumultumue in Patribus excitasset ob ea, quæ ambiguè decreta fuissent de auctoritate Concilij supra Pontificem, & de potestate reformandi Ecclesiam tam in Capite, quàm in membris: quas absolutè, vt sonare videntur, sumptas, de quo dictum est superiùs nullo modo Martinus agnoscere, aut approbare voluit, vtpote contrarias existimatas & praxi antiquioris Ecclesiæ, & collatæ à Christo Domino, Petro, eiusque Successoribus auctoritati ac potestati, ipsique demum naturæ rei, qua caput debet membra regere, non regi à membris.

Hæc eruditissimus Apameensis in Gallia Episcopus, qui manuscriptos Constantiensis Concilij codices Parisijs in Bibliothecis Christianissimi Regis, & Sancti Victoris asseruatos sedulò pronoluit, ex quibus indicia aliqua habere potuit de ijs, quæ hoc loco de infirmatis à Martino V. Decretis memoriæ tra-

tradidit. Vnum autem præ cæteris obseruandum est, quòd Auctor ille in historia Constantiensis Concilij tantopere à Maymbourg laudata notarit, quòd non solum Decretum Secundæ Sessionis V. de auctoritate coactiua Conciliorum, sed & clausula I. Decreti de reformatione Ecclesiæ Dei in Capite, & in membris, à Martino V. improbata fuerint. Hæc enim mirum in modum consonant manuscriptis codicibus à me repertis, quos D. Maymbourg, tamquam vitiosos aspernandos esse, contendebat.

Non ignorabat Martinus V. quanta animi constantia Franciscus Cardinalis Zabarella sese opposuerat articulo, quo Constantiensi Concilio tribuebatur auctoritas reformandi Ecclesiam in Capite, & in membris. Memoria retinebat, quàm grauiter plerique Cardinales eum Regis Galliæ Oratoribus contra Decreta V. Sessionis protestati erant. Optimè nouerat, quot contentiones post trium Obedientiarum vnionem in Concilio excitatæ fuerant, ne fieret reformatio Ecclesiæ ante electionem vnius, veri, & indubitati Pontificis, Oculatus testis extiterat iurgiorum, rixarum, & periculorum, quæ Cardinales subierant, vt materiam reformationis futuri Pontificis iudicio reseruarent. Oblitus non erat responsi, quod Nationi Germanicæ, petenti Decretum irritans per modum cautionis defienda per Pontificem reformatione, datum fuerat, (quòd Papa electus ligari non potest. Præsens fuerat, quando Concilium authoritate coactiua abstinuerat in Decretis suis, legitimum Pontificem spectantibus. Non multum temporis transierat, quò ante Sessionem XLIII. ad articulum secundum (De reformationibus Sedis Apostolicæ,) & articulum octauum (de officijs Cancellariæ, ac Pœnitenriariæ) reformandis ne verbum quidem Nationibus, & Patribus Concilij responderat, quia ad ipsos reformationem in Capite, seu Curia Romana spectare non credebat. Mente tenebat datum eodem tempore à se, & pluribus Nationibus responsum ad articulum Germanorum: (Propter quæ, & quomodò Papa possit corrigi, & deponi.) Quòd nimitum nihil ea de re, quia nouitatem sapiebat statui deberet. Et ne quisquam sequentibus temporibus ex Decretis Sessionis V. probandum susciperet, legitimum Pontificem corrigi, vel deponi posse, Sessione XLV. ex petitione Legatorum Regis Poloniæ occasionem cepit, vt obseruat Spondanus, exponendi mentem suam de eorum inualiditate, dixitque: se auctoritate Pontificia, tunc non probare, quæ aliter, quàm in materia fidei Conciliariter acta erant, vt indicaret Decretum I. sessionis V. de reformatione, & Decretum II. de potestate coactiua tanquam aliter, & alio modo facta, à se neque probari, neque in auctoritatem recipi.

CONCLVSIO.

Eo ipso, quod Martinus V. non tantum non confirmarit, sed vti sequenti corollario dicetur, reprobarit Constantiense de Concilij super Papam certum superioritate decretum, nequit hoc dici Oecumenicum, neque habet aliquid roboris auctoritatiue obstringentis; sed censeri potius debet inter reprobata dogmata.

Explicatur. Supponamus ex physicis principijs, quod in homine duplex consisteret forma substantialis, vna corporeitatis dicta, altera anima rationalis. Est forma substantialis, vna corporeitatis dicta, altera anima rationalis. Ex forma equidem corporeitatis denominaretur corpus organizatum, nec dum tamen formaliter humanum, sed materialiter dumtaxat, quod ex vnione formæ rationalis constituendum esset sub ratione hominis, seu corporis qua formaliter humani. Sic adeò Ecclesia dupliciter considerari potest; vel quà corpus hierarchicum in Synodo aliqua Generali absque Capite repræsentatum, vel qua corpus animatum forma actoritatis Oecumenicæ, Vicarium Christi characterem solius Papæ proprium præferenti. In priori statu nequit adhuc Concilium formaliter, sed materialiter dumtaxat, & dispositiuè dici Oecumenicum, nec adeo eius decreta habent vim auctoritatis Oecumenicæ. Quare ad hanc obtinendam, opus fuisse auctorizatiua Papę confirmatione, seu forma Synodi in Esse Oecumenicæ essentialiter constitutiua, liquet ex antecedentibus, patebitque insuper ex sequenti probatione.

PROBATIO.

In qua ostenditur, vt Concilij acephali decretum obtineat eam firmationem, quæ sacris dogmatibus aduenit ex Ecclesia, seu columna, & firmamento veritatis oportere, eidem accedere auctorizatiuam Papæ approbationem.

Dum etiam Spiritus sanctus per os Apostoli 1. Timoth. 3. Ecclesiam vocat columnam, & firmamentum veritatis, num dicere fas est, hoc de Ecclesiæ hierarchica solum incompletè ac imperfectè sumpta intelligendum esse? Constat autem ex fidei principijs, hierarchicum Ecclesiæ statum substantialiter componi ex Capite, & corpore hierarchico, Ecclesiasticos Præsules complectente. Num igitur isti Corpori acephalo, cum igitur isti Corpori acephalo, cum exclusione Summi Pontificis, attribuere fas est illam præ-

præeminentiam Ecclesiæ appropriatam, quod sit columna, & firmamentum veritatis? Hoc prædicatum nulli alteri subiecto est attribuendum, quàm illi, quod textu illo Apostolico habetur expressum, nempe Ecclesiæ. Quia igitur Ecclesia, secundùm quod est Hierarchia in terris Diuinitus instituta, substantialiter dicit Corpus hierarchicum, qua vnitum Capiti Supremo Pontifici, nequie illud prędicatum, quòd sit columna, & firmamentum veritatis attribui acephalico Ecclesiæ Corpori hierarchico, neque adeò decretum emanans à tali hierarchico Corpore acephalico vllatenus dici potest Oecumenicum, ac munitum infallibilitatis charactere quandoquidem ergo Summus Pontifex Martinus V. Constantiensis V. Sessioni decretis non solùm non accesserit, per auctorizatiuam eorumdem confirmationem, sed hæc, vti sequenti Corollario ostendetur, implicitè saltem, ac virtualiter reprobarit, prorsus dicendum ea Constantiensia decreta nullius esse roboris, ac valoris,

§. IV.

Corollarium præsentis VIII. Disquisitionis.

In quo ostenditur, Martinum V. confirmando decreta Constantiensia, & declarando, quod à Romano Pontifice appellare non liceat positiuè propugnasse superioritatem Pontificiam.

EMmanuel Schelstrate præced cap.3. ostenderat, quod Martinus V. numquam in auctoritatem recipere voluerit decreta Constātiensia V. Session. quà intellecta de superioritate Concilij, sed potiùs ea reiecerit, & quoties mentio de ijs facta est, ea à sese improbari, significauerit: nunc videndum est, an auctoritatem suam supra Concilium aliquo expresso testimonio comprobatum esse, voluerit? In Dissertatione sua Antuerpiensi cap.3. circa finem paucis verbis indicauerat Schelstrate, Martinum V. bis ostendisse, supremum, sibi in rebus fidei iudicium competere. Primò, dum à Concilio Constantiensi in publicis Sessionibus Decreta confirmatione sua indigere, monstrauit. Secundò, dum in Consistorio publico de non appellando à Supremo Iudice Romano Pontifice, Iesu Christi in terris Vicario: constitutionem edidit. Cùm autem D. Maymbourg aliqua hisce obijcere voluerit, & quædam monumenta huc spectantia, & nondum edita, totique Orbi Catholico hoc nostro tempore ignota ad manus meas peruenerint, rem eruditis gratissimam me facturum existimaui, si de singulis fusiùs agerem, & quàm clarè Martinus V. authoritatem supra Concilia exercuerit, exponerem.

Vt autem à confirmatione Martini V. incipiam, cùm ex ea validissimum argumentum desumi possit pro superioritate Pontificia, id ipsum deliberare conatus est D. Maymbourg. sap. 24. asserens. [Quòd numquam antiqua Ecclesia cognouerit aliam approbationem, aut confirmationem Conciliorum à Romanis Pontificibus factam, quàm consensum ipsorum, quem illi æquè, ac alij (nimirum Episcopi) dare tenebantur.] Dicit, se id alibi monstrasse. capitulo nimirum 17. eiusdem Tractatus historici, vbi Sancti Syluestri, Leonis Magni, & Martini Primi verba adducit, vt probet, confirmationem nihil aliud esse, quàm subscriptionem, aut à suffragium à Romano Episcopo æquè, ac alijs Episcopis præbendum, ita vt in Martini Quinti potestate situm non fuerit, Decretis Constantiensibus assensum, seu suffragium suum denegare. Aliud quid addit Richerius in historia Conciliorum Generalium lib. 2. cap. 4. §. 26. ex Bulla Martini V. contra errores Ioannis Wicleff. Quæ inquit, [decimum tertium munimentum praxeos authoritatis Concilij supra Papam nobis exhibet, quoniam Martinus omnia, & singula de Concilij consensu, & approbatione gerit.

Loquitur Richerius de Bulla Martini V. quæ incipit: [Inter cunctas Pastoralis officij sollicitudines,] quam Basileenses in sua compilatione actis Constantiensibus subiecerunt, & reliqui subinde Conciliorum Collectores eodem modo post sessionem XLV. ediderunt; vnde plurimorum, & communis error irrepsit, quòd hæc sit Bulla confirmatoria Martini V. de articulis Ioannis Hus. & Hieronymi de Praga à Concilio Constantiensi damnatis. Verùm cùm sedulò hanc Martini Bullam peruoluissem, eamque Pro hæreticæ prauitatis Inquisitoribus à Martino V. sacro approbante Concilio, editam fuisse, notassem, censui, Bullam illam confirmatoriam non esse, nec post Acta Sessionis XLV. editam fuisse. Extat Bulla illa non solùm omnibus Inquisitoribus inscripta, vt eam exhibet Philippus Labbeus in sua collectione: sed, & alijs particularibus; vt habet Tomus VIII. Diuersorum Martini V. qui in Archiuo Apostolico asseruatur, in quo eadem illa Bulla reperitur cum hoc titulo, & subnotatione: [Martinus, &c. Venerabilibus Fratribus Salzeburgensi, Gnezensi, & Pragensi Archiepiscopis, ac Olomucensi, Luchamuslensi, Bambergensi, Misnensi, Patauiensi, Wratislauiensi, Rarisponensi, Cracouiensi, Poznaniensi, & Nitricensi Episcopis, nec non dilectis filijs electis, ac inquisitoribus hæreticæ prauitatis, per Salzeaurgensem, Misnensem, Patauiensem, Vvratislauiensem, Rarisponensem, Cracouiensem, Poznaniensem, & Nitricensem Ciuitates, & Diœceses, & alibi vbilibet constitutis, ad quos præsentes literæ peruenerint, salutem, &c. Inter cunctas Pastoralis curæ sollicitudines, quibus, &c. Datum Constantiæ octauo Kal. Martij anno primo.] Reperitur quoque ibidem cum sequentiinscriptione: Martinus &c. Venerabilibus Fratribus Cantuariensi, Eboracensi Archiepiscopis: ac Londoniensi, Roffensi, Cicestrensi, Vvintoniensi, Oxoniensi, Lincolniensi, Bathoniensi, Vvellensi, Salesberiensi, Vvingermensi, Herfordensi, Conuentiensi, Lichefeldensi, Noruuicen-

cenſi, Clienſi Meneuienſi, Aſsauenſi, Laupauenſi, Bauigorenſi, Denemenſi, Carleolenſi, & Candidetanſe Epiſcopis, nec non dilectis filijs Inquiſitoribus hęreticæ prauitatis per Cantuarienſem, & Eboracenſem prouincias, ad quos præſentes literæ peruenerint, ſalutem, &c. Inter cunctas Paſtoralis curæ ſollicitudines, &c. Datum Conſtantiæ octauo Kal. Maij anno primo.

Ex varijs huius Bullæ titulis conſtat inprimis, eam factam fuiſse pro inquiſitoribus hæreticæ prauitatis in Polonia, Anglia, alijſque locis, vbi Vvicleffi, & Hus, ac Hieronymi Pragenſis hæreſes tamquam venena ſerpebant: vt mirum non ſit, quòd Bulla, cùm executoria eſſet, ſacro approbante Concilio, à Martino V. edita dicatur. Conſtat ſecundò, editam fuiſſe non poſt finem Concilij, vt communiter ex eo creditur, quòd poſt ſeſſionem 45. legatur, ſed 8. Kal. Martij, anno Pontificatus Martini primo, dùm Concilium nondùm ſeſſionem 43. celebrarat, vt inter ſeſſionem 42. quæ 28. Decembris anno 1416. & ſeſſionem 43. 21. Martij anno 1418. celebratæ ſunt; collocanda ſit: 8. enim Kalendas Martij, quæ in diem 22. Februarij incidunt, inter vtrumque diem, quibus ſeſs. 42. & 43. habitæ fuerunt, mediæ ſunt.

Cùm autem ex hac obſeruatione manifeſtum fiat, bullam Martini V. confirmatoriā in actis deſiderari, opportunè omninò accidit, quòd peruoluens proximis hiſce diebus regeſtum variorum Martini, aliud quærendo, aliud repererim. Incidi namque præter ſpem omnem in bullam Martini longè à ſuperiori diuerſam, vtpotè quæ incipit: [Martinus &c. Ad perpetuam rei memoriam. In eminentis Apoſtolicæ dignitatis ſpecula ſuperni diſpoſitione conſilij conſtituti, inter ſollicitudines alias innumerabiles noſtris humeris incumbentes, aſſidua cura reuoluimus, & in votis noſtris gerimus deſiderantes, vt fides Catholica, quæ Chriſtianæ Religionis firmiſſimum eſt fundamentum, noſtris proſperetur temporibus, ac à contagioſis Hæreticorum dogmatibus, quibus illam quaſi tenebroſi fumi caligine obſcurare ſatagunt, conſeruetur, hæreticaque prauitas de finibus Fidelium extirpetur, &c.] Præmittit in illa bulla Martinus V. quæ contra errores Ioannis Vvicleff, & Hus, ac Hieronymi de Praga à Ioanne XXIII. in Concilio Romano anno Pontificatus eius tertio decreta fuerant, duaſque conſtitutiones eiuſdem Ioannis, quarum vna à Labbeo edita eſt tomo 11. Conciliorum, altera huc uſque lucem non vidit, exhibet: deinde ſtatuta Conſtantienſis Concilij circa propoſitiones Vvicleffi, & Hus, necnon errorem Bohemorum de communione ſub duplici ſpecie de verbo ad verbum infert: [Nos igitur declarationes, decreta, definitiones, reprobationes, mandata, inhibitiones, ſtatuta, necnon & condemnationes, & ſententias ſupraſcripta rata habentes, & grata, illaque auctoritate Apoſtolica ex certa ſcientia tenore præſentium confirmantes, & præſentis ſcripti patrocinio communicantes, ſupplentes quoque omnes defectus, ſi qui forſan, propter ſolemnitates iuris in procedendo non ſeruatas, interuenerint in eiſdem. Volumus etiam, & eadem auctoritate decernimus, quòd declarationes, definitiones, reprobationes, mandata, inhibitiones, ſtatuta, necnon condemnationes, & ſententiæ, præinſerta plenam vim, plenumque robur, & vigorem per omnia habeant, & ad ea vbilibet probanda hæ noſtræ literæ plenè ſufficiant, quandocumque eas ſiue in iudicio, ſiue alibi exhiberi contigerit, vel oſtendi. Nulli ergo, &c. Noſtræ approbationis, ratificationis, communitionis, ſuppletionis, voluntatis, & inſtitutionis infringere, &c. Si quis, &c. Datum Conſtantiæ 8. Kal. Martij, anno primo.]

Atque hæc eſt bulla Martini V. confirmatoria, quæ hactenus typis deſcripta non fuit; omneſque noſtri ſeculi peritos in hunc vſque diem latuit, ex qua non ſolùm refutantur, quæ Richerius obiecit, ſed quæ & ipſe D. Maymbourg ſuperiùs de confirmatione Pontificia ſcripſit. Vt enim à Richerio incipiam, edita eſt hæc bulla à Martino V. octauo Kal. Martij, dum literas executoriales ad Inquiſitores hæreticæ prauitatis ſupra memoratas eodem die tranſmitteret. Edidit autem Martinus hanc bullam nomine proprio, nulla Concilij mentione facta, quòd per illam Romani & Conſtantienſis Conſiliorum contra hæreticos ſtatuta auctoritate Apoſtolica confirmaret; adeò, vt ex vera bulla confirmatoria non habeatur monumentum praxeos auctoritatis Concilij ſupra Papam, ſed potiùs contrarium, auctoritatis nimirum Pontificię ſupra Conciliū: ad Superiorem enim ſpectat approbare, ratificare, confirmare, communire decreta, & ſupplere defectus inferiorum, prout Martinus V. hac bulla ſe de Decretis Patrum Conſtantienſium facere, in terminis aſſerit. Et hinc quoque patet, quid dicendum ſit de obſeruatione D. Maymbourg, quam confirmationem Pontificiam cæterorum Epiſcoporum ſubſcriptionibus æquiparare non dubitauit, & huic antiquorum traditionem conſonam eſſe, aſſerere auſus fuit.

Quàm iniurioſa namque ſit Sedi Apoſtolicæ auctoritatis eius interpretatio; quàm aliena à mente Eccleſiæ hæc ſupremæ Pontificiæ confirmationis eneruatio; non ex vno, ſed ex pluribus antiquitatis monumentis, quæ ab ipſo D. Maymbourg adferuntur, probari poſſent. Non ſic enim iudicarunt Epiſcopi Concilij Arelatenſis primi, quando ſtatutum de vno Paſchatis die vbique terrarum obſeruando ad Silueſtrum I. Romanum Pontificem retulerunt, vt iudicio ipſius probatum per maiores Romani Imperii Diœceſes publicaretur. Non ſic tenuerunt ſexcenti triginta Orientales Epiſcopi Chalcedone congregati, quando canonem 28. de ſecundo honoris gradu Sedi Conſtantinopolitanæ tribuendo ad Leonem I. retulerunt, vt illum auctoritate Apoſtolica probaret, & tamquam Caput membrorum ſtatuta confirmaret, ac roboraret. Neque ſic de auctoritate ſua iudicanit Leo, & re, & nomine Magnus, dum ſolus canoni 28. Chalcedonenſi obſtitit, eumque, quia auctoritate Apoſtolica ſtatutus non fuerat, reiecit, & nullius roboris eſſe monſtrauit. Hæc erat de auctoritate Sedis Apoſtolicæ circa Synodicorum Decretorum confirmationem traditio venerandæ antiqui-

tatis, hæc constans, & indubitata sententia religiosæ posteritatis.

Vt enim omittam sacrosanctum Tridentinum Concilium, quod antiquorum vestigijs insistens, acta sua ad Romanum Pontificem tamquam supremum Ecclesiæ Iudicem retulit, ad ipsum Constantiense Concilium accedo, quod post trium obedientiarum vnionem significauit, Romanum Pontificem adstringi non potuisse decretis in materia fidei à se editis, nisi postquàm illa suprema suæ Sedis auctoritate approbasset. Cùm enim Patres Constantienses sessione 40. ederent professionem fidei, quam Romani Pontifices, iuxta antiquam consuetudinem, ante coronationem emitterent, inter omnia Concilia generalia, quæ decreta in materia fidei per totam Ecclesiam recepta ediderant, vnum Constantiense omiserunt, cùm tamen plura de fide, quàm vllum aliud Concilium statuisset: qua re Patres Constantienses innuere voluerunt, se futurum Pontificem adstringere non potuisse ad decreta fidei in Concilio statuta, nisi Sedis Apostolicæ iudicio fuissent priùs confirmata. Ne autem quisquam de decretis Constantiensibus in materia fidei editis dubitaret, electus à tribus Obedientijs in Summum Pontificem Martinus V. voluit post sess. 42. decreta fidei auctoritate sua Apostolica comprobare; prout fecit bulla confirmatoria superiùs memorata. [Illa, inquit, auctoritate Apostolica ex certa scientia præsentium tenore confirmantes, & præsentis scripti patrocinio communientes, supplentes quoque omnes defectus, si qui forsan propter solemnitates iuris in procedendo non seruatas, interuenerint in eisdem.] Et postquàm Martinus sola auctoritate Pontificia hoc modo decreta Constantiensia in materia fidei probauerat, tunc nomine suo, consentiente Concilio, decreta à Concilio edita, & à se probata ad cunctos hæreticæ prauitatis Inquisitores trãsmisit, vt iuxta illorum tenorem, contra Vvicleffistas, & Hussitas agerent: quod nihil planè contra superioritatem Pontificiam facit.

Ne autem vllum omninò dubium restet de mente Martini V. circa auctoritatem Pontificis supra Concilium, adiungenda sunt, quæ occasione Polonorum in Consistorio publico de non appellando à Sedis Apostolicæ iudicio, statuit. Vtque res tota à sua origine repetatur, cùm Concilium sessione 13. elegisset Commissarios tam ex Collegio Cardinalium, quàm ex Nationibus ad audiendum, & examinandum causas hæresum, & errorum in fide Catholica, & moribus, vndecumque habuissent, & haberent originem; accidit, quòd Regis Poloniæ Legatus Nicolaus Gnezuensis Archiepiscopus acceptum à Doctoribus, & Studiosis Parisiensibus libellum famosum, quem Ioannes à Falckemberg in Vladislaum Regem, & in omne Polonum nomen conscripserat, ad deputatos Iudices detulerit, Auctorem in teterrum carcerem includi fecerit, & à Iudicibus Constantiensis Concilij libellum cum omni debita solemnitate, & maturitate damnari curauerit. Antequàm itaque Martinus V. in Pontificem eligeretur, singulæ Nationes, & sacrum Cardinalium Collegium seorsim concluserant, ordinauerantque, quòd dictus libellus, tamquam hæreticus in Sessione publica per sacrosanctum Concilium Constantiense publicè damnaretur, seu damnatus nunciaretur, vnde post electionem Martini V. aliquoties institerunt pro publica istius libelli condemnatione. Vbi autem viderunt, à Martino V. 8. Kal. Martij, seu die 22. Februarij anno 1418. hæreses Ioannis Vvicleff, & Ioannis Hus, ac Bohemorum de communione sub duplici specie proscriptas, ac de ijs dumtaxat ad Episcopos Poloniæ, aliosque hæreticæ prauitatis Inquisitores literas datas fuisse, verisimile est, eos nondùm quidem appellasse, sed de appellando ad futurum Concilium cum pluribus locutos fuisse, idque ad Martini V. aures peruenisse. Hac autem occasione idem Pontifex decretum edidit de non appellando à Romano Pontifice, de quo audiendus est Ioannes Gersonius in Dialogo apologetico pro Constantiensi Concillio, qui appellationis Polonorum meminit, quasi iam interiecta fuisset: [Pro parte Dominorum Polonorum interiecta est tandem appellatio ad Futurum Concilium. Cui appellationi cùm respondendùm esset, lata est, vt dicitur, in Consistorio generali, & publico, quod vltimò Constantiæ celebratum est, minuta quædam sub forma Bullæ ..... continebatque, in nullo casu licere, appellationem à Papa facere, nec eius iudicium in causa fidei declinare.] Quæ hic adfert Ioannes Gersonius ex aliorum relatione in tractatu suo: [quomodò, & an liceat à Summo Pontifice appellare, seu eius iudicium declinare?] tamquam rem sibi compertam, & indubitatam exhibet. Absolutè enim affirmat, quòd Martinus V. in sua Constitutione: Ad perpetuam rei memoriam, facta, & promulgata in Consistorio generali celebrato Constantiæ 6. idus Martij, Pontificatus sui anno primo, decreuerit: [Nulli fas est, à supremo Iudice, videlicet Apostolica Sede, seu Romano Pontifice Iesu Christi Vicario in terris appellare, aut illius iudicium in causis fidei (quę tamquam maiores ad ipsum, & Sedem Apostolicam deferendæ sunt) declinare.

Testatur Ioannes Gersonius in eodem illo tractatu, Decretum hoc occasione Polonorum editum fuisse, & ipse D. Maymbourg cap. 24. illud occasione appellationis ab ijsdem Oratoribus interpositæ, prodijsse affirmat, vt Martinus V. neque clariùs, neque expressiùs mentem suam de Sedis Apostolicæ supra Concilium auctoritate exponere potuerit: id quod adeò manifestum fit ex verbis Martini V. à Gersonio allatis, vt hic Auctori nostro aqua hæserit, & cùm ad pleraque à me allata respondere conatus fuerit, ad Decretum illud se nihil habere, quod opponeret, re ipsa significarit. Quamuis enim Auctor noster fingat, facilem esse responsionem, dicatque: [Facillimè responderi potest, dicendo id, quod centies responsum est; & cui contradici nequit, quòd hæc, & similia verba intelligi debeant de omnibus Ecclesijs particulariter sumptis, de omnibus Episcopis, Archiepiscopis, Metropolitanis, Primatibus, Patriarchis, à quorum iudicio ad Romanum Pontificem appellare licet, ita, vt nemini ap-

pel-

pellate permiſſum ſit ad iudicium alicuius ex ipſis à ſententia Romani Pontificis, qui ipſo-tum ſuperior eſt, non quidem, quando adunati ſunt in Concilio, Vniuerſalem Eccleſiam repræſentante. ſed quando particulariter ſumuntur,] Hæc tamen reſponſio adeò infirma eſt, vt Lector nouuiſi oculis indigeat, ad falſitatem illius ex Actis Concilij detegendam. Non enim agebatur à Legatis Poloniæ de Epiſcopis particulatim ſumptis, ſed in Concilio adunatis. Appellate volebant non ad Patriarchas, Primates, Metropolit. & Epiſcopos toto Orbe diſperſos, ſed in Concilio Vniuerſali congregatos. Cùm autem horum occaſione editum fuerit à Martino V. Decretum de non appellando à Romani Pontificis indicio, vt ipſe D. Maymbourg fatetur, qua ratione negare poteſt, ſupradicto Martini Decreto prohibitam fuiſſe appellationem ad Generale Concilium?

Verba illius Pontificis nimis manifeſta ſunt, quàm, vt in dubium reuocari poſſint: [Nulli fas eſt, à ſupremo iudice, videlicet Apoſtolica Sede, ſeu Romano Pontifice Ieſu Chriſti Vicario in terris appellare.] Appellationem à Romano Pontifice interdicit Martinus V. & rationem quoque adiungit, quòd nimirum Pontifex ſit Ieſu Chriſti in terris Vicarius, adeoque Diuinitus ouili Eccleſię præpoſitus, & ſupremus, vt vocat ibidem, Iudex conſtitutus. Hæc ſunt verba, quibus clariora deſiderari non poſſunt, & quæ adeò Ioannis Gerſonij ſcriptis aduerſa ſunt, vt errotis ea conuicerint, ac Auctorem in interpretandis ſeſſionis 5. Decretis longè à Martini V. mente hucuſque alienum fuiſſe, monſtrarint. Neque id latuie Gerſonium, qui Tractatum: [Quomodò, & an liceat a Summo Pontifice appellare?] contra Martini conſtitutionem edidit, & Decretum illud Pontificium ex aduerſo cum Synodalibus Conſtitutionibus anno 1415. ſexto Aprilis Conſtantiæ editis pugnare, totis viribus probare contendit.

Cùm autem Synodales conſtitutiones illæ, ſint ipſa duo priora Decreta ſeſſ. V. de poteſtate Eccleſiaſtica ſine communi deliberatione, contra proteſtantibus Cardinalibus, & Regis Galliæ Oratoribus, edita, & Ioannes Gerſonius ea de ſuperioritate Concilij intellecta, per Martini V. conſtitutionem infirmata fuiſſe, clariùs probauerit, quàm, vt ipſe D. Maymbourg id pertinaciter negare auſus ſit, adiungit Auctor iſte: [Quòd ſi D. Schelſtrate, bis non obſtantibus, velit, quòd Martinus V. hac conſtitutione condemnet, & abſolutè prohibeat omnem appellationem ad Vniuerſale Concilium, reſpondebitur ipſi ſine vlla difficultate, quòd etiamſi ita eſſet, conſtitutio illa nullam vim ſortiretur, quia facta non fuit Conciliariter, neque ſacro approbante Concilio, neque enim conſenſu Eccleſiæ, quæ numquam voluit, in omni caſu prohibitam, eſſe appellationem à Papa ad Concilium.] Verùm quàm vanum ſit hoc effugium, vel me tacente, quiſque facilè percipiet. Conſtitutio illa, inquit D. Maymbourg, facta non eſt Conciliariter, neque ſacro approbante Concilio, Sed quid inde? Sequiturne ex eo, conſtitutionem illam à Martino V. factam non fuiſſe, vel Decreta ſeſſionis 5. ab eo non fuiſſe reprobata? Conſtitutio in Conſiſtorio publico die 2. Martij anno 1418. præſentibus Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, à Martino V. Conſtantiæ edita fuit, cùm omnes Patres in eadem Ciuitate aderant, qui in nulla ex ſequentibus ſeſſionibus ſe Martini Decreto oppoſuerunt, quin potiùs illud ipſum Actis ſeſſionis 45. inſeri paſſi ſunt. Cùm enim ſeſſione 45. finis imponendus eſſet Concilio, & Oratores vidiſſent, nihil circa damnationem libri Ioannis à Falckenberg ibidem publicandum fore, tem nouam Legati Regis auſi ſunt, inquit, Martinus Cromerus Warmienſis Epiſcopus lib. 18. de geſtis [Polonorum, ad futurum Concilium, quod in decimum annum indicetur, prouocatnt.] Agunt de hac appellatione Acta Concilij tam edita, quàm inedita, omnium autem fuſiſſimè Protonotarij Conſtantienſis Concilij in compilatione à ſe facta, in qua referunt, quòd, cùm nonnulli multum dicerent, & tumultum facerent, Martinus V. impoſito omnibus ſilentio, dixerit reſpondendo ad prædicta, quòd omnia, & ſingula Decreta Conſtantienſis Concilij approbabat, & ratificabat, quæ in materia fidei Conciliariter ſtatuta erant, non autem aliter, neque alio modo. Quo reſponſio prudentiſſimus ille Pontifex, vt oſtendimus ſuprà, ſignificabat, quænam Decreta confirmabat, quæ auctoritate Apoſtolica probare nolebat. Ac de Decreto inprimis contra propoſitionem Ioannis Parui Conſtantiæ edito, quod Martinus in bulla ſua confirmatoria omiſerat, & contra quod Ioannes à Falckenberg in famoſo ſuo libello apertè ſentire viſus erat, ſatis ſuperque oſtendit, illud ipſum à ſe probari, ac confirmari, quia Conciliariter in materia fidei concluſum, determinatum, & ſtatutum erat. De ipſo autem libello non ſolùm hac crudeliſſima hæreſi, ſed multis quoque alijs erroribus referto, ob quos ſacrum Cardinalium Collegium, & omnes Nationes illum damnarant, & in ſeſſione publica damnandum ſtatuerant, clarè oſtendit, ſeſe Decretum Nationum, & Collegij Cardinalium noluiſſe in auctoritatem admittere. Vnde cùm Paulus Voladimiri vnus ex Oratoribus Polonis vellet proſequi appellationem, eamque ex quadam cedula legere cœpiſſet, fuit ipſi per D. Auguſtinum de Lance Fiſcalem, & Aduocatum Conſiſtorialem, [de mandato Domini noſtri Papæ, vt idem Auguſtinus aſſeruit, ibidem coram eodem Domino noſtro ſtanti impoſitum ſilentium ſub pœna excommunicationis, quo quidem ſilentio impoſito, idem Paulus tacuit &c.] Hæc ipſius Conſtantienſis Concilij Protonotarijs in Actis publicis, ex quibus inprimis patet, Martinum V. ſe ſuperiorem oſtendiſſe Collegio Cardinalium, & cunctis Nationibus, ſanctum Conſtantienſe Concilium integrantibus. Secundò patet, ſe ſuperiorem feciſſe Patribus non ſolùm ſeorſim, ſiue Nationaliter, & extra ſeſſionem publicam, ſed etiam ſimul, ſiue in ſeſſione Conciliariter ſtatuentibus: Martinus enim appellationem à Sedis Apoſtolicæ iudicio ad Concilium Vniuerſale prohibens, ne quidem iudicio conciliari ſe ſubiectum oſtendit, quinimo,

nimò, teste Gersonio, Romanum Pontificem pro supremo in materijs fidei iudice, à quo ad Concilium Vniuersale appellare non licet, palàm asseruit. Vnde sessione 45. Polonis appellationem à iudicio suo ad futurum Concilium interponere volentibus non solùm obstitit, sed quod caput est, in ipso Constantiensi Concilio, in sessione publica, coram sacro Cardinalium Collegio, & cunctis Nationibus appellationem Polonorum reprobauit, & silentium ipsis sub pœna excommunicationis imposuit, & prætermissa damnatione libelli Ioannis à Falckemberg, finem Constantiensi Concilio, quod post trium Obedientiarum vnionem vniuersale euaserat, imposuit.

Quòd itaque Martinus V. à tribus Obedientijs in legitimum Pontificem electus, nunquam approbarit Decreta sess. 5. de superioritate Concilij intellecta, sed ea illo sensu improbarit, ac infirmarit, colligitur ex Actis, & Gestis Concilij, quorum fidem in dubium reuocare non licet, & probatur ex Scriptore coætaneo Ioanne Gersone, cuius testimonium Ecclesiæ Gallicanæ suspectum esse nequit. Ex hoc enim Auctore toties à D. Maymbourg laudato, toties Sedis Apostolicæ auctoritati opposito, constat, quòd Martinus V. declarans, illicitum esse à Sedis Apostolicæ iudicio appellare, improbarit Decreta sess. 5. de superioritate Concilij intellecta. Probat id Gersonius in Tractatu, An, & quomodò appellare liceat? vbi Decretum Martini de non appellando, hanc ob causam totis viribus impugnat. Cæterùm non Concilij, sed Sedis Apostolicæ auctoritas suprema est in terris, vtpote ad quam etiam à Concilijs appellare, teste Gelasio I. semper permissum fuit, & à qua ne quidem ad Concilium, teste Martino V. appellare vmquam licebit. Romanus igitur Pontifex tamquam supremus Ecclesiæ Iudex potestatem habet, supra quam in terris Christus Dominus nullam aliam constituit. Hæc Martini V. mens est, hoc iudicium, hæc sententia, Actis ipsis inserta: ita vt, si Concilium Constantiense, iuxta interpretationem Basileensium, hactenus fuerit Ecclesiæ Gallicanæ Palladium, iuxta sensum Martini V. futurum sit supremæ auctoritatis Apostolicæ præsidium, & propugnaculum.

§. V.

Corollarium finale totius præsentis Articuli.

EX dictis infertur; Quo in censu habenda sit secunda Cleri Gallicani propositio in initio præsentis articuli relata. Nam primò, dum Cleri Gallicani declaratio fatetur: [Apostolicæ Sedi, ac Petri Successoribus Christi Vicarijs rerum spiritualium plenam inesse potestatem,] disquirere hinc licet, quomodò hæc Christi Vicariæ potestatis plenitudo subsistat, nisi dicatur protendi super quocumque morali ad Regnum Cælorum ordinabili? In eiusmodi autem moralitatis indefinita sphæra numquid sunt etiam decreta Conciliaria, siquidem moralia sint, etiam post sui ex auctorizatione Pontificia confirmationem, secundùm rerum exigentias mutabilia, si verò sint dogmatica, eatenus post sui ex charactere Pontificiæ auctorizationis confirmationem obtinent consummatæ in fide infallibilitatis. Primam adeò Veritatem auctoritatiuè applicantis certitudinem, vt ipse etiam Pontifex ob eiusdem Primæ Veritatis eisdem taliter applicatæ, summam reuerentiam teneatur ad eorum assensum: attamen antecedenter ad eorum ex Pontificiæ auctorizationis accessu confirmationem, nosciturne eo adhuc versari statu, vt super eiusmodi Conciliaribus decretis comprobandis adhuc protendatur Pontificia auctoritas, atque ex hac super quodcumque ad Regnum Cælorum in terris ordinabile morale protensione mensuranda est illa Vicariæ Christi in Summo Pontifice potestatis plenitudo, quam ipse etiam Clerus Gallicanus est professus, haud profectò substituram, nisi protenderetur super omni Conciliari decreto. Ex vi cuius adeò protensionis non Concilij supra Papam, sed huius supra Concilium qua acephalicè spectatum, superioritas asserenda est.

Secundò Clerus Gallicanus in prædicta declaratione sua Synodum Constantiensem vocitans Oecumenicam, rogatur, vt edoceat nos, quem Synodus illa fuerit à Christo sortita characterem in statu illo, quo contrariam se exhibuisset erga supremam Papæ etiam futuri auctoritatem, dum cæteroqui pro statu 4. ac 5. sessionis, nonnisi dubium, ac incertum Pontificem habuerat? Si expendatur totum Euangelium, præcipuè 18. Matthæi caput, nullus reperiri potest apex, per quem norma Oecumenici Concilij constitui valeat, nisi ex Christi nomine Vicario, Apostolicoque adeò charactere soli Papæ extra Concilium proprio, nec intra Concilium quoque aggregatis Ecclesiæ Præsulibus promisso, nisi illi sub Christi nomine Vicario, Papatus proprio, sint aggregati. Quo fundamento sic constituto, qua ratione dicere licet, Constantiensia 4. ac 5. sessionis decreta fuisse Oecumenica, nisi materialiter, ac dispositiuè, quatenus habebant ordinem tendentiæ ad certum Papam, mediante Synodo illa in hunc finem instituta, obtinendum, ex quo character Oecumenicus accederet illis decretis. At in ordine ad hunc characterem oppositus fuit obex manifestus, si decreta illa vltra ordinem extirpandi schismatis, certiquè Papæ Ecclesiæ sanctæ præficiendi, extendereutur supra futurum indubitatum Pontificem. Sub cuiusmodi adeò ad schismatis tempus coarctatione, atque ad certum Papam sufficiendum ordine, Concilium Constantiense, quamdiu intrà hos subsistebat limites, poterat quasi materialiter ac dispositiuè dici Oecumenicum. At sub illa supra certum Papam protensione, prællegata de Conciliorum Generalium auctoritate decreta, neque à Sede Apostolica esse comprobata, neque Romanorum Pontificum, ac totius Ecclesiæ vsu confirmata, neque ab Ecclesia perpetua religione custodita, sed è contrariò potiùs reprobata fuisse, constat ex fundamentis antehac deductis, in vi quorum

Gal-

Gallicana Eccleſia immeritò videtur improbare illos, qui eorumdem decretornm, qnaſi dubiæ ſint auctnritatis, ac minùs approbatę, robur infringunt, quatenus vltra tempus ſchiſmatis erga certum etiam, ac indubitatum Papam protenduntur, ſub aperta etiam enntradictione aduersùs Regem Galliæ, eiuſque Oratnres intrà Flnrentinum ſub Eugenio IV. & Lateranenſe ſub Leone X. celebrata Concilia profeſſos, Papam Synodn etiam Generali acephalicè ſpectata ſuperiorem eſſe; velut in antecedentibus oſtenſum fuit.





ARTICVLVS IV.

De Infallibilitate Romani Pontificis in decidendis Fidei, seu etiam morum quæstionibus.



Clerus Gallicanus in prædicta declaratione sua formauit quartum articulum sub hoc tenore: [In fidei quoque quæstionibus præcipuę Summi Pontificis sunt partes, cuius decreta ad omnes, & singulas Ecclesias pertinent, nec tamen irreformabile est iudicium, nisi Ecclesiæ consensus accesserit.] Auctor libertatum Ecclesiæ Gallicanæ lib.7. cap.1. disquirit, si Papæ iudicium in fidei dogmatibus definiendis, non sit irreformabile, in quonam consistere dicendæ sint illæ præcipuæ Summi Pontificis partes: An quòd primus sententiam suam de ijs promere debeat, quemadmodùm Africana Concilia professa sunt in epistola ad Theodorum Papam, quæ lecta est in Concilio Lateranensi sub Martino I. Theodori successore anno 639. his verbis: [Antiquis enim regulis sancitum est, vt quidquid, quamuis in remotis, vel in longinquo positis ageretur Prouincijs, non priùs tractandum, vel accipiendum sit, nisi ad notitiam almæ Sedis vestræ fuisset deductum, & huius auctoritate iusta, quæ fuisset pronuntiatio, firmaretur.] At quantis laudibus donatus est ab Episcopis anno 1681. Parisijs congregatis liber Ioannis Gerbasij de causis maioribus, in quo primùm illarum iudicium ad Episcopos, & Concilia Prouincialia pertinere contendit?

An Summi Pontificis prærogatiua in eo erit, vt quæ à Concilijs Oecumenicis decreta fuerint, eorum ipse vrgeat executionem? Sed hæc cura Summi Pontificis dignitatem non tam arguit, quàm tollit, quandoquidem merus executor constituitur, sine facultate interpretandi iudicij, ita saltem, vt illa interpretatio irreformabilis sit, atque adeò ad consensum internum fideles astrict.

At priuilegium illud sanctę Sedis ad hoc valebit; vt eius decreta ad omnes, & singulas Ecclesias pertineant. Verùm non eius, sed Conciliorum Generalium decreta id sibi vendicabunt; siquidem penès illa, non penès Papam, est auctoritas, controuersias fidei iudicandi irreformabiliter. Quòd enim fortasse aliquis reponat, interim, dum expectatur Concilium Oecumenicum, standum esse iudicio Papæ, efficit, vt publicè contradicere nemo debeat (quod ad politiam quamdam externam referendum est) non autem vt ei quisquam interiùs assensui teneatur, quandoquidem errori obnoxium est. Sed nec primum quidem illud efficit, saltem si Gersonio credimus.

Gersonius quippe de examinatione doctrinarum par. 1. considerat. 5. docet, non solùm Concilium Oecumenicum, aut Nationale, vel Prouinciale, sed Doctorem quemlibet posse Summo Pontifici obsistere, manifestum errorem contra fidem proponenti. [Staret, quòd aliquis simplex non auctorizatus, esset tam excellenter in sacris literis eruditus, quòd plus esset credendum in casu doctrinæ suæ assertioni, quàm Papæ declarationi; constat enim, plus esse credendum Euangelio, quàm Papæ; si doceat igitur talis eruditus, veritatem aliquam in Euangelio contineri, vbi & Papa nesciret, vel vltrò erraret, patet, cuius præferendum sit iudicium.] Quæ autem veritas in Euangelio adeò expressa esse potest, antequam ab Ecclesia declarata sit, quæ non alicui Doctori, vel etiam pluribus, error manifestus non possit apparere? Qua ergo poterit auctoritate comprimi Doctor ita affectus, interim, dum conueniret Concilium, vt quousque consensus Ecclesiæ accesserit, prout requirunt Antistites Gallicani?

Qua verò ratione dignosci poterit Ecclesiæ consensus, si Prouinciæ Christianæ circa illam controuersiam inter se dissentiant? An illa vera Ecclesia censebitur, quæ Capiti omnium, Romano scilicet Pontifici adhærebit? Recurret idem inconueniens, quòd scilicet illius iudicium, si non sit irreformabile, possit fideles in errorem pellicere.

Verùm vt videas, quantum Summi Pontificis sententiæ plerique Gallicani Doctores honorem deferant; & verùm ei prouisionaliter obtemperent; aut saltem, silentio illam venerentur, ad ea, quæ non ita pridem gesta sunt, oculos conuerte. Exigitur à Catholicis in Anglia degentibus iuramentum: hanc inter alias clausulam continens: [Prætereà iuro, quòd ex corde abhorreo, detestor, & abiuro tamquam impiam, & hæreticam hanc doctrinam, & propositionem, quòd Principes per Papam excommunicati, vel deprinati, possint per suos subditos, vel alios quoscumque deponi, vel occidi.] Paulus V. in Breui ad Catholicos Anglos dato die 25.

Sep-

Septembris 1606. in quo inferius est prædicti iuramenti tenor, illud his verbis reprobat: [Quæ cùm ita sint, vobis ex verbis ipsis perspicuum esse debet, quòd huiusmodi iuramentum, salua fide Catholica, & salute animarum vestrarum, præstari non potest, cùm multa contineat, quæ fidei, & saluti apertè aduersantur.] Quia verò nonnulli Breue illud Summo Pontifici de rei veritate plenè non instructo, subrepticium causabantur; Non ex animi nostri sententia, nostraque propria voluntate, sed potiùs aliorum intuitu, & industria,] inquit Summus Pontifex ea de re conquerens in altero Breui dato 23. Octobris 1607. addidit: [Ea propter ad vos iterum scribere decreuimus, ac denuò vobis significare, literas nostras Apostolicas anno præterito 10. Kal. Octobris datas de prohibitione iuramenti non solùm motu proprio, & ex certa nostra scientia, verùm etiam post longam, & grauem deliberationem de omnibus, quæ in illis continentur, adhibitam, fuisse scriptas, & ob id teneri vos illas omninò obseruare, omni interpretatione secùs reiecta. Hæc est autem mera, pura, integraque voluntas nostra, &c.] Nihilominùs Doctores Parisienses, quos illam Papæ sententiam latuisse non potest, sic censuerunt. [Nos infrascripti sacræ Facultatis Parisiensis Doctores Theologi censemus, iusiurandum, vt in obuersa pagina conceptum est, salua fide, & tuta conscientia, à Catholicis Anglis iurari posse, si modò in propositione, quæ est de eade Principum, quæ damnatur vt hæretica, verba deponi, & occidi coniunctim accipiantur: immò etsi diuisim, ita vt tamen propositio hæretica materialiter, id est, verbo Dei contraria finiatur; quatenus posse Principes deponi efferet, formaliter verò etiam quatenus, & occidi posse, superaddit. Deliberatum, datumque Parisijs die 16. Augusti anno 1680. subscripsere 56. Doctores die 19. Augusti anno 1680.

Sed consideremus, vtrùm declaratio Illustrissimorum Præsulum Gallicanorum cum Scriptura sacra consentiat, aut sacris Canonibus, & Patrum traditione, quæ sunt fundamenta libertatum Ecclesiæ Gallicanæ, nitatur; an non potiùs verum sit; quod aliqui scripserunt, eam sententiam nonnisi post schisma tempore Concilij Constantiensis in lucem editam; anteà verò iudicium Summi Pontificis tamquam indubitatum habitum fuisse, non propter, aut post Ecclesiæ consensum, sed etiam propter non errandi priuilegium B. Petro, & eius successoribus à Christo collatum.

Porrò ipsa propositio, quam hìc expendimus, satis declarat, non agi de Papæ, tamquam priuatæ personæ, opinionibus; sed de ipsius tamquam Summi Pastoris, & Pontificis totam Ecclesiam instruentis doctrina; vno verbo, de decretis, quæ ad omnes, & singulas Ecclesias pertineant; idque in fidei quæstionibus.

Non disquirimus etiam; An Summus Pontifex aliquam fidei quæstionem definiturus egeat consilio, & quo, quane alia diligentia vti debeat. Supponimus enim, ipsum, ne Deum tentet, media teneri adhibere ad cognoscendam veritatem ordinata. Sed si Diuina prouidentia eum ad finem, id est, fidei veritatem certò, tutòque assequendam dirigat, sine dubio ad assumenda media necessaria etiam inducet. In eo igitur sistimus; An Papæ iudicium, nisi Ecclesiæ consensus accesserit, incertum sit, & reformationi obnoxium concurrentibus quibusuis alijs conditionibus?

Auctor veritatis inextinctæ Concilij Tridentini in præfat. tom. 3. num. 40. rei huius statum indagat sub ista quæstione. Dum Clerus, inquiens, Gallicanus verbis dilucidis fatetur, in fidei quæstionibus præcipuas esse Summi Pontificis partes, an non per hæc verba intendit, in eodem Summo Pontifice profiteri Vicarium Christi characterem, sub quo ita oporteat, stare Oecumenicum Concilium in nomine Christi, siue ex norma per hunc constituta aggregandum, vt ex talis Vicarij Christi characteris forma subsistat Christi assistentia, fidei decretis taliter contentis infallibilitatem repromittentis? Quo sic constituto, hoc saltem, vt fateatur Clerus Gallicanus, necessum est, Concilijs nempe ex vniuersis licèt Christianitatis nationibus, absque tamen charactere, seu nomine Christi Vicario aggregatis, neque competere infallibilitatem, neque plenam auctoritatem in condendis fidei Decretis. Insuper ex eiusdem articuli verbis dilucidum apparet, à Clero Gallicano haud denegari Summo Pontifici auctoritatem, extra Ecclesiæ consensum, siue Oecumenici adeò Concilij interuentu, decidendi, ac definiendi fidei quæstiones, tametsi consummatam in hisce infallibilitatem negare videatur Summo Pontifici, nisi Ecclesiæ consensus accesserit. De quo proinde puncto, quid concludendum sit, patebit ex sequentibus disquisitionibus: quarum prima discutiet: Qualis sit Romani Pontificis Primatus: Secunda; [An, & quanta sit Summi Pontificis antecedenter ad Ecclesiæ consensum infallibilitatis in decidendis fidei dogmatibus? Tertia; Vtrùm huius iudicij infallibilitas prorsus irreformabilis ostendi possit ex sacris litteris? Quarta; Vtrum demonstrari queat ex sacris Canonibus, & Concilijs Oecumenicis? Quinta; An ex vnanimi Patrum consensu, & praxi Ecclesiæ, rationeque Theologica? Sexta expendit quæ Ellesius circa Papæ in rebus fidei infallibilitatem opponere nititur.] Quibus tamdem subnectetur corollarium finale, quo inter alia expendentur, quæ hanc in rem Auctor inextinctæ veritatis Concilij Tridentini citat. præfat. ad tom. 3. à num. 41. in medium protulit.

DISQVISITIO I.

De Primatu Romani Pontificis.

IN omnibus inſtienti præſentis articulis occurrebant materiæ hunc Apoſtolicum Romanæ Eccleſiæ Primatum concernentes: quia tamen Ludouicus Ellies du Pin ſacræ Facultatis Theologicæ Pariſienſis Doctor in ſua circa antiquam Eccleſiæ diſciplinam diſſertat. 4. nititur ſacræ Scripturæ fundamenta, quibus Primatus ille fulcitur, concutere, operæ pretium eſt viſum, quarto Cleri Gallicani circa Pontificiam auctoritatem articulo deinceps diſcutiendo præmittere argumentorum, ac exceptionum eum Primatum, vti patebit, haud parùm deprimentium, à dicto Ellieſio adductorum accuratiorem diſcuſſionem. Qui porrò Theologus in prætactæ diſſertationis ſuæ præloquio dicit, conſilium ſibi eſſe, ſine ira, & ſtudio de Primatu Romani Pontificis diſſerere, & quæſtionem hanc non in diſputaneis, ſed potiùs in quærentis modum tractare. Liceat ergo mihi ad ea, quæ in modum quærentis hic proponenda dicuntur, abſque vllius pariter affectus minùs integri ſtudio reſpondere, reſolutionemque veritati conſonam in medium proferre.

§. I.

Vtrùm, & quomodo Primatus S. Petri poſſit ex Scripturis Diuinis demonſtrari.

ELlieſij in hoc paragrapho præcipua intentio eſt, expendere ſacræ Scripturæ teſtimonia, quæ ad demonſtrandum Petri inter Apoſtolos Primatum Bellarminus, & alij adducunt tum ſub iſtis Matthæi 16. ad Petrum à Chriſto prolatis verbis: [Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam;] Tum ſub hoc ſacro contextu: [Tibi dabo claues Regni Cælorum;] Tum ſub vocibus Ioannis vltimo ad Petrum determinatè directis Chriſti verbis: [Paſce oues meas, paſce agnos meos:] Videamus ergo in præſentiarum, quomodo Ellieſij hæc fundamenta concutere conati exceptiones conuelli valeant.

ARGVMENTVM I.

Ellieſij.

HIc Auctor excipit primò. Locum illum [Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam:] Ab interpretibus, & ſanctis Patribus variè exponi. Sunt enim non pauci, qui per Petrum hic intelligunt fidem, & confeſſionem Petri. Ita Hilarius lib. 6. de Trinitate. [Super hanc igitur confeſſionis Petram Eccleſiæ ædificatio eſt.] Gregor. Nyſſ. in opere de aduentu Domini: [Petra verò fidei tamquam fundamentum, vt ipſe Dominus ait ad Principem Apoſtolorum: Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam: ſuper confeſſione videlicet Chriſti, quia dixerat; Tu es Chriſtus Filius Dei viuentis.] Ambros lib. 6. in Luc. & in cap. 11. epiſt. ad Epheſ. [Super iſtam Petram ædificabo Eccleſiam meam hoc eſt, in Catholicæ fidei confeſſione ſtatuam fideles ad vitam.] Idem de Incarnat. cap. 5. [Non enim de carne Petri, ſed de fide dictum eſt: quia portæ mortis ei non præualebunt, ſed confeſſio vincit infernum.] Chryſoſt. hom. 55. ſuper Matth. [Super hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam: id eſt fidem ſupple ſuper, & confeſſionem.] Idem habet ibid. homil. 83. & cap. 9. epiſt. ad Galatas, & in ſerm. de pœnit. [Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram: non dixit ſuper Petrum, non enim ſuper hominem, ſed ſuper fidem fundata eſt Eccleſia.] Hunc ſenſum fusè explicat Auguſtinus tract. 123. in Ioannem: [Non enim, inquit, à Petro Petra, ſed Petrus à Petra: ideò quippe, ait Dominus, ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, quia dixerat Petrus: [Tu es Filius Dei viui. Super hanc ergo, inquit, Petram quam confeſſus eſt, ædificabo Eccleſiam meam; Petra enim erat Chriſtus; &c.] Et ſermone 13. de verbis Domini: [Tu es ergo inquit, Petrus & ſuper hanc Petram, quam confeſſus es: ſuper hanc Petram, quam cognouiſti, dicens tu es Chriſtus Filius Dei viui, ſuper me ædificabo te, non ſuper te me.] Acacius Meliteſis in homil. in Conc. Epheſ. cap. 7. par. 3. eumdem ſequitur: [Hæc fides inquit noſtra, ſuper hoc fundamentum Eccleſia ædificata eſt.] Adſtipulatur Cyrillus Alex. lib. 4. de Trinitate. [Petram, inquit, opinor nihil aliud, quàm inconcuſſam, & firmiſſimam fidem vocans.] Idem habet to. 14. in Eſaia orat. 11. Item Iuuenalis Hieroſol. in literis Synodicis. [Super hanc Petram, & ſuper hanc confeſſionem roborata eſt Eccleſia Dei.] Theodoret. epiſt. 146. & 77. confeſſionem Petri fundamentum, & baſim aſſerit. Ita etiam exponunt hunc locum Anonymus ſcriptor in catena Nicetæ: [Petrum, inquit confeſſionem vocauit.] Gregor. Mag. epiſt. lib. 3. epiſt. 33. Felix III. epiſt. 5. ad Zenonem Iſidorus Hiſp. lib. 7. orig. Beda homil. de Sancto Petro, & homil. 3. in Dominic. Palmarius Druthmarum in exp. Matth. c. 35. Hincm. opuſcul. 33. capit. 5. & 45. Rupert. lib. 3. in Matth. Toſtatus in hunc locum, & alij. Ab iſta expoſitione non multum abludunt ij, qui Petrum interpretantur Chriſtum, quem Petrus erat confeſſus.

Ita Hier. in cap. 7. Matth. ac præcipuè Auguſt. qui in lib. 1. retract. cap. 21. hanc expoſitionem cum altera componit, & neutram alteri præfert in libro contra epiſt. Donati: [Dixi in quodam loco de Apoſtolo Petro, quod in illo tamquam in Petra fundata ſit Eccleſia, quo ſenſu etiam cantatur in ore multorum in verſibus beatiſſimi Ambroſij; vbi de Gallo Gallinaceo ait: Hoc ipſa petra Eccleſiæ canente, culpam diluit, ſcio me poſtea ſæpiſſimè ſic expoſuiſſe, quod à Domino dictum eſt. Tu es Petrus, &c. vt ſuper hanc intelligatur, quam confeſſus eſt Petrus dicens. Tu es filius Dei vivi, ac ſi Petrus ab hac Petra appellatus perſonam Eccleſiæ figuraret

harum

harum autem duarum sententiarum quæ sit probabilior, eligat lector.] Vide eumdem tract. 124. in Ioannem, & serm. 13. De verbis Domini. Huic adiungendus Theodorius in cap. 3. Ep. 1. ad Corint. Beda in cap. Matth. Magister in cap. 2. Ep. ad Ephes, & alios quos videre poteris apud Launoium ep. part. 5. ep. ad Voellum.

Alia porrò expositio est: nomine Petræ ipsum Petrum intelligi. Tertul. in lib. de præscript. hæreticorum, Latuit; inquit, aliquid Petrum ædificandæ Ecclesiæ Petram dictum Et in lib. de Monogam. cap. 7: Origenes homil. 5. in Exodum vnde magno Ecclesię fundamento, & Petræ solidissimæ, super quàm Christus fundauit Ecclesiam, 'dicatur à Domino modicæ fidei, & quare dubitasti. Et apud Euseb. l. 6. hist. c. 19. Petrus, super quem Christi Ecclesia. Cypr. Epist. ad Iub. [super quem Dominus ædificauit Ecclesiam.] Ecclesia, quæ vna est super Petrum. Item lib. de vnit. Eccles. & Firmil. Epis. ad ipsum Hil. Can. 16 in Matth. In nuncupatione noui nominis fælix Ecclesiæ fundamentum. In Psalm. 131. [Cui Petro superiùs claues Regni Cælorum dederat, super quem ædificaturus erat Ecclesiam.] Hieronymus Ep. 57. ad Damasum, [Beatitudine tuæ, id est, Cathedræ Petri in communione consocior, super illam Petram ædificatam Ecclesiam scio. Et in Ep. ad Marcellam. Si igitur Apostolus Petrus super quē Dominus fundauit Ecclesiam.] Augusti. in lib. de retract. suprà, eamdem expositionem tradit. Item Cyrillus lib. 2. in Ioan. Leo epistol. 75. Maximus Taurinensis in hom. de Petro & Paulo Theophylactus, & alij.

Denique non hoc tantùm de Petro, sed & de alijs Apostolis dictum esse, affirmant plerique, Origenes tract. 1, super cap. 16, Matth. Tu es Petrus. Petra enim est inquit, quilibet Christi discipulus, & super talem Petram construitur omnis Ecclesiastica doctrina. Quòd si super illum vnum Petrum tantùm existimas ædificari totam Ecclesiam quid dicturus es de Ioanne filio Tonitrui, & Apostolorum vnoquoque.] Cyprian. Ep. 27. de omnibus Episcopis id dictum esse ait Hieron. lib. 3. contra Iouin, [At dicis, super Petrum fundatur Ecclesia, licèt id ipsum in alio loco super omnes Apostolos fiat, tamen propterea inter omnes vnus eligitur, vt Capite constituto, schismatis tollatur occasio. Et in Psalm. 86. cunctos Apostolos Ecclesiæ fundamenta esse dicit Basil. in cap. 1. Erat, ait Ecclesia ædificatam in Apostolis: quorum vnus erat Petrus. Aug. in Psalm. 86. Apostolos omnes fundamenta Ecclesiæ appellare & Epist. 165. ait hunc Petrum dictum fuisse. eò quòd gereret totius Ecclesiæ personam. Theodoret. in Psal. 86. Fundamenta vocat Apostolos. Deinde Paschasius Ratbeetus lib. 4. in Matth. [Non super vnum Petrum, verùm super omnes Apostolos, Apostolorumque successores Ecclesia Dei ædificatur, vnde Dauid. Fundamenta eius in montibus sanctis.

Refutatio istarum exceptionum.

PRimò igitur ponamus, secundùm Patres ab Elliesio allegatos sub Petra, super quam ædificata est Ecclesia, intelligi confessionem Petri, qua dixit: Tu es Christus Filius Dei vivi. At eo ipso, quòd istud Ecclesiæ ædificium sit perpetuum & adeò firmum, vt portæ inferi non sint aduersùs illud præualituræ, oportet etiam petram, seu fundamentum, stare inconcussam non tantùm in persona Petri, sed pro perpetuo Ecclesiæ statu vsque ad consummationem sæculi. Illa ipsa autem verba sunt dicta Petro qua totius Ecclesiæ figuram gerenti propter Apostolatus primatum ex Sancto Augustino superiùs citato. Oportet igitur, illam fidei confessionem seu petram Ecclesiæ ita stare inconcussam pro perpetuo Ecclesiæ statu, vt consequenter etiam Apostolatus primatus, ratione cuius Petro sunt dicta illa verba, sit perpetuus & habeatque perpetuò secum connexam fidei firmitatem, seu petram Ecclesiæ. Atqui ista in Apostolatus principatu perpetuitas eiusque cum fidei firmitate connexio non subsisteret, nisi transijsset in successores vsque ad consummationem sæculi futuros, Quare admissis, & ponderatis illis per Elliesium allegatis Patrum sententijs, consequens est, vsque ad extremum iudicij diem fore successionem in primatu Apostolatus connexam cum fidei firmitate. Quamuis proinde Augustino lib. 1. Retract. cap. 21. aduertente, duæ iam pro tunc exstiterint illorum verborum super hanc petram, Patrum expositiones, ita vt aliqui per petram Petrum alij fidei confessionem à Petro editam intelligerent: constat tamen, ambas coincidere in idem, ac æquè efficaces esse ad probandam Apostolici primatus in Ecclesia cum fidei firmitate connexam successionem. Vnde hoc tantùm discriminis est: quòd expositio prior consideret illum textum formaliter secundùm id, quod est formale, posterior autem subiectiuè ac materialiter, secundùm subiectum scilicet, in quo illa fidei firmitas esset connexa cum Apostolatus primatu, ac potestate clauium.

Secundò. Admittamus alteram quoque expositionem, secundùm quam verbis. [Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam,] intelligitur Christus, de quo Apostolus Paulus pariter dixit. Fundamentum aliud (Ecclesiæ) poni non posse præter id, quod positum est, quod est Christus. Nam hoc minimè obstante, ipsemet Diuus Augustinus per Elliesium allegato tractatu 124. in Ioannem ita differit de Petro. [Solus inter Apostolos meruit audire. Tu es Petrus, & super hanc petram &c, dignus certè: qui ædificandis populis in domo Dei lapis esset ad fundamentum, columna ad sustentaculum, clauis ad regnum.] Auctoritas ergo sacræ Scripturæ solum Christum eatenus statuit fundamentum ac lapidem Ecclesiæ, vt super hoc tamen fundamentu detur aliud, seu lapis fundamenti superstructus, cui conueniat, esse petram seu fundamentum Ecclesiæ non primarium & absolutè instar Christi, sed

vicariè dumtaxat, secundariò, seu participatiuè.

Tertiò. Ponamus denuò, si prætacta Christi Domini verba ita exponi debeant, vt nomine Petræ intelligatur Petrus, debere tunc eam Christi sententiam non tantùm de Petro, sed alijs etiam Apostolis dictam accipere. Nihilominùs super hac Apostolorum paritate, ac æqualitate quoad auctoritatem Apostolicam, oportet, sequentem reliquorum SS. Patrum doctrinæ prorsùs conformem facere reflexionem, quam S. Cyprianus lib. 1. epist. 3. ad Cornelium ob oculos nostros posuit: [Hoc erant vtique, inquiens, cæteri Apostoli, quod fuit Petrus: pari consortio prædiri, & honoris, & potestatis, sed exordium ab vnitate proficiscitur. Primatus Petro datus, vt vna Ecclesia, & Cathedra monstretur;] En igitur; Apostoli ita erant pari honoris, & potestatis consortio prædi- ti, vt exordium tamen (quod à Neothericis dolosè omittitur) ab vnitate proficisceretur. Hoc autem fit, quatenus Petro ita datus est primatus, vt vna Ecclesia, & Cathedra monstretur. Atqui primatus Cathedræ importat potestatem ordinariam in successores transferibilem. Inde ipse quoque Cyprianus lib. 1. Epist. 3. ad Cornel. Papam agnoscit vnum in Ecclesia ad tempus sacerdotem, & ad tempus Iudicem vices Christi agentem, cui ita obtemperandum esse, ait, vt non aliundè hæreses obortas esse asserat, nisi quòd ipsi non obtemperetur. Hunc ipsum verò Sacerdotem loco cit. ita agnoscit in Romana Ecclesia, vt hanc dicat Cathedram Petri & Ecclesiam principalem, vnde vnitas Sacerdotalis exorta sit. [Et hinc in Epist. 73. ad Iubaianum, ait, Nos vnius Ecclesiæ caput Iudicem tenemus. Constat igitur, Cyprianum ita agnoscere in cæteris Apostolis æqualem respectu totius Ecclesiæ, extraordinariam tamen per modum legationis personalis potestatem, vni tamen Petro, eiusque successori collatam contendat primatus potestatem ordinariam, super qua erigenda foret Cathedra, in successores adeò transferibilis: Videte igitur, & attendite, hæreses secundùm Cyprianum ex eo oboriri, quòd istius Cathedræ Sacerdoti vni, ceu Capiti, & Iudici vices Christi agenti non obtemperetur.

ARGVMENTVM II.

Elliesij,

Pergit hic auctor secundò excipere. Ex prima, & secunda illorum Christi, Tu es Petrus &c. verborum præadducta expositione, nullam ferè Petri supra cæteros Apostolos prærogatiuam colligi, nam ex ijs minimè sequitur, Petrum esse fundamentum Ecclesiæ, imò id vel Christo, vel confessioni, & fidei, quam emiserat Petrus, adaptatur. In tertia autem expositione, oportere, vt fateamur, Petrum esse fundamentum Ecclesiæ, sed inde non videtur, sequi, eum Apostolis omnibus superiorem fuisse, cùm ex quarta expositione constet, idem de Apostolis omnibus dictum. Et certè ratio fundamenti hìc consistit in promulgatione Euangelij, & Ecclesiarum administratione, sed hæc non secùs Apostolis cæteris, ac Petro data sunt & illi non secùs ac Petro hoc sensu dicuntur fundamentum Ecclesiæ. [Ephes 2. ędificati supra fundamentum Apostolorum, & Prophetarum. Et Apocalypsis cap. 21. Et murus Ciuitatis habens fundamenta duodecim, & ipsis duodecim nomina duodecim Apostolorum Agni.] Nec aliud probant allata à Bellarmino testimonia. Chrysostomus homil. 55. in Matth. Petrum futurum esse dicit eo sensu fundamentum, quòd Ecclesiæ Pastor futurus sit, & Euangelij Prædicator, cùm verò dicitur Petrum præpositum esse vniuerso terrarum orbi, sensus non est, quòd omnibus omninò Ecclesijs sit præpositus, sed quòd non vni populo, vt Ieremias, sed omni Genti Euangelium esset annunciaturus, [Ieremiam quidem vni Genti Pater, Petrum autem vniuerso terrarum orbi Christus proposuit.] Similiter Auctor sermonis 47. apud Ambros. non alia ratione Petrum, ait, esse saxum immobile, quod totius operis Christiani compagem, molemque contineat, nisi quia primus nationibus fidei fundamenta proposuit. Gregorius denique, qui tertius est à Bellarmino testis allatus, ait Ep. 32 lib. 4. Petro totius Ecclesiæ curam esse commissam, sed idem de se Paulus ait, sibi sollicitudinem omnium Ecclesiarum incumbere. Itaque posito, quòd hæc verba, & super hanc petram, à Christo de persona Petri dicta sint, vt ego probabilius esse arbitror, nihil aliud his sibi vult Christus, quàm Petrum ad ædificationem Ecclesiæ, hoc est, fidelium conuersionem, & Ecclesiarum administrationem plurimùm laboraturum. Ad summum igitur inde deduci potest, eum primum ac præcipuum fore inter eos, qui Euangelium erant annuntiaturi, at inde colligi minimè potest cum Bellarmino, [Petro totius Ecclesiæ regimen esse commissum, præsertim circa fidem.

Refutatio istius huius exceptionis.

Ecclesiæ sanctæ Doctores Hieronymum, & Ambrosium, imò ipsam quoque Ephesinam primam Synodum (vt alios inferiùs adducendos hìc prætermittam) ex illo sacro textu, Tu es Petrus, argumentantes audiamus, ad videndum quantum spiritus ipsorum fuerit discrepans à spiritu Elliesij contendentis, inde tantùm deduci. Petrum fore primum, ac præcipuum inter eos, qui Euangelium erant annunciaturi.] Sic proinde sanctus Hieronymus epist. ad Damasum Papam de hypostasibus ratiocinabatur. Beatitudini tuæ, id est Petri Cathedræ communione socior. [Super illam petram ædificatam Ecclesiam scio. Quicumque extra hanc domum agnum comederit, prophanus est. Si quis in arca Noe non fuerit peribit regnante diluuio. Et infra: Quicumque tecum non colligit, spargit. Hoc est, qui Christi non est, Antichristi est.] Ex quo, patet, Petri Cathedram, secundùm Diuinum Hieronymum fuisse illam ipsam, cui insidebat Damasus Papa, atque adeò eius quouis tempore successor, At super hanc ipsam

Ca-

Cathedram, ceu petram sanctus Doctor citatus ait, ædificatam esse Ecclesiam. In illa autem Cathedra, super qua, ceu petra est ædificata Ecclesia, secundùm Christi promissionem sunt claues regni cælorum cum indefinita, ac vniuersali potestate ligandi, ac soluendi. Planum igitur est, sanctum Hieronymum omninò eius fuisse mentis? quòd Cathedra Romani Pontificis respectu vniuersalis Ecclesiæ, quæ supra ipsum, ceu petram fundata est, habeat indefinitam clauium potestatem ad soluendum, ac ligandum.

Deinde S. Ambrosius serm. 47. ita disserebat. [Petrus tamquàm bonus Pastor tuendum gregem accepit, vt qui ante infirmus fuerat fieret omnibus firmamentum, denique pro soliditate deuotionis Ecclesiarum Petra dicitur, sicut ait, Dominus. Tu es Petrus, & super hãc Petrã.] En igitur curam Pastoralem Gregis Christiani Petro, & Ecclesiæ Petræ commissã. At ista cura eatenus importat primatũ honoris, & ordinis, vt propterea dixerit idem Ambrosius ad cap. 1. Galat. [Dignum erat (inquiens) vt cuperet (Paulus) videre Petrum, qui primus erat inter Apostolos, cui delegauerat Saluator curam animarum. (& hinc ibid. ad cap. 2. dicit) Christum nominare, & sibi comparare Petrum solum, quia primatum ipse acceperit ad fundandam Ecclesiam. Et infrà: soli Petro, ait, gratia Primatus inter Apostolos est commissa.] Qui proinde honoris, & ordinis, vtpote Iurisdictionem & Curam Ecclesiæ importans Primatus, in ipso etiam Petri successore Romano Pontifice est agnitus ab Ambrosio in cap. 3. ad Timoth. [1. sic scribente: [Cùm totus mundus Dei, tamen eius domus Ecclesia dicitur, cuius rector est Damasus. Et Orat. in Satyrum: Percontatus Episcopus est, si cum Episcopis Catholicis, hoc est, si cum Romana Ecclesia conueneerit.

Denique Ephesina prima Synodus ita argumentabatur. [Nulli dubium est, imò omnibus sæculis notum est, quòd sanctus, beatissimusque Petrus Apostolorum caput, fideique columna, & Ecclesiæ Catholicæ fundamentum à Domino nostro Iesu Christo claues regni accepit, qui ad hoc vsque tempus, & semper in successoribus viuit, & iudicium exercet.] En igitur sanctam antiquitatem in Petro, eiusque successore Papa claues regni, & auctoritatem Capitis, ac fundamenti Ecclesiæ taliter agnouisse, vt beatus Petrus omnibus sæculis in ipso vixerit, imò semper iudicium exerciturus sit.

ARGVMENTVM III.

Ellies ij.

Conatur hic Theologus suum antehàc expositum intentum firmare ex sequentibus Christi verbis, quibus exponit id, quod dixerat [ædificabo Ecclesiã meã. Tibi dabo, inquit, claues Regni Cælorum, & quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in Cælis.] Hanc enim potestatem clauium, quam Christus hic Petro promittit, iisdem deindè verbis omnibus omninò Apostolis promittit Matth. 18. & deinceps cunctis largitur, Matth. 28. & Ioan. 20. Illi igitur opidò falluntur, qui soli Petro datas claues esse autumant. At non ita Antiqui, qui vnanimi consensu tradunt, claues istas in persona Petri toti Ecclesiæ datas. Tertull. in Scorpiaco. [Memento claues eius hic Dominum Petro, & per eum Ecclesiæ reliquisse.] Cyprianus in lib. de vnitate Ecclesiæ ait, Christum vnum Petrum allocutum esse, vt commendaret vnitatem. [Hoc erant vtique, inquit, cæteri Apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio præditi honoris, & potestatis, sed exordium ab vnitate proficiscitur.] Exordium dicit promissum: Dabo tibi claues, quod deinde cunctis simul dedit. Loquitur, inquit, idem ibid. Dominus ad Petrum. Ego tibi dico, inquit, quia tu es Petrus, &c. Super illum vnum ædificat Ecclesiam, quamnis Apostolis omnibus post Resurrectionem suam parem potestatem tribuat, & dicat: sicut misit me viuens Pater, & ego mitto vos: Si cuius remiseritis peccata &c. tamen vt vnitatem manifestaret, vnitatis eiusdem originem ab vno incipientem sua auctoritate disposuit.] Hæc verba commentario non indigent; vni Petro promissas esse claues, ait, vt vnitas commendaretur, cunctis autem tenera datas esse. Eodem sensu Hieronymus cap. 14. lib. 1. aduersus Iouin. [At dicis, inquit, super petram fundatur Ecclesia: licèt idipsum alio in loco super omnes Apostolus fiat, & cuncti claues Regni Cælorum accipiant, & ex æquo super illos fortitudo Ecclesiæ solidetur, tamen propterea inter duodecim vnus eligitur, vt Capite constituto, schismatis tollatur occasio.] Quibus simile est illud Optati lib. 7. [Et claues Regni Cælorum communicandas cæteris (id est, quas Christus commendaturus erat cæteris) solus accepit. An verò soli Petro dantur claues Regni Cælorum, nec alius quisquam eas acceptutus? Quòd si dictum, tibi dabo claues Regni Cælorum, commune est, cur non simul omnia, & quæ dicta sunt, & quæ sequuntur, velut ad Patrem dicta, sunt omnium communia? Gaudentius Brixiensis tract. in die ordinationis suæ. Omnes Apostoli, Christo surgente, in Petro claues accipiunt, quinimò cum Petro cælestis Regni claues ab ipso Domino accipiunt. Ambros. in Psal. 38. Quod Petro dicitur, cæteris Apostolis dicitur: [Tibi dabo claues.] Idem centies inculcat Augustinus in lib. de Agone Christiano c. 30. [Ecclesiæ claues Regni Cælorum datæ sunt, Concione 2. in Ps. 30. Cuius Ecclesiæ personam gerebat Petrus. Enarrat in Ps. 108. Agnoscitur Petrus in figura gestasse personam Ecclesiæ ob primatum, quem in Discipulis habuit, tract. 50. in Ioannem, Petrus, quando claues accepit, Ecclesiam sanctam significauit: & tract. 108. Vnus pro nobis dixit (tu es Filius Dei viui) & propter hoc claues cum omnibus tamquam personam gerens Ecclesiæ accepit; ideo vnus pro omnibus, quia vnitas in omnibus] Et in serm. de quatuor quæstionibus. Petrus, inquit, multis locis scripturarum apparet, quòd personam gestet Ecclesiæ, maximè in loco, vbi dictum est: Tibi dabo claues &c. Numquid istas claues Petrus accepit, Ioannes & Iacobus non accepit, & cæteri Apostoli? Tractatu 124. cuius Ecclesiæ Petrus Apostolus

propter Apostolatus sui Primatum gerebat figurata generalitate personam. Idem passim habet in suis sermonibus.] Sed ista tenuisse satis est. Sanctus Leo serm. 3. de Anniuers. [Transiuit in alios Apostolos vis istius potestatis, & ad omnes Ecclesiæ Principes huius Decreti constitutio commeauit.] Addit serm. 2. de natali Apost. [Non frustra vni commendatur, quod omnibus intimetur, Petro enim singulariter hoc creditur, quia cunctis Ecclesiæ rectoribus forma præponitur.] Fulgent. Augustini discipulus in lib. de fide ad Petrum cap. 3. [Deus, inquit, in persona beati Petri Ecclesiæ ligandi ac soluendi tribuit potestatem.] Theophylactus in hunc locum. [Licèt ad Petrum tantùm dictum sit illud, Tibi dabo claues, &c. Tamen omnibus Apostolis olim datum est, quando dixit, quorum remiseritis &c.] Eucherius in Homil. de natali Petri. [Hoc enim, quod Petro principaliter dicitur, cæteris quoque Apostolis dictum esse, intelligi debet.] Beda ad hæc (quodcumque ligaueris) Hæc potestas sine dubio cunctis datur Apostolis, quibus ab eo post Resurrectionem generaliter dicitur, Accipite Spiritum sanctum: Ita etiam Rabanus: Lyranus in hunc locum: Hinc. in Epist. 33. ad Hincmarum Laudunensem cap. 20. & alibi: Odo Cluniacensis lib. 4. collat. cap. 19. Petrus Blesensis serm. 44. & alij innumeri, quos referre, longiùs foret.

Refutatio illius Ellieslianæ argumentationis.

Qvæ in præaddncto Elliesij argumento allata fuut Patrum testimonia, in hanc ab eodem Theologo rediguntur summam: nempe non tam Petro, quàm in huius persona Ecclesiæ à Christo promissas esse claues, quæ postmodùm datæ sint vniuersis Apostolis, nec adeò per claues illas intelligi summam potestatem in omnem Ecclesiam. Petro autem singulariter dictum esse, [Tu es Petrus &c.] Tum vt vnitas commendaretur, tum quia Primatum inter Apostolos obtinebat, quatenùs erat Primus Apostolorum: vnde ex eo loco colligi duntaxat, Petrum inter Apostolos Primum fuisse, aut tunc aliquid accepisse, quod cæteris Apostolis datum non sit, minimè inde inferre posse.

Verùm insignibus ille Parisiensis hic illudit æquiuocationibus, & fallacijs, confundendo, quæ Matthæi 16. Petro singulariter, & Matthæi 18. Apostolis collectim sumptis, eorumque in Episcopali ordine successoribus, qua in Concilio Oecumenico per Christi vicarium nomen Petro, eiusque Successori proprium coadunato, Vniuersam Ecclesiam repræsentantibus, & Ioannis 20. cunctis etiam distributiuè sumptis Apostolis per verba Christi: [Sicut misit me Pater & ego mitto vos.] per modum legationis personalis concessa est Apostolicæ auctoritatis plenitudo. In vi ergo illius postremæ Ioannis 20. per Christum concessæ potestatis, erat omnimoda inter Apostolos cum ipso etiam Petro æqualitas: sicuti etiam in vi secundæ Matthæi 18. per Christum sancitæ auctoritatis æquè indefinita ad ligandum & soluendum auctoritas destinabatur Collegio Apostolico, Ecclesiam vniuersam repræsentanti, ac fuerat ea clauium auctoritas, quam Petro singulariter, ac determinatè, non verò alijs Apostolis Math. 16. promiserat Christus Dominus. Et quia Petrus sub huius Diuinæ pollicitationis actu, propter Apostolatus sui Primatum, figurata generalitate gerebat personam Ecclesiæ, quam ceu Caput esset repræsentaturus, ideo in ipso, ceu Principe, & Capite suo vtique vniuersa Ecclesia erat acceptura eas claues, vt tamen subiectiuè existerent in solo Petro, ceu Capite, licèt per quamdam cum Capite participationem in membra, imò in totum Ecclesiæ Hierarchicum corpus deriuentur. Et hinc meritò dicuntur claues illæ esse in Petro promissæ & datæ toti Ecclesiæ, sicque ea, quæ ad Petrum dicta fuerant, earenùs erant communia, quatenùs tamen vno duntaxat, scilicet Petro, constituto Capite, schismatis occasio tolleretur; veluti hæc vniuersa in antecedentibus articulis à nobis fusiùs deducta & firmata cernere licet.

Hoc autem loco sequentem ob oculos Lectoris pono ratiocinationem. Nam ad Petrum demonstratiuè, ac determinatè diriguntur ista Christi Domini verba: [Tibi dabo claues regni cælorum. Et quodcumque solueris super terram, erit solutum in cælis, & quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis.] At hisce verbis indefinitè, ac vniuersaliter promissa est potestas clauium in ordine ad soluendum, ac ligandum. Illa ipsa autem verba, secundùm clarum sacri textus tenorem, sunt à Christo Domino prolata cum connexione ad præcedentia: [Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.] Vnde planum est, illam potestatem Petro promissam, esse connexam cum Ecclesia per Christum fundata. At potestas connexa cum statu Ecclesiæ per Christum fundatæ durare debet, quamdiu talis Ecclesiæ status subsistit. Eo ipso autem, quòd Christus Dominus promiserit, aduersùs Ecclesiam à se fundatam portas inferi non esse præualituras, sequitur, Ecclesiæ huiusmodi statum fore perpetuum, adeòque duraturum vsque ad extremi iudicij diem. Oportet igitur, secundùm Christi Domini verba, illam indefinitam, & vniuersalem ligandi, ac soluendi potestatem non expirasse in Petro per Martyrium in cælos sublato, sed perpetuò duraturam esse vsque ad diem iudicij. At potestas cum Ecclesiæ statu perpetuò connexa, atque adeò perpetua, secundùm ipsam rei naturam ita transijt in successores, vt isti cum suo Antecessore reputentur vna persona, non quidem materialiter, sed formaliter quoad potestatem officij Pastoralis. Oportet igitur, secundùm Christi Domini promissionem, in Ecclesia talem esse successionem, vt cuius perpetuò persistat illa diuinitùs promissa indefinita, & vniuersalis ligandi, ac soluendi potestas, omnimodam adeò, respectu Ecclesiæ omnes Christi fideles complectentis, iudiciariam & legislatiuam auctoritatem importans.

Neque illi speciali erga Petrum promissioni Diuinæ obstat, quòd Christus Matth. 18. vniuersis posteà Apostolis promiserit. [Quæcumque alligaueritis super terram, erunt

erunt ligata & in cælis, & quæcumque solueritis super terram, erunt soluta & in cælo.] Hisce namque verbis æquè cæteris Apostolis videtur promissa fuisse indefinita ligandi & soluendi potestas. Atqui hanc ipsam promissam potestatem Deus actu contulit Apostolis Ioan. 20. dicens: [Sicut me misit viuens Pater, & ego mitto vos.] Hanc ipsam verò potestatem fuisse respectu totius orbis, patet ex illo Matthæi vlt. [Euntes ergo, docete omnes gentes &c.] Quomodò ergo, inquiunt Aduersarij, plus auctoritatis connectere potuit Petro, quàm cæteris Apostolis? Et quia ista auctoritas non transijt in successores Apostolorum, cur soli Petri successori competeret illa vniuersalis auctoritatis prærogatiua?

Verùm aduertere oportet, illam indefinitam soluendi, ac ligandi vniuersalem à Christo promissam potestatem, quatenùs singulos distributim sumptos Apostolos attingere potest, fuisse Apostolis vniuersis collatam per modum legationis, seu missionis, iuxta præadducta verba, Mitto vos. Vnde & Paulus 2. Corinth. 5. vers. 20. ait: [Pro Christo ergo legatione fungimur.] Et specialiter de se ipso Paulus ad Ephes. 6. vers. 20. ait: [Pro quo (scilicet Euangelij mysterio) legatione fungor.] Arqui ex ipsa natura legationis constat, ipsam non esse perpetuam, seu ad successores transferibilem, sed industriam personæ, cum qua cohæreat, atque adeò expiret, esse in ea electam. E contra verò Christus Dominus Matth. 16. ita promisit Petro claues regni cælorum, cum indefinita, & vniuersali potestate ligandi, ac soluendi, vt apertis verbis suis statuerit huius cum Ecclesia sua super petram inuiolabiliter, ac perpetuò fundanda connexionem. At verò auctoritas cum perpetuo Ecclesiæ statu connexa non potest non perpetua, atque adeò in successores transferibilis esse.

ARGVMENTVM IV.

Elliesij.

Illis ad Petrum Christi verbis Ioann. c. 20. prolatis [Pasce oues meas,] excipit 4. is Parisiensis Doctor, Petrum non esse ita institutum totius Ecclesię Pastorem, & Doctorem, quasi non idem priuilegium omnes habuerint Apostoli, & nunc etiam habeant cuncti Episcopi, qui dici solent Ecclesiæ, ac proinde ouium Christi Pastores. Ambiguitatem namque latere in verbo Totius. Etenim si collectiuè illud sumatur & definitè, vt omnes omninò comprehendat, quasi Petrus Pastor fuerit vniuersæ omninò Ecclesiæ, sequetur, non alios fuisse propriè Pastores, quàm Petrum, quod falsum: si verò sumatur indefinitè, vt sumi solent propositiones huiusmodi particulares, vt sensus sit, si me amas, pasce aliquas oues meas, idem fuit munus cæterorum omnium Apostolorum, & id ipse Petrus disertè tradit epist. 1. cap. 5. vbi seniores alloquens ipse consenior: [Pascite, inquit, qui in vobis est gregem Dei.] Eodem sensu Apostoli omnes, imò Episcopi, & Presbyteri semper dicti sunt Pastores ouium Christi, quod notius est, quàm vt probari debeat. Sed illorum sunt commemoranda testimonia, qui dicunt, non soli Petro, sed & cæteris commissas esse oues, per hæc verba, [pasce oues meas.] Ambros. lib. 2. de dignitate sacerdotali c. 2. [Repetitum est ter à Domino: Pasce oues meas: quas oues, & quem gregem? Tunc beatus suscepit Petrus, sed & nobiscum eas suscepit, & cum eo illas nos suscepimus omnes:] Chrysostomus homil. 79. in Matth. [Amas me, Petre, pasce oues meas, quod non ad Sacerdotes solummodò dictum est, verùm etiam ad singulos nostrum, quibus vel minimus grex commissus esse videtur:] Augustinus hic pro more suo ait, Petrum gessisse personam Ecclesiæ, & in illius persona cunctis id esse dictum lib. de Agone Christ. cap. 30. cùm ei dicitur: [Amas me, pasce oues. Tract. 47. in Ioannem. Non in ipso Petro, sed in corpore suo, ait, Petre amas me, pasce oues meas.] Basil. in constitutione Monastica cap. 22. [Hoc, inquit, à Christo ipso docemur, dum Petrum Ecclesiæ suæ Pastorem post se constituit: Petre enim, inquit, amas me plus his? Pasce oues meas, & omnibus præterea deinceps Pastoribus, ac Magistris eamdem tribuit potestatem.] Vno verbo quotidiè in Missa de omnibus Apostolis dicitur: [Quos gregi tuo contulisti præesse Vicarios, & Pastores.]

Refutatio istius Exceptionis.

Qvam enim Christus Matth. 16. Petro cum ordine successionis perpetuæ promisit indefinitam ligandi, & soluendi auctoritatem, eamdem post Resurrectionem ipsi actualiter commisit Ioan. 21. dicens: [Pasce agnos meos; pasce oues meas.] At hisce verbis significatur Pastoralis officij potestas, indefinitè complectens omnes Christi-fideles, atque adeò ipsos etiam Apostolos, ceu Christi agnos. In quo iterum elucet discrimen potestatis, Petro ac cæteris Apostolis commissæ, cùm istis nullibi dictum sit, vt essent Christi ouium, & agnorum indefinitè Pastores, sed vt per modum missionis, seu legationis, euntes docerent omnes gentes. Vnde concluditur, soli Petro esse commissum pastorale in omnes Christi-fideles officium, qua connexum cum perpetuo Ecclesiæ statu. Cùm igitur officium pastorale cum tali perpetuo Ecclesiæ statu connexum, Petro commissum, oporteat, esse perpetuum, è contra verò potestas ligandi, ac soluendi cæteris Apostolis per modum legationis concessa, de sua natura sit restricta ad personam, facilè elucet, cur Petri, non autem cæterorum Apostolorum iurisdictionis auctoritas transierit in successores.

Cur porrò clauium potestas indefinita ligandi, & soluendi Matthæi 16. promissa, & Ioann. 20. actualiter commissa respiciebat Regnum Cælorum, quo significatur Ecclesia, hoc verò Ecclesiæ nomen sic collectiuum, omnes Christi-fideles collectim etiam sumptos complectens: ideò dicendum est, illud Pastorale Petro, eiusque successori commissum officium Oecumenicum, habere ordinem ad totam quoque, seu vniuersam Ecclesiam. Quantumuis ergo cuncti Episcopi sint Christi ouium Pastores, eorum tamen pastorale officium

cium haudquaquam est Oecumenicum, & Vniuersale erga cunctos Christi Agnos, & Oues, sed in quantum adepti sunt à Papa partem dumtaxàt pastoralis sollicitudinis erga districtum quempiam particularem, curæ suæ commissum. Etsi verò tam Christi Vicarios immediatos, quàm Pastores vniuersales egerint, attamen hæc cura in ipsis erat iuxtà Ioann. 20. caput per modum Missionis, dumtaxàt, seu Legationis personalis, in successores haud transferibilis, extinctæ proinde cum ipsorum temporali vita. Illa ergo Ioannis vltimo ad Petrum determinatè, & singulariter prolata Christi Domini verba, Oecumenicum pastorale officium in eo solo subiectiuè consistens sub absoluta, & illimitata pastoralis officij præeminentia enuneiant, tametsi participatiuè transeat in cunctos Christi ouium curæ qualicumque præpositos. Quod vnicè sonant, ac significant præadductæ sanctorum Patrum sententiæ.

ARGVMENTVM V.

Elliesij.

Istud inter Petrum, & cæteros Ecclesiarum Pastores discrimen in eo situm, quòd hi tantùm partem ouium, ille verò cunctas Christi oues pascendi munere potitus sit, nititur 5. Auctor præfatus elidere asseuerando, id ex verbis Christi non effici. Etenim propositio ista: [Pasce oues meas,] est indefinita, ac in materia historiæ, cuiusmodi enunciatio, vti à Dialecticis obseruatur, plerumque particularis est, quemadmodùm illa: Milites plectentes coronam de spinis. Nec referre, ait idem Parisiensis Doctor, quòd nonnulli, speciatim S. Leo serm. 3. de Assumpt. Gregorius lib. 4. epist. 32. Theophylactus in cap. vlt. Ioannis, & Chrysostomus homil. 87. in Ioannem. & 80. ad populum Antiochenum, necnon in sexta aduersùs Iudæos dicunt, Petro totius mundi oues esse commissas. Cùm enim Petrus, & reliqui Apostoli per totum orbem prædicandi potestatem accepissent, ita vt omnibus, & singulis indefinitè per vniuersum orbem oues sint commissæ, dici possunt totius orbis pastores. Sic Chrysostomus Timotheum totius orbis Episcopum dicere non veretur, & Paulum sæpiùs, præsertim homil. 2. de Pauli laudibus. Itaque Petro totius orbis oues commissæ dici possunt, quia non vnius certi cuiusdam regni, aut loci oues regendas accepit, sed indefinitè totius mundi oues, ad quas ille accederet.

Refutatio istarum exceptionum.

Conuenio te, mi Elliesi, vt edixeras, quo alio in loco Christi Dòmini promissio Matth. 16. de clauibus Regni Cælorum cum indefinita quodcumque ligandi, & soluendi in eeris potestate Petro determinatè, & singulariter demandandis facta, dici possit adimpleta fuisse, quàm vbi idem Dominus noster eidem Petro iterum singulariter spectato Ioannis 21. commisit suas oues indefinitè pascendas. At illa Christi promissio fuit cum respectu ad Ecclesiam perpetuò duraturam, vniuersaliter adeò complectentem cunctas Christi oues ad finem vsque mundi substituras. Ergo huius promissionis executio, quatenus sub illa pascendarum ouium commissione indefinita, fuit in effectum deducta, æquè complecti debet vniuersas ad finem vsque substituras Christi oues.

Et hinc dicendum est, illa Christi verba ad Petrum prolata, [pasce oues meas,] minimè esse in materia contingenti, de cuiusmodi propositionis genere Dialectici aiunt, indefinitam enunciationem instar particularis habendam esse, sed esse in materia diuinæ promissionis irrefragabili veritati innitente, adeòque in Dogmatica fidei materia infallibilitatem Metaphysica certitudine maiorem importante, sicque adeò æquiualere enunciationi, quæ tam ex parte consignificati temporis, quàm ex parte sui sit omnimodè vniuersalis. Quod præallegati sancti Patres totius mundi oues Christi Petro commissas disertè pronunciantes, clarissimis verbis nos edoceut, vt mirum prorsùs sit, Elliesium horum verba tam dilucida ausum fuisse in tantum contorquere, ac si non aliter totius mundi oues essent Petro commissæ, nisi quatenus ad illas regendas foret accessurus.

ARGVMENTVM VI.

Elliesij.

Auctor iste pro sexto primatum Petri ex hoc dumtaxat principio asserendum contendit, quòd Petrus primus inter Apostolos numeretur. In omni namque hominum collegio debet aliquis ordo seruari, & necesse est, aliquem primum inter plures esse: haud igitur dubium esse, quin in Collegio Apostolico primus aliquis fuerit: sed hunc Petrum fuisse, disertè testantur Euangelistæ, qui, cùm Apostolos enumerant, Petrum non modò semper primo collocant ordine, sed primum fuisse affirmant, Matth. cap. 10. [Duodecim Apostolorum nomina hæc sunt. Primus Simon, qui dicitur Petrus.] Apud Marcum Euangelij cap. 3. Simon Petrus primus commemoratur; in multis exemplaribus græcis Prôtos etiam dicitur, non secùs ac apud Matthæum. Denique Lucas cap. 6. vers. 14. electos à Christo Apostolos numerans, ordirur à Petro. Atqui hinc satis luculenter constat, Petrum inter Apostolos primum fuisse.

Refutatio istius exceptionis.

Nimis ieiunum, & siccum, Elliesi, reddis Apostolicum Petri Primatum omnibus fermè præeminentijs realibus destitutum, in solo numeri, seu ordinis prioritate eum constituendo. Quod minimè profectò cohæret cum præadductis diuinis Oraculis, Sanctorumque Patrum concordibus sententijs, quas ediderunt ex Christi Dòmini ad Petrum prolatis verbis istis, [super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.] Inter quos Tertullianus de præscript. cap. 22. sic ait: [Latuit aliquid Petrum ædificandæ Ecclesiæ petram dictam, claues regni cælorum consecutum.] Origenes in

in Matth. de canone noni Testamenti : [Petrus, inquit, super quem Dominus fundauit Ecclesiam, &c.] Cyprianus de Vnit. Ecclesiæ sic ait : [Probatio est ad fidem facilis, compendio Veritatis loquitur Dominus ad Petrum. Ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petrā ædificabo Ecclesiam meam, &c. Et tibi dabo claues regni cælorum. Et infra : Eidem post resurrectionem suam dicit : Pasce oues meas. Super illum vnum ædificat Ecclesiam suam, & illi pascendas mandat oues suas.] Basilius Magnus ad cap. 2. Isaiæ. [Vnus ex his montibus fuit Petrus, quem petram appellauit propter maximam fidei firmitatem. Et infra : Super quam petram promisit ædificare Ecclesiam.] Ambrosius serm.47. [Petrus pro soliditate durationis Ecclesiarum petra dicitur, sicut ait Dominus : Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo &c.] Epiphanius in Ancorato : [Ipse Dominus constituit Petrum principem Apostolorum, petram firmam, super quam Ecclesia Dei ædificata est, &c.] Hieronymus epist.54. ad Marcellam : [Apostolus Petrus, super quem Dominus fundauit Ecclesiam.] Et in cap. 16. Matth. [Prudens lector inquirat quomodo post tantam beatitudinem, Beatus es, Simon Bariona, nunc audiat : Vade retrò sathana &c. Sed si consideret, qui hoc quærit Petro illam beatitudinem, ac potestatem, & ædificationem super eum Ecclesiæ in futuro promissam, non in præsenti datam intelliget: Ædificabo, inquit Christus, super te Ecclesiam meam, & dabo tibi claues regni cælorum] Cyrillus Alexandrinus lib.1. in Ioan. cap.12. [Christus, cùm se esse, qui cuncta, antequàm fiant, nouit, nec Simon fore sibi nomen, sed Petrus prædixit, vocabulo illo commodè significant, quòd in eo tamquam petra, lapideque firmissimo suam esset ædificaturus Ecclesiam] Augustinus Serm. 5. in Festo Petri, & Pauli [Solus inter Apostolos meruit audire, Tu es Petrus, & super hanc petram &c.]

Ex quibus tale formatur argumentum, Petro, eique soli dictum est [Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam. At Petrus dictus est petra propter soliditatem durationis ex sancto Ambrosio citato. Ergo super Petrum tamquam petram cum soliditate durationis ædificata est Ecclesia, quatenus Christus ipsi dixit [Pasce oues meas] Ex Cypriano suprà. Ergo istud pastorale munus est Petro datum cum soliditate durationis. At ista durationis soliditas non subsisteret, si munus illud pastorale expirasset cum Petro è viuis sublato. At hos successores esse Pontifices Romanos, testantur vnanimiter Patres. Ergo super hisce ita est ædificata Ecclesia, vt ipsis competat munus pastorale indefinitè in oues Christi, cum clauibus adeò regni cœlorum, & cum illimata ligandi, & soluendi potestate, Petro, qua vniuersali Pastori, ac petræ promissa, & commissa.

§. II.

Petri Primatus ex veterum testimonijs asseritur, cæterorumque Apostolorum dignitati præfertur.

MEritò improbatur ea statim sententia, quam Elliesius in fronte huius paragraphi protulit dicendo : historicam solummodo esse quęstionem [Verùm Petrus primum inter Apostolos locum habuerit] Huius namque interrogationis verba admittunt æquiuocationem, sub cuius alterutro sensu intelligi posset Petri Primatus non niti absoluta fidei Diuinæ certitudine, sed historiæ cuiuspiam tum æqualium, tum supparum (vel Theologus ille loquitur) Scriptorum testimonio.

ARGVMENTVM I.

Elliesij.

HIc Auctor prætendit primò. De Petri Primatu nihil extare apud Iustinum, Irænеum, Clementem Alexandrinum, & alios antiquissimos.

Refutatio, ac retorsio istius Elliesianæ argumentationis.

NVm ex eo, si verum etiam esset, quòd Iustinus, Irenæus, Clemens Alexandrinus, & alij antiquissimi nihil scripserint de Petri Primatu, huic aliquod præiudicium fieri potuisset fidei ? Quis illorum aliorum Patrum antiquorum de vniuersis fidei Dogmatibus scripsit ? An ergo de ijs fidei articulis, quos suis scriptis non inseruerunt, dubitare fas est, ac si minùs veri extarent ? Sic profectò impiissimum est ac si minùs veri extarent ? Sic profectò impijssimum est illud in fidei rebus argumentandi genus per quod ex negatina, siue Patrum plurium silentio, Petri Primatui quoddam quasi præiudicium infertur. Verùm falsitate etiam nititur, quòd apud Sanctum Irenęum nihil extet de Petri Petri Primatu. Hic namque sanctæ Ecclesiæ Doctor lib. 3. cap. 3. vbi asseruisset, traditionem, & fidem ab Apostolis annuntiatam indicari ex Episcoporum Romanæ Ecclesiæ ad sua vsque tempora perueniente successione, tandem concludit in hæc verba [Ad hanc enim Ecclesiam, propter potentiorem principalitatem necesse est omnem conuenire Ecclesiam, hoc est, qui sunt vndique fideles. Vides igitur Elliesi, ab Irenæo taliter adstrui Romanæ Ecclesiæ potentiorem principalitatem, vt propter hanc necessum sit, ad ipsam Conuenire vndique omnes fideles. At principalitas inducens necessitatem seu obligationem, vi cuius oporteat omnes fideles cum ipsa conuenire, non importat primatum ordinis dumtaxat, & principalis confessionis, sed Iurisdictionis, & imperij, vi cuius scilicet sit

illa

illa neceſſitas. Ergo S. Irenæus in Eccleſia Romana; ſiue eius Pontifice agnouit primatum Imperij, & iuriſdictionis.

Concinunt quamplures ab ipſomet Elcæ hic adducti Patres, inter quos Origenes, [ſummam rerum de paſcendis ouibus Petro Apoſtolorum Vertici traditam, & ſuper ipſum velut ſuper Petram dicit fundatam Eccleſiam] Quæ profectò ſententia minimè labefactatur, tametſi eius autographum non habuerit. De ſancto Cypriano tum ſuperiùs tum inferiùs adducendo res nimis clara eſt, quàm vt obſcurari valeat per Ellieſij interpretationem, contendentis, ab eo ſancto Doctore non intendi, vnam eſſe Eccleſiam ex eo, quod ſuper vnum Petrum ſit ædificata, ſed ideo in vno Petro dici ædificatam Eccleſiam, vt vnitas Eccleſiæ monſtraretur ex hoc, quod ſuper vnum Petrum, ceu totius Eccleſiæ Caput, Fontem, & Radicem vel Cyprianus loquitur ſit ędificata Eccleſia. Nunquid autem hinc apertè cuincitur, Petri Primatum non in ſolius numeri, ſeu Ordinis prioritate; ſed in prærogatiua Capitis, & Petræ, ſuper quam fundata ſit Eccleſia, conſiſtere? Quod ipſum repetit epiſt. 70. dum Petri humilitatem ibi commendat ex hoc, quod, licèt ſuper ipſum eſſet ædificata Eccleſia, noluerit tamen Paulo de circumciſione ſecum diſputanti Primatus ſui prærogatiuam obijcere: hiſce namque verbis clarè aſſeritur Petri Primatus, ea ſingulari Eccleſiæ ſuper ipſum ædificatæ præeminentia dotatur. Concinit Optatus prælegatus dicendo [Petrum Apoſtolorum Caput ſediſſe primum in Cathedra Epiſcopali Romana, in qua vnitas ab omnibus obſeruaretur, &c. vt iam ſchiſmaticus eſſet, qui contra ſingularem Cathedram, aliam conuocaret.

Hunc equidem Optati diſcurſum eludere nititur Ellieſius, ac ſi perperam inde concluderetur, Cathedram Romanam eſſe vnicam in tota Eccleſia. At debuiſſet iſte Theologus animaduertere, quòd non quæcumque alia particularis Cathedra, ſed quæ contra Petri Cathedram Romanam ceu vnitatis Fidei, ac Eccleſiæ originem ſe efferret, ab Optato reprobetur. An non igitur hinc Petri, eiuſque Apoſtolicæ Cathedræ Primatus haud vacuus, ſed Capitis, & Cephæ, ſiue Petræ præfulgens ſupereminentia, extat comprobatus? Et hinc Cyrillus Hieroſolymitanus loco præcitato Petrum Apoſtolorum Principem, non vtique ex ſolius numeri, vel ordinis, ſed ex Capitis principalitate appellari voluit. Quando proinde alij Patres, quos ſubſequenter allegat enim Ellieſius, Petrum inter Apoſtolos primum dicunt, non tamen ſemper explicant, quibus præeminentijs vltra numeri, & ordinis prioritatem, ſit dotatus, inepta prorſus, Dialecticis quoque regulis diſſonans ſic inde conſequentia, ac ſi ex hoc quaſi abſtractiuo loquendi modo negatæ fuiſſent illę primatus prærogatiuæ, quæ tum per Diuina Oracula, tum per varia aliorum ſanctorum Patrum teſtimonia ſunt Petro attributæ, ex Regni Cęlorum Clauibus, necnon ex Petræ erga Eccleſiam ſupra ſe fundatam ſoliditate, Capitiſque principalitate.

ARGVMENTVM II.

Ellieſij.

SVnt equidem plures, qui, teſte Ellieſio, arbitrantur, Petri primatui obſtare Apoſtolorum inter ſe, & cum ipſo æqualitatem, ſequentibus Patrum teſtimonijs firmari conſuetam. Nempe Cyprianus in lib. de vnitate Eccleſiæ ita ſcribit [Et quamuis Apoſtolis omnibus parem poteſtatem tribuat poſt reſurrectionem, hoc erant vtique, & cæteri Apoſtoli, quod fuit Petrus conſortio prædit honoris, & poteſtatis] Eadem eſt ſententia Hieronymi lib. 1. aduerſus Iouinianum [Ac dicis, inquit, ſuper Petrum fundatur Eccleſia, licèt hoc ipſum alio in loco ſuper omnes Apoſtolos fiat, cuncti claues regni cælorum accipiant & ex æquo ſuper eos Eccleſiæ fortitudo ſolidetur] Hic Apoſtoli omnes à Patribus dicuntur Vicarij Chriſti: Conſtat, inquit Hilarius Diaconus in epiſt. ad Cor. Apoſtolos eſſe Dei adiutores, quia vicarij ſunt Chriſti. Et Chryſoſtomus explicans illud Pauli pro Chriſto: Legatione fungimur, ait omnes Apoſtolos illius loco officium eius ſuſcepiſſe: mitto illud omnibus notum Præfationis Miſſæ Apoſtolorum: quos operis tui Vicarius eidem contuliſti Paſtores.

Refutatio iſtius argumentationis.

AVdiamus ex præcitatis ſanctis Patribus, quomodò Apoſtoli fuerint Petro quoad Apoſtolicam poteſtatem pares, ac æquales. Sanctus namque Hieronymus loco per Ellieſium citato ita ratiocinatur eſt [At dicis, ſuper Petrum fundatur Eccleſia: licèt ipſum in alio loco ſuper omnes Apoſtolos fiat, & cuncti claues regni cælorum accipiant, & ex ęquo ſuper eos Eccleſiæ fortitudo ſolidatur, tamen propterea inter duodecim vnus eligitur, vt Capite conſtituto ſchiſmatis tollatur occaſio] En igitur, vnum ex Apoſtolis eſſe conſtitutum Eccleſiæ Caput, nempe Petrum, veluti diſertis verbis aſſerit idem Hieronymus in Pſ. 13. Hic Epiſt. 54. ad Marcellam ait [Petrum eſſe, ſuper quem Dominus fundauit Eccleſiam] Et in Matth. cap. 16. [Secundùm metaphoram petræ inquit, rectę dicitur ei (nempe Petro) ædificabo Eccleſiam ſuper te. Et dabo tibi claues regni cælorum] Vnde In Epiſtola ad Damaſum de hypoſt. vocans hunc Romanum Pontificem Piſcatoris, ac Diſcipuli Crucis ſucceſſorem, eum ſic affatus eſt [Ego nullum primum, niſi Chriſtum ſequens, Beatitudini tuæ, id eſt Cathedræ Petri, communione conſocior. Super hanc petram ædificatam Eccleſiam ſcio &c. Quicumque tecum non colligit, ſpargit, hoc eſt, qui Chriſti non eſt, Antichriſti eſt] En igitur, quòd ſpargat, qui non colligit cum Petri ſucceſſore Pontifice Romano, nec adeo ſit Chriſti, ſed Antichriſti, quod reuera de vniuerſis Epiſcopis quos contendunt aduerſarij, reliquorum Apoſtolorum eſſe Succeſſores dici nullatenus poteſt. Sanctus porrò Cyprianus in hæc diſſerit verba [Eidem, ſcilicet Petro, poſt reſurrectionem ſuam dixit, Paſce oues meas. Super illum vnum

ædificat

ædificat Ecclesiam suam, & illi pascendas mandat oues suas. Et quamnis omnibus parem potestatem tribuat, & dicat: Sicut misit me Pater, & ego mitto vos. Et: Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, &c. tamen vt vnitatem manifestaret, vnam Cathedram constituit, & vnitatis originem ab vno incipientem sua auctoritate disposuit. En igitur, in Petro, ac cæteris Apostolis ita erat paritas potestatis, vt super vnum tamen Petrum Christus ædificaret Ecclesiam suam, eique oues suas pascendas mandaret. Ex hoc autem factum, vt vna Cathedra constitueretur, & vnitatis eiusdem origo ab vno Petro inciperet. At ista Cathedra vnius, Pastorale in oues Christi officium importantis, constitutio cum Ecclesiæ ædificio supra petram fundato, adeòque perpetuò connexa, non potest non importare ordinarium in successores proinde transferibile officium, cum econtrà potestas cæteris Apostolis per modum missionis, adeòque personalis legationis concessa, cum ipsis esset expiratura: Planum igitur est ex Cypriano, in Apostolis ita fuisse parem potestatem, vt hæc tamen sub diuerso iutum Officij ordinarij in Petro, tum Legationis personalis in cæteris Apostolis constituta, in Petro importaret Cathedram, eamque vnam, quæque ab vno Petro inciperet vnitatis origo, eò quod super illum vnum ædificata sit Ecclesia.

Ex quibus proinde manifestum redditur, Apostolicã auctoritatem ita fuisse Petro concessam, vt ad eius successores transiret, reliquorum autem Apostolorum potestatem fuisse temporaneam per modum scilicet delegationis personalis, ipsorum dumtaxat personis annexam, vel sanctus Chrysostomus haud obscurè insinuat dicens, omnes Apostolos fuisse functos Christi Vicario officio, quatenus verificabantur ista Pauli verba, pro Christo Legatione fungimur.

ARGVMENTVM IXI.

Elliesij.

Excipit ille Theologus. Præadductum in Petro, & reliquis Apostolis discrimen, ac si isti Apostolica auctoritate per modum legationis personalis, adeoque temporalis dumtaxat, ille verò sub iure successionis perpetuæ à Christo acceperit, hoc inquit, discrimen esse fictitium, nec parùm derogare Petri Primatui. Fictitium nempe esse, quia nulla ratione, nullo testimonio Scripturæ, aut traditionis docemur, potestatem Apostolatus Petri ad eius successores permanasse, non autem potestatem cæterorum Apostolorum, cùm ex æquo Ecclesiarum Apostolicarum Episcopi, dicantur eorum Apostolorum, à quibus Ecclesiæ sunt fundatæ, successores, imò omnes Episcopi Apostolorum omnium successores esse perhibeantur. Deinde eam opinionem Primatui Petri derogare, cùm ex ea sequatur quidem, Petri successores præferri debere cæteris Episcopis, at Petrum proptereà inter Apostolos Primatum habuisse, non conuincitur.

Refutatio huius Exceptionis.

Discrimen namque illud ex præadductorum SS. Patrum Cypriani, Hieronymi, & Chrysostomi verbis prævalidè demonstrari, constat ex antecedentibus. Cuius vlteriorem ex ipsis etiam sacris Literis probationem accipe. Apostolis namque vniuersis fuit à Christo concessa auctoritas Apostolica sub istis Ioan. 20. exaratis verbis: [Sicut misit me Pater, ita ego mitto vos.] Hisce autem verbis secundùm SS. Patres significatur legatio Apostolis commissa, de qua Paulus ait: [Pro Christo Legatione fungimur.] Quam porrò legationem fuisse respectu totius orbis, patet ex illo Matthæi 28. [Euntes docete omnes gentes.] Omninò igitur dicendum est, cunctos Apostolos æquè, ac Petrum cum potestatis plenitudine pro toto terrarum orbe, seu vniuersa Christi Ecclesia ab ipsomet Christo institutos esse.

Quam nihilominùs potestatis plenitudinem in Apostolis fuisse dumtaxat extraordinariam, per modum cuiusdam Legationis personalis, constat ex eo, quòd nullus cum Vniuersali in orbem vniuersum Iurisdictione successerit Apostolis, excepto Petro, cui semper successit Pastor vniuersalis, eò vel maximè, quòd, cùm super Petri auctoritate Diuinitus concessa, ceu Petra esset fundanda Ecclesia in perpetuum duratura, oporteret, consequenter illam quoque auctoritatem esse perpetuam.

Econtra verò licèt alij etiam Apostoli per suæ potestatis plenitudinem erexerint Ecclesias, veluti de sancto Ioanne Euangelista testatur Diuus Hieronymus de Scriptorib. Ecclesiasticis totas Asiæ fundasse, ac rexisse Ecclesias, in eis, teste Tertulliano lib. 4. contra Marcionem, etiam constituendo Episcopos, nullum tamen istorum, vel Apostoli alicuius successorum functos esse vniuersali auctoritate Apostolica, sed Ecclesiæ Romanæ subiectos, & ab hac post Legationis alijs Apostolis Diuinitus commissæ, mediante ipsorum morte exspirationem, institutos, seu confirmatos fuisse, constat partim ex Traditione, partim ex sacris Canonibus, & Scriptoribus Ecclesiasticis, insinuatque Irenæus lib. 3. cap. 3. [Ad Romanam, inquiens, Ecclesiam propter potentiorem principalitatem, necesse esse, omnes conuenire Ecclesias, hoc est, omnes vndique fideles.]

Quinimò ex eo, quòd Petro vniuersarum Christi ouium Pastoralis cura Diuinitus sit concessa, euincitur, in ipsos etiam Apostolos fuisse potestatem, suis ipsos legibus obligandi, earumque leges reuocandi. Et hinc, licèt Apostoli non quoad ordinem dumtaxat, sed etiam quoad vniuersalitatem iurisdictionis fuerint Petro pares, huius tamen iurisdictio illis, vtpote sibi subordinatis, supereminebat, sicque adeò Petrus, præ reliquis Apostolis, Primatum non ordinis dumtaxat, & numeri, sed auctoritatis supereminentis obtinebat.

ARGVMENTVM IV.

Ellieſij.

PErgit hic Auctor pag. 317. probare, illam Apoſtolorum æqualitatem minimè obſtare Petri Primatui, hunc in modum argumentando. Quia ſemper ille excipiendus eſt ab ea æqualitate; nam vt monuimus, plures eſſe non poſſunt primi: ſed vnum eſſe primum, neceſſe eſt: cùm ergo haud dubium ſit, Petrum fuiſſe primum inter Apoſtolos, fieri non poteſt, vt illi fuerint ei æquales in Primatu, æquales igitur ſunt, ſi ita vis in omnibus, excepto Primatu, qui pluribus conferri non poteſt. Porrò teſtimonia in contrarium adducta hoc vnum probant, Apoſtolos in clauium adminiſtratione, fidei prædicatione, Eccleſiarum fundatione, poteſtate, & auctoritate æquales fuiſſe: at eos in Primatu Petro æquales fuiſſe, nullus dicit: imò contrarium omnes dicunt ijs ipſis in locis, vbi æqualitatem Apoſtolorum maximè commendant.

Refutatio huius argumentationis.

HÆc Ellieſiana argumentatio reijcitur, eò quòd Petri Primatum, maioribus hactenus deductis præeminentijs, in Petræ fidei firmitatem importante ſoliditate, Eccleſiæque fundamento, ac perpetuis ad ſucceſſores transferendis Regni Cœlorum Clauibus, Paſtoralique Ordinario, ipſis etiam Apoſtolis ſupereminente, munere conſiſtentibus ſpoliare, videatur. Cui proinde opponendos hic duxi ſequentes Eccleſiæ ſanctæ Doctores Græcos. Ita enim habet Clemens Romanus in epiſt. ad Iacobum: [Simon Petrus &c. Fundamentum Eccleſiæ eſſe definitus eſt: qua de cauſa etiam Domini ore cognominatus eſt, Petrus, qui fuit primitiæ electionis Domini Apoſtolorum primus &c.]

Origenes anno 230. in Matth. de Canone Noui Teſtamenti. [Petrus, inquit, ſuper quem Dominus fundauit Eccleſiam, duas tantùm ſcripſit Epiſtolas &c.]

Euſebius Alexandrinus Homil. de reſurr. circa illa verba Marci 16. verſ. 7. Dicite diſcipulis eius & Petro, ſic ait. [Veni, inquit, ne timeas, non te amoui à dignitate, non feci te ſecundum infra alium, non dedi claues alteri, quod promiſi, impleo &c.]

Athanaſius in Epiſt. ad Felicem, inquit, [Tu es Petrus, ſicut veraciter dicit Diuinum eloquium, & ſuper fundamentum tuum Eccleſiæ columnæ ſunt conſeruatæ &c.]

Baſilius Magnus ad caput 2. Iſaiæ. [Vnus, ait, ex his montibus fuit Petrus; quem Petram (NB.) appellauit propter maximam Fidei firmitatem.]

Cyrillus Hieroſolymitanus Catech. 2. [Nemo, inquit, deſperet de ſua ſalute, Petrus Apoſtolorum princeps excellentiſſimus, coram ancilla ter negauit Dominum; ſed ad ſe rediens, fleuit amarè.]

Gregorius Nazianzenus art. 26. de Moderat. in Orat. habenda, [Vides, ait, quemadmodùm ex diſcipulis Chriſti magnis vbique, & excelſis, atque electione dignis, hic Petrus ſcilicet Petra vocetur, atque Eccleſiæ fundamenta fidei ſuæ credita habeat, at reliqui diſcipuli poſthaberi ſe, æquo animo ferunt.]

Epiphanius in Ancorato. [Ipſe Dominus, ait, conſtituit Petrum principem Apoſtolorum (NB.) Petram firmam, ſuper quam Eccleſia ædificata eſt, & portæ inferi non præualebunt aduersùs eam, portæ inferi ſunt hæreſes, & hæreſiarchæ &c.]

Ioannes Chryſoſtomus Homil. 11. in Matth. air. [Deus ſolus concedere poteſt, vt futura Eccleſia tot, tantiſque fluctibus irrumpentibus, immobilis maneat, cuius Paſtor (NB.) & Caput homo piſcator, & ignobilis.]

Cyrillus Alexandrinus Lib. 12. cap. 64. ſic ait. [Cùm Saluator à diſcipulis quæreret, vos autem quem me eſſe dicitis? Petrus vt Princeps (NB.) caputque cæterorum, primus exclamauit.] Similiter Lib. 14. Theſ. cap. 2. dicitur [Petrus Apoſtolorum apex.] Ecce tot Patres primitiuæ Eccleſiæ talia nomina non ſuperbiæ, ſed legitimæ poteſtatis Petro à Chriſto impoſita agnouiſſe, & prædicaſſe!

ARGVMENTVM V.

Ab Ellieſio propoſitum, ſed vt infra videbitur, refutatum.

HOc petitur ex Petri, Paulique æqualitate, quam non rarò commendant SS. Patres; Sic Ambroſius de Spiritu ſancto cap. 12. [Nec Paulus, inquit, inferior Petro, quamuis ille Eccleſiæ fundamentum, & hic ſapiens Architectus ſciens veſtigia credentium fundare populorum, nec Paulus, inquam, indignus Apoſtolorum collegio, cum primo quoque facilè conferendus, & nulli ſecundus; nam qui ſe imparem neſcit, facit æqualem.] Et Auguſtinus ſerm. 26. de Sanctis. [Et ſi Petrum priorem, tamen ambos ditauit honore vno.] Nec non Maximus Taurinenſis homil. 5. in Natali Apoſtolorum. [Ergo beati Petrus, & Paulus eminent in vniuerſos Apoſtolos, & peculiari quadam prærogatiua præcellunt. Verùm inter ipſos, qui cui præponatur, incertum eſt, puto enim, illos æquales eſſe meritis, quia æquales ſunt paſſione, & ſimili eos fidei deuotione vixiſſe, quos ſimul videmus ad Martyrij gloriam perueniſſe.] Gregor. 1. Dialog. cap. vlt. [Paulus Apoſtolus Petro Apoſtolorum primo in principatu frater eſt.] Hinc Petrus, & Paulus æquè dicuntur Apoſtolorum Principes, Apoſtolorum primi, ſummi Apoſtoli, ad culmen, & apicem Apoſtolorum ſubuecti. Paulus non ſecùs, ac Petrus totius orbis curam habere dicitur, & omnium orbis Eccleſiarum Paſtor; quin etiam Paulus ſæpè ſolus dicitur Princeps Apoſtolorum, Caput Apoſtolorum, qui Primatum Apoſtolatus inter gentes habuerit, quemadmodùm Petrus inter Iudæos. Hinc in imaginibus Petrus, & Paulus velut æquales depingi ſolent, imò nonnumquam Paulus ad dexteram, Petrus ad ſiniſtram ponitur. His & alijs argumentis ex Patribus collectis vincere conantur illi, Petrum, & Paulum eſſe indiuidui Primatus participes.

Refu-

Refutatio istius argumenti.

IPsemet Elliesius pag. 320. ait: ex principijs præsuppositis nullo negotio ad hæc omnia responderi, quòd Petrus, & Paulus in Apostolatu, in potestate, & auctoritate æquales fuerint, non item in Primatu. Imò etiam præter hanc æqualitatem, quam etiam cæteri Apostoli habuerunt, specialiter Paulus æqualis Petro dici potest: primò, quòd sicut iste Iudæorum, ita ille Gentilium fuit Apostolus. Secundò, quod ille non secùs, ac iste plurimùm laborauerit ad annuntiandum Euangelium, ac innumeras gentes adierit, & ad fidem conuerterit. Tertiò, quòd vterque Romanam Ecclesiam fundarit, & ibi martyrio vitam finierit: at his non obstantibus, Petrus in Primatu Paulo fuit superior: atque idipsum constat ex testimonijs allatis. Ambrosius ait, Paulum cum primo conferendum, & nulli propriè secundum, supponens scilicet Petrum inter Apostolos primum fuisse, cum quo tamen Paulus conferri posset.

Sanctus Leo honorem vnum esse, ait, Petri, ac Pauli, ob fundationem scilicet Ecclesiæ Romanæ, & martyrium ibidem perpessum. Hinc gloriæ eiusdem consortes sæpè dicuntur, ac Petrus Pauli in dignitate frater à Gregorio dicitur: eadem de causa Maximus Taurinensis ait, Paulum esse æqualem Petro in meritis, & in Martyrio.

Quod deinceps additur, Petrum, & Paulum dici Principes, apices, & capita Apostolorum, ostendit, hos equidem præ cæteris insignes fuisse, at eos inter se in primatu æquales fuisse, non probat. Namque non ratò non solùm Petrus, & Paulus, sed & alij Apostoli his nominibus decorantur. Sic ipse Paulus comparat se cum magnis Apostolis: hoc nomine Petrum, Iacobum, & Ioannem indicans, quos Ecclesiæ columnas appellat. Sic Chrysostomus tres istos cæteris omnibus Apostolis præstitisse, ait in serm. de præmijs Sanctorum, & in cap. 15. 1. ad Corinth. & in epist. ad Galatas, initio, [Petrus, inquit, Iacobus, & Ioannes non prohibebant circumcidi, cùm essent inter Apostolos primæ dignitatis.] Iidem Apostoli tres à Victore Antiocheno in Marc. cap. 9. dicuntur Apostolorum Coriphæi, qui primas inter Apostolos obtinebant. Sanctus Augustinus in epistola ad Galatas: [Petrus, inquit, Iacobus, & Ioannes honoratiores erant cæteris Apostolis.] His adde Clementis locum ex Eusebio superiùs citatum, ex quibus pariter inferri posset, si quid valeat Aduersariorum consecutio, Petrum, Iacobum, & Ioannem Primatus indiuidui fuisse participes, non secus ac Petrum, & Paulum; sed istud imprudenter omninò fieret. Sciunt enim omnes, hisce phrasibus non significari omnimodam eorum, qui cæteris præferuntur, æqualitatem, sed tantùm eorum super alios præstantiam: sic cùm Virgilium, Horatium, & Ouidium voco Poetarum Principes, non intendo, istos secum inuicem comparare, & omni modo æquales statuere, ita vt nullus inter eos sit superior; sed hoc vnum volo, eos inter Poetas eminere, & cæteris præstantiores esse. Quin etiam fieri potest, immò sæpissimè fit, vt istæ appellationes latè sumantur, & nonnunquam primus aliquis vocetur, ac Princeps, qui non absolutè primus est, sed insignis tantùm. Sic Cicero dicitur Oratorum Princeps, licet Demosthenes cum eo de primo gradu contendere possit. Sic Horatium Poetarum principem dicere nemo veretur, quamuis Virgilium ei præferendum esse, vix quisquam dubitet. Haud ergo mirum, si nonnunquam Paulus solus dicatur primus, ac Princeps Apostolorum, non quòd absolutè primus sit, sed quia inter primos, & principes numerari potest. Adde, quòd vnus dici potest alio prior, ac præstantior secundùm aliqua: & sic Paulus Petro præferri potest, quia, vt ipse ait, cæteris abundantiùs pro Christo laborauit, vnde & seipsum comparat magnis Apostolis Petro, Iacobo, & Ioanni, nec minus quidquam se fecisse, ait, quamuis alibi minimum se Apostolorum appellet.

Vnum pro specialibus Petri Primatus præeminentijs vindicandis hic superaddo. Nempe in eo, quòd Romana Ecclesia dicatur fundata super Petro simul, & Paulo, subesse æquiuocationem ex sanctis Patribus, ac ipsimet sacris Literis elucidandam. Nam vnus sensus esse potest, quòd non Petrus dumtaxat, sed etiam Paulus Verbi Diuini prædicatione, ac martyrio suo fundarit, & firmarit Romanam Ecclesiam. Alter verò sensus esse potest, quòd Ecclesia Romana existat fundata super auctoritate Apostolica, per mortem Apostolorum minimè extincta, sed cum perpetuo Ecclesiæ statu coniuncta, adeoque in successores vsque ad consumationem sæculi futuros transferibili. At prior sensus omninò tenendus est, adstipulante Dionysio Corinthiorum Episcopo in epistola ad Romanos, vbi sic habetur: [Ambo (Apostoli Petrus, & Paulus) cùm & nostram Corinthi, & vestram Romæ Ecclesiam fundassent, & eiusdem doctrinæ præceptis tum nostros animos, tum vestros imbuissent, eodem tempore pariter Martyrium subierunt.] In quem sensum sanctus quoque Irenæus lib. 3. cap. 1. ait: [Matthæus in Hebræis ipsorum lingua scripturam edidit Euangelij, cùm Petrus, & Paulus Romæ euangelizarent, & fundarent Ecclesiam.] At hanc à Petro, & Paulo annunciatam Romanæ Ecclesiæ fundatricem fidem, idem Irenæus lib. 3. cap. 3. ait, ad sua vsque tempora peruenisse per successores Episcoporum, & hinc propter potentiorem principalitatem necesse esse, ad Romanam Ecclesiam conuenire omnes Ecclesias.] Est autem superiùs ex sacris Literis, sanctisque Patribus, ac Oecumenicis Concilijs demonstratum, istam potentiorem principalitatem ita fuisse collatam Petro, vt non transiret in alios, nisi in Petri Successores: auctoritate Apostolica in Paulo, cæterisque Apostolis se habente solùm ad instar Legationis personalis. Quare eatenus verum est, quòd Ecclesia Romana quoad fidem, ac Euangelium æquè à Paulo, atque à Petro sit fundata, vt tamen fidei illius perpetuitas coniuncta sit cum principalitate, seu auctoritate Apostolica, quæ ex solo Petro, seu Ordinario per Christum constituto Ecclesiæ Pastore, transeat in successores.

Hinc quando dicitur, Paulo haud secùs,

Nnnn 2 ac

ac Petro fuisse commissa totius Orbis cura, minimè per hoc significatur æqualitas in Primatu ordinariæ, in successores transferibilis potestatis plenitudinem importante, sed quoad Apostolicæ auctoritatis personalem dumtaxat delegationem. Cuiusmodi delegatio Apostolica Elliesio pag. 322. teste, præcipuè conueniebat Paulo, quia Gentium erat Apostolus, & innumerarum Ecclesiarum fundator, qualem proinde specialem curam habere tenebatur. [Quis, inquit, infirmatur, & ego non infirmor; quis scandalizatur, & ego non vror? Quotidiana mihi incumbit sollicitudo omnium Ecclesiarum;] ob charitatem scilicet, & affectum, quo Fideles omnes, ac præsertim eos, quos ipse ad fidem adduxerat, complectebatur.

Corollarium.

An Petri Primatus importarit Monarchiam?

Elliesius citata pagina 322. respondet 1. Si Monarcha dicatur, qui primum obtinet locum, qui Primatum inter alios tenet, haud dubium est, Petrum hoc sensu fuisse Monarcham. Si verò Monarchia sumatur pro auctoritate absoluta, necnon pro dominatu, cui nullus se se potest opponere, nego Petrum hoc sensu Ecclesiæ Monarcham fuisse; hanc etenim Monarchiam a se, & suis reijcit Christus, cùm ait: [Reges Gentium dominantur eorum, vos autem non sic.] Et Petrus ipse scribens: [Pascite, qui in vobis est, gregem Dei, non coactè, sed spontaneè, non dominantes in Cleris, sed forma facti gregis ex animo.

Hic nonnihil sistendo, facilè concesserim, Petri primatum haud importare absolutam dominij potestatem, attamen indefinita Clauium auctoritate donatum esse, liquet ex hactenus deductis sacræ Scripturæ, ac Patrum testimonijs.

Idem Theologus loco citato respondet 2. Si de regimine sit sermo, primam Ecclesiam Aristocratia vsam fuisse. Nihil enim solus Petrus statuit, sed simul cum Apostolis, & senioribus: sic eùm eligendi fuerunt Diaconi, communi Apostolorum consilio, & auctoritate id factum est; cùmque de circumcisionis, & legalium obseruatione longè grauior difficultas foret exorta, illa non Petri auctoritate, sed Apostolorum, seniorumque Hierosolymis congregatorum iudicio definita est. Atque adeò verum est, Petrum non fuisse absolutum Monarcham aliorum Apostolorum, vt Paulus non sit veritus ei in faciem resistere, cùm Gentes ad Iudaicas ceremonias obseruandas vellet impellere. Constat ergo, Petri Primatum non fuisse Monarchiam absolutam, aut dominatum in cæteros Apostolos; quod idcircò monui, quia solent hæretici hæc secum inuicem confundere, & Catholicos accusare, quasi Monarchiam absolutam, & dominatum in Ecclesia admittant, quod à veritate alienum est.

Verùm super hisce breuem faciendo reflexionem, videtur distinguendum tum de Clauibus Regni Cœlorum Matth. 16. Petro promissis, & Ioannis vltimo commissis, quæ indefinitam, & absolutam iurisdictionis, minimè verò Dominatus potestatem important. Io hoc enim differt iurisdictio à dominatu, quòd iste pro fine habeat proprium commodum, illa verò vtilitatem spiritualem pascendarum ouium, quam, remoto omni dominatu, in Ecclesiæ Prælatis exigit Diuus Petrus supra allegatus.

Tum de potestate Collegio Apostolico intrà Concilium Oecumenicum deinceps repræsentando pro perpetuo Ecclesiæ statu Matthæi 18. promissa. In cuiusmodi Concilij Decretis stabiliendis, oportet, tum Ecclesiæ Caput, Christi Vicarium nomen præferens, tum reliquum Ecclesiæ ex Prælatis in Concilio aggregatis consistens Corpus Hierarchicum consentire, vt omnimodam obtineant firmitatem. Sicque adeò Regimen Ecclesiæ per Concilium Oecumenicum repræsentatæ est Aristocratia, & Monarchia mixtum.

Tum de Petra, super quam Ecclesia ædificanda esset, firmitate, infallibilitateque à portis inferi haud superabilem in rebus fidei importante, Petro Diuinitus promissa citato Matth. 16. capite.

De qua proinde Petra concertatur, vtrùm antecedenter ad ædificationem Ecclesiæ in Concilio repræsentatæ, vel vbi hoc ædificium sub duorum Corporis scilicet Hierarchici, & Capitis consensu in fidei Dogmatibus condendus iam est consumatum, omnimodæ infallibilitatis firmitatem obtineat, sicque puro Pontificis Romani Monarchico, vel Aristocratico intrà Concilium mixto regimini innitatur?

§. IV.

De Romanæ Ecclesiæ Primatu.

AD demonstrandum Ecclesiæ Primatum, ait Elliesius præsenti dissertat. 4. cap. 2. non sufficere, vt ostendatur, Petrum inter Apostolos Primum habuisse locum, quippe non omnis à Petro fundata, & instituta Ecclesia, primatum tunc habuit; alioquin Antiochena, & aliæ quàm plurimæ Orbis Ecclesiæ, quas constituit, & saltem ad tempus rexit, primatum sibi vindicarent: quapropter ex traditione ostendendum est, quænam ex Ecclesijs à Petro fundatis primatus honore dignata fuerit.

ARGVMENTVM I.

Elliesij.

HIc Auctor loco citato probat 1. soli Romanæ Ecclesiæ, non alteri semper competijsse, vt præ reliquis à Petro fundatis Ecclesijs Primatus honore dignata fuerit. Idque euinci ex vnanimi traditione; Cuius Primus testis est Irenæus libro 3. capit. 3. [Maximæ, inquiens, & antiquissimæ à duobus Apostolis Petro, & Paulo Romæ fundatæ Ecclesiæ, eam, quam habet ab Apostolis fidem per successiones Episcoporum peruenientem

vsque

usque ad nos indicantes confundimus omnes eos, qui præterquàm quod oportet, colligunt, ad hanc enim Ecclesiam propter potentiorem principalitatem necesse est, omnem conuenire Ecclesiam; hoc est, eos, qui sunt vndique fideles, in qua semper ab ijs, qui sunt vndique conseruata est ea, quæ est ab Apostolis traditio.]

Secundus testis est Cyprianus epist. 54. [Nauigare, inquit, audent ad Petri Cathedram, atque ad Ecclesiam principalem, vnde vnitas Sacerdotalis exorta est.]

Tertius, Gregorius Nazianzenus in carmine de vita sua, Romam vocans vniuersi Mundi Præsidem.

Quartus, Ruffinus in inuect. 2. in Hieronymum. Romanam Ecclesiam appellans omnium Ecclesiarum Caput.

Quintus, Augustinus epist. 162. nunc 43. vbi ait, Principatum Apostolicæ Cathedræ semper in Romanam Ecclesiam viguisse; & epist. 105. nunc 194. [De cuius, inquit, gratiæ commendatione maximè ad Romanos Apostolica epistola loquitur, vt inde se prædicatio eius vultu à capite Orbis toto Orbe diffunderet.] Et contra duas epistolas Pelagij lib. 1. cap. 1. ad Bonifacium Romanæ Vrbis Episcopum hæc ait: [Communis est nobis, qui fungimur Episcopatus officio, quamuis in eo præemineas celsiore fastigio speculæ pastoralis.] Et anteà, [quamuis altiùs præsideas.]

Sextus, Theodorit. qui in epistola ad Leonem, Romanam Ecclesiam Orbi vniuerso præesse scribit.

Hos sequuntur Fulgentius lib. de Incarnatione, & gratia cap. 11. Vincentius Lyr. commonit. cap. 42. Victor Vticensis lib. 1. de persecutione Vandalica, qui Romanam Ecclesiam mundi Caput appellant, & alij benè multi, quos in præsentiarum commemorare, longum foret.

Responsio.

Ex integro probarem hoc Elliesianum argumentum, nisi ex antecedentibus constaret, Romanæ Ecclesiæ Primatum per ipsum spoliari præeminentijs, quibus à Christo fuisse dotatum, antehac probauimus. Et hinc, quæ vlteriora, siue ab ipsismet Romanis Pontificibus, siue ex Concilijs Oecumenicis hanc in rem testimonia adfert Elliesius, ea non aliter accipienda sunt, nisi de Primatu illis prærogatiuis Diuinitus insignito. Iuxta quem adeò sensum, duximus operæ pretium, rursus audire illum Theologum in hæc differentem verba. In Concilio Chalcedonensi primus locus Leonis Legatis datus est, & Romanæ Ecclesiæ primatus communi omnium consensu comprobatus, nec non à Iudicibus ita confirmatus his verbis: [Gloriosissimi Iudices dixerunt, ex his, quæ gesta sunt, vel ab vnoquoque disposita, perpendimus, omnem quidem primatum, & honorem præcipuum secundùm Canones antiquæ Romæ Dei amantissimo Episcopo conseruari.] Ista sanctio confirmatur Canone 36. Synodi Trullanæ. His accedit Imperatorum auctoritas. Sic Theodosius loquitur. [Cùm igitur Sedis Apostolicæ primatum sancti Petri meritum, qui Princeps est Episcopalis coronæ, & Romanæ dignitas ciuitatis, sacræ etiam Synodi firmarit auctoritas.] Valentinianus item in epist. ad Theodos. ante Concil. Chalced. [Quatenus Romanæ Ecclesiæ Episcopus, cui principatum Sacerdotij super omnes antiquitas contulit.]

Iustinianus Nouell. 131. tit. 14. cap. 2. [Sancimus secundùm Ecclesiasticarum Regularum definitiones, Sanctissimum senioris Romæ Papam primum esse omnium Sacerdotum: Beatissimum autem Archiepiscopum Constantinopoleos nouæ Romæ secundum habere locum post sanctam Apostolicam senioris Romæ Sedem: alijs autem omnibus Sedibus præponatur.]

Idem Romanæ Ecclesiæ priuilegium agnouerunt Gallicani, & Hispani Antistites. Illi in epist. ad Leonem principatum Ecclesiæ Romanæ super omnes Ecclesias prædicant. isti in Synodi Tarraconensis epist. ad Hilar. [Cuius, inquiunt (Petri Vicarij) principatus sicut eminet; ita ab omnibus metuendus, & amandus.]

ARGVMENTVM II.

De Primatu, quem ambiebat Constantinopolitana Ecclesia, per Elliesium refutato.

SVnt nonnulli, qui ea, quæ à Concilio Constantinopolitano, & Chalcedonensi circa primatum Ecclesiæ Constantinopolitanæ sunt sancita, Primatui Romano obsuisse putent.

Responsio Elliesij.

VErùm hic Auctor præf. differt. 4. cap. 2. §. 2. rei præsentis statum ita exponit, vt, attentis ijs, quæ circa Primatus Romani præeminentias hactenus dicebam, ex integro comprobem Theologi illius discursum sub his formatum verbis,

Ex Concilij nempe Constantinopolitani Canone vix quidquam objici potest: nam, vt probauimus, in eo honoris primatus Constantinopolitano Episcopo nonnisi post Romanum conceditur.

In Chalcedonensi maior difficultas. Namque Episcopi in definitione act. 16. Ισα presbeia, hoc est, eadem, & æqualia priuilegia tribuunt Episcopo nouæ Romæ, ac veteris Romæ Episcopo, & Iudices in sua determinatione æqualia primatus honoris iura concedunt vtrique. Verùm si quis hæc diligentiùs attendat, videbit, hæc non obesse primatui veteris Romæ, nam hic Episcopi fatentur Constantinopolim esse secundo loco. Secundam, inquiunt, de noua Roma; post illam veterem existentem. Et postea: [Episcopum tamen Constantinopolitanum habere Presbeia tys timys post Romanum Episcopum.] Iudices verò Romanæ Ecclesiæ tribuunt. *Pro panton men ta proteia chie tyn exaireton tnmyn.* Constantinopoli verò tribuunt *ta auta presbeia tys timys.* Sed tantùm post Romanum. Itaque dum idem primatus honor Constantinopolitano defertur, his Canonibus Romani Pontificis primatus non læditur, sed tantummodò Antiochenæ, & Alexandrinæ, aliarumque Ecclesiarum priuilegijs dero-

derogatur. Hinc sanctus Leo epist. 56. non queritur, suum primatum læsum esse Canone Chalcedonensi, [sed quòd secundi honoris priuilegium Sedes Alexandrina perdiderit, & Antiochena Ecclesia proprietatem tertiæ dignitatis amiserit.] Et posteà: [Non conuellantur prouincialium Iura primatum, nec priuilegijs antiquitus institutis Metropolitani fraudentur Antistites. Nihil Alexandrinæ Sedis eius, quam per sanctum Marcum Euangelistam beati Petri discipulum meruit, pereat dignitatis. Antiochena quoque Ecclesia in paternæ constitutionis ordine perseueret.] Eadem expostulat epist. 57. 58. 63. 66. at nusquam queritur, hanc Chalcedonensis Concilij sanctionem sibi, suoque Primatui obesse.

Sed deinde vlteriùs progressa nouæ Romæ ambitio, suam Ecclesiam cum Romana coæquare, quantum potuit, conata est: Sic Ioannes Constant. ad Hormisdam scribens epistolam eam, quæ inter epist. Hormisdæ est 34. [Sanctissimas, inquit, Dei Ecclesias, hoc est, superioris vestræ, & nouellæ istius Romæ vnam esse accipio. Illam Sedem Apostoli Petri, & istius augustæ ciuitatis vnam esse, definio.] Et post alia: [Sicut, oportet, dicere, & olim scripsi, vtrasque Ecclesias tam senioris, quàm nouæ Romæ vnam esse euidenter intelligens, & vtriusque vnam Sedem rectè definiens.]

Hinc etiam Constantinopolitanus Oecumenicum se Patriarcham dici amauit, sibique illud nomen vindicauit. Hoc primum Ioanni Cappadoci tributum legitur in Concil. Constant. sub Menna, & Anthimo conceditur in eod. lib. 4. cap. 7. nouella 16. Deinde Maxentio imperante, Ioannes, cognomento Ieiunator, seipsum Oecumenicum Episcopum appellauit in Synodo aduersùs quemdam Gregorium Episcopum. Tum Pelagius II. ob elationis huius vocabulum, inquit Gregorius lib. 4. epist. 38. huius Concilij acta dissoluit. Huius Pelagij successor Gregorius eumdem titulum, quem Ioannes Mauritij gratia fretus retinebat, impugnauit literis ad Imperatorem, ad Patriarchas, & ad ipsum Ioannem scriptis.

Ex his Eulogius Alexandrinus rescripsit Gregorio se pariturum, & ista voce Oecumenici abstenturum. Hunc tamen titulum in his ipsis literis Gregorio adscripsit, quod ei non placuit, sed Eulogium monuit, ne vel sibi, vel alteri cuiquam tale aliquid adscriberet.

Post Ioannis mortem Cyriacus huius successor eumdem titulum detinuit, auctorque fuit Mauritio, & Anastasio Antiocheno, vt Gregorio scriberent, rem esse leuem, & omninò indignam eius dissensionem, & scandala generare: ideo Gregorius licèt inuitus, sed pacis ergo Cyriaci literas communicatorias hocce titulo inscriptas suscepit: at grauiter eum admonuit, vt à stulti, verba sunt Gregorij, vocabuli se appellatione compesceret. Attamen hunc retinuerunt Constantinopolitani Antistites, frustra reclamantibus Pontificibus Romanis: nam licèt Phocas in odium Cyriaci, & in gratiam Romani Pontificis aduersùs hanc Constantinopolitani Antistitis dignitatem, decretum emisisse dicatur, statim tamen Heraclius rem in integrum restituit, posterioresque Antistites Constantinopolitani hunc semper titulum vsurparunt. Quamuis autem ambitiosus iste sit, vt rectè visum est Gregorio, attamen Romani Pontificis Primatui non obest, dici etenim potest aliquis Episcopus vniuersalis ratione Diœceseos, cui præest, quo sensu non solùm Constantinopolitano, sed & Alexandrino, & Antiocheno id nominis indultum est. Hinc Anastasius Bibliothecarius in præfat. 7. Synodi ad Ioannem 8. hunc titulum excusat. [In eo, inquit, quo frequenter Oecumenicum in hac Synodo Græci Patriarcham suum inconuenienter appellant, Apostolatus vester adulationi veniam det. Verùm cùm apud Constantinopolim positus, frequenter Græcos super hoc vocabulo reprehenderem, & fastus, vel arrogantiæ redarguerem, asserebant, quòd non ideo Oecumenicum, quem multi vniuersalem interpretati sunt, dicerent Patriarcham, quòd vniuersi orbis teneat Præsulatum, sed quòd cuidam parti præsit orbis, quæ inhabitatur. Nam quod Græci Oicumenyn vocant, à Latinis non solùm orbis, à cuius vniuersitate vniuersalis appellatur, verùm etiam habitatio, vel locus habitabilis nuncupatur.]

Denique quamuis Græci, postquàm à Latinorum communione seiuncti sunt, in Romanam Ecclesiam fuerint iniquiores, numquam tamen eius Primatum directè impugnauerunt, nec enim aut Photius, aut Michael Cerularius hanc dissensionis causam allegant, nec de primo loco cum Romano Episcopo contendunt: vnde & Græci recentiores fatentur, primum locum deberi Romanæ Ecclesiæ. Verùm id ipsi à Concilijs, & Imperatoribus indultum, vel ob amplitudinem Orbis concessum esse, contendunt, non autem iure Diuino, & à Petro istud priuilegium habere autumant. Sic Barlaam Monachus in libello de Papæ Principatu cap. 1. ait, omnes Apostolos, quoad Ecclesiam attinet, in pari honore fuisse, sacri autem duodenarij Principem fuisse Petrum; cap. 3. negat, Romanum Pontificem peculiariter esse successorem Petri; cap. 4. ait: [Romanam Sedem multis seculis post Petrum, sanctorum Patrum, pijssimorumque Imperatorum beneficio primas fuisse nactam.] Cap. 6. ait, Sedem Constantinopolitanam dignitate parem esse, & in rebus Ecclesiasticis, perinde atque Romanam summa eminere potestate, sed ordine secundam esse: [Quemadmodùm enim, inquit, cap. 7. nouæ Romæ Episcopus à Papa secundus ordine est, ita planè Alexandrinus huic secundus, deinde Alexandrino proximus Antiochenus, Hierosolomytanus denique Antiocheno.]

Hac ratione negat, Constantinopolitanos Antistites à Pontifice creandos esse, & cap. 9. Papæ prærogatiuam in eo sitam esse, docet, [vt primo sederet loco, primusque frater appellaretur, atque adeò in mysticis Diuinæ liturgiæ precibus prima illius mentio fieret. Tu si quid ampliùs, inquit, dicere habeas è sacris Canonibus, id demonstra, minimè refragabimur.]

Eadem habet Nilus in lib. de primatu: [Cùm, inquit, duo circa Papam consideranda sint, quòd, & Romæ Episcopus sit, & præ-

tereà

tereà, quòd sit primus aliorum Episcoporum, prius illud à Petro accepit, quòd sit Romæ Episcopus, alterum verò à sanctis Patribus, & pijs Regibus multo post tempore. Etenim Sedi veteris Romæ, quòd Vrbs illa imperatrix esset, meritò Patres primatus dignitatem tribuerunt.] Idem in lib. de dissens. Eccles. [Neque verò, inquit, illud in causa est, quod Latini affirmant, nos nobis primatum arrogare velle, & in secundis post Romanum principatum nolle consistere, simulque ideo pacem detrectare, neque enim, inquam, cum Romana Ecclesia de primatu contendimus, neque de secundo loco nunc agitur.] Ex his perspicere licet, quæ sit recentiorum Græcorum de primatu Romanæ Ecclesiæ sententia, & in quibus vera dicant, in quibus à vero aberrent.

Corollarium.

Ellitsius equidem suæ quartæ dissertationis cap. 2. §. 3. recensitis ex vna parte Wiclefistarum, Lutheranorum, & Caluinianorum, ex parte Curiæ Romanæ Theologorum de Ecclesiæ Romanæ primatu sententijs, subiungit, fusiusque exponit Gallorum hac de re doctrinam veluti mediam: in qua occurrunt plurima improbanda. quia tamen per totum præsens opus nostrum fusissimè eam, vel discussimus, vel deinceps adhuc discutiemus, idcircò actum ageremus, si illi Ellitsiano proposito diutiùs immoraremur.

DISQVISITIO II.

An, & quanta sit Summi Pontificis antecedenter ad Ecclesiæ consensum infallibilitas in fidei dogmatibus decidendis?

Hvic quæstioni affinis est, quam Auctor de libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ cit. lib. 7. cap. 17. in hunc modum proponit; [An iudicium Papæ sit infallibile, quòd ei consensus Ecclesiæ accedat, an verò ei accedat Ecclesiæ consensus, quod sit infallibile?

§. I.

Qvæ Auctor ille toto libro proferebat, eò tendebant, vt ostenderetur, iudicium Papę in fidei quæstionibus esse certissimum, antequam accedat Ecclesię consensus, immò ideò Ecclesię consensum accedere, quia certissimum est. Etenim illa certitudo tribuitur diuinę promissioni Petro factę, aut orationi pro Christo ad patrem porrectę, aut alij similitationi, quę indicat, Romanum Pontificem, sicut in pascendi totius gregis Christi, ac regendæ vniuersæ illius Ecclesiæ officio, ita & salubris fidei, ac morum pastus ab erroris veneno discernendi, & fratrum aduersùs hæreses status, per doctrinam à patre cęlesti reuelatam, confirmandorum priuilegio successisse. Illustrissimi equidem Antistites Gallicani aliquid, & quidem eximium Summo Pontifici condere voluerunt magnificis illis quartæ propositionis verbis: [In fidei quoque quæstionibus præcipuas Summi Pontificis esse partes, eiusque decreta ad omnes, & singulas Ecclesias pertinere.] Hinc ad minimum colligendum videtur, omnes, & singulas Ecclesias iudicio Papæ in causis fidei stare debere, donec reformetur à Concilio vniuersali, etiamsi nondum Ecclesiæ vniuersæ consensus accesserit. Equidem hoc pacto schismati occurritur, si modò fideliter seruetur ab omnibus, & singulis Ecclesijs. Verùm (quæ est hominum conditio, ac propriæ sententiæ studium) difficile est, vt conquiescant partes, quamdiù iudicium prolatum errori obnoxium putabunt: itaque cùm difficillima sit Concilij generalis congregatio, perpetuis dissidijs turbabitur Ecclesia. Cùm autem innumera extent exempla hæresum absque auctoritate Conciliorum generalium solo Romanorum Pontificum iudicio extinctarum, quod signum est, illud tamquam infallibile fuisse susceptum; quorsum hodie præmissa commendatione obex apponitur, ne illi, vtpotè reformabili, incertus præstetur assensus?

Nescio, an aliquod habitum fuerit Concilium generale à primo Nicæno ad Tridentinum, quod absolutè necessarium à Catholicis iudicaretur ad detegendam fidei veritatem. Neque enim ante Concilium Nicænum dubitabant Catholici; an filius esset consubstantialis Patri: neque ante Constantinopolitanum; an Spiritus sanctus esset consubstantialis Patri, & Filio, & sic de cæteris Concilijs, quæ omnia necessaria fuerunt, non quod dubium esset inter Catholicos circa fidem, sed quod frangenda esset hæreticorum pertinacia, & inquirendæ viæ ad sistendum hæresis progressum, & promouendam fidei publicationem. Itaque Conciliorum congregatio nullum arguit erroris periculum in iudicijs Papæ, quæ fortè præcesserant: è contra verò infallibilem eis certitudinem inesse, ostendit præstitus ab Ecclesia vniuersa consensus in damnatione infinitarum propemodum hæresum absque conuocatione Concilij Generalis, vt mox dicebam.

Certè si Papæ iudicium ante Ecclesiæ vniuersæ assensum non est irreformabile, nescio, quæ sint præcipuæ illæ Summi Pontificis partes, & eius decretorum vis in omnes, & singulas Ecclesias. Nam & cuiuslibet, non solùm Episcopi, vel Doctoris, sed etiam fidelis iudicium est irreformabile, accedente consensu Ecclesiæ. Cùm enim Ecclesia sit columna, & firmamentum veritatis, errori fidei contrario consentire non potest. Ne igitur inanis sit auctoritas B. Petro collata, cùm in præmium suæ fidei constitutus est Ecclesiæ fundamentum: ne confirmandis fratribus inutilis fuerit Christi pro eius fide indeficiente oratio; ne illius curæ commissum sit Christi ouile absque certa discretione pascuorum, quæ oues impinguatura, aut infectura sint: neue transeunte ad eius successores officio, non transijsse quoque auctoritatem dicamus, vt in fidei quæstionibus præcipuas Summi Pontificis esse partes asserere liceat; eiusque decre-

decreta ab omnibus, & singulis Ecclesijs tutò recipi possint; neue deceptis vniuersis, & singulis Ecclesijs: Ecclesia vniuersa (quod fieri nequit) decepta inueniantur, affirmandum videtur Ecclesiam iudicio Summi Pontificis ideo consentire, quia est infallibile, & illa non nisi certæ veritati assentire potest; non illud iudicium esse infallibile, quia Ecclesia ei consentit. Prius enim est, rem esse certam quàm Ecclesiam ei consentire. Summus Pontifex est omnium fidelium Doctor, atque adeò suscipienda est eius doctrina, quia certa est; non autem solùm certa est, quia suscipitur. Ille quidem Ecclesiæ consensus signum est certitudinis iudicij, quia vt diximus, Ecclesia errori consentire non potest. At non est certitudinis causa, sed illam potiùs supponit.

Hanc esse mentem Ecclesiæ, quæ in toto hoc libro adduximus, suadent argumenta. Sed præcipuè, quod ex vniuersæ historiæ Ecclesiasticæ serie constet; Ecclesias omnes, omnique tempore ad Romanam recurrisse in dubijs circa fidem, & eius responsa tamquam oracula suscepisse, idque speciatim de Gallicana testatur S. Leo epist. 89. iam citata. [Nobiscum itaque vestra fraternitas recognoscat, Apostolicam Sedem pro sui reuerentia à vestræ etiam prouinciæ Sacerdotibus innumeris relationibus esse consultam.] Et regula est ab vniuersa Ecclesia recepta, causas fidei ad sanctam Sedem esse referendas; hanc tradidit S. Innocentius I. epist. 25. seu rescripto ad Mileuitanum Concilium: [Quoties fidei ratio ventilatur, arbitror, omnes Fratres, & Coepiscopos non nisi ad Petrum, id est, sui nominis, & honoris Auctorem referre debere.] Renouarunt plurimi alij Pontifices, & executi sunt Antistites, præsertim, vt diximus, Gallicani absurdum autem esset dicere, consultum fuisse Romanum Pontificem tamquam Iurisperitum, aut Doctorem aliquem priuatum, cuius sententiæ stare, vel vlteriori examini subijcere, liberum esset consulentibus. E contra in omnibus ferè huiusmodi consultationibus fit expressa mentio permanentis in Ecclesia Romana, & in eius Pontifice indeficientis fidei Petri. Postulabatur, vt pro ambiguitate tollenda confessio Episcoporum auctoritate Sedis Apostolicæ firmaretur; quod docet exemplum S. Cæsarij Arelatensis: inter epistolas Bonifacij II. epist. 2.

In tota historia Ecclesiastica paucissimi reperiuntur Catholici, qui solemni Papæ iudicio circa fidem restiterint, eosque omnes in errore versatos, euentus comprobauit, quod adhuc signum est, illud certissimum esse, antequam accedat Ecclesiæ consensus, nec nisi ad conuincendam hæreticorum obstinationem res iterum, in Concilijs tractatas fuisse, annuentibus ipsismet Pontificibus Vnde B. Augustinus, qui vt B. Cyprianum excuset, Concilium plenarium, siue generale alicubi videtur exigere, ad statuendum indubitatum dogma in alijs locis sufficere iudicium Romani Pontificis affirmat. Ita serm. 2. de verbis Apost. causam finitam esse post Romanorum Pontificum rescripta, licèt nondum finitus esset error, declarauit. Verba iam alibi retulimus. Et caput 50. libro retractationum sic inchoat: [Posteaquam Pelagiana hæresis cum suis Auctoribus ab Episcopis Ecclesiæ Romanæ, priùs Innocentio, deinde Zozimo cooperantibus Conciliorum Africanorum literis, conuicta, atque damnata est, scripsi duos libros aduersùs eos, vnum de gratia Christi, alterum de peccato originali.] Illa autem conuictio non potest intelligi de conuictione argumentorum vi facta, aut de illius hæresis extirpatione, (aliòquin enim non fuisset opus, vt D. Augustinus duos illos libros postea scriberet, nec tamdiù perstitisset error,) sed de iudicio irreformabili. Neque auctoritate illa præditum erat iudicium ex eo, quod accessisset Ecclesiæ consensus, tantùm enim Conciliorum Africanorum fit mentio, quæ Ecclesiam vniuersam repræsentare nequaquam potuerant, quam ob rem sanctus Doctor epist. 157. quæ est ad Optatum, damnationem prædictorum hæreticorum per totum orbem tribuit auctoritati eorumdem Pontificum, Concilijs autem Episcopalibus (Africanis scilicet) solam vigilantiam, cuius hæresis, vel Auctores, vel certè acerrimi, notissimique suasores, cùm Pelagius, & Cælestius extitissent, Conciliorum Episcopalium vigilantia in adiutorio Saluatoris, qui suam tuetur Ecclesiam, etiam à duobus venerabilibus Antistitibus Apostolicæ Sedis, Papa Innocentio, & Papa Zozimo, nisi correcti etiam egerint pœnitentiam, toto Christiano orbe damnati sunt.

Animaduerte hìc prolata Romanorum Præsulum solemni sententia, damnationem in toto orbe factam censeri, nondum enim Ecclesiæ vniuersæ consensus accesserat, cum nondum constaret, an Episcopi encyclicas Summorum Pontificum literas accepissent. Addit enim Augustinus: de quibus exempla recentium literarum, siue quæ specialiter ad Afros, siue quæ vniuersaliter ad omnes Episcopos de memorata Sede manarunt, ne fortè ad vestram sanctitatem nondum peruenerint, vobis curauimus mitti ab eis fratribus, quibus, & has literas, vt tuæ venerationi dirigerent, dedimus.

Dum igitur S. Augustinus B. Cyprianum excusat S. Stephano Papæ circa baptismi ab hæreticis collati validitatem resistentem, eò quod causa nondum fuisset à plenario Concilio definita, supponit, iudicium illud non fuisse solemnem definitionem, quæ non nisi post examinatam, & agitatam cum eâ, qua par est diligentia, causam profertur, sine qua diligentia vel à Concilijs etiam Oecumenicis quæstiones eiusmodi definiri posse, negat idem Sanctus Augustinus de Baptismo contra Donatistas lib. 2. cap. 4. [Quomodo enim, inquit, potuit ista res tantis altercationis nebulis inuoluta, ad plenarij Concilij luculentam illustrationem, confirmationemque perduci, nisi primò diutiùs per orbis terrarum regiones, multis hinc disputationibus, & collationibus Episcoporum pertractatâ constaret? Apertius immediatè in capite præcedenti dixerat, ipsa plenaria (Concilia) sæpè priora posterioribus emendari, cum aliquo experimento rerum aperitur, quod clausum erat, & cognoscitur, quod latebat.] Itaque non censebat irreformabilia Conciliorum iudicia, nisi debitam adhibuissent ad detegendam

dam

dam occultam, & latentem veritatem, diligentiam, quo etiam sensu accipiendus esset, sicubi videretur innuere, iudicium Summi Pontificis non esse irreformabile, vt scilicet intelligeretur de casu, in quo non præcessisset examen necessarium ad solemnem edendam definitionem. Quamquam non videtur Deus permissurus, vt vel Concilium generale legitimum, vel Summus Pontifex quidquam solemniter definiant, nisi de præuia discussione necessaria ad omnimodam certitudinem. Alioquin enim liceret, semper de illorum definitionibus dubitare, etiamsi nulla vis aperta intercessisset ad eas extorquendas. Quomodò enim priuati Christiani scire possent, quo quantoque opus fuisset examine, ac vtrùm decisionem antecessisset.

Atque ita sensisse S. Augustinum, credendum est, nisi dicas, quod non est verisimile ipsum solius vniuersalis, non autem, vel Concilij, generalis, vel Summi Pontificis iudicium irreformabile putasse: quam doctrinam tradidit Panormitanus, inter Catholicos solus, quem sciam.

Non recolo modò alium ex ijs, quos Ecclesia veneratur vt Sanctos, præter Cyprianum tunc temporis errantem, Summi Pontificis iudicio circa fidei quæstionem repugnasse. Imò dum alius quis circa principalia disciplinæ, capita à Romano Pontifice dissensit, sequiorem partem secutus fuisse, totius Ecclesiæ iudicio compertus est, Ita v. g. refertur Eusebio Eccles. hist. lib. 5. cap. 23. & 24. cùm S. Polycarpus à S. Aniceto, ac postmodùm alij Asiæ Episcopi ab alijs Pontificibus Romanis dissentirent circa diem, quo celebrandum erat Pascha, licèt in fauorem Asianorum S. Ioannis Apostoli, & aliorum Sanctorum traditio, imò Euangelium ipsum allegaretur, præualuit iudicium Summorum Pontificum, Pascha die Dominico celebrandum statuentium, sententiæ Asianorum decima quarta luna, quocumque die accideret siue Dominico, siue alio illud celebrantium, plurimisque Concilijs etiam primo Generali Nicæno decretum est, Pascha die Dominico fieri debere.

Non tamen vsque ad Ecclesiæ consensum in Concilio Nicæno, ac in alijs præstitum suspensa est vis iudicij Romani Pontificis. Nam, vt verbis Eusebij ex antiqua versione vtar, [Victor, qui tum Romanæ Ecclesiæ præerat totius Asiæ Ecclesias cum alijs finitimis tamquam alterius fidei, & opinionis, simul omnes (vt complectar breui) à communi vnitate Ecclesiæ, amputare conatur, & in eos per litteras grauiter inuehitur, atque omnes fratres eam incolentes regionem prorsùs à communione secludendos edicit.] Tantum aberat, vt S. Victor decreti sui validitati necessarium crederet Ecclesiæ vniuersæ consensum, vt plurimas Ecclesias inuitas ad consensum illum censuris compelleret. Licèt autem aliæ Ecclesiæ, quæ Victori circa diem celebrandi Paschatis consentiebat, censurarum vsum contra tot Ecclesias Orthodoxas, non probarent, auctoritatem tamen non negabant, vt videre est apud Eusebium loco citato, vbi de sancto Irenæo Episcopo Lugdunensi nominatim sic scribit, [Irenæus quamquam per litteras scriptas ex persona fratrum in Gallia, quibus præerat, tradit mysterium Resurrectionis Domini solo die Dominico recolendum quidem esse. Victorem tamen de hoc, videlicet ne tam multas Ecclesias omninò propter traditionis ex antiqua consuetudine inter illas vsurpatæ obseruationem à corpore vniuersæ Ecclesiæ penitus amputet, cùm pleraque alia, tum ista, quæ sequuntur appositè, & conuenienter admonet &c. Nota hæc verba. A corpore vniuersæ Christi Ecclesiæ penitus amputet, quæ apertè significant Romani Pontificis in vniuersam Ecclesiam auctoritatem. Non enim Victor ab illarum Ecclesiarum communione solus recedebat, sed eas ab vniuerso Ecclesiæ corpore sequestrabat. Si cui fortè nimius videretur eius Pontificis erga tot Ecclesias rigor pro re ad fidem saltem proximè non spectante, causas legerit apud Baronium ad annum 198, rigorem illum tunc temporis necessarium fuisse, ostendentem.

Sed vt redeamus ad quæstiones fidei hæresibus, schismatibus via panditur in tanta congregandarum hodie Synodorum Generalium difficultate. & tam modica inter diuersarum, vel etiam inimicarum ditionum, & nationum Præsules communione, nisi iudicium Romani Pontificis tamquam certissimum suscipiendum sit. Quam ob rem consultius est moderniorum Antistitum Gallicanorum declarationem postponere sententiæ aliorum multò plurium, qui non ita pridem, & consulendam sanctam Sedem in quæstionibus fidei, & eius decretis internum animæ obsequium deberi etiam antequam Ecclesiæ Vniuersæ consensus accesserit, tam apertè declarauerant, vt eorum mens nullis argutiarum nebulis possit obscurari. Sic enim legimus in litteris octuaginta quinque Episcoporum Galliæ ad Innocentium X, anno 1653 scriptis, [Maiores causas ad Sedem Apostolicam referri, solemnis Ecclesiæ mos est quem fides Petri numquam deficiens perpetuò retineri pro Iure suo postulat. Æquissimæ huic legi obsequentes &c.] vides hic, ius esse Romani Pontificis in fide Petri numquam deficiente fundatum, vt maiores causæ ad eum referantur. Audi iam, quanta sit eius decretorum vis, & efficacia, [Experta est nuper Beatitudo vestra, quantum Apostolicæ Sedis in gemini capitis errore profligando valuerit auctoritas. Continnò sedata est tempestas, atque ad Christi vocem venti, & mare obedierunt.] Non esse autem necessarium reliquorum Episcoporum consensum, vt illis decretis Christiani omnes ipsius quoque mentis obsequium præstare teneantur docent aliæ litteræ à 30. ex ijs Episcopis, reliquis absentibus, scriptæ eidem Pontifici 19. Iulij eodem anno. [Non solùm ex Christi Domini pollicitatione Petro facta, sed etiam ex actis priorum Pontificum, & ex anathematismis aduersùs Appollinarium, & Macedonium, nondum ab vlla Synodo Oecumenica damnatos, à Damaso paulò ante iactis, iudicia pro sancienda regula fidei à Summis Pontificibus lato super Episcoporum consecratione siue suam in actis relationis sententiam ponant, siue omittant, prout illis collibuerit Diuina æquè, ac summa per vniuersam Ecclesiam auctoritate niti, cui Christia-

ni omnes ex officio ipſius quòque mentis obſequium præſtare teneantur. Ea nos quoque ſententia, ac fide imbuti &c.] Licèt autem hic Epiſcoporum ſententiæ mentio fiat, tamen præterquàm, quòd eam exprimi, non eſſe neceſſarium, declaratur, de Epiſcopis tantùm conſulentibus eſt ſermo, quorum nomine non intelligitur Eccleſia, quippe cùm vel ſingulares, vel alicuius prouinciæ, aut regni, non totius vrbis Antiſtites ſimul ſanctam Sedem conſultant. Vnde circa finem epiſtolæ addunt Præſules Gallicani. [Porrò nos Innocentio X, cuius ore Petrus loquutus eſt, vt Leoni I. acclamabat quarta Synodus hanc Diuinam lauream gratulari, ſacros inter Eccleſiæ faſtos, quod olim de Synodis Oecumenicis fieri ſolitum, conſtitutionem iſtam ab eo editam libentes ex animo repo- nemus.

Eadem fuit antiquorum Gallorum ſententia, vt iam probauimus, & adhuc probari poſſet. Epiſtola ſex Epiſcoporum ad Innocentium II. anno 1140. ſcripta inter S. Bernardi epiſt. 370. ſic incipit; [Nulli dubium eſt quòd ea, quæ Apoſtolica firmarue auctoritate rata ſemper exiſtunt, nec alicuius poſſunt deinceps mutilari cauillatione, vel inuidia deprauari. Eapropter ad veſtram Apoſtolicam Sedē, Beatiſſime Pater, referre dignū cenſuimus quędam, quæ nuper in noſtra contigit tractari præſentia, Quę quoniam, & nobis, & multis Religioſis, & ſapientibus viris rationabiliter acta viſa ſunt, veſtræ ſerenitatis expectant comprobari iudicio, ſimul & auctoritate perpetuò roborari.

Potho Presbyter Prumienſis de ſtatu domus Dei lib. 3. Hoc namque priuilegium, inquit. B. Petro Apoſtolorum Principi cæleſti decreto principaliter traditum, atque firmatum, ſancti Patres cum magna veneratione ſuſcipientes, atque ſanctam Romanam Eccleſiam ſeruantes, tam in Generalibus Concilijs, quàm & in cæteris ſcripturis; & geſtis ſuis, vniuerſalem Matrem appellauerunt & ſicut eius documenta in confirmatione fidei, & eruditione ſacræ Religionis, ita eius etiam iudicia ſuſceperunt in hoc conſentientes, & quaſi vno ſpiritu, & vna voce concordantes, omnes maiores res, & præcipua negotia, nec non omnium Eccleſiarum iudicia ad eam quaſi ad Matrem, & Caput debere referri, ab ea nuſquam appellari: iudicia eius à nemine retractari, aut refelli debere, vel poſſe.

Præfuerat illi eiuſdem Monaſterij Abbas Regino, qui longè anteà ſcripſerat in Chron. ad annum 857. quod iam ſuprà retulimus, [ſcilicet ſtultitiæ quidem elogio denorandi, qui illam Petri Sedem aliquo prauo dogmate fallere poſſe, arbitrati ſunt, quæ nec ſe fefellit, nec ab aliqua hæreſi falli potuit.

§. II.

Referuntur ac expenduntur fundamenta Aduerſariorum cum reſponſionibus & concluſione ſuper ijs reflexiua.

ARGVMENTVM I.

Aduerſariorum.

Petitum ex neceſſitate Conciliorum Oecumenicorum ad conſummatam in rebus fidei decidendis infallibilitatem obtinendam.

SI namque ſolus Pontifex obtineret hanc, infallibilitatis prærogatiuam, ita vt abſque vllo erroris periculo poſſet fidei controuerſias vltimatè definire, Concilia ſanè Oecumenica, vel inutilia forent, vel ſaltem non neceſſaria ad dirimendas circa fidem controuerſias, cuius tamen contrarium exhibet praxis ſanctæ Eccleſiæ, ſecundùm quam ipſimet etiam Pontifices, nec non Imperatores vnà cum totius Chriſtiani orbis Epiſcopis. noſcuntur nullis peperciſſe ſeu laboribus, ſeu impenſis, vt in eum finem celebrarentur concilia Oecumenica.

Reſponſio.

Auctor de libertatibus Eccleſiæ Gallicanæ cit. lib. 7. cap. 14. à n. 2. reſpondet, diſtinguendo inprimis inter vtilitatem Conciliorum Oecumenicorum, & eorumdem neceſſitatem ex ipſa natura rei, de qua agitur vel ex conditione hominum, de quibus tractatur: reſultantem, Neque verò in dubium vocari poteſt, Conciliorum præſertim Oecumenicorum vtilitatem eſſe permaximam, neque ambigere licet eſſe neceſſaria ad frangendam hæreticorum pertinaciam, [ſed vtrùm ad judicij omnimodam, & conſummatam in rebus fidei certitudinem ijs opus ſit] meritò hic penſanda occurrit quæſtio à dicto Auctore expenſa.

Inprimis igitur, cùm Summus Pontifex in rebus fidei decernendis teneatur eam impendere curam, & ſollicitudinem, quam requirit negotij grauitas, & patitur rerum ſtatus, non Scripturas dumtaxat, ſed traditiones ſcrutando, nulla profectò eſt conuenientior aſſignanda veritatis ratio, quàm ſi totius orbis Chriſtiani Epiſcoporum ſententia requiratur, ac ſingularum Eccleſiarum traditiones, & ſingulorum Paſtorum ſententiæ inter ſe conferantur. Itaque quantum commodè fieri poteſt, non eſt prætermittenda eà inueſtigandæ veritatis via, quæ vtinam ſemper præſtò eſſet. Illam ſuo exemplo primus Pontifex Petrus præmonſtrauit.

Etenim quamuis B. Petrus, cùm loco proditoris Iudæ ſubſtituendus eſſet alius, qui Apoſtolico fungeretur officio, potuiſſet eum eligere, tamen præ humilitate ac prudentia non ſolùm alios Apoſtolos, ſed etiam reliquos fideles congregatos, electionis partici-

pes effecit, vt obseruat S. Ioannes Chrysostomus hom. 3. in act. Apost. vbi post hæc verba. [Viri fratres oportet eligere è nobis, addit, Multitudini permittit iudicium, simul eos, qui eligebantur, reddens reuerendos & seipsum liberans ab inuidia, simultateque, quæ poterat à cæteris oboriri. Nam & semper ingenia gignit mala. Et infra, An non licebat ei eligere, licebat: & quidem maximè. Verùm id non facit, ne cui videretur gratificari. Cæterùm sententiam ipse protulit, sed hanc quoque declarans, suam non esse, sed è supernis profectam, iuxta Prophetiam. Itaque recitator fuit, non præceptor.

Natura pares nos gignit, peccatum ad ambiendum præ alijs, & in alios in Principatum impellit, vt etiam inter Apostolos fuerit contentio, quis eorum videretur esse maior quod dissidium noluit Christus componere, assignato vnicuique suo ordine, sed potiùs præscripta humilitatis forma, vt quisque alteri se supponere contenderet. [Qui maior est in vobis, fiat sicut minor, & qui præcessor est, sicut ministrator Lucæ 22. v. 26. Quam ob rem excepto Petro: quem alijs præposuit, nullum inter eos potestatis discrimen constituit. Itaque ve leuius, sit subiectionis ac obedientiæ iugum, communi concordiæ, ac regiminis suauitati expedit, vt rectores, quæ propria auctoritate efficere possent communi subditorum consilio exequantur. Nil igitur mirum, si in Christi familia, in qua pax summa & humilitas tantò quis altiori eminet dignitate, vigere debent, Romanus Pontifex cum fratribus suis communi sententia, quoties, & quantum commodè potest grauiora Ecclesiæ negotia gerere studeat, etiamsi solus posset.

Præterea, qui ad Concilia accedunt: vel fideles sunt, vel hæretici: si fideles, instruuntur non tantùm de veritate, quæ fortè ipsis erat occulta, sed etiam de causis, ac rationibus, vt iuxta præceptum Apostoli sint [parati semper ad satisfactionem omni poscenti rationem de ea, quæ in ipsis est,] 1 Pe. 1. Petri 3. v. 14. Cumque ex cunctis orbis Christiani partibus aliquis in Concilijs Oecumenicis interfit; [In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Hæretici autem conuincuntur ab omnibus, diiudicantur ab omnibus 1. Corinth. cap. 14. v. 24.] Et vel conuertuntur, vel confunduntur, & à Christi grege separantur, ne alios secum in ruinam trahant, vt pluties in Concilijs factum legimus.

Frequenter enim non de dogmate ipso, sed de personis ferendum est iudicium, & ne qua supersit iniustitiæ, vel obreptionis suspicio, aut prætextus, examinanda est illorum doctrina, audiendæ rationes, colligenda suffragia, vt, & procedendi ratio, & Senatorum numerus, ac Senatus dignitas, & maiestas obstruant os loquentium iniqua, cuius diligentiæ tunc maior est necessitas, cùm hæretici, vel Sectatorum numero, vel potentia seculari, vel alia quapiam auctoritate pollent. Ideo Adrianus II. epist. 2. ad Basilium Imperatorem scribebat. [Volumus ergo per vestræ pietatis industriam numerosum celebrari Concilium, cui nostri quoque Ministri præsidentes, & culparum, personarumque differentias liquidò cognoscentes, iuxta quod in mandatis acceperunt, singulorum liberè discretiones exerceant; in quo videlicet sacrato cętu exerandi vanitatis Concilij, quod aduersùs Sedis cuius actum est prorsus iniuriam, cuncta decernimus exemplaria prorsus à possessoribus suis ablata, in mediumque delata, contemplantibus cunctis, igni cremari, nec superesse apud quemlibet ex his omnibus saltem vnum apicem, nisi fortè quis totius Clericatus, imò totius Christiani nominis dignitate anathemate perculsus carere voluerit, &c.

Circa dogma etiam, quamuis certum sit, aliqua interdum vtendum est œconomia, vt libentiùs recipiatur; quæ quatenus adhibenda sit, iu plurimorum Cœtu faciliùs agnoscitur. Ita in Concilio Hierosolymitano, quod act. 15. describitur, licèt B. Petrus sua sententia veritatem certò assecutus fuisset; scilicet non esse circumcidendos, qui ad fidem conuertebantur; [Quid tentatis Deum, imponere iugum super ceruices discipulorum, quod neque Patres nostri, neque nos portare potuimus?] tamen S. Iacobus huic sententiæ addidit: [Scribendum, vt abstineret se non solùm à contaminationibus simulacrorum, & fornicatione, sed etiam à suffocatis & sanguine;] nimirum; ne si Moysi, qui maximo vbique ab aliquibus in honore habebatur, lex tota statim reijceretur, multi eius veneratores à suscipienda Christi fide retardarentur, quod tempetamentum omnibus placuit. Licèt Petrus [à Deo electus esset, vt per os eius audirent Gentes verbum Euangelij, & crederent:] tamen ad controuersiam, quam solus potuisset definire, suauiùs, & conuenientiùs componendam, Concilium haberi consensit. Verùm se aliorum consilio non omninò indigere ad assequendam veritatem fidei, satis indicauit, dum primus sententiam ferens, illam adeò indubitatam habuit, vt illi sinè tentatione Dei contradici non posse intrepidè affirmauerit: [Nunc ergo, quid tentatis Deum, imponere iugum super ceruices discipulorum?] &c. Act. 15. Quod verò à S. Iacobo additum est tempetamentum, erat partim lumine naturali notum, partim temporarium, & prudentiale.

Qui autem Summi Pontificis iudicium ideo minoris faciunt, quia non ita suscipitur ab omnibus, vt aliqui, vel etiam multi non repugnent, & Concilium Generale postulent, non aduertunt, similiter Ecclesię Vniuersę sententiā contemni. Sunt enim innumeri hæretici, qui Ecclesiæ Catholicæ sensui repugnant. Imò in hoc sunt hæretici. Atq; si quis attentè consideret res in Concilijs Generalibus tractatas, comperiret, eas plerumque adeò fuisse dubias, vt Patres ad hæreticorum voces, tanquam blasphemias execrandas inhorruerint, aliquando etiam aures occluserint, ne vel audira impietate polluerentur. Hæreticorum illud est ingenium, vt & Summi Pontificis, & Concilij, & Ecclesiæ vniuersæ doctrinam aliquando fraudulenter eludant, & occultè reijciant, aliquando vi aperta impetant, & impugnent, quod nihil eius veritati, ac certitudini detrahit.

Quam ob rem ſæpe ſignificarunt Summi Pontifices ad Concilia Generalia ſcribentes, ſe non doctrinam eorum examini ſubijcere, ſed tamquam indubitatam ab omnibus recipiendam eorum opera optare. Hoc teſtatur commonitorium Papæ Cæleſtini Epiſcopis, & Presbyteris euntibus ad Orientem, ſupra citatum. Eò etiam petinent hæc S. Leonis verba in epiſt. ad Concilium Chalcedonenſe: [Nunc in Vicarijs meis adſum, & iam dudum in fidei Catholicæ prædicatione non deſum; vt, qui non poteſtis ignorare, quid ex antiqua traditione credamus, non poſſitis dubitare, quid cupiamus. Vnde fratres chariſſimi, reiecta penitus audacia, diſputandi contra fidem, vana errantium infidelitas conquieſcat, nec liceat defendi, quod non licet credi; cùm ſecundùm Euangelicas auctoritates, ſecundùm Propheticas voces, Apoſtolicamque doctrinam, pleniſſimè, & lucidiſſimè per literas, quas ad B. Memoriæ Flauianum Epiſcopum miſimus, fuerit declaratum, quæ ſit de Sacramento Incarnationis Domini noſtri Ieſu Chriſti pia, ac ſincera confeſſio.

In epiſtola 1. S. Agathonis ad Imperatores Conſtantinum, Heraclium, & Tiberium, quæ lecta eſt in actione 4. Concilij ſexti Generalis plurima ſunt, quæ iudicium Romani Pontificis vt certiſſimum à Concilijs Generalibus recipi docent. Eiuſmodi ſunt iſta: [Cuius (Petri) annitente præſidio, hæc Apoſtolica eius Eccleſia numquam à via veritatis in qualibet erroris parte flexa eſt, cuius auctoritatem, vtpote Apoſtolorum omnium principis, ſemper omnis Catholica Chriſti Eccleſia, & vniuerſales Synodi fideliter amplectentes, in cunctis ſecutæ ſunt.

Adrianus I. eadem conſtantia ſcribit epiſt. 2. ad Taraſium Patriarcham Conſtantinopolitanum. [Sed veſtra ſanctitas, inquit, eiſdem pijſſimis Imperatoribus, & triumphatoribus alacriter ſuggerat, vt inprimis Pſeudoſyllugus (id eſt, falſus Cœtus, ſeu Conuentus) ille, qui ſinè Apoſtolica Sede inordinatè, & inſyllogiſticè factus eſt aduersùs venerabilium Patrum traditionem contra Diuinas imagines anathematizetur, præſentibus Apochriſarijs noſtris, & omne zizanium eradicetur ab Eccleſia, & Domini noſtri Ieſu Chriſti ſermo compleatur; quia portæ inferi non præualebunt aduersùs eam: Et rurſus: Tibi dabo claues Regni cælorum, & quæcumque ſolueris ſuper terram, erunt ſoluta, & in cœlis.

Non ſoli Pontifices ſupremam hanc auctoritatem tribuerunt. S. Flauianus Conſtantinopolitanus epiſt. ad S. Leonem, quæ refertur in actis Concilij Chalcedonenſis part. 1. num. 4. ſolam S. Leonis auctoritatem ſufficere affirmat ad extinguendam Eutycheris hæreſim abſque conuocatione Concilij Generalis. Itaque Chalcedonenſe, quod poſteà fuit habitum, neceſſarium non fuiſſet, niſi hæreſiarcha ille ope Dioſcori Patriarchæ Alexandrini, & Cryſaphij Theodoſij Iunioris Imperatoris Eunuchi ope, Epiſcopos in latrocinio Epheſino ad ſuas partes vi armata traxiſſet, aut in exilium mittendos curaſſet, quod horrendam in Eccleſia Orientali pepererat confuſionem. Similes cauſæ, non autem incertitudo iudicij Summorum Pontificum in cauſis fidei, aliorum Conciliorum Generalium celebrandorum neceſſitatem induxerunt. Sunt autem hæc S. Flauiani verba in epiſtola prædicta: [Cauſa eget ſolummodò veſtro ſolatio, atque defenſione, qua debeatis conſenſu proprio ad tranquillitatem, & pacem cuncta perducere: Sic enim hæreſis, quæ ſurrexit, & turbæ, quæ propter eam factæ ſunt, faciliimè deſtruentur, Deo cooperante per veſtras ſanctiſſimas litteras. Remouebitur autem, & Concilium, quod fieri diuulgatur, quatenus nequaquam vbique ſanctiſſimæ turbentur Eccleſiæ.

Non enim, inquit Barlaamus Epiſcopus Gyracenſis ad amicos ſuos in Græcia conſtitutos ſcribens, [eò quòd ſit maioris auctoritatis, & quòd magis poſſit Generale Concilium, quàm Apoſtolica Sedes, Generalia aggregantur Concilia, ſed quia incidentes quæſtiones difficiliores ſint, & maiori indigeant diſcuſſione.] Eſt autem Summi Pontificis, vt patet ex Concilio Tridentino Seſs. 25. de recip. & obſeru. decret. Concil. diſcernere, an tanta ſit difficultas, vt Concilij Generalis conſilio indigeat.

Ioannes Monachus ſup. 6. Decret. de ſent. & re iudic. cap. ad Apoſt. num. 3. v. Reuocare. Concilij Generalis conſilium ad ſolemnitatem tantùm requiri affirmat. [Nota, quòd Papa ſententiam ſuam non ſuppoſuit correctioni, vel emendationi de conſilio Concilij, ſeu aliorum, ſed ſuæ emendationi dumtaxat reſeruauit, ſed dicit quòd ſuper emendatione ſententiæ ſuæ conſilium Concilij quæreret, & hæc requiſitio non eſt neceſſitatis, ſed ſolemnitatis tantùm: quia Papa ſine Concilio poteſt procedere ad ſententiam, cum habeat plenitudinem poteſtatis] 2. quæſt. 6. Decret. 1. de pœnit. & remiſſ. Cùm ex eo. in fine, numer. 4. Et Papa dat robur Concilijs, non è contra ſup. de elect. capitulo Significaſti.

Obiectio.

Inſtari poteſt ex parte aduerſa, hiſce argumentis non tam probari abſolutam neceſſitatem ad conſummatam in controuerſijs fidei dirimendis infallibilitatem obtinendã, quàm neceſſitatem ſecundùm quid dumtaxat, & ad melius eſſe, cùm cæteroqui ex ſolius etiam Summi Pontificis iudicio ſtaret omnimoda circa fidei dogmata infallibilitas. Hoc verò nequaquam videri conſentaneum Sacræ Scripturæ, ſecundùm quam Petrus Matth. 16. noſcitur quidem à Chriſto dotatus Petræ in rebus fidei prærogatiua, vt tamen iſta Petræ firmitas non aliter ſubſiſteret; niſi quatenus ſuper hanc Petram ædificatio non eſt, niſi per fidem, quæ eſt ſubſtantialis forma Eccleſiæ; atque adeò oporter, fidei conſenſum in Eccleſia interuenire, vt Petræ firmitas circa fidei dogmata in Summo Pontifice ſubſiſtat. Hic autem Eccleſiæ conſenſus, licèt haberi poſſit ex vnanimi fidelium, Paſtorum præcipuè, atque Doctorum Eccleſiæ circa aliquam fidei veritatem conſenſione, attamen ſingulariter, & compendioſè, attamen ſingulariter,

ter, & compendiosè obtinetur ex Concilij Oecumenici, Ecclesiam Vniuersalem repræsentantis, cum Capite Summo Pontifice auctoritatiua consensione. Quia igitur consummata in rebus fidei infallibilitas est in Summo Pontifice, quà Petra, super quam ædificata est Ecclesia, istud verò Ecclesiæ ędificium est per fidem, atque adeò per Ecclesiæ circa fidei dogmata cum Capite consensionem, hic verò consensus auctoritatiuus obtinetur per definitionem Concilij Oecumenici Ecclesiam Vniuersalem, vnà cum Capite repræsentantis, ideo antecedenter ad eiusmodi dogmaticam Concilij Oecumenici decisionem non videtur, ex solius Summi Pontificis iudicio, subsistere consummata in controuersijs fidei vltimatè decidendis infallibilitas: quippe cùm Christus cit. 16. Matth. non aliter promiserit, fore, vt portæ inferi non præualerent aduersùs Ecclesiam, nisi quatenus hæc esset ædificata supra Petram, quæ est Summus Pontifex, atque adeò quatenus consensio fidei in Ecclesia intrà Concilium Oecumenico repræsentata, accederet ad Papæ iudicium.

Responsio.

Ex eo namque, quòd Petri successor Summus Pontifex sit Petra, super quam ædificatur Ecclesia, redditur manifestè consequens, petræ circa fidei dogmata firmitatem in Summo Pontifice esse anteriorem consensione Ecclesiæ, in Concilio Oecumenico repræsentatæ. Probatur ista sequela. Etenim Petra illa, super quam ædificata est Ecclesia, se habet ad istud officium per modum quasi causæ, seu fundamenti; vti patet ex ipsis terminis. At causa est anterior effectu, fundamentumque est prius ædificio, quod illi superstruatur. Petri igitur successor iam antecedenter ad Ecclesiæ in Concilio Oecumenico repræsentatæ consensionem est Petra, cui superstruitur Ecclesia. At ædificatię Ecclesiæ eatenus est per fidei consensum, quatenus fides est ipsa substantialis Ecclesiæ forma. Ergo antecedenter ad Ecclesiæ in Concilio Oecumenico, ad fidei dogmata concurrente, repræsentatæ consensionem, iam subsistit in Summo Pontifice petræ firmitas, atque adeò iudicij ipsius in rebus fidei omnimoda infallibilitas.

Replicata Obiectio.

Ex parte aduersa replicari potest. Ex hoc equidem, quòd Petri successor sit Petra, super quam ædificata est Ecclesia, euinci, Summum Pontificem adinstar fundamenti se habentem respectu Ecclesiæ, esse quasi huius primariam causam materialem. At certum esse, quòd formalis causa Ecclesiæ sit consensio fidei, sicque antecedenter ad istam, Petri successor sit quidem petra quasi materialis Ecclesiæ, at quoad formalem petræ in rebus fidei firmitatem, non conuenire hanc prærogatiuam Petri successori, nisi pro eo instanti, quo super ipsum, ceu petram est ædificata Ecclesia, quæ tamen ædificatio formaliter non consummatur, nisi per Ecclesię in dogmatibus fidei cum Capite consensionem. Hanc igitur Ecclesiæ in Concilio Oecumenico repræsentatæ consensionem in genere causę quasi formalis anteriorem esse formali petrę in rebus fidei firmitate, atque adeò infallibilitate omnimoda, & consummata.

Responsio.

Etenim in præadductis Christi Domini verbis studiosè obseruandum est, Petri successorem pro illo instanti, quo super ipsum erat superstruenda Ecclesia, iam formaliter denominari petram: siquidem Christus Dominus disertè dixerit, se super petram non personaliter, & materialiter sumptam, sed qua petram, ædificare velle Ecclesiam, aduersus quam portæ inferi non præualerent. At Petrus, eiusque successor, qua petra portis inferi certò præualiturа, non potest pro eo instanti, quo per Christum formaliter denominabatur petra, non obtinuisse fidei firmitatem. Hoc verò instans, petræ formaliter denominans, non potest non habere prioritatem causæ respectu Ecclesiæ super eam ædificandæ. Quia igitur Petri successor est fundamentum Ecclesiæ qua petra, nequit autem hanc petræ denominationem formaliter habere, nisi ex firmitate omnimodæ in rebus fidei infallibilitatis; illa ipsa verò petra, qua Ecclesiæ fundamentum, habet prioritatem respectu Ecclesiæ formaliter per fidei consensionem superstruendæ, ideò in Petri successore formalis fidei firmitas eatenus est fundamentum Ecclesiæ, vt consequenter hæc sit antecedens Ecclesiæ à Concilio Oecumenico repræsentatæ in rebus fidei consensionem. At verò Petri successor qua petra fidei firmitatem obtinens, pro instanti Ecclesiæ consensionem antecedente, non potest intelligi, nisi sub statu iudicij omnimodè certi, & infallibilis circa fidei veritates. Ergo hæc in rebus fidei omnimoda iudicij certitudo, & infallibilitas est in Papa antecedens Ecclesiæ in Concilio Oecumenico repræsentatæ consensionem.

CONCLVSIO.

In expendenda tum Ecclesiæ intrà Concilium Oecumenicum repræsentatæ, tum Pontificis Maximi qua petræ, seu fundamenti Ecclesiæ, in rebus fidei decidendis infallibilitate, plurimùm iuuat, vt discernatur inter certitudinem quoad se, seu quoad ipsam rei veritatem, & quoad nos, siue in ordine ad fidelium intelligendi modum,

Explicatur. Commune Theologorum adagium est, Summum Pontificem circa res fidei habere infallibilitatem, non qua priuatum Doctorem, sed quatenus decernit vti summum Ecclesiæ Caput, siue, vti loqui solent, quatenus definit ex Cathedra, siue ex prærogatiua petræ, super quam ædificata est Ecclesia. Hanc distinctionem non esse nouam,

uam, sed antiquissimam, insigniter probat Auctor Regalis Sacerdotij lib. 3. §. 1. Etenim in veteri iam Lege celebre illud Oraculum Vrim, & Thummim, quod in ambiguis, obscurisque rebus summum Sacerdotem edocebat, atque ab eodem ad pectus gestabatur, non priuatæ, & domesticæ vesti, sed pontificali, & solemni inscriptum erat, Exodi 28. Deo hac ratione ostendente, munus Ecclesiam instruendi, & in causis ambiguis iudicandi, ad summum quidem Sacerdotem pertinere, non tamen semper & vbique, sed cùm Pontificem agit, tunc enim & non aliàs, eum cęlitus, ne fallat, aut fallatur, illustrari. Hæc causa fuit, vt Sacerdotes numquam ad consulendum Oraculum accederent, ab eoque responsum accipetent, nisi priùs Ephod induissent; vt patet 1. Reg. 23. & 30. Quæ vestis erat auro texta, varijsque ex serico coloribus distincta, & cui Oraculum insertum erat.

Sic Matthæi 23. iubet Christus Scribas & Pharisæos audiri, eorumque doctrinam obseruari, quia super Cathedram Moysis, & Prophetarum sederunt: quasi tota radix, & origo eorum in docendo auctoritatis, Cathedræ adstricta esset, quam publicè docentes insedebant: alioquin priuatas opiniones, & sententias quod attinet, certum est, multa Pharisæos docuisse impia, legique diuinæ, & naturali omninò contraria, vt habetur Matth. 23.

Sic etiam sexta Synodus Constantinopolitana sub Agathone Papa epistolam eiusdem Agathonis approbat, summisque laudibus extollit, & in illa non tam Agathonem, quàm Petrum locutum fuisse dicit sess. 8. & 18. agnoscitque Cathedram Petri, eiusque successores omnis hæresis expertes esse: & tamen sess. 13. Honorium I. Romanum Pontificem hæreticum fuisse dicit, eumque damnat: vbi manifestè Concilium differentiam indicat inter Pontificem è Cathedra, ac sententialiter, & ex priuata tantùm opinione docentem; & in hoc casu errare posse, nam in ptimo non admittit.

Sępè etiam S. Augustinus contra Donatistas disputans, Cathedram à persona, hoc est, errorem personalem à Cathedrali distinguit; hunc negat in Petri successores cadere; illum concedit. Vide eiusdem B. Augustini epistolam 165. Imò B. Apostolus, & ex illo Symbolum nostræ religionis Ecclesiam Catholicam sine ruga & macula, & sanctam esse profitentur, cùm tamen maior pars Ecclesiæ sint peccatores; imò qui dicit, se absque peccato esse, mendax sit 1. Ioann. 1. Quomodo ergo Ecclesia est sine ruga, & macula, & tota pulchra? nisi quia non tam priuatæ personæ, quæ Ecclesiam Catholicam componunt, attendendæ sunt, quàm publica illius forma, quæque ad omnes pertinet, hoc est, leges, doctrina & Sacramenta, quæ omnia sancta sunt, omnemque maculam peccati excedunt. Sic ergo, cùm dicimus, Romani Pontificis iudicium in rebus fidei esse vltimum, infallibile & irreformabile; de Romano Pontifice loquimur, non vt priuata persona est, aliorum Doctorum instar scribit, docetque; sed vt Pontifex est, & ex pontificali auctoritate Ecclesiam Vniuersalem docet, ac rebus maturè discussis, causam aliquam definit, & quæ definiuit, iubet tamquam fidei veritatem haberi, & qui non habent, creduntque, hæreticos pronunciat.

Hoc ergo est Pontificem agere, & è Cathedra loqui, quod nulli Doctorum, aut Episcoporum conuenit. Sicuti ergo in antiquo Testamento non omne Pontificis responsum oraculum fuit: & in Christo Domino non omnis actio diuina, sed etiam humana, & mixta, seu Theandrica; nec omnis in eodem Christo scientia infusa & increata, sed etiam creata, & acquisita, & capax incrementi, imò imperfecta, & aliquid habens nescientiæ Marci 13. vers. 31. [De die autem illa, vel hora nemo scit, neque Angeli in cælo, neque filius, nisi Pater.] Eodem modo non omnis actio procedens ab anima rationali, est rationalis: nec omnis notitia, quam de causa aliqua iudex habet, est publica & iudicialis, & ideò communiter & Theologi, & Iurisperiti docent, teneri Iudicem sententiam proferre non ex priuata, sed publica scientia; Cap. 28. de offic. Iudicis delegati. Sic etiam non omnis actio, & doctrina Pontificis est pontificia, sed sicut in Beatis visio beatifica, & matutina non absorbet vespertinam, ita & Pontifex aliqua facit, vt homo, aliqua vt princeps, aliqua vt Doctor, aliqua vt Papa, hoc est, vt Caput & fundamentum Ecclesiæ: & his solis actionibus priuilegium infallibilitatis adscribimus: alias humanæ conditioni relinquimus: sicut ergo non omnis actio Papæ est papalis, ita non omnis actio Papæ papali priuilegio gaudet.

Sed quando, inquies, dicendus est Papa loqui ex Cathedra, vt sic dignoscatur absque vllo errandi periculo definiuisse; Auctor præcitati Regalis Sacerdotij dicto §. 1. num. 2. rem hanc ita explicat. Vt dicatur Papa decidisse ex Cathedra, non oportet, illum certo alicui medio, aut consultationi alligari: frustra enim alioquin & inefficax foret in Papa talis auctoritas, nam cuius error damnatus esset, prætendere semper posset, illegitimè damnatum esse, quòd Papa paucos consilio adhibuisset, aut imperitos rerum, aut odio ductos, aut denique præconcepta opinione occupatos, & partium studijs addictos, quæ omnia hæretici nostri temporis Concilio Tridentino obiecerunt. Modò ergo non constet, Romanum Pontificem in rebus fidei decidendis temerè processisse, omninò illius iudicio standum est, Deoque curæ erit, non permittere, vt absque sufficienti examine, & prudentiæ sententia feratur, eius enim est, qui finem constituit, etiam media fini necessaria curare: frustra alioquin Deuteron. 17. Matth. 23. & 18. & Lucæ 10. Ecclesiæ, & Sacerdotis imperio obtemperari etiam sub pœna mortis iuberet, quibus semper à subditis opponi posset, sine sufficienti examine, & imprudenter imperatum esse. Et ideò in Tridentino Concilio sess. 25. de Reformat. cap. vlt. in fine. Romani Pontificis prudentiæ, & discretioni committitur, quem in rebus ambiguis definiendis, industriæ modum adhibere velit. Verba Concilij sunt: [Quòd si in his recipiendis decretis difficultas aliqua oriatur, aut aliqua inciderint, quæ declarationem, aut definitionem postulant; præter alia remedia in hoc Concilio institu-

ta,

sa, confidit S. Synodus, Beatissimum Romanum Pontificem curaturum, vt vel enocatis ex illis presertim prouincijs, vnde difficultas orta est, ijs, quos eodem negotio tractando viderit expedire, vel etiam Concilij Generalis celebratione, si necessarium iudicauerit, vel commodiore quacumque ratione ei visum fuerit, & prouinciarum necessitatibus pro Dei gloria, & Ecclesiæ tranquillitate consulatur.] Quibus taliter præsuppositis, per subsequentes probationes ostendemus; Tum in quo consistat formalis ratio Summi Pontificis qua ex Cathedra loquentis; Tum quòd fidei firmitas quoad se, & secundùm eei veritatem sit in Summo Pontifice antecedens Ecclesiæ consensionem, & eamen quoad nos, respectu huius dici possit esse consequens cum aliqua signi, seu naturæ quasi posterioritate.

PROBATIO I.

Qua ostenditur Summus Pontifex loqui ex Cathedra, seu petra, super quam fundata est Ecclesia, prærogatiuâ, quatenus decernit ex ipsamet sibi intrinseca fide diuina per Spiritum sanctum mota, & excitata, quà sui in Ecclesiam diffusiua, & propagatrice.

QVis enim ambigat, Apostolicam Petri Cathedram esse ipsissimâ illam petram, super quam ædificata est Ecclesia? Hæc autem Petra quid aliud est, quàm firmitas in huius natura intrinsecè, & formalitet importata? Eatenus igitur loquitur Papa ex Cathedra, quatenus Spiritus sanctus circa aliquod fidei dogma monet in ipso fidei lumen (quo intrà ipsum extincto, mox desineret esse Caput Ecclesiæ) ad eidem primitus in se ipso ex Primæ Veritatis motiuo assentiendum, indeque fidelibus sub eiusdem Primæ Veritatis firmitate proponendum, eodem Spiritu sancto, per quem stat illa fidei Petra, vi gratiæ suæ intra Ecclesiam propagante eiusdem fidei consensionem. Hoc insinuauit Christus Dominus Lucæ 22. dicens Petro: [Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua. Et tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos.] An non enim istis verbis apertè indicatur fidei firmitas in Petro eatenus fuisse radicata, vt ex ipso sit deriuanda in cæteros fratres? Quæ verò alia hæc est fidei firmitas, nisi quæ in ipsissima eiusdem per Primam Veritatem immediatè specificata natura formalissimè importatur? Quæ autem maior excogitabilis est veritatis certitudo, ac firmitas, quàm illa, quæ subsistit per Primæ Veritatis, sub obscuræ licèt reuelationis velamine contectæ, attamen in se immediatè attactæ, atque vt sic motiuæ, formalem in quarto perseitatis modo specificationem? Quandoquidem igitur iudicium Papæ in definiendis dogmatibus fidei importet talem ex Prima Veritate, in se immediatè attacta, & vt sic motiua, in quarto perseitatis genere specificationem formalem; oportet, tale Papæ iudicium ea niti infallibilitatis præeminentia, vt tam non sit reformabile, quàm nefas foret, dicere, fidem ipsam, atque adeò Primam Veritatem esse reformabilem. At eo ipso, quòd ista in Petri Successore ceu Petra fidei firmitas circa fidei dogmata intra Ecclesiam propaganda, ita sit primitus in Papa, vt exinde oporteat, per Petri, eiusque Successoris in fide firmitatem confirmari cæteros fratres, cunctosque adeò eidem subordinatos Pastores, qui in Concilio Oecumenico Ecclesiam quoque Vniuersalem repræsentantes, oportet, fidei firmitatem in Petri Successore stipatam esse vlteriori Spiritus sancti assistrice gratia, in vi cuius loquens ex Cathedra sua Apostolica eatenus proferat infallibile fidei iudicium, vt per eiusdem Spiritus sancti motionem reliqui Ecclesiæ Pastores, ac Episcopi, qua in Concilio Generali sub Vicario Christi charactere aggregati, sub sua cum Papa consensione Vniuersalem Ecclesiam plenè repræsentantes, eiusdem fidei luminis iudicium super dogmate definiendo in seipsis concipientes, super Ecclesiæ candelabro exponant tale fidei dogma, qua ex Primæ Veritatis motiuo credendum à cunctis Christi fidelibus. Constat igitur, Papæ qua ex Petra, seu Cathedra Apostolica loquentis iudicium eatenus esse in se irreformabile etiam antecedenter ad Ecclesiæ consensionem, vt per Spiritus sancti assistentem gratiam sit ipsissimæ huius fidelium, imò & Ecclesiæ Pastorum in Concilio etiam Generali congregatorum consensionis principium quasi propagatiuum.

Obiectio.

Sed obijcient fortassis aduersarij, quòd Conciliorum Oecumenicorum procedendi modus eum teneat ordinem, vt Patres priùs consultent, ac per maiora suffragia decernant de fidei Dogmatibus sanciendis, quàm Summi Pontificis expostulent approbationem, atque consensionem. Sub ipsissimo autem hoc decernendi modo Patres in Concilium Oecumenicum coadunati, Dogmata fidei non aliter statuunt, nisi vel ex immediato Verbi Diuini sensu, per fidei Diuinæ assensum vtique formalem asserto, ac determinato, vel ex lumine principiorum fidei inter se, siue etiam cum veritatibus lumine naturæ notis, eatenus collatiuo, vt per illationem omnimodè certam inde eruantur conclusiones, quæ loco fidei Dogmatum habendæ statuantur. At lumen illud, fidei principiorum dicto modo collatiuum, indeque illatiuum conclusionum, quæ inter fidei Dogmata per Concilij Oecumenici definitionem recensendæ sanciuntur, eatenus resoluitur in Primam Veritatem reuelantem, vt ex hac ipsissima fidei infallibilitas transfundatur etiam in conclusionem, dum scilicet, vt superiùs dictum fuit, mediante Theologica, certitudinem quoque Metaphysicam superexcedente illatione resoluitur in ipsissimam Primam Veritatem formaliter, ac immediatè reuelantem principium talis Theologicæ illationis, per quam conclusio in suo principio virtualiter contenta, eatenus eruitur, vt sub ipso fidei lumine ex tunc per Oecumenici Concilij definitio-

nitionem declaretur fidei Dogma. Quia igitur hìc vniuersus Patrum processus in Concilio Oecumenico est antecedens Papæ approbationem, consequens est, fidei firmitatem, in fidei Dogmatibus inter Concilium huiusmodi definiendis, per prius esse in Patribus, quàm in Summo Pontifice.

Responsio.

Discernere namque, oportet, fidei firmitatem tum quoad substantiam cuique actui per Primæ Veritatis reuelantis motiuum specificato inexistentem, tum quoad sui ad alios propagationem, siue quoad respectum erga Ecclesiam, ac fideles vniuersos, vti etiam quoad vim necessitatis ad credendum constringentis. Si ergo de illa priori fidei firmitate sit sermo, facilè concedo, posse in Patribus Concilij Oecumenici fidei Dogma ex Dei verbo concludentibus priùs inexistere, quàm Summi Pontificis approbatio accesserit. At si fuerit sermo de vi Dogmatum fidei ad vniuersam Ecclesiam, cunctosque fideles sub necessitate obligationis moralis ad credendum omnimodè constringentis propagatiua, tunc isthæc minimè subsistit ex Concilij adhuc acephali, seu Patrum fidei Dogmata ex Verbo Dei concludentium consensu, Summi Pontificis approbationem antecedente, sed ea vis ad credendum conuincens, sub consummata fidei Dogmatum infallibilitate resultat primùm, vbi Duo, nempe Ecclesiæ sanctæ Caput Papa, nomen, ceu proprium à Christo Matthæi 18. constitutum Concilij Oecumenici characterem præferens, ac reliquum ex Patribus in nomine Christi coadonatis consistens Hierarchicum Ecclesiæ Corpus consenserint in Dogma concordi suffragio stabiliendum. Cuiusmodi proinde Duorum, & Capitis, & Hierarchici Corporis Ecclesiam Oecumenicam perfectè, & completè repræsentantium, in Dogmate definiendo consensio, est quoddam quasi compositum morale, respectu cuius Patrum in Concilio Oecumenico coaduoatorum, aliquod fidei Dogma decernentium, conclusio ad instar inanimati corporis, sicque per modum quasi materialis se habet antecedenter ad auctoritatiuum characteris, Christum in Papa Vicariè repræsentantis, dogmaque in Synodo præcipuè adhuc acephala conclusum approbantis accessum: adeò vt omnimoda Dogmatis definiti infallibilitas cum vi vniuersam Ecclesiam, cunctosque ac singulos fideles ad credendum constringente, non priùs subsistat, quàm Papæ auctoritatiua consensio, & approbatio accesserit; vti pluribus in secundo articulo ostensum.

Vnde in ordine ad eam consensionem, fidei omnimoda infallibilitate ex Christi promisso munitam, Papæ ad fidei Dogma à Concilij Patribus definitum auctorizatiuus accessus se habet ad instar formalis, vtpote quasi vitam, & animam tam Concilio Oecumenico, quàm Dogmati per hoc definiendo tribuentis. Eo ipso autem, quòd Papæ ad fidei Dogma condendum consensio aliter non fiat, nisi ex auctoritate Cathedræ Apostolicæ, seu Petræ, super quam ædificatur Ecclesia, hæc verò Ecclesiæ super Apostolicæ Cathedræ petram fundatæ ædificatio, non nisi per fidem sit subsistens, sicque præsupponat in hac Petra fidei firmitatem Diuinitùs stabilitam, idcircò manifestè hinc euincitur, fidei firmitatem in Cathedræ Apostolicæ Petra ad illud Duorum, scilicet Capitis, & Corporis Hierarchici, Ecclesiam in Concilio Oecumenico perfectè repræsentantium consensionis, quasi compositum morale ita se habere, vt fidei firmitas in Papa, ceu Capite Ecclesiæ sit antecedens infallibilitatis in fidei Dogmatibus consummatæ vim ad credendum vniuersos fideles constringentem, eò vel maximè, quòd se habeat per modum quasi formæ, seu animæ, sicque adeò aliquam respectu illins præferat causæ prioritatem, ac respectu Decretorum à Concilij præcipuè adhoc acephali Patribus conclusorum, qua illa vi ad ad credendum constringente superuestiendorum, importet formæ, seu quasi animæ præeminentiam.

PROBATIO II.

Qua ostenditur fidei firmitas quoad se, & quoad ipsam rei veritatem esse quidem in Summo Pontifice antecedens Ecclesiæ consensionem, attamen quoad nos respectu huius dici possit consequens cum aliqua signi, seu naturæ quasi posterioritate.

Alia principij cuiuspiam certitudo omnimoda, est quoad se, quemadmodùm superiùs dictum est, iudicium Papæ qua ex Petra, seu Cathedra Apostolica definientis, vtpote formalissimum fidei actum ex Prima Veritate in se immediatè attacta specificatum, esse certitudinis omnimodæ, ac prorsùs consummatæ. Alia verò principij cuiuspiam certitudo est quoad nos, in vi cuius veritas per se omninò certa, ita applicatur ad nostrum intellectum, vt hunc conuincere valeat ad sui assensum. Quamuis proinde iudicium Papæ ex Cathedra loquentis sit omnino certum, etiam antecedenter ad Ecclesiæ consensionem: attamen quæstio hìc est, quo medio, & argumento certificari valeamus, quòd, cùm Papa vti Doctor priuatus errare possit, circa aliquod fidei dogma loquatur ex Cathedra Apostolica, suum adeò iudicium ex ipso fidei lumine in publicum proferendo? An ex nuda Papæ ad Vniuersam Ecclesiam se loqui profitentis assertione tale extet argumentum conuincens, per quod omninò certi simus, ipsum loqui ex Petra, & Cathedra Apostolica? Sed ex quo Dei Verbo vel tradito, vel scripto exeat nobis manifestum argumentum, nos plenè conuincens, per hanc nudam assertionem Papæ antecedenter ad Ecclesiæ consensionem assecurari nos de hoc, quòd Papa loquatur ex Cathedra? Multum equidem ponderis subesse credimus in diplomate Pontificio, talem assertionem præferente, ita vt tutum non sit, ab ea declinare, sed quo fidei argumento inde certificamur de Papæ, qua ex Cathedra loquentis verbo non iam huma-

no,

no, sed Diuino, quamdiu ei non accesserit, vel Ecclesiæ sanctæ in Concilio Oecumenico repræsentatæ, vel vniuersorum Ecclesiæ Doctorum, ac fidelium vnanimis comprobatio?

Harum verò alterutra accedente, scientes ex sacris Literis: [Ecclesiam esse columnam, & firmamentum veritatis;] eatenus assecuramur de hoc, quòd Papa ex Cathedra sua Apostolica definierit, sicque ipsissimum Dei verbum ex fidei lumine per Spiritum sanctum primitùs intrà ipsum moto, ac excitato, ac inde ad Ecclesiæ consensionem propagato, verè protulerit, vt huic equidem Papæ verbo, & iudicio ex consensione Ecclesiæ nihil accrescat certitudinis fidei, quippe cùm ex huius intrà Papam Diuinitus excitati luminis emanatione, iam subsistat omnimoda per Primam Veritatem in se immediatè attactam specificata fidei certitudo omnium maxima, nullum adeò in se admittens formale incrementum. Nihilominùs, quia Ecclesia consensio facem præfert argumenti, conuincentem prudentialis fidei credibilitatis euidentiam practicam importantis, idcircò ex tali Ecclesiæ consensione accrescit Papæ iudicio aliquod certitudinis practicè conuincentis fundamentum, vt exinde iam dici queat quod nos reddi certiùs, quòd Papæ iudicium ex Petra & Cathedra ipsius Apostolica promanarit.

PROBATIO III.

Prioris continuatiua, & explicatoria per similitudinem mox exponendam.

ADaptari hic percommodè potest illud Christi verbum Matth. 5. dicentis: [Neque accendunt lucernam, & ponunt eam sub modio, sed supra candelabrum, vt luceat omnibus, qui in domo sunt.] Dum namque Papa definit ex Cathedra Apostolica, profert verbi Diuini lucernam, ex ipso fidei lumine accensam, primitus quidem pectore suo reconditam, sed posteà diplomate suo fidelium conspectui exponi inchoatam, vbi verò consensione Ecclesiæ est comprobata, super candelabro eatenùs positam, vt luceat omnibus, qui sunt in domo sanctæ Ecclesiæ. Hæc enim Ecclesiæ vel in Concilio Oecumenico repræsentatæ, vel in fidei vnitatem conspirantis consensio, est quasi candelabrum, præbens euidentiam credibilitatis prudentialis, in vi cuius argumentum practicè conuincens resultet ac fidei assensum, Verbo Dei per Papam ex Cathedra loquentem definito necessariò præbendum. Quemadmodum igitur candelabrum nihil lucis affundit lucernæ super ipsum positæ, attamen hanc adaptat, vt lucere possit omnibus, qui in domo sunt, sic Papæ ex Cathedra definientis iudicium ipsa per primam Veritatem specificata certitudine collucens, nullum certitudinis fidei propriæ incrementum recipit ex Ecclesiæ consensione, attamen per hanc, ceu prudentialis credibilitatis practicè conuincentem euidentiam adaptatur, vt luceat omnibus, qui sunt in sancta domo Ecclesiæ, quatenus ex Ecclesiæ consensione resultat obligatio, sub ipsa fidei necessitate constringens ad assentiendum dogmati per Papam definito, in vi cuius oporteat, ex respectu dogmatis tali modo super candelabrum positi, intellectum captiuare in fidei, ac primæ Veritatis obsequium.

Corollarium.

EX dictis infertur. Hanc propositionem. [quòd iudicium Papæ ex Cathedra loquentis sit omnimodè certum, ac irreformabile,] non ineptè æquiparari posse cum ista propositione, quòd de fide sit, Innocentium XI. esse Papam legitimum, Christi in Ecclesia Vicarium, Pastorem Oecumenicum. Explicatur. Quemadmodùm enim ista posterior propositio est de fide, quatenùs continetur in hac vniuersali, quòd [legitimus Petri successor sit Christi in Ecclesia Vicarius, & PastorOecumenicus,]sic dogma à Summo Pontifice definitum est de fide, quatenùs continetur sub ista vniuersali, [quòd Petri Successor loquens de Cathedra Apostolica sit Petra, super quam ædificatur Ecclesia,] cumque Ecclesiæ ædificatio sit formaliter per fidem, oportet, quòd dogma à Papa taliter definitum sit fidei verbum. Quamuis proinde extiterit fide Diuina certum, quòd Innocentius XI. ab illo statim instanti, quo per Cardinalium designationem cœpit esse legitimus Petri successor, inceperit esse Christi in Ecclesia Vicarius, & Pastor Oecumenicus, attamen ipsissima hæc fidei veritas quoad nos ex tunc primùm accepit conuincentem prudentialis credibilitatis euidentiam practicam, quando non rumoribus duntaxat humanis, seu litteris quantumuis authenticis fuit ad nos delata, sed quando ei accessit consensio Ecclesiæ. Pari igitur ratione, si Papa ex Cathedra definiat fidei articulum, litteræ quantumuis authenticæ vltimam quoad nos certitudinem, & prudentialis credibilitatis euidentiam consummatam sub fidei necessitate constringentem ad credendum non adferunt, quod Papa sit locutus ex Cathedra, sicque adeò dogma tamquam de fide certum definitum fuerit, nisi mediante Ecclesiæ in Concilio Oecumenico repræsentatæ, vel in fidei vnitatem conspirantes consensione.

DISQVISITIO III.

Vtrùm ex sacris Litteris demonstrari queat, Papæ ex Cathedra loquentis iudicium esse irreformabile?

§. I.

HVius quæsiti resolutionem affirmatiuam firmant Doctores iisdem semper sacræ Scripturæ testibus, diuersimodè licèt pro ingeniorum varietate applicatis. Quia proinde ipsissima hæc iudiciorum in hominibus discrepantia delectatur differentibus proponendi modis, visum nobis est operæ pretium, aliorum Doctorum

iudicia hæc super re priùs audire, quàm vt nostram ex iisdem Diuinis Oraculis argumentandi methodum proferamus.

Author igitur de libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ cit. lib. 7. cap. 2. ad præsens institutum, sequenti norma procedit. Summum Pontificem, inquiens, esse Caput Ecclesiæ, professi sunt etiam ipsi Episcopi Parisijs anno proximè præterito congregati ad cohibendam Curiam Romanam, ne, vt ipsi metuere videantur, iurisdictionis Episcopalis iura paulatim inuaderet, & infringeret. Et sanè Concilium Constantiense, cui Galli tantùm deferunt, inter alios Wiclephi articulos, illum damnauit, qui hanc Papæ dignitatem, auctoritatemque abrogabat. Quonam autem fundamento nititur Catholica doctrina, hæreticorum, & schismaticorum acephaliæ opposita? Vbinam Euangelij de Pontifice Romano fit mentio, cùm ne quidem Pontifex Romæ existeret, quando res in Euangelio narratæ gestę sunt? Sufficit, inquiens, vt certò sciamus, Summum Pontificem esse successorem S. Petri, vt inde certò etiam colligamus, illum huius esse dignitatis, & auctoritatis hęredem. Ita est omninò. Ad Diuinam enim prouidentiam pertinet, vt quibus idem confert officium, eamdem tribuat auctoritatem.

Atqui euidentiùs in Scripturis (de Traditione enim constabit ex sequentibus capitibus) patet, D. Petrum, vt supremum Ecclesię Pastorem, tam priuilegium non errandi in fide obtinuisse à Christo, quàm Romanos Pontifices fore sancti Petri successores in cura vniuersarum Christi ouium, cur ergo, qui in Romanis Pontificibus istud sancti Petri officium agnoscunt, etiam nihil à fide alienum statuendi prerogatiuam eis non concedunt? Petrum, vt Ecclesię Pastorem priuilegium non errandi à Christo accepisse, ita est in Euangelio luculenter significatum, vt nihil videatur in eo luculentius. Lucæ 22. ait Dominus: [Simon, Simon, ecce sathanas expetiuit vos, vt cribraret sicut triticum: ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.] Quocirca patet primò, Christum aliquam Petro præ cæteris Apostolis gratiam postulasse; ad eum enim singulariter dirigitur sermo: [Simon, Simon; Pro te; Fides tua; Et tu; Confirma fratres tuos.] Quodque prælationem Petri specialiùs indigitat, cùm communem omnium Apostolorum circa fidem tentationem commemorasset, reliquis prætermissis, ad Petrum solùm sermonem dirigit: [Ecce sathanas expetiuit vos; Ego rogaui pro te.] Sed quid dico prętermissis? Imò eorum expressa facta mentione, sed eo fine, vt doceat eos à Petro, vel eorum successores à successoribus eius confirmandos in fide; [Et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.] Secundò patet, hanc gratiam à Christo impetratam Petro, non vt priuatę personæ tantùm sed vt Apostolo, & Apostolorum ipsorum Pastori; [Vt non deficiat fides tua; Et tu confirma fratres tuos.] Tertiò coniunctio & causam indicare videtur, cur Christus pro Petro specialiter rogauerit, fidemque indeficientem exorauerit, scilicèt, vt alios confirmaret; [Non deficiet fides tua: Et tu confirma fratres tuos.] Quod ad officium, atque adeò ad successores pertinet.

Porrò, qua ratione alios posset confirmare, qui titubaret ipse? vel potiùs quomodò posset labentes sustinere, aut lapsos erigere, si ipse non solùm per hæresim iam corruisset, sed etiam alios per propositionem hæretici dogmatis, publicè toti Ecclesiæ factam, ad casum posset impellere? Necesse est, vt firmiter stet, cuius officium est aliorum impedire casum, aut ruinam reparare: eum, qui dux aliorum constituitur, oculis valere oportet. Alioquin illorum incolumitati non consulitur, sed vtrique ad foueam mittuntur; præsertim, dum non est alius, qui à recto tramite deuiantes moneat. Quod addo, ne quis reponat, posse fideles à Summo Pontifice deceptos ad veritatis viam reuocari à Concilio Generali. Sicut enim (quod in anterioribus notauimus) tribus primis sęculis impossibile fuit, Concilium Generale congregare, ita rotidem, & pluribus posset eadem facultas deesse, his pręsertim temporibus.

Sed vt ad propositam rationem redeamus, quo Scripturæ loco tam apertè declaratur, Romanum Pontificem esse Beati Petri successorem, & Caput Ecclesiæ, quod de fide esse, concedunt etiam Illustrissimi Episcopi Gallicani, quam eo, quod adduximus, testimonio constat, Beato Petro, vt Ecclesiæ Capiti, & supremo Pastori datam esse fidem indeficientem.

Dum Christus Ioann. vlt. suas oues Petro pascendas commisit his verbis: pasce oues meas, non ne cum officio, cętera etiam, illi ritè obeundo necessaria elargiens est; quo in genere videtur fuisse indefectibile in materia fidei iudicium. Cùm enim id maximè curare debeat spiritualis Pastor, vt fides incorrupta seruetur in grege, quippe quę radix sit, qua permanente, reuiuiscere facilè cęterę virtutes possint, qua sublata, penè omnis sublata sit spes salutis, ac sine fide impossibile sit placere Deo, vel salutem æternam consequi: conueniens omninò, vt cui suprema totius gregis Dominici cura incumbit, ea dote præditus sit, oues ipsius vocem sequentes à venenosis errorum herbis se non inficiendas, sed salubribus veritatis pascuis alendas, & impinguandas securissimè confidant.

Prętereà, vt Ecclesia, quæ est columna & firmamentum veritatis (hanc enim ei dotem tribuit Spiritus Sanctus per B. Paulum 1. Timoth. 3. firmiter stet, necesse est, vt fundamentum, quo nititur, sit in fide firmum, & inconcussum, Petrus, autem, eiusque adeò successor Romanus Pontifex est fundamentum Ecclesiæ, vt ipsemet Christus Petro reuelauit: [Et egò dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.] Matth. 16. Debet ergo Romanus Pontifex vt fundamentum Ecclesię, id est, quando toti Ecclesiæ fide credenda proponit, in fide ipse firmissimè stare, ne illo deficiente, totum Ecclesiæ corruat ędificium. Ecquis enim, nisi fortè ab Ecclesia cum modernis hęreticis extortis, concedere audeat, Ecclesiam concidere posse, dicente Christo post verba modò adducta: [Et portę inferi non pręualebunt aduersùs eam?] Quis sine horrore audiat, vel audit etiam omninò hominem blasphemantem,

tem, & conferentem Christum [viro stulto qui ædificauit domum suam super arenam?] Hinc sequeretur error hæreticorum: [Et descendit pluuia, & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & cecidit, & fuit ruina illius magna.] Nonne potiùs Christus super Petram ædificans Ecclesiam suam, assimilabitur [viro sapienti, qui ædificauit domum suam super Petram. Et descendit pluuia, & venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit?] Sed quę tantę firmitatis est causa? Fundata enim erat super Petram.] Matth. 7.

Certè non sine aliquo mysterio Christus nomen proprium Simonis in nomen Petri, aut Petrę commutauit, hoc enim tantùm significat vox græca, & ità Christus ipse interpretatur. Mysterium autem illud indicant verba supra relata: [Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.] Quorsum enim Christus post confessionem suæ Diuinitatis à Petro, reuelante Patre Cœlesti, factam, dixisset:] Tu es Petrus;] nisi eo nomine significare voluisset, se hanc ei dignitatem pro illius confessionis præmio conferre, vt immotum esset Ecclesiæ fundamentum, sicut explicant verba sequentia: [Et super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.]

Hæc autem dixit Christus Petro post publicam illam fidei professionem: [Tu es Christus filius Dei viui,] quam tantoperè laudauit Christus: [Beatus es Simon Bariona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus, qui in Cœlis est: Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, &c.] quam confessionem solus edidit Petrus, licèt interrogati omnes Apostoli fuissent: [Vos autem, quem me esse dicitis?] Vt intelligas, eum totam Ecclesiam repræsentasse, cuius futurus erat fundamentum.

§. II.

Referuntur, ac expenduntur Aduersariorum argumenta, cum responsionibus, & conclusione super ijs reflexiua.

AVctor Regalis Sacerdotij lib. 3. §. 2. nu. 4. obseruat, si Aduersarij Conciliorum auctoritatem Pontificiæ ita præferrent, vt tunc solùm Pontificis sententias, & definitiones in dubium vocarent, cùm à Concilio improbantur, tolerari, vtcumque posse: sed ipsos, nullius Concilij expectata sententia, sibi iudicium arrogare super reformanda Papæ definitione, eo solo prætextu adductos, quòd Papa extra Concilium errare possit. Circa hoc igitur prætensum, sed vti inferiùs patebit, falsum principium, videre hic lubeat, quibus aduersa pars nitatur argumentis.

ARGVMENTVM I.

Aduersariorum.

EX parte istorum opponitur. Ipsosmet sanctos Patres, & Canones dicere, quòd Pontifex in hæresim lapsus iudicari debeat à Concilio. Supponitur ergo, posse in hæresim labi.

Responsio.

Auctor præcitatus §. 9. nu. 1. respondet. Canones expressè loqui de errore personali, non iudiciali. Nempe Pontificem posse quidem hæreticum esse, non tamen posse hæresim publicè, & ex Cathedra docere, quemadmodùm Petro, ac Ecclesiæ promissum fuerit. Etenim error personalis vel occultus est, vel priuatis scriptionibus à Pontifice sine imperio inspersus, nihil adeò nocens Ecclesiæ, cùm omnes sciant, Pontificem extrà Cathedram errare posse, nec illius priuatas opiniones alio vultu, quàm priuati Doctoris legant, tantumque illis tribuant, quantum ponderis, & rationis habent. Cuius rei exemplum in Veteri Testamento habetur Num. 24. vbi Balaam Propheta Dei, quamvis vellet, maximèque percuperet, populo Israelitico maledicere, nunquam tamen Deo prohibente, potuit: [Non potero, inquiens, præterire sermonem Domini Dei mei.] Neque Summo Antiqui Fœderis Sacerdoti canebat Oraculum, nisi sacris induto, & Pontificem agenti. Idem ergo est dicendum de Romano Pontifice sequente ex Cathedra.

Obiectio.

Ex parte aduersa replicari potest. Perpetuum fore miraculum, si homo dicatur errare non posse, vel quam in se concepit, hæresim docere non posse.

Responsio.

Idem Auctor vbi supra respondet. Verum dici, si per miraculum hic intelligatur res viribus naturæ superior: neque verò istud in Ecclesia esse nouum, sed quotidianum, vti patet in iustificatione peccatorum, administratione Sacramentorum, & incruento Missæ sacrificio. Nec porrò difficilius esse Deo, agere supra, ac iuxta naturam, cùm omnia voluntate, ac nutu peragat, nihilque naturæ creatæ sit magis innatum, quàm volenti Deo obedire, vt quidquid, agente Deo, naturæ supra naturam accidit, ipsi sit magis consentaneum, quàm ipsa natura, quam Philosophi vocant potentiam obedientialem.

ARGVMENTVM II.

Aduersariorum.

EX parte aduersa licet 2. argumentari. Assistentia Spiritus sancti est Romano Pontifici ea sub conditione promissa, vt is in rebus fidei declarandis sufficientem adhibeat diligentiam, humanoque procedat modo

prout in rebus arduis, summique momenti homines solent, nec enim, si intemperijs agitato aliqua exciderct constitutio, eam continuò per fidei dogmata recipiendam esse. Vnde duplex duci argumentum.

Primum, quia vt huic necessariæ diligentiæ satisfiat, videri Concilium omninò necessarium, quippe cùm huius indicio sit supremus gradus humanæ diligentiæ, qua maior adhiberi non possit.

Secundum, quia nobis constare non potest, an Romanus Pontifex sufficientem, & inueniendæ veritati necessariam adhibuerit diligentiam, ideò etiam constare non posse de veritate ab eo factæ decisionis, vtpote quæ alligata sit illi diligentiæ.

Responsio.

Præfatus Auctor Regalis Sacerdotij cit. §. 19. num. 13. respondet. Verùm esse, quòd oporteat, Romanum Pontificem adhibitis pro negotij qualitate, Doctorum consilijs, maturèque expensa rei veritate, res fidei decernere, nec Deum præcipitanti in re tanta, & temerarijs sententijs radium suum accommodare; sed ad has humanæ industriæ partes explendas, minimè necessaria esse Concilia. Si enim hæc essent necessaria, cur in primitiua Ecclesia tot hæresibus agitata, cessatum est à Concilijs? Immò hæc impedimento potiùs sunt, vbi lenta remedia morbus non admittit, quod maximè in hæresi extinguenda verum est, quæ nisi in fauilla opprimatur, in incendium erumpit. Quòd si ponatur casus, in quo sit opus Concilio, Deum, qui numquam Ecclesiæ in necessarijs deest, neque hic defuturum: neque tamen Pontificis sententiam tunc esse alligatam plurium suffragijs, sed illi parti, quam æquiorem crediderit, quamuis minori: quippe cùm ad prudentiam, humanamque industriam minimè pertineat, pluribus semper adhærere, sed melioribus.

Obiectio.

Instari potest ex parte aduersa. Vnde constare posse, quòd à Pontifice sit præstita diligentia sufficiens ad fidei dogma statuendum, seu qualis ad hoc requiratur causa, maximè cùm hoc sit facti; in quo Pontifex errare possit?

Responsio.

Auctor præcitatus cit. num. 3. reponit: Idem opponi posse Concilio, cùm hoc etiam in facto errare possit. Esse igitur aliqua, quæ ad factum quidem spectant, sed quia à Deo reuelata sunt, aut saltem cum reuelatis connexa, & ad publicum Ecclesiæ bonum spectantia, in ijs æquè, ac in iuris quæstionibus, neque Pontificem, neque Ecclesiam errare, aut deficere posse: Deo enim curæ esse, ne desint fini à se præfixo media accommodata. Cùm ergo voluerit Deus, sententias fidei à Pontifice latas, haberi ratas, fixasque, nec errore aliquo corruptas, ipsum etiam curare, ne sint temerariæ, cæcoque impetu, & absque consilio profusæ: quemadmodùm quia Deus Abrahæ filium promiserat, & ex filio perpetuam successionem, ipsumque Messiam; ad eumdem spectasse Deum, vt à sterili filius nasceretur, nec antè tempus, quamuis occidi iussus, quamuis gladio iam subiectus, vitam finiret. Quod pulchrè sanctum Paulum ad Romanos cap. 4. exprimere: [Et non infirmatus est, inquiuntem, Abraham fide, nec considerauit, corpus suum emortuum, cùm iam ferè centum esset annorum, & emortuam vuluam Saræ, in repromissione etiam Dei non hæsitauit diffidentia, sed confortatus est fide dans gloriam Deo, plenissimè sciens, quia quæcumque promisit, potens est, & facere.]

CONCLVSIO.

Papa ex Cathedra loquentis in fidei dogmatibus decidendis non consummatum dumtaxat iudicium, consistens formaliter in fidei actu per Primam Veritatem specificato, omnimodam habet certitudinem, sed prudentialibus etiam Summi Pontificis ex Cathedra Apostolica decernentis actibus, ad fidei præsertim iudicium prauiè dispositiuis, practica supernaturalis dictaminis à Spiritu sancto moti inexistit certitudo.

EXplicatur. Huius conclusiònis non inepta fit explicatio ex processu actus, quo sacræ Scripturæ libros antehàc absconditos contigit, aliquando definiri tamquam Canonicos. Antiquitus nimirum in cathalogum Canonicorum, ac Diuinorum voluminum non erant relati libri Tobiæ, Iudith, Estheris, Sapientiæ, Ecclesiastici, duo Machabæorum, &c. & tamen de ijs semper emicabant in Christi Ecclesia quædam scintillæ argumentorum, ex quibus sanctus Augustinus lib. 2. de doctr. Christ. cap. 8. permotus fuit, vt cathalogum sacrorum Veteris Testamenti librorum eumdem cum illo statueret, quem sacra Tridentina Synodus tandem definiuit.

Ipsissima illa argumenta in tantum resplendere cœperunt, prudentialisque credibilitatis euidentiam ea cum energia exerebant, vt libri illi antehàc apocryphi in Concilio Carthaginensi 3. reciperentur tamquam Diuini. In vi eorumdem argumentorum magis, ac magis in Ecclesia sancta relucentium inducebantur Innocentius I. in epistola 3. ad Exuperium 3. & Gelasius in decreto de libris sacris, & Ecclesiasticis in Concilio Romano septuaginta Episcoporum, vt libros illos referrent in cathalogum Diuinorum voluminum. Quid ni ergo dixeris, in hoc statu scintillas argumentorum ex cineribus quasi emicantes, à Spiritu sancto excitatas, in illorum Summorum Pontificum mentibus suscitasse facem quamdam supernaturalis credibilitatis, sub

sub qua fuerit formatum iudicium prudentiale supernaturale, eo ipso, quòd à Spiritu sancto ingerebatur practicè infallibile, in vi cuius voluntas eorumdem Pontificum supernaturali Spiritus sancti motione excitata, intellectum illorum, fidei lumine informatum raperet in obsequium Primæ Veritatis sub modio adhuc latentis, sed ob mentis oculos in illis Summis Pontificibus per supernaturalem credibilitatis prudentialis euidentiam positæ, per ipsius fidei infallibilem, ac irreformabilem certitudinem amplexatæ, indeque per decreta auctoritatiua super Ecclesiæ candelabrum collocari cœptæ. Quare illa de præactis sacris Voluminibus per Summos Pontifices Innocentium, ac Gelasium definita, vt sic per Primam Veritatem in se immediatè attactam formaliter specificata veritas ex tunc in eo erat statu, vt Papæ ex Cathedra decernentis iudicio, fidei actum formalissimè importanti non posset maior quoad se accedere firmit[illegible]: attamen quoad nos, in ordine scilicet ad Fidelium certificationem, Veritatis eiusmodi Diuinæ erga cunctos Fideles prudentialiter applicatoriam, is fiebat progressus, vt ipsissimus ille Diuinorum voluminum cathalogus à Concilio Florentino in Decreto Eugenij ad Armenos, & tandem à Tridentino sess. 4. catenus poneretur super candelabrum sanctæ Ecclesiæ, quatenus per Vniuersalis Ecclesiæ ea Oecumenica Synodo repræsentatæ consensionem illi fidei firmitati adaptabatur conuincens credibilitatis supernaturalis prudentiale practicè omninò certum, ac euidens argumentum, in vi cuius obstringerentur fideles ad præstandum fidei assensum veritati taliter definitæ.

Quemadmodùm proinde Papę iudicium dogmatis illius ex ipso fidei formali motiuo, atque adeò ex primæ veritatis superimmensa auctoritate determinatiuum, sicque ex Petra, seu Cathedra Apostolica, supra Ecclesiæ sanctæ candelabro poni cœptum, obtinebat infallibilem non fidei dumtaxat in substantia supernaturalem certitudinem, sed huic in Papa prælucebat fax quædam prudentialem credibilitatis euidentiam ingerens in substancia æquè supernaturalis, ac practicè demonstrans veritatem illam sub fidei modio latentem, ex primæ veritatis motiuo meritò amplectendam, indeque publicæ fidei exponendam, atque super candelabrum sanctæ Ecclesiæ constituendam esse, vt luceat omnibus, qui in domo Dei sunt. Sic proinde ea fidei veritate per Ecclesiæ sanctæ in Concilio Oecumenico repræsentatæ consensionem super candelabro iam posita, fideles vniuersi à Spiritu sancto pariter ducuntur ad fidei assensum eidem præstandum, in primæ veritatis obsequium captiuando intellectum suum, ex supernaturali Spiritus sancti motione directa per conuincentem credibilitatis prudentialis euidentiam, Ecclesiæ in Concilio Oecumenico repræsentatæ cum Capite consensioni innixam, cuiusmodi adeò iudicium fidei præuium, voluntatique per Spiritum sanctum mouendæ, & intellectum fidei lumine informatum in fidei obsequium captiuanti prælucens, æquè supernaturale est, obtinens adeò supernaturalem practicam certitudinem. Quod proinde cuiusque fidelis proprium tum fidei, tum prudentialis credibilitatis supernaturale iudicium in substantia non differt à iudicio Papæ ex Cathedra Apostolica, seu fidei Petra ad vniuersalem Ecclesiam, siue in Concilio, siue extra Concilium loquentis: sed tota differentia est in hoc, quod Spiritus sancti gratia talis iudicij, tum fidei, tum prudentiæ supernaturalis directiua, & effformatiua, cæterorum fidelium subiectum ordinariè non egrediatur; in Papa verò qua Ecclesiæ Capite sit eiusmodi Diuinæ gratiæ effluxus erga totam Ecclesiam, in vi cuius per Spiritum sanctum directionis, Papa ex Cathedra loquens non possit decernere, ac Ecclesiæ denunciare aliud, quàm verum fidei iudicium, vnà cum prudentialis supernaturalis credibilitatis argumentis practicè certis, & fallere impotentibus. Et hæc est fundamentalis ratio, per quam certò asserere licet, tum quòd Papa ex Cathedra loquens errare non possit, tum quòd in dogmaticis sanctionibus ea potiatur Spiritus sancti assistentia, per quam non ex prudentia humana errori obnoxia, sed ex supernaturali per Spiritum sanctum mota, ac directa prudentia decernat; prout magis elucidabitur per subsequentes argumentorum aduersantium confutatorias probationes.

PROBATIO I.

Confutatoria I. *Aduersariorum argumenti.*

QVid ni enim, quod de quouis per fidei supernaturale lumen, ac prudentiam infusam vi sacramenti Baptismatis instructo verificatur, proportionabiliter dicere fas sit de Summo Pontifice? At in quolibet homine fideli verum obtinet, quòd, dum operatur ex fidei lumine supernaturali, vel etiam infusæ prudentiæ habitu, vt sic errare non possit; cùm cæteroqui error, seu speculatiuus fidei lumini, seu practicus prudentiæ infusæ habitui imputaretur, sicque reduceretur in ipsum Spiritum sanctum. Quotiescumque igitur Papa procedit ex ipso fidei supernaturali lumine, ac infusæ prudentiæ habitu, nefas foret dicere, ipsum vt sic errori obnoxium esse. At verò quando Summus Pontifex, non qua priuatus Doctor tractat de rebus fidei, sed eiusmodi dogmata decernit ex Cathedra sua Apostolica, vt sic procedit ex Petra, super quam ædificatur Ecclesia. Eo ipso autem, quòd Ecclesiæ forma substantialis sit fides, atque adeò Ecclesiæ ædificatio sit formaliter per fidem, oportet, Papam ex Petra, seu Cathedra Apostolica fidei dogma definientem, loqui ex ipsa fide per prudentialem supernaturalem, Spiritus sancti directionem excitari solita. Quemadmodùm igitur fidei lumen in suis actibus nequit errori obnoxium esse, vti nec infusa prudentia in suæ supernaturalis directionis dictamine potest practicè fallibilis esse; sic neque Papa in fidei dogmatibus ex Cathedra sua Apostolica decernens, potest errori, & fallibilitati obnoxius esse, tametsi quasi à posteriori, quod nos, circa hoc facti punctum, quòd Papa decreuerit ex

Cathe-

Cathedra, ceu fidei Petra, maioris adhuc aſſecurationis firmitas accreſcere in nobis valeat ex Eccleſiæ vniuerſalis cum Capite conſenſione, ceu infallibili prudentiali argumento practicè nos certificante de illo, quod eſt facti, idest, quòd Papa definierit ex Cathedra ſua Apoſtolica. Atque hæc in homine, legitimo Petri Succeſſore, qua ex Paſtoralis officij ſupereminentia procedente, inconcuſſa Infallibilitas non tam miraculum, vtpotè eiuſdem ordinariam importans prærogatiuam, quàm ſupernaturale donum gratiæ tum fidei, ac ſupernaturalis prudentiæ, tum gratis datæ, reputandum eſt.

PROBATIO II.

Refutatoria 2. Aduerſariorum Argumenti.

PRouidentia namque Diuina diſponens omnia ſuauiter in agibilibus humanis, ita ſe attemperat conditioni hominum, vt, quemadmodùm prudentia naturalis duobus nititur principijs; altero ſe tenente ex parte finis, in eo qua rectæ rationi conſono procurando; altero ſe habente ex parte mediorum, in his per circumſpectam omnium circumſtantiarum prouidè, ac ex honeſtatis ratione penſandarum conſiderationem, conuenienter ordinandis: ſic prudentia infuſa per Spiritum ſanctum moueri, ac dirigi conſueta, æquè ſupponit in homine tum finis rectitudinem etiam ſupernaturalem, tum mediorum ad hunc ex ſupernaturali honeſtatis moderatione circumſpectam præmeditationem. Quæ equidem in homine circumſpectio ſe habet erga prudentiam infuſam per modum quaſi materialis, cui Spiritus ſanctus ſuperſtruit gratiæ ſuæ directionem, humanæ intelligentiæ vires ſuperexcedentem, omnimodæ, practicæ etiam ſupernaturalis certitudinis ſuperinductricem. Einſmodi proinde prudentiæ non humanæ, & naturalis, ſed infuſæ, ac ſupernaturalis directio interuenit in ijs etiam, quæ facti ſunt, dum Papa ex Cathedra ſua Apoſtolica decernit. Quare per ſe, & quoad ipſammet rei veritatem prorſus certum eſt, quotieſcumque Papa erga vniuerſam Eccleſiam decernit ex vi ſui Paſtoralis muneris publici, ac Oecumenici, ne in ijs quidem, quæ facti ſunt, practicè, id eſt, quoad rectitudinis moralitatem à ſe præceptam, eſſe errori obnoxium, licèt materialis quidam interuenisset error, qui tamen neque prudentiæ infuſæ, neque honeſtatis moralis vt ſic intentæ, ac definitæ formalem bonitatem inficere poſſet.

Nihilominùs, vt quoad nos ſubſiſtat certitudo, qua ſecuri omninò ſimus, quòd Papa egerit, ac decreuit, non ex humana, & naturali, ſed infuſa, ac ſupernaturali prudentia, ad hoc indigemus ſinguli quopiam argumento noſtri intellectus ea ſuper re certificatiuo, dum prudentiæ ſupernaturalis practicè infallibilis, & naturalis errori etiam practico obnoxiæ differentias in ſeipſis penetrare haud valemus. Promiſit equidem Chriſtus Apoſtolis, ſe ad finem vſque mundi cum ipſis, eorum [adeò etiam Succeſſoribus futurum]; Spiritumque ſanctum edocturum eos omnem veritatem, ex vi huius tamen præeminentiæ non extraxit illos è ſorte hominum, per quam errori ſunt obnoxij: attamen in gradu Apoſtolico conſtitutos Pontifices Summos, qua ex huius Cathedra decernentes, dotauit infallibili Spiritus ſancti aſſiſtentia. Vnde quamprimùm certificaneur fideles, Papam decernere ex hac Apoſtolica Petra, practicè certi eſſe debent, tum de fidei veritate, tum de morali honeſtate decreti huiuſmodi. Quæ proinde Papæ, qua ex Cathedra loquentis præeminentia, per Spiritum ſanctum mota, & directa certificatio omnimoda, quaſi vltimatè, & permaximè innoteſcit fidelibus, ex Eccleſiæ cum Capite ſuo intrà Concilium Oecumenicum repræſentatæ conſenſione; vti ex antecedentibus conſtare licet.

§. III.

Noſtratis ſententia argumenta referuntur, ac expenduntur cum concluſione ſuper ijſdem reflexiua.

ARGVMENTVM I.

Ex Veteris Teſtamenti tabulis deſumptum.

ITa namque habetur Deuter. 16. [Si difficile, & ambiguum apud te iudicium eſſe perſpexeris inter cauſam & cauſam, lepram & lepram, & iudicum intrà portas tuas videris verba variari; ſurge & aſcende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, venieſque ad Sacerdotem Leuitici generis, & ad Iudicem, qui fuerit illo tempore, quæreſque ab eis, qui indicabunt tibi iudicij veritatem. Qui autem ſuperbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore miniſtrat Deo tuo, ex decreto Iudicis morietur.] Ad hoc Domini præceptum reſpiciens Ioſaphat Rex Paralip. 2. cap. 19. ſic alloquitur Sacerdotes: [Omnem cauſam, quæ venerit ad vos fratrum veſtrorum, vbicumque quæſtio eſt de lege, & de mandato, de ceremonijs, de iuſtificationibus, oſtendite eis, vt non peccent in Dominum. Amarias autem Sacerdos, & Pontifex veſter in his, quæ ad Deum pertinent, præſidebit.] Vnde Eccleſiaſt. 12. dicebantur [verba Sapientum eſſe ſtimuli, & ſicut claui in altum defixi, quæ per Magiſtrorum conſilium data ſunt à Paſtore vno. His ampliùs, fili mi, ne requiras.]

Ex prçcitato igitur Deuteronomij textu ſacro Auctor Regalis Sacerdotij citato lib. 3. §. 2. num. 1. ſic argumentatur. Vel Summi Sacerdotis in Veteri Teſtamento infallibile, & irreformabile erat iudicium, vel non? Si erat, hoc ipſum eſt, quod volumus, quodque probare intendimus: nec enim priuilegium, & aſſiſtentia Spiritus ſancti Synagogæ conceſſum, Eccleſiç longè nobiliori negandum eſt: vtpote quam toto orbe diffuſam impugnant hereſes, & proinde vno, & infallibili Iudice magis indiget, qui finem diſcordijs imponat. Si verò Summi in Antiquo

Fœ-

Fœdere Sacerdotis ſententia inſallibilis, & irreformabilis non erat: cur ab illa non admittitur appellatio? & qui non acquieſcit, mori iubetur? Planè dignus morte non eſt, qui in rebus fidei dubiam, incertamque ſententiam non admittit, cùm fidem oporteat; eſſe indubiam, certamque; nec vmquam niſi iniuſtè, vltimo ſupplicio affectus ſit, qui à iudice, & ſententia appellauit, à qua appellare potuit, quę ſcilicet vltima non eſt.

Obiectio.

Inſtari poteſt ex parte aduerſa. Pontificis in Veteri Teſtamento ſententiam fuiſſe quidem certam, ſed à Pontifice in Concilio, & ex Concilij ſuffragijs latam, vt patet ex verbis ſacri Textus, qui non de vno Pontifice, ſed de pluribus loquitur; & ideo Hebręi, & Sigonius lib. 6. de republ. Hebr. cap. 7. explicauit de Magno Concilio Sanhedrim, quod 70. viris conſtabat, non ergo poteſt ex hoc Textu deduci, Summi Pontificis ſententiam, etiam extra Concilium docentis, vltimam eſſe, ac irrefragabilem.

Reſponſio.

Sanhedris non fuit Concilium Generale, cùm 70. tantùm viris conſtaret, quorum multi Sacerdotes non erant, non ergo poteſt ex hoc loco argumentum pro Concilio Generali adduci. Deinde eſto, Generale fuerit, illi tamen Pontificis Maximi ſententia aſtricta non erat: de ſolo enim Summo Sacerdote dicitur. [Qui autem ſuperbiens, noluerit obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore miniſtrat Domino Deo tuo, morte morietur.] Et ideo ſolus Pontifex maximus Rationale, & Oraculum Vrim Vethummim ad pectus geſtabat, cum inſcriptione: Iudicium, & veritas: ſolus etiam, & ſiue Concilio Oraculum conſulebat in rebus dubijs 1. Regum 23. & 30. Et eſto, concedamus, in Veteri Teſtamento, vbi vix angulum Orbis Synagoga occupabat, Pontificis vltimam ſententiam fuiſſe Concilio alligatam: hoc tamen de Eccleſia Chriſti dici non poteſt, quæ cùm toto terrarum orbe diffuſa ſit; Concilium Generale conuocari rariſſimè poteſt, & tunc etiam cum grauiſſimis incommodis; & propterea non in Concilium, ſed in ſolum Petrum gubernationem ſuæ Eccleſiæ tranſtulit Chriſtus; multaſquę hæreſes ſine Concilio voluit à ſolo Pontifice confutari, & qui non illi adhæreret, pro hæretico æſtimari, vt expreſsè teſtantur ſanctus Auguſtinus epiſt. 162. & in Pſalm. contra partem Donati. Et ſanctus Leo epiſt. 87. ad Epiſcopos Viennenſis Prouinciæ, & Ipſa Eccleſiæ praxis plùs ſatis demonſtrat.

ARGVMENTVM II.

Ex Luca 22. capite deſumptum.

Ibi namque Chriſtus dicit, ſe rogaſſe pro Petro, eiuſque ſucceſſoribus, ne vmquam illorum fides deficiat: [Simon, Simon; inquiens, ecce Sathanas expetiuit vos, vt cribraret, ſicut triticum, ego autem pro te rogaui, vt non deficiat fides tua: & tu aliquando conuerſus, confirma fratres tuos.] In quo ſacro textu Auctor Regalis Sacerdotij cit. §. 2. num. 2. rectè aduertit, verba ſpecialiter dirigi ad Petrum: quamuis enim Sathan omnes experiuerit, non tamen dicit Chriſtus: [Ego pro vobis rogaui:] ſed pro te, innuens, ſe priuilegium aliquod ſpeciale Petro poſtulaſſe: nec Petro tantùm; ſed illius etiam ſucceſſoribus. Semper enim Eccleſia, vt impetitur à ſathana; ita confirmari debet: & ſicut ex omnium Catholicorum ſententia aliæ promiſſiones Petro factæ ad eius ſucceſſores pertinent, ſic etiam iſta; nec aliter Concilia ipſa, & Patres hunc locum intellexerunt, vt planè temerarium ſit, non ita intelligere: quamuis enim etiam pro perſeuerantia Petri in gratia, & pro ipſa Eccleſia Chriſtus orauerit; ſpecialiter tamen pro Petro, eiuſque ſucceſſoribus impetraſſe, tum ipſa per ſe verba, tum omnium Patrum conſenſus habet. Ij ſunt: Patres ſextæ vniuerſalis Synodi Conſtantinop. Actione 4. ſanctus Auguſtinus lib. de corrept. & grat. ſanctus Chryſoſtomus hom. 83. in Matth. Theophylactus in cap. 22. Lucæ; ſanctus Lucius Papa, & Martyr epiſt. 1. ad Epiſcopos Galliæ, & Hiſpaniæ. ſanctus Leo ſermon. 3. de aſſumpt. ſua ad Pontific. ſanctus Nicolaus I. epiſt. ad Michaelem Imperator. ſanctus Leo IX. epiſt. ad Petrum Antiochen. ſanctus Bernardus epiſt. 190. ad Innoc. ſanctus Gregorius Magnus lib. 6. epiſt. 37. ad Eulogium ſanctus Thomas 2. 2. qu. 1. artic. vlt. Innocentius III. in epiſt. ad Epiſc. Arelat. & habetur cap. Maiores, de Baptiſ. Ioannes Conſtantinopolitan. epiſt. ad Hormiſd. Papam. Theodorus Studites epiſt. ad Paſchalem Papam. S. Bernardus ſerm. de priuileg. Ioann. Baptiſtæ. Et denique omnium elegantiſſimè B. Agatho Papa epiſt. ad Auguſtos, quæ recitata, recepta, ſummiſque laudibus affecta eſt à Patribus ſextę Oecumenicæ Synodi act. 4. & 8. & habetur tom. 3. Conciliorum.

Quo adeò fundamento poſito, prælegatus Auctor ita argumentatur. Si Romani Pontificis è Cathedra docentis ſententia in materia fidei non eſt inſallibilis, ergo poteſt illi error ſubeſſe; ergo eius fides poteſt deficere: non ergo verum eſt, priuilegium illi à Chriſto ſpeciale impetratum eſſe, ne illius in docendo fides deficiat.

Obiectio.

Ex parte aduerſa excipi poteſt, hoc priuilegium Petro impetratum à Chriſto, ad eius ſucceſſores extendendum non eſſe.

Reſponſio.

Prætactus Regalis Sacerdotij Auctor reſpondet. Hanc exceptionem in primis militare contra explicationem omnium Patrum, qui hanc Chriſti promiſſionem non Petro tantùm, ſed eius Sedi, & conſequenter ſucceſſoribus ſactam eſſe dicunt. Idque ex Chriſti verbis colligitur, qui hoc donum perpetuæ, & indefectibilis fidei in vtilitatem Eccleſiæ Petro contulit, vt is videlicet eam confirmaret contra Sathanæ inſultus: quæ ratio non pro Petro ſolùm, ſed pro eius ſucceſſoribus

æquè

æquè, multòque magis militat: quando videlicet Ecclesiæ, & multò magis impugnatur, & multò magis, vt confirmetur, opus habet. Quòd si priuilegium ad solum Petrum restringas: idem dicendum erit de alijs Matth. 16. & Ioannis vlt. Petro concessis: quod si semel admittas, inprimis contra totam Ecclesiam sentis: deinde quomodò contra hæreticos Primatum, & potestatem Pontificis Romani probabis?

Replicata obiectio.

Excipi rursus potest ex parte aduersa. Promissionem Petro factam, principaliter in Ecclesiam dirigi, quæ à Concilio Generali repræsentatur.

Responsio.

Idem Auctor respondet in hunc modum. Hanc exceptionem apertè pugnare cum Christi verbis. Hæc enim tam clara sunt, tam aperte in solum Petrum diriguntur, & adeò nulla Ecclesiæ, aut Concilij fit mentio, vt videantur Aduersarij nostri non tam suam opinionem ad Scripturam accommodare voluisse, quàm potiùs Scripturam, volentem, nolentemque, in suas partes trahere, vt non tam ipsi, quod Scriptura, quàm Scriptura, quod ipsi, sentiret. Quòd si velint, donum, & priuilegium Petro, & successoribus collatum, mediatè ipsi etiam Ecclesiæ collatum esse, quę cùm à Petro gubernari se patitur, errare non potest; quemadmodùm quidquid boni natura capiti concessit, illud totum in bonum, & directionem corporis redundat; id quidem verissimum est, & sensui sanctorum Patrum omnium consentaneum: sed sententiam nostram confirmat potiùs, quàm euertit.

Iterata obiectio.

Excipi denique potest ex parte aduersa. Ex eo Euangelij textu non haberi, quòd Pontificis iudicium etiam extra Concilium docentis infallibile sit.

Responsio.

Præfatus Auctor ita respondet. Cùm Christus nullam omninò Concilij mentionem faciat, multòque minùs Infallibilitatem Petri illi adstringat; gratis, & sinè fundamento hanc limitationem ab ijs opponi, qui dolent, Scripturam aliter loqui, quàm ipsi velint. Si Petri fides à Concilij directione, & non è contra Concilij fides à Petro pendeb...et; non tam Petrus fratres suos confirmaret, quàm ipse à fratribus confirmaretur.

ARGVMENTVM III.

Ex Matthæi 16. petitum.

Ex huius namque Euangelij sacro textu euincitur, Petrum, eiusque successores esse Petram, & fundamentum Ecclesiæ, contra quam portæ inferi non præualebunt. Vnde Auctor Regalis Sacerdotij cit. §. 2. num. 3. hunc in modum argumentatur. Si Petrus, eiusque successor est fidei Petra, oportet, illum, cùm publicè, & cum potestate docet (tunc enim maximoperè officio suo fungitur, & Petram agit) concuti in fide non posse, multò minùs frangi, aliàs non tam Petra, quàm arena esset: & quid plus alijs Doctoribus, & Episcopis Petrus accepisset, quaue ratione Petræ titulum magis meritus esset, si æquè, ac illi, posset in fidem impingere, euertique, & errores docere? Si Petri, omniumque Episcoporum in credendo, docendoque, quæ sunt fidei, par est conditio, omnes pariter erunt petræ, nec maiori titulo Petrus, quàm illi: si verò Petri, & aliorum Episcoporum non est in fide par conditio, oportet, plus Petro, eiusque successoribus, quàm alijs Episcopis tribui: & quid hoc aliud? nisi quòd cadere illi omnes in errores possint; imò pleræque hæreses ab Episcopis, aut natæ, aut nutritæ; Petrus solus, eiusque successores non possint; & ideo Petro, non alijs dictum esse: [Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.] Rursus: Si Petrus, eiusque successores sunt fundamentum Ecclesiæ, contra quam portæ inferi non præualebunt, hoc est, quæ numquam corruet, numquam errabit, aut deficiet, multò magis oportet, fundamentum corruere, & deficere non posse: quid enim hoc portenti, vt stante domo, fundamentum cadat? Aut ergo fundamentum Ecclesiæ non est Petrus: aut si est, eo cadente, cadet Ecclesia, & Ecclesia non cadente, nec ipsum cadere potest.

Obiectio.

Excipiet fortassis Aduersarius. Petro dicta esse illa Christi verba, quatenus repræsentabat Ecclesiam: & ita hanc promissionem non tam Petro, quàm Ecclesiæ factam esse.

Responsio.

Præcitatus Auctor respondet. Id verum esse, si dicas, firmitatem, & constantiam fidei Petro promissam, etiam ad Ecclesiam pertinere, imò propter Ecclesiam factam esse, quemadmodùm soliditas fundamenti est soliditas ædificij, & hoc ipsum Patres voluerunt; sicut enim caput totum hominem repræsentat ita Pontifex Maximus Ecclesiam toto orbe diffusam; in cuius rei figuram Summus apud Hebræos Sacerdos totum orbem terrarum vesti Pontificiæ inscriptum gestabat, iuxta illud Sapientis 18. [In veste poderis totus erat orbis terrarum.] Et teste Epiphanio lib. de lapid. & gemmis. Idem Pontifex tempore Salomonis Regis, præludens velut illi constantiæ, & Petrinæ firmitati, quam Christus Vicario suo promisit, præter gemmas

Ratio-

Rationalis, adamantem, binis smaragdis incinctum, ad pectus gestabat; qui Deo placato, serena luce perfundebatur, irato verò, & accincto vindictæ, sanguineus micabat. Si verò sic Petrum Ecclesiam repræsentasse dicas, vt tota firmitas, & indeficientia veræ fidei ad Ecclesiam pertineat, excluso Petro; in primis nihil potest dici, quod magis Euangelio repugnet, eiusque sententiæ: cùm sole clarius sit, Christum ad Petrum loqui, illi fidem polliceri, eius confessionem præmio afficere, & denique multis modis, & velut anxiè laborare, vt Petrum ab alijs distinguat, eumque solùm, non alios designet, nulla Concilij mentione, nulla Ecclesiæ facta, nisi quòd hanc dicat, se Petro inædificaturum.

Deinde, si hoc modo, quo Aduersarij volunt, Euangelium intelligas, sensus euadit planè absurdissimus, hic enim erit: [Tu es Petrus,] & super Ecclesiam, quam repræsenras, [ædificabo Ecclesiam meam,] Aut ergo Ecclesia sibi ipsi fundamentum est: aut duæ sunt Ecclesiæ, quarum vna fundamentum est alterius: aut Petrus est Ecclesiæ fundamentum: & si est, quærimus, qui fieri possit, vt huius fides, & doctrina deficiat, stante Ecclesia? Quòd si ad alios sensus hæc Euangelij verba detorqueas, quasi fundamentum Ecclesię non sit Petrus, sed fides Diuinitatis Christi, quam professus est: in primis Euangelio vim facis, cuius tam antecedentia, quàm subsequentia verba omninò ad Petrum diriguntur, occasione ex illius confessione capta. Deinde Petri, & Pontificis Romani primatum, hoc est, arcem religionis Catholicæ euertis: hoc enim Euangelij loco aut sublato, aut in alienos sensus exposito, nihil ampliùs superest, quo aduersùs Caluinistas, & Lutheranos primatum defendas.

Firmatur ea responsio ab auctoritate. Sanctus namque Leo ad Episcopos Viennenses epist. 78. ita scribit: [Huius muneris sacramentum ita Dominus ad omnium Apostolorum officium pertinere voluit, vt in Beatissimo Petro principaliter collocaret, vt ab ipso quasi quodam capite dona sua, velut in corpus omne diffunderet, vt exortem se Mysterij intelligeret esse Diuini, qui ausus fuisset se à Petri soliditate videre. S. Augustinus Serm. de Cathed. Petra ergo pro deuotione Petrus dicitur, eò quòd primus fidei fundamenta posuerit, & tamquam saxum immobile totius operis Christiani compagem, molemque contineat. Origenes in hunc locum Matth. Manifestum est, etsi non exprimatur, quòd nec aduersùs Petrum, nec aduersùs Ecclesiam portæ præualere poterunt inferorum: nam si præualerent aduersùs Petram, in qua fundata Ecclesia erat, contra Ecclesiam etiam præualerent]

ARGVMENTVM IV.

Ex Ioannis vltimo desumptum.

IBi namque Petro, eiusque Successoribus tanquam totius Ecclesię Pastoribus ouium Christi cura, & regimen committitur per ista verba [Petre amas me? Pasce oues meas] Vnde Auctor Regalis Sacerdotij argumentatur. Per ea verba Petrus, eiusque successores constituti Sunt Doctores, & Pastores totius Ecclesiæ; aut ergo docentes illos, præsertim quæ sunt fidei, tenetur Ecclesia audire, aut non tenetur? Si tenetur, ergo illi, cùm docent, errare non possunt. Nam si possent, erraret etiam Ecclesia, quæ illorum doctrinæ tenetur acquiescere. Si verò Ecclesia non tenetur ea credere, quæ Summus Pontifex ex Verbo Dei credenda esse, definit, non tam Petrus, quàm ipsa Ecclesia erit sibi Pastor, imò ipsa Petrum pascet, quia ipsa errantem Pontificem corriget, ipsa ducet, ipsa, an Petri sententia cum Verbo Dei conueniat, an secùs, iudicabit, discernetque, hoc est, quod numquam factum, nuuquam auditum fuit, non ipse Pontifex confirmabit, reprobabitque fidem Concilij, sed Concilium fidem Pontificis: sicque malè Christus Petro dixerit [Pasce oues meas] cùm potiùs ouibus, & Ecclesiæ dicere debuisset: si me amatis, pascite Petrum, & Vicarium meum, errare hic potest, & in abrupta deferri, & falsa pro veris docere; vos ergo Pastori Pastores estote, & cadentem subleuate, hoc est, discipuli Magistrum docete, & oues Pastorem nutrite.

CONCLVSIO.

Ex diuini Verbi Oraculis efficaciter demonstratur, Papam, quatenus munus pastoralis à Christo sibi concessæ potestatis erga vniuersam Ecclesiam exercet, in rebus fidei, imò, & decretis morum, errare non posse.

EXplicatur. Oportet namque, pro veritatis semita illibatè tenenda distinguere inter Officium pastorale Romanę Cathedrę, & inter personam in ista Cathedra sedentem. Ex Diuo Augustino lib. 2. contra epist. Petilian. cap. 51. Hæc autem distinctio in eo se tenet, quod errores, ac vitia personæ nullatenus redundare possint in Cathedram Apostolicam Romanæ Ecclesiæ. Ex Sancto Augustino cit. cap. 51. Vnde non tam hic laborandum de particularibus Summorum Pontificum personis, quàm de Cathedra Pastoralis erga vniuersalem Ecclesiam officij [An scilicet, quando Pontifex Romanus loquitur ex Cathedra, siue ex officio suo Pastorali erga vniuersalem Ecclesiam, possit facere Decretum fidei, vel bonis moribus contrarium]

PROBATIO I.

Ex illis Chriſti Domini verbis Lucæ 22. Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua.

ETenim hac oratione Chriſtus Dominus duo impetrauit priuilegia, alterum perſonale, vt Petrus ſcilicet haberet in fide liberrimam fortiſſimam, inuictiſſimam, perfectiſſimamque voluntatem, Ex ſancto Auguſtino lib. de correpț. & gratia cap.8. Alterum reale, Paſtorali erga vuiuerſalem Eccleſiam muneri annexum, Chriſtus enim ita orauit pro Petro, vt conuerſus aliquando confirmaret fratres. Vnde iſta à Chriſto impetrata fidei firmitas non debebat ſe continere intra perſonam Petri, quin erga fratres curæ ipſius Paſtorali committendos ſe diffunderet. Ex quo ſequitur, illam fidei firmitatem eſſe priuilegium Petri quà vniuerſalis erga Eccleſiam paſtoris, Atqui priuilegium ex Chriſti Domini voluntate annexum iſti Paſtorali muneri, eo ipſo eſt perpetuum, quòd habeat reſpectum ad perpetuum ſtatum Eccleſiæ, à portis inferi nunquam ſuperandæ, Chriſtus igitur Dominus illa ſua oratione impetrauit fidei firmitatem, qua connexam cum Paſtorali munere, Eccleſiæ perpetuò vſque ad finem ſeculi duraturæ coextitnro.

At ſicuti paſtorale perpetuo Eccleſię ſtatui annexum munus, Petro per Martyrium ſublato debuit perſiſtere in ſucceſſoribus, ſic fidei firmitas ſecundùm efficaciam orationis Chriſti connexa cum iſto paſtorali officio, debet conſequenter ad Succeſſores, quoque transferri. Conſtat igitur, ex efficacia Chriſti orationis, Petri in Paſtorali erga vniuerſam Eccleſiam munera ſucceſſoribus competere fidei firmitatem. At iſta fidei firmitas eo ipſo deficeret in tali Paſtorali munere, ſi Papa vtens poteſtate eiuſmodi erga vniuerſalem Eccleſiam, conderet decreta fidei aduerſantia. Ex illa igitur Chriſti Domini orationis efficacia concluditur, fieri nullatenus poſſe, quòd Romanus Pontifex, ſi loquatur ex Cathedra ſui paſtoralis officij erga vniuerſalem Eccleſiam condat decreta fidei repugnantia. In quem adeò ſenſum Theophylactus in cap. 21 Lucæ ait [Quia te ſcilicet Petrum habeo principem diſcipulorum, confirma cæteros. Hoc enim decet te, qui poſt me Eccleſiæ petra es, & fundamentum]

Vides igitur, fidei firmitatem, qua Petrus confirmaret cæteros, eſſe ex eo, quòd eſſet Princeps diſcipulorũ. At eo ipſo, quod iſte in Eccleſia principatus ex Chriſti Domini promiſſione ſit connexus cum perpetuo Eccleſiæ ſtatu, non potuit in Petri perſona extingui, ſed tranſire debuit ad ſucceſſores. Ergo illa fidei firmitas Petro impetrata ita ſtat in eius ſucceſſoribus, vt propterea Petrus Chryſolog. in Epiſt. ad Eutychetem relata to. 1. Concil. Chalcedon. ita ſcripſerit [Hortamur te Frater honorabilis, vt his, quæ à beatiſſimo Papa Romanę Ciuitatis ſcripta ſunt, obedienter attendas; quia B. Petrus, qui in propria ſede viuit, præſtat quærentibus fidei veritatem] En igitur, non eam perſonam, quàm ſedem Petri hodie viuentem attendi debere, vtpote cui annexa ſit fidei veritas, adeò, vt Diuus Bernardus in Epiſt. 190. ad Innocentium, vbi aſſeruiſſet [in Cathedra Romana non poſſe fidem ſentire defectum, exclamet: Cui enim Sedi dictum eſt aliquando: Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua ?

Confirmatur. Nam ex prætacta Chriſti Domini orationis efficacia, firmitatem fidei in Romana Cathedra, ſeu Eccleſia concludunt Pontifices primorum duorum, ſeu trium ſæculorum, Lucius I. in Epiſt. ad Epiſcopos Hiſpaniæ, & Galliæ. Felix I. in Epiſt. ad Benignum. Illius enim prioris verba ita ſe habent [Eccleſia Romana Apoſtolica eſt, & mater omnium Eccleſiarum, quæ à tramite Apoſtolica traditione nunquam eſſe probatur, nec hæreticis nouitatibus depranata ſuccubuit, ſecundùm ipſius Domini pollicitationem dicentis Ego rogaui pro te] Poſterior porrò Pontifex ita ſcripſit de Eccleſia Romana [Vt in exordio normam fidei Chriſtianæ percepit ab auctoribus ſuis, Apoſtolorum Chriſti principibus illibata manet, iuxta illud: Ego rogaui pro te]

PROBATIO II.

Deſumpta ex illis Chriſti Domini verbis Matth. 16. Et ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, &c.

NAm iſta Chriſti verba eſſe accipienda de Petro, ita vt ſuper ipſum ceu petram eſſe ædificanda Eccleſia, docent Tertullianus de præſcript. hæret. cap. 22. Cyprianus epiſt. 4. & de Vnit. Eccleſ. Baſilius Magnus ad cap. 2. Iſaiæ, Gregorius Nazianzenus art. 2. de Moderat. in orat. habenda. Cyrillus Alexandrinus lib. 2. in Ioan. capit. 12. Ambroſius ſerm. 47. Hieronymus in cap. 16. Matth. Auguſtinus ſerm. 5. in feſto Petri, & Pauli, & alibi ſæpe.

At eo ipſo, quòd Eccleſia ſuper hanc petram ita ædificanda foret, vt ſimul Chriſtus eidem Petro contulerit poteſtatem clauiũ, oportet, iſtam poteſtatem ex Chriſti Domini promiſſione connexam eſſe cum fidei petra, in Petro ſemper vſque ad conſummationem ſæculi duratura, nec à portis inferi vnquam vincenda. Hinc autem ſequitur, talem Clauium poteſtatem cum petra fidei connexam minimè expiraſſe in Petri perſon a, ſed huius ſedem vtpote cum perpetuo Eccleſię ſtatu connexam ita viuere in ſucceſſoribus, vt his competat paſtoralis erga vniuerſam ſuper petra fundatam Eccleſiam Officij primatus; vti expreſsè ſtatuunt Concilium Nicænum 1. Can. 6. Epheſ. 1. ſub verbis Philippi Presbyteri, Chalcedonenſe act. 1. 2. 3. & 16. aliæque generales Synodi; necnon ex Patribus Polycarpus apud Sanctum Hieronymum de viris illuſtr. Irenæus lib. 3. c. 3. Athanaſ. in epiſt. ad Felicem Papam. Baſilius Magnus in epiſt. 52. ad Athanaſ. Chryſoſt. in epiſt. ad Innocentium Papam. Cyrill. in lib. Theſ. Cyrillus Alexandrinus in epiſt.

epist. ad Cælestinum Papam. Hieronymus epist. 57. ad Damasum Papam Augustinus lib. 2. de Baptis. contra Donatistas cap. 1. & alibi sæpè. Cùm igitur Petri primatus cum Petra, seu fidei firmitate inseparabiliter connexus vigeat in Romana Cathedra, oportet, Romanum Pontificem, dum ex ista Cathedra; id est munere suo Pastorali ad vniuersam Ecclesiam, fidei, vel morum decreta condendo, loquitur errare non posse: quomodo enim alias portæ inferi non essent præualituræ? Confirmatur specialiter ex subsequentibus, Christi verbis [Portæ inferi non præualebunt aduersùs eam] scilicet Ecclesiam. Nam isthæc verba connectuntur cum proximè præcedentibus [Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam] Ergo quatenus super petram, id est, Apostolicam Petri Cathedram, est fundata Ecclesia, non possunt ipsi præualere portæ inferi, nec adeò potest deficere Ecclesia super Cathedram petræ, ceu petram ædificata. At forma Ecclesiæ essentialis est fides. Vnde si fides in Ecclesia deficeret, oporteret, formam Ecclesiæ substantialem deficere. Nequit autem Ecclesia stare super petram ædificata, si nec ipsa petra stet immota in fide Ecclesiæ forma substantiali. Vbi verò vel in vnico fidei dogmate interueniret aliquis error, iam moraliter affectiuè destrueretur motiuum fidei specificatiuum, nempe Primæ Veritatis in omni verbo suo omnimoda infallibilitas: sicque adeò corrueute hoc motiuo intra Cathedræ Apostolicæ Petram, super quam ædificatur Ecclesia: quomodò istud ædificium Ecclesiæ subsister valebit? Quomodò igitur portæ inferi aduersùs Ecclesiam qua super ista Petra ædificatam non præualebunt?

§. IV.

Corollarium finale præsentis Disquisitionis.

INfertur. Pro omni statu Ecclesiæ oportuisse, vt existeret fidei regula visibilis, cuius audiendo vocem quisque prudenter ingrederetur vineam Domini; vti indicat parabola Christi Matthæi 20. descripta de Patrefamilias, stantes in foro otiosos vocante ad vineam suam. Etenim Deus sanctæ Ecclesiæ Paterfamilias per Patriarchas, Prophetas, Apostolos, Pastores, ac Doctores à se missos, à primo manè vsque ad vndecimam, ac postremam visibilis regni cœlorum, suæque adeò in terra Militantis sanctæ Ecclesiæ horam stantes in foro otiosos, vocauit in vineam suam. Quomodò autem his æterni Patrisfamilias ministris crederetur; nisi præferrent eiusdem characterem sub argumentis prudentialiter visibilibus, essentque adeò fidei regula visibilis? Hoc equidem verissimum est, Ecclesiam in eadem substantia immobiliter subsistentem, varios obtinuisse status, ita vt ab imperfectiori semper progrederetur ad statum perfectiorem, Christi tandem Euangelio consummatum. Et hinc ab humani generis in Adamo collapsi origine propagabatur Verbum Dei, non equidem sub Scripturæ Diuinæ sanctæ testimonio, sed traditionis Diuinæ regula infallibili, per ipsosmet homines fideles Diuinitus submissos, propagata vsque ad legem Moysi Diuinitus traditam, & in scripta redactam. Sub quo proinde legis iam scriptæ, vnà cum viuo Dei tradito Verbo Diuinitus ordinatæ statu, constitutus fuit pro Israelitico populo Sacerdos Maximus, cui (vti à num. 4. visum est) Diuinitus erat demandata legis diuinæ explicatio cum obligatione quosque statns illius fideles constringente, vt starent eiusdem Sacerdotis Iudicio: erat insuper in hoc legis Mosaicæ statu Diuinitus constitutum Concilium Seniorum, cui præsidebat Princeps Sacerdotum, cum potestate ipsosmet etiam Prophetas indicandi, an veri essent, vel falsi. Haud igitur tunc deerat visibilis fidei regula cum publica in fidei causis decidendis auctoritate, licèt minùs perfecta, tandemque non per superuenientem dumtaxat perfectiorem Euangelij statum, sed per propriæ erga Christum perfidiæ culpam meritò euacuata. Huic ergo successit perfectior Christi Euangelij status, infallibilitatem Oecumenicæ in fidei dogmatibus ex verbo Dei sanciendis auctoritatis regulam visibilem tum in Concilio Generali, tum in supremo Ecclesiæ Capite, constitutus; vti partim constat ex antecedentibus, partim verò ex subsequentibus, magis eluci dabitur.

Cuius visibilis regulæ necessitas ostenditur ex ipsa fidei natura. Nam fides eius est naturæ, vt non habeat euidentiam primæ Veritatis reuelantis sua Diuina mysteria sed lateat sub obscuræ reuelationis speculo ænigmatico; veluti Apostolus 1. Corinth. 13. monet. Hinc vt supra dictum, oportet, mediante voluntatis per Spiritum sanctum motæ imperio, intellectum captiuari in obsequium Christi, seu primæ veritatis reuelantis. Quia istud voluntatis imperium, vt pote à Spiritu sancto motum, debet esse prudens, oportet, ipsum niti regula prudentiali, quam Theologi in hac materia vocant euidentiam credibilitatis. At inter hæc prudentialis credibilitatis argumenta, vel maximè censenda sunt illa, quibus ipsemet Christus suam Diuinam assistentiam promisit.

Eiusmodi verò fidei regula visibilis, & infallibilis est quidem Summus Pontifex ex Cathedra sua Apostolica ceu fidei Petra definiens: nihilominùs quia hæreticorum proteruia non acquiesceret huic animatæ fidei regulæ, in eius adiumentum sancita est à Christo altera fidei regula, quæ subsistit ex Conciliis Oecumenicis, quam firmari Diuinæ assistentiæ munimine, fateri coguntur ipsimet etiam Aduersarij hæretici; dum aiunt, Dominum esse illis præsentem; iuxta illud Matthæi 18. [Vbi duo, vel tres cōgregati sunt in nomine meo, ibi sum in medio eorum.] Si proinde Deus assistit sacrosanctis Concilijs, cur illorum censuram proprio cuiusque de diuina assistentia nusquam assecurati iudicij examini subijciunt, & non potiùs, suum spiritum, ac sensum proprium censent subijciendum decisioni Concilij.

Cuius censuræ temeritas meritò exaggeratur ex ipsa Concilij natura. Etenim Concilium Oecumenicum legitimè congregatum ex diuina, per ipsummet Christum promissa,

atque adeò infallibili aſſiſtentia, in definiendis fidei dogmatibus taliter procedit, vt ex Verbo Dei, non per proprij inſtinctus, ſed gratiæ Diuinæ, iuxta Chriſti promiſſionem aſſiſtentis, ponderationem examinato, ac diſcuſſo decernat. Vnde decretum, ac definitio Concilij in rebus fidei nihil eſt aliud, quàm examen, ac iudicium de legitimo Verbi Diuini ſenſu, non per proprium inſtinctum, ſed per gratiæ Diuinæ aſſiſtentiam ponderato, ac deciſo. Ad eiuſmodi autem ſacrorum Conciliorum examen, ac iudicium deuoluuntur fidei quæſtiones, dum hæreſibus exurgentibus, alieni à veritate Diuina, ſacrarum Scripturarum ſenſus ex proprijs conſcientiæ ab hæreſiarchis iactatæ inſtinctibus enaſcentes, venditantur in Eccleſia. At quia ipſius etiam aduerſarijs fatentibus, Concilia legitima ſunt à Chriſto aſſecurata de Veritatis Diuinæ aſſiſtentia, euidenter ſequitur, tali verum ſacræ ſcripturæ ſenſum ab alienis hæreticorum inſtinctibus diſcernenti definitioni, omnimodam ineſſe ſecuritatem circa dogmatis definiti veritatem.

Eo ipſo autem, quòd in tali definitione non iactetur aliqua noua Diuinitus inſpirata veritas, ſed hæc per Spiritus Diuini aſſiſtentis gratiam eruatur ex Dei Verbo toti Eccleſiæ concredito, oportet, hanc veritatem eſſe illam ipſam, quæ in ſacris Literis, vel etiam non ſcripto Dei Verbo continetur, nec quidquam huic ſuperaddi, niſi prudentialem credibilitatis euidentiam. Si proinde per Concilij generalis legitimè congregati, & approbati definitionem, mediante Diuina per ipſummet Chriſtum promiſſa aſſiſtentia latam, habeatur pura, Verbo Dei Eccleſiæ concredito, contenta veritas, vt quid aduerſarij contendunt, hanc Diuinam veritatem ſuo proprio inſtinctui denuò ſubmittere? Si per eiuſmodi adeò definitionem hæreſes ex propriæ conſcientiæ iactantia, & inſtinctu priuato exortæ, mediante Spiritus ſancti ab ipſomet Chriſto promiſſa aſſiſtentia, ſunt iam diſcuſſæ, veritatiſque adeò Diuinæ lux iam apparuit, vt quid conantur, eam propriorum inſtinctuum tenebris iterum inuoluere, ac hæreſeon diſcrimini denuò obijcere? Si ipſa igitur diuina veritas iam patefacta per prudentiale credibilitatis iudicium ſuper Concilij definitione rationabiliter fundatum, debitè iam applicata ſit, cur aduerſarij contra monitionem Apoſtoli, non captiuant ſuum intellectum in obſequium Chriſti, ſeu Primæ Veritatis reuelantis, ſed effrenata propriorum inſtinctuum libidine in circulum ſe agunt; ſancto Athanaſio Epiſt. ad Epictetum de Synodi auctoritate ſic ſcribente: [Cùm hæreſeos refutandæ gratia hæc Synodus coacta fuerit, qua igitur audacia ſit, vt poſt tanti Concilij auctoritatem diſceptationes, aut quæſtiones inſtituant?] Quæ proinde de Concilij infallibilitate argumenta hic eo fine lubuit in medium proferre, quòd in ſubſequenti diſquiſitione cogitatio ſit, Papæ ex Cathedra decernentis infallibilitatem ex ipſiſmet etiam Concilijs Oecumenicis demonſtrare.

DISQVISITIO I.

Vtrùm Papæ ex Cathedra decernentis infallibilitas demonſtrari queat ex ſacris Canonibus, & Concilijs Oecumenicis?

§. I.

AVctor tractatus de libert. Eccleſiæ Gallicanæ cit. lib. 7. cap. 4. auctoritate Conciliorum Orientalium egregiè probat, iudicium Summi Pontificis circa quæſtiones fidei eſſe irreformabile: hoc præcipuè ductus argumento, quòd nihil vnquam à Summis Pontificibus ſit propoſitum toti Eccleſiæ tanquam fide Diuina credendum, in quo à Concilijs Oecumenicis reformandum fuerit eorum iudicium, quin etiam eorum ſententia, tamquam ex Petri Cathedra pronuntiata, ſemper cum reuerentia ſuſcepta ſit. Quid enim credere vetat, Spiritum ſanctum, qui per ſeptemdecim ferè ſæcula Summis Pontificibus res fidei definientibus ſic adfuit, vt eorum iudicium à Concilijs Oecumenicis tamquam fidei omninò conſonum, ſuſceptum fuerit, inpoſterum etiam ad futurum, vt irreformabilitet indicent? Certè periculum mali, quod per tot ſæcula numquam contigit, non vſque adeò metuendum erat, vt Illuſtriſſimi Epiſcopi Gallicani, omiſſis veris, & præſentibus Eccleſiarum ſuarum malis, huic incerto, vel potiùs numquam futuro, remedium præparare curarent, eo præſertim Eccleſiam vniuerſam regente Pontifice, qui, ſi quis vnquam, maxima cum grauitate, patientia, & maturitate res omnes, præſertim arduas, tractat.

Scio equidem, omnes hæreticos, aliquos etiam ex Catholicis, quibuſdam Pontificibus errores contra fidem tribuere, ſed noui etiam, eis ab alijs Catholicis, quorum libri omnium manibus teruntur, fuiſſe optimè reſponſum; nec defuturos, qui, ſi nouum quidpiam objiciantur, illud pari efficacia retundant. Sed de hoc infra recurret ſermo. Vt autem ad propoſitum redeamus, videndum eſt, qui ſe habuerint Concilia, præſertim Generalia, & Gallicana circa iudicia Summorum Pontificum in rebus fidei?

Non vtemur Canonibus Concilij primi Nicœni in editionibus vulgaribus non contentis, & vt aiunt, ex Arabia delatis, eorum diſcuſſionem Criticorum examini relinquentes, ne in ſuſpicionem veniat ius cauſæ, dubijs probationibus aſſertæ. Cœterùm veritas, inſtar ſolis, antequam oculis noſtris ſeſe exhibeat, nonnihil ſubobſcuræ, non iniucundæ tamen lucis præmittit, quæ paulatim creſcit vſque ad meridiem. Itaque licèt in antiquis monumentis non luceant veritates, quæ poſtmodùm diligentiùs inueſtigatæ, atque, vt ſeſe obtulit occaſio, accuratiùs verſatæ, plenam tandem, aut ſaltem maiorem lucem adeptę ſunt: non ideo tamen contemnenda

sunt prima earum vestigia, præsertim insignia.

In Concilio Generali Ephesino anno 431. art. 3. Philippus Presbyter, & Apostolicæ Sedis Legatus nemine contradicente, legationis suæ, ac secum missorum, mandatum in hunc modum exposuit, qui indicat auctoritatem, hac in fide firmitatem à sancto Petro ad eius Successores deriuatam; [Nulli dubium, imò seculis omnibus notum est, quòd sanctus, beatissimusque Petrus Apostolorum Princeps, & Caput, fideique columna, & Ecclesiæ Catholicæ fundamentum à Domino Iesu Christo Saluatore humani generis, ac Redemptore, claues Regni accepit, soluendique, ac ligandi peccata potestas ipsi data est: qui ad hoc vsque tempus, & semper in suis Successoribus viuit, & iudicium exercet. Huius itaque secundùm ordinem successor, & locum tenens sanctus beatissimusque Papa noster Cœlestinus Episcopus, nos ipsius præsentiam supplentes, ad hanc sanctam Synodum misit.] Quorsum beati Petri mentio, nisi vt insinuetur, eius successores eadem pollere authoritate, presertim; dum quæstiones fidei iudicant? Quo enim modo [fidei columna, & Ecclesiæ Catholicæ fundamentum semper in suis Successoribus viueret, & iudicium exerceret,] si isti toti Ecclesiæ possent, posito errore, casus, ruinæque occasionem præbere?

In artic. 2. Firmus Cæsareæ Episcopus dixit: [Apostolica, & sancta Sedes Celestini sanctissimi Episcopi de præsenti negotio sententiam, regulamque præscripsit; quam nos quoque secuti, formam illam executioni mandauimus Canonicam, Apostolicumque iudicium in illum (Nestorium) proferentes. Vides sententiam Romani Pontificis tamquam regulam præscriptam executioni mandaram, & beatum Petrum, dum iudicia de rebus Ecclesiasticis ore sui successoris pronunciat, humiliter auditum.

Sed ne putes, singulares tantùm Episcopos ita sensisse, ac dixisse, toto Concilio, saltem suo silentio consentiente, Summorum Pontificum, vt beati Petri sententiam, esse suscipiendam. In Concilio Generali Chalcedonensi art. 2. lecta epistola S. Leonis Papę ad Flauianum Archiepiscopum Constantinopolitanum, in qua Eutychetis doctrinam, vt hæreticam damnabat, & fidei Orthodoxæ normam præscribebat, reuerendissimi Episcopi clamauerunt; [Hæc Patrum fides, hæc Apostolorum fides, omnes ita credimus, Orthodoxi ita credunt. Anathema ei, qui ita non credit. Petrus per Leonem ita locutus est &c.] Sed inquies, ita clamatum est, quia reuerà Episcopi sancti Leonis doctrinam cum recta fide consentire iudicarunt, hinc tamen regula generalis constitui non potest. Certè hoc, vt supra insinuaui, parum non est, quòd in hoc, & in reliquis Concilijs Generalibus sententia Summorum Pontificum de rebus fidei toti Ecclesiæ pronunciata, vt orthodoxa suscepta fuerit. Verùm hunc iudicij Romani Pontificis cum fide consensum, non eruditioni Sancti Leonis, sed eius dignitati tribuendum, idest lumini Spiritus sancti, beato Petro, eiusque Successoribus, ne deficeret eorum fides, à Christo impetrato, non solùm vltima illa verba: [Petrus per Leonem ita locutus est, significant; Sed etiam Synodica ad sanctum Leonem epistola, vbi Concilium eum fidei custodem, & sancti Petri interpretem appellat; [Quam, inquit de fide loquens, ex præcepto Legislatoris venientem vsque ad nos ipse seruasti, vocis beati Petri omnibus constitutus interpres.] Non est superuacaneum pronomen, ipse, indicat enim, Romanum Pontificem specialiter esse vocatum à Christo fidei custodem, & vocis beati Petri omnibus constitutum interpretem. Statim autem Concilium profitetur se, sancto Leone Auctore, Antistite, siue Præside, ea enim est vocis græcæ significatio, veritatem fidelibus ostendisse. [Vnde, & nos te vt Ducem vtiliter habentes Ecclesiæ filijs hæreditatem, sortemque veritatis ostendimus.... quibus tu quidem sicut membris Caput præeras, in his, qui tuum tenebant ordinem, beneuolentiam præferens. In 3. parte Act. Concilij Chalced. cap. 2.

Eam Romani Pontificis dignitatem, & auctoritatem generatim explicat beatus Petrus Chrysologus Episcopus Rauennas literis ad Eutychen in 1. par. Act. eiusdem Concilij rescriptis; [Quoniam beatus Petrus, qui in propria Sede viuit, & præsidet, præstat quærentibus fidei veritatem.] Quomodò viuit, & præsidet in propria Sede, nisi quia, vt supra notauimus, eius Successor, in fidei veritate toti Ecclesiæ exponenda, indeficienter gaudet, sicut ille, spiritus sancti auxilio, & ductu præstat quærentibus fidei veritatem.

Agatho Papa suum de rebus fidei iudicium etiam ante Concilij Vniuersalis acceptationem, irreformabile esse non dubitabat; quandoquidem Legatos ad Concilium sextum Generale mittens, in secunda, quam ad Imperatorem Constantinum Pogonatum, eiusque fratres Heraclium, & Tiberium scripsit, epistola, quæque in Act. 4. Concilij recitata fuit, audacter, ac secure pronuntiat, se suis Legatis mandasse, non vt quæ ipse cum suo Concilio declarauerat, tamquam dubia, & incerta examinarentur, sed vt certa, & immutabilia publicarentur. [Personas, inquit, præuidimus dirigere, non tamen tamquam de incertis contendere, sed vt certa, atque immutabilia compendiosa definitione proferre.] Mox condemnationis sententiam profert in eos, qui traditæ à se doctrinæ contradicerent; [Qui verò hæc confiteri noluerint, vt infestos Catholicæ, atque Apostolicæ confessioni, perpetuæ condemnationis reos esse censemus.] Quis ita, nisi vel imprudentissimus, vel de suæ veritate sententiæ certissimus, loqui audeat, à Concilio Oecumenico, si falsa proferret, vel iniusta, mox redarguendus! Numquid autem Summus ille Pontifex Concilio visus est, nimiam sibi tribuisse auctoritatem? Eius doctrinam non solùm vt veram, sed etiam tamquam à Spiritu sancto dictatam, & à beato Petro prolatam se suscipere declarauit, primò Dometius Episcopus Prusiados his verbis: [Suggestiones directas à Patre nostro Agathone sanctissimo Archiepiscopo Apostolicæ, & principalis Sedis antiquæ Romæ, tamquam ex Spiritu sancto dictatas per os sancti, ac beatissimi Principis Apostolorum Petri, & digito prædicti beatissimi

tissimi Papæ Agathonis scriptas suscipio, & amplector, & ita credo, ita sentio.] Totum deinde Concilium sententiam Agathonis in prædicta epistola contentam ampleaum est, & Macharium Patriarcham Antiochenum eam admittere recusantem deposuit.

In prima verò epistola docet apertissimè Agatho, Ecclesiam Romanam, non solùm in fide non deficere, sed eius etiam esse, reliquos omnes in fide confirmare. [Spiritales oues Ecclesiæ, inquit loquens de beato Petro, ab ipso Redemprore omnium terna commendatione pascendas suscepit, cuius annitente præsidio, hæc Apostolica eius Ecclesia numquam à via veritatis in qualibet erroris parte deflexa est, cuius auctoritatem, vtpote Apostolorum omnium Principis, semper omnis Catholica Christi Ecclesia, & Vniuersales Synodi fideliter amplectentes, in cunctis secutæ sunt, omnesque venerabiles Patres Apostolicam eius doctrinam amplexi, per quam & probatissima Ecclesiæ Christi lumina claruerunt, & sancti quidem Doctores Orthodoxi venerati, atque secuti sunt. Hæretici autem falsis criminationibus, ac derogationum odijs insecuti. Et quibusdam interiectis: Hec est enim veræ fidei regula, quam & in prosperis, & in aduersis viuaciter tenuit, ac defendit hæc spiritualis Mater vestri tranquillissimi imperij, Apostolica Christi Ecclesia, quæ per Dei Omnipotentis gratiam à tramite Apostolicæ traditionis nunquam errasse probabitur, nec hæreticis nouitatibus deprauata succubuit. Sed vt ab exordio fidei Christianæ percepit ab Auctoribus suis Apostolorum Christi Principibus, illibata fidetenus permanet, secundùm ipsius Domini Saluatoris pollicitationem, quam suorum discipulorum Principi in sacris Euangelijs fatus est:] Petre, Petre, inquiens, ecce sathanas expetiuit, vt cribraret vos, sicut qui cribrat triticum: ego autem pro te rogaui, vt non deficiat fides tua; & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. [Consideret itaque vestra tranquilla Clementia, quoniam Dominus, ac Saluator omnium, cuius fides est, qui fidem Petri non defecturam promisit, confirmare eum fratres suos admonuit, quod Apostolicos Pontifices meæ exiguitatis Prædecessores confidenter fecisse semper, cunctis est cognitum.] Non ergo pro solo Petro, sed pro Petri successoribus rogauit Christus, ne deficeret eorum fides, vt scilicet possent fratres confirmare, si quando in fide vacillarent.

Vtramque autem epistolam, quomodò exceperit Concilium, testati sunt non solùm singillatim aliqui Episcopi, sed ipsummet Concilium vniuersum, non solùm nihil aduersùs testimonia in fauorem sanctæ Sedis prolata excipiens, sed & submissionem significans his verbis; [Sancta, & vniuersalis Synodus suscipiens, & expansis manibus amplectens tam suggestionem, quæ à sanctissimo, ac beatissimo Agathone Papa antiquæ Romæ facta est..... adeòque amplexa est, & alteram Synodalem suggestionem, quæ missa est à sacro Concilio, quod est sub eodem sanctissimo, ac beatissimo Papa, &c. In epistola ad eumdem Agathonem; Tibi vt primæ Sedis Antistiti vniuersalis Ecclesiæ, quid agendum sit, relinquimus, stanti super firmam fidei Petram, libenter perlectis veræ confessionis literis à vestra Beatitudine ad pijssimum Imperatorem missis, quas vt à Summo Apostolorum vertice Diuinè perscriptas agnoscimus, per quam exortam nuper multiplicis erroris hæreticam sectam depulimus.] Confer istam cum ijs, quæ supra ex alijs Concilijs retulimus, & obseruabis, quantum inter se concordent in veneranda fidei beati Petri soliditate, eiusque Successoribus illius Apostoli Romanis Pontificibus agnoscenda continuatione. Sed progrediamur vlteriùs, vt veluti perpetua texatur Traditionis series.

§. II.

Aduersariorum argumenta à Launoio præcipuè reproducta, & ab Auctore tract. de libert. Ecclesiæ Gallicanæ lib. 7. cap. 15. & 16. discussa referuntur cum suis responsionibus, & conclusione super ijs reflexiua.

ARGVMENTVM I.

Launoij.

IOannes Launoius par. 5. epist. 1. conatus est S. Stephanum non minùs, quàm S. Cyprianum in errore circa Baptisma hæreticorum versatum probare; quia scilicet sicut iste nullorum, sic ille omnium omninò hæreticorum Baptisma probabat, modò Christi Baptisma esset. Hoc autem sic ostendere nititur.

Sanctus Augustinus in lib. de vnic. Baptismo cap. 14. asserit, quòd Stephanus Baptismum Christi in nullo iterandum esse censebat, & hoc facientibus grauiter succensebat. In libro autem 3. contra Donatistas cap. 15. [Quòd si Euangelicis verbis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, Marcion Baptismum consecrabat, integrum erat Sacramentum.] Sanctus verò Cyprianus, inquit Launoius epistola ad Iubaianum scribit, Marcianum non baptixasse in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Ex quibus concludit: [Quapropter nemini mirum videri debet, Doctorem sanctum (loquitur de B. Augustino) Romano Pontifici indeficientis iudicij priuilegium nusquam adscribere, nec illum pro supremo, vel vltimo controuersiarum fidei Iudice habere. Quippe Iudex talis nusquam errare debet, vt Stephanum hac in re errasse Augustinus significat, consentiens, Baptismum, qui verbis Euangelicis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti non consecratur, cassum, & irritum esse, contra quam Stephanus in epistola ad Africanos decreuerat.

Responsio.

Auctor tract. de libert. Eccles. Gallic. cit. cap. 15. solidissimè respondet primò falsum esse, sanctum Augustinum consensisse, aut saltem significasse, Baptismum, qui verbis Euangelicis in nomine Patris, & Filij, & Spiritus

ritus sancti non consecratur, cassum, & irritum esse. Dicit quidem Augustinus loco supracitato, Baptismum, si ita consecretur, integrum esse Sacramentum, non tamen negat, Baptismum in nomine Christi collatum valere, quæ duo valde diuersa sunt, sciebat enim Magistrum suum S. Ambrosium lib. 1. de Spiritu sancto cap. 3. quem posteà plures secuti sunt, quos citat Bellarminus de Baptismo lib. 1. cap. 3. validum putasse. De hujus sententiæ veritate non est modò quæstio, (eam optimè tractauit Bellarminus loco citato) sed de sancti Augustini testimonio.

Secundò. Falsum est, sanctum Stephanum docuisse, Baptismum sine expressa inuocatione sanctissimæ Trinitatis valere. Contrarium testatur Firmilianus in epistola ad S. Cyprianum, inter cuius epistolas est ordine 75. in edit. Pam. & Rigal. Refertur etiam à Philippo Labbeo tomo 1. Concilior. Sic enim scribit Firmilianus Cæsareæ Cappadocum Episcopus de S. Stephano, & alijs, qui sancto huic Pontifici consentiebant: [Illud quoque absurdum, quòd non putant quærendum esse, quis fit ille, qui baptizauerit, eò quòd qui baptizatus sit, gratiam consequi potuerit, innocata Trinitate nominum Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Quibusdam interiectis, addit: Non omnes autem, qui nomen Christi inuocant, audiri, & inuocationem suam consequi aliquid gratiæ posse, Dominus ipse manifestat dicens; multi venient in nomine meo dicentes; Ego sum Christus, & multos fallent. Nulla quippe differentia est inter Pseudoprophetam, & Hæreticum. Nam vt ille in nomine Dei, aut Christi, ita iste in Sacramento Baptismi fallit. Ex quibus colligitur, illam inuocationem Christi, de qua in hac materia fiebat sermo, supposuisse [inuocatam Trinitatem nominum Patris, & Filij, & Spiritus sancti, vt qui baptizabatur, gratiam consequi posset.

Etenim sanctus Stephanus nihil innouandum statuerat, atqui certissimum est Baptismum eum inuocatione Trinitatis conferri solitum, hęc enim est antiquitas; quam retentam fuisse studio præsertim S. Stephani, docet Vincentius Lirinensis infra citandus. Id etiam constat ex tractatu, cuius titulus est, [Non debere denuò baptizari, qui semel in nomine Domini nostri Iesu Christi, sunt tincti.] Extat tomo 1. Concil. Philippi Labbei ante Concilium Carthaginense tertium sub S. Cypriano habitum, eumque prædictus Labbeus ex dictione conijcit, Auctoris esse ab æuo Cypriani parum distantis. Habetur etiam inter opera S. Cypriani edit. Rigaltij. Hæc sunt verba illius Auctoris ante medium tractatus. [Nec æstimes, huic tractatui contrarium esse, quod dicit Dominus, Ite; docete omnes gentes, tingite eos in nomine Patris, & Filij & Spiritus sancti. Qui cùm hoc verum, & rectum, & omnibus modis in Ecclesia obseruandum sit, & obseruari, quoque solitum sit &c.] Atqui S. Stephanus, quod in Ecclesia obseruari solitum erat omnibus modis obseruandum volebat. Prosequitur autem continuò Auctor. [Et tamen considerare oportet, quòd inuocatio nominis Iesu non debet à nobis futilis videri &c.] Non ergo inuocatio Trinitatis. & inuocatio Christi sese mutuò excludebant.

Eusebius lib. 67. hist. Eccles. cap. 3, S. Stephani consilium exprimit his verbis, [Verùm Stephanus nihil aduersùs traditionem, quæ iam inde ab vltimis temporibus obtinuerat, innouandum ratus, grauissimè id tulit.] scilicet, vt rebaptizarentur ij, qui ab hæreticis baptizati fuissent iuxta traditionem, quæ iam inde ab vltimis temporibus obtinuerat: secundùm quàm expressè inuocanda erat sanctissima Trinitas.

Si quando igitur S. Stephanus de Baptismo loquens Christi mentionem fecerat. Nunquam tamen docuerat, Baptismum per solam inuocationem Christi valere, absque inuocatione trium personarum sanctissimæ Trinitatis, nec id de eo scripsit S. Cyprianus, nec etiam tradidit Marcionis Baptisma eo, tantùm fieri modo solitum, vt ex eius approbatione illa Stephani opinio colligi possit. Christi ergo mentio eò pertinebat, vt asseretur Baptisma Christi, hoc est à Christo institutum, ac iuxta formam ab eo præscriptam, & in eius nomine collatam, ab ipso virtutem habere, à quocumque conferretur, Nec quærendum esse, vt referebat Firmilianus, [quis esset ille, qui baptizasset, eo quòd qui baptizatus esset, gratiam consequi potuisset inuocata Trinitate.] Sanctus quidem Cyprianus epistola ad Iubaianum hæc scripsit, quæ opponit Launoius. [Quomodò ergo quidam dicunt foris extra Ecclesiam, imò & contra Ecclesiam, modò in nomine Iesu Christi vbicumque, & quomodocumque gentilem baptizatum remissionem peccatorum consequi posse, quando ipse Christus gentes baptizari iubeat in plena, & adunata Trinitate. Verùm hæc verba non significant, omissam fuisse innocationem sanctissimæ Trinitatis, sed baptizantibus, ac baptizatis defuisse veram fidem Trinitatis, atque ideo Christi nomen non potuisse vim, Baptismo conferre.

Is Cypriani sensus præter illa, quæ iam diximus, colligitur ex eo, quòd in tota illa epistola vim facit in fidei rectæ defectu. Ita enim post initium epistolæ dixisset, [De Marcione interim solo, cuius mentio in epistola ad te per nos transmissa facta est, examinemus, an possit eius Baptismatis ratio constare. Dominus enim post resurrectionem discipulos suos mittens, quemadmodum baptizare deberent, instituit: & docuit dicens Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra.] Ite ergo & docete omnes Gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Insinuat Trinitatem, cuius Sacramento Gentes baptizantur.] Subsumit non negando Marcionem ita baptizasse, sed eum malè de Trinitate sentiret: vtiliter baptizare potuisse. [Numquid hanc Trinitatem Marcion tenet. Numquid eumdem asserit, quem & nos Patrem Creatorem? Numquid eumdem vnum filium Christum de Maria Virgine natum, qui sermo caro factus sit. Qui peccata nostra portauerit &c.] Ex quibus verbis, & historia Ecclesiastica constat, Marcionem circa Christum errasse, sicut circa alias sanctissimæ Trinitatis personas, atque adeò non est, quòd credamus, ipsum in nomine so-

ſolius Chriſti potiùs, quàm in nomine totius Trinitatis baptizaſſe.

Præterea (quod in Lannolj Dialectica argumentum eſt efficaciſſimum) S. Auguſtinus in eo ipſo loco, quem ipſe refert, ex lib. de vnico Baptiſmo cap. 14. non dicit, S. Stephanum cenſuiſſe, valere Baptiſmum in ſolo Chriſti nomine collatum, ſed (quod plus quàm negatiuum argumentum eſt) quòd Stephanus Baptiſmum Chriſti in nullo iterandom eſſe cenſebat, & hoc facientibus grauiter ſucceuſebat. Quinam autem eſt Baptiſmus Chriſti, niſi quem Chriſtus inſtituit, & cuius formam præſcripſit.

Denique, Si Launoius S. Stephanum erraſſe contendat, neceſſe eſt, vt eiuſdem erroris conſcium, ac reum faciat ipſum S. Auguſtinum, cuius teſtimonio illius errorem probare nititur. Nam S. ille Doctor propugnauit aduersùs S. Cyprianum, Baptiſmum in nomine Chriſti datum, quem S. Stephanus aduersùs eundem defenderat, vt legere eſt in libris de Baptiſmo contra Donatiſtas in quorum §§. 3. 4. & 5: confutat epiſtolas ad Iubaianum & ad Pompeium, quibus vtitur Launoius. Præcipue autem lib. 4. cap. 16. reſpondet his Cypriani verbis epiſtolæ ad Iubaianum contentis, [Aliud eſt, eos, qui intus in Eccleſia ſunt, de nomine Chriſti loqui, aliud eos, qui foris ſunt, & contra Eccleſiam faciunt, nomine Chriſti baptizare. Libro autem quinto cap. 13. S. Stephani mentem exponit, & confirmat, [Qui vtique Stephanus, inquit, non propterea communicauit hæreticis, quia Baptiſma Chriſti, quod in eorum peruerſitate integrum manſiſſe cognouit, improbare non auſus eſt.] Ecce quod erat illud Baptiſma hæreticorum: quod S. Stephanus non improbabat, ſcilicet quod in eorum peruerſitate integrum manſiſſe cognouerat. Quomodo ad iſta cæcutijt Launoius, nimium vehementi ad deprimendam ſanctæ Sedis dignitatem ſtudio excæcatus. At addit Auguſtinus, [Apoſtoli autem nihil quidem exinde præceperunt, ſed conſuetudo illa quæ opponebatur Cypriano, ab eorum traditione exordium ſumpſiſſe credenda eſt, ſicut multa, quæ vniuerſa tenet Eccleſia.] Non errabat ergo Stephanus illam conſuetudinē ſeruans, & ſeruari præcipiens, quæ ab Apoſtolis orta fuerat.

Oculatior fuit Lannoius in detegendo Stephani errore, quàm Centuriatores Magdeburgenſes, qui tanta cura in Pontifices inquiſiuerunt, vt haberent, quod obijcerent. Sanctum enim Stephanum prætermiſerunt, non omiſſuri, ſi quid erroris in eo prætexere potuiſſent, cùm tot alios iniuſtè accuſauerint. Pudeat hodie accuſare erroris, Catholicum Pontificem, quem non ſolùm moderni hæretici ſilentio, ſed etiam antiqui elogio commendarunt. Nam illud ipſum cap. 14. lib. S. Auguſtini de vnico Baptiſmo contra Petilianum Donatiſtarum Epiſcopum Conſtantienſem, quod citat Launoius, ſic incipit, [Sed volo, ſoluat mihi iſtam quæſtionem, quandoquidem cùm Romanæ Eccleſiæ per ordinem commemoraret Epiſcopos, inter commemorauit, & Stephanum, quos Epiſcoparum illibatè geſſiſſe confeſſus eſt. Cùm ergo Stephanus non ſolùm non rebaptizet hæreticos, verùm etiam hoc facientes, vel, vt fieret, decernentes, excommunicando, eſſe cenſeret, ſic aliorum Epiſcoporum, & ipſius Cypriani litteræ oſtendunt, tamen cum eo, Cyprianus in vnitatis pace permanſit. Geſſit ergo illibatè Stephanus Epiſcoparum, ac non niſi calumnioſè poteſt accuſari.

ARGVMENTVM II.

Launoij.

IN Honorium I. frequentiùs conuertitur, & validiùs infigitur Launoij ſtylus, ac ſi Pontifex ille concors fuiſſet erroris Monothelitarum, conſentiendo cum Pyrrho Patriarcha Conſtantinopolitano.

Reſponſio.

Prætactus Auctor de libert. Eccleſ. Gallic. dicto lib. 7. cap. 16, à n. 2. ita reſpondet. Si Lauuoius erudiſſimi Patris Sirmondi; cui multùm ſe debere fatetur, ob eam nimirum cauſam, quam notat Ludouicus, Moreri in ſuo magno Dictionario Gallico, ſcilicet, quòd eum tamquam Magiſtrum habuerit artis cenſoriæ, ſeu critices, ſi inquam, diſcipulus Magiſtri pium erga ſanctam Sedem affectum imitatus fuiſſet, Honorium ab omni erroris labe purum præſtitiſſet. Nam quæ Pater Sirmundus monimenta ab Anaſtaſio collecta edidit, certa ſunt illius Pontificis fidei teſtimonia. Si teſtes eò maiorem faciant fidem, quò & res quas narrant, certiùs norunt, & ob vitæ integritatem, pietatem, ac ſanctitatem à mendacio magis abhorrent, duæ illæ conditiones in ijs eminuerunt, qui pro Honorio adducuntur.

Ioannes IV. Papa zelo fidei, miſericordia erga pauperes, conſtantia, & vitæ ſanctitate conſpicuus, triennio poſt obitum Honorij Apologiam ſcripſit pro eo, quia Pyrrhus Patriarcha Conſtantinopolitanus hæreſis ſuæ fautorem extitiſſe falsò aſſerebat, in qua quidem Apologia Ioannes explicat mentem Honorij, quam oſtendit à Monothelitarum errore valde fuiſſe diuerſam.

Eam autem interpretationem Ioannes non pro ſuo erga Honorium affectu excogitauerat, ſed ab eo ipſo, qui Honorio ab epiſtolis fuerat, qui illas ipſas ſcripſerat, quas Pyrrhus pro ſe interpretabatur, quique doctrina, & pietate totum Occidentem, teſte S. Maximo, illuſtrabat, diligenter ſciſcitatus erat veram dictantis ſententiam.

Sanctus erat Maximus, qui Honorium tum in diſputatione cum Pyrrho, tum in duabus epiſtolis paucis poſt annis defendit atque adeò nimio erga Eccleſiam Romanam ſtudio minimè excæcatus. Coætaneus erat, & partem eorum, quæ referebat, ſuis ipſe oculis viderat, atque adeò veritatis bene conſcius.

Satis quoque Lannoio fuiſſent hæc teſtimonia, ſi Honorium defendendum ſuſcepiſſet, vt cum innoxium demonſtraret, & ea dilueret, quæ Summo illi Pontifici opponit epiſt. 1. to. 3. & alibi præſertim cùm teſtimonia prædicta omnibus, quæ aduersùs Pontificem illum proferuntur, antiquiora ſint. Imò

ſuf-

sufficisset silentium illustrium Scriptorum satis antiquorum v. g. Pauli Diaconi Aquileensis, Theophanis, Georgij Monachi. Est enim illi admodùm familiare istud argumenti genus, sed eam laudem non ambibat, ad oppugnandum, non ad propugnandum procliue erat eius ingenium. Cùmque receptis communiter opinionibus bellum frequentiùs indiceret, coniecturis supradictorum testimoniorum robore longè inferioribus vti cogebatur, quas tamen ceu demonstrationes habebat.

ARGVMENTVM III.

IOannes Launoius Liberij etiam exemplum commemorat, ac si Arianorum hæresi, subscripsisset, teste Athanasio in epistola ad solitariam vitam agentes, & Hieronymo in chronico.

Responsio.

Prætactus Auctor tract. de libert. Eccles. Gallic. cit. cap. 16. à n. 7. ita respondet. Liberius peccauit quidem, vt verisimiliùs apparet, non tamen aliquid fidei contrarium Ecclesiæ credendum proposuit. Certè, qui Summo Pontifici negant non errandi priuilegium, quia Liberius exilij ærumnarum pertæsus S. Athanasij condemnationi, & formulæ fidei veritatem integram non explicanti, sed falsi nihil continenti subscripsit, pari ratione Concilia Generalia obnoxia fateri coguntur, quia Concilium Ariminense Arianis ita fauit, vt totus penè orbis Christianus miraretur, se esse Arianum, & secundum Concilium Ephesinum S. Flauianum Episcopum Constantinopolitanum à sua dignitate deiecit, Eutychen hæresiarcham ob hæresim à Flauiano Synodicè deiectum restituit, eiusque errori, non reiecto mutilo symbolo, patrocinatum est. Si autem Arimini, & Ephesi vim factam Episcopis, etiam verè Catholicis fuisse respondeas: adeoque Concilio Oecumenico non esse tribuenda illorum gesta: similiter etiam, quæ à Liberio fidem integram interiùs seruante, exorta sunt, non debent ipsi, nisi vt priuatæ personæ adscribi, quam à peccato tutam non facit dignitas.

Peccatum autem Liberij alicuius hæresis promulgationem, aut etiam professionem non fuisse constat: quia fidei formula, cui subscripsit, nullum exprimebat errorem. Vide, quæ optimè notauit Ioannes David Doctor Gallicanus dissertatione de iudicijs Canonicis Episcoporum capitulo septimo articulo tertio. Sed vt iam diximus, neque istum, neque alium quemquam Pontificem aliquid fidei contrarium, tamquam de fide credendum proposuisse, plures ostenderunt; quæ à Launoio, vel solo, vel diligentiùs notata sunt.

Rem hanc accuratiùs expendit Auctor Regalis Sacerdotij lib. 3. §. 9. num. 8. Totam Liberij culpam, inquiens, hanc fuisse, quòd tædio pœnarum, exilijque, & spe repetendæ summæ dignitatis victus, primæ fidei formulæ, quam Sirmij ediderant Ariani, subscripserit, & in damnationem Athanasij consenserit. Hoc solum, & totum Liberij crimen, nec ab vllo Scriptorum aliud memoriæ proditum est. In eodem Sirmiensi Concilio secunda formula confessionis concepta est impia omnino, & blasphemiæ plena, in qua Dei Filius, nec eiusdem cum Patre substantiæ, nec similis esse dicitur: huic secundæ Hosius Episcopus Cordubensis extrema iam senectute, vi, & tormentis adactus subscripsit. Huius secundæ formulæ adeò ipsos Arianos puduit, vt in Concilio Ancyrano tertiam dederint, Catholicæ omninò simillimam, nisi quòd vocem consubstantialis omitterent, hanc Constantius amplexus est, & secundam suppressam, expunctamque voluit. Ita scribunt S. Athanasius de Synod. Socrates lib. 2. cap. 29. S. Hilarius libro de Synod. Epiphanius hæresi 73. Forma igitur professionis, cui Liberius subscripsit, licèt vocem consubstantialis silentio premeret, fuit planè Catholica, in qua Photini hæreses damnabantur, in qua Filius eiusdem cum Patre substantiæ dicebatur, quam ipse S. Hilarius exponens, Catholicam esse fatetur, idemque asserit Vigilius Episcopus Trident. aduersùs Eutychen lib. 5. Et Liberius in literis, quas ad Orientis Episcopos dedit, se ideò cum Vrsacio, & Valente communicasse dicit, quòd eorum fidem agnouisset Catholicam, alienamque ab Arianorum perfidia. Immò Augustinus tantus Arianorum hostis, aduersùs Pascentium Arianum agens, se illius fidei subscripturum spondet, si nihil aliud fidei Catholicæ veritati contrarium inueniat, quàm quòd vocem consubstantialis omittat epist. 174. & tamen hanc solam Liberius omitti passus est, cur ergo silentio, & quidem pœnis expresso, vnius vocis hæreticus? præsertim cùm non priùs Sirmio Liberius excesserit, quàm Ariana hæresi, illisque, qui negarent filium substantia reliquisque Patri similem esse, damnatis teste Sozom. lib. 4. cap. 14. Cùm ergo formula Sirmiensis, cui subscripsit Liberius, nullam hæresin professa fuerit, & Episcopi, cum quibus communicauit, id ipsum credere dicerent, quod in illa continebatur, ex quo tandem capite Liberium hæresis accuses? de cuius in vera fide constantia, contemptuque munerum sibi à Constantio Augusto oblatorum, vide Theodoretum lib. 2. cap. 22.

Cur ergo, inquiens S. Hieronymus, alijque Liberium hæreticæ prauitati subscripsisse dicunt? Quia condemnationi Athanasij assensus est, cuius causa adeò cum fide coniuncta fuit, vt idem videretur, Athanasium condemnare, ac fidem prodere: Quia vocem consubstantialis, quæ tessera Catholicorum, erat, omitti passus est: Quia cum Arianis communicauit, vbi quidem multum, grauiterque à Liberio peccatum est, sed extra naufragium fidei: quemadmodum non ideò Lutheranus est, qui cum Lutheranis communicat. Sed hanc quoque maculam Liberius extersit, cùm rescissis, damnatisque Ariminensis Concilij actis, Sede iterum pulsus, ærumnisque confectus, in sepulchris delituit, multisque propterea encomijs à Sanctis Patribus laudatus est. Vide Sozomenum libro 4. cap. 10.

Denique etiamsi concesserimus formulam, cui Liberius subscripsit, hæreticam fuisse, quid denique contra nostram sententiam

sequitur? Aliud enim est hæresi subscribere, aliud hæresin docere: & quemadmodum Petrus cùm Christum negauit, aut Marcellinus cum idolis thus incedit, non propterea ex Cathedra sententiam tulit, deciditque, Christum negandum, idolis adolendum esse, ita nec Liberius, Nec nos Pontificem metu vinci posse, vt hæresi subscribat, & cùm hæreticis communicet, negamus, sed non posse hæresin è Cathedra Ecclesiam docere, & fidelibus errorem pro veritate credendum imponere: hoc nec Liberium, nec vllum Pontificem fecisse, facturumque contendimus.

ARGVMENTVM IV.

IDem Launoius epist. 1. tom. 3. ostendere nititur, vel Bonifacium VIII. vel Clementem V. errasse, quia Clemens V. constitutionem Bonifacij, quæ incipit: [Vnam sanctam] nullius esse, aut futuram roboris, & auctoritatis, decernit in capitulo Meruit.

Responsio.

Præfatus Auctor de libertat. Ecclesiæ Gallicanæ citat. cap. 16. num. 9. respondet, falsum esse quod Clemens V. in capitulo Meruit decreuerit, constitutionem Bonifacij VIII. [Vnam sanctam] nullius esse roboris. Declarauit enim dumtaxat, se nolle Regi, aut Regno Francorum per dictam constitutionem aliquod præiudicium generari, aut ampliùs Regem, vel Regnum, quàm an ea Ecclesiæ subijci. Notentur hæc verba, ampliùs, quàm antea. [Hinc est (inquit) quod nos dicto Regi, & Regno per definitionem, seu declarationem, bonæ memoriæ Bonifacij Octauij Prædecessoris nostri, quæ incipit: [Vnam sanctam,] nullum volumus, vel intendimus præiudicium generari. Nec quod per illam Rex, Regnum, Regnicolæ prælibati ampliùs Ecclesiæ sint subiecti, quàm antea existebant. Sed omnia intelligantur in eodem esse statu, quo erant ante definitionem præfatam, tam quantùm ad Ecclesiam, quàm etiam quoad Regem, & Regnum superius nominatos.

ARGVMENTVM V.

DIctus Launoius imponit Ioanni XXII. quasi definierit, animas corpore exutas non nisi post iudicium finale Deum intuitiuè visuras.

Responsio.

Præadductus Auctor de libertat. Ecclesiæ Gallicanæ dicto cap. 15. à num. 10. respondet in hæc verba. Nescio, qua fide possit Ioanni XXII. inuidia conflari, quasi definierit, animas corpore exutas non nisi post iudicium finale Deum intuitiuè visuras, cùm ipse tam apertè negauerit controuersiam à se definitam. An solemnis definitio à Summo Pontifice, ita fit, vt Ecclesiam lateat, cui nisi proponatur vt fide diuina credenda, solemnis haberi nō debet? Mentē suam declarat Ioann. epist. 1. [Ne super his, quę de' animabus separatis à corpore, & purgatis, an citra resumptionem corporum, Diuinam essentiam visione illa videlicet, quam vocat Apostolus facialem, videant, eam per nos, quàm per nonnullos alios in præsentia nostra, recitando, & allegando sacram scripturam, ac originalia, & dicta Sanctorum, vel aliàs ratiocinando, sæpiùs dicta sunt, aliter, quàm per nos dicta, & intellecta fuerant, intelligantur ac dicantur, & auribus fidelium valeant inculcari: Ecce quòd nostram intentionem, quam circa statum animarum separatarum habemus, & habuimus, serie præsentium declaramus. Fatemur siquidem, & credimus quod animę purgatę separatę à corporibus, sint in cœlo, cœlorum regno, & Paradiso cum Christo consortio Angelorum congregatæ, & videant Deum facie ad faciem, & Diuinam essentiam clarè, in quantùm conditio, & status patitur animæ separatæ.

Si quis autem Ioanni ipsi asserenti, se contrarium anteà non dixisse, [nisi fortè recitando, & allegando sacram Scripturam, ac originalia, & dicta Sanctorum, vel aliàs ratiocinando fidem, adhibere dubitet, confirmabitur testimonio Doctorum Parisiensium tunc temporis à Rege Francorum Philippo VI. seu Valesio consultorum. Ipsi enim, cùm sententiam suam proponere vererentur ob debitam Summo Pontifici reuerentiam, eò tamen adducti sunt. [Aduertentes, inquiunt, quòd multorum fide dignorum relatione audiuimus, quòd quidquid in hac materia Sanctitas Sua dixit, non asserendo, seu opinando protulerit, sed solummodò recitando. In historia Vniuersitatis tomo quarto ad annum 1332.

ARGVMENTVM VI.

IDem Launoius contendit, Iulium II. errasse, quia definierit, simoniam veram, atque indubitatam hæresim esse, & Papam simoniacè electum non hæreticum modò, sed hæresiarcham esse.

Responsio.

Prællegatus Auctor de libert. Ecclesiæ Gallicanæ num. 12. respondet, quòd Iulius in ea constitutione, quam sine dubio intelligit Launoius, quæque incipit: [Cùm tam Diuino, &c.] nihil definierit de simonia. Est enim illius constitutionis scopus, impedire, ne Summus Pontifex simoniacè eligatur. Ea occasione §. 1. hæresis simoniacæ meminit, non definiens, simoniam esse hæresim, sed eam illo nomine notans, quo in iure Canonico passim insignitur. Non definit etiam, Papam simoniacè electum hoc ipso fore hæresiarcham, sed eisdem pœnis plectendum, quibus, si hæresiarcha existeret. Si contigerit, inquit, electionem Romani Pontificis per simoniacam hæresim celebrari . . . . . . Electus non Apostolicus, sed Apostaticus, & tamquam simoniacus, (vel Simon Magus) & hæresiarcha, & ad prędicta omnia, & singula perpetuò inhabilis habeatur, & sit. Verbum illud sit, refertur, vt patet, ad verbum, inhabilis, non autem

ad

ad verbum hæresiarcha. Voces autem tamquam, & habetur, apertè declarant, Iulium nullam hic definitionem constituere circa hæresim Papæ simoniaci, nisi fortè definitionem appelles simplicem nuncupationem in iure vsitatam; sicut non definit, huiusmodi Pontificem simoniacè electum fore Magum, Ethnicum, & Publicanum, licèt §. 3. permittat, eum vt Magum, Ethnicum, Publicanum, & hæresiarcham euitare.

ARGVMENTVM VII.

Launoius pluribus in locis, præcipuè epist. 5. tom. 5. Sixti Quinti exemplum profert ad probandum, posse Summos Pontifices errare. Verba Sixti Quinti à Launoio in hunc finem prolata ita se habent: [Illud sanè certum, atque exploratum esse volumus, nostros hos labores (in emendandis Biblijs) eò numquàm spectasse, vt noua editio in lucem exeat, sed vt vulgata vetus ex Tridentinæ Synodi præscripto emendationi, pristinæque suæ puritati, qualis primùm ab ipsius Interpretis manu, styloque prodierat, quoad eius fieri potest, restituta imprimatur.] Super quibus verbis Launoius isthanc depromsit glossam; [Verba hæc, inquiens, virum sibi præsidentem, & de Bibliorum emendatione perfectissima securum objiciunt. At neque Bibliorum editio, neque Sixti diplomata suppressa essent, nisi errasset.]

Responsio.

Auctor prætacti tract. de libert. Eccles. Gall. cap. 16. num. 14. respondet. Hæc Launoij verba sui scriptorem,& pontificiæ dignitati infensum,& præ nimio illam persequendi ardore execæcatum objicere. Quænam enim ex his Sixti verbis significant, ipsum de Bibliorum emendatione perfectissima securum? An quia Pontifex declarat, se eò spectasse, asserit etiam peruenisse? Semper nè, qui ad aliquem scopum se tetendisse affirmat, confidit etiam, se eum attigisse? Quin etiam, si Sixtus declarasset, Bibliorum emendationem perfectissimam assecutum,ea verba de fidei certitudine nullatenus intelligi possent, sed tantùm de morali,quæ post adhibitam accuratam diligentiam haberi potest. Non enim aliter accipi possunt illa verba, quoad eius fieri potest, quàm, vt indicent, id cum absoluta securitate asseri non posse.

At, inquit Launoius, neque Bibliorum editio, neque Sixti diploma suppressa essent, nisi Sixtus errasset. Quasi verò error sola supprimendorum Actorum causa sit. Emendauerat Sixtus V. editionem vulgatam peritissimorum virorum opera vsus. Emendationem illam, quamuis admodùm vtilem, ad perfectiorem statum, siue repertis nouis Codicibus, siue habita aliorum virorum peritissimorum copia, perduci posse animaduertens Clemens Octauus editionem Sixti non suppressit, sed eam perficiendam, priusquàm publicaretur, curanit, quamobrem in lucem deinde fuit emissa, præfixis & Sixti, & Clementis nominibus; vt videre est in varijs editionibus exinde factis cùm alibi, tum in Gallia.

Subdit tandem præfatus Auctor præs. num. 16. Quis, aiens, cum voluptate non contempletur Launoij inter tot conatus ad abrogandam Papæ infallibilitatem, tam diligenter, tamque frequenter Adriani Sexti auctoritatem iactare? quasi ceteri Pontifices quamplurimi errassent, & omnes errare potuissent in proponenda Ecclesiæ vniuersæ fidei doctrina, solius autem Adriani priuati adhuc Doctoris, & antequàm de pontificatu vel ipse, vel alius pro eo cogitaret, infallibile fuisset iudicium. At Pontifex factus sententiam non retractauit. Tot, tamque grauibus negotijs, & curis distentus fuit per illud tempus aliunde satis breue, quo Ecclesiæ clauum tenuit, vt mirum non sit, eum de corrigendis Commentarijs Scholasticis minimè cogitasse. Sed etiamsi pristinam retinuisset sententiam, num idcircò vinceret Launoius? An priuata Pontificis opinio solemnis definitionis loco habenda esset? An in deneganda sibi infallibilitate solùm infallibilis existimandus esset Pontifex?

Obiectiones Aduersariorum conflatæ ex plurium Pontificum exemplis confutatis ab Auctore Regalis Sacerdotij cit. lib. 3.

§. 9.

Obijci namque solet ab Aduersarijs I. Zephyrinum Papam ementitis à Montano vaticinijs, ac miraculis captum, eidem communicasse; vti testatur Tertullianus lib. aduersùs Praxeam cap. 11.

Verùm dictus Auctor Regalis Sacerdotij ibi num. 7. respondet. Tertullianum Montanistam fuisse, tantùmque illi credendum, quantum Caluinistæ, aut Lutherano sacras literas pro se afferentibus, maximè cùm præter Tertullianum, nemo alius id scribat. Deinde ex Eusebio lib. 5. cap. 3. sciendum est, Montanistas priùs, quàm eam heresim incidissent, viros fuisse insigni pietate, miraculis, & vaticinijs claros, adeò, vt etiam in hæresim prolapsi, hanc multis, sanctisque viris imposuerint, teste eodem Eusebio: præferebant insignem pietatem, martyria, ieiunia, & quidquid apud Catholicos in pretio erat, sanctissimè colebant: qua pietatis larua, Tertulliano, omnium eo tempore præstantissimo illusum, vt, quos fuerat acerrimè insectatus in lib. de præscript. eos posteà & defenderit, & coluerit, specie videlicet miraculorum, & seueritatis, quam profitebantur, deceptus. Quid ergo mirum, si eodem pietatis apparatu, obtentuque religionis Catholicæ Zephyrinum circumuenerint? qui tamen à Praxea rei fabulam edoctus, communionem, pacemque, quam illis parauerat, continuò abrupit. Nihil ergo, quod fidei aduersatur, docuit Zephyrinus, sed mendacio deceptus est, at nos, Pontificem decipi ab aliquo posse, haud negamus. Philastr. de hæres. capit. 50. Epiphan. hæres. 48.

Obijci solet 2. ab aduersa parte. Felicem II. opera Arianorum, Liberio in exilium pulso, suffectum esse, quem Sanctus Hieronymus Episcopum fuisse Arianum, dicit

in cathalogo Scriptorum in Acacio.

Verùm Regalis Sacerdotij Auctor loc. cit. num. 9. respondet, Felicem, antequàm Pontifex Romanus eligeretur, liberè quidem cum Arianis communicasse, numquam tamen Arianum fuisse, vt expressè testantur Ruffinus lib. 10. histor. cap. 22. Theodoretus lib. 2. cap. 17. Sozomenus lib. 4. cap. 10. Imò vbi Cathedram Petri conscendit, in alium de repente mutatus, & societatem cum Arianis abrupit, & Constantium Augustum, quod baptismum ab Arianis accepisset, sacris interdixit, capite, vt aliqui dicunt, propterea truncatus, aut aliàs pro Fide Catholica ærumnis confectus; nam Sanctum, & Martyrem obijsse certum est. Vide Bellarmin. de Roman. Pontif. lib. 4. cap. 9. Baron. ad ann. 458. Azor. par. 2. lib. 4. cap. 17. Damasum in vita Felicis, & S. Gregor. I. in Antiphonario, & Sacramentario.

Obijci solet 3. ab Aduersarijs. Gelasium I. Papam in lib. contra Eutychem docuisse, in Sacramento Eucharistiæ vnà cum carne Christi etiam substantiam panis post consecrationem durare, quæ est manifesta Lutheri hæresis: ex quo errore argumentum contra Eutychem deducit, vt, quemadmodùm post consecrationem vtraque substantia inconfusa perseuerat, ita post Incarnationem. Verba Gelasij sunt: [Certè Sacramenta, quæ sumimus, Corporis, & Sanguinis Christi, diuina res est, propter quod, & per eadem diuinæ efficimur consortes naturæ, & tamen esse non desinit substantia, seu natura panis, & vini, &c. Et, ne quis dicat, hunc librum Gelasij non esse; sciendum est, sanctum Fulgentium Gelasij coæuum, hunc ipsum librum Gelasio adscribere, & multa ex illo citare respons. 2. ad Ferrand. Diacon. & patet ex illis verbis, quæ in eodem libro habentur; [Cùm Sedem Apostolicam dilectio vestra vnanimiter teneat, constanter prædicet, sapienterque defendat &c.] Quæ verba auctorem fuisse Romanum Pontificem, apertè ostendunt. Si potuit ergo Gelasius errare, poterunt & alij Pontifices, nec enim maior est vnius, quàm alterius ratio, cùm omnes æquè sint Christi Vicarij, omnes Petri Successores, omnesque in eadem Cathedra sedeant.

Verùm ipsissimus ille Auctor num. 10. respondet. Hic iterum ex incertis argumentum duci: est enim incertissimum, Gelasium Papam illius libri auctorem esse, vt grauissimi Scriptores tradunt, & nos demonstrabimus, vt planè causæ suæ infirmitatem ostendant, cui sustinendæ tam infirma, & incerta præsidia adhibentur. Sed Gelasium Papam illius libri auctorem non esse, his rationibus probamus. Primò: Quia liber, quem contra Nestorium, & Eutychem Gelasius Papa composuit, Gennadio de Scriptor. Ecclesiast. & Anastasio Bibliothecario testibus, fuit grande volumen, & in quinque libros distinctum, hic autem, de quo agimus, libellus tantùm est, & cuius, qui de Gelasij lucubrationibus scripsere, Gennadius videlicet, Anastasius, Trithemius &c. nullam mentionem faciunt.

Secundò, Auctor libelli de duabus naturis in ipso exordio altercationem de duabus naturis nouam, recentemque, & nuper natam esse dicit, eiusque initijs extinguendis se illam scriptionem suscepisse: at vero quo tempore Gelasius sedebat, Eutychiana hæresis non tantùm noua, recensque non fuit, sed planè decrepita, imò extincta, & funerata, & quam multa Concilia iam dudùm damnauerant, Constantinopolitanum videlicet sub Flauiano Patriarcha anno 448. & aliud Constantinopolitanum, cui Leonis Papæ Legati adfuerunt anno 450. & Concilium Chalcedonense Oecumenicum anno 451. post quod à Marciano, & Leone Imperatoribus extermінati sunt Eutychiani anno 452. & 460. Quomodo igitur Gelasij Pontificis tempore, qui anno 492. electus est, potuit hæresis tot iam retrò annis nata, damnata, extincta, noua esse, recensque?

Tertiò. Hic Auctor professus, se omnium ferè antiquorum Patrum sententias de Incarnatione Domini collecturum, ex Latinis duos tantùm citat Damasum, & Ambrosium, reliquos Græcos omnes, quod argumento est, Græcum fuisse, imò Concilij Chalcedonensis, & Leonis Papæ nullam planè mentionem facit, à quibus tamen maximè hæresis Eutychiana conclamata, explosaque est, vt omninò credibile sit, hoc opusculum à Gelasio Papa, & post Chalcedonense Concilium conscriptum esse, cùm sola huius Concilij auctoritas mille Patribus par esset, sufficissetque Aduersarijs reuincendis; cur ergo omissum, quod præ omnibus erat? Et omissum à Gelasio tantæ eruditionis, tantique ingenij viro; quique Concilij Chalcedonensis auctoritate libenter vtitur, vt patet ex epistola ad Faustum data, tantò libentiùs tunc vsurus, cùm argumentum, quod præ manibus habemus, id vnicè posceret, & victoria ex eo penderet.

Quartò. Inter alios Orthodoxos Patres Eusebium Pamphili Cæsariensem Episcopum citat, eumque Gregorio Nazianzeno anteponit, hominem videlicet non tantùm non sanctum, nec Patribus annumerandum, sed omninò impium, qui in persecutione Diocletiani non tantùm defecit, qui sanctos Athanasium, & Eustachium Catholicæ religionis Duces acerrimè insectatus est, qui hæresim Arianam facis instar vbique accendit, in eademque vitam finiuit, cuius memoria execrationi semper, & luctui Catholicis fuit, quem etiam, eiusque opera tamquam peste Ariana infecta septima Generalis Synodus Act. 5. & 6. proscripta voluit, cuiusque historiam eodem veneno tinctam Gelasius Papa inter Apocrypha reiecit; hunc, inquam, hominem, toties mendacem, perfidumque à Gelasio inter Patres, inter Sanctos referri, eiusque testimonio, veluti orthodoxi Eutychianos reuinci?

Quintò. Testatur Cassiodorus, solitos fuisse Hæreticos, & Pelagianos præsertim, suis, quæ in lucem emittebant, operibus, Gelasij nomen præfigere, [vt (verba sunt Cassiodori lib. de diuina lect. cap. 8.) res vitiosas gloriosi nominis auctoritate defenderent.] Nihil ergo noui, si Gelasio Pontifici sint adscripta, quæ ad alium Gelasium spectant, nominis insuper similitudi-

ne,

ne, fraudem, aut errorem iuuante, vt iam dicemus.

Sextò. Itaque Cardinalis Baronius accuratè, eruditéque obseruat, auctorem huius libelli de duabus naturis contra Eutychem, & Nestorium, Gelasium illum esse, cuius in Bibliotheca Photius meminit, quique acta Synodi Nicęnæ tribus tomis contra Eutychianos complexus est: hic enim scripsit, cùm hæresis Eutychiana sæpiùs extincta Basilisci tyranni potentia gliscere iterum incępit: idem caagitatum in se ab Eutychianis, & contra eosdem scripsisse dicit. Eusebium Pampbili, eximijs encomijs ornat, & inter orthodoxos refert, eumque Ioannes Secundus Papa in epistola ad Acacium, aliosque Senatores citat, quæ omnia optimè, & velut ad vnguem in libelli auctorem quadrant. Videantur de hoc argumento Baronius citat. Bellarminus de Rom.Pontif. lib.4. cap.10. Canus de locis Theolog.lib.6.cap.vlt. ad 9. Spondanus ad annum 496. Ludouic.Iacob. Bibliothec. Pontif. Le mire Bibliothec. Ecclesiast. pag. 72. & 201. Perronius, Binius, Sirmundus, alijque.

Quòd si verò concederemus, hunc ipsum libellum, & errorem Gelasij Pontificis esse, non propterea causa cecidimus. Iam enim præmonuimus, Papam multa dicere, & scribere, vt priuatum Doctorem, non vt Pontificem: nec enim libros scribere, est actio Pontifici propria, sed cuilibet Doctori concessa, & communia, quæque ex omnium sententia errorem admittit, nec quidquid libris suis Pontifices inserunt, ad fidei dogmata pertinere volunt. Immò hæc est distinctio inter Dei, & Pontificis verbum, quòd istud in nulla sui parte, nullo tempore, nulloque casu, etiam in re minima, mendacium, erroremue patiatur: Pontificum doctrina in eo solùm casu certitudinem meretur, nec vllo errore fœdari potest, cùm Ecclesiam è Cathedra docet, hoc est, cùm quæstione aliqua inter Christianos exorta, Pontifex rebus omnibus maturè discussis, sententiam pronunciat, declaratque, ad fidem aliquid, aut hæresin pertinere, & Christi-fidelibus, quid eos credere necessariò oporteat, cum apparatu, & pro Pontificia auctoritate mandat: hæc enim solemnis, auctoritatiua, ad totam, & vniuersalem Ecclesiam directa cum mandato declaratio, est actio soli Pontifici propria, in quam, vt docuimus, cadere error non potest, quod de illa circa Eucharistiam doctrina, Gelasio adscripta, dici non potest.

Obijci solet 4. ab aduersa parte. Eumdem Gelasium Papam docuisse, sacram Eucharistiam sub vtraque specie necessariò sumendam esse, nec posse siue sacrilegio species separari, quæ est hæresis Hussitarum, & Caluinistarum. Habetur hoc Gelasij decretum apud Gratianum in capit. Comperimus, de consecrat. dist. 2. in hæc verba: [Comperimus, quòd quidam sumpta tantummodò Corporis sacri portione, à Calice sacri cruoris abstineant: qui procul dubio (quoniam nescio, qua superstitione docentur obstringi) aut integra Sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur: quia diuisio vnius, eiusdemque mysterij sine grandi sacrilegio non potest prouenire.]

Verùm præcitatus Auctor Regalis Sacerdotij vbi supra num. 11. respondet. Vel Gelasium loqui de Sacerdotibus, qui non possunt altera specie abstinere, & sic Gelasium ipse Gratianus, Glossa, & Rubrica illius Canonis explicant. Vel Gelasius loquitur de illis, qui non ex præcepto Ecclesiæ, infirmitate, aliaue simili, & necessaria causa abstinebant speciebus vini, sed ex superstitione, vt ibi Gelasius se ipsum explicans dicit. Sciendum enim est, inter alias Manichæorum hæreses etiam illam fuisse, quòd superstitiosum ciborum delectum inducerent, abstinerent à carnibus, & vino, quibus non inesse Diuinam substantiam dicebant, sed à mali principio generata: ob quam causam abstinebant Eucharistia sub speciebus vini, sed tamen ne hæresis notarentur, cum alijs Catholicis Eucharistia sub panis speciebus fruebantur, vt testatur oculatus testis sermone 4. de Quadrages. S. Leo Papa. Oportet ergo tunc temporis calicis vsum liberum fuisse, & aliquando eo non vti solitos, si enim vtraque specie Catholici, & necessariò vescebantur, non tam vnius speciei vsu latuissent, quàm proditi essent Manichæi, & tamen S. Leo ea simulatione eos latuisse dicit. Ergo monito eiusdem Pontificis, qui perpetuò, & anxiè vnam tantùm speciem frequentabant, dato velut signo pro Manichæis habiti, deprehensique sunt. S. ergo Gelasius in citato Canone non absolutè damnat, qui vna tantum specie Eucharistiam sumunt: sed qui ex superstitione, & sacrilegio hoc faciebant, quales Manichæi erant, quos à Gelasio Papa detectos, exilioque mulctatos esse, eorum libris concrematis, testatur Anastasius Bibliothecarius in Gelasio.

Obijci solet 5. ab Aduersarijs. Vigilium Papam hæresim Eutychianam professum esse, & anathema illis dixisse, qui duas in Christo naturas asserebant; vti patet ex ipsius epist. ad Theodoram Augustam scripta.

Verùm idem Auctor Regalis Sacerdotij præs. num. 12. sic respondet. Casum Vigilij sic se habuisse. Theodora Augusta Eutychianam hæresim animo fouebat, dolebatque à Romanis Pontificibus suæ fidei Episcopos, Anthimum præsertim, sede eiectos, deportatosque esse. Vigilium ergo Agapeti quondam Diaconum aggreditur, ingentem auri vim, & Pontificatum pollicita, si Chalcedonę acta rescinderet, Eutychianam fidem probaret, Anthimum restitueret. Omnia à Vigilio promissa, auri cupiditate, & ambitione cæco. Siluerius in exilium pulsus, subornata, quòd cum Gothis colluderet, accusatione, Vigilius Belisarij potentia, viuenti adhuc, & exulanti Siluerio suffectus; quo tempore ad Theodoram arcano chirographo Eutychianam hæresim professus est, monita tamen Augusta, vt omnia silentio, secretoque tegeret, re enim vulgata, Romanos palàm defecturos. Mortuo posteà inter ærumnas Siluerio, Augusta à Vigilio petere, exsolueret fidem occultis literis obstrictam, reciperetque in gratiam Anthimum Patriarcham. Negauit Vigilius præstari à se posse, quæ temerè promisisset: neminem pactis obligari, quæ turpiùs seruantur, quàm rumpuntur. Excanduit Imperatrix, & Vigilium attractu, & si dicere licet, facto quodam

Roma-

Romanæ Cathedræ, subitò mutatum, quasi fidem Petri cum mitra induisset, in exilium egit, vbi pœnis, ærumnisque confectus, Sancti nomen, & encomia à Patribus accepit. Vide sanctum Gregorium Magnum libro 2. epistola 36. ad Episc. Hiberniæ; Paulum Diaconum in vita Iustiniani, &c. Ex hac Vigilij historia manifestum est, epistolam, qua hæresim probabat, ab eo scriptam, cùm nondum, viuente Siluerio, legitimus Papa esset, nec fuisse illam epistolam definitionem è Cathedra, de qua tantùm disputamus, sed occultos furtiuosque codicillos, & ab ipso Auctore silentio, tenebrisque damnatos, ac luce prohibitos, quod omninò sententiæ iudiciali, & è Cathedra prolatæ repugnat.

CONCLVSIO.

Præaddućta exempla nequidquam probant contra Papæ, qua ex Cathedra sancientis, in rebus fidei, ac morum decretis irreformabilem infallibilitatem.

EXplicatur ex sensu reduplicatiuarum istarum propositionum, quòd homo iustus de se quidem peccabilis sit, attamen qua gratia sanctificante informatus, non possit peccatum facere, siue quòd homo indefectibilitati morali ex se quidem obnoxius sit, attamen agens, qua virtutibus supernaturalibus instructus, nequeat vllum defectum moralem committere. Etenim vi illarum reduplicationum sensus redditur earum propositionum, ac si peccatum, cui obnoxius est homo, reduci posset in gratiam sanctificantem, ceu suum radicale saltem principium, necnon defectibilitas moralis prodire posset ex virtutibus per se infusis, ceu suo immediato, & proximo principio effectiuo: quæ repugnant intrinsecæ naturæ sanctificantis gratiæ, & virtutum supernaturalium. Pari ergo ratione, quando dicitur, Papa qua decernens ex Cathedra nequit in fidei, seu morum sanctionibus esse errori obnoxius, reduplicatio huiusmodi talem facit sensum, quòd ex Petra fidei, ceu Apostolica Cathedra, nequeat profluere vllus error fidei, seu morum, quoad virtutis specificationem, quæ in ipsam fidem vt sic reducitur. Cùm enim fidei Petra in Petri Successore immota subsistere debeat, vt super eam ædificetur Ecclesia, cui ex Christi promisso portæ inferi præualere non possunt; illa ipsa verò ædificatio Ecclesiæ sic formaliter per fidem, idcirco Papa, qua decernens ex ista Petra, ceu Cathedra Petri, per Spiritus sancti assistentem gratiam loqui non potest, nisi ex ipso fidei lumine per supernaturale voluntatis Diuinitùs motæ imperium excitando sub præuia prudentialis credibilitatis face æquè supernaturali. Quare si in Papam, qua ex Cathedra decernentem cadere posset fidei, seu morum, quoad virtutis specificationem spectandorum error, hic reduceretur in ipsissimum illud principium, ex quo Papa decernit, dum loquitur ex Cathedra, sicque adeò talis error reducendus esset in ipsum fidei lumen, ac voluntatis Diuinitùs motæ, atque intellectum in Primæ Veritatis obsequium religiosum captiuantis imperium supernaturale, necnon incredibilitatis prudentialis lumen Diuinitùs infusum, atque adeò in ipsum Spiritum sanctum, quod intrinsecæ, ac essentialis repugnantiæ impossibilitatem importat.

Et hinc posito etiam, quempiam è Summis Pontificibus (quamuis contrarium superiùs deductum fuerit) fuisse hæresi obnoxium, tantùm abest, quòd tunc ex Cathedra potuisset decernere, sed eo mox instanti, quo hæresi fuit infectus, vnà cum fidei lumine perdidisset fidei Petram, atque adeò Apostolica Papatus Petra excidisset, vtpotè ex tunc definens esse membrum, atque adeò Caput Ecclesiæ.

Ex ipsamet igitur fidei Petra, cui per ipsammet fidem superstruitur Ecclesia à portis inferi numquam superanda, fixum manet, quòd Papa ex Cathedra decernens, errare non possit in fide, & formali virtutis moralis per fidem tradita specificatione: & hinc firmum stat illud principium in initio huius disquisitionis propositum, quòd nihil vnquam à Summis Pontificibus sit propositum toti Ecclesiæ, qua credendum, in quo à Concilijs Oecumenicis reformandũ fuerint, quin etiam eorum sententia, tamquàm ex Petri Cathedra pronunciata, semper cum reuerentia sit suscepta. Iuxta quod adeò principium, specificè examinabimus grauissimam illam imposturam, qua Launoius in septimo contrario argumento relatus, Sixto V. in editione sacrorum Bibliorum quemdam cum ipsa etiam fide pugnantem errorem impingere conatus fuit.

PROBATIO II.

Septimi à Launoio aduersùs Sixtum V. oppositi argumenti confutatoria.

HVic intento nostro præmitti necessariò debet, quòd infallibilis in Ecclesia, eiusque Supremo Capite Romano Pontifice, sit auctoritas ad veros sacræ Scripturæ libros determinandos. Etenim Ecclesiæ sanctæ substantia, & forma est per fidem, Verbo Dei innixam. At quantumcumque recurramus ad Verbum Dei scriptum, vt tamen istud fide valeamus recipere, oportet, aliud supeesse Dei Verbum omni Diuina Scriptura anterius, per quod constet, quænam sit genuina Scriptura Diuina. Istud autem Dei Verbum, Scripturæ sacræ infallibiliter ostensiuum, subsistere debet non sub fallacibus quibusdam tegumentis, sed sub infallibili quapiam auctoritate per Spiritus sancti assistentiam eatenus munita, vt ipsi non possit subesse falsum. At ipsæmet sacræ Literæ ostendunt, vbi stet illa auctoritatis per Spiritus sancti assistentiam circumuallatæ infallibilitas, nempè in Ecclesia, quam Apostolus dicit columnam, & firmamentum Veritatis: necnon in Petra, super quam Ecclesia tam firmiter stat ædificata, vt portæ inferi non possint aduersùs eam præualere. Ecclesia verò ita est præ-

præsentatiuè in Concilio Oecumenico, vt huius tamen character subsistere debeat per Petram Pontificiæ auctoritatis, Vicarium Christi primarij Ecclesiæ Pastoris munus, ac nomen præferentis, adeò, vt Concilium sub tali Christi nomine Vicario congregatum, sit munitum Diuinæ promissionis efficacia, per quam Christus sit in medio ipsius. Sub eiusmodi igitur Ecclesiæ, eiusque supremi Capitis, Vicarium Christi nomen in terra obtinentis, Pontificis Romani, auctoritate Oecumenica ità firmum stat Dei Verbum sacrarum Scripturarum ostensiuum, vt in horum libris Canonicis definiendis habeat auctoritatem prorsus infallibilem.

Obiectio.

Sed numquid, excipiet aduersarius, Ecclesia fine puta,& sincera Scripturæ editione extitit pro illo tempore, quo editio Septuaginta Interpretum vitiata, & corrupta fuit, nec tamen plenè emendata ab Origene, alijsve Doctoribus Ecclesiæ? Vbi enim fuisset perfectè correcta, & ad omnimodam puritatem reducta, non fuisset necessarius labor Hieronymi ad Scripturæ versionem faciendam; prout ipse testatur in præfatione in libro Paralip.

Responsio.

Verùm ex opposito est prorsus statuendum, ad Dei prouidentiam pertinere, vt numquam relinquat Ecclesiam fine vera, & sincera Scriptura: etiam in publico, ita vt fidem faceret ad confirmanda dogmata. Ratio est. Alioquin enim videretur Ecclesia pro aliquo tempore defecisse in necessarijs, cùm nihil Ita necessarium sit ad fidei sinceritatem tenendam, quàm certificari, & habere in vsu finceram editionem Scripturæ; vti latiùs prosequitur Origenes in epistola ad Africanum. Immò quamuis pro aliquo Ecclesiæ statu variæ essent translationes,& aliqui dubitarent de exemplarium fide, per eiusmodi tamen dubitationem, atque translationum varietatem minimè tollebatur solida Ecclesiæ sententia circa finceram Scripturę editionem. Quando proinde in Ecclesia fuit corrupta septuaginta interpretum editio, prouidit nihilominùs Deus de sincera Scripturę editione conseruanda. Etenim Hieronymi tempore septuaginta interpretũ editio seruabatur incorrupta in Hexaplis Origenis, velut ipse testatur in epistola ad Suniam; & Fretelam, licèt in alijs editionibus extaret corrupta. Sanctus quoque Augustinus 11. contra Faustum cap. 2. dicit, sententiarum varietas ex Diuinarum Scripturarum exemplaribus prolatas extitisse paucas, sacrarum literarum studiosis notissimas. Quod igitur plures excreuissent in hoc genere varietates, id ortum magis fuisse ex quorundam imperitia, quàm ex sinceræ in Ecclesia editionis defectu. Tertullianus porrò vbi supra ante Origenis tempora fuit testatus, apud Serapæum in Ægypto videri Hebraicum codicem Scripturarum à temporibus Ptolomæi seruatum. Immò verò in Ecclesia ijs tẽporibus extitisse legitimam sacrarum Scripturarum editionem, ex hoc etiam probatur, quod Tertullianus libro de prę script. contra hæreticos. Irenæus lib. 3. de fide cap. 4. & Augustinus 28. contra Faustum, cap. 4. docuissent pro veris Scripturis ad Ecclesiam præsertim Apostolicam recurrendum esse: quod minimè locum habuisset, si eo tempore non reperta fuisset in publico vsu legitima Scripturarum editio.

Iterata obiectio.

An ergo rursus excipiet Aduersarius, nulla alia sacrarum Scripturarum editio est authentica præter eam, quam vulgatam communiter dictam, Ecclesia Romana comprobat? At huic aduersari, quod, vbi dubitatur de alicuius translationis legitimitate, seu quando aliqua facienda est correctio, recurrere oporteat ad textum Hebræum, vti tradit Sanctus Augustinus 11. contra Faustum cap. 2. innuitque Diuus Hieronymus præfat. in lib. Paralip. & epist. ad Pammachium de optimo genere interpretandi. Ex quo adeò euinci, ipsis etiam Hebraicis exemplaribus inesse infallibilem auctoritatem, cùm frustra alioqui ex ijs peteretur, resolutio in dubijs, ac varietatibus translationum.

Responsio.

Verùm ex parte nostra responderi debet, quòd alia sit habenda ratio Hebraicæ editionis, si spectetur in suo primæuo fonte, alia verò, prout Rabbinorum Hebræorum transmutationi qualicumque fuit obnoxia. Etenim Originalis Hebraici voluminis nomine non intelligitur quidem illud, cuius characteres ex immediata Dei dictatione sunt exarati, hoc enim exhiberi ampliùs non posset, sed quascumque legitimas, & incorruptas ex illa primæua Dei scriptura transsumptiones; de quibus tota proinde hic occurrit difficultas, vnde possint certò dignosci legitimę? Sentiunt equidem hæretici apud Bellarminum lib. 2. de verbo Dei cap. 2. Hebræum textum nostra vulgata puriorem esse, cui etiam nimiùm tribuere videntur Caietanus, Eugubinus, Oleaster, & alij Catholici, nisi hi dicantur locuti de textu Hebræo, prout erat tempore Sancti Augustini, ac Hieronymi, hic enim pręfat. in comment. Isaiæ. confutat eos, qui dicebant, Hebræos Codices fuisse falsatos. Vnde idem S. Ecclesiæ Doctor in epistola ad Suniam, & Fretelam, Scribit puram pro tunc septuaginta interpretum editionem haud dissensisse à textu Hebræo. Vnde simpliciter dicendum est, Hebraicam editionem substitisse in omnimoda sua puritate, quando ex eo facta est translatio nostræ vulgatæ, atque adeò Hebraicus textus, in quantùm hodie etiam saltem in sensu, si non in verbis, concordat cum vulgata, purus adhuc censendus est, vbi verò discordat à sensu vulgatæ, corruptus haberi, nec adeò in censu Hebraici Originalis reputari debet: quemadmodum eiusmodi corruptio, vel ex hominum negligentia, vel ex Iudæorum malitia, vel ex additione punctorum ad literas Hebraicas (fine his enim antiquitùs legebantur

tur Hebraici textus) in multis accidit: nimis enim facilè eſt, vnum punctum, ſeu vocalem ponere pro altera, ſicque totaliter mutare ſenſum: cuiuſmodi proinde Hebraicę editionis à vulgata diſſenſiones pluribus exemplis probat Bellarminus loco cit. Quando igitur Diuus Auguſtinus ſuperiùs allegatus docet, in caſu dubij ſuper aliqua tranſlatione eſſe recurrendum ad textum Hebraicum, id pro eo tempore ita habebat locum, dum nempè in ſua puritate ſubſiſtebat Hebraica editio, attamen pro temporibus poſterioribus varia poſt vulgatam corruptione irrepente in textum Hebraicum, huic non eſt infallibilis iam auctoritas, niſi in quantùm concordat cum vulgata. Inſuper vtilis, ac fructuoſus eſſe poteſt ex vulgata ad textum Hebraicum recurſus, tum vt fiat illius cum iſto collatio ad veritatem eruendam: tum ad Paganos, Iudæos præcipuè conuincendos ex ipſiſmet Hebraicis voluminibus, quibus vnicè credunt, reiecta noſtræ vulgatæ lectione.

Idem porrò eſt ferendum iudicium de ſeptuaginta interpretum editione: hæc enim cùm fuerit pura, & immaculata in Hexapiis Origenis, ſine dubio infallibilis tunc erat auctoritatis. At verſio, quæ nunc extat, non omninò pura videtur, ita vt in nullo textu contrarietur vulgatæ editioni. Et ideò non eſt ſimpliciter fidei regula, licèt magnæ ſit auctoritatis poſt emendationem à Sixto V. factam.

Sed numquid, inquies, ex quo iſta ſeptuaginta interpretum editio non tantùm emendata, ſed (vti conſtat ex breui Apoſtolico editioni illi præfixo) approbata fuit à Sixto V. grauiter prohibente, ne aliter euulgari poſſit, hinc accipit auctoritatem infallibilem Canonicæ Scripturę? Verùm, ſi attentè expendatur iſthæc Apoſtolica approbatio, noſcitur eam habere vim, ex quæ ſeptuaginta interpretum editio non abſolutè definiatur authentica, ſed comparatiuè dumtaxat, nempè quatenus emendatior ceteris ſeptuaginta editionibus comprobatur. In quantùm igitur hæc editio concordat cum vulgata, in tantùm eſt indubitata fidei regula: at quia in multis diſsentit à vulgata, ideò non poteſt ſimpliciter dici Canonica, ſeu infallibilis fidei regula: vti præter alios obſeruat etiam Bellarminus lib. 2. de verbo Dei cap. 6.

Quare circa ſacrorum voluminum editiones, & tranſlationes, ſeu euerſiones, oportet ſequentes ſtatuere regulas 1. Namque nonnullę in eo ſunt ſtatu, vt poſitiuè ſint approbatæ ab Eccleſia, & hoc quidem diuerſimodè, ita vt vulgata ſimpliciter ſit definita authentica, aliæ verò, velut ſeptuaginta interpretum à Sixto V. emendata editio, non abſolutè approbentur tamquam Canonicæ, & authenticæ, ſed reſtrictè, ſub certis quibuſdam correctionibus, ſecundùm quas habendæ ſine alijs in eo genere verſionibus emendatiores.

Ad alias ſacrarum literarum verſiones Eccleſia ſe habet ſolùm permiſſiuè, in quo ſtatu ſunt editiones Aquilæ, Symmachi, Theodotionis, ab hominibus licèt hæreticis factæ. In quo cenſu etiam ſunt tranſlationes Vatabli, Iſidori, Caietani, Oleaſtri, & Clarij. Cuiuſmodi tamen permiſſio Eccleſię plus non operatur, niſi quòd tales editiones ſint permiſsæ, in quantùm non contrariantur vulgatæ: vti fert communis Doctorum ſententia, conformiter Concilio Tridentino ſeſs. 4. vbi definitur; [Vt nemo editionem vulgatam quouis prætextu reijcere audeat, vel præſumat.] At iſtud attentare dicendus eſset, qui teneret editionem aliquam editioni contrariam vulgatæ, immò qui vel in aliquo dumtaxat puncto huic contrairet, ipſam præſumeretur reijcere. Vnde ſacra Concilij Tridentini Congregatio ſanxit: [Ne, vel periodus, vel vna clauſula, dictio, vel ſyllaba, iota, aut vnus apex repugnet veteri vulgatæ linguæ latinæ editioni.

Hinc protſus reijciendæ, nec in publico Eccleſiæ, ſeu concionum, vel diſputationum vſu concedendæ ſunt tranſlationes Bibliorum, in quibus vulgata editio reducitur ad Hebraica Originalia, quæ nunc extant, cùm è conuerſo potiùs vulgata ex corrupto Originalium textu tranſlata purus fons ſit, ex quo genuina ſacra litera hauriri debeat.

Si proinde 3. inquirat quiſpiam. [Quid in alijs ſacrarum literarum editionibus cenſendum ſit repugnare vulgatæ editioni?] Ad hoc rectè reſpondetur: hanc repugnantiam interuenire, quando ſub prætextu v. g. Originalium Hebraicorum, ſeu ſeptuaginta interpretum, alteriuſuè editionis, vel ex toto, vel ex parte reijcitur vulgata editio, vel quando falſificatur, ſed quando tollitur eius ſenſus, ac repudiatur tamquam illegitimus, ſeu indebitus.

Quòd ſi verò tranſlatio aliqua vulgatam non reijciat, ſed ad diuerſum, non tamen contrarium, transfert ſenſum, non cenſetur repugnare vulgatæ, vel hanc reijcere: conſtat, namque, Hebraicam linguam diuerſos obtinere ſenſus, quin vnus alterum reijciat. Et ſic permittitur pſalterium Hieronymi iuxta veritatem Hebraicam, quod in multis tamen diſtat quàm maximè à noſtro pſalterio.

Replicata obiectio.

Replicari poteſt ex parte aduerſa, vt oſtendatur, qua ratione vulgata, quæ à Concilio Tridentino approbata eſt dici poſſit per omnia authentica, & certa fidei regula, cùm tamen ex poſt facto per correctionem Sixti V. & Clementis VIII. fuerit emendata.

Reſponſio.

Verùm circa puritatem vulgatæ editionis duo ſunt conſideranda. Vnum eſt verſionis fidelitas, ſeu quoad ſubſtantiam, ſenſum ſcilicet, ſeu quoad accidentalem ornatum, nempè energiam, eloquentiam, & perſpicuitatem. Alterum eſt verſionis, ſeu interpretationis huiuſmodi conuerſatio tam in corde Eccleſię, quàm in codicibus, qui communiter ſunt in vſu Eccleſiæ.

Quoad primum ſtatui debet, fidelitatem verſio-

versionis non esse desumendam ex quacumque correctione, sed ex antiquo tot sæculorum vsu in Ecclesia approbante vulgatam legitimam, non tantùm quoad ea, quæ ad fidem, moresque pertinent, sed quoad omnes etiam litteras, & apices, vti tradunt Doctores communiter. Ratio est. Cùm enim de ratione authenticæ Scripturæ sit, omnes eius clausulas, & apices certæ, ac indubitatæ esse auctoritatis, omninò necessum est fateri, vbi vulgata editio per Concilium Oecumenicum decreta est authentica, ipsam esse legitimam quoad omnes literas, & apices, si enim vel in vno titubaret, nec in alijs eius partibus certi redderemur: quæ certitudo eò magis debet in nobis firmari de Scripturæ veritate, & auctoritate, seu legitimitate, quòd in Scriptura vera, & legitima nihil contineatur, quòd non sit reuelatum, atque adeò ad fidem, ac mores pertineat.

Obiectio reiterata.

Obijci solet à nonnullis. [Inter nostram vulgatam sacrorum Bibliorum editionem, & originalia etiam antiquiora, ex quibus facta est translatio, in multis reperiri dissensionem aliquam: sic enim probat diuersitas lectionis, veluti ipse etiam Hieronymus aliam olim ex Hebraico textu edidit translationem Psalmorum: quàm habeatur in vulgata, sicuti etiam illud vulgatæ Gen. 3. ipsa conteret caput, in Hebraicis Originalibus vniformiter legitur ipsum, seu ipse conteret caput tuum.

Responsio.

Verùm hoc minimè obstat, si ritè expendatur, cum quonam originali Hebraico facienda sit vulgatæ nostratis computatio. Etenim si sermo sit de originali Hebraico, quod nunc extat, maior habenda est ratio vulgatæ, vtpote potiorem, imò absolutam in Ecclesia approbationem obtinentis, quàm textus Hebraici, quanquàm in paucis inter se differant, ac teste S. Augustino 11. contra Faustum cap. 2. differentiæ huiusmodi Scripturarum studiosis notissimæ sint, in eundem ferè sensum reducibiles: dum quod vna translatio profert simpliciter, altera id ipsum, alio licèt modo, per circumlocutionem dicat. Vbi tamen dissensiones tales non sunt ad eundem sensum reducibiles, sed verè contrariæ, seu repugnantes; vti supra dictum est, omninò oportet, vulgatam textui Hebraico præferre, cùm illius translatio desumpta fuerit ex emendatiori Hebraico, antiquitus adhuc incorrupto codice, indeque perpetuam Ecclesiæ approbationem meruerit, & illibatè conseruarit.

Quòd si ergo vulgatæ differentia quæpiam interueniat erga antiquum Hebraicum originale, considerare necessum est, etiam antiquitus fuisse diuersos eiusmodi codices, quorum alij extiterant emendatiores, alij verò pluribus scatebant mendis. In quantum igitur est vulgatæ cum originali Hebraico differentia, sentiendum est, hoc esse de originali minus emendato, cùm è contra vulgata prorsus concors sit puro, & incorrupto antiquo originali, ex quo facta est translatio. Vnde cùm Hieronymus quoque, & alij Patres notentur, in allegatione sacrorum textuum dissentire à vulgata, dicendum est, ipsos non habuisse semper ad manum emendatoria originalia, sed ex minùs etiam emendatis eiusmodi depromsisse allegationes, seu qualescumque translationes. Et ideo quatenùs Hieronymi Psalterium discrepat à Psalterio vulgatæ, asserere oportet, istud ex puro, illud ex minùs emendato Hebraico originali esse translatum. Nec porrò infrequens est Hebræis, vt fœmineum ponant pro masculino, sicque facilè fuit, vt Gen. 3. legeretur in vno exemplari ipsa, in alio ipse, iu altero ipsum conteret caput tuum: immò, cùm ista vox relatiua ad totum contextum referatur, significetque effectum illius inimicitiæ, quam mulier vnà cum semine suo, esset habitura erga serpentem, perinde sonare credendum est, siue legatur ipsa scilicet mulier cum semine suo, siue ipsum semen, nimirum vnà cum muliere, siue ipse Messias nempe cum Matre, præualeret aduersùs dæmonem.

Quoad secundum, nempe de incorrupta ac fideli vulgatæ versionis conseruatione, asseuerare oportet, hunc probari ex duplici principio. Primum aduersùs hæreticos desumitur ex omnium ferè Patrum Ecclesię sanctæ Doctorum vltra mille annos continua approbatione sequentium illam translationem, ipso S. Augustino lib. de doctrin. Christ. capit. 15. maximè commendante Diuum Hieronymum, ex hoc, quod editionem Italam dictam, expurgarit: quam vulgatam hinc dici solitam, posteà etiam comprobarunt S. Gregorius Papa 20. Moral. cap. 24. & Sanctus Isidorus lib. 6. Etymol. cap. 4. post quos ipsissima hac vulgata in suis libris vsi sunt Remigius, Beda, Rabanus, Anselmus, Petrus Damianus, Bernardus, Hugo, Rupertus, Thomas de Aquino, Bonauentura &c. immò in Concilijs etiam Generalibus erat vulgatę vsus; vt nefas profectò sit, hæreticos isti pręponere alias translationes, seu versiones, vel quæcumque à semet prætensa originalia.

Secundum, in editione hac vulgata aduersùs scribentium, & Notariorum negligentiam, ignorantiamque, seu hominum malitiam, incorruptè seruanda, principium se tenet in codicibus antiquis, qui passim in diuersis seruantur Ecclesijs, vt ex eorum collatione possit fieri correctio mendorum, quæ irrepunt ex falsa quandoque transcriptione. Hoc studium de antiquissimis sacrarum Litterarum codicibus conseruandis, atque mendis fortè irrepentibus per hos corrigendis, magnum semper in Ecclesia fuisse, testatur etiam Cardinalis Ximenensis in Præfat. ad Biblia Complutensia, faciens mentionem Codicis 800. annorum Gothicis literis scripti. Iuxta hæc igitur principia in corde Ecclesiæ ita semper manet sacra Scriptura pura, & legitima, vt hæc ipsa tamen principia sint solùm Instrumentaria, ipsamet Diuinitus repromissa Spiritus sancti erga Ecclesiam prouidentia assistente, ne Ecclesia in Codicibus Diuinis approbandis, possit errori esse obnoxia. Cui proinde sacrorum voluminum puritati minimè obstat Sixti V. & Clementis

Octaui correctio; si quidem hæc facta sit ex purioribus exemplaribus in Ecclesia illibatè seruatis, quibus derogare haud poterant menda, quæ in plures particulares editiones irrepserant, nec adeò dicere licet simpliciter, & absolutè, oportuisse, vulgatam emendari, sed ista emendatione indigebant particulares dumtaxat seu impressiones, seu transcriptiones, ac editiones Diuinorum voluminum, eatenus obnoxiorum erroribus, ex hominum vel negligentia, vel malitia irrepentibus, vt in corde tamen Ecclesiæ, cum iuxta principia illa instrumentaria superiùs exposita, cum iuxta Spiritus sancti assistentiam infallibilem, semper maneat eorundem puritas, & incorruptio.

Vlterius obiectio.

Ex parte namque aduersa instari adhuc potest. Qua ergo certitudine constare nobis possit, illam vltimam Sixti Quinti, & Clementis Octaui correctionem esse legitimam, ita vt in omnibus eam infallibiliter sequi possimus, tamquam legitimam, & puram, præsertim cùm corruptio, quæ emendari debuit, tanta fuerit, vt diuersum ingereret sensum?

Responsio.

Verùm nulla inprimis facta est, nec vnquam erit necessaria Diuinorum voluminum correctio, quatenus sacra Scriptura est in corde Ecclesiæ: tum quia in hac immobiliter stant principia sufficientia ad menda ex codicibus sacris, in quos particulariter irrepunt tollenda: tum quia ex ipsismet fidei principijs est indubitatum, haud posse vnquam Ecclesiam in eo constitui statu, vt ab omnibus libris sacræ Scripturæ simul deficiat vera, & pura lectio Diuinitus tradita, cùm alteroqui ipsa fides deficeret. In quantum igitur particularium quorumdam voluminum ea per Summos Pontifices sancita est correctio, eatenus disquirere licet, [qua certitudine constet, exemplaria sic correcta esse alijs emendatiora, & lectionem ijs contentam puriorem, ac certiorem?]

In quo puncto distinguendum venit inter versionem vulgatam sub specifica, & formali hac ratione à Concilio Tridentino sancitam tamquam legitimam, & materialem literarum, seu verborum efformationem. Non igitur in priori, sed in posteriori dumtaxat à Sixto Quinto, & Clemente Octauo facta est correctio; vti liquet ex Præfat. ad Biblia correcta Sixti V. Synodus namque Tridentina nihil determinauit quoad Bibliorum correctionem à mendis librariorum, sed id Romano Pontifici faciendum reliquit. Duo igitur præstitit illa seu Sixtina, seu Clementina correctio. Vnum est, quòd editio vulgata per sacrum Concilium approbata tamquam legitima, & ad fidei dogmata confirmanda sufficiens, atque Canonica, absque vlla sui mutatione fuerit à veterum librariorum pleraque particularia exemplaria afficientibus mendis, prauarumque editionum erroribus repurgata, ac pristinæ integritati restituta; vti ex cit. Præfat. constat. Alterum, cùm variæ lectiones notari solerent in margine Bibliæ, opus erat corrigere, non ipsam versionem, sed quæ in communioribus lectionibus ex scribentium, aliorumue negligentia mendaciter habebantur; veluti vniuersa hæc manifesta fiunt ex Bulla Clementis Octaui præcipientis in hæc verba: Cuius quidem exemplaris forma, nec minima quidem particula de textu mutata, addita, vel ab eo detracta, nisi aliquid occurrat, quod Typographicæ incuriæ manifestè adscribendum sit, inuiolabiliter obseruetur.

Vltima Obiectio.

Instari ex parte aduersa rursus potest. Quærendo; An istud præceptum habeat vim definitionis auctoritatiuæ, ita vt censeri debeat ab Ecclesia definitum, hanc sacrorum Bibliorum editionem correctam esse putam, & omnis defectus expertem?

Responsio.

Sunt, qui negant, id esse definitum ab Ecclesia, asseuerando tamen, esse adeò certum, vt oppositum sit temerarium. Ratio est. Quia Bulla Clementis Octaui in editione Romana correcta relata non definit aliquid circa hoc punctum, sed dicit solummodò, textum vulgatæ editionis restitutum, & quàm accuratissimè expurgatum prodire in lucem: neque verò expresse definit, ipsam expurgationem esse præ cæteris purissimam. Quare præceptum id, cuius erat superiùs facta mentio, stringit solùm respectu impressionis faciendæ, vt scilicet in imprimendis Scripturæ libris, nulla mutetur particula, ne, si aliæ lectiones passim imprimi possent, illa correctior lectio iterum vitietur in multis. Ex propter rectè concluditur: Si correcta ista editio sumatur secundùm omnia, quæ includit, & quasi Collectiuè, esse omnibus alijs præponendam, itaue, qui oppositum faceret, plusquàm temerarius, & quasi errori proximus iudicandus esset: qui verò in aliquo particulari, ac seorsim aliam sequeretur lectionem, non esset aliqua censura dignus.

Ratio prioris est, Quia Ecclesia etsi non definiat, iudicio tamen suo proponit, hanc lectionem cæteris esse correctiorem. At temerarium est, negare, quod Ecclesia Catholica dicit, licèt id non definiat. Insuper Summus Pontifex Clemens Octauus in præcitato Breui prohibet, ne aliæ lectiones in margine ponantur, neue de ipso contextu liceat aliquid mutare, seu aliter imprimere. At si alias lectiones sequi liceret tamquam meliores, aut correctiores, impertinens esset ista prohibitio: hoc autem dicere, vel asseuerare, Ecclesiam prohibuisse lectionem Bibliorum meliorem, ac correctiorem, valde temerarium foret.

Ratio posterioris partis desumitur ex Præfatione Biblijs correctis addita, vbi sic dicitur. Hanc editionem correctã, sicut omnibus numeris absolutam pro humana imbecillitate affirmare, difficile est, sic cæteris omnibus, quæ ad hunc vsque diem prodierunt, emendatiorem, purioremque esse, minimè dubitandum est.] At eo ipso, quòd ista correctio

non

non possit affirmari omnibus numeris absoluta, potest circa quodpiam particulare aliquid dubij admittere: quoad menda scilicet veterum librariorum, prauarumque emendationum errores, dum cæteroqui quoad interpretationem vulgatam, quatenus à Concilio Tridentino est definita, nefas sit, quidquam vocare in controuersiam. Quamuis proin in sacris Biblijs ex incuria Typographiæ, vel etiam aliunde possit aliquod vitium irrepere, hoc tamen minimè obstat veritati Diuinæ Scripturæ, cùm Ecclesia semper habeat præstò, vnde emendare valeat tales errores: nec adeò vitia eiusmodi officere queunt auctoritati vulgatæ editionis.

PROBATIO II.

Qua irreformabilis Papæ infallibilitas ostenditur ex Concilijs Generalibus ab Auctore tract. de libert. Ecclesiæ Gallic. lib. 7. cap. 5. inductis.

QVanto enim cum applausu excepta sit doctrina Adriani I. Papæ in epistolis ad Imperatorem, & ad Patriarcham Constantinopolitanum scriptis, in actis septimę Synodi anno 787. habitæ, videri potest, scilicet Actione 2. in qua lectæ sunt. Continent antem etiam illæ epistolæ sanctæ Sedis in dirimendis de fide controuersijs prærogatiuæ testimonia. In prima habentur hæc verba de Beato Petro, & eius Sede: [Iste itaque tam præcelso prælatus honore promeruit confiteri fidem, supra quam fundatur Ecclesia Christi. Beatam confessionem beatitudo secuta est præmiorum, cuius prædicatione sancta vniuersalis illustrata est Ecclesia, & ex ea cæteræ Dei Ecclesiæ fidei documenta sumpserunt. Nam ipse Princeps Apostolorum beatus Petrus, qui Apostolicæ Sedi primitus præsedit, sui Apostolatus Principatum, ac Pastoralis curæ, successoribus suis, qui in eius sacratissima Sede perenniter sessuri sunt, dereliquit. Quibus & auctoritatis potestatem, quemadmodùm à Saluatore nostro Domino Deo ei concessa est, & ipse quoque suis contulit, ac tradidit Diuino iussu successoribus Pontificibus.

In eodem Concilio Actione 2. Ioannes sanctissimus Episcopus Tauromanniæ dixit: [Cùm veluti Diuinus orthodoxiæ terminus (siue Diuina definitio) sine litteræ, quæ ab Adriano Papa senioris Romæ ad pios Imperatores, nec non & ad Tarasium vniuersalem Patriarcham nostrum missæ sunt, ita profiteor.

Nicolai I. & Adriani II. judicium de Photio, & de sacris imaginibus doctrinam secuta est octaua Synodus, ad quam nemo admissus est, nisi professioni fidei ab Adriano missæ subscripsisset, in qua hæc continentur: [Quia non potest Domini nostri Iesu Christi prætermitti sententia dicentis: Tu es Petrus, & super hanc Petram ędificabo Ecclesiam meam. Hæc, quæ dicta sunt, rerum probantur effectibus; quia in Sede Apostolica immaculata est semper reseruata religio, & sancta celebrata doctrina. Ab huius ergo fide, atque doctrina separari minimè cupientes, & Patrum, & præcipuè Sanctorum Sedis Apostolicæ Præsulum sequentes in omnibus constituta, anathematizamus omnes hæreses simul cum Iconomachis.] Quomodò autem prædicta Synodus octaua Summorum illorum Pontificum amplexa sie constituta, declarant hæc eius verba. Can. 2. [Obedire Præpositis vestris tamquam rationem reddituri, Paulus Magnus Apostolus præcipit. Itaque Beatissimum Papam Nicolaum tamquam organum sancti Spiritus habentes, nec non & Sanctissimum Adrianum Papam successorem eius, &c.] Concilia Oecumenica Summum Pontificem tamquam organum sancti Spiritus habent: Antistites Gallicani eius iudicia reformabilia esse decernunt.

In Concilio Lugdunensi anno 1274. Imperator Græcorum, & per epistolam, & per Nuntium iurauit, se Catholicam, & Orthodoxam fidem acceptare, profiteri, ac seruare velle; [Proue, inquit, eam veraciter tenet, fideliter docet, & prædicat sacrosancta Romana Ecclesia.

Concilium Lateranense sub Innocentio III. vocat Ecclesiam Romanam Matrem, & Magistram omnium fidelium. Possene omnes fideles in errorem induci, si erraret Magistra, quam tenentur audire.

Clemens V. Clementina de Summa Trinitate, & fide Catholica. §. Nos igitur, docet; quòd ad Apostolicam considerationem dumtaxat hæc (quæ in Scripturis obscura sunt) declarare pertinet. Quod etsi dixerit, Concilio Oecumenico, Viennensi scilicet, præsidens; necessitatem tamen Concilij non induxit, sed potiùs exclusit, particula illa dumtaxat.

PROBATIO III.

Prioris continuatiua ex inductione Conciliorum Gallicanorum à dicto Auctore à num. 6. inductorum.

CVi enim vmquam ex antiquis Episcopis Gallicanis venit in mentem, non esse irreformabile sanctæ Sedis iudicium, donec à Concilio Oecumenico confirmatum, aut ab Ecclesia vniuersa fuisset acceptatum? Et Episcopi singuli, & eorum Cætus, siue Concilia illud tamquam indubitatam fidei normam populo proponebant. Hac regula Concilium Arausicanum II. anno 529. Fausti Regiensis errores confutauit, & veritatem orthodoxam declarauit. [Id nobis, ita præfantur Episcopi, secundùm admonitionem Episcopi, & auctoritatem Sedis Apostolicæ iustum, ac rationabile visum, & pauca capitula ab Apostolica Sede nobis transmissa, quæ ab antiquis Patribus de sanctarum Scripturarum voluminibus in hac præcipuè causa collecta sunt ad docendos eos, qui aliter quàm oportet, sentiunt, ab omnibus obseruanda proferre, & manibus nostris subscribere debemus. Quibus locis, qui hucusque

non ſicut oportet de gratia, & libero arbitrio credidit, ad ea, quæ fidei Catholicæ conueniunt, animum ſuum inclinare non differat.] Contradicere quidem Superiorum declarationi, niſi euidenter falſæ, non licet. At verò animum ſuum nemo tenetur inclinare, ui in obſequium fidei. An ergo Concilijs Prouincialibus, an auctoritati Papæ debetur, vt fideles animum inclinent ad ea, quæ definiuntur? Vide notas Seuerini Binij in hanc præfationem.

Sanctus Auitus Epiſcopus Viennenſis anno 517. non ſuo ſolius, ſed & omnium Epiſcoporum Galliæ nomine proteſtatus eſt Hormiſdæ Papæ, ſe eius ſententiæ in materia fidei adhæſurum. [Quia, inquit, iam ſecnrus, non dicam de Viennenſi, ſed de totius Galliæ deuotione polliceor, omnes veſtram ſuper ſtatu fidei capitare ſententiam. Orate vt ſic nos prædictorum profeſſio fucata non fallat, ſicut ab vnitate, quam regitis, veritas comperta non ſeparat.

Rauennius, alijque Epiſcopi Gallicani in epiſtola Synodica ad S. Leonem Magnum, pluribus teſtati ſunt, quanti facerent eius circa dubia de fide, ſententiam, etiam antequàm Concilij Generalis Chalcedonenſis conſenſus acceſſiſſet; [Quæ, inquiunt, Apoſtolatus veſtri ſcripta ita, & ſymbolum fidei, quiſquis redemptionis Sacramenta non negligit, tabulis cordis adſcribit, & tenaci, quoad confundendos hæreticorum errores paratior ſit, memoriæ commendauit ..... Doctrinæ poſt Deum veſtræ debet quiſque fidelis, vt conſtanter teneat, quod credebat. Debet etiam infidelis, vt à perfidia ſua agnita veritate diſcedat, & Apoſtolicæ veritatis luce perfuſus, erroris ſui tenebras derelinquat, magiſque ſequatur, & credat, quod per os veſtrum Dominus noſter Ieſus Chriſtus de Sacramento Incarnationis ſuæ docet, quàm id teneat, quod diabolus humanæ ſalutis, & veritatis inimicus inſtillat.] Poſt epiſtolam 51. S. Leonis.

Ceretius Salonius, & Veranus Epiſcopi Gallicani eandem erga ſancti Leonis epiſtolam reuerentiam profeſſi fuerant his verbis: [Illa ſpecialis doctrinæ veſtræ pagina ita per omnium Eccleſiarum conuenticula celebratur, vt verè conſona omnium ſententia declaretur; meritò illic Principatum Sedis Apoſtolicæ conſtitutum; vnde adhuc Apoſtolici Spiritus oracula referentur.] Poſt epiſt. 98. S. Leonis.

Concilium Turonenſe II. anno 570. Can. 21. ſuam erga ſanctæ Sedis decreta obſeruantiam ſignificat his verbis: [Quis Sacerdotum contra decreta talia, quæ à Sede Apoſtolica proceſſerunt, agere præſumat.... & quorum Auctorum valere poſſit prædicatio, niſi quod Sedes Apoſtolica ſemper aut intromiſit, aut Apocryphos fecit? Et Patres noſtri hoc ſemper cuſtodierunt, quod eorum præcepit auctoritas. Nos ergo hoc ſequentes, quod vel Apoſtolus Paulus, vel Papa Innocentius ſtatuit, in Canonibus noſtris inſerentes, ſtatuimus obſeruandum &c.]

Quàm huic antiquorum Gallorum reuerentiæ erga ſanctæ Sedis de fide oracula concordauerint eorum poſteri vſque ad extrema tempora, in illorum hiſtorijs licet obſeruare, nec non in Gallicanorum Conciliorum monimentis à Patre Iacobo Sirmondo collectis, iterumque in ſequentibus capitibus demonſtrabitur.

PROBATIO IV.

Eiuſdem argumenti continuatiua ex conſenſu cæterarum Nationum ab eodem Auctore à num. 12 adductarum.

IN ea erga ſanctam Sedem reuerentia nequaquàm ceſſerant Gallis cæteræ Nationes. De Italica nemo dubitat, de Eccleſia Africana, quæ à Gallis in exemplum tam libenter aſſumitur, dicemus infra. De Hiſpanica præter ea, quæ in primo libro retulimus, liber epiſtolę Concilij Tarraconenſis ad Hilarium Papam ſcriptæ, ac in Concilio Romano lectæ anno 465. principium, & finem exſcribere: [Etſi nulla extaret, inquiunt Epiſcopi Tarraconenſis Prouinciæ cum ſuo Metropolitano, neceſſitas Eccleſiaſticæ diſciplinæ, expetendum re vera nobis fuerat illud priuilegium Sedis veſtræ, quo ſuſceptis Regni clauibus, poſt reſurrectionem Saluatoris per totum Orbem beatiſſimi Petri ſingularis prædicatio vniuerſorum illuminationi proſpexit: cuius Vicarij Principatus, ſicut eminet, ita metuendus eſt ab omnibus, & amandus. Proinde nos Deum in vobis penitus adorantes, cui ſine querela ſeruitis, ad fidem recurrimus, Apoſtolico ore laudatam, inde reſponſa quærentes, vnde nihil errore, nihil præſumptione, ſed Pontificali totum deliberatione præcipitur.] Queruntur poſteà de Syluano Epiſcopo Calagurr, eiuſdem Prouinciæ, quòd multa patraſſet, poſtponens Patrum regulas, & Romani Pontificis inſtituta, denique contra vetuſtatem Canonum, contra Synodi conſtituta. (Has enim veras Eccleſiæ libertates ſartas tectas ſeruari cupiebant.) Concludunt in hunc modum: [Proinde, quia his præſumptionibus, quæ vnitatem diuidunt, quæ ſchiſma faciunt, velociter debet occurri, quæſumus Sedem veſtram, vt quid ſuper hac parte obſeruare velitis, Apoſtolicis affatibus inſtruamur, quatenus fraternitate collecta, prolatis in medium venerandæ Synodi, conſtitutis, contra rebellionis ſpiritum veſtra auctoritate ſubnixi, quid oporteat de Ordinatore, & ordinato fieri, intelligere, Deo adiuuante, poſſimus. Erit profectò veſter triumphus, ſi Apoſtolatus veſtri temporibus, quod ſancti Petri Cathedra obtinet, Catholica audiat Eccleſia, ſi nouella zizaniorum ſemina fuerint extirpata.

Sanctus Thomas Archiepiſcopus Cantuarienſis epiſt. 97. edit. P. Lupi, omnibus Epiſcopis Angliæ, quorum erat Primas, ſcripſit; Quis Romanam Eccleſiam Caput omnium Eccleſiarum, & fontem Catholicæ doctrinæ ambigit eſſe? Quis claues Regni cœlorum Petro traditas eſſe ignorat? Nonne in fide, & doctrina Petri, totius Eccleſiæ ſtructura conſurgit, donec occurramus omnes Chriſto in virum perfectum, in vnitatem fidei,

fidei, & agnitionem filij Dei? ..... Quicumque sit, qui rigat, aut plantat, Deus nulli dat incrementum, nisi illi, qui plantauit in fide Petri, & doctrinæ ipsius acquiescit. Sanè ad eum maxima populi iudicia referuntur, à Romano examinanda Pontifice, &c.

§. III.

Nostratis sententiæ argumenta referuntur, ac expenduntur cum conclusione super ijs reflexiua.

ARGVMENTVM I.

AVctor Regalis Sacerdotij cit. lib. 3. §. 4. num. 1. argumentatur 1. ex Concilij Nicæni cap. 18. cuius hæc exhibentur verba: [Omnes Episcopi in grauioribus causis liberè Apostolicam appellent Sedem, atque ad eam quasi ad matrem confugiant, cuius dispositioni omnes maiores Ecclesiasticas causas Apostolorum auctoritas reseruauit.] Citat hunc Canonem ex Concilio Nicæno sanctus Iulius I. in epist. 2. contra Orientales pro Athanasio, & habetur tomo 1. Conciliorum post Concilium Nicænum: idemque habet Pelagius II. in cap. Multis 17. distinctione. Si ergo maiores, & difficiliores causæ, inter quas sunt vtique causæ fidei, Apostolicæ Sedi reseruantur; oportet, huius sententias esse infallibilis auctoritatis: alioqnin non Pontifici reseruandæ forent, sed Concilio: & sicut fides certa est, nec vllum admittit dubium, ita sententia, cui reseruantur causæ fidei, debet esse certa, & dubij expers; vbi enim sententia non est certa, etiam id, quod per sententiam pronuntiatum est, non est certum; & si certum non est, non potest esse dogma, & obiectum fidei.

ARGVMENTVM II.

IDem Auctor cit. §. 4. num. 2. argumentatur 2. ex Synodo Alexandrina, cui præfuit Magnus Athanasius, suo & Synodi nomine scribens ad Felicem II. Papam: [Ideo, Pater beatissime, quia semper Antecessores nostri, & nos à vestra sancta Apostolica Sede auxilium hausimus, & nostri vos curam habere agnouimus, præfatam Apostolicam, & summam expetimus iuxta Canonum decreta Sedem, vt inde auxilium capiamus, vnde Prædecessores nostri ordinationes, & (NB.) dogmata cepetierunt.] Et infra: [Similiter à supra dictis Patribus Concilij Nicæni est definitum consonanter, vt si quisquam Episcoporum Iudices suspectos habuerit, vestram sanctam Romanam interpellet Sedem, cui ab ipso Domino potestas ligandi, & soluendi speciali priuilegio super alios est concessa. Ipsa enim firmamentum à Deo fixum, & immobile percepit, quoniam ipsam formam vniuersorum lucidissimam Dominus Iesus Christus vestram Apostolicam constituit Sedem. Ipsa est etiam sacer vertex, in quo omnes Ecclesiæ vertuntur, sustentantur, releuantur: Tu profanarum hæresum, atque omnium infestantium depositor, vt Princeps, & Doctor, Caputque omnium Orthodoxæ doctrinæ, & immaculatæ fidei existis, &c.] Hæc Athanasius, & cum illo Synodus Alexandrina: ex quorum sententia, si Papa dogmata condit, si est firmamentum à Deo fixum, & immobile, in quo omnes Ecclesiæ vertuntur, & sustentantur; si omnium hæresum profligator; si Princeps, Doctor, Caputque omnium orthodoxæ doctrinæ, & immaculatæ fidei; planè sequitur, infallibilem esse, & quæ ab illo definita sunt, eo prætextu, quòd errare possit, repelli haud posse: alioquin omnia illa Athanasij encomia adulationes sunt, & verba sensu vacua, captandæ tantùm gratiæ adornata.

ARGVMENTVM III.

AVctor præallegatus num. 3. argumentatur 3. ex Concilio Carthaginensi, de quo Innocentius I. Papa in sua ad eamdem Synodum epistola tom. 1. Conciliorum relata, scribebat in hæc verba: [Antiquæ traditionis exempla seruantes, & Ecclesiasticæ memores disciplinæ, nostræ religionis vigorem non minùs nunc in consulendo, quàm anteà, cùm pronuntiaretis, verrarionr firmatis, qui ad nostrum referendum approbastis esse iudicium, scientes quid Apostolicæ Sedi (cùm omnes hoc loco positi, ipsum sequi desideremus Apostolum) debeatur, à quo ipse Episcopatus, & tota auctoritas nominis huius emersit. Quem sequentes, tam mala iam damnare nouimus, quàm probare laudanda: vel id verò, quòd Patrum instituta Sacerdotali officio custodientes, non censetis esse calcanda: quod illi non humana, sed Diuina decreuerr sententia: vt quidquid, quamuis de disiunctis, remotisque Prouincijs ageretur, non prius ducerent finiendum, nisi ad huius Sedis notitiam perueniret, vt tota huius auctoritate (iusta quæ fuerit) pronuntiatio firmaretur: indeque sumerent cæteræ Ecclesiæ (velut de natali suo fonte aquæ cunctæ procederent, & per diuersas totius mundi regiones puri capitis incorruptæ manarent) quid præcipere, quos abluere, quos veluti in cæno inemundabili sordidatos, mundiue digna corporibus vnda vitaret.] Vides hìc iterum testari Innocentium, vltimam fidei definitionem ad Papam spectare, ab hoc veluti natali fonte sanam, sinceramque doctrinam fluere: ab hoc alios Episcopos, Ecclesiasque omnes discere, quos absoluere, quos damnare hæresis oporteat: quæ omnia falsissima sunt, si Pontifex Ecclesiam docens errare potest, tunc enim ab alijs corrigi, & doceri debet: nec illius sententia, vtpote incerta, fidei quæstiones finire potest, sed ad aliud forum, aliùmue doctrinæ fontem recurrendum erit.

ARGVMENTVM IV.

PRæfatus Auctor num. 4. argumentatur 4. ex Concilio Ephesino, ad quod Cælestinus Papa, cùm hæresin Nestorianam ipse in Synodo Romana prædamnasset, Legatos quidem Ephesum ad Concilium misit, sic tamen, vt sententiam Romæ datam exsequerentur, cer-

certamque Patribus regulam præfigerent, iuxta quam Nestorium contumaciter erroribus insistentem damnarent: sic enim habetur tomo 1. Conciliot. in Actis Concilij Ephesini tom. 2. can. 15. Euagrio lib. 1. hist. capit. 4. epist. Synodali Cælestini in versione Cresconiana apud Baron. ad annum, 431. & Spondan. ibid. num. 4. Si ergo Papa hæreses ante Concilium damnat, & quos damnauit, à tota Ecclesia pro hæreticis damnari iubet: si Concilijs sententiam, qua teneantur, præscribit; ergo minùs, quàm ipsa Concilia errare potest: alioquin non ipse Concilijs, sed hæc Pontifici credenda præscriberent: quod enim hoc paradoxum, vt qui eget doctrina, doceat, qui non egent, doceantur? quique errare à via potest, eos ducat, qui errare non possunt, hoc est, videns, confusa rerum ordine, à cæco, Magister à discipulo discat, fons à riuulo bibat? In Concilio Carthaginensi sub Damaso Papa, qui anno 367. electus est, & anno 384. mortuus, Stephanus Archiepiscopus, & tria Africæ Concilia in epist. ad sanctum Damasum, quæ habetur tomo 1. Concilior. & Damasus in responsoria ad eosdem Episcopos, apertè profitentur: [Sedi Romanæ Episcoporum iudicia, & summorum finem Ecclesiasticorum negotiorum, & sententiam de Diuinis rebus reseruatam esse. Apostolicam hanc Sedem firmamentum esse à Deo fixum, & immobile, omniumque verticem Ecclesiatum.]

ARGVMENTVM V.

AVctor ille præsiden. num. 5. argumentatur 5. ex Concilio Chalcedonensi, cuius meminit sanctus Thomas in opuscul. contra errores Græcorum, quòd in hæc verba decreuerit. [Si quis Episcopus prædicatur infamis, liberam habeat sententiam appellandi ad Beatissimum Episcopum antiquę Romæ, quia habemus Petrum petram refugij, & ipsi soli libera potestate loco Dei sit ius discernendi secundùm claues à Domino sibi datas, & omnia ab eo definita teneantur tamquam à Vicario Apostolici throni.] Et in condemnatione Dioscori Patres sic acclamarunt: [Sanctissimus Archiepiscopus Magnæ Romæ, vnà cum ter Beatissimo Petro, qui est Petra, & crepido Catholicæ Ecclesiæ, & ille, qui est rectæ fidei fundamentum, (NB.) nudauit cum Episcopatus dignitate.] Et in epist. Synodali ad Leonem gratulantur Patres: [Quòd tantum Antistitem Apostolicæ Sedi, vnde religionis nostræ fons, & origo manat, Dominus dederit.] Et in epist. Synod. ad Patres Concilij Leo Papa negat, [dogma fidei à se contra Eutychen, & Dioscorum semel declaratæ, in dubium, aut disputationem vocari debere, neque Legatos à se mitti, qui rem decisam, definitamque in literis ad Flauianum datis, examini iterum subdi permittant, sed qui definita exequantur.] Hæc omnia euincunt, Papam errare non posse in causis fidei, nam si potest, cur non liceat, eius sententias à Concilio examinari, emendarique? Sed audi ipsum Leonem: [Neque enim abiuncta est à vobis mea præsentia, qui in Vicarijs meis adsum, & iam dudum fidei Catholicæ prædicatione non desum; vt qui non potestis ignorare, quid ex antiqua traditione credamus, non possitis dubitare, quid cupiam. Vnde, fratres charissimi, reiecta penitus audacia disputandi contra fidem Diuinitus inspiratam, vana errantium infidelitas conquiescat: cùm non liceat defendi, quod non liceat credi, cùm secundùm Euangelicas veritates, secundùm Propheticas voces, Apostolicamque doctrinam, plenissimè, & lucidissimè per literas, quas ad beatæ memoriæ Flauianum Episcopum misimus, fuerit declaratum, quæ sit de Sacramento Domini nostri Iesu Christi pia, & sincera confessio.]

ARGVMENTVM VI.

PRæadductus Auctor hic num. 6. argumentatur 6. sexta Generali Synodo tom. 3. Conciliorum relata. Ibi sanctus Agatho Papa in epist. ad Constantinum Augustum non permittit Concilio, vt aliter in causa fidei pronuntiet, quàm suis Legatis Pontifex iniunxerat, suæque definitioni nihil addi, nihil minui, sed iuxta traditionem Apostolicæ Sedis, vt à Prædecessoribus suis conseruata est, omnia definiri. Hæc vtique supponunt, Pontificem Romanum non tantùm errare non posse, sed eius etiam officij esse, regulam credendi, docendique Concilio præscribere. Sed hanc Pontificis infallibilitatem in eadem epistola (quam summis laudibus extulit, approbauitque eadem sacra, & generalis Synodus act. 4. & 18.) adeò clarè Agatho expressit, vt nihil clariùs dici potuerit; sic enim loquitur: [Cuius adnitente præsidio, hæc Apostolica eius Ecclesia, numquam à via veritatis, in qualibet erroris parte deflexa est. Cuius auctoritatem, vtpote Apostolorum omnium Principis, semper omnis Catholica Christi Ecclesia, & vniuersales Synodi fideliter amplectentes, in cunctis secutæ sunt, omnesque Venerabiles Patres Apostolicam eius doctrinam amplexi, &c. & sancti quidem Doctores orthodoxi venerati, atque secuti sunt: hæretici autem falsis criminationum odijs insecuti, &c. Hæc Apostolica Christi Ecclesia, per Omnipotentis Dei gratiam à tramite Apostolicæ traditionis numquam errasse probabitur, nec hæreticis nouitatibus deprauata succubuit: sed vt ab exordio normam fidei Christianę percepit ab Auctoribus suis Apostolorum Christi Principibus, illibata finetenus manet, secundùm ipsius Domini Saluatoris Diuinam pollicitationem, quam suorum discipulorum Principi in sacris Euangelijs fecit: Petre, inquiens, ecce satbanas expetiuit, vt cribraret vos, sicut, qui cribrat triticum. Ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua: & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. Consideret itaque vestra Clementia, quoniam Dominus, & Saluator omnium, qui fidelis est, & fidem Petri non defecturam promisit, confirmare eum fratres admonuit.]

Ex Concilijs Africanis, quæ anno 646. quotquot Primates Africę in subiectis sibi Prouincijs conuocarunt, data est Synodalis ad Theodorum Papam epistola, in qua, inter alia: [Antiquis regulis sancitum est, vt quidquid, quamuis in remotis, vel in longinquo positis age-

ageretur prouincijs, non priùs tractandum esset, nisi ad notitiam Almæ Sedis Apostolicæ fuisset deductum, vt eius auctoritate iusta, quæ fuisset pronuntiatio firmaretur, indeque sumerent cæteræ Ecclesiæ, velut de natali suo fonte, prædicationis exordium, & per diuersas totius mundi regiones, puritatis incorruptæ manarent fidei Sacramenta salutis.] Videatur Spondanus ad hunc annum, &c. & Acta Synodi Lateranensis sub Martino Papa.

ARGVMENTVM VII.

IPsissimus ille Auctor num. 7. & 8. argumentatur 7. ex quinta Generali Synodo, in cuius sententia, quam contra Anthimum Mennas Patriarcha Cõstantinopolitanus pronunciauit, hæc habentur: [Nos Apostolicam Sedem sequimus, & obedimus, sicut charitas vestra scit, & ipsius communicatores habemus, & condemnatos ab ipsa & nos condemnamus.]

In septima etiam Synodo Act. 2. lecta, & approbata est epistola Adriani II. ad Tharasium Patriarcham, vbi expressissimum Pontificiæ infallibilitatis testimonium extat, sic enim inter alia habet: [Cuius etiam Sedes per totum terrarum Orbem Primatum obtinens lucet, omniumque Ecclesiarum Dei Caput existit. Vnde & ipse beatus Petrus Apostolus Dei iussu Ecclesiam pascens nihil omninò prætermisit, sed vbique Principatum obtinuit, & obtinet: cui etiam & nostræ beatæ, & Apostolicæ Sedi, quæ est omnium Ecclesiarum Dei Caput, velim beata vestra sanctitas ex sincera mente, & toto corde agglutinetur, vtpotè, quæ reuera sit rectæ sententiæ, & pietatis incorruptæ consetuatrix. Hoc sacrificium primùm Omnipotenti Deo exhibeatur, vestraque beatitudo magnos, & pijssimos Imperatores supplicibus verbis admonebit, vt Ecclesiæ nostræ vestigia sequentes, coram Deo, & horribili eius iudicio venerandas imagines in Regia Ciuitate, & omni loco in antiquum statum restituendas curent, iubeantque: nimirum seruantes traditionem huius sanctissimæ nostræ Romanæ Ecclesiæ.]

Porrò in Concilio etiam Romano sub Nicolao II. celebrato inter alios Canones hic fuit: [Si quis dogmata, vel decreta pro fide Catholica, aut Ecclesiastica disciplina à Sedis Apostolicæ Præside promulgatas contempserit, anathema sit.] Habetur hic Canon in cap. Si quis 25. qu. 2. &c. ad abolendam, de hæret.

ARGVMENTVM VIII.

IS denique Auctor à nu. 9. argumentatur 8. adducendo Concilium Lugdunense primum sub Innocentio IV. celebratum, & relatum in capit. vnico, de homicid. in 6. vbi sic habetur: [Prò humani redemptione generis de summis Cœlorum ad ima mundi descendens, & mortem tandem subiens temporalem Dei Filius Iesus Christus, ne gregem sui precio sanguinis gloriosi redemptum ascensurus post resurrectionem ad Patrem absque Pastore deseretet, ipsius curam beato Petro Apostolo (vt suæ stabilitate fidei cæteros in Christiana religioue firmaret, eorumque mentes ad salutis opera suæ accenderet deuotionis ardore) commisit.

Concilium quoque Lugdunense sub Gregorio X. decreuit; prout habetur in cap. vnic. de Summa Trinitate in 6. [Fideli, ac deuota professione fatemur, quòd Spiritus sanctus æternaliter ex Patre & Filio non tamquam ex duobus principijs, sed tamquam ex vno principio: non duabus spirationibus, sed vnica spiratione procedit. Hoc professa est hactenus, prædicauit, & docuit, hoc firmiter tenet, & docet sacrosancta Romana Ecclesia, mater omnium fidelium, & magistra.] In eodem Lugdunensi Concilio Michaelis Palæologi Imperatoris, & Orientalis Ecclesiæ Legati professionem fidei Orthodoxæ ediderunt, quæ & à Synodo Lugdunensi recepta est, & infallibilitati Pontificiæ apertissimum suffragium dedit. Videri camu potest apud Raynaldum ad annum 1274. num. 24. & inter alia hæc habet: [Ipsa quoque sancta Romana Ecclesia summum, & plenum Primatum, & Principatum super vniuersam Ecclesiam Catholicam obtinet: quem se ab ipso Domino in beato Petro Apostolorum Principe, siue vertice, cuius Romanus Pontifex est successor, cum potestatis plenitudine recepisse veraciter, & humiliter recognoscit. Et sicut præ cæteris tenetur fidei veritatem defendere, sic & si quæ de fide obortæ fuerint quæstiones, suo debent iudicio definiri.]

Concilium porrò Lateranense sub Innocentio III. in cap. damnamus, de summa Trinitate. Romanam Ecclesiam vocat omnium Matrem & Magistram. Suffragatur deuique Concilium Lateranense sub Iulio II. & Leone X. cui Germania, Hispania, Anglia, Dania, Noruegia, Scotia, Italia, & Hungaria amplissimis Legationibus missis adhæserunt, vt videre est apud Raynaldum ad annum 1512. num. 53. Et Ludouicus Galliæ Rex per suos Oratores acta Concilij Pisani damnans, hoc ipsum Lateranense pro legitimo, & Oecumenico agnouit, eique se adhærere professus est, vt habetur in actis eiusdem Concilij sessione 8. tom. 5. Concil. Venetæ edit.

Idem à Galliæ Prælatis factum, qui & ipsi Pisanum Conciliabulum execrari, professi sunt, se & adhærere, & adhæsuros Concilio Lateranensi, vt videre est in actis Concilij sess. 9. In hoc ergo Concilio, à Gallis, vt diximus, etiam recepto, sess. 1. e. ex professo definita est suprema Pontificis Romani supra Concilium auctoritas, & consequenter omnimoda infallibilitas. In eadem sess. 11. rescissa est fatalis illa, & pragmatica sanctio, quæ Carolo VII. Rege in Bituricensi Conuentu, vigente Basileensi schismate aduersùs Romanorum Pontificum auctoritatem lata fuerat, quamque iam dudum, anno videlicet 1462. sub Pio II. Ludouico XI. in publico Cardinalium Senatu reuocauerat.

His proinde sacrorum Conciliorum sanctionibus meritò se conformaret Clerus Gallicanus in asseueranda infallibilitate Pontificiæ auctoritatis, in fidei rebus ex Cathedra decernentis; maximè dum eam specialem

Roma-

Romani Pontificis prærogatiuam fundant super Christi Domini promissione Matth. 16. polliciti: [Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam .] Et Lucæ 22. asseuerantis: [Ego rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua .] Verùm excipiet fortassis nonnemo, istam infallibilitatem ad fidei dumtaxat, non autem morum decreta protendi debere. De quo adeò puncto in conclusione proximè sequenti differere nobis visum est operæ pretium.

CONCLVSIO.

Ex fidei principijs certum est, quòd Ecclesia, eiusque Caput Summus Pontifex, in legibus pro vniuersa Ecclesia ferendis quoad formale earumdem specificatiuum errare non possit, licèt errori obnoxium esse queat, quod in eiusmodi legibus est materiale quoad singulares circumstantias.

EXplicatur, & probatur ex eo, quòd Summus Pontifex pro Vniuersa Ecclesia sanciendo leges semper respiciat ad fidei principia. Et hoc quidem dupliciter, declarando quandoque moralitatem aliquam, ceu consentaneam principijs fidei, atque tunc ad ista respicit in actu signato, nec adeò errori potest obnoxius esse in tali procedendi modo. Aliquando verò simpliciter præcipiendo moralitatem Verbo Dei conformem, atque tunc in actu saltem exercito respicit ad fidei principia, quin talem conformabilitatem signatè definiat. Quandoquidem igitur vtroque isto modo leges pro vniuersa Ecclesia sancitæ per Oecumenicam Summi Pastoris auctoritatem reducantur in fidei principia, consequens est, talem super Ecclesiæ, aduersùs quam portæ inferi præualere non possunt, Petra fundatam auctoritatem esse infallibilem, in legibus pro vniuersa Ecclesia condendis.

PROBATIO I.

Petita ex sequenti ratione Theologica.

NAm in quibuscumque legibus formale est ipsa rei præceptæ moralitas, qua rectæ rationi consentanea. Hæc verò licèt in agibilibus moralibus sit definita per lumen rationis naturale: vbi tamen istud est Diuinitus eleuatum, & ad sublimioris perfectionis statum supernaturalem, fidei lumine, ac infusis moralibus etiam virtutibus mediantibus, traductum, voluit Deus honestatem naturalis etiam luminis sphæra circumscriptam, sub ipsiusmet Diuinæ suæ reuelationis, fideique principijs nobis esse manifestam. Sic enim Decalogi Præcepta vniuersa sunt naturali lumini consentanea, ac propterea exspirante licèt Veteri Lege, sub cuius statu scripta extant, etiamnum in Noua Lege vigent. Ac verò hæc ipsa Decalogi Præcepta fidei supernaturali lumine illustrata, sunt principia, quibus oportet, vt conformetur quæcumque per Summum Pontificem præceptibilis moralitas. Hæc igitur respectu cuiuscumque legis, ac præcepti se habens per modum formalis specificatiui, quantumuis lumini naturali sit conueniens, vel maximè tamen, quatenus subest Ecclesiæ auctoritati præceptiuæ, supernaturalis rationis sphæram attingenti, vt sic reduci debet ad fidei principia. At in hisce nequit errare Ecclesia, eiusque Diuinitùs constituta, in Summo Pontifice residens, Oecumenica auctoritas. Ergo ista nequit etiam in legibus pro vniuersa Ecclesia ferendis quoad harum formale errori esse obnoxia.

Obiectio.

OPponi potest. Nostram conclusionem videri dissentaneam Canoni Si quando de rescriptis; vbi Pontifex rescribit in hæc verba: [Aut mandatum nostrum reuerenter adimpleas, aut per literas tuas, quare adimplere non possis, rationabilem causam prætendas, quia patienter sustinebimus, si non feceris, quod praua nobis fuerit insinuatione suggestum.]

Responsio.

Nam in conclusione fuit consultò facta distinctio in legibus Ecclesiæ inter id, quod est formale, & materiale, ex particularibus locorum, seu personarum circumstantijs consistens. At præallegatus Canon prauæ insinuationis suggestionem errori obnoxiam in Pontifice supponens, apertè loquitur de eo, quod est facti, pendens ex naturalibus circumstantijs. Sub cuiusmodi adeò errore adhuc locus est Ecclesiæ infallibilitati, circa formalem legis rationem, seu moralem honestatem, tamquam intrinsecum eiusmodi præcepti finem, ac formale specificatiuum motiuum.

Iterata obiectio.

INstari potest ex parte aduersa. Diuersos Pontifices videri errasse in aliquibus legibus contra bonos mores, aut ius Diuinum tradendis.

In primis iu capit. Cùm esses, de Testamentis, sic habetur: à lege Diuina alienum, & ab institutis sanctorum Patrum, Ecclesiæque consuetudine alienum esse, quòd testamenta non valeant, nisi coram septem testibus. At hoc legibus Imperialibus, & plurium nationum consuetudine firmatum, haud pugnare cum iure Diuino.

2. In Canone Licèt, de sponsa duorum, vbi cùm definiretur, [mulierem, quæ per consensum legitimum nupsit alicui, non posse cum alio viro validè contrahere, etiamsi huic nupserit, secuta quoque copula:] superaddi in hæc verba: [Quamuis aliter à Prædecessoribus nostris fuerit iudicatum.] Num ergo istos

istos Alexandri III. prædecessores, dicendum est, iudicasse contra ius Diuinum, vi cuius Matrimonij vinculum priùs contractum, prohibet Matrimonium cum alio contrahendum?

3. Stephanus VI. irritauit sui prædecessoris Formosi acta vniuersa, iussitque, [vt ab ipso illegitimè ordinati denuò ordinarêtur.] An non igitur Stephanus ille decreuit aduersùs irreiterabilitatem sacramenti Ordinis Diuinitùs sancitam?

4. In capit. Per venerabilem, qui filij sint legitimi, decreuit Pontifex, [legem Deuteronomij non esse abrogatam.] Hoc verò pugnat cum lege Euangelij Christi.

5. Capit. Laudabilem, de conuersione Infidelium, dicitur Celestinus III. sanxisse, [quòd per vnius coniugis hæresim soluatur Matrimonium.] At istud aduersatur indissolubilitati Matrimonij Diuinitùs sancitæ.

6. In Extrauagante Exijt, de verborum significatione, definit Nicolaus IV. [perfectam paupertatem, quam Christus tenebat, & docebat, ne quidem in communi admittere rerum dominium temporalium.] At oppositum statuit Ioannes XXII. in Extrauag. Ad conditorem: & in Extrauag. Quia quorumdam, definiens, hæreticum esse, qui dicit, Christum docuisse talem paupertatem. An non ergo alterutter Pontificum in hoc errauit?

Responsio.

Nam 1. dici potest Canon præallegatus Cùm esses, loqui de Testamentis ad pias causas: disertè namque dicit: septem testium, necessitatem in Testamentis esse à lege Diuina alienam, quatenus repugnat Sanctorum exemplis, Ecclesiæque consuetudini. Hæc autem consuetudo complectitur præcisè causas pias. Quemadmodùm igitur ad has non extendit se illa de septem testibus sanctio, sic à lege Diuina alienum est, morientium libertatem, ac dominium in bonis suis in tantum coarctare, ne possint absque illa solemnitate testari, vel legare ad pias causas.

2. Canon Licèt, dum meminit prædecessorum Pontificum aliter iudicantium, nihil dicit de lege aliqua, hanc in rem sancita in ordine ad vniuersalem Ecclesiam: sed intelligi debet de iudicio priuato, in quo Summus Pontifex errori obnoxius esse potest.

3. Neque Stephani Papæ error fuit in sancienda lege vniuersali, sed in facto, & in sententia priuata.

4. In Capitulo Per Venerabilem. loquitur Pontifex de isthac Diuinitus sancita lege Deuter. 17. [Si difficile, & ambiguum iudicium esse perspexeris, ascende ad locum, quem elegit tibi Dominus.] Hanc igitur legem dicit Pontifex in Noua etiam Lege obseruari debere. At quo modo non sub formalitate Veteris Testamenti propria, vt iam ascendendum sit ad locum, quem Dominus pro illo statu elegerat, sed sub Nouæ Legis Diuinitus sancita formalitate, vt locus à Deo in hunc finem electus intelligatur esse Sedes Apostolica. Quod igitur eo loco Deuter. erat Diuinitus sancitum, debet in Noua Lege obseruari per quandam adimpletionem adumbrationis ita præludentis, vt ad altiorem tamen statum nunc eleuata fuerit.

5. Quod ex Cap. Laudabilem, allegatur, non habetur in huius Canonis textu. Et si quidem in antiquioribus Decretalibus aliquando extitisset, sed posteà expunctum fuisset, huius expunctionis causa erat, quòd à Cœlestino III. non esset sancitum ex Cathedra de hæreticis charactere Baptismali insignitis, sed de ijs, qui sua malitia Baptismatis valori insidiabantur. Constat enim tam ex contextu eius Canonis, quàm ex titulo vniuersali de Conuersione infidelium, ibi non esse sermonem, nisi de illis infidelibus, qui validè saltem non sunt insigniti Baptismate, Quia proinde Hæretici nomen complectitur sectam ab Ecclesia sancta deficientem, cuius nomine originariè saltem veniunt etiam Saraceni, de quibus in eo Canone sermo est, idcircò nomen illud meritò expunctum fuit ab illo Canone, vtpote æquiuocum, dum plerumque quidem significat sectam Baptismatis valorem minimè auferentem, subinde tamen denotare potest sectam in sua origine ab Ecclesia deficientem, sed eousque progredientem, vt Baptismate sublato, iam sit in censu infidelium paganorum.

6. Ex Bellarmino de Romano Pontifice cap. 14. liquet, illos Summorum Pontificum in speciem discrepantes Canones, re ipsa minimè discordare, vel aliquid Diuinæ doctrinæ contrarium ex alterutra parte sancire. Nam in primis Nicolaus IV. non definiendo, sed suam explicando sententiam solummodò pronunciauit, paupertatem, quæ nec in communi, nec in particulari quidquam possidet, esse perfectiorem, atque magis meritoriam; quod Ioannes XXII. directè non impugnauit, sed tantùm renunciauit iuri, quod Pontifex Romanus habere dicebatur in possidendis omnibus Fratrum Minorum bonis. Deinde in ea, quam Christus tenebat, paupertate non dissentiebant Nicolaus, & Ioannes: hic enim sanciebat quidem, hæreticum esse sermonem illum, quo dicebatur Christus numquam habuisse aliquid proprij: ille verò asseruit, Christum equidem tantam aliquando seruasse paupertatem, vt neque in communi, neque in particulari aliquid haberet, aliquando tamen admisisse aliquid in communi, quia Iudas loculos habebat. Quæ proinde si inter se combinentur, nihil habent contrarietatis.

PROBATIO II.

Desumpta ex Decreto Gratiani ex causa 24. quæst. 1.

IBi namque in capit. Hæc est fides, disertè dicitur, in Papa esse Petri fides, & Sedes. Et in capit. Schisma, pronunciatur Schismaticus, qui non credit, quod Romanus Pontifex credendum præcipit. Porrò in capit. A recta, traditur Sancta, & Apostolica Mater omnium Ecclesiarum per Dei Omnipotentis

gratiam à tramite Apostolicæ traditionis numquam errasse, neque Hæreticis Nouitatibus deprauaram succubuisse, sed vt in exordio normam fidei Christianæ percepit ab Auctoribus suis Apostolorum Christi Principibus illibatum finetenus manere. In cap. Memot sum, habetur insuper Pontificem præsidere Ecclesiæ sub illius nomine: scilicet Petri, cuius fides nullam heresim vnquam fouit, sed omnes hæreses destruit. Quandoquidem igitur Petri fides, ac Sedes ita sint connnctæ, vt, qui à dogmatibus per hanc credi iussis, se separat, sit Schismaticus, vtpotè diuisus ab Ecclesia, illibatè tenente fidei Christianæ normam ab Apostolis traditam, euidenter hinc sequitur, Papam, ex Cathedra, idest Sede Petri, fidei inseparabiliter innixa, nec vllius vmquam hæresis consorte, sed cunctas è contra hereses destruente decernentem, ex Diuina ordinatione prorsus immunem esse à fidei erroribus.

Quare meritò reformidanda est Adriani Papæ Constitutio in capit. Generali 25. qu. 1. ità decernentis: [Generali decreto constituimus, vt execrandum anathema sit, & veluti preuaricator Catholicę fidei semper apud Deum existat, quicumque Regum, seu Episcoporum, vel Potentum deinceps Romanorum decretorum censuram in quocumque crediderit, vel permiserit violandam.]

PROBATIO III.

Prioris continuatiua ex Decreto Gratiani distinct. 12. & 19.

ETenim in capit. Non decet, distinct. 12. Calixtus Papa ita rescripsit: [Non decet à Capite membra discedere, sed iuxtà sacræ Scripturæ testimonium omnia membra Caput sequantur. Nulli verò dubium est, quòd Apostolica Ecclesia Mater est omnium Ecclesiarum, à cuius vos regulis nullatenus conuenit, deuiare.] Eadem distinct. capit. Præceptis. Gregorius Papa Episcopis per Galliam, Germaniam, & vniuersas Prouincias constitutis sic rescribit: [Per obedientiam, quæ a Sancta Romana Ecclesia, & Apostolica auctoritate iussa sunt, salutiferè impleantur, si eiusdem Sanctæ Dei Ecclesiæ, quæ est Caput vestrum, communionem habere desideratis.] In cap. Romanum dist. 19. Nicolaus Papa mandat, vt quod Apostolica probauit Ecclesia, teneatur acceptum. Eadem distin. in cap. Sic omnes. Agatho Papa dicit: [Omnes Apostolicæ Sedis sanctiones accipiendas esse, tamquam ipsius Diuini Petri voce firmatæ sint.] Quid ergo clarius dici potuisset ad stabiliendum Papæ ex Cathedra Apostolica loquentis in rebus fidei infallibilitatem, in vi cuius oporteat, omnia Ecclesiæ membra sequi Caput in tantum, vt quisquis ea, quæ Apostolica auctoritate sunt iussa, non adimplet, à sanctæ Dei Ecclesiæ communione sit alienus, non aliam ob rationem, nisi quia Sedis Apostolicæ sanctiones perinde sunt accipiendæ, ac si ipsius Diuini Petri voce firmatæ essent. Ad quam proinde Petri in Romano Pontifice etiamnum loquentis vocem, meritò Clerus Gallicanus suam faciat reflexionem, cùm, vti sanctus Leo in epist. 87. ad Episcopos Viennenses, cap. Ita Dominus, dist. 19. relatus scripserat: [Christus Petrum in consortium indiuiduæ vnitatis assumptum id, quod ipse erat, voluit nominari dicendo: [Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam:] vt sic æterni ædificatio templi mirabili munere gratiæ Dei in Petri soliditate consisteret.]

§. IV.

Corollarium.

HInc coronidis loco lubuit Clerum Gallicanum ad sequentes sacros Canones non tam reuoluendos, quàm verbo, & opere amplectendos inuitare. Quorum primus Paschalis Papæ in cap. significasti, de elect. ita se habet: [Aiunt, in Concilijs statutum non inueniri, quasi Romanæ Ecclesiæ legem Concilia vlla præfixerint, cùm omnia Concilia per Romani Pontificis auctoritatem & facta sint, & robur acceperint, & in eorum statutis Romani Pontificis patenter excipiatur auctoritas. Cùm igitur à Sede Apostolica vestræ insignia dignitatis exigiris, quæ à beati Petri tantùm Corpore assumuntur, dignum est, vt vos quoque Sedi Apostolicæ subiectionis debitæ signa soluatis, quæ vos cum beato Petro tamquam de membro habere, etiam Catholici Capitis vnitatem seruare declarant.

Secundus verò Innocentij IV. Canon in capit. Maiores, de Baptismo, sic decernit: [Maiores Ecclesiæ causas, præsertim articulos fidei contingentes, ad Petri Sedem referendos intelligit, qui, eum quærenti Domino, quem Discipuli dicerent, ipsum esse, respondisse notabat: [Tu es Christus Filius Dei viui;] & pro eo Dominum exorasse, ne deficiat fides eius.]

Tertius denique Lucij III. Canon in capit. Ad abolendum, de hæreticis, vinculo perpetui anathematis innodat, vniuersos, qui de Sacramento Corporis, & Sanguinis Christi aliter sentire, aut docere non metuunt, quàm sacrosancta Romana Ecclesia prædicat, & obseruat, &c.] Quomodò autem horum Canonum firmitas subsisteret, si Romanæ Ecclesiæ Capitis, Summi Pontificis ex Cathedra loquentis, in rebus fidei iudicium non esset infallibile?

DISQVISITIO V.

An ex vnanimi Patrum consensu, & praxi Ecclesiæ, rationeque Theologica demonstrari possit Papæ in rebus fidei omnimoda, & irreformabilis infallibilitas?

§. I.

Referuntur Patrum hac de re sententia.

AVctor de libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ citato lib. 7. capp. 6. 7. 8. & 9. ab auctoritate sanctorum Patrum fusè probat certitudinem iudicij Summi Pontificis in fidei quæstionibus. Ad quem proinde Auctorem, ne longior esse debeam, hic remitto Lectorem. Exinde cap. 10. exhibet antiquioris, immò & moderni Cleri Gallicani sententiam de iudicio Papæ in rebus fidei. Toti, inquiens, Clero Gallicano, tribuendum non est, quod gestum est ab Episcopis Parisijs congregatis. Non enim Conuentus ille, qui non errandi priuilegium Summo Pontifici adimere tentauit, Concilium Nationale erat, nec ij, ex quibus constabat, aliorum procurationem ad definiendas eas quæstiones acceperant. Immò admodùm odiosa reliquis omnibus, vel ferè omnibus in Gallia, sicut & in omnibus alijs Nationibus, visa est declaratio illorum Episcoporum, vel ob id saltem, quòd tunc temporis edita esset, cùm non aliò spectare posse videretur, quàm vt Summum Pontificem pro Ecclesiarum Gallicanarum libertate contendentem deterreret.

Si autem ex cæteris (quod præsumendū non est, saltem de multis) pœnarum in edicto Regio declarationem illam confirmante contentarum metu, aliqui ad istorum sententiam accederent, audienda potiùs esset Gallicana Ecclesia, tunc temporis loquens, cùm minùs suspectus erat eius clamor. Episcoporum illius Nationis tùm seorsim, tùm simul, de sanctæ Sedis decretis circa fidem olim disserentium verba retulimus in capitibus superioribus. Sed ne putes, sequentibus temporibus defecisse fidem, ac religionem illius Cleri, addenda sunt diuersorum temporum exempla, ex quibus, & alijs, quasi perpetuæ traditionis series contexi possit.

Hincmarus Archiepiscopus Rhemensis, quem ad extollendam nimis auctoritatem Pontificis Romani procliuem nemo, qui eius ingenium perspectum habuerit, facilè suspicabitur, illustre testimonium in hac parte reddit sanctæ Sedi in præfatione opusculi de diuortio Lotharij Regis, & Gerbergæ Reginæ. [De omnibus dubijs, vel obscuris, inquit, quæ ad rectę fidei tenorem, vel pietatis dogmata pertinent, sancta Romana Ecclesia vt omnium Ecclesiarum Mater, & Magistra nutrix, & doctrix, est consulenda, & eius salubria monita sunt tenenda, maximè ab his qui in illis regionibus habitant, in quibus diuina gratia per eius prædicationem omnes in fide genuit, & Catholico lacte nutriuit, quos ad vitam præordinauit æternam.] Si omnium Ecclesiarum Magistra, & Doctrix est Ecclesia Romana, cur non Ecclesiæ Gallicanæ, vel etiam vniuersæ? An hæc tota distinguitur ab omnibus suis partibus? An sensus compositus à sensu diuiso hac in re olim discretus est? At inquies, Ecclesia Romana consulenda est, & eius monita tenenda sed ea conditione, dummodo sint salubria. Irridet, & non profitetur, qui Summum Pontificem in eo sensu alloquitur, aut de Ecclesia Romana ita loquitur; cuius enim vel vilissimi hominis monita non sunt tenenda, si salubria sint? Sed ea ipsa ratione, quod ab Ecclesia Romana dantur, quæ est omnium Ecclesiarum Magistra, & Doctrix; salubria habenda sunt & tenenda.

Iuo Carnotensis epist. 8. ad Richerium Senouensem Archiepiscopum eum, qui Ecclesiæ Romanæ non concordat, hæreticum declarat; [Dicitis etiam in literis, me Sedem inuasisse Gaufridi Coepiscopi vestri, in quo manifestè contra Sedem Apostolicam caput erigitis, dum quod illa ædificat, vos quantùm in vobis est, destruitis, & quod illa destruxit, vos ædificare contenditis. Huius indicijs & constitutionibus obuiare, planè est hæreticę prauitatis notam incurrere, cum Scriptura dicat; hæreticum esse constat, qui Romanæ Ecclesiæ non concordat.]

Iacobus Cardinalis Vitriacus in histor. Orient. cap. 75. anno 1230. [Patet ergo, inquit, cùm super hanc Petram, pro qua Dominus rogauit, vt non deficeret fides eius, post Christum ædificata sit, & fundata Christi Ecclesia, quod omnes, qui ab Ecclesia Romana recedunt, absque fundamento ædificant in vanum laborantes, & ab eo, qui à Domino Cephas appellatus est, separati, acephali, & monstruosi homines meritò sunt reputandi.

Quæ esset Ecclesiæ Parisiensis de iudicio Summi Pontificis in decidendis quæstionibus ad fidem spectantibus sententia, anno 1324. declarauit Stephanus Episcopus Parisiensis literis pro B. Thomæ Aquinatis doctrina editis. [De Concilio, vt ibi dicitur, venerabilium virorum Decani, & capituli Parisiensis, & venerabilis P. D. Guillielmi Dei gratia Archiepiscopi Viennensis sacræ Theologiæ Professoris, & aliorum 23. Magistrorum in Theologia, nec non 39. Baccalaureorum in Theologia. Hæc enim declaratio facta est ob eam causam, quæ his verbis exprimitur. [Nos igitur attendentes cum eis, quod sacrosancta Romana Ecclesia fidelium omnium Mater, & Magistra in firmissima Petri Christi Vicarij confessione fundata, ad quam velut ad vniuersalem regulam Catholicæ veritatis pertinet approbatio, & reprobatio doctrinarum, declaratio dubiorum, determinatio tenendorum, & confutatio errorum, præfatum Doctorem venerabilem, cuius doctrina fulget Ecclesia vt sole luna, nuper Sanctorum cathalogo adscribendum, doctrinę diligenti excus-

ſione, & examinatione præhabita ſuper vita ipſius, & doctrina, ipſumque quod vitam puram, ac doctrinam ſalutarem orbi terræ commendabilem prædicanit, &c.] Quæ declaratio eo maioris eſt ponderis, quod qui eam edidit Epiſcopus, idem anteà quaſdam Diui Thomæ ſententias impugnari permiſerat. Vnde conſtat, illum ideò mutaſſe ſententiam, quia vt ſignificat, Romana Eccleſia ſancti Doctoris doctrinam commendarat. Hiſtor. Vniuerſ. Pariſ. tom.4. ad dictum annum 1324.

Franciſcus Archiepiſcopus Rothomagenſis in Apologia Euangelij pro Catholicis ad Iacobum Maioris Britanniæ Regem, Pariſijs anno 1625. edita lib.2. c.1. multa ſcribit, quibus infallibile Summi Pontificis iudicium in materia fidei probat. [Grandi, inquit, quondam priuilegio Romanus Pontifex cuſtos fidei Phylax tys piſtos à Patribus habitus, vt Epheſina acta Cæleſtino Papæ Cheleſtino to Phylachi piſteos, Cæleſtino Cuſtodi fidei acclamatum teſtatur. Nec non & poſteà inſertum Chalcedonenſibus actis inſigne monumentum illud eſt Petri Epiſcopi Rauennatis epiſt. ad Eutychen. In omnibus autem hortamur te, frater honorabilis, vt his, quæ à beatiſſimo Papæ Romanæ ciuitatis ſcripta ſunt, obedienter attendas, quoniam B. Petrus, qui in propria Sede viuit, & præſidet, præſtat, quærentibus fidei veritatem. Nos enim pro ſtudio pacis, & fidei extra conſenſum Romanæ ciuitatis Epiſcopi, cauſas fidei definire non poſſumus, &c.] Denique multa colligit Romani Pontificis epitheta idipſum ſignificantia, quod ſit [Cuſtos fidei, violatæ fidei vindex, caput totius fidei, &c.] cap.2.refert partem epiſtolæ Agathonis Pontificis in ſextæ Synodi act.4. Synodicè lectæ de Eccleſia Romana dicentis ad Imperatores; Hæc ſpiritualis Mater veſtri tranquilliſſimi Imperij Apoſtolica Chriſti Eccleſia, quæ per Dei omnipotentis gratiam à tramite Apoſtolicæ traditionis numquam erraſſe probabitur nec hæreticis nouitatibus deprauata ſuccubuit, ſed vt ab exordio fidei Chriſtianæ percepit ab Auctoribus ſuis Apoſtolorum Chriſti Principibus, illibata finetenus permanet.] cap.12. maiori cum energia; [Cui non patet inquit, fidei oſtium Romanis clauibus aperiendum, à Romanoque Pontifice pateſaciendum eſſe ?

Iam à primis ſæculis, vt teſtatur S. Leo epiſt.89. ſancta Sedes ab Epiſcopis Gallicanis innumeris eſt relationibus conſulta, qui mos nunquam non viguit. Portò eius reſponſa ita ſuſcipiebantur, vt poſteà coſulentes non vacillarent, atque adeò reformabilia eſſe non ſuſpicarentur, quod tum ex multis, quæ iam diximus, conſtat. tum hic confirmandum eſt teſtimonio celeberrimi Ægidij Archiepiſcopi Bituricenſis, qui expoſitione cap. Cùm Marthæ de celebrat. Miſſ. ait: [Archiepiſcopus igitur Lugdunenſis de omnibus his dubitans Sedem Petri, ad quam pertinet, maiores cauſas, & præſertim articulos ordinanter, decidere, conſuluit, ne in ipſis vlterius vacillaret.

Nicolaus Coeffetau Theologus Pariſienſis, ac poſteà Maſſilienſis Epiſcopus in tractatu ſuo pro ſacra Monarchia Eccleſiæ Catholicæ, Apoſtolicæ, & Romanæ aduersùs Rempublicam Marci Antonij de Dominis Archiepiſcopi Spalatenſis parte 5. diſcuſſ. num.5. cap.12.lib.1. indefectibile fidei lumen in Summo Pontifice bis verbis aſtruit: [Dico igitur, non eſſe par lumen in reliquis cum Summo Pontifice. Namque vni ei in perſona Petri dictum eſt: Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua. Quare ea luce colluſtratus plus eius oculus cernit, quàm multorum oculi, &c.

Luculentiùs mentem ſuam aperit Illuſtriſſimus Gabriel Albaſpineus Aurelianenſis Epiſcopus in hæc verba Tertulliani, Epiſcopus Epiſcoporum libro de pudicitia. [Quacumque igitur, inquit, ratione, aut mente de Romano Pontifice hæc dixerit Tertullianus, ſeriò, vel per ludibrium, illis tamen temporibus penes eum poteſtatem fuiſſe de rebus fidei iudicia peremptoria ferre, & totius orbis Epiſcopos monere, atque docere quis non agnoſcit? Eoque magis, quod vnus Tertullianus iam hæreſi implicitus, de hac re cæteris Eccleſiæ Epiſcopis conceſſum fuiſſe, eoſque reuera hanc poteſtatem exercuiſſe.] Vide eius notam In hæc verba S. Optati Epiſcopi Mileuitani de B. Petro loquentis lib. 2. de ſchiſmat. Donat. [Qui ducit ad ſe Angelum.]

Illuſtriſſimus Petrus de Marca Archiepiſcopus Toloſanus in quodam M. S. quod Stephanus Baluzius in compendio eius vitæ libris de concordia præfixo aſſerit, vltimum Illuſtriſſimi illius Archiepiſcopi opus, paulò ante mortem ab ipſo confectum, vbi infallibile Papæ in fidei quæſtionibus iudicium ita defendit, vt opinionem contrariam antiquorum Doctorum vniuerſitatis Pariſienſis (Gerſonium, & alios innuebat, de quibus poſtea) ab Eccleſia tolerari tantùm aſſeruerit; cæterum tunc ipſiuſmet vniuerſitatis, & aliarum omnium Doctores pro infallibili Papæ iudicio ſtare.

Non Epiſcopi ſingulares tantùm, ſed vt olim Concilia, ita poſterioribus temporibus conuentus, & Comitia Cleri Gallicani priuilegium illud ſanctæ Sedis venerata ſunt. Celeberrimus conuentus Melodunenſis anno 1579. tit. 1. conſtitutionum, qui eſt de fidei profeſſione, ſic decreuit: [Operam dabunt ij, quibus hæc cura demandata eſt, Epiſcopi ſcilicet, eorum Vicarij, vt in omnibus Synodis tam Diœceſanis, quàm Prouincialibus, omnes, & ſinguli tum Clerici tum Laici amplectantur, & aperta profeſſione eam fidem pronuntient, quàm Sancta Romana Eccleſia, Magiſtra, columna, & firmamentum veritatis profitetur, & colit. Ad hanc enim propter ſuam principalitatem neceſſe eſt, omnes conuenire Eccleſias.

Sed quid ſibi volunt verba illa epiſtolæ Comitiorum Generalium Cleri Gallicani ad Innocentium X. Pontificem Maximum 8. calend. Nouemb. anno 1650. [Scimus, vbi caput Eccleſiæ, ibi totius fidei arcem, totius & diſciplinæ Metropolim: eoque conuenitur à nobis libentiùs, quo in Præſulum Primatis ſinu Præſules, ſi quando illis dolet, maximè à vulneribus Eccleſiæ, iuſtiſſimas querelas

ſuas

suas deponere par est. Adeone parum tuta est religio nostra, vt totius fidei arcem hæresi disijci posse sentiamus ; Adeone parum firma est petra, super quam Christus ædificauit Ecclesiam suam, vt portæ inferi præualere possint aduersùs eam ? Adeone inefficax Christi oratio, vt Petri, pro quo rogauit: defectura sit fides in eius successoribus ? Sed Ecclesiæ Gallicanæ mens luculentiùs apparet in epistolis anno 1653. editis.

§. II.

Refertur sententia vniuersitatis Parisiensis, eiusque Doctorum, imò & Senatus Parisiensis.

Accedit etiam auctoritas vniuersitatis Parisiensis, ac Doctorum particularium illius, nec non Senatus Parisiensis, asseuerantium, Papæ iudicium in causis fidei esse irreformabile; vti præfatus Auctor de libert. Eccles. Gallicanæ præf. cap. 9. deducit. Anno, inquiens 1387. tota vniuersitas Parisiensis in Consistorio apud Clementem, quem tamquam legitimum Pontificem sequebatur, per Magistrum Petrum de Alliaco infallibile Romani Pontificis iudicium in causis fidei esse, professa est bis verbis in hist. vniuersit. ad hunc annum relatis: [Igitur pro vestris humilibus filijs vniuersitatis prædictæ, & pro nobis eorum nuncijs, qui suis in hac parte obsequimur mandatis, & documentis inuitimur, corde, & ore vnanimiter protestamur, quod quidquid hactenus in hac causa per eos actum est, & quidquid in ea nunc, vel alias pro eis acturi, aut dicturi sumus, totum correctioni, & iudicio Sedis Apostolicæ, & sedentis in ea Summi Pontificis humiliter submittimus, dicentes cum B. Hieronymo 24. quæst. 1. Hæc est fides, Pater beatissime, quam in Catholica Ecclesia didicimus, in qua si minùs perite, aut minùs cautè fortè aliquid positum est, emendari petimus à te, qui Petri fidem, & Sedem tenes. Non ignoramus enim, sed firmissimè tenemus, & nullatenus dubitamus, quod sancta Sedes Apostolica est illa Cathedra Petri, super quam eodem Hieronymo teste, fundata est Ecclesia; vt habetur eadem quæst. in cap. Quoniam vetus. Et sicut dicit Cyprianus distinct. 93. Qui Cathedram. De qua Sede in persona Petri Apostoli in ea Sedentis dictum est: Petre rogaui pro te, vt non deficiat fides tua, Lucæ 22. Hæc est igitur, ad quam determinatio fidei, & approbatio veritatis Catholicæ, ac hæreticæ impietatis detestatio maximè pertinet.] Adeò erat veneranda illi Vniuersitati sententia de infallibili iudicio Papæ, vt ante hunc annum nullus, eius facultatis Doctor ab ea recesserit, & posteà, licèt occasione schismatis, aut aliorum dissidiorum ab ea nonnulli declinauerint, numquam tamen ab ipsis Vniuersitatis incunabulis vsque ad postremas contentiones defuerint Doctores, qui eam sequerentur.

De antiquis testatur generatim Andreas Duuallius Academiæ Parisiensis alumnus, ac Theologiæ Professor in lib. de suprema Romani Pontificis in Ecclesiam potestate anno 1614. in lucem emisso, & à duobus alijs Doctoribus approbato; sensisse illos, priuilegium in fide non errandi à Petro ad eius Successores defluxisse, nec nisi à ducentis annis quemquam ab ea recessisse. Hæc sunt verba: [Velint nolint Aduersarij liquidò constat, veteres Ecclesiæ Gallicanæ Proceres hanc in Summis Pontificibus Petri successoribus infallibilitatem semper agnouisse, Christique Domini orationem in Petro non stetisse, sed ad eius successores certissimè transijsse, eosque, qui hanc veritatem impugnare conati sunt, à ducentis, aut circiter annis, quibus in Ecclesiam horrenda schismata irruerunt, cæpisse.] Quæ Doctoris assertio exemplis est roboranda.

Alcuinus S. Benedicti Monachus, Caroli Magni Præceptor, eique, vt volunt Galli, fundandæ illius Vniuersitatis Auctor, hæc habet lib. 1. de Diuin. offic. cap. 19. [Religionis cultum sic Dominus instituit, vt in Beatissimo Petro principaliter collocaret, atque ab ipso quasi capite dona sua vellet in corpus omne manare.] (Nota hæc verba, in corpus omne, ne putes, Alcuinum sensisse, à Summo Pontifice in alias Ecclesias seorsim acceptas, non autem in corpus ipsum Ecclesiæ Vniuersalis fidei veritatem, aliaque Diuina Dona manare.) Vnde constat, [ab Vniuersalis orbis communione separatos esse, sicut docet B. Pelagius, qui qualibet dissensione inter sacra mysteria Apostolici Pontificis memoriam secundùm consuetudinem non frequentant.

Albertus Magnus S. Thomæ Magister, qui tanto discipulorum concursu Parisijs docuit, vt, cùm schola nimis esset angusta, in foro, quod ab eius nomine nuncupatur, legere coactus sit, ex verbis Christi ad Petrum: [Rogaui pro te &c.] infert, Petri successores à fide, quantumuis illa impetatur, non defecturos. [Hoc argumentum, inquit, efficax est pro Sede Petri, & successore ipsius, quòd fides eius finaliter non deficiae.] Obscuritatem aliquam parit vox illa, finaliter, ac fortè de perseuerantia finali in fide aliquis eam interpretaretur, nisi constaret, eam quidem interpretationem S. Petro posse accommodari, non autem successoribus eius, quibus si non esset datum in determinandis fidei quæstionibus non errandi priuilegium, multo minùs affirmare liceret, promissam ipsis vt priuatis personis, finalem in fide perseuerantiam, multò minùs de Sede ipsa B. Petri, cuius etiam meminit (pro Sede Petri, & successore ipsius) posset illa vox, finaliter, accipi. Ea igitur vis est vocis illius, posse scilicet Romanum Pontificem in rebus ad fidem spectantibus, dum eas agitat, ac discutit, aliquatenùs fluctuare, quemadmodùm Ioanni XXII. contigit circa visionem beatificam ante iudicium vniuersale; rebus tamen agitatis, & discussis non posse quidquam solemniter definire, ac toti Ecclesiæ credendum proponere, quod sit ab orthodoxa fide alienum.

Sanctus Thomas Aquinas Vniuersitatis

Pari-

Pariſienſis Alumnus, ac in ea deinde celeberrimus Magiſter non potuit luculentiùs ſupremum, & infallibile Summi Pontificis, in decidendis circa fidem dubijs iudicium profiteri, quàm his verbis 2. 2. q. 1. art. 10. [Ad illius auctoritatem pertinet editio Symboli, ad cuius auctoritatem pertinet determinare ea, quæ ſunt fidei, vt ab omnibus inconcuſſa fide teneatur. Hoc autem pertinet ad auctoritatem Summi Pontificis, ad quem maiores, & difficiliores Eccleſiæ quæſtiones referuntur; vt dicitur in Decret. extra. De Baptiſmo c. Maiores. Vnde & Dominus Lucæ 21. Petro dixit, quem Summum Pontificem conſtituit; [Ego pro te rogaui, Petre, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos.] Qua cauillatione locum iſtum obſcurabit Launoius? Non hic ad Eccleſiam Romanam, non hic ad Sedem Apoſtolicam, ſed ad auctoritatem Summi Pontificis pertinere dicitur, finaliter determinare ea, quæ ſunt fidei, vt ab omnibus inconcuſsè teneantur.

At fortaſsè licèt non exprimat, intelligit tamen S. Thomas caſum, cùm Summus Pontifex in Concilio Oecumenico ſedet, ac præſidet. Contrà verò, eam reſtrictionem expreſſis verbis reijcit S. ille Doctor de potentia q. 10. art. 4. ad 13. vbi poſtquàm Summo Pontifici, ſicut & Concilio Oecumenico auctoritatem tribuit interpretandi Symbolum, ſubiungit: [Sicut autem poſterior Synodus poteſtatem habet interpretandi Symbolum à priore Synodo conditum, ac ponendi aliqua ad eius explanationem, vt ex prædictis patet; ita etiam Romanus Pontifex hoc ſua auctoritate poteſt. cuius auctoritate ſola Synodus congregari poteſt, & à quo ſententia Synodi confirmatur, & ad ipſum à Synodo appellatur. Quæ omnia patent ex geſtis Chalcedonenſis Synodi.] Obiectionem de neceſſitate Concilij præoccupat his verbis: [Nec eſt neceſſarium, quòd ad eius expoſitionem faciendam Vniuerſale Concilium congregetur, cùm quandoque id fieri prohibeant bellorum diſſidia, ſicut in ſeptima Synodo legitur, quod Conſtantinus Auguſtus dixit, quòd propter imminentia bella vniuerſaliter Epiſcopos congregare non potuit: ſed tamen illi, qui conuenerunt, quædam dubia in fide exorta, ſequentes ſententiam Agathonis Papæ, determinauerunt. Scilicèt quòd in Chriſto ſint duæ voluntates, & duæ actiones, & ſimiliter Patres in Chalcedonenſi Synodo congregati, ſecuti ſunt ſententiam Leonis Papæ, qui determinauit, Chriſtum eſſe in duabus naturis poſt Incarnationem.]

Antiquos ſecuti ſunt noui quàmplures: Ioannes Celaia Doctoratus Lauream in Vniuerſitate Pariſienſi aſſecutus in 3. ſentent. diſt. 25. q. 4. quintam hanc ponit concluſionem: Quinta concluſio eſt iſta. [Romanæ Sedis iudicium in his, quæ fidei ſunt, & ad humanam ſalutem neceſſaria, errare nequit; Quod probatur ex promiſſione Saluatoris noſtri Lucæ 22. quæ verba allegat Bernardus ſcribens Innocentio Papæ . . . . , Idem aſſerunt D. Cyrillus, D. Chryſoſtomus, & D. Gregorius.] Deinde illorum reijcit ſententiam, qui infallibilitatem penes Eccleſiam vniuerſalem tantùm, non autem penes Romanum Pontificem ſolitariè ſumptum reponunt. [Contra iſtam concluſionem arguitur. Doctores Catholici gloſſant illam auctoritatem Saluatoris de vniuerſali Eccleſia, & non de Sede Romana, ergo malè aſſumitur talis auctoritas pro fundamento iſtarum concluſionum. Ad hanc replicam reſpondetur negando antecedene, imò neceſſarium eſt dicere, quòd non intelligatur de Vniuerſali Eccleſia. Nam ſubiungitur: Et tu aliquando conuerſus &c. Idcirco D. Cyrillus, & D. Chryſoſtomus, & D. Leo, & B. Agatho, & D. Bernardus, & Anſelmus, & Albertus Magnus, & D. Thomas gloſſant præfatam auctoritatem de Eccleſia Romana, vt diſtinguitur ab alijs Eccleſiis.]

Andreas Duuallius, vt ſupra diximus, Doctor Sorbonicus, & in Academia Pariſienſi Regius Theologiæ Profeſſor, de ſuprema Romani Pontificis in Eccleſiam poteſtate tractatum emiſit in lucem anno 1614. eumque approbarunt G. I. Roger, & I. Roche, Facultatis Theologicæ Pariſienſis Doctores his inter alia verbis: [Iuris vt fiat publici, operæ pretium duximus, ad ſanctiſſimam Domini noſtri Papæ auctoritatem tuendam, nec non ad ſummam cum eodem Capite ſuo viſibili Romano Pontifice vnionem arctiſſimè retinendam, cui aliter ſchiſmaticorum mala mens, maluſque animus malè, & ſeditiosè conſultum vellet.] 10. Kal. Febr. anno ſalutis 1614.

Ioannes Puteanus Auguſtinianus Profeſſor Regius in Academia Toloſana, qui Pariſijs Theologiam didicerat, in 2. 2. S. Thomæ q. 1. art. 6. dubit. 2. concluſionem hanc ſecundam ponit: [Solius Pontificis Maximi eſt res, de fide Catholica definire, & eaſdem certò, & indubitanter proponere credendas.] quam ſacræ Scripturę Patrumque, atque aliorum Doctorum teſtimonijs probat. In ſolutione autem primæ obiectionis infallibilitatem, quam habent Epiſcopi in Concilio Vniuerſali, connexioni, quam habent cum Summo Pontifice, adſcribit, eamque Concilio, abſente Summo Pontifice denegat. [Infallibilis iſta aſſiſtentia Spiritus ſancti non eſt aliunde repetenda, quàm à promiſſione D. Petro facta. Vnde propter connexionem, quam ſupponimus dari inter Epiſcopos, & Pontificem Maximum, in Concilio Generali, ſtatuendum eſt, Epiſcopos illic congregatos nullo modo errare poſſe in rebus de fide decidendis. Si tamen fuerint congregati totius orbis Epiſcopi, abſente Pontifice Maximo, & eius Legatis, Epiſcopi ſubijciuntur erroribus.

Leonardus Coquæus, etiam Auguſtinianus, in Vniuerſitate Pariſienſi Doctor Theologus in Antimornæo tom. 1. pag. 83. [Quomodò igitur, inquit, ægrè ferunt (hæretici) nos Romanum Pontificem Concilijs ſuperiorem aſſerere, & Romano Pontifici, & Concilijs Oecumenicis in Spiritu ſancto legitimè congregatis tantum deferimus, vt nec illum, nec iſta, in definiendis, quæ ad fidem & mores pertinent, ac Regimen Eccleſię ſpectant, errare poſſe aſſeramus: nec quidquam toti Eccleſiæ proponere credendum: quod ſit erroneum; vt hæreticus, aut temerarius ille

fit

fit nobis, qui vel Romani Pontificis, vel Oecumenicorum Conciliorum statutis, ac definitionibus refragari audeat. Tomo autem 2. pag. 237. Cùm sedeat in Cathedra Petri, pro quo Dominus rogauit, vt non deficeret fides eius; & vt confirmaret fratres suos, non sinet eum ex illa Cathedra aliquem errorem loco fidei salutiferæ obtrudere fidelibus credendum.]

Heruęus Natalis Brito Ordinis Fratrum Prædicatorum Generalis in tract. de potestate Papæ, quem refert, & sequitur S. Antoninus Archiepiscopus Florentinus eiusdem Ordinis 3. p. Summæ Theologiæ tit. 22. cap. v. §. 3. probat necessitatem vnius Capitis in Ecclesia ex necessitate conformitatis in veritate fidei, & morum hoc modo: [In tota vniuersitate Christiana debet esse conformitas de his, quæ pertinent ad veritatem fidei, & bonos mores circa necessaria ad salutem. Sed talis conformitas non potest saluari, nisi in ordine ad vnum Caput, seu vnum Præsidentem, ad quem spectet sententiare, quid credendum, & quid non credendum. Ergo, &c.] An Christus constituens Summum Pontificem ad definiendas eiusmodi controuersias: [Pro tota vniuersitate Christiana, negauic, quæ necessaria erant, vt certa esset eius definitio, [circa necessaria ad salutem?]

Infallibile iudicium Papę in decidendis fidei controuersijs probat Michael Nauelerus Parisinus Doctor Sorbonicus in libris de Monarchia Diuina Ecclesiastica & sæculari Christiana, Parisijs anno 1622. editis, & Gregorio XV. ac Ludouico XIII. Regi Franciæ dicatis 2. part. lib. 4. cap. 5. 6. & 7. eamque communem esse in Scholis Theologorum sententiam asserit dicto cap. 4. his verbis: [Hęc illa communis sacræ sapientiæ Professorum, quæ docetur in Scholis, assertio, disceptationum, causarumque de fide, cursum, motumque Romani Pontificis in Cathedra Petri sedentis consopitum iudicio finiri.] Sic senserunt Doctores Gallicani aliqua schismatis, vel alterius dissidij occasione non exasperati.

Ita ad auctoritatem Ioannis Gersonij, eiusque sequacium, respondet Andreas Dovallius part. 2. q. 1. [Scio quidem, in re Pontificia, Alliacensem, Gersonium, & Almainum non esse tantæ auctoritatis, quia tempore schismatum floruerunt, & scripserunt, duo priores, quando tres se pro Pontificibus gerebant: postremus verò, nempe Almainus tempore Iulij II. & Conciliabuli Turonensis, quo Gallia sub Ludouico XII. à Sede Apostolica defecerat, &c.] aliam affert responsionem q. 4. ad 9. [Ioannes Gerson, inquit, Iacobus Almain, & Ioannes Major, celebres Scholæ Parisiensis Doctores, cum nonnullis alijs priuilegium infallibilitatis Pontifici denegarunt, sed illud ei concesserunt alij, quorum quidam multò sunt illis celebriores, vt D. Thomas 2. 2. q. 1. art. 10. Ad Summum Pontificem pertinet, ea, quæ sunt fidei, definire, vt ab omnibus inconcussa fide teneantur. Itemque D. Bonauentura singulare scholæ Parisiensis decus & ornamentum, & cuius doctrinam Gerson ad studentes in Collegio Nauarræ, miris laudibus ad cælum vsque extollit: Heruæus Armoricus, Henricus Gandauensis, & Ioannes de Celaia ambo, Societatis Sorbonicæ: itemque Doctores illi, qui in Comitijs scholæ Generalibus errores Malesoni condemnarunt his verbis: Ad sanctam Apostolicam Sedem pertinet, auctoritate iudiciali suprema circa ea, quæ sunt fidei, definire. Quo fit, vt iniquè Vigorius me tamquam scholæ Parisiensis desertorem, & veluti perduellem scriptis suis traducere, & proscindere præsumat, præsertim cum, vt in Elencho contra Richerium apertè significauimus nihil quidquam à Facultate Parisiensi contra Pontificis infallibilitatem vnquam sit definitum]

Ludouicus Bail in Apparatu ad Concilia quæst. 43. & sequent. non solùm iuxta Sancti Thomæ, quum supra declarauimus, mentem, sed & per ipsa eius verba respondet ad quæstiones de iudicio Papæ in quæstionibus fidei. Hunc, aliosque nonnullos citamus; quia licèt fortasse non tanti sint ponderis: tamen cùm Galli sint, Galliæ mentem testantur.

Denique tamen Vniuersitas Parisiensis nonnihil ab antiqua doctrina recessit; sed certis gradibus ac ferè inuita. Namque; adhuc mense Maio 1663. quo tempore ortum fuerat dissidium inter Alexandrum Papam & Regem Christianissimum, prodijt decretum, cum hoc titulo [: Declarationes factæ Facultatis apud Regem Christianissimum super quibusdam propositionibus, quas nonnulli ipsi voluerunt adscribere] Quintus articulus erat iste [: Doctrinam Facultatis non esse, quòd Summus Pontifex sit supra Concilium. Sextus: Non esse doctrinam, vel dogma Facultatis, quod Summus Pontifex nullo accedente Ecclesiæ consensu sit infallibilis] Hic Facultas modo negatiuo respondet, non esse doctrinam, &c. Apertiùs deinde locuta est in censura librorum Iacobi Vernant anno 1664. & Amedæi Guimenei anno 1665.

Nihilominùs antiquum vsum nondum immutauit, neque mutare suadentibus obtemperandum duxit, de quo vsu Andreas Duuallius [. Laudabilis, inquit, in Academia Parisiensi viget consuetudo, qua Baccalaurei de quæstionibus Theologicis solemniter responsuri protestationes, præmittunt, se nolle quidquam contra Decreta sanctæ Sedis Apostolicæ, & Romanæ asserere, aut defendere, & si quid in æstu disputationis aduersùs eiusmodi Decreta, illis exciderit vel ignorantiæ, vel immemoriæ, vel linguæ præcipiti attribuendum velle]

Auctoritati Vniuersitatis Parisiensis adiungenda est, quam illa tam frequenter implorauit, cuique vt primùm vltrò, ita deinde inuita, subiacuit, Senatus parisiensis auctoritas. Ille igitur Senatus ad Ludouicum XI. per Ioannem Lozellier Inquisitionum Cameræ præsidem, cuius oratio refertur à Petro Puteano inter tractatus de libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ, ita Regem alloquitur art. 20. [protestatur Curia vestræ Maiestati, se nullo modo, propter quæcumque inferiùs dicenda, velle excellenti sanctitati, dignitati, honori, & auctoritati nostri sancti Patris Papæ,

Papæ, ſanctæque Sedis Apoſtolicæ derogare, ſed contrà ei omnem honorem, reuerentiam, & obedientiam, quam omnes boni fideles Catholici ſupremo Eccleſiæ Paſtori præſtare tenentnr, ſicut veros filios Eccleſiæ Matri ſanctiſſimæ reddere, & exibere: proteſtans inſuper, ſi quid dictum, factumque à ſe fuerit, quod correctione egat, illud totum velle ſe omninò Eccleſiæ ſanctæ Apoſtolicæ, & Romanæ determinationi ſubmittere, quæ errare non poteſt iuxta Canonem:] A recta 24. quæſt. 1.

§. III.

Referuntur, ac refelluntur Aduerſariorum argumenta cum reſponſionibus, & concluſione ſuper iiſdem reflexiua.

DVplex ſupereſt expendendum partis aduerſæ argumentum. Vnum petitur ex hoc, quòd Papa errare ſaltem poſſit in iis, quæ ſunt Facti, qualia perſæpe coincidunt in quæſtionibus fidei decidendis, quod argumentum diſcutiemus in ſequenti §. IV. Alterum igitur in §. præſ. diſcutiendum occurrit, ex eo, quòd vix haberi poſſit certitudo de Papa eſſe legitimè, & Canonicè electum, nec adeò, ſi edat decreta fidei, vel morum, certi eſſe valeamus, ipſum vt Papam loqui ex Cathedra Apoſtolica.

ARGVMENTVM

Aduerſariorum.

OPponitur ex parte aduerſa. Fide tantùm humana conſtare, hunc in indiniduo hominem, v. g. Innocentium XI. eſſe legitimum, verumque Pontificem, ac in terris Chriſti Vicarium. At fides humana errori ſubeſt, fierique poteſt non eſſe legitimum Pontificem. Quid enim, ſi invalidè electus? Quid ſi non ritè baptizatus? Aut vnde nobis conſtat, ritè baptizatum electumque eſſe, niſi fide humana, quæ falli poteſt? Sic Ioannes VIII. ſic Formoſus veri Pontifices credebantur, & tamen euentus docuit illum fœminam fuiſſe iſtum non verum, ſed imaginarium Papam, & cuius acta à Stephano VI. omnia reſciſſa ſunt. Si ergo fide Dinina, & certa Innocentium Pontificem eſſe non conſtat, non etiam certa, Dininaque fide conſtabit, quæ ab illo decernuntur, certa eſſe, & ad dogma, ſi hoc declaret, ſpectare.

Reſponſio.

Auctor Regalis ſacerdotij citat. libr. 3. §. 9. n. 17. reſpondet. Hanc obiectionem nimium ſibi ſumere, & ſi quid probet, non in Pontifices tantùm, ſed in omnia Concilia, in totam Eccleſiam, & intima fidei Catholicæ viſcera graſſari. Si enim certa indubiaque fide non conſtat Innocentium XI. legitimum Papam eſſe; ergo nec Innocentium X. nec Clementem IX. nec Alexandrum VIII. nec Leonem, nec Agathonem, & Syluestrum. In omnibus enim, aut nulla ſubeſt dubitandi ratio, aut eadem. Si ergo Pontifices, & ab illis definita ſunt dubia; ergo etiam, quæ à Concilijs; nam hæc à Pontifice confirmatur, & ſinè Pontifice tam ſunt integra, quàm corpus capite ſuo truncum. Imò ex iiſdem cauſis, quæ tibi Pontifices, eorumque electiones dubias faciunt, ipſa etiam Concilia in dubium vocantur, quæ vt ſint legitima, multò pluribus, quàm Pontifices opus habent: dubio verò Pontifice, dubijs Concilij, dubijs etiam, quæ ab illis conſtituta ſunt: quid ſupereſt in fide certum? Fruſtra Ariana hæreſis, fruſtra Neſtoriana, Eutychiana Lutherana, Caluiniſtica, fruſtra omnes hæreſes damnatæ, nam vt tu dicis, incerti erant Papæ, incerta Concilia, incerta ab vtriſque decisa; quæ verò incerta ſunt, nec ad hæreſin, nec ad fidem pertinent, vt credi neceſſariò, negatiue debeant. Quod ſi nemo audet Concilia, quæ ab Eccleſia recepta ſunt in dubium vocare, imò qui hoc agir, æquè, ac qui Euangelia non recipit, hæreticus eſt, teſte D. Gregorio in cap. Sicut diſt. 15. idem de Pontifice Romano dicendum eſt, par enim, vt paulò ante notanimus, de vtriuſque eſt ratio. Et ſicut ad fidem non ſufficit credere aliquam in genere Eccleſiam, & non iſtam determinatam aut aliquas Scripturas ſacras, ſed non iſtas quas manibus terimus; ita nec ſufficit, aliquem in Eccleſia Chriſti Vicarium, aliquod Caput viſibile, aliquem Iudicem controuerſiarum, ſed non iſtum, quem Eccleſia elegit, quem Eccleſia colit, à quo leges, & decreta, ac in rebus controuerſis ſententiæ procedunt. Quando nauigabis, quando litem abſoluens, quando finem morbo imponens, ſi aliquem medicum veiis, ſed nullum certum, nullamque, quem poſſis digito oſtendere, nec iſtum, nec illum admittans? Sic peſſimè conſultum Eccleſiæ, peſſimè fidelibus, ſi Chriſtus nullum illis Pontificem dedit, cùm in morum, tum in fidei decretis certam fidei reberent certamque obedientiam. Nec in Eccleſia tot retro ſæculis, & hæreticis toties in Romam Sedem armatis, auditum aliquando eſt, hanc Pontificibus eorumque decretis exceptionem oppoſitam eſſe, quod videlicet non certò conſtaret, Leonem, Syluestrum, Damaſum legitimos Papas eſſe. Quanti, putas hoc inuentum Ariani emiſſent, vt Niceno Concilio litem inferrent, & quæ illic Patres deciderant, inania redderent? Sed hoc noſtro ſæculo, in quo tanta nouatum rerùm cupido eſt, vicimus antiquitatem, nouo artificio reperto, vt Papam ſine Papa, legem ſine lege, ſententiam ſine ſententia habeamus, hoc eſt, aliquem Papam, ſed non iſtum, aliquem Legiſlatorem, ſed non iſtum, aliquem Iudicem ſed non iſtum, nullumque certum, capta interim credendi, faciendique, quod placet, libertate.

Denique poſt Concilium Conſtantienſe vix intelligimus, quomodò negari poſſit certa fide hunc in indiuduo Pontificem pro

vero,

vèro, legitimoque habendum esse. sess. enim vlt. Martinus Papa sacro approbante Concilio, ab hæreticis, qui Ecclesiæ Catholicæ coniungi volunt, ante omnia exigendum esse dicit [Vt credant, Papam Canonicè electum, qui pro tempore fuerit, eius nomine expresso, esse successorem Petri, & supremam habere in Ecclesia potestatem] Supponit ergo Concilium, credi posse fide Diuina nec enim de alia fide, quàm Diuina hæretici sunt interrogandi hunc numero, & determinatum Pontificem legitimum esse Christi Vicarium; imò credi debere, nec enim, quæ credi non possunt, aut non debent, necessariò credenda sunt.

Obiectio.

Ex parte aduersa instari potest. Concilium loqui de Pontifice Canonicè electo: at non constare, Canonicè electum esse.

Responsio.

Si constare certa fide non potest, Papam Canonicè electum esse, cur ergo Concilium tam accuratè vult hæreticos de hoc interrogari? Erit enim otiosa, minimèque necessaria interrogatio, cùm sicut constare non potest esse Canonicè, & validè electum, ita nec legitimum Pontificem, Christique Vicarium. At Papam legitimè baptizatum, ordinatum, electumque esse, Deus numquam reuelauit, qui ergo credi potest? Imò tunc reuelauit, cùm tota Ecclesia Pontificem pro legitimo habuit, recepitque; vox enim, & testimonium Ecclesiæ, quæ falli non potest, vox est & testimonium Dei: sicut enim Deus nunc verbo, nunc litera, nunc miraculis, ita vocibus, & assensu Ecclesiæ loquitur; iuxtà illud Christi Domini pollicitum: [Non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis; ipse Spiritus docebit vos omnem veritatem.] Ad Dei ergo prouidentiam, eumque pertinet, vt Ecclesiam, quam voluit esse columnam, & firmamentum veritatis, in re tanti momenti errare non permittat, eumque pro Pontifice colere, qui Pontifex non est; aut si permittat circa personam ipsam Pontificis errare, non permittat tamen circa auctoritatem, hoc est, putatitio Pontifici eam ipsam auctoritatem, potestatemque, quam vero tribuat, quemadmodùm leges humanæ id ipsum in putatitio iudice, teste, & matrimonio statuunt. Leg. Barbarius. de offic. Præt. Leg. 3. in fin. ff. de suppellect. legat. Leg. 3. ff. ad S.C. M. §. 7. Instit. de testam. ord. Cap. Infamis. 3. q. 7. cap. penult. & vlt. qui filij sint legitimi.

CONCLVSIO.

Incertitudo Papæ nullatenus prætendi potest ad hoc, vt vocetur in dubium, an tamquam Papa loquatur ex Cathedra Apostolica, firmumque adeò, ac irreuocabile in rebus fidei proferat iudicium.

Explicatur ex præsentis quæstionis comparatione ad hanc quæstionem; [Vtrùm in Concilio Tridentino in fidei dogmatibus ab eo decisis, prorsùs standum sit tamquam Oecumenico, atque adeò infallibili, ac irreformabili?] In qua equidem quæstione habemus indubitatum fidei dogma de Concilij Oecumenici vicaria Christi auctoritate insigniti infallibilitate. At quomodo certi sumus particulariter circa Concilium Tridentinum in ijs, quæ Facti sunt, omnia Oecumenici Concilij substantialia interuenisse, ita vt nefas sit dubitare de hoc, quòd sit Oecumenicum. Ad hoc igitur obtinendum, oportet ex illo fidei principio descendere ad argumenta, prudentialis credibilitatis euidentiam non tam in via scientifica demonstratiuam, quàm prudentiæ voluntatis moraliter directiuam præferentia, vt sic prætacti in fide fundati principij applicatoria ad Concilij Oecumenici infallibilitatem credendam. Quod equidem prudentiale, credibilitatis euidentiam fundare aptum argumentum, debet anterius esse, quàm vt propositio de Concilij legitimitate, fidei auctoritate potiri valeat. Neque verò firmius talem, eamque supernaturalem credibilitatis prudentialis euidentiam, practicam subministrans, & ad illud fidei principium sub prudentiæ infusæ certitudine applicans argumentum occurrit, quàm ex consensione Ecclesiæ, Concilium Tridentinum, dogmatibus fidei tamquàm Oecumenicum, & legitimum vniformiter recipientis. Quemadmodùm igitur de anterioribus Concilijs Oecumenicis ex historijs luculentissimis communi fidelium consensu comprobatis, sic de Concilio Tridentino communi Ecclesiæ cum Capite consensione, ceu Oecumenico habito, extat eiusmodi in linea prudentialis euidentiæ etiam supernaturalis, fundamentum practicè certissimum, sub quo ad prætactum de Synodi Oecumenicæ per Christum sancita infallibilitate fidei principium, eatenus subsistat valida applicatio, vt iam nefas esset de talis Concilij etiam in particulari spectati, infallibilitate vllum habere dubium. Pari proinde ratione circa Pontificis in indiuiduo certitudinem in præsentis causæ statu esse statuendum, mox patebit ex subsequentibus.

PROBATIO II.

Qua oſtenditur, non tantùm quoad ſe, ſed etiam quoad nos immediatè, ac formaliter eſſe de fide Diuina, hunc hominem in indiuiduo, nempè Innocentium XI. eſſe Summum Pontificem, ſicque adeò certiſſimo niti fundamento, quòd in cauſis fidei ſanciendis, quæ Pontifex ex Cathedra Petri Apoſtolica decernat.

DVo namque ſunt, quæ Eccleſia acceptat in Pontifice, alterum, quòd hic, & nunc in particulari ſit regula fidei infallibilis alterum, quòd acceptat ipſum tamquam Caput, cui vniuerſalis Eccleſia vnitur. At inprimis eſt impoſſibile, quòd Eccleſia erret in acceptanda quacumque fidei regula, ſiue ſit definitio Concilii, ſiue liber aliquis Canonicus, ſiue Traditio aliqua. Pari ergo ratione eſt impoſſibile, quòd Eccleſia erret, acceptando Summum Pontificem in particulari tamquam ſupremam, & animatam in fidei rebus proponendis regulam.

Neque ſimile eſt de proponente proximè res fidei, & prædicante eas, quem non tenemur credere de fide, quòd ſit legitimus Euangelij Miniſter, cùm non ſe habeat tamquam regula determinatiua rerum fidei, ſed ſolùm vt Miniſter alijs intimans ea, quæ credenda ſunt, nec proinde illi, qui credunt ab ab illius auctoritate, ſed ex eorum, quæ proponuntur, credibilitate mouentur, cuiuſmodi credibilitas, niſi innoteſcat audienti, nulla ſtringit credendi obligatio. At ſecus eſt in Summo Pontifice, vtpote qui proponit res credendas tamquam fidei regula, & iudex determinans, quænam ſint credenda, ſicque ex ipſius auctoritate obligatur homo ad credendum. Neceſſum igitur eſt, quòd fideles ſint certi, Summum Pontificem, cuius eſt definire, ac regulare res fidei, habere auctoritatem illas regulandi & definiendi, cùm ſi dubitari poſſet de auctoritate eiuſdem in particulari, ac indiuiduo ſpectati, fideles haud certi redderentur, dogma definitum eſſe de fide.

Deinde Eccleſia acceptando Summum Pontificem, ſe illi vnit, ac ſubicit, tamquam ſupremo Capiti viſibili. At non eſt iſtud Caput viſibile, niſi quà determinatum in particulari. Oportet ergo, Eccleſiam Summi Pontificis electionem pacificè factam acceptare in hac determinata perſona, ſicque huic Pontifici in indiuiduo ſe vnire, ac ſubjicere, tamquam ſupremo viſibili Capiti. Atqui hoc ipſum eſt, determinare infallibiliter, quòd iſte homo ſit Caput Eccleſiæ, ſi quidem tota Eccleſia, quæ errare non poteſt, in exercitio ſe illi vniat tamquam ſupremo viſibili Capiti, vnde ſchiſmatici habentur, quotquot ipſum non recognoſcunt. Perinde igitur eſt, quòd Eccleſia vniuerſalis in actu ſignato dicat ac definiat, [Hic homo eſt verè, ac legitimè Pontifex,] ac ſe ſe vniendo, & ſubjiciendo illi, tamquam Capiti, in ipſo exercitio id aſſeueret. At iſta Summi Pontificis ipſo ſaltem exercitio quà legitimi acceptati determinatio verſatur in materia fidei, quòd nempe hæc vniuerſalis Eccleſia ſit vnita ſuo viſibili Capiti, quo ſublato, rueret profectò totum, quod credimus de Eccleſia, quòd nempe hic & nunc ſit vera & Catholica Neceſſarium ergo eſt, quòd ipſa Eccleſiæ circa hanc materiam determinatio, in vi cuius [hic homo in indiuiduo recognoſcitur ſupremæ Eccleſię vniuerſalis Caput viſibile, ſit de fide.

Obiectio.

Ex parte aduerſa excipi poteſt. Vim illius argumenti vltimatè reduci ad iſtud punctum, quòd nempe Eccleſia in rebus fidei errare haud poſſit, ſit autem res fidei quòd, quælibet fidei regula debeat habere fidei certitudinem, quòdque Eccleſia Catholica debeat eſſe vnita ſupremo Capiti viſibili. Hæc ipſa verò principia, oportere, vt ſint fundamentum determinationis Eccleſiæ. Hanc igitur non tam ex ſe ipſa ſancire illud dogma, quòd hic homo in indiuiduo ſit Summus Pontifex, quàm declarare illud in certo aliquo fidei fundamento iam præcontentum. At in illa argumentatione non explicari, quódnam ſit iſtud fundamentum, & quo, ſeu ſcripto, ſeu non ſcripto Dei verbo formaliter immediatè ſit expreſſum. Illam ergo argumentationem haud efficacem eſſe ad conuincendum præſens dogma fidei.

Reſponſio.

Hanc exceptionem nullius eſſe roboris, oſtenditur ſequenti argumento. Nam Oecumenica cum infallibilitate per Chriſti orationem firmata, Petræque, aduersùs quam portæ inferi præualere haud poſſent, munimento roborata, Petro promiſſa, ſub Paſtoralis vniuerſalis munere charactere actualiter randem conceſſa auctoritas, eo ipſo: quòd ex Chriſti Domini verbis noſcatur coniuncta cum Eccleſiæ ſanctæ perpetuitate: per ipſam fidei certitudinem dignoſcitur in Petri perſona minimè exſpitaſſe, ſed ad legitimum pro quouis tempore ſucceſſorem tranſire, ex Diuinaque conſtitutione natam eſſe. In quo adeò Diuinitus conſtituto fidei principio expreſsè formaliter habetur contenta iſta veritas, quod Petri ſucceſſor eadem prorſus potiatur Oecumenica auctoritate. Quare vt veritas illa applicetur ad particularem quāpiam Petro legitimè ſuccedentem perſonam, opus equidem eſt ſubſumptione particulari; per quam conſtet iſta ſucceſſio legitima: hæc tamen ſubſumptio perſonæ particularis ad Summum Pontificatum applicatiua, non intrat fidei motiuum, ſed eſt fundamentum prudentialis dumtaxat credibilitatis euidentiæ. Hac proinde ſtante, illud fidei principium eatenus eſt applicabile ad hanc Petro legitimè ſuccedentem perſonam indiuiduam

vt ista qua Petri successor in ordine ad hoc, quod Oecumenicus Ecclesiæ Pastor, ac ex auctoritate Diuinitus constituta Summus Pontifex pronuntiatur, iam subeat vices obiecti materialis fidei, cui nempe Veritas Diuinitus reuelata sit verè, ac realiter applicabilis At eo ipso, quòd ista ad fidei principium applicatio fiat per Ecclesiam, quæ errare non potest in rebus fidei, redditur consequens, applicationem eiusmodi esse infallibilem. Hac verò stante, propositio illa: [Hic in indiuiduo est Summus Pontifex,] per modum obiecti materialis sub illo Diuinitus constituto fidei principio eatenus iam repræsentatur voluntati, piæ ad credendum affectionis virtute instructæ, vt hæc prudenter possit, imò debeat ex fidei proprio motiuo imperare fidei assensum, intellectumque adeò captiuare in fidei obsequium. Constat igitur, propositionem illam; qua sub præuia Ecclesiæ acceptatione, hic homo in indiuiduo dicitur Summus Pontifex, esse credendam fide Diuina.

Iterata Obiectio.

Replicari potest ex parte aduersa Minimè deesse aliqua fidei principia generalis de Christo v. g. realiter existente sub speciebus Eucharisticis ritè consecratis: neque tamen tamen particulares propositiones tali generali fidei principio contentas, mediante prudentiali aliqua credibilitatis subsumptionem hinc deductas, esse fide Diuina credendas, veluti pateat de istis speciebus Eucharisticis in particulari, sub quibus Christum realiter constitutum esse, nulla est credendi obligatio. Cur ergo id peculiare foret de propositione illa, qua hoc indiuiduum dicitur Summus Pontifex.

Responsio.

Neque hanc exceptionem alicuius esse valoris mox demonstratur. Nam duplex distinguenda est prudentialis ratio, per quam sub principio vniuersali Diuinitus constituto subsumere oportet particularem aliquam propositionem in illo præcontentam. Alia enim habet in se pondus alicuius euidentiæ saltem practicæ, constringentis adeò voluntatem piæ ad credendum affectionis virtute instructam. Alia verò est intra limites meræ probabilitatis, nullam plerumque in voluntate inducentis obligationem, huic tamen quandoque saltem prælucentis in tantum, vt ex motiuo etiam supernaturalis cuiuspiam virtutis possit ex tali prudentiali, solùm licèt probabili, ratione exerceri actus moraliter bonus, sic enim sub hisce etiam in indiuiduo exhibitis speciebus Eucharisticis (quarum tamen consecratio in particulari nobis non nisi probabiliter constare potest) rectè adoratur Christus Dominus. At verò stante pacifica huius in indiuiduo Summi Pontificis electione, per vniuersalis Ecclesiæ in materia fidei errare haud potentis vniformem acceptationem, non potest credibilitatis ratio non stare cum euidentia practica, constringente adeò, & obligante fideles quosque ad illam de istius particularis hominis summo Pontificatu enuntiatiuam, sub præinsinuato Diuinitus constituto principio ad fidei motiuum applicandam propositionem. Secùs res se haberet pro aliquo casu, quo contingeret Summi cuiuspiam Pontificis electionem ab Ecclesia vniuersali non esse vniformiter acceptatam, tunc enim potest equidem fieri, vt varia illucescant, probabilitatis tamen sphæram haud supergredientia, legitimæ super hac indiuidua persona ad Summum Pontificatum electionis fundamenta. In quo adeò statu nequit esse obligatio constringens ad credendum, sciscitari tamen licet, [An sub tali prudentiali ratione possit locus esse fidei supernaturalis actui.

Cuius quæstionis resolutio pendet ex duplici morali principio alibi iam discusso. Alterum est, quòd stante probabili circa materiam moralem ratione, ex instinctu Diuino superstrui possit iudicium prudentiale supernaturale, per quod virtutis cuiuspiam infusæ motiuum formale applicari possit tali morali materiæ. In vi cuius adeò applicationis per Spiritus sancti directionem factæ, stat moralis practica certitudo honestatis, etiam supernaturalis hic & nunc sub tali obiecto repræsentatæ directiua. Alterũ morale principium est, licèt tale practicũ supernaturale iudiciũ materiæ probabili superstructum sufficiat ad virtutis moralis voluntari inexistentis actum dirigendum, honestatemque supernaturalem sub moralis bonitatis puritate amplectendam: nihilominùs speciale hoc esse in fidei actu, vt Spiritus Sanctus non cooperetur ad efficax in fidei obsequium captiuans imperium, si materia secundùm probabile iudicium substrata Diuinæ reuelationi, huic non re ipsa subiaceat: quippe cùm Primæ Veritatis, reuelationisque Deo purè immanentis ratio debeat intelligibiliter formatrix esse veritatis Diuinitus reuelatæ, vt sit ad fidei assensum applicabilis, nec adeò locus esse possit fidei Theologicæ formali ex Prima Veritate reuelante subsistenti motiuo, vbi non re ipsa subsistit veritas obiecti materialis, Diuinitùs reuelati.

Quo adeò duplici morali principio præsupposito, facile est, concludere, quid in præsentis quæstionis statu asserendum sit. Vbi namque non est certitudo per Ecclesię vnanimem acceptationem consistens de cuiuspiam indiuiduæ personæ Summo Pontificatu, tunc quantumuis grauia subsint, vel auctoritatis doctorum hominum, vel rationum humanatum momenta, nequit illa vniuersalis reuelatio, per quam Petri legitimus Successor ex fide Diuina noscitur Summi in Ecclesia Pontificatus auctoritatem à Christo constitutam obtinere, hæc inquam, Diuinitus reuelata propositio nequit pro tali statu per Spiritus sancti instinctum, mediante fidei actu applicari ad hanc indiuiduam personam, nisi in ipsa rei veritate subsistat successionis legitimitas. In quo tamen casu iudicium illud probabile duo præstare potest, quorum vnum est, qui sub tali probabilitate operatur, post quam conquisitione captui suo proportionata facta, veritatem certò comperire non potest, saltem non peccet: alterum est, vt ipsum-

 niet

met etiam Vicariatus Christi characterem, cum reflexione adeò in ipsummet Christum reducta, Religionis etiam supernaturalis actu colere possit: sicque adeò virtutis moralis Religionis, non autem fidei infusæ actum supernaturalem exercere possit sub illo probabili iudicio, dum Summi Pontificatus in hac indiuidua persona veritas re ipsa non subsistit.

Replicata Obiectio.

Ex parte namque aduersa instari potest. In hac propositione, quòd Innocentius XI. sit legitimus Papa, supponi non tantùm electionem ipsius esse legitimè factam, sed habere etiam capacitatem requisitam ad talem dignitatem. At tam istam pendere ex multis circumstantijs, quæ facti sunt, quàm illam dependere ex eo, quòd sit baptizatus, alijsq; affectus conditionibus de se merè contingentibus. Quomodò igitur de huius Papæ in indiuiduo Oecumenica auctoritate, dependente ex eiusmodi merè contingentibus circumstantijs, certum fidei iudicium haberi potest?

Responsio.

Verum equidem est, vt sit de fide, hunc in particulari esse Papam, supponi legitimam electionem. Quemadmodùm tamen fides non est formaliter discursiua, sic electio huiusmodi respectu illius propositionis, quatenus est de fide, minimè habet se per modum principij illatiui. Sed præsupponi debet in ordine ad prudentiale credibilitatis iudicium, sub quo particularis ea propositio applicanda venit ad reuelationem vniuersalem, qua Diuinitus constitutum noscitur, vt legitimus Petri successor pro perpetuis Ecclesiæ temporibus sit huius Pastor Oecumenicus cum indefinita ligandi, ac soluendi auctoritate, Petræ etiam firmitatem portis inferi superiorem obtinente. Neque verò ipsissima illa electio, ex se præcisè fundat illud credibilitatis iudicium, quam simpliciter constringens ad fidei assensum ei particulati de huius indiuiduæ personæ Papatu, enunciationi præstandum, sed obligationis huius efficacia perfecta stat ex Ecclesiæ acceptatione per Spiritus sancti efformationem in mente fidelium fundante infallibilem iudicij credibilitatis certitudinem practicam. Vnde liquidum iam euadit, neque ipsum fidei assensum de huius indiuiduæ personæ Papatu præstitum, neque præuium credibilitatis iudicium in substantia supernaturale, formaliter pendere ex conditionibus merè contingentibus: quamquam huiusmodi conditionum genus tum de modo electionis, tum de capacitate electi, taliter præsupponi debeat, vt respectu tamen prædicti credibilitatis iudicij supernaturalis, se habeat solùm Materialiter, ac dispositiuè.

Obiectionis vlterior instantia.

Hæc namque propositio: [Iste homo in particulari est Summus Pontifex,] in sua veritate essentialiter pendet ab illa præmissa: [quòd iste homo sit ritè electus,] siue quòd ipsi per electionem legitimam sit applicatus summus Ecclesiæ sanctę Diuinitus constitutus Papatus. [At quòd hic homo sit ritè electus ad Papatum,] non est notum per fidem Diuinam, seu per reuelationem Dei, definitionemque Ecclesiæ, aut Traditionem, sed solùm per moralem quandam certitudinem, eligentium, declarationem innixam. An non igitur dicere fas sit, eam propositionem non nisi mediatè de fide esse, quatenus scilicet ex vna de fide, altera verò propositione moraliter dumtaxat certa infertur?

Responsio.

Verùm certitudo moralis, qua constat de legitima huius personæ in Papam electione, dupliciter se habere potest ad propositionem huius in particulari Papatus enunciatiuam: primò per modum principij illatiui, Vt sic autem assensus tali enunciationi præstitus, haud est fidei, sed ad summum Theologicus. Secundò igitur certitudo illa se habere potest ad eam propositionem per modum fundamenti solùm Materialiter, ac Dispositiuè concurrentis ad credibilitatis de tali propositione iudicium prudentiale, Spiritus Sancti efformatione traductum ad statum supernaturalitatis, eo modo, quo superiùs explicatum fuit. Vt sic proinde ne quidem moralis illa certitudo, etiam qua per Ecclesiæ acceptationem sublimata, & per Spiritus sancti efformationem ad statum supernaturalitatis traducta, vel partialiter, ac inadæquatè intrat motiuum fidei assensus, super hoc particulari Papatu præstandi specificatiuum, sed ad istum se habet solummodò per modum principij, piæ ad credendum affectionis directiui.

Reiterata obiectionis Instantia.

Instari namque potest ex parte aduersa. Iudicium credibilitatis super huius indiuiduæ personæ Papatu, fide Diuina credendo, fundari in sanctæ Ecclesiæ vnanimi acceptatione. At de istius acceptationis vnanimi Ecclesiæ consensu vix haberi posse infallibilitatem. Vnde namque hæc vnanimitas constare potest, nisi vel ex fidelium erga talem Pontificem Religiosa submissione, vel ex Electorum Cardinalium in hanc personam conuenientium consensione pacifica; quam per hominum ad nos traductam relationem vix maiori, quàm morali certitudine ad nos deferri posse. Quare non patere, quomodò ad fidei infallibilitatem morali certitudine longè sublimiorem, pertingere possit propositio, huius indiuiduæ personæ Pontificatum pronuntians: maximè cùm aliquando contigerit, fœminam eligi Papam. Et quis negarit, simoniacè, atque adeò nulliter Papam ele-

electum, posse in tantum acceptari, vt, quia simonia est prorsus occulta, nullus sit, qui reclamet, in quo adeo casu cum acceptatione etiam vniformi, in persona taliter electa stabit nullitas Summi Pontificatus.

Responsio.

Verùm in promptu est sequens responsio. Etenim quæ ex humanis probabilibus argumentis circa maximam Ecclesiæ in hac indiuidua persona ad Pontificatum assumpta consensionem, resultat moralis certitudo; se habet solùm materialiter ad prudentiale iudicium fidei assensus directiuum. Eiusmodi proinde humanis argumentis se habentibus solùm Dispositiuè, & Organicè, Spiritus sanctus per interiorem mentis formationem superstruit certitudinem prudentiæ infusę commensuratam, ex infallibilitate Ecclesiæ, hanc indiuiduam personam in Summum Pontificem vnanimiter acceptantis, efformatam. Ex qua etiam Ecclesiæ infallibilitate oportet, ipsam ita circumuallari Spiritus sancti assistentia, vt minimè permittat Ecclesiæ, vnanimi consensione acceptari in Papam, cuius electio ex quocumque defectu substantiali non esset legitima. Vnde stante tali acceptatione Ecclesiæ, sub prima etiam prudentiali supernaturalis iudicij assertione, iam subest practica, in substantia tamen supernaturalis, certitudo de electionis legitimitate, deque vniuersis adeò substantialibus ad Oecumenicum Papatum requisitis conditionibus. Vbi verò ad illud prudentiale supernaturale credibilitatis iudicium consequitur fidei assensus, ex ipsa prima veritate, Petri successorem legitimum, Christi Vicaria Oecumenicæ Ecclesiæ sanctæ Pastoris pro perpetuis temporibus auctoritate Diuinitus dotatum, pronuntiante specificatus tunc iste fidei actus sub ipsissima isthac vniuersali reuelatione Diuina, cen formali suo motiuo per modum obiecti materialis complectitur indiuiduas quoque tam personæ ab Ecclesia sic acceptatæ, quàm Electionis legitimitatem, atque adeò ad istam Oecumenicæ prærogatiuę capacitatem requisitas, vti, & alias quasque substantiales conditiones. Vnde ipsa etiam fidei certitudo tunc transfunditur in cunctas de natura sua quidem contingentes, dicto tamen fidei actui per modum obiecti materialis substratas, conditiones indiuiduantes.

Vltimata obiectio.

Vrgeri adhuc potest ex parte aduersa. Difficile adhuc esse, determinare, pro quo tempore ista Ecclesiæ acceptatio ita incipiat esse sufficiens, vt propositionem, [Hic indiuiduo est Summus Pontifex,] constituat in statu, in quo sit de fide.

Responsio.

Verùm stante concordi Cardinalium electione, iam subsistit moralis certitudo Dispositiuè, & materialiter apta, super quam Spiritus sancti efformatio in mente fidelium struat prudentialis credibilitatis iudicij certitudinem supernaturalem. Vbi verò istius electionis ad Ecclesiam propagatio in eo iam est statu, vt ipsi non contradicatur, crescit iam moralis, ista certitudo: perficitur autem, atque in statum ad fidei assensum sub præsuppositæ vniuersalis reuelationis Diuinæ ad hanc personam applicatione cunctos Christi fideles constringentem reducitur, vbi positiua Ecclesiæ, eiusque Prælatorum acceptatio vnanimis succedit.

PROBATIO II.

Qua ostenditur, quàm sit generalis in Ecclesia consensus de irreformabili iudicio Romani Pontificis in fidei quæstionibus.

HAnc probationem pertexere, operæ pretium est visum ex ipsismet verbis Auctoris tract. de libert. Eccles. Gallic. cit. lib. 7. cap. 13. hunc in modum differentis. Communis adeò est hæc doctrina de infallibili Romani Pontificis iudicio in quæstionibus fidei, vt hanc ipsam conditionem habere videatur, qua cū Illustriss. Præsules Gallicani iudicium illud irreformabile esse profitentur; vt scilicet Ecclesiæ vniuersæ consensus accesserit. Etenim tot, tantique Doctores ex omni natione, ex omni facultate, ex omni ordine tam defenderunt, vt nesciam quid, ad eam toti Ecclesiæ abscribendam, desideretur.

Eorum Cathalogum texuerunt multi, præsertim Theophylus Rainaudus in opusculo inscripto *autòs èpha*, vbi, puncto scilicet 2. hanc esse totius Societatis Iesu sententiam affirmat, enumeratis quamplurimis eius Doctoribus, quorum multi tempora controuersiarum occasione libri Cornelij Iansenij motarum antecesserunt, ne putes, eam à Societate, ad faciliorem Iansenij oppugnationem aduocatam, sed veritatis, & religionis studio iam olim delectam. Eamdem cum D. Thoma tuetur Ordo Dominicanorum, & alij quasi certatim: quamuis priuatus aliquis Principibus addictus à Maiorum, ac Fratrum, semita interdum recedat.

Iam supra monuimus. D. Petrum de Marca testari, eam omnibus Vniuersitatibus esse communem, contrariam autem, quam antiquis tantum Parisiensibus (puta Gersonio, & eius coætaneis, aut supparibus) tribuit, solùm ab Ecclesia tolerari. Emissus fuit in lucem anno 1682. liber cum hoc titulo [Doctrina, quam de Primatu, auctoritate, & infallibilitate Romani Pontificis tradiderunt Louanienses sanctæ Theologiæ Professores tam veteres, quàm recentiores] in quo quàmplurimi enumerantur. Sperandum est idem à cæteris Academijs præstandum. Porrò Louaniensis ita iudicium Papæ reformabile esse non censuit, vt tanquam fidei regulam proposuerit anno 1544. nam inter articulos

ticulos circa fidem orthodoxam editos, iste vigesimus quintus est: [Certa fide tenenda sunt non solùm, quæ Scriptura expresſè sunt prodita, ſed etiam, quæ per traditionem, Ecclesiæ Catholicæ credenda accepimus, & quæ definita sunt ſuper fidei, & morum negotij per Cathedram Petri, vel per Concilia generalia legitimè congregata]

Doctoribus iam adductis paucos adiungemus, qui vel Galli, vel à Launoio eitati, vel pietate ac Doctrina conſpicui extiterunt. Scribebat Alexandro III. Petrus Blesensis epist. 68. [Sicut eminentiam Apostolicæ Sedis Magistram omnium Ecclesiarum profitemur: sic ab ipsa consilia in ambiguis in angustijs solita, responsa in dubijs expectamus] Si erraret Magistra omnium Ecclesiarum, errarent omnes Ecclesiæ, atque adeò vniuersa Ecclesia, quæ nonnisi ex illis constat, vt ſæpe notauimus. Similiter Hugo, seu Vgo de Sancto Caro à Launoio citatus sic interpretatur hæc verba Ioannis vlt. [Dicit Simoni Petro Iesus. Nota, quòd specialiter loquitur Petro soli, alios præteriens. Cur hoc? Respondemus. Eximius Apostolorum erat Petrus, & os Apostolorum, & vertex Collegij. Ideo & Paulus ascendit videre Petrum prę alijs. Galat. 1.] Ita ergo Petrus erat vertex Collegij, vt prętermissis alijs, eum solum, tamquam Collegium integrum repræsentantem, Christus alloqueretur: ita erat aliorum os, vt pro omnibus respondere posset, alijs etiam non consultis.

Augustinus Triumphus sanctorum Thomæ, ac Bonauenturæ parisijs discipulus, deinde in eius vrbis Academia Doctor, ac denique Professor, de potestate Ecclesiastica quæst. 10. art. 3. sic scribit [Papam posse aliquid addere supra illa, quæ sunt fidei, dupliciter potest intelligi, vel quantum ad dubiorum interpretationem, vel quantum ad occultorum, & implicitorum explicationem. Vtroque modo potest Papa aliquid addere super illa, quæ sunt fidei, quia si aliqua sunt dubia, & obscura in fide, ad eum pertinet interpretari, & determinare. Post cuius determinationem hæreticum esset, contrarium pertinaciter asserere]

Nicolaus Liranus ad hoc verbum, Confirma. Lucæ. 18. addit: [Hoc dicit ei (Petro) quia Ecclesia erat sibi committenda, vt habetur Ioannis vlt. vbi ter dicitur ei à Christo. Pasce agnos meos. Ex hoc etiam patet, fidem non deficere vsque ad finem mundi in Ecclesia Romana, quę à Petro post Christum fundata est.

Dionysius Carthusianus, cuius etiam auctoritate vtitur Launoius, in hæc verba: [Ego autem rogaui pro te, item, inquit, quoniam Petro specialiter fuit Ecclesia committenda. Vnde, quod dicitur, vt non deficiat fides tua, exponitur, vt non deficiat fides Ecclesiæ tibi committendæ. Hactenus videtur Ecclesiæ tantùm vniuersæ indeficientem fidem adstruere, ſed ecce vnde in reliquas Ecclesias hæc fidei firmitas deriuetur; [Sicque ex verbis his sumitur argumentum, quod fides Romanæ Ecclesiæ, quam in ea Petrus plantauit, sit vsque in finem ſęculi duratura.

Quoniam Launoio Dominicum Bannes tamquam sibi fauentem adducere placuit, referamus eius hac de re doctrinam, ex qua cuncta, quæ hactenus dicta sunt, confirmantur. Bannes igitur in 2. 2. Sancti Thomæ quæst. 1. art. 10. has ponit conclusiones. Conclusio prima. [in publico fidei iudicio non est distinguenda Sedes ab Apostolico Præside, vel Summo Pontifice, neque Romana Sedes à Pontifice Romano] Vide iam quomodò faueat Launoio illum citanti, vt probet Christi orationem pro Petro factam, ne fidem vnquam ammitteret, quantumuis tentaretur à diabolo, ſed in ea, & gratia Dei tum demùm perseueraret, quasi vltra processurus non esset orationis effectus. Hæc est quarta conlusio: [In publico fidei iudicio non potest Summus Pontifex errare. Hanc conclusionem asserit Diuus Thomas; [& citatis multis alijs Auctoribus subiungit: [Quo circa arbitror, hanc conclusionem tamquam Apostolicam traditionem esse tenendam. Et quidem, vt talis haberetur ab omnibus fidelibus, nisi à tempore Concilij Constantiensis in agro Domini inimicus homo, id est diabolus, Zizaniam superseminasset. Etenim vsque ad illa tempora soli Græci errabant in hac parte. Atque ita Dominus Thomas in Opusc. citato hunc errorem tamquam Græcorum singularem narrat. Et procul dubio, si quæstio hæc ad Concilium deferretur, non dubito, quin prædicta conclusio definiretur, tamquam vera fides]

Non magis faueat Launoio Maldonatus, cuius etiam testimonio vsus est. Maldonatus enim super verba multoties repetita. [Ego autem rogaui pro te, &c. sic scribit: Quodque dicit Petro, eius quoque Successoribus, totique Ecclesiæ dictum putandum est; tamque certi debemus esse successorum Petri, totiusque Ecclesiæ fidem non defuturam, quam certi sumus eius, cùm tentatus est, fidem non defecisse.] Obscuritatem forsassis pareret totius Ecclesiæ cum Petro in illis verbis coniunctio: Sed eam tollunt, quæ sequuntur: [Itaque rectè ex hoc loco antiqui, grauesque Auctores collegerunt, Ecclesiæ Romanæ, & successorum in ea Petri fidem fore perpetuam. Omnis enim Ecclesiæ fides asserebatur in Petro, qui Ecclesiæ Caput futurus erat. Et super hæc verba: Et tu aliquando, &c. Hinc demùm manifestum est, nec de illo solùm tempore, quo negauit Petrus, nec de illo solùm Petro, ſed de omnibus eius Successoribus loqui Christum: Nec enim tempore passionis cæteros Apostolos Petrus confirmauit, sed confirmandi alios necessitas perpetua futura erat. Itaque in persona Petri omnes Petri successores iubet fratres in fide seruare. Quomodò firmare possunt, si errare ipsi possunt? Propterea enim Christus pro fide orauit Petri, ne deficeret, vt alios confirmare posset, intelligens, alios confirmare non posse, si eius fides defecisset. Id etiam significat illud, aliquando, id est, si quando opus erit, si quis in fide aliquando nutabit [

Si extra Galliam Auctores quæreremus Gallis opponendos, qui tempore Concilij

Con-

Constantiensis doctrinam innexerunt auctoritati Romani Pontificis aduersam, non defuturi essent, qui nec doctrina inferiores, & vitæ sanctitate Ecclesiæ iudicio essent superiores. Sanctus Thomas Archiepiscopus Cantuariensis, celeberrimus libertatum Ecclesiæ defensor, & Martyr, epist. 97. edit. P. Christiani Lupi, quæ est ad omnes Episcopos Angliæ. [Quis Romanam Ecclesiam, inquit, Caput omnium Ecclesiarum, & fontem Catholicæ doctrinæ ambigit esse? Quis claues regni cælorum Petro traditas esse ignorat? Nonne in fide, & doctrina Petri totius Ecclesiæ structura consurgit, donec occurramus omnes Christo in virum perfectum, in vnitatem fidei,& agnitionem filij Dei? ..... Quicumque sie, qui rigat, aut plantat, Deus nulli dat incrementum, nisi illi, qui plantauit in fide Petri, & doctrinæ ipsius acquiescit, &c. Et epist. 125. quæ est ad Gilbertum Londoniensem Episcopum [Solus infidelis, aut qui eum errore superat; hæreticus, aut schismaticus, Apostolicis obtrectat obedire mandatis Vide epist. 69.]

Circa ipsasmet tempora Concilij Constantiensis floruerunt, Italia præsertim, sanctissimi, doctissimique viri, qui Romani Pontificis auctoritatem strenuè propugnauerunt, quos inter sanctus Antoninus Archiepiscopus Florentinus in Summa Theologica par. 4. tit. 8. cap. 3. §. 5. irreformabile declarat iudicium Papæ his verbis [Licèt Papa in particulari errare possit, vt in iudicialibus, in quibus proceditur per informationem, aliàs in his, quæ pertinent ad fidem, errare non potest, scilicet, vt in determinando, etiamsi, vt particularis, & priuata persona. Vnde magis standum est sententiæ Papæ de pertinentibus ad fidem, quam in iudicio proferret, quàm opinioni quorumcumque Sapientium. Papam autem Concilio superiorem esse, pluribus probat, in 3. parte.

Beatus Ioannes de Capistrano de Papæ, & Concilj, siue Ecclesiæ auctoritate 3. parte. 2. Principalis, eamdem superioritatem, quæ infallibilitatem iudicij circa fidem necessariò supponit, adstruit varijs rationibus, quarum vna hæc est; [Succedit, inquit, namque Papa loco Petri in eadem perfectione potestatis, & Vicariatus dignitate, qua, & ipse B. Petrus à Christo fuit in vniuersali Ecclesia sublimatus.

§. IV.

Nostratis sententiæ ex Vniuersalis Ecclesiæ praxi desumpta argumenta referuntur, ac expenduntur, vnà cum conclusione super iisdem reflexiua.

HÆc praxis ostendi potest tum argumentis in actu quasi signato eam ostendentibus per SS. Patrum, imò & summorum Pontificum, nec non Conciliorum (de quorum hanc in rem sensu disseruimus præcedente disquisitione) sententias: tum in actu quasi exercito eamdem demonstrantibus argumentis inferiùs adducendis.

ARGVMENTVM I.

AVctor Regalis Sacerdotij cit. lib. 3. §. 5. Patrum vnanimem pro Pontificis infallibilitate consensum in actu quasi signato probat ex testimonijs tum SS. Irenæi, Cypriani, Ambrosij, Augustini, & Innocentij: tum SS. Hieronymi, Cyrilli, Theodoreti, Ioannis Patriarchæ, Tertulliani, Flauiani Patriarchæ, Patrumque Tarraconensium: tum SS. Fulgentij Agapiti, Gregorij Magni, Sophronij Patriarchæ, Theodori Studitæ, Ignatij Patriarchæ, Patrum Concilij Mileuitani Episcoporum Dardaniæ, & Lucij PP. tum SS. Leonis IX. Gelasij, Cyrilli, Anselmi Cantuariensis, Ruperti Tuitiensis, Bernardini, Bernardi, Thomæ Aquinatis, & Stanislai Hosij: tum omnium ferè totius orbis Christiani Doctorum etiam Galliæ, adducendo quorumdam Parisiensium quoque Doctorum hac de re sententias; Quæ vniuersa scrutari potest lector, cui vnicè duxi hic repræsentandam anacephalæosin à præcitato Auctore sub hisce verbis deducta.

Hactenus quidem, ait, Patrum Doctorumque omnis ætatis testimonia, quæ legi, audirique à nullo possunt, qui non continuò persuasum habeat, omnes illos in rebus fidei supremum iudicium, certamque sententiam Romano Pontifici tribuisse. Volunt lite aliqua de rebus fidei exorta, Romam ad iudicium iri: volunt sententiam illic datam oraculum esse, cui nisi obtemperes, hæresim oleas, aut ab Ecclesia defectionem: volunt, quòd Papa definierit, finitum esse, nec ampliùs in dubium vocari posse. Hieronymus tres Hypostases in Trinitate agnoscet, si Damasus iubeat. Augustinus hæresin Pelagianam, toties victam, toties pugnæ restitutam, tunc demùm profligatam esse dicit, vbi Pontifex se prælio miscuit, eamque truncatam voluit: Patres Nicæni Concilij tam certam habent Pontificis Romani sententiam, vt maiora Ecclesiæ negotia illi reseruata velint. S. Athanasius, Patresque Africani, hanc vnam Sedem adeò erroris expertem dicunt, vt ab illa dogmata fidei maiores sui, & velut à matre lac sinceræ doctrinæ acceperint. S. Cyrillus non priùs audet Nestorium inter hæreticos censere, quàm à Cœlestino Papa damnatum. S. Cyprianus non posse perfidiam habere ad Petri Cathedram accessum. S. Fulgentius adeò, quæ à Romano Pontifice decernuntur, certa esse, vt quod illa tenet, docetque, totus Christianus orbis nihil hæsitans credat. S. Agatho, & cum illo Patres sextæ Oecumenicæ Synodi, nullum omninò errorem, nullamque hæresim Petri Cathedram insedisse, nec vnquã deinceps futurum, vt Petri successores, pro quibus Christus tam seriò orauit, à vera fide deficiant. Deniq; omnium ferè Patrum Græcæ, latinæque Ecclesiæ est vna, constansque sententia, non posse in rebus fidei decernendis Pontificem errare.

Huic tanta pietate, doctrina, rebusque pro

pro Eccleſia geſtis illuſtrium virorum Choro, ſi tu Gerſonem, Almainum, & Ochamum opponas, qui contrarium docuerunt: quid amabo aliud facies, quàm vt paucos aliquot, & gregarios milites cum Caſtris Heroum confectas, tenueſque radios cum ingenti ſole componas? Magnus, fatemur, Gerſon, ſed quis ille, vt Auguſtino, Hieronymo, Ambroſio, Athanaſio, Gregorio, totique Oecumenicæ Synodo præferatur? Et quæ ratio, aut æquitas poſtulat, vt voi mille: non ſancto, tot Sanctos: Cancellario Pariſienſi, Doctores Eccleſiæ, imò ipſam Eccleſiam, quæ ex illorum ſententia pendet, cedere oporteat? Tu ergo Gerſoni fidem habes, non habes Hieronymo, non Athanaſio, non Fulgentio, non Auguſtino, ad quorum veſtigia, ſi Gerſon viueret, ptonus, lubenſque accederet?

At Patres, non clarè loquuntur. Imò tam clarè, vt clariùs non poſſint: quid enim tam clarum, quàm illud Fulgentij: [Quod Romana, quæ mundi cacumen eſt, tenet, & docet Eccleſia, totus cum ea Chriſtianus orbis nihil hæſitans credit? Et illud Auguſtini: [Quid potuit vir ille S. Innocentius Papa Africanis reſpondere Concilijs, niſi quod antiquitus Apoſtolica Sedes, & Romana cum cæteris tenet perſeuranter Eccleſia? Et illud Hieronymi: [Ego beatitudini tuæ, hoc eſt, Cathedræ Petri communione conſocior: quicumque extra hanc domum agnum comederit, profanus eſt, quicumque tecum non colligit, ſpargit: Apud vos ſolos incorrupta Patrum ſeruatur hæreditas? Et illud Agathonis Papæ, ſextæque Synodi: [Sedes Romana à tramite Apoſtolicæ traditionis numquam errauit, & in ea veræ fidei lumen nulla hæretici erroris, nec falſitatis nebula fuit confœdata, ſed illibata finetenus permanet iuxta pollicitationem Petro factam: Pro te rogaui, vt non deficiat fides tua, &c.] Hæc planè, & alia plura ſanctorum Patrum teſtimonia tam clara, & perſpicua ſunt, vt ad ea intelligenda, nec face, nec gloſſa opus ſit, ſed oculo tantùm ſano, purgatoque, nec priuatis affectibus tincto; alioquin ægris, infectiſque oculis, ne ſol quidem, ſinè vmbra, & maculis eſt.

ARGVMENTVM II.

AVctor præfatus præf. §. 6. pro Summi Pontificis in rebus fidei infallibilitate adducit Eccleſiæ praxim in actu quaſi exercito exhibitam ſub ſequentibus argumentis. Primò, quòd paſſim in hiſtoria Eccleſiaſtica, ſacris Concilijs, & Patrum commentarijs multi loquendi modi occurrant, qui hanc ipſam, de qua agimus, infallibilitatem oſtendunt, quales ſunt: [Quòd Romana Sedes ſit fidei fundamentum: quod inde religionis noſtræ fons, & origo manet: quòd, quæ illa damnat, omnes damnent, quæ approbat, omnes approbent: quòd ſemper eius doctrinam omnis Catholica Chriſti Eccleſia, vniuerſales Synodi, ſanctique Patres fuerint ſecuti: quòd omnium fidelium, & Eccleſiarum diſponente Domino exiſtat Magiſtra.] Hæc, vt diximus, legenti paſſim, & vbique occurrunt, nec dici omninò poſſunt, niſi de doctrina planè infallibili, & ab omni errore aliena.

Secundò. Quòd, qui aliquid à Romana Sede definitum non reciperent, ſchiſmatici haberentur, & cum illis nemo communicaret; quod manifeſtiſſimo argumento eſt, Romanæ Sedis in rebus fidei ſententias certiſſimas eſſe, nec enim ſchiſmaticus, aut hæreticus eſt, niſi qui certæ, compertæque veritati ſe opponit: quæ enim incerta, & dubia ſunt, ac intrà opinionem conſiſtunt, recipi pro arbitrio poſſunt, repelliue, nec propterea, qui hoc facit, hæretieus, aut ſchiſmaticus eſt. Huius veritatis teſtes ſunt Pelagius Papa, & apud illum S. Auguſtinus in Cap. Schiſma 24. quæſt. 1. S. Cyrillus Alexandrinus epiſt. ad Cœleſtinum Papam. S. Hieronymus epiſt. ad Damaſum. S. Leo epiſt. 87. ad Epiſcopos Viennenſis Eccleſiæ, S. Cyprianus lib. 4. epiſt. 3. S. Ambroſius Orat. de obitu Satyri.

Tertiò. Patres exorta aliqua fidei dubitatione, vt ab hæreticis certa nota diſtinguerentur, certique ipſi eſſent veritatis, ſe id credere profitebantur, quod crederet Sedes Petri, ſuamque fidem iſtius iudicio ſubmittere, & quod damnaret, ſe quoque damnare; hoc verò ſupponit Romanæ Sedis doctrinam veram omninò eſſe, & certiſſimam, incapacemque erroris: cùm enim fides certiſſima ſit, nullumque dubium admittat, oportet fidei quoque regulam certiſſimam eſſe: alioquin fides dubio principio nixa, & ipſa dubium reciperet, quod fieri nequit. Si ergo doctrina Pontificis Romani ſanctis illis Patribus regula credendi fuit, in quam fidem ſuam tutò reponebant; oportet quoque, & illam fixam omninò, & immobilem eſſe, & ſi non eſt, ſanctos illos Patres, velut anchoris, quibus tenerentur, perditis, fluctuaſſe potiùs, quàm credidiſſe. Hanc in rem ſcrutati operæpretium eſt S. Ambroſium epiſt. 11. ad Ageruchiam. S. Baſilium epiſt. 77. Ruffinum in ſymboli explanat. Theodoretum lib. 5. hiſt. cap. 2. Abbatem Ioachimum; prout refertur in Cap. 1. De ſumma Trinit. Ioſephum Patriarcham Conſtantinopolitanum in ſuo chirographo, quod iam moriens ſcripſit.

Quartò. Nam hæreſi aliqua, quæ Eccleſiam turbaſſet, non priùs etiam apud Catholicos dubitandi, diſputandique finis erat, quàm pronuntiata à Summo Pontifice ſententia. Tunc enim verò dato velut ſigno, finis inter Catholicos certandi erat, & hæreſis conclamata; quod euidens ſignum eſt, perſuaſum fidelibus fuiſſe: ſententias Romani Pontificis in quæſtionibus fidei certiſſimas eſſe, nec errori ſubiectas; alioquin non putaſſent illos ſententia iudicia certos reddere, dubia indubios, & errori expoſita, ab omni errandi periculo liberos. Teſtantur hoc inſuper Sozomenus lib. 6. cap. 22. ſanctus Proſper contra Collatorem, & in Chronico ſanctus Auguſtinus lib. 2. contra Pelagium cap. 7. & Cœleſtium, & lib. 1. cap. 1. ad Bonifacium Papam. Patres Mileuitani epiſt. ab Innocentio I. ſanctus Cyrillus epiſt. ad Cœleſtinum Papam de hæreſi Neſtorij, Conſtantinus Magnus in edicto incipiente: Ea, quæ Saluator noſter. Hieronymus de Irenæo Romam miſſo in Cathalogo.

Quin-

Quintò denique. Multæ hæreses à solo Romano Pontifice extra Concilium damnatæ sunt, extinctæque, quod fieri non poterat, nisi ab auctoritate infallibili, & errare nescia: sicut enim fides est de re certa, & cui falsum subesse non potest, vt eleganter declarat sanctus Bernardus epist. 190. ad Innocent. ita hæresis est rei certò falsæ, & cui verum subesse non potest. Ergo sententia Pontificis, qua declarat, opinionem aliquam esse hæreticam, omninò est certa, & infallibilis; alioquin nec declaratio erit certa, vtpote ab auctoritate incerta profecta: nec id, quod declaratum est, certò ad hæresin pertinebit, cùm fieri non possit, vt à principio incerto deducatur conclusio certa, quemadmodùm si non est certum, te aqua elementari baptizatum esse, ita nec erit certum, te verè baptizatum, & Christianum esse. Fuisse verò quamplures hæreses auctoritate solius Pontificis extra Concilium Generale damnatas, dubium non est. Nam hæresin Nestorianam damnauit Cælestinus Papa anno 430. & quamuis eam sanctus Cyrillus priùs iam confutasset, numquam tamen ante Pontificis sententiam ausus est, Nestorium pro hæretico habere; vti patet ex eiusdem sancti Cyrilli ad Cælest. epist. quæ habetur tomo 1. Conciliorum Venetæ edit. Et licèt Cælestinus in eadem Nestorij causa Concilium Generale indixerit, id tamen fecit, vt turbæ in Ecclesia natæ sopirentur, atque vt Nestorij fautoribus, quos plurimos habebat, & præpotentes, omnis calumniandi, tergiuersandique occasio tolleretur, vt in eo Concilio non hæresi à Cælestino prædamnatæ venia daretur, sed Nestorio tantùm, si resipisceret.

Hæresis Iouiniani, & Pelagij damnata est Romæ à Syricio Papa anno 390. eiusdemque auctoritate à sancto Ambrosio in Concilio Mediolanensi testibus sancto Prospero Carmin. de ingratis. Sancto Hieronymo contra Pelagium lib. 2. & præfat. in Ierem. lib. 4. Hæresis Monothelitarum, & Ecthesis Heraclij Imperatoris, damnata est à Seuerino Papa anno 639. vt habetur in Synodo Lateranensi, sub Martino Papa secret. 1. & 2. & probat Baronius ad eumdem annum. Propositiones hæreticæ Gilberti Pictauiensis Episcopi damnatæ sunt ab Eugenio III. 1148. Denique, vt alia omittamus, propositiones Iansenij in eo sensu, quem verba exhibent anno 1653. & 1656. ab Innocentio, & Alexandro Papa, vt hæreticæ damnatæ sunt, & vt tales à Gallis proscriptæ: imò vt refert Archdekinus in Theologia tripart. par. 1. quæst. 5. in fine, ex Regis Christianissimi, & Episcoporum Galliæ desiderio Alexander VII. decreuit, vt vniuersus Ordo Ecclesiasticus huic professioni cum iuramento subscriberet: [Ego N. Constitutioni Apostolicæ Innocentij X. datæ die 31. anno 1653. & Constitutioni Alexandri VII. datæ 16. Octobris anno 1656. Summorum Pontificum me subijcio, & quinque propositiones ex Cornelij Iansenij libro, cui nomen Augustinus, exceptas, & in sensu ab eodem auctore intento, prout illas per dictas Constitutiones Sedes Apostolica damnauit, sincero animo reijcio, ac damno, & ita iuro: sic me Deus adiuuet, & hæc sancta Dei Euangelia.] Agnouit ergo Gallia, totusque Ordo Ecclesiasticus, tam certam esse Pontificis Romani sententiam, vt quæ ille damnat, & pro hæreticis habet, damnari debeant, habericque pro talibus, & damnationis sententia iuramento confirmari; quod fieri non posset, si damnatio certa, & indubia non esset; nemo enim iurare potest, propositionem aliquam damnabilem, aut hæreticam esse, nisi certò id credat, alioquin iuramentum exponeret periculo falsi, docentque omnes tum Theologi, tum Iurisperiti.

ARGVMENTVM III.

Desumptum ex confutatione argumenti pro parte aduersa ab eodem Regalis Sacerdotij Auctore cit. §. 9. num. 16. deducti, & soluti.

Communis namque omnium Doctorum sententia fert, quòd Pontifex in quæstionibus Facti errare possit. Ergo etiam poterit in quæstionibus Iuris, in fidei decretis, & generalibus præceptis morum. Consequentia probatur. Quia multa ad fidem pertinentia in Facto consistunt, v. g. Sacramentum Matrimonij à Christo institutum esse, Sacramenta esse tantùm septem, non plura, characterem in Baptismo impressum esse qualitatem indelebilem, quæque repeti non possit, &c. Imò in omnibus definitionibus, quæ ad fidem, moresque spectant, non aliter Summus Pontifex infallibiliter à Deo dirigitur, quàm si omnem, aut saltem necessariam diligentiam rei examinandæ impendat: nec enim somnianti, temerèque agenti Spiritus Sanctus dogmata inspirat. At verò ea diligentia est Facti, multisque erroribus subiecta. Quid si enim non satis rem perpenderit? non doctiores, rerumque peritiores ad consilium reuocauerit? non audierit, quæ in contrarium opponebantur? vni tantùm parti aurem, non alteri præbuerit? Hæc omnia sunt Facti, erroremq; admittunt. Ergo etiam fidei, morumque decreta, quæ ab alijs pendent.

Verùm præallegatus Auctor reponit. Quæstiones Facti esse duplicis generis: aliæ enim sunt facta, vel immediatè à Deo per Scripturas, & Traditiones reuelata, vel saltem cum reuelatis connexa, qualia sunt, Christum in Eucharistia realiter existere, & panem in sacram illius humanitatem mutari, &c. In hæc error nullus cadit, cùm repugnet, Deum in quacumque re tam Facti, quàm Iuris, errore aliquo capi, aut falsum dicere, hoc est, aut ignorantem esse, aut mendacem, quæ duæ sunt falsi origines. Ad eadem facta mediatè reuelata pertinet diligentia illa necessaria, quam in rebus fidei decidendis in Romano Pontifice desideramus: cùm enim voluerit Deus, Ecclesiam errare non posse, voluit etiam nihil ei deesse, quod vitando errori necessarium est. Et ideò Patres sextæ Synodi contra Monothelitas ex eo, quòd in Christo duæ essent naturæ, optimè intulerunt, duas esse voluntates, cùm voluntas

sit potentia cum humana natura necessariò connexa.

In illis verò quæstionibus Facti, quæ nec immediatè, nec mediatè à Deo reuelatæ sunt, quæque ex testimonio, & informatione hominum pendent, negari non debet, & Concilia, & Pontifices errare posse. Cùm enim fides diuina testimonio, & Verbo Dei nitatur: & vox Papæ sit vox hominis, non Dei, non potest ille, quæ nec immediatè, nec mediatè reuelata sunt, pro fidei dogmatibus proponere. Quæ verò sunt Facti, reuelata non sunt, & ideò errori obnoxia. Quod ingenuè ipsi Pontifices confessi sunt. Bonifacius videlicet Octauus in cap. de constitutionibus, vbi dicit: Romanos Pontifices ignorare, quæ sunt Facti. At ignorantia est mater erroris. Errare ergo potest, qui ignorat. Et Eugenius Quartus, qui cùm ex certis, magnisque caussis Concilium Basileense dissoluisset, & ab eo acta planè irrita declarasset per Bullam Inscrutabilis anno 1433. veritatem postea edoctus, per aliam Bullam Dudum anno 1434. quæ priùs constituerat, reuocat, non quia Concilium dissoluere non poterat, sed quia ex non veris caussis, vt posteà apparuit, id egerat. Extant Bullæ Eugenij in actis Concilij Basileensis sessio. 16. & videndus est Raynaldus ad annum 1434. num. 5. Denique, qui Honorium Primum ab hæresi absoluunt, sunt verò quàmplurimi, ij etiam negare haud possunt, & in Pontifices, & in Concilia errorem cadere, ab vtrisque enim hæresis damnatus est, eiusque memoria, tamquam hominis hæretici profligata. Ex occasione huius tum obiectionis contrariæ, tum redditæ responsionis, duxi perquam vtile, vt hìc expendatur; [Si pro aliqua, seu fidei, seu morum definitione occurrant variæ circa ea, quæ Facti sunt, quæstiones; quomodo Pontifex circa illas se habeat?]

CONCLVSIO.

In definitionibus fidei, seu morum, si super ijs, quæ Facti sunt, interueniant quæstiones, Pontifex ex Cathedra Apostolica decernens à Spiritu sancto dirigitur, vt super ijs formet prudentiale iudicium supernaturale, sub quo fiat reductio ad vniuersale aliquod fidei principium.

Explicatur ex canonizatione Sanctorum, quæ formaliter importat prudentiale practicè certum credibilitatis iudicium, sub quo circa Sanctum ab Ecclesia canonizatum fit reductio ad vniuersalia fidei principia, tum de Sanctis colendis, & inuocandis, tum de gloria cælesti in gratiæ statu decedentibus, diuinitùs constituta, in quo adeò summi Pontificis prudentiali ad fidem reductionis cunctos fideles constringente iudicio, non potest subesse error.

Probatio huius explicationis confirmatoria.

Qvamuis enim processus canonizationis circa vitam, & miracula Sancti canonizandi, nitatur testimonijs humanis, iste tamen processus tendit ad hoc, vt per miracula, & virtutum argumenta ostendatur Sanctus sic canonizandus contineri sub istis vniuersalibus fidei principijs: quòd nempè quisquis decedit in gratiæ statu, sit in sorte Sanctorum, æternæ gloriæ consors, pretiosæ mortis suæ pondere præpotens in conspectu Dei Patronus, sitque adeò dignus tali veneratione Sanctorum, atque patrocinium implorantibus præstò sit ad Deum pro ipsis precandum in ijs, quæ saluti fidelium sunt conducibilia. In cuiusmodi adeò fidei principiorum ad hunc Sanctum in particulari applicatione, præinsinuata testimonia humana se habent solùm materialiter, & instrumentariè, quatenus Spiritus sanctus iuxtà diuinæ promissionis efficaciam, in particularium ad vniuersalia fidei principia reductione, infallibiliter assistens, sub argumentis illis, de se tantùm probabilibus, affulgere facit lucem, sub qua stet infallibilitas iudicij, particularium ad fidei principium vniuersale applicatorij. De qua proinde Spiritus sancti erga Ecclesiam, in particularibus ad fidei principia vniuersalia reducendis, atque decreto aliquo vniuersam Ecclesiam constringente, firmandis assistentia, assecurati fideles, certum, ac fixum inde habent credibilitatis argumentum, per quod sub practica infallibilitate redduntur securi, particulare sub fidei vniuersali principio circumscriptum, quatenus ab Ecclesia definitè iam extat propositum, credi posse sub reuelationis diuinæ motiuo formali, vniuersalis illius fidei principij terminis contento.

Obiectio

Ex parte aduersa opponi potest. illius argumenti vim, ac efficaciam non extendi saltem ad beatificationem Sanctorum, cùm in hac non interueniat definitiuum Ecclesiæ iudicium, sed eius dumtaxàt tolerantia. Anne igitur fas sit, dicere, Ecclesiam, seu Pontificem Summum posse permittere auctoritate sua errorem prorsùs intolerabilem, vt colatur, & inuocetur tamquam Sanctus, qui reipsa Sanctus non est?

Responsio.

Verùm duplex est genus argumentorum, prudentialem credibilitatis euidentiam super aliquo fidei articulo vel formaliter, vel virtualiter reuelato fundantium. Alterum nempè est constringens, velut definitiuum ex canonizatione subsistens super alicuius sanctitate iudicium taliter est reductiuum ad generale diuinitùs reuelatum, de Sanctis in gratiæ statu decedentibus gloria cælesti condecoratis, cultu Duliæ colendis, & implorandis, principium, vt saltem quoad specificatio-

nem

nem inducat obligationem, ita quòd nefas foret, negare talis Sancti cultum, & inuocationem. Cuiusmodi adeò credibilitatis ex definitiuo Ecclesiæ iudicio subsistenti argumento inest non solùm practica etiam supernaturalis certitudo, virtutis religionis in ordine ad Sanctum hunc in particulari cultu Duliæ venerandum, & inuocandum directiua, sed sub omnimoda insuper infallibilitate, tantam voluntati, piæ ad credendum affectionis habitu supernaturali instructæ, adfert prudentiæ infusæ lucem, vt sub ista imperare possit fidei assensum super huius sanctitate, veneratione Duleutica, piaque inuocatione ex illius generalis reuelationis diuinę motiuo præstandum.

Alterum proinde argumentorum credibilitatis euidentiam prudentialem fundantium genus est solùm probabile, super quo per specialem Spiritus sancti illustrationem internam ita strui potest prudentiæ quoque infusæ lumen, vt non solùm religionis virtuti supernaturali erga obiectum taliter repręsentatum locus esse queat, sed sub quapiam licèt merè probabili, ad generale diuinitus reuelatum principium reductione, possit fidei quoque assensus interuenire, dum tamen eiusmodi probabilitas per Spiritus sancti eleuationem ad moralis in linea supernaturali certitudinis lineam traducta, est realiter contecta sub generali diuina reuelatione, ex cuius motiuo præstandus est huiusmodi fidei assensus. Sic proinde Ecclesiæ sanctæ circa alicuius sanctitatem, venerationemque Duleuticam ac implorationem, per beatificationem ratificata tolerantia supponit probabilitatem, sub certitudine morali non tantùm nata dirigere virtutem religionis, sed apta etiam inducere ad piæ credendi affectionis imperium supernaturale, ex quo fidei assensus procedere valeat, dum tamen in rei veritate hominis taliter beatificati sanctitas, atque adeò venerationis Duleuticæ capacitas, contineatur sub præinsinuato de Sanctis gloria cælesti condecoratis, cultuque Duleutico venerandis, ac religiosè implorandis principio diuinitùs reuelato; vt pluribus ostensum fuit in nostra Theologia.

PROBATIO II.

Qua testimonijs Summorum Pontificum ostenditur, in quæstionibus fidei certissimum esse Papæ iudicium.

HVius argumenti texturam ex præfati Auctoris de libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ lib. 8. cap. 12. depromptam hic ob oculos ponere placuit. Si Summorum, inquit, Pontificum, tamquam in propria causa loquentium, reijcienda esset auctoritas, nec eorum dignitatis, sanctitatis, aut meriti habenda esset ratio, pari, vel potiori etiam ratione recusari posset Concilium Constantiense, cuius decretis, vt alibi examinata sunt, nititur hæc propositio, cùm in propria etiam causa loqueretur. Verùm nefas est, de illis præsertim, qui sanctitate, ac doctrina perspicui fuerunt, suspicari, eos propriæ dignitatis augendæ causa doctrinam inducere voluisse, quæ, si erronea esset, totius religionis Christianę fundamenta concuteret.

Sanctus Innocentius à Sancto Augustino, & ab alijs Patribus tantoperè commendatus epistola 25. ad Episcopos Mileuitani Concilij anno 417. Romanam Ecclesiam, vt fidei fontem perenniter fluentem exhibet: [Neque enim hoc vestram credo latere prudentiam, qui id etiam actione firmastis, scientes, quòd per omnes Prouincias de Apostolico fonte petentibus responsa semper emanant. Præsertim quoties fidei ratio ventilatur, arbitror, omnes fratres, Coepiscopos nostros, nonnisi ad Petrum, id est, sui nominis, & honoris Auctorem referre debere, velut nunc retulit vestra dilectio, quod per totum mundum possit Ecclesijs omnibus in commune prodesse.] Notentur hæc verba, nonnisi ad Petrum, ad quem fidei quæstiones referuntur, dum referuntur ad eius successorem. Quia nimirùm sicut officio, sic & fidei firmitati officio necessariæ, succedit.

Relationes olim ad sanctam Sedem ex omnibus Christiani orbis prouincijs, præsertim ex Gallia fieri solitas fatentur Galli: sed forsan responsiones non esse irreformabiles existimant. Contrarium S. Innocentius sentiebat, quandoquidem epist. ad Episcopos Macedoniæ à Dionysio Exiguo cum alijs collecta, iniuriæ aduersùs sanctam Sedem tribuebat, quòd secundò consuleretur, quasi eius sententia in dubium reuocaretur. [Aduerti, inquit, Sedi Apostolicæ, ad quam relatio quasi ad Caput Ecclesiarum missa currebat, aliquam fieri iniuriam, cuius adhuc in ambiguum sententia duceretur.] Hanc etiam exceptionem excludunt multi Doctores, quorum testimonia supra reddita sunt, vt in eis obseruare licuit.

Sanctus Cœlestinus Legatos mittens in Orientem, ipsis contendere prohibuit, præcepit verò de aliorum sententijs iudicare: qua iussione significabat, non esse ab Episcopis expectandum consensum, vt esset irreformabile Papæ iudicium, sed per ipsius iudicium, & per instructionem ab eo datam componenda, atque ad vnitatem redigenda variè sentientium Episcoporum suffragia. [Ad disceptationem, si fuerit deuentum, vos de eorum sententijs dijudicare debetis, non subire certamen.] Commonitor. Cælest. apud Christianum Lupum ad Ephes. Concil. variot. Patr. epist. cap. 236.

Sancti Leonis Magni testimonium protulimus cap. 3. Sed Launoius, vt illi vim detrahat, par. 5. epist. 2. illud de sancto Petro tantum, ac pro tempore Passionis dumtaxat interpretatur, malæ fidei accusans Bellarminum, quòd omiserit eam partem, in qua Passionis fit mentio. Sed cadit hæc accusatio, si reddatur pars alia testimonij, quam Launoius ipse omisit, & in qua sermo fit de tempore post Passionem. Sequitur enim: [Cum itaque dilectissimi, tantum nobis vi-

deamus præsidium Diuinitus institutum, rationabiliter, & iustè Ducis nostri meritis, & dignitate lætamur, gratias agentes sempiterno Regi Redemptori nostro Iesu Christo, qui tantam potentiam dedit ei, quem totius Ecclesiæ Principem fecit, vt si quid etiam nostris temporibus rectè per nos agitur, recteque disponitur, illius sit gubernaculis deputandum, cui dictum est: Et tu confirma fratres tuos; & cui post resurrectionem suam Dominus ad trinam æterni amoris professionem mystica insinuatione ter dixit: Pasce oues meas: quod nunc quoque procul dubio facit, & mandatum Domini pius Pastor exequitur, confirmans nos cohortationibus suis, & pro nobis orare non cessans.] Non enim Christus post Passionem Petro commisit oues suas, vt tempore Passionis eas pasceret; nec de illo tantum tempore intelligi possunt hæc verba: [Quod nunc procul dubio facit, &c.] At, inquies, facit hoc Petrus cohortationibus suis, & orationibus. Ita est; sed facit etiam, quia, vt idem sanctus Leo dicit in serm. 2. in Anniuersario assumptionis suæ ante medium, in Romano Pontifice [omnium Pastorum sollicitudo cum commendatarum sibi ouium custodia perseuerat, & eius etiam dignitas in indigno hærede non deficit.] Non est autem inutilis propositio Bellarmini de sancti Leonis auctoritate, etiamsi partem tantùm attulerit, nec quæ ex illa consequuntur, expresserit; quia scilicet cùm ex verbis, quæ recitauerat, sequeretur, potestatem sancto Petro collatam, tamquam supremo Pastori, & vt fratres confirmaret; in promptu erat vnicuique concludere, eadem potestate muniri, qui eidem officio à Domino præponitur.

Sancti Agathonis etiam testimonium iam reddidimus, sed multiplici telo Launoius illud impetit. Primò distinguens Apostolicam Christi Ecclesiam, (id est, Romanam, de qua, vt fatetur Launoius, loquitur Agatho) à Romano Pontifice. Sed, vt iam alibi insinuauimus, inutilis est distinctio. Sufficit enim, vt non errandi priuilegium Ecclesiæ Romanæ concedatur. Planum est enim, illud à Pontifice in Clerum deriuari, idque verba ipsa Euangelij ab Agathone recitata ostendunt: [Ego autem rogaui pro te, &c.] Adde, quòd ad propositum nostrum satis est, vt Pontificis iudicium certum sit, antequàm vniuersæ Ecclesiæ consensus accesserit. Secundò distinguit Launoius ius à facto, notatque, quòd Agatho quæstionem Facti, non Iuris tractat, cum ait: [Apostolica Christi Ecclesia, id est, Romana, à tramite Apostolicæ traditionis nusquam errasse probatur, aut hæreticis nouitatibus vmquam deprauata succubuit.] Benè quidem Launoius, si ibi sisteret Agatho, sed causam continuò affert, quæ ius validius, quàm factum adstruit. Prosequitur enim: Quia dictum est Petro: [Simon, ecce Sathanas, &c. Ego autem rogaui pro te, &c. Hic Dominus fidem Petri non defecturam promisit, & confirmare eum fratres suos admonuit. Quod Apostolicos Pontifices meæ exiguitatis Prædecessores confidenter fecisse, cunctis est agnitum.] Tertiò Launoius circa hæc vltima verba notat; Agathonem indefinitè scribere: [Apostolicos Pontifices Prædecessores confirmasse fratres suos: sed definitè non scribere, Apostolicos Pontifices Prædecessores omnes confirmasse fratres.] Sed nonne iuxta regulas Dialecticæ propositio indefinita de facto circumstantijs non limitato, æquiualet vniuersali? At, inquit Launoius, multi Pontifices secus fecerunt. Vtrùm aliqui præcepto implendo defuerint, siue defectu spei consequendi fructus, siue etiam per negligentiam, quæstio est de facto nequaquam iuri præiudicans. Sufficit, vt Pontifices præceptum sibi à Christo impositum de confirmandis fratribus scientes, regulariter, & ordinariè illud cum auctoritate, sæpe cum vtilitate præstiterint. S. Gregorij testimonium iam retulimus.

Nicolaus I. in epistola ad Michaelem Imperatorem priuilegia sanctæ Sedi in persona beati Petri à Christo collata immota semper futura esse constanter affirmat, inter quæ illud sine dubio præcipuum est, vt vacillantes in fide confirmet, quemadmodùm fecerat sanctus Leo erga Concilium Ephesinum secundum. [Quomodò, inquit, non egeat qualibet Synodus Romanæ Sedis? Quomodò in Ephesino latrocinio cunctis Præsulibus, & ipsis quoque Patriarchis prolabentibus, nisi Magnus Leo, imitator scilicet illius Leonis, de quo scriptum est; Vicit Leo de tribu Iuda; Diuinitus excitatus, os aperiens totum orbem, & ipsos quoque Augustos concuteret, & ad pietatem commoueret; Religio Catholica penitus non corruisset?] Et inferiùs; [Cum Ecclesiæ Romanæ priuilegia Christi ore in beato Petro firmata in Ecclesia ipsa disposita, antiquitus seruata, & à sanctis Vniuersalibus Synodis celebrata, atque à cuncta Ecclesia iugiter venerata, nullatenus possint minui, nullatenus infringi, nullatenus commutari, quoniam fundamentum, quod Deus posuit, humanus non valeat amouere conatus: & quod Deus statuit, firmum validumque consistit, &c.]

Parciùs de priuilegijs Ecclesiæ Romanæ Nicolaus, quàm ad eum scribens S. Ignatius Patriarcha Constantinopolitanus, cuius epistola lecta est in act. 3. octauæ Synodi, & in qua tum Petri dignitatem, & potestatem, tum ad successores transmissionem luculentissimè profitetur his præcipuè verbis: Dixit Petro Magno, & summo Apostolorum: [Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersùs eam. Et iterum: Tibi dabo claues Regni Cœlorum: & quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in Cœlis: & quodcumque solueris super terram, erit solutum & in cœlis. Tales enim beatas voces non secundùm quandam vtique sortem Apostolorum Principi solùm circumscripsit, & definiuit, sed per eum ad omnes, qui post illum secundùm ipsum efficiendi erant Summi Pastores, & Diuinissimi, sacrique Pontifices Senioris Romæ, transmisit. Et ideo ab olim, & prisco tempore in exortis hæresibus, & præuaricationibus Eradicatores, & Interemptores malorum zizaniorum, & labefactorum, & penitus insanabiliter ægrotantium mem-

membrorum multi multoties facti sunt eorum, qui sanctitatem, & summam paternitatem tuam illi præcesserunt, scilicet Principis Apostolorum, & illius zelum in fide, quæ secundùm Christum est, imitantes.] Quibus verbis non solùm beati Petri, sed & successorum eius auctoritas explicatur. Si quis eorum ponderi aliquid detractum velit, quòd eo tempore scripta sint, cùm sanctus Ignatius Romani Pontificis ope indigeret, animaduertat, sanctum esse, qui scribit, adeoque in rebus tanti momenti ab adulatione remotum: non illum dumtaxat Patriarcham Constantinopolitanum ad beati Petri Sedem confugisse: epistolam eius in Concilio Generali lectam ab aliquo improbandam fore, si quid Episcopo Romano concessisset in præiudicium Concilij Generalis.

Quod argumentum multò efficacius euadit, si animaduertatur plures epistolas, eiusdem auctoritatis facientes mentionem, perlectas, & similia elogia in fauorem Romani Pontificis ab Episcopis, à Legatis, vel à Pontificibus ipsis prolata, contradicente nemine, fuisse. Quod iam de Legatis Cœlestini in Concilio Ephesino notauimus, de epistola Agathonis in sexta Synodo recitata, alijsque nonnullis. Id, si semel, aut bis tantùm contigisset, inaduertentiæ tribui posset; sed quomodò fieri potuisset, vt tantus Præsulum numerus toties rem adeò insignem inattentamente audisset?

Quæ circa testimonia sanctorum Leonis I. & Agathonis aduersùs Launoij obiectiones notata sunt, valent etiam aduersùs ea, quæ Nicolai I. modò adductis, & Leonis IX. cap. 3. relatis, & ex parte etiam Innocentij III. mox exscribendis verbis opponit.

Sed repetendum est testimonium sancti Leonis IX. vt ex eius altero eiusdem Sancti collatione clarior fiat aduersùs Launoium eius sententia. Igitur sanctus Leo IX. qui ab alijs VIII. tantùm numeratur, anteà Episcopus Tullensis, indefectibilem Romani Pontificis fidem Christi oratione impetratam non potuit luculentiùs explicare, quàm his epist. 5. quæ est ad Petrum Antiochenum, verbis: [Nimirum solus est ille (Petrus) pro quo, ne deficeret eius fides, Dominus, & Saluator asseruit se rogasse dicens: Simon Simon ecce Sathanas expetiuit vos, vt cribraret sicut triticum, ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua; Et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos, quæ venerabilis, & efficax oratio obtinuit, quòd hactenus fides Petri non defecit, nec defectura creditur in throno illius, vsque in seculum seculi: sed confirmabit corda fratrum varijs concutienda fidei periclitationibus, sicut vsq; nunc confirmare non cessauit.]

Vox illa, creditur, etsi, quando est de fide Diuina sermo, assensum omninò firmum significet, cùm tamen de opinione humana dicitur, dubitationem plerumque, aut suspicionem de contrario innuit, quòd nimirum solus Deus erroris, & fraudis expers sit. Itaque, ne quis se in secundo sensu vocem illam interpretur, afferendus est alius locus ex epistola prima eiusdem sancti Pontificis, vbi omni cum securitate, ac firmitate loquitur, ac mirum in modum explicat verba Christi toties laudata. [Taliter, inquit cap. 6. ep. 1. sancta Ecclesia super Petram, id est Christum, & super Petrum, vel Cephan filium Ioannis, qui priùs Simon dicebatur, ædificata; quia inferi portis, disputationibus scilicet hæreticorum, quæ vanos ad interitum introducunt, nullatenus foret superanda, sic pollicetur ipsa veritas, per quam sunt vera, quæcumque sunt vera: portæ inferi non præualebunt aduersùs eam, cuius promissionis effectum se precibus impetrasse à Patre, idem filius protestatur dicendo ad Petrum: Simon ecce Sathanas, &c. Erit ergo quisquam tantæ dementiæ, qui orationem illius, cuius velle est posse, audet in aliquo vacuam putare?] Audi iam, quanta cum constantia priuilegium beati Petri ad Successores transijsse continuata omnium temporum experientia confirmet. [Nouue à Sede Principis Apostolorum, Romana videlicet Ecclesia, tam per eumdem Petrum, quàm per successores suos reprobata, & conuicta, atque expugnata sunt omnium Hæreticorum commenta, & fratrum corda in fide Petri, quæ hactenus nec defecit, nec deficiet vsque in finem, sunt confirmata.]

Launoius hanc auctoritatem elidere duplici præcipuè ratione molitur.

Primò interpretando eam de Ecclesia Vniuersali. Sed quàm sit consona textui glossa, iudicet quicumque latinam linguam intelligit. Conuenit quidem Ecclesiæ Vniuersæ firmitas, de qua Leo in principio loquitur, sed specialiter Ecclesiæ Romanæ aptatur, quia scilicet ab ea in alias deriuatur.

Secunda Launoij responsio est, verum non esse, quod ait Leo, à Petri Sede commenta Hæreticorum omnium expugnata esse; quod inductione nititur demonstrare: quasi posset Launoius scire, an non interuenerit auctoritas sancti Petri, aut successorum eius, siue in principio, siue in progressu profligationis hæresum. Et interucnisse de facto contra nonnullas earum, quas enumerat, si opus esset, ex certis documentis demonstraretur, v. gr. contra Pauli Samosateni, contra Eunomij, & aliorum errores, ex sancti Athanasij epistola ad Orthodoxos, Theodoreto Ecclesiast. histor. lib. 5. cap. 8. 9. 10. & 11. libello Synodico extante in tomo 2. Iuris Canonici veteris Christophori Iustelli, Photio de Synodis, & epistola ad Michaelem Bulgariæ Principem cap. 2. Epistola Damasi ad Paulinum Antiochenum in collect. Rom. Holstenij par 1. & P. Labbe tom. 2.

Leonis testimonium confirmat his verbis Gregorius VII. in lib. 8. epist. 1. quæ est ad Simandensem Archiepiscopum: [Quæ (Ecclesia Romana) per B. Petrum, quasi quodam priuilegio ab ipsis fidei primordijs à sanctis Patribus omnium Mater Ecclesiarum adstruitur, & ita vsque in finem semper habebitur, in qua nullus vnquam hæreticus præfuisse dignoscitur, nec vnquam præficiendum, præsertim Domino promittente, confidimus. Ait enim Dominus Iesus: Ego rogaui pro te, Petre, vt non deficiat fides tua.]

Hunc

Hunc locum profert Launoius, vt verba illa, [Ego rogaui pro te,] ostendat, non de solo Romano Pontifice, sed de Ecclesia Romana esse accipienda. Sed patet, sanctum illum Pontificem hoc priuilegium Ecclesiæ Romanæ ea tantùm de causa tribuere, quòd illi Petri successor præsit. Hoc significat particula illa, (enim.) Ideò enim Ecclesia Romana est mater omnium aliarum, quia ei numquam præfectus est, neque præficietur hæreticus. Ideò non est præfectus, neque præficietur hæreticus, quia Dominus rogauit pro Petro, vt non deficeret fides eius, scilicet neque in ipso, neque in eius successoribus.

Superfluum esset, posteriorum Pontificum hac de re testimonia proferre, cùm nemo dubitet, eos suum in fidei quæstionibus iudicium irreformabile æstimasse. Vnicum igitur duntaxat adducam, scilicet Innocentij III. qui verba Innocentij I. quæ principio retulimus, interpretabitur, si tamen cuiquam possunt videri obscura. Igitur Innocentius III. in epist. ad Episcopum Arelatensem, docet, maiores causas, & præsertim, quæ ad fidem pertinent, ideò ad Romanum Pontificem esse perferendas, quòd indefectibilis sit eius, vt Petri, fides. [Maiores, inquit, Ecclesiæ causas, præsertim articulos fidei ad Petri Sedem referendas intelligit, qui nouit, pro eo Dominum exorasse, ne deficiat fides eius.]

Notat Launoius, [Innocentium non dicere id, quod ad Sedem Apostolicam iudicandum refertur, ibi certò, & sine vllo erroris periculo iudicatum iri.] Quid igitur sibi volunt illa verba, quæ rationem continent, cur causæ fidei ad Petri Sedem referendæ sint; [Dominum exorasse, ne deficiat fides eius? Nam si certò, & sine vllo erroris periculo iudicium non eunt,] Dominus quidem orauit, sed non exorauit. Exorasse autem Innocentius, & plures alij affirmant. Apertiùs mentem suam explicat Innocentius serm. 2. in consecrat. Pont. Max. [Nisi enim ego solidatus essem in fide, quomodò possem alios in fide firmare? Quod ad officium meum noscitur specialiter pertinere; Domino protestante: Ego, inquit, pro te rogaui Petre, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. Rogauit, & impetrauit: quoniam exauditus est in omnibus pro sua reuerentia. Et ideò fides Apostolicæ Sedis in vlla vnquàm turbatione defecit, sed integra semper, & illibata permansit, vt Petri priuilegium persisteret inconcussum.] Iam etiam supra vidimus, Innocentium I. ægrè tulisse, quòd sancta Sedes super ijsdem quæstionibus secundò consuleretur, quasi non esset indubitata prima eius sententia.

Agnoscunt omnes, etiam Gallicani, huius relationis necessitatem, cuius tot leguntur exempla Episcoporum sanctitate insignium, præsertim suæ nationis iam à primis sæculis, vt S. Victricij Rotomagensis, S. Exuperij Tolosani, S. Cæsarij Arelatensis; & aliorum circa disciplinam, aliorum circa fidem, & mores, vt iam olim S. Leo Magnus ad Episcopos Prouinciæ Viennensis scripserit: [Nobiscum itaque fraternitas vestra recognoscat, Apostolicam Sedem pro sui reuerentia à vestræ etiam Prouinciæ Sacerdotibus innumeris rationibus esse consultam, & per diuersarum, quemadmodùm vetus consuetudo poscebat, appellationem causarum, aut retractata, aut confirmata fuisse indicia.] Sed vnde oritur illa necessitas consulendæ sanctæ Sedis in causis maioribus, præsertim articulos fidei contingentibus, nisi ex eo, quòd pro Petro Dominus exorauerit, ne deficeret fides eius, vt inquit Innocentius III. ac plures alij iam citati? Quinam autem ex tot antiquis Episcopis Gallicanis, huiusmodi causas ad Apostolicam Sedem referentibus, existimauit reformandum, aut reformabile esse illius iudicium?

DISQVISITIO VI.

Expenduntur, quæ Ludouicus Ellies du Pin in sua circa antiquam Ecclesiæ Disciplinam Dissertatione quinta adfert aduersùs Romani Pontificis in rebus Fidei infallibilitatem.

Elliesius in suæ præsentis Dissertationis quintæ Præloquio sequentia fuit præfatus. Primò. [Cùm ea communis sit omnium hominum conditio, vt multis, ac varijs erroribus sint obnoxij; nullum præstantius mortali cuiquam munus à Deo concedi potest, quàm vt aliquibus in rebus falli non possit, præsertim verò in ijs, quorum cognitio, licèt necessaria, rationis tamen viribus haberi non potest. Hinc nullum maius Romanis Pontificibus priuilegium tribui potuit, quàm certum, & infallibile in rebus fidei definiendis iudicium. Sed quò maius, & excellentius est istud donum, eò diligentiùs cauendum est, ne illud temerè, ac sine fundamento Ipsis adscribamus: nam præterquàm quòd indignum est, alieni auctoritatem eam, quæ ipsi non competit, tribuere, nihil magis periculosum, quàm eum, qui possit errare, infallibilem credere: si enim contingat, eum de facto errare, necessariò in errorem ducuntur, qui eum deficere minimè posse arbitrantur, cùm ei auctoritati, quæ putatur infallibilis, adhærendum omninò sit. Igitur Romani Pontificis infallibilitatem credere nemo debet, nisi tam perspicuè demonstretur, vt nullus dubitationi supersit locus. Nam nisi omninò certum sit, eum esse infallibilem, qui potest eius iudicium pro certo, & infallibili haberi? Quippe si probabile tantùm est, Pontificem esse infallibilem, potest id etiam esse falsum; quod si falsum id esse potest, potest in particulari iudicium quodlibet Papæ esse falsum. Quomodò ergo dicetur infallibile iudicium, quod potest esse falsum? Itaque qui Pontificis defendunt infallibilitatem, tenentur apertissimè demonstrare, istud priuilegium ei à Deo concessum esse, hoc autem aliter probare non possunt, quàm ex Scriptura, & traditione: quare si ex neutro capite palàm, & apertè id osten-

ostendant, actum est de illa infallibilitate Pontificia.

Secundò. Quòd ij, qui Pontificis Romani infallibilitatem propugnant, non id sibi volunt, Romanos Pontifices prorsus, & quocumque in casu esse infallibiles: imò fatentur, eos non secus ac cæteros mortales sæpe errare, ac decipi: sed tunc eos errare non posse perhibent, (cum ex Cathedra) Inquuntur, quæ vox antiquis omnibus Theologis hoc in negotio ignota, à recentioribus est excogitata.

At quamuis omnes infallibilitatis Pontificiæ assertores de ea conueniant, in eius tamen sensu assignando multùm à se inuicem discrepant: quibusdam loqui (ex Cathedra) idem est ac cum Concilio loqui, sed isti non tam videntur infallibilitatem Pontifici tribuere, quàm Concilio. Alijs, ex Cathedra, loqui, idem sonat, ac secundùm Scripturam, & traditionem loqui; quæ quidem expositio nihil magis tribuit Pontifici, quàm cuilibet alij; certum enim est, eum non errare, qui secundùm Scripturam, & traditionem loquitur: sed illud quæritur, quomodò, & an certò sciri possit, Pontificem secundùm Scripturam, & traditionem loqui? Quod si cuilibet examinare liceat, ruit profectò infallibilitas illa Pontificia. Alij sic explicant illud, ex Cathedra, loqui, vt idem sit ac loqui, re maturè, & diligenter examinata. Vulgatissima expositio verborum istorum, quam Caietanus, Bellarminus, Duuallius, & alij subministrant, hæc est, Pontificem loqui, ex Cathedra, cùm circa fidem, aut bonos mores, Ecclesiam docet, sed nec ista nodum planè soluit; vlteriùs enim quæritur; vnde cognoscatur, verùm Ecclesiam doceat vniuersam, an verò, vt priuatus loquatur. Hic eis aqua hæret; quidam dicunt, Pontificem tunc censeri Ecclesiam docere, cùm Decretalem condit, alij, cùm consultus respondet; nonnulli, cùm Bulla eius certo tempore ad valuas S. Petri affixa est, quo nihil ineptius dici potest. Cæterùm inde colligitur, quanta sit eorum, qui Pontificem Romanum infallibilem esse docent, in sua opinione tuenda anxietas, & inconstantia, ex qua de eis falsitate præiudicari quodammodò potest. Enim verò vt certi esse possimus de infallibilitate iudicij alicuius à Romano Pontifice lati, debemus habere certam regulam, per quam manifestè cognoscamus, hoc illorum de numero esse, quæ necessariò infallibilia sunt; at nondum de eiusmodi regula conuenit inter eos ipsos, qui Pontificem infallibilem esse prædicant, sed hi quidem vnam, alij verò aliam conditionem ad certitudinem alicuius iudicij Pontificij requisitam esse contendunt, ac proinde necesse est, iudicium illud in dubium ab aliquibus reuocari, quod ab alijs pro certo, & infallibili habebitur.

Quomodò ergo quisquam potest esse certus, hoc vel illud iudicium de numero infallibilium esse, cùm secundùm aliquos in dubium reuocari possit, secundùm alios de eo dubitare, sit nefas: ergo hic epechein oportet, & neutrum iudicium pro infallibili habere. Sed his præmissis, Romanos Pontifices aut solos, aut cum sua Romana Synodo, etiam cùm ex Cathedra, loqui perhibentur, in iudicando falli posse, ostendamus.

Ad hoc autem sufficeret, aduersæ opinionis argumenta refellere, quia ipsorum est (vt obseruauimus) probare ex Scriptura, & traditione, Pontificem Romanum inerrantiæ priuilegio gaudere: quapropter nobis satis esset, argumenta, quibus suadere conantur, inania demonstrare, nec opus foret, rationibus, & exemplis doctere, Pontifices in definiendo errare posse, & de facto errauisse; sed quia non nocet (vt loquuntur) abundantia Iuris, vtrumque nos, Deo dante, præstabimus.]

Hæc per Elliesium asserta in ipso equidem huius Disquisitionis decursu refutabuntur, consultum tamen duximus, in fine illius subnectere Corollarium, in quo summaria eorum Elliesii notum, in Præloquio adductorum discussum, Papam, qua ex Cathedra loquentem complectentium, exhibebitur confutatio.

§. I.

Expenduntur Elliesij argumenta contra infallibilitatem Romani Pontificis desumpta ex sacris Litteris, veterisque Ecclesiæ disciplina.

ARGVMENTVM IV.

Elliesij.

Romanum Pontificem non esse infallibilem, I. nititur hic Theologus probare ex Galat. 2. v. 14. vbi Petrus à Paulo reprehensibilis fuisse perhibetur, accusaturque ab eodem, quod non rectè ad Euangelij veritatem ambularet, quòdque gentes auctoritate sua ad iudaizandum impelleret. Iam verò si potuit Petrus aduersùs veritatis regulam, quam postea Ecclesia secuta est, cogere gentes ad iudaizandum (vt obseruat Augustinus) cur non potuerunt Petri successores contra veritatis regulam aliquid aut docere, aut faciendum præscribere? Hæc verò ratio non à nobis primùm inuenta est, sed ab Augustino centies inculcata: is enim ex hoc loco sæpiùs concludit, nullum omninò Episcopum, nullam Synodum Prouincialem esse infallibilem. Sic lib. 2. de Baptismo cap. 1. ita ratiocinatur.

[Si quisquam nunc cogat, circumcidi aliquem more iudaico, & sic baptizari, multò ampliùs hoc detestatur genus humanum, quàm si aliquis cogatur rebaptizari, quapropter cùm Petrus illud faciens à Paulo posteriore corrigitur... quantò facilius & fortiùs, quod per vniuersæ Ecclesiæ statuta firmatum est, vel vnius Episcopi authoritati, vel vnius Prouinciæ Concilio præferendum est] Ante Augustinum verò Cyprianus idem ex isto Apostoli Pauli facto intulit in epist. ad Quintum; [Nam nec Petrus, quem primum Dominus elegit, & super quem ædificauit

cauit Eccleſiam ſuam, cùm ſecum Paulus de circumciſione poſtmodùm diſputaret, vindicauit ſibi aliquid inſoleuter, aut arroganter aſsumpſit, vt diceret, ſe primatum tenere, & obtemperari à nouellis, & poſteris ſibi potiùs oportere, ſed conſilium veritatis admiſit, & rationi legitimæ, quam Paulus vindicabat, facilè conſenſit, vt non pertinaciter noſtra amemus, ſed quę aliquando à fratribùs & collegis noſtris vtiliter & ſalubriter ſuggerentur, ſi ſint vera, & legitima, noſtra potiùs ducamus. Ex quibus conficitur, exemplo Petri doceri Epiſcopos omnes, nullo excepto, in errores prolabi poſſe, & ab alijs emendari.

Reſponſio.

Priuſquam reſpondeatur, ob oculos, ponenda eſt diſtinctio à S. Auguſtino lib. 2. contra epiſt. Petiliani cap. 51. tradita inter officium Paſtorale Cathedræ Apoſtolicæ, ſeu Romanę, ac perſonam in iſta Cathedra ſedentem. In vi eiuus diſtinctionis, teſte eodem S. Auguſtino ita res ſe habet, vt errores ac vitia perſonæ Romanam Sedem obtinentis nullatenus redundêt in Cathedram Apoſtolicam Romanæ Eccleſiæ. Quamuis igitur aliqui Scripturarij ſentiant, Petrum non tam in ſeipſo, quàm ex alieno rei veritati diſſono iudicio Galat. 2. fuiſſe reprehenſibilem, hoc tamen ſepoſito, & admiſſo, alleui Petrum in Legalibus obtrudendis culpæ, ſeu indiſeretioni non tam mortiferæ, quàm veniali extitiſſe obnoxium, vti hæc alibi à nobis diſcuſſa liquent. Nihilominùs hae de re non ex Cathedra ſua Apoſtolica ſanxerat aliquod Dogma, ſed in Facto dumtaxat perſonæ ſuæ propriç reatum contraxit, velut Diui Auguſtini ab Ellieſio ſuperiùs allegata verba elarè inſinuant, vtpotè qui non ex Dogmate falſo redarguebatur, nec adeò qua docens ex Cathedra ſua, ſed qua faciens Iudaico more baptizandos circumcidi, fuerat à Paulo poſteriore correctus.

Ex qua proinde [quoad Factum ſuum perſonale, non verò quoad Dogma ex Cathedra definiendum] Petri errabilitate, infert præcitatus ſanctæ Eccleſiæ Doctor id, quod per vniuerſæ Eccleſiæ ſtatuta eſt firmatum, vtique præferendum vnius Epiſcopi auctoritati, vel vnius Prouinciæ Concilio, vtpote perinde obnoxio errori, ac Petrus quoad Factum ex propria ipſius perſona promanans errare potuerat, qui tamen error ſecundùm eumdem Auguſtinum eius Cathedræ Apoſtolicæ nullatenus fuerat imputandus.

Hanc igitur ſui ex propria perſona in Facto, non verò ex Cathedra Apoſtolica in Dogmatis ſanciendi iure errabilitatem agnouiſſe, inducitur Petrus à Cypriano in Epiſt. ad Quintum aſſeuerante, quòd correptus à Paulo haud vindicarit ſibi, vt diceret, ſe Primatum gerere, ſibique potiùs à nouellis, & poſteris obtemperandum eſſe, quippe cùm probè ſciuerit, ſe in Facto illo non ex primatus ſui Cathedra Apoſtolica, ſed ex propria ſuà perſona prodeunte, errori obnoxium fuiſſe.

ARGVMENTVM II.

Ellieſij.

IN hoc fit prioris argumenti continnatio, illationiſque, per quam S. Auguſtinus ex errore Petri argumentabatur ad Concilij Prouincialis errabilitatem, exinde fit extenſio ad Romanorum quoque Pontificum errabilitatem iuxta Pelagij II. ad Iſtriæ Epiſcopos epiſtolam hiſce verbis conceptam. Debet, inquit, perpendere veſtra dilectio, quia prædeceſſorum noſtrorum in hac cauſa (trium capitulorum) conſenſus tantò poſt inanis non fuit, quantò priùs duris contradictionum laboribus inſudauit: ſed his inſuper factum, Petri, qui & Paulum ſuperat, veſtra fraternitas ad memoriam reducat, diu quippe reſtitit, ne ad fidem gentes ſancta Eccleſia ſinè circumciſione reciperet, diu ſe à conuerſarum Gentium communione ſubtraxit, Paulo atteſtante, qui ait, cùm veniſſem Antiochiam, in faciem ei reſtiti &c. qui tamen ab eodem Paulo poſtmodùm ratione ſuſcepta, dum quoſdam conſpiceret, qui Gentiles ad Eccleſiam venientes pondere ſeruandæ circumciſionis onerarent, dicit cur tentatis, Deum, imponentes iugum ceruicibus diſcipulorum, quod neque patres noſtri, neque nos portare potuimus. Numquid, fratres dilectiſſimi, Petro Apoſtolorum Principi ſibi diſſimilia docenti, debuit ad hęc reſpondeti. Hæc, quæ dicis, audire non poſſumus, quia aliud ante prędicaſti. Si igitur in trium capitulorum negotio, aliud cùm veritas quæreretur, aliud autem inuenta veritate dictum eſt, cur mutatio ſententiæ huic Sedi in crimine objicitur, quam cuncta Eccleſia in eius auctore veneratur.

Reſponſio.

Oportuiſſet, Ellieſium in eo Pelagij II. diſcurſu aduertiſſe diſtinctionem illam, qua is Pontifex talem fecerat concluſionem, [Si igitur in trium capitulorum negotio, aliud, cùm veritas quæreretur, aliud autem inuenta veritate dictum eſt, cur mutatio ſententiæ huic Sedi in crimine objicitur, quam cuncta Eccleſia in eius auctore veneratur.] En proinde quàm ſedulò diſcernere oporteat tempus inquiſitionis circa veritatem indagandam. Sub cuiuſmodi profectò diſquiſitione vtpote definitiuæ ſententiæ præuia, necdum loquitur Papa ex Cathedra ſua Apoſtolica, ſieque adeò mutabilitati ſententiarum in ipſo etiam Pontifice adhuc locus eſſe poteſt. At vbi inuenta veritate fit decretoria huius definitio, quam in eius auctore (Papa ſcilicet ex Paſtoralis erga Vniuerſalem Eccleſiam officij Cathedra Apoſtolica deciſoriè loquente) veneratur cuncta Eccleſia, nequit iam Pontifex obnoxius eſſe errori, quin iſte redundaret in ſanctam Eccleſiam, Apoſtolo Paulo teſte, veritatis columnam, ac firmamentum.

ARGVMENTVM III.

Ellies ij.

Pergit ille Parisiensis Theologus 3. prætendere, illud non errandi priuilegium, quod Romano Pontifici tribuitur, per decem & ampliùs sæcula fuisse ignotum. Non enim pauca etiam de fide olim lata sunt indicia, inconsulto Romano Pontifice: nec habitus est ille summus controuersiarum iudex, sed sæpe sæpiùs iudicia ab ipso lata in Concilijs præsertim Oecumenicis, iterum examinata, & retractata sunt, iam verò si extra controuersiam tunc fuisset Romani Pontificis infallibilitas: an credibile est, cæteros Episcopos quidquam iudicaturos fuisse absque illius consensu, & auctoritate, aut aliquid ab ipso iudicatum retractaturos fuisse. Nam posito quòd infallibile sit aliquod iudicium, absurdum est, causam in eo terminatam iterum examinare & iudicare. Quid ergo necesse erat totius orbis Episcopos fatigari. Quid opus Ecclesias Pastoribus orbari ad cogenda Concilia, quorum iudicium non pluris fieri deberet, quàm vnius Romani Pontificis. Nam è duobus infallibilibus iudicijs, vnum pluris altero fieri non potest, nec duo infallibilia iudicia maiorem habent auctoritatem, quàm vnum, quod enim infallibile est, omnem omninò meretur fidem: nec quidquam huic certitudinis ex illo iudicio, licèt infallibili accedit.

Verùm id argumentum, quod ineluctabile est, maiorem etiam lucem accipit ex his controuersijs, quas nonnulli Episcopi maximè Catholici cum Romanis Pontificibus habuerunt, Nam si Romani Pontificis infallibilitas in iudicando ab omnibus Catholicis tùm fuisset agnita: cæteri Episcopi Catholici illius procul dubio iudicio cessissent, & ab eo dissentire, nefas esse duxissent. sit verbi gratia; si tempore Victoris Romani Pontificis iudicium infallibile habitum fuisset ei non restitissent, non modò Asiatici, sed nec Irenæus, & cæteri orbis Episcopi, qui in illorum communione contra Romani Pontificis sententiam permanserunt. Similiter si tempore Stephani compertum fuisset, Romanum Pontificem errare non posse, Cyprianus, & Africani Præsules, nec non Dionysius, & alij Orientis Episcopi in Stephani sententiam pedibus iuissent, nec disciplinam suam contra eius auctoritatem mordicùs retinnissent, & certè S. Augustinus hac de re agens, supponit eos, illæsa fide, & charitate, à Stephano dissensisse, quia res nondum fuerat supremo iudicio, & infallibili determinata. [Fuit, inquit lib. 2. de Bapt. c. 5. aliquando de Baptismo dubitatio, qui diuersa senserunt, in vnitate mãserunt ea dubitatio procedente tẽpore, perspecta veritate, sublata est.] Iam verò si Romani Pontificis iudicium tempore Augustini fuisset indeficiens, nonne Stephani iudicio veritas perspecta, & sublata quæstio dici debuisset.

Denique vt alia mittam, tempore Basilij Magni, iudicium Romani Pontificis etiamsi cùm Episcopis Occidentalibus sentiret, non habebatur infallibile. Numquam enim ille (Basilius) aut cæteri Orientales tres hypostases reijcere voluerunt, & eos probare, qui vnam dicebant hypostasim, quamuis id maximè vrgerent cum Romano Pontifice Occidentales, nec alia conditione cum Meletio communionem habere vellent: quorum propterea typhum Basilius acriter reprehendit.

Responsio.

Hæc equidem alibi iam excussa, non, nisi summariè hic repetenda sunt. Falsum igitur est. quòd iudicia definitiua de fidei dogmatibus vnquam lata sint, inconsulto Romano Pontifice, quippe cùm Generalium etiam Conciliorum decisionibus, vt Christi, vna & Patris sui æterni assistentia præstò esset Matth. 18. promissa, pendere debeant ex consensu Duorum, vnius, qui Vicarium Christi nomen præfert in terris, nempe Papæ Ecclesiæ sanctæ Capitis, & reliqui Corporis, Hierarchici, ex Prælatis nomine Christi coadunatis subsistentis. Et licèt aliàs probauerimus, Petræ firmitatem, atque adeò in rebus fidei decidendis infallibilitatem, ac ex Cathedra Apostolica decernendi potestatẽ, ex certiori sententia competere Papæ etiam antecedenter ad Concilium attamen quia hoc necdum extat in Ecclesia definitum maiorque adeò, magisque constringens secundùm nos; ad proteruos præcipuè conuincendos, est credibilitatis euidentia ex Concilij Oecumenici non Acephali, sed Capitis vnà: & Hierarchici Ecclesiæ Corporis consensum complectentis definitione, idcircò iudicia Summorum Pontificum in rebus fidei extra Concilium lata, consultò referebantur ad Synodum Oecumenicam pro omnimoda etiam quoad nos, & vltimata, consummataque infallibilitate eisdem impertienda tametsi alibi ostensum fuerit, Decreta, quæ in rebus fidei à Summis Pontificibus antecedenter ex Cathedra Apostolica fuerant lata: numquam erroris fuisse damnata à Concilio verè Oecumenico, vicarium scilicet Christi proprium Papæ characterem præferente. Quia porrò non æquè certum est, Pontificem Romanum ex Petra, ceu Cathedra sua Apostolica extra, ac intrà Oecumenicum Concilium decernere, & alias in ijs, quæ Facti sunt Papa errare potest, imò in ipsis etiam fidei rebus non ex Cathedra loquens, deceptioni, obnoxius est, idcirco euenire quandoque potuit, vt Episcopi in quæstionibus fidei antecedenter ad Concilij Oecumenici definitionem, eiusque ex Papa auctorizationem, ancipites adhuc hæterent, ac de rei veritate decertarent, quamquam pro isthoc instituto inpertinenter allegentur Victor super Paschatis quæstione Iudaicum ritum exscindere conatus, verè Victor euadens; & Stephanus Papa Cyprianum priùs dissentientem. de non rebaptizandis ab hæretico baptizatis definiendo, sibi consentientem reddens, vti hæc antehac probata dedimus:

Sed dum olim sub æquiuocatione Nominis Hypostaseos, quod Græci pro subsistentia, seu personalitate. Latini verò pro substantia supponere arbitrati sunt, Basilius cum Orientalibus significationi Græcis assuetæ inhætens, decertabat cum Occidentali-

bus ſuæ Latinæ ſignificationi inſiſtentibus, ſicque de nomine, non de re diſſentientibus: & in Sabelliano errore condemnando vtrinque concordantibus, quid ex hoc aduersùs Papæ ex Cathedra Apoſtolica in dogmatibus fidei decidendis infallibilitatem concludere licet.

ARGVMENTVM

Ellieſij.

Pergit hic Auctor argumentum ſuum prius deductum confirmare ex Romanis Pontificibus, qui ad cauſas Eccleſiaſticas finiendas, Synodos petierunt conuocari; ſic Liberius ad Athanaſij cauſam iudicandam, Synodum petijt à Conſtantio, Damaſus, & Occidentales petierunt Synodum fieri vniuerſalem ad res Orientis componendas. Syricius Bonoſum ad Concilium remiſit iudicandum. Innocentius petijt Synodum fieri ad cauſam Chryſoſtomi examinandam. Sanctus Leo ad Eutychis cauſam retractandam, reſcindendumque latrocinij Epheſini decretum, Synodum vniuerſalem neceſſariam eſſe duxit. Mitto alios innumeros. Quòd ſi Romani Pontifices ſe in iudicandis rebus fidei, aut morum infallibiles eſſe præſumpſiſſent, numquam illas Synodos fieri petijſſent, ſed iudicium ſuum veluti ſupremum, & infallibile interpoſuiſſent.

Pro iſthoc intento firmando, adducuntur inſuper multa Auguſtini teſtimonia, in quibus aſſerit, nullius Epiſcopi, aut etiam Synodi Prouincialis iudicium eſſe infallibile. Sæpiſſimè id habes in libris eius de Baptiſmo, cùm obſeruat, nec Stephani, nec Cypriani iudicio quæſtionem de rebaptizatione Hæreticorum fuiſſe terminatam, ſed vniuerſalis Concilij, ac totius Eccleſiæ iudicio. Hinc ibidem apertè pronunciat, omnes omninò Epiſcoporum literas, & omnia omninò Concilia Prouincialia, ne exceptis quidem Romanis, emendari poſſe à Concilijs maioribus. Speciatim verò hanc regulam Romano Pontifici, eiuſque Synodo adaptat lib. 2. ad Bonifac. cap. 3. cùm enim iactarent Celeſtiani, Romanum Pontificem Zozimum Celeſtij dogma approbaſſe, reſpondet primò, Celeſtium Zoſimo impoſuiſſe; deinde verò hæc addit: [Sed ſi, quod abſit, ita tunc fuiſſet de Celeſtio, & Pelagio in Romana Eccleſia iudicatum, vt illa eorum dogmata, quæ in ipſis, & cum ipſis Papa Innocentius damnauerat, approbanda, & tenenda pronunciarentur, ex hoc potiùs eſſet præuaricationis nota Romanis Clericis inurenda.] Siccine loqueretur Auguſtinus, ſi credidiſſet, Romanum Pontificem cum ſuo Clero non poſſe à fide deficere? Cæterùm tunc temporis adeò perſuaſum erat Epiſcopis Africanis, Romanum Pontificem non eſſe in iudicando, Spiritus ſancti adiutorio infallibilem, vt non dubitent id veluti certum proponere: [Niſi fortè, inquiunt, quiſquam eſt, qui credat, vnicuilibet noſtrum poſſe Deum inſpirare iuſtitiam: & innumerabilibus congregatis in Concilium Sacerdotibus denegare.] Vnus ille Epiſcopus, non alius eſt, quàm Romanus, ad quem hæc verba diriguntur.

Affertur denique Concilij 5. Generalis collat. 8. tomo 5. Conciliorum colum. 562. & 563. exarata ſententia ſub hoc tenore: [Licèt Spiritus ſancti gratia circa ſingulos Apoſtolos abundaret, vt non indigerent alieno conſilio ad ea, quæ agenda erant, non tamen voluerunt de eo, quod mouebatur, ſi oporteret gentes circumcidi, definire, priuſquàm communiter congregati, Diuinarum Scripturarum teſtimonijs vnuſquiſque dicta ſua confirmauerunt, vnde communiter de eo ſententiam protulerunt, ad gentes ſcribentes, viſum eſt Spiritui ſancto, & nobis: ſed & ſancti Patres, qui per tempora in ſacris quatuor Concilijs conuenerunt, vtentes communiter, de exortis hæreſibus, & quæſtionibus diſpoſuerunt certo conſtituto, quòd in communibus de fide diſputationibus, cùm proponantur ex vtraque parte, quæ diſcutienda ſunt, veritatis lumen tenebras expellit mendacij: nec enim poteſt in communibus de fide diſceptationibus aliter veritas manifeſtari, cùm vnuſquiſque proximi adiutorio indiget.] Ex quibus cernere eſt, iſtius Concilij Patribus fuiſſe perſuaſum, veritatem alibi definiri non poſſe, quàm in Concilijs generalibus, nec ab vllo priuato Epiſcopo etiam Romano quidquam circa fidem decerni poſſe, quod ita certum ſit, ac ea, quæ in Concilijs definita ſunt.

Reſponſio.

Hæc per extenſum hic adduco, ne vel apex de Ellieſianis oppoſitionibus prætermiſſus prætendi queat, quamquam ea, quæ ex Romanis Pontificibus, cauſas Eccleſiaſticas finiendas, ad Concilia Oecumenica, ob rationes in proximè antecedente reſponſione noſtra expreſſas, quandoque referentibus, iam antebac etiam ſpecificè à nobis diſcuſſa, atque excuſſa fuerint.

Sed quid vigoris circa cauſam præſentem ineſſe poteſt Auguſtini teſtimonijs, dùm hic Eccleſiæ ſanctæ Doctor ex libris eius de Baptiſmo probatur aſſeruiſſe, nullius Epiſcopi, aut etiam Synodi Prouincialis iudicium eſſe infallibile? Nùm dicere fas eſt, ſub voce Epiſcopi cum Synodo Prouinciali hac in re comparati, eſſe ſermonem de Romano Pontifice ex Cathedræ Apoſtolicæ auctoritate decernente?

Eſto, dixiſſet Auguſtinus, nec Stephani, nec Cypriani iudicio quæſtionem de rebaptizatione Hæreticorum fuiſſe terminatam, tametſi contrarium in antecedentibus oſtendetimus, ſed vniuerſalis Concilij, ac totius Eccleſiæ iudicio eſſe finem impoſitum, ex hoc nihil aliud euinceretur, niſi quòd proterula aduerſantium aliquando eò vſque excreſcat, vt iudicio Papæ haud contenti, maiorem quoad nos certitudinem ex Concilio Oecumenico adhuc exigant. Dùm porrò is ſanctæ Eccleſiæ Doctor prounnciauit, Epiſcoporum cunctorum literas, omniaque Concilia Prouincialia poſſe à maioribus Concilijs emendari, indebitè Romanos quoque Pontifices, Concilijs Prouincialibus quantumuis maioribus auctoritate ſupereminentes, hac Auguſtini ſententia contineri, prætenditur. Sed quid Papæ ex Cathedra definientis infallibilitati

stati nocere potuit deceptio Romanorum Clericorum præuaricationis in Celestij dogmate approbando notam contrahentium? Sub qua præuaricationis nota, dignissimum est animaduertere, Diuum Augustinum Clericos Romanos absque Zosimi Papæ mentione, comprehendisse non aliam ob causam, nisi quia illud Cleri Romani iudicium non profluebat ex illius Pontificis Apostolica Cathedra. Quomodò autem Africani vnumquemque de suis Episcopis, Concilio Prouinciali de Spiritus sancti inspiratione magis certum esse negantes, secundùm rei veritatem potuissent hisce verbis complecti Romanum Pontificem, atque hunc adeò Synodo Prouinciali, vel inferiorem, vel supparem statuere?

Quod denique ex quinta Generali Synodo adferebat Elliesius, in eo vel maximè venit aduertendum, in Apostolis singulis eatenus fuisse ab illo Concilio Generali agnitam infallibilitatem, vt tamen non inane, ac superfluum reputaretur, quæstionem de Legalibus referre ad Apostolos communiter congregatos. Vnde manifestè euincitur, ex eo, quòd fidei quæstiones pro vltimata, & in ordine ad conuincendos proteruos, etiam quoad nos omnimodè consumata infallibilitate obtinenda referantur ad Concilia Oecumenica, minimè inferri, in Romano Pontifice ex Cathedra sua Apostolica, etiam extra Concilium definiente, quoad se, siue quoad rei veritatem non inexistere Petræ firmitatem, seu in rebus fidei infallibilitatem.

§. II.

Elliesianæ probationes à Romanorum Pontificum à fide deuiantium, & inter se pugnantium exemplis desumptæ refelluntur.

AB Elliesio à pag. 346. inducuntur 1. nonnulli Pontifices à fidei veritate aberrantes, & is in primis Romanus Pontifex, de quo Tertullianus in libro contra Praxeam ista scribebat: [Idem Praxeas tunc Episcopum Romanum agnoscentes iam prophetias Montani, Priscæ, Maximillæ, & ex ea agnitione pacem Ecclesijs Asiæ, & Phrygiæ inferentem, falsa de ipsis Prophetis, & eorum Ecclesijs asseuerando, & prædecessorum eius auctoritates defendendo, coegit literas pacis reuocare iam emissas, & à proposito recipiendorum charismatum concessare.] Fuit ergo tùm temporis Romanus Pontifex, qui nouas Montani prophetias approbauit, & per literas Montanistis communionem impertijt, quas, errore cognito, reuocare coactus est.

Verùm Tertulliano credendum non est, dùm Romanum Pontificem secum sentientē, sed Praxeæ machinationibus à se posteà auersum iactauerat. At esto, Papam illum, cuius tacito nomine meminit Tertullianus, à Montanistis persuasum, quòd Montanistæ errores ipsis imputatos reuera non tenuissent, pacem voluisse eis reddere, quam oegassent prædecessores, nùm ex deceptione, non doctrinam, sed factum concernente, redargui posset is Pontifex de fidei errore?

De Victore Papa Asiaticos in Paschatis celebratione Iudaizantes, per excommunicationis censuram grauiùs coercente, constat ex antecedentibus, malè fuisse reprehensum à nonnullis Episcopis, tandemque Victorem cuasisse, ipsomet quoque Nicæno Concilio adstipulante.

De Stephano Papa liquet ex ijs, quæ tomo 1. Concil. edit. Pariens. pag. 446. antehac adferebamus, ipsum Hæreticorum Baptisma non aliter, nisi sub inuocatione vnius Dei, ac Trinitatis Personarum legitima adeò factum approbasse, Cyprianumque priùs contrarium sua auctoritate ad veritatis semitam reduxisse.

De Liberio alibi ostensum est, ipsum approbando vocem Homiusios, arbitratum fuisse, eiusdem esse significationis cum voce Homousios, Filij cum Deo Patre consubstantialitatem denotante, sicque in veritate fidei non aberrasse, sed in vnica vocis syllaba inaduertenter fuisse deceptum.

De Zozimo ipsum audiamus sanctum Augustinum libro 2. ad Bonifacium cap. 3. disserentem: [Quænam tandem, inquit, querela venerandæ memoriæ Papæ Zozimi, quæ interlocutio reperitur, vbi præceperit, credi oportere, sine vllo vitio peccati originalis hominem nasci, nusquam prorsus hoc dixit, nusquam omninò conscripsit; sed cùm hoc Celestius in suo libello posuisset inter illa dumtaxat, de quibus se dubitare, & instrui velle confessus est, in homine acerrimi Ingenij, qui profectò, si corrigeretur, plurimis profuisset, voluntas emendationis, non falsitas dogmatis approbata est, & propterea libellus eius Catholicus dictus est, quia & hoc Catholicæ mentis est, si qua fortè aliter sapit, quàm veritas exigit, non ea certissimè definire, sed detecta, ac demonstrata respuere.] Nec obstant, quæ subiecit idem sanctæ Ecclesiæ Doctor: [Sed si, inquiens, quod absit, ita tunc fuisset de Celestio, vel Pelagio in Romana Ecclesia indicatum, vt illa eorum dogmata, quæ in ipsis, & cum ipsis Papa Innocentius damnauerat, approbanda, & tenenda pronunciarentur, ex hoc potiùs esset præuaricationis nota Clericis Romanis inurenda.] Ex his namque constat manifestè, Diuum Augustinum eius erga Papam fuisse sententiæ, vt posito etiam, quòd in Romana Ecclesia Celestij, & Pelagij dogmata ab Innocentio prædamnata, fuissent approbata, sub isthac etiam falsa hypothesi non ausus fuerit, hanc præuaricationis notam inurere Papæ, sed Clericis Romanis dumtaxat.

De Honorio patet, eius epistolas ad Sergium, & Pyrrhum scriptas, ob quas scilicet hæresis damnatus dicitur, fuisse priuatas, non publicas, & dogmaticas, itaut Papa ille nihil in ijs definierit, sed mentem suam priuatim solummodò explicuerit, nec adeò, licèt hæresim continerent, inde argumentari licet de Papa loquente ex Cathedra: quamquam si eæ literę studiosè peruoluantur, nullus profectò circa fidem error in eis valeat deprehendi, sicque adeò calumniosa illa con-

tta Honorium iactitata imputatio.

De Ioanne XXII. probat Bellarminus libro 4. de Romano Pontifice cap. 14. ipsum nunquam definiuisse, vel etiam in animo habuisse definiendi quæstionem, quam priuatè asseruerat, ac de ea quandoque consultauerat, quasi animæ nonnisi post resurrectionem essent Deum visuræ, sed etiam reuocasse antè mortem suam. Ex quibus proinde vniuersis exemplis nihil probari potest de errabilitate Papæ, quando ex Cathedra sua Apostolica decernit.

A præsato Auctore à pag. 354. inducuntur 2. nonnulli recentiores Pontifices definitionibus inter se pugnantes. Etenim Innocentius III. in cap. Quantò, de Diuortijs, decreuit, vno coniugum ad hæresim transeunte, altero autem remanente in fide, non posse hunc propterea transire ad secunda vota, quod tamen Cœlestinus priùs statuerat. Deinde Pelagius cap. ante triennium dist. 31. refertur fecisse constitutionem, vt omnes Siciliæ Subdiaconi ab vxoribus abstinerent, aut ab officio cessarent, quam tamen sanctionem ceu iniquam, & cum Euangelio pugnantem retractauit Gregorius I.

Porrò Innocentius IV. in cap. Presbyter. De Sacramentis non iterandis: ait formas seu ritus sacramentorum ab Ecclesia esse inuentas siquidem constet de Apostolico ritu, in epist. ad Timotheum, quod manum imponebant ordinandis, & orationem fundebant, nulla alia ab eis seruata forma. Quæ tamen sententia repugnat Eugenij IV. definitioni. Adhæc Stephanus II. cap. 11. epist. approbauit baptismum in vino collatum, quod iterum pugnat cum definitione Eugenij IV. in responsis ad consulta Bulgarorum.

Insuper Gregorius IX. decreuerat, vt sancti Francisci Regulam professis nulla omninò proprietas etiam in communi competere debeat. Innocentius etiam IV. rerum, quarum vsus minoribus conceditur, proprietatem pertinere ad Sedem Apostolicam: quod firmauit etiam Alexander IV. ac Nicolaus III. E contra Martinus IV. sanciuit, proprietatem & dominium rerum, quibus Franciscani vti possent, nullo modo spectare ad Romanam Ecclesiam. Aduersùs quam nihilominùs sanctionem Nicolaus IV. & Clemens III. in Concilio Viennensi per Clementinam exiuit, approbabant, Franciscanos rerum proprietatem à se abdicantes, ac Sedi Apostolicæ attribuentes. Ioannes quoque XXII. abdicationem dominij in rebus vsu solo consumptibilibus impossibilem, ac inutilem putauit: at Nicolaus III. eam possibilem, & sanctam, meritoriamque sanxit. Immò idem Ioannes XXII. hæreticum dixit, dicere Christum & Apostolos non habuisse proprietatem aliquarum rerum: è contrario Nicolaus docebat, Christum, & Apostolos verbo, & exemplo talem abdicationem docuisse.

Præterea Bonifacius VIII. in Extrauag. Vnam sanctam velut fidei articulum definiuit, Reges suæ Sedi in temporalibus subesse; Clemens autem V. eam constitutionem reuocauit in cap. Meruit. de Priuilegijs.

Denique Sixtus V. in bulla editioni Bibliorum præfixa suam vulgatæ editionem emendatissimam, & pristinæ puritati restitutam sanxit: è contrario Clemens VIII. cùm multos in illa editione errores relictos deprehendisset, illam cùm Bulla iam promulgata suppressit, & nouæ editioni emendatiori conficiendæ operam posuit, quæ innumeris penè locis à Sixtina dissidet.

Verùm istæ fucatæ contradictiones facilè disparent, si animo sincero rei veritas expendatur. In primis namque ex cap. quantò. de Diuortijs. Constat, Innocentium III. sub distinctione, qua distinguebat inter infideles non baptizatos, & inter infideles hæreticos respondisse: sicque de prioribus, vno ad fidem conuerso, statuebat dissolui vinculum coniugij, non verò de posteriore infidelium, seu hæreticorum genere: atque ibidem quemdam prædecessorem suum, scilicet Cælestinum, videri aliter sensisse, quia nimirum non fecerat talem distinctionem, sicque adeò in confuso respondens quibusdam visus est de vtroque pariter sensisse, tametsi in veritate res se non ita habuerit, sed ea aliorum duntaxat opinione fuerit eius sanctioni affictus talis sensus: vt propterea sub distinctione præinsinuata censuerit Innocentius veritatem rei reddere clariorem. Deinde dum Pelagius ex religiosa ministerij Subdiaconatus reuerentia iussit in genere, vt omnes Subdiaconi abstinerent ab vxoribus; Gregorius verò hanc sanctionem coarctauit ad Subdiaconos, qui ante susceptionem Subdiaconatus se obstrinxerant voto, iussitque in cap. ante triennium distinct. 31. ne vllus ad sacrum ordinem promoueretur, qui deinceps nollet à sua vxore abstinere: quid aliud hinc euincitur, nisi quod ex diuersis religioni vtrinque conuenientibus rationibus, illi Summi Pontifices ediderint diuersas inter se discrepantes constitutiones morales, quarum neutra pugnabat cum fide, falsumque est, quod ab Elliesio dicitur, ac si Pelagij sanctio fuisset contra Euangelium.

Porrò verissimum est, materias, & formas sacramenti ordinis non tam materialiter esse determinatas à Christo, quàm formaliter quoad significationem: vnde materiam, & formam huiusmodi, si materialiter spectentur relictas esse determinationi Ecclesiæ, ab Apostolis & Summis Pontificibus iam ita factas, vt salua substantia, immutari non valeant, eo quod formalis materiarum, & formarum huiusmodi significatio deficeret, si non infallibiliter materiali quoque ritui, cum iam annexa est illa formalis, ac substantialis significatio: sicque adeò Innocentij IV. responsum hic minimè pugnat cum præadducta definitione Eugenij IV. Præterquam quod constitutio cap. Presbyter, de Sacramentis non iterandis infideliter sit relata ab Elliesio, vti patebit ex oculari inspectione illius Canonis. Ad hæc circa ea, quæ imputantur Stephano II. nulla extant authentica monumenta. Posito tamen, veram esse talem relationem, constat ex contextu, non fuisse quæstionem de valore Baptismi, sed de culpa, vel pœna baptizantis sicque verborum ab Elliesio superiùs relatorum talis redditur sensus, quod Presbyter ille in vino baptizans non sit postea in causa, cur infans sic baptizatus, cùm periculum euaserit, nequiuerit legitimè baptizari, ac propterea non mereatur tamquam reus puniri,

si, si priùs in ipso baptismo per simplicitatem nou peccauit, alioquin si præsens fuit aqua, debeat excommunicari, & pœnitentiæ submitti, quia contra Canonum sententiam agere præsumpsit. En igitur, Stephani Secundi responsum, si verum etiam esset, haud pugnare cum Eugenij Quarti definitione.

Quæ insuper contradictio in hoc subesse potest, quod vnus Pontificum noluerit, alij autem voluerint proprietatem rerum, quibus Franciscani vtuntur, suæ Sedi adsciscere? Et quia Christus voluntatis suæ humanæ dominium quidem habuit, attamen hanc plenè in Diuinam resignauit voluntatem, dicens, propterea, non mea (mihi scilicet qua homini propria) sed tua ò Pater! voluntas fiat, numquid in hac religiosæ obedientiæ solemnis, per quam voluntatis nostræ dominium in Religionem transfertur, perfectissimum exemplum ab ipsomet etiam Christo sui cum omnimoda rerum temporalium, corporis quoque abdicatione sequelam edocente exhibetur? Hæc proinde applica ad præsentis causæ statum, reperiesque, nihil esse contradictoriæ repugnantiæ inter Nicolai Tertij Christum dicentis verbo, & exemplo proprietatis abdicationem perfectam docuisse, & Ioannis XXII. Christum etiam in particulari, & Apostolos in communi rerum temporalium proprietatem habuisse asserentis doctrinam: neque enim omnimodè, in eo quod materiale, sed quod virtutis est formale, attendi debet imitationis illius conformitas.

Præterea Bonifacius VIII. [Vnam sanctam.] Vnicè decreuit, indefinitam clauium Ecclesiæ auctoritatem Apostolicam complecti etiam Reges, eorumque publicos actus, qua moralitate in Regnum Cælorum ordinabili superuestitos. Quòd cùm Galli interpretati fuissent, ac si Pontifex in regnum temporale simpliciter, directè, ac absolutè extendere vellet suam potestatem, ac dominium, exinde Clemens V. in præcitato capitulo ad illorum instantiam vnicè declarauit, vi illius Extrauagantis Regnum Galliæ non magis subesse Romano Pontifici, ac anteà fuerat. Quid ergo contradictionis inter has duas Pontificias constitutiones cum fundamento asseuerare licet?

Quando denique Sixti V. constitutio vulgatam Bibliorum editionem, salua semper fidei dogmatum substantia, non ab omnibus mendis materialibus expurgauit: quam postmodum Clemens VIII. correxit, quid hoc iuuare potest ad Pontificum in fidei dogmatibus dissensionem adstruendam?

§. III.

Referuntur Ellisiana de Papa errabilitate probationes desumpta ex Romanorum Pontificum confessione, ex Conciliorum Decretis, ex Academiarum, & Theologorum doctrinis.

AB Elliesio inducuntur I. Confessiones Summorum Pontificum, in primis Pauli III. in causa solubilitatis matrimonij, contestantis, sibi non dubium esse, quin ipse, ac prædecessores sui errare potuerint, nec adeo istorum facta, & exempla velle se amplecti, nisi quatenus Scripturæ auctoritas, & Theologorum rationes docent.

Deinde Adrianus VI. adhuc Theologus Louaniensis, vbi tamen Pontifex est factus, absque vlla retractatione, scripsit in 4. art. 3. de ministro confirmationis certum esse, quod Pontifex possit errare in ijs etiam, quæ fidem tangunt, hæresim per suam determinationem aut decretalem docendo, cùm plures Pontifices Romani fuerint hæretici, veluti de Ioanne XXII. fertur publicè declarasse, & ab orbe teneri mandasse.

Porrò Eugenius IV. in 3. Bulla aduersùs Synodum Basileensem, licèt se efferret supra Concilium generale; ait in quæstionibus, quæ ad fidem respiciunt, vel statum vniuersalis Ecclesiæ, potiùs attendendam esse Concilij, quàm Papæ sententiam.

Fatetur Gregorius XI. in testamento suo: [Item, inquit, volumus, dicimus, & protestamur ex nostra certa scientia, quòd si in Consistorio, in Concilio, vel in sermonibus, vel in collationibus publicis, vel priuatis ex lapsu linguæ, aut aliàs ex aliqua turbatione, vel etiam lætitia inordinata, aut præsentia Magnatum ad eorum forsitan complacentiam seu ex aliqua distemperantia, vel inaduertentia, aut superfluitate aliqua dixerimus erronea contra Catholicam fidem, quam coram Deo & hominibus, vt tenemur, præ cæteris profitemur, colimus, & colere cupimus; sed forsitan adhærendo opinionibus contrarijs fidei Catholicę scienter, quod non credimus vel etiam ignoranter, aut dando fauorem aliquibus contra Catholicam Religionem obloquentibus, illa expresſè, & specialiter reuocamus, detestamur; & habere volumus pro non dictis.] Hæc Pontifex ille tom. 6. Spicileg. Dacheriani.

Innocentius III. se in errorem, & hæresim labi posse, fatetur, & ab Ecclesia propter eam iudicari, serm. 3. de consecrat. Pontificis. [In tantùm, mihi fides, inquit, necessaria est, vt cùm in cæteris peccatis Deum iudicem habeam, propter peccatum, quod in fide committitur, possim ab Ecclesia iudicari.

Fatetur idem Adrianus II. in epistola 2. quæ Synodi sextæ act. 7. lecta & approbata est: [Licèt, inquit, Honorio ab Orientalibus post mortem anathema sit dictum, sciendum tamen est, quia super hæresi fuerat accusa-

cusatus, propter quam solùm licitum est minoribus, maiorum suorum moribus resistere, vel prauos sensus liberè respuere,

Fatetur Leo II. in epist. ad Const. in qua confirmat Synodum sextam, vbi de Honorio ait, ipsum Romanam Apostolicam Ecclesiam non Apostolicæ traditionis doctrina lustrasse, sed prophana traditione immaculatam fidem maculari permisisse. Et in epistola ad Eruigium, accusat eum, quòd immaculatæ Apostolicæ traditionis regulam, quam à prædecessoribus acceperat, maculari consenserit.

Huc afferri possent ij omnes Pontifices, qui nonnulla prædecessorum suorum statuta infirmarunt; sed vnus sit præ omnibus Clemens IV. qui ad Abbatem Casæ Dei scribens, ait cernere se decessores suos Monasterio dedisse priuilegia iuri diuino contraria, quæ rationabiliter annullare se posse, dicit, adijciens, & quamuis nostris prædecessoribus, prout necessitas exigit, geramus honorem, multa tamen eorum aliquibus placuerunt, quæ nobis imparis meriti, & scientiæ nulla possent ratione placere.] Ex his patet non esse audiendos eos, qui inuitis & reclamantibus Summis Pontificibus, ipsis indeficientis iudicij priuilegium adscribere conantur.

Verùm ex Pauli IV. effato plus non euincitur, nisi quòd Pontifex errare possit in casibus particularibus contingentibus, de cuiusmodi causa Matrimoniali erat ibi sermo, nihilque adeò hinc probatur contra priuilegium Papæ ex Cathedra Apostolica erga vniuersam Ecclesiam loquentis, & decernentis. Quia porrò determinationes, ac Decretales Pontificum plerumque versantur circa causas particulares, non dogmaticas, vel etiam morales vniuersam Ecclesiam attingentes, ideò ex Adriani VI. prællegatis verbis nihil concludi potest contra Papam ex Cathedra definientem. Quòd verò Ioannes XXII. errorem suum auctoritate Apostolica mandarit ab omnibus teneri, hoc falsum esse, in antecedentibus ostensum fuit.

Eugenij IV. assertio de Concilio non aliquo Acephalo, sed per Capitis vnà, & Corporis Hierarchici consensum completè Oecumenico magis attendendo, minimè officit Papæ ex Apostolicæ Cathedræ petra definiëtis infallibilitati, quomodo enim hæc nutare posset in tali petra, super quam eatenus ædificata est Ecclesia, vt portæ inferi aduersùs eam præualere ooo possint? Sed quia non extat in Ecclesia definitum, an & quando Pontifex taliter loquatur ex ista Cathedræ Apostolicæ petra, vt super eam etiam particulariter quoad aliquod fidei dogma noscatur ædificata Ecclesia, sicque adeò Concilij, plenè, ac formaliter Oecumenici per Cathedræ Apostolicæ Christum vicariè io Concilio repræsentantis charactere insigniti infallibilitas quoad nos, ac io ordine ad proteruos conuincendos, magis conspicua est, idcirco Eugenius IV. absque præiudicio infallibilitatis Papæ ex Cathedra sancienti cumperentis, dicere potuit, Concilium formaliter, ac plenè Oecumenicum io indiuidualibus casibus magis attendendum esse, quàm Romanum Pontificem extra Concilium loquentem.

Quid verò ad præsentis rei momentum facere potest testamentum Gregorij XI. dum in eo protestatus fuit contra quoscumque errores sibi forsan obrepentes, dum, vti termini ostendunt, minimè sanciebat ex petra Cathedræ Apostolicæ?

Ad quos terminos ex proprijs verbis suis noscitur redacta etiam Innocentij III. & Adriani II. confessio, profitentium, se in peccatis contra fidem à se, quà homine fortè committendis ab Ecclesia iudicari posse, quod in Honorio factum esse, asseuerat quoque Leo II. in Epist. ad Constant. ipsum Romanam Ecclesiam non lustrando Apostolicę traditionis doctrina, adeoque non decernendo ex Cathedræ Apostolicæ petra, sed ex prophana traditione loquendo, immaculatam fidem maculari permisisse.

Quòd si denique vera, & probata extaret epistola Clementis IV. ad Abbatem Casæ Dei scribentis, prædecessorum suorum nonnullos priuilegia iuri Diuino contraria aliquando concessisse; ex hoc Romanorum Pontificum non nisi in casibus particularibus, Ecclesiam vniuersalem minimè respicientibus, errabilitas euinceretur.

Inducitur 2. Concilij Basileensis, Papæ errabilitatem, Concilij verò infallibilitatem, statuentis in Epist. Synodali tomo 12. Concil. col. 682. relata sanctio. Verùm quo in statu pro tempore huiusmodi sanctionis fuerit Basileensis Synodus, vt scilicet tamquam Acephala, & Concilij Oecumenici charactere destituta, immò huic opposita, nihil habuerit auctoritatis, Eugenio IV. numquam consentiente, liquet ex dictis circa Articulum 2. Disquis. 8. §. 2. num. 28. & in Summa cap. 3. §. 2. à n. 28.

Quæ porrò Ellies ius præf. Dissert. 5. ca. t. §. 7. ex Academiarum aduersùs Papæ infallibilitatem censuris adducit, breuiter, & summariè hic refutata accipe. Tum quia Vniuersitatis Parisiensis de appellando ad Concilium Generale in causa particulari Philippi Pulchri, nihil facit ad Papæ ex Cathedra erga vniuersalem Ecclesiam statuentis infallibilitatem infirmandam. Quinimmò dum ageretur etiam de fidei dogmate, atque pro huius quoad nos, & in ordine ad proteruos conuincendos, adhuc maior credibilitatis euidentia ex Concilio Oecumenico expostularetur, non propterea infirmaretur Papæ ex Petra, seu Cathedra Apostolica, quà Ecclesiam super se ædificatam fundante, sicque ex Cathedra Apostolica loquentis, omnimodum, portis quoque inferi insuperabile, stabilimentum, sed hoc vnicum inde conficeretur, quòd tanta euidentia credibilitatis minimè constet nobis, Papam extra Concilium loqui ex Cathedra, ac nobis certissimum protsus est, ipsum in Concilio Oecumenico per sui cum Corpore hierarchico consensum loqui ex Petra, super quam ædificata est Ecclesia.

Quæ proinde distinctiones omninò sunt obseruandæ, estque sedulò attendendum ad hoc, quòd euidentia credibilitatis magis conuincens sit, si Papa intrà Concilium Oecumenicum per sui cum reliquo Ecclesię Corpore hierarchico consensum authorizatiuum sit certò decernens ex Petra, super qua per

fidem fundata est Ecclesia: è contra verò, quòd non adeò certum, seu ab Ecclesia definitum extet, an & quomodò Papa extra Concilium definire valeat ex Cathedra sua, non vtcumque secundùm iurisdictionem, suam Apostolicam, sed secundũ omnimodæ, & consummatæ, Ecclesiam firmare, & infallibiliter stabilire prævalentis, infallibilitatis priuilegium spectata: quòdque proinde Papæ ex Cathedræ suæ Apostolicæ Petra fidei dogmata decernentis, quoad se, siue quoad rei veritatem sit quidem indubitata infallibilitas, licèt quoad nos, & in ordine ad proteruos, ac rebelles conuincendos, sit magis conuincens Concilij Oecumenici per Christi Vicarium, Papæ proprium, characterem muniti, sicque per Duorum Capitis scilicet, vnà, & reliqui Ecclesiæ Corporis consensum authorizata fidei dogmatum definitio.

Istæ igitur distinctiones si oculo sincero applicentur ad Vniuersitatum, imò & Theologorum ab Elliesio cit. §.7. & vlt. allegatorum circa Papas non dubios, & schismaticos, sed circa cuiusuis temporis legitimum, ac indubitatum Ecclesiæ vniuersæ communi consensu comprobatum Romanum Pontificem sententias, facilè hinc patebit, non officere isti propositioni nostræ, qua dicimus, Papam ex Cathedra sua Apostolica id est, ex Petra, super quam Ecclesia, à portis inferi haud superari potens, est ædificata, loquentem, seu definientem fidei dogmata, esse prorsus infallibilem.

§. IV.

Vindicantur nostratis sententiæ argumenta ex sacris literis desumpta.

ARGVMENTVM I.

Nostratis sententiæ.

Primum huiusmodi argumentum efformat Elliesius præf. cap.2. ex dicto Christi Lucæ 22. v.32. dicente: [Ego rogaui pro te, Petre, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.] Hinc enim concludimus, fidem Romanorum Pontificum deficere non posse.

Exceptiones Elliesianæ.

Hic Auctor 1. excipit opponendo, si istud testimonium aliquid probet, plus probat, quàm Aduersarij postulant: non enim probaret tantùm, Romanos Pontifices non posse à fide deficiendo aberrare, sed etiam nullatenus posse à fide, & gratia excidere. Itane intelligi debet ista promissio Christi de sola Petri personâ? Docet id & intentum Christi prædicentis futurum, vt Petrus aliquando ipsum negaret: ita tamen, vt à fide penitus, & vsque ad finem vitæ non excideret: Simon, Simon, inquit Christus, [ecce sathanas expetiuit vos, vt cribraret sicut triticum, ego autem rogaui pro te &c.] Tentatio illa sathanæ respicit personam Petri, & Apostolorum, & similiter oratio Christi non habet alium finem, quàm vt Petrus licèt à diabolo tentatus, à fide tamen penitus, & vsque ad finem vitæ non deficiat, sed vt post negationem conuersus, confirmet fratres hoc aurè totum in ipsa persona Petri adimpletum est. Nam & tentatus est à diabolo, & in tentatione victus, Christum negauit. Verùm ei profuit oratio Christi: statim enim pœnitentia ductus resipuit, & post Passionem, ac Resurrectionem Christi non modò constantior cæteris apparuit, sed, & generosis dictis, & factis fratres suos confirmauit. Ita hunc locum exponunt Tertull. lib. de fuga in persecut. cap.2. S. Cyprianus epist.8. & in lib. de Orat. Dominica. S. Hilarius lib.1. de Trinit. Basilius hom.22. de humilit. Ambros. in psal.43. Chrysost. hom.63. Carth. Conc. in Ep. ad Innocentium Primũ, & Innoc. I. in Epist. ad Carth. Conc. S. Augustinus pluribus locis, & alij Interpretes, quos numero 42. consulere poteris apud Launoium epist. ad Iacobum Benilaquam 1 epist. tom.5. Porrò ex hac expositione nihil porest colligi, ad probandum, Pontificis Romani iudicium esse indeficiens: si quid enim eniu ex ista oratione Christi pro Petro de eius successoribus colligeretur, inferri deberet pro Petri successoribus, non secus ac pro ipso Petro orasse Christum, vt à fide ipsi primarim minimè deficerent, at nullus hunc vsque somniauit id ipsis priuilegij adscribi posse.

Excipit secundò Elliesius, esse & alios Patres, ac Interpretes à Launoio collectos, qui dicunt, orasse Christum, vt vniuersalis Ecclesia, vel etiam generale Concilium, à fide numquam deficiat, quorum interpretatio, licèt minùs ad literam, eò magis adhuc cum Aduersariorum placitis pugnat, cùm ea illa sequatur, infallibilitatem Ecclesiæ, & Concilio adscribi debere, non autem Pontifici Romano; vt quid enim locus ille, qui de Petro ad literam intelligendus est, ad Ecclesiam, & Concilium inflecteretur, nisi certum esset, Petrum & eius successores potuisse à fide deficere, Ecclesiam, & Concilium non item?

Refutatio istarum exceptionum.

Etenim illa oratione: [Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides, tua, Christus Dominus Petro impetrauit duo priuilegia. Alterum Personale, vt Petrus scilicet haberet in fide libertimam, fortissimam, inuictissimam, perfectissimamque voluntatem, Ex Sancto Augustino lib. de corrept. & gratia cap.8. Alterum Reale, Pastorali erga vniuersam Ecclesiam muneri anneaum: Christus enim ita orauit pro Petro, vt conuersus aliquando confirmaret fratres. Vnde ista à Christo impetrata fidei firmitas non debebat se continere intra personam Petri, quin erga fratres curæ ipsius Pastorali committendos se diffunderet. Ex quo sequitur, illam fidei firmitatem esse priuilegium Petri, quà vniuersalis erga Ecclesiam Pastoris. Atqui priuilegium ex Christi Domini voluntate annexum

xum

xum iſti Paſtorali muneri, eo ipſo eſt perpetuum ſtatum Eccleſiæ à portis inferi numquam ſuperandæ. Chriſtus igitur Dominus illa ſua oratione impetrauit fidei firmitatem, qua connexam cum paſtorali munere, Eccleſiæ perpetuò vſque ad finem ſæculi duraturæ coexrituro.

At ſicuti paſtorale perpetuo Eccleſiæ ſtatui annexum munus, Petro per Martyrium ſublato debuit perſiſtere in ſucceſſoribus, ſic fidei firmitas ſecundùm efficaciam orationis Chriſti connexa cū iſto paſtorali officio, debet conſequenter ad Succeſſores quoq; transferri. Conſtat igitur, ex efficacia Chriſti orationis, Petri in Paſtorali erga vniuerſam Eccleſiam munere ſucceſſoribus competere fidei firmitatem. At iſta fidei firmitas eo ipſo deficeret in tali Paſtorali munere, ſi Papa vtens poteſtate eiuſmodi erga vniuerſalem Eccleſiam conderet decreta fidei aduerſantia, ex illa igitur Chriſti Domini orationis efficacia concluditur, fieri nullatenus poſſe, quòd Romanus Pontifex, ſi loquatur ex Cathedra ſui Paſtoralis officij erga vniuerſalem Eccleſiam, condat decreta fidei repugnantia. In quem adeò ſenſum Theophylactus in cap. 22. Lucæ ait: [Quia te, ſcilicet Petrum, habeo principem diſcipulorum, confirma cæteros. Hoc enim decet te, qui poſt me Eccleſiæ petra es, & fundamentum.

Vides igitur, fidei firmitatem, qua Petrus confirmaret cæteros, eſſe ex eo, quòd eſſet princeps diſcipulorum. At eo ipſo, quòd iſte in Eccleſia principatus ex Chriſti Domini promiſſione ſit connexus cum perpetuo Eccleſiæ ſtatu, non potuit in Petri perſona extingui, ſed tranſire debuit ad ſucceſſores. Ergo illa fidei firmitas Petro impetrata ita ſtat in eius ſucceſſoribus, vt propterea Petrus Chryſologus in Epiſt. ad Eutychetem relata tom. 1. Concil. ante Concil. Chalcedonenſe, ita ſcripſerit: [Hortamur te Frater honorabilis, vt his, quæ à beatiſſimo Papa Romanæ Ciuitatis ſcripta ſunt, obedienter attendas; quia B. Petrus, qui in propria Sede viuit, præſtet quærentibus fidei veritatem.] En igitur non tam perſonam, quàm Sedem Petri hodie viuentem attendi debere, vtpote cui annexa ſit fidei veritas, adeò, vt Diuus Bernardus in Epiſt. 190. ad Innocentium, vbi aſſeruiſſet, [in Cathedra Romana non poſſe fidem ſentire defectum, exclamet: Cui enim Sedi dictum eſt aliquando: Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua?] Et hinc facilè intelligitur, eas, quas Elliesius ex Patribus illorum Chriſti verborum prætendit interpretationes, nullatenus eurrtere vim argumenti ſuperiùs allati, maximè cùm ex efficacia illius orationis infallibilitas fidei in totum Eccleſiæ ſanctæ, in Concilio præſertim Oecumenico repræſentatæ, Corpus promanet.

ARGVMENTVM II.

Noſtratis ſententiæ.

ISTud deſumitur ex illo Matth. 16. [ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersùs eam.] Hinc enim colligitur, Petrum, & eius ſucceſſores eſſe Eccleſiæ fundamentum: cùm autem impoſſibile ſit, Eccleſiæ fundamentum ruere, impoſſibile eſſe concluditur, Romanum Pontificem à fide deficere.

Exceptio Ellieſiana.

Excipit hic Theologus, à ſe anteà dictum fuiſſe, quatuor modis locum illum exponi à Patribus, & Interpretibus Scripturæ. Alij enim de perſona ipſius Petri hæc verba interpretantur, dicuntque ſuper illum fundatam Eccleſiam, quia ipſe cum cæteris ad eam fundandam adlaborauit. Alij dicunt, ſuper omnes Apoſtolos fundatam pariter eſſe Eccleſiam, Petrumque, cùm hæc ei dicta ſunt, geſſiſſe perſonam Eccleſiæ. Sunt, qui nolunt Petrum hic dictum eſſe petram, ſed petram aiunt eſſe fidem, & confeſſionem Petri; vel, vt alij volunt, ipſum Chriſtum. Nulla autem ex iſtis expoſitionibus Pontificum infallibilitati fauet: ſicut enim, qui in ſecunda expoſitione ſentiunt, ſuper Apoſtolos omnes, eorumque ſucceſſores, fundatam eſſe Eccleſiam, non propterea putant, aut Apoſtolos omnes, aut eorum ſucceſſores indefectibiles fuiſſe: ita non ſequitur ex prima expoſitione, Petrum, & eius ſucceſſores indefectibiles eſſe, eò quòd ſuper eos tamquam ſuper petram, & fundamentum Eccleſia ſit ædificata: ex tertia, & quarta expoſitione in gratiam Romanorum Pontificum nihil concludi poſſe, perſpicuum eſt.

Refutatio iſtius exceptionis.

EX antecedentibus liquet, omnes illas expoſitiones fauere Pontificis, Petro ſuccedentis in fidei rebus infallibilitati. Quibus ſuperaddo ſequentem argumentationem. Nam ea verba eſſe accipienda de Petro, ita vt ſuper ipſum, ceu petram eſſet ædificanda Eccleſia, docent Tertullianus de præſcript. hæret. cap. 22. Cyprianus Epiſt. 40. & de Vnit. Eccleſ. Baſilius Magnus ad cap. 2. Iſaiæ. Gregorius Nanzianzenus art. 2. de Moderat. in orat. habenda. Cyrillus Alexandrinus lib. 2. in Ioan. cap. 12. Ambroſius Serm. 47. Hieronymus in cap. 16. Matth. Auguſtinus Serm. 5. in feſto Petri, & Pauli, & alibi ſæpe.

At eo ipſo, quòd Eccleſia ſuper hanc petram ita ædificanda foret, vt ſimul Chriſtus eidem Petro contulerit poteſtatem clauium, oportet, iſtam poteſtatem ex Chriſti Domini promiſſione connexam eſſe cum fidei petra, in Petro ſemper vſque ad conſummationem ſeculi duratura, nec à portis inferi vnquàm vincenda. Hinc autem ſequitur, talem Clauium poteſtatem cum petra fidei connexam minimè expiraſſe in Petri perſona, ſed huius Sedem vtpote cum perpetuo Eccleſiæ ſtatu connexam, ita viuere in ſucceſſoribus, vt his competat paſtoralis erga vniuerſam ſuper petra fundatam Eccleſiam Officij primatus; vti expreſsè ſtatuunt Concilium Nicænum I. Can. 6. Epheſ. 1. ſub verbis Philippi Presbyteri. Chalcedonenſe Act. t. 2. 3. & 16. aliæque generales Synodi; nec non ex Patribus Poly-

car-

carpus apud sanctum Hieronymum de viris illustr. Irenæus lib. 3. cap. 3. Athanasius in Epist. ad Felicem Papam. Basilius Magnus in Epist. 52. ad Athanas. Chrysostomus in Epist. ad Innocentium Papam. Cyrillus in lib. Thes. Cyrillus Alexandrinus in Epist. ad Cœlestinum Papam. Hieronymus Epist. 57. ad Damasum Papam. Augustinus lib. 2. de Baptism. contra Donatistas cap. 1. & alibi sæpe. Cùm igitur Petri primatus cum Petra, seu fidei firmitate, inseparabiliter connexus, vigeat in Romana Cathedra, oportet, Romanum Pontificem, dum ex ista Cathedra, id est ex munere suo Pastorali ad vniuersam Ecclesiam, fidei vel morum decreta condendo, loquitur, errare non posse: quomodò enim aliàs portæ inferi non essent præualituræ?

ARGVMENTVM III.

Nostratis sententia.

HOc deducitur ex Christi ad Petrum Ioannis vlt. prolatis verbis: [Pasce oues meas.] Hinc namque conficitur, quòd Petrus, eiusque successor Romanus Pontifex, sit Doctor, & Pastor Ecclesiæ, quem proinde tota Ecclesia audire, ac sequi tenetur. Ergo si ille erraret in fide, tota Ecclesia in eiusmodi errorem induceretur.

Exceptio Elliesiana.

HIc Parisiensis Doctor excipit. Non solum Petrum, sed omnes Apostolos, & eorum successores Pastores esse ouium Christi, ipsisque in persona Petri dictum fuisse illud: [Pasce oues meas,] & tamen nemo contendit, singulos Ecclesiæ Pastores infallibili iudicio præditos esse. Ita hunc locum ad omnes omninò Apostolos, & animarum curam habentes referunt Ambrosius lib. 2. de dignit. Sacerdotali: [Pasce, inquit, oues meas, quas oues, & quem gregem non solùm tunc B. Petrus suscepit, sed & nobiscum eas suscepit, & cum illo eas nos suscepimus omnes.] S. Augustinus tractatu in Ioannem; [Et quidem fratres, quòd Pastor est (Christus) dedit, & membris suis. Nam & Petrus Pastor, & Paulus Pastor, & cæteri Apostoli Pastores, & boni Episcopi.

Verùm etiamsi istud dictum ad solum Petrum, & eius Successores pertineret, non sequitur, eos esse infallibiles; nec valet ratiocinium Bellarmini, cùm enim errant, desinunt Ecclesiam pascere, vt oportet: imò occidunt eas potiùs, quàm pascunt, vnde non tenentur eius oues eum sequi, cùm vident se in mortifera pascua duci: non enim oues pascit irrationabiles, quas pro arbitrio, & nutu, quò voluerit, agere possit, sed quæ ratione, & persuasionibus pasci debeant, hoc est, doceri, & moueri, vt spontè Christum colant, eiusque fidem, ac religionem illibatam seruent.

Refutatio istius exceptionis.

QVandoquidem illa Christi Domini verba definitè, ac determinatè ad solum Petrum, præ cæteris Apostolis, ex sua proprietate dicta fuisse noscuntur, cum ordine ad Ecclesiæ sanctæ perpetuum statum; vti proximè ostendetur, consequens est, ea non habere locum, nisi in solius Petri perpetuis successoribus Romanis Pontificibus. At ea Christi verba erant adimpletiua promissionis Matthæi 16. æquè determinatè, ac definitè erga Petrum factæ, in vi cuius super ipsum, seu petram esset ædificanda Ecclesia, cui portæ inferi numquam essent præualituræ. Sicque adeò tam isthæc promissiua, quàm illa horum adimpletiua Christi verba respiciunt perpetuum Ecclesiæ statum. Nequit autem Oecumenicum Pastorale super tota Ecclesia à Christo constitutum munus non esse vallatum infallibilitatis in fidei rebus præeminentia, dum ex Christi promissione est solidatum firmitate Petræ, super quam Ecclesia à portis inferi numquam superanda ædificari deberet. Ex illa igitur Christi Domini promissione, vnà, & orationis efficaci à meritò concluditur Pontificum Romanorum, quatenus ex Cathedræ suæ Apostolicæ Petra in dogmatibus fidei statuunt, infallibilitas; vti Lucius I. in Epist. ad Episcopos Hispaniæ, & Galliæ. Felix I. in Epist. ad Benignum asserunt. Illius enim prioris verba ita se habent: [Ecclesia Romana Apostolica est, & mater omnium Ecclesiarum, quæ à tramite Apostolicæ traditionis numquam errasse probatur, nec hæreticis nouitatibus deprauata succubuit, secundùm ipsius Domini pollicitationem dicentis: Ego rogaui pro te. Posterior porrò Pontifex ita scripsit de Ecclesia Romana: [Vt in exordio normam fidei. Christianæ percepit ab Auctoribus suis Apostolorum Christi principibus, illibata manet, iuxta illud: Ego rogaui pro te.]

§. V.

Vindicantur nostratis sententiæ argumenta ab auctoritate Patrum.

HOc ita format Elliesius pag. 369. ex S. Hieronymi verbis epist. ad Damasum ita scribentis: [Cathedræ Petri communione consocior, super illam petram ædificatam Ecclesiam scio, quicumque extra hanc domum agnum comederit, prophanus erit, si quis in arca Noe non est, peribit regnante diluuio. Addit: discernite, si placet, obsecro, non timebo tres hypostases dicere, si iuberis, &c.] Hìc asserit Hieronymus, se tutò sequi posse sententiam Romani Pontificis, qui nouit super eum Ecclesiam esse fundatam, & extra eius communionem salutem non esse. Deinde cur Hieronymus totius Orientis de hypostasibus sententiæ, & iudi-

cio acquieſcere noluiſset, imperiumque Romani Pontificis ad tres hypoſtaſes agnoſcendas expectaſset, niſi putaſset, eum in iudicando falli non poſse?

ſciebat, quid de ea eſſet ſentiendum, & ante Damaſi reſponſionem ſuum tulerat iudicium, ſed volebat eius auctoritatem habere, quam Orientalibus opponeret.

Exceptio Ellieſiana.

HIc Theologus reſpondet, ex verbis Hieronymi inferri non poſse, Romani Pontificis iudicium eſse infallibile, ſed magni tantùm ponderis, & momenti apud ipſum fuiſse Eccleſiæ Romanæ ſententiam, atque communionem: hoc tantùm eius verba ſonant, quæ immeritò ad infallibilitatem adſtruendam trahuntur. Ait autem, ſe tutò ſequi poſse Romani Pontificis ſententiam, quia ſcilicet diſſidentibus de hypoſtaſeos voce Eccleſijs totius orbis, poterat ipſe ad eam, quam vellet, partem accedere, vnde non ſolius Romanæ Eccleſiæ auctoritatem adducit, ſed Occidentalium omnium, & Ægyptiorum. [Hæreticum, inquit, me cum Occidente, hæreticum cum Ægypto, hoc eſt, cum Damaſo Petroque (quia ſcilicet iſtis duobus adhærebant Occidentales, & Ægyptij omnes) condemnent; quid enim hominem exceptis ſocijs criminantur? Sequebatur porrò ille iſtorum potiùs, quàm aliorum ſententiam. Primò quia ordinatus fuerat à Paulino trium hypoſtaſeon hoſte, qui Occidentem, & Ægyptum hypoſtaſibus minùs æquum effecerat. Secundò, quia timebat, ne nomine hypoſtaſeos aliqui non perſonam, ſed ſubſtantiam ſignificarent.

Quòd verò ait; [Super illam petram ædificatam Eccleſiam ſcio: quicumque extra hanc domum comederit agnum, prophanus eſt, ſi quis in Arca Noe non eſt, peribit regnante diluuio. Dictum eſt officioſè, & per exaggerationem]. Deinde id non probat, Sedis Apoſtolicæ ſententiã infallibilem eſſe ſemper fidei regulam, ſed ad ſummum ordinariò adhærendũ eſſe Romani Pontificis ſententiæ, eoſq; quià Sede Apoſtolica diſſident, in periculũ ſchiſmatis venire, at nihil id facit ad fidem, & iudicium Romani Epiſcopi, ſed tantùm ad communionem. Denique perſpicuum eſt ex dictis, cur Hieronymus Romani Epiſcopi imperium ad tres hypoſtaſes profitendas expectarit, quippe ſentiebat, quæſtionem eſſe de nomine, nihil mali eſſe, ſi tres hypoſtaſes bono ſenſu profiteretur; verùm cùm id ab ipſo exigeretur, nolebat id facere, quia cum Occidente, & Ægypto communicabat, qui tres non dicebant hypoſtaſes, fueratque ordinatus à Paulino trium hypoſtaſium aduerſario: ipſeque peculiares habebat inimicitias cum ijs, qui tres dicebant hypoſtaſes. Quid aliud quæſo, poterat facere, cùm ab eis vrgeretur, vt tres hypoſtaſes diceret, quàm à Romano Epiſcopo petere, num vellet, num iuberet, vt tres dicerer hypoſtaſes? Nam ſi extra eius auctoritatem id feciſſet, viſus fuiſſet ab Eccleſiæ Occidentalis, & Ægyptiæ communione diſcedere, quod in primis cauebat. Ergo imperium, & iudicium Romani Epiſcopi non expectat, vt ſententiam ferat de quæſtione circa tres hypoſtaſes: ipſe enim

Refutatio iſtius exceptionis.

ESto, inter Orientales, & Occidentales fuiſſet concertatũ de nomine hypoſtaſeos dum illi ſub hac voce ſubſtantiam intelligentes negabant in Diuinis eſſe tres hypoſtaſes, è contra iſti eo nomine ſignificantes ſubſiſtentiam, ac perſonam in Deo, tres hypoſtaſes, ſcilicet perſonas affirmabant. Quia verò ſub eiuſmodi æquiuocatione latere potuiſſet error, ac hæreſis Ariana, Filij, ac Spiritus ſancti ſubſtantiam inter ſe, & à Patris eſſentia Diuina diſtinctas prótetuè déſendens, ideo dignum erat, circa illud nomen vnã, & rem eo ſignificatam ita fieri determinationem, vt Trinitas Diuinarum Perſonarum in vnitate Eſſentiæ ſubſiſtens illibatè teneretur, & vnanimiter affirmaretur. Quam proinde ob cauſam Sanctus Hieronymus ita cupiebat à Romano Pontifice definiri, tres in Deo eſſe hypoſtaſes in vnitate Eſſentiæ Diuinæ ſubſiſtentes, vt certus eſſet, ſub tali definitione nullum poſſe locum eſſe errori non circa vocem dumtaxat, ſed circa ipſum ſacroſanctæ Trinitatis myſterium cum fide pugnanti. De hac enim fidei certitudine apertus ſermo eſt, dum is Sanctæ Eccleſiæ Doctor in prædicta ad Damaſum epiſt. dixerat: [Quiſquis cum Romano Pontifice non colligit, ſpargit. Sicque adeò qui Chriſti non eſt, Antichriſti eſt.] Quomodò enim hæ antitheſes locum habere poſſent de concertatione ſolius nominis, ita vt valeret vtrinque fidei veritas ſubſiſtere?

Quia porro is Sanctæ Eccleſiæ Doctor ad hanc in Sede Apoſtolica fidei certitudinem adſtruendam hoc induxit fundamentum, quòd nempe ſciat, ſuper illam Cathedræ Apoſtolicæ, cui communione conſociatur, petram fundari Eccleſiam à portis inferi nullatenus ſuperandam: quomodo fas erat Ellieſio excipere, hoc per exaggerationem, & officioſè tantùm fuiſſe dictum? Quaſi verò ex ſacris Litteris argumentatio tam ponderoſa dici poſſet officioſa, & per exaggerationem ſolummodò facta. Quomodò proinde Ellieſio aſſeuerare rurſus licuit, iudicium Romani Pontificis in ijs verbis, magni equidem ponderis eſſe, non tamen infallibile, denotari? Dum enim is, qui extra domum ſuper illa Cathedra Apoſtolica, ceu petra ædificatam comederit agnum, definitiuè pronuntiatur prophanus, imò extra Noe arcam conſtitutus, certò adeò periturum, quomodò tali cenſuræ locus eſſe poſſet, ſi in definitione Romani Pontificis, ſuper cuius Cathedram, ceu petram eſt ædificata Eccleſia, non eſſet fidei dogmatum infallibilitas?

ARGVMEMTVM II.

Nostratis sententia.

HOc desumitur ab auctoritate Diui Augustini serm.2.de verbis Domini c.10. [Iam enim inquiuntis, de hac causa Pelagij, atque Cælestij, duo Concilia missa sunt ad Sedem Apostolicam, inde etiam rescripta venerunt, causa finita est, error vtinam aliquando finiatur. Vnde, cùm hic S. Ecclesiæ Doctor finitam putet causam fidei, quando post Concilia Sedes Apostolica iudicauit, dicendum est, huius esse supremum, & infallibile iudicium.

Exceptio Elliesij.

HIc Auctor excipit, finitam dici causam Pelagianorum post Cocciliorum, & Apostolicæ Sedis iudicium, non quòd nullum superius esset iudicium, superius enim agnoscit in simili causa Augustinus,cùm ait, post iudicium Romanæ Sedis adhuc restasse plenarium Ecclesiæ Concilium, sed quia post damnationem Romani Pontificis, Pelagianorum causa omni defensione spoliata erat.Nam antequam à Zozimo proscriptus fuisset Cælestius, iactitabant Pelagiani, se à Romano Episcopo, & multis Occidentalibus probari; vbi verò ab isto Pontifice Pelagius, & Cælestius apertè damnati sunt, iam defensione omni carebant, ac propterea finita dici poterat eorum causa, quia vnanimi consensu ab omnibus Occidentalibus damnabantur. Porrò tantùm abest, vt Augustinus scripserit, hanc causam finitam esse iudicio Sedis Apostolicæ, quia supremum erat, & infallibile, vt ipse de ea dicat quòd si de Cælestio, & Pelagio in Romana Ecclesia fuisset aliquid secus iudicatum,oota præuaricationis esset Clericis Romanis inurenda.

Refutatiò istius exceptionis.

APerta vox est Augustini quòd causa Pelagianorum finita fuerit non præcisè ex duorum Conciliorum decretis, sed ex rescriptis Sedis Apostolicæ. Etsi verò illa duo Concilia fuerint tantùm prouincialia,nec adeò perinde, ac Concilium Oecumenicum, potuerint causæ illi finem imponere: quamuis insuper ad certitudinem in dogmatibus fidei definiendis quoad nos, & in ordine ad proteruos conuincendos,maiorem obtinendam à Sedis Apostolicæ definitionibus, quandoque ad Concilij Oecumenici iudicium ex Duorum, Papæ scilicet, ceu Capitis, ac reliqui Ecclesiæ Corporis Hierarchici consensu subsistens fiat recursus: attamen hoc minimè obstante, secundùm aperta Diui Augustini verba per Apostolicæ Sedis rescriptum, dupiicis illius causam Pelagianorum condemnantis Cocilij Africani confirmatorium, fuit ea causa finita. Oportet igitur secundùm Diuum Augustinum Apostolicæ Sedis, seu Pontificis ex Cathedra sua Apostolica definientis, secundùm se, ac rei veritatem inexistere totam authoritatem, io vi cuius dici possit causa fidei, etiam dogmata concernens, finita.

ARGVMENTVM III.

Nostratis sententia.

PEtitur hoc argumentum ex Petro Chrysologo epist. ad Eutychem ante Concilium Chalcedonense ita scribente: [Hortamur te, frater honorabilis, vt bis, quæ à beatissimo Papa Romanæ Ciuitatis scripta sunt, obedienter attendas, quia beatus Petrus, qui in propria Sede viuit,& præsidet,præstat quærentibus fidei veritatem.

Exceptio Elliesij.

EXcipit hic Theologus, aliud esse, beatum Petrum veritatem fidei quærentibus præbere, aliud infallibiliter eam præbere. Priùs de Romano Episcopo dicit Chrysologus, non posterius, quod tamen vnum est probandum.

Refutatio istius Exceptionis.

ETenim veritas in se ipsa habet intrinsecam, ac essentialem repugnantiam cum falsitate, ac errore. Vbi verò est intrinseca, ac essentialis repugnantia cum falsitate, ibi sub talis repugnantiæ hypothesi est impossibilitas falsitatis. At verò in Romani Pontificis Sede secundùm S. Chrysologum, ipsomet etiam Elliesio fatente, ita viuit, ac præsidet Beatus Petrus, vt definitè, & absolutè loquendo præbeat quærentibus fidei veritatem. Consequens est igitur, Romanum Pontificem viuentem, ac præsidentem in Petri Sede, atque ex hac Cathedra Apostolica definientem fidei veritatem, hanc ita præbere, vt iam sit impossibilitas falsitatis in fide, sicque adeò Romanus Pontifex ex Cathedra sua Apostolica decernens fidei dogmata,sit prorsùs infallibilis: quomodo enim fallibilitas subsistere posset in & eum petra, super quam ædificata est Ecclesia, cui portas inferi prævalere, prorsùs est impossibile?

ARGVMENTVM IV.

Nostratis sententia.

DEsumitur hoc argumentum ex Diui Bernardi sententia epist. 190. ad Innocentium ita loquentis: [Oportet, inquit, ad vestrum referri Apostolatum pericula quæque, & scandala regni Dei, ea præsertim, quæ de fide contingunt,dignum namque arbitror, ibi potissimùm resarciri damna fidei,vbi non possit fides sentire defectum, eoi eoim alteri Sedi dictum est aliquando: Otaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua?

Exceptio Ellieſij.

EXcipitur primò. Ex vno Bernardi officioſo dicto infallibilitatis priuilegium Romano Pontifici tribui non poſſe, niſi accedat Scripturæ,& Traditionis auctoritas. Nam etiamſi conſtaret, mentem Bernardi fuiſſe,his verbis Pontificem Romanum infallibilem prædicare, huius vnius auctoritas ad iſtud priuilegium Romano Pontifici aſſerendum, minimè ſufficeret.

Secundò. Non loquitur Bernardus de perſona Papæ Romani, ſed de Sede Petri, ac probari ex iſto loco tantùm poteſt, Romanam Eccleſiam totam non poſſe à fide deficere; at immeritò concluditur, Romano Pontifici ſoli idem priuilegium competere.

Tertiò. Loquitur Bernardus comparatè, non abſolutè, exaggerando Pontificis Romani auctoritatem, qua tunc opus habebat ad Abailardi errores proſcribendos.

Quartò. Innocentius non putauit, hæc verba Bernardi ad ſe ſolùm pertinere, nam Abailardi errores, licèt à duobus Concilijs iam damnatos, noniſi coacto iterum Concilio proſcripſit: Nos itaque, inquit in epiſtola, quæ inter Bernardinas eſt 294. qui in Petri Cathedra, cui à Domino dictum eſt, & tu aliquando conuerſus, confirma fratres tuos, licèt indignè reſidere conſpicimur, communicato fratrum noſtrorum conſilio, deſtinata nobis à veſtra dilectione capitula, & vniuerſa ipſius Petri Abailardi peruerſa dogmatum Canonum auctoritate cum ſuo auctore damnauimus.]

Denique Bernardus lib.3.de conſiderat. ad Eugenium de Romanis Pontificibus,vt errori obnoxijs loquitur, præſertim c. 4.[Tune, inquit, tibi licitum cenſeas, ſuis Eccleſias mutilare membris, confundere ordinem,perturbare terminos,quos poſuerunt Patres tui? Si iuſtitiæ eſt, cuique ſeruare ſuum, auferre cuiquam ſua, iuſto quomodò poterit conuenire? Erras, ſi vt ſummam, ita & ſolam inſtitutam à Deo veſtram Apoſtolicam poteſtatem exiſtimas.]

Refutatio iſtarum exceptionum.

QVomodò, mi Ellieſi, non apertam impudentiæ notam incurris, dum in re tanti momenti fidei dogmata nimirum contingente, Diui Bernardi dictum, officioſum, dicere præſumis? Quomodò hæc tua imputatio non erit dicenda redundare in ipſam Chriſti orationis efficaciam, dum, quam in fidei damnis reſarciendis auctoritatem Diuus Bernardus adſcribit Romano Pontifici, eam probauerat ex Chriſti Domini orationis efficacia, vtpote cuius ſoli Sedi, non alteri, ab eodem Domino noſtro dictum eſſet: [Oraui pro te, vt non deficiat fides tua? Dum ergo, mi Ellieſi, Diuum Bernardum ex hac Chriſti orationis efficacia Cathedræ Apoſtolicæ infallibilem auctoritatem probare nitentem, præſumis, de officioſo, dicto, ac exaggerationis exceſſu coarguere, quomodò non in ipſum Chriſtum, eiuſque orationis efficaciam impegiſſe meritò diceris? Et hinc lubens tibi concedo, infallibilitatis in fidei rebus priuilegium non ex vno Bernardi officioſo, ſed quia in ipſa Chriſti orationis efficacia ſolidè fundato verbo Diuino, adſtruendum eſſe. Quod adeò Cathedræ Apoſtolicæ de fidei infallibilitate priuilegium, vel maximè locum habet in Romano Pontifice, intrà Concilium Oecumenicum decernente, attamen ex verborum Chriſti proprietate noſcitur ſubſiſtere, quoties Papa decernit ex ſua Cathedrę petrę,ſuper quam ædificatur Eccleſia. Cui infallibilitati nec quicquam derogat, quod Papa in ijs, quæ Facti ſunt, præſertim vt perſona priuata, dicatur errori obnoxius.

ARGVMENTVM V.

Noſtratis ſententiæ.

A Latinis Patribus fit tranſitus ad Patres Græcos, inter quorum teſtimonia vel maximè elucent: quæ ex libris Theſaurorum Cyrilli laudantur à Diuo Thoma multis in locis, vt in diſt. 24. art. 2 [Vt membra maneamus in capite noſtro Apoſtolico throno Romanorum Pontificum, à quo noſtrum eſt, quærere, quid credere, quid ſincerè debeamus, ipſum venerantes, ipſumque rogantes pro omnibus, quoniam ipſius ſolius eſt reprehendere, corripere, ſtatuere, & diſponere, ſoluere, & ligare loco illius, qui ipſum ædificauit, & nulli alij, quod ſuum eſt, & plenum, ſed ipſi ſoli dedit, cui omnes iure Diuino caput inclinant, & Primates mundi tamquam ipſi Domino Ieſu Chriſto obediunt.] Idem teſtimonium repetit in libro contra impugnantes religionem, & in opuſculo contra errores Græcorum, ac demùm in Catena aurea aliud ſub eiuſdem Cyrilli nomine teſtimonium refert his verbis: [Cyrillus, inquit, in libro Theſauri: ſecundùm autem hanc Domini promiſſionem Eccleſia Apoſtolica Petri ab omni ſeductione, hæreticaque circumuentione manet immaculata, ſuper omnes Primates Eccleſiarum, & populorum in ſuis Pontificibus in fide pleniſſima, & auctoritate Petri, & quamuis aliæ Eccleſiæ quorumdam errore ſint verecundatæ, ſtabilita inquaſſabiliter illa ſola regnat, ſilentium imponens, & omnium obturans ora hæreticorum, &c.

Exceptio Ellieſij.

EXcipitur. Hæc loca Cyrilli eſſe ſubditicia, luce clarius eſt. Primò enim non extant in genuinis Theſaurorum Cyrilli libris, vnde illa refert Diuus Thomas; nec extare illic poſſunt, cùm nihil faciant ad ſcopum, qui hìc in eo totus eſt, vt Trinitatem ex ſacris litteris probet, nec aliò excurrit. Deinde iſtorum locorum ſenſus, & ſtylus longè abeſt à doctrina & ſtylo Cyrilli. Demùm qui eos laudarit, primus eſt Diuus Thomas, quem nemo neſcit, ſæpe ſæpius ſubdititia ſcripta, & teſtimonia Patrum pro veris laudaſſe.

Refutatio istius exceptionis.

QVi ne Angelico quidem Doctori eam defers reuerentiam, quin subditicijs scriptis vsum fuisse eum inclames, conuinceris hinc verborum illorum, quæ maximi esse ponderis, ipsa Diui Thomæ auctoritas probat, claritati succubuisse. Et hinc ex eiusdem Angelici Doctoris præponderante auctoritate in caput tuum retorquetur tua vlterior exceptio aduersùs Diui Chrysostomi, Maximi, Cyrilli, & aliorum à Diuo Thoma laudatorum Scriptorum testimonia, Concilijque Chalcedonensis acclamationem, maximè dum quod responsum ex S. Chrysostomo adaptatū fuerat Bulgarorum consultis, posteà primùm productis, ex tanti quoque Doctoris auctoritate omninò potuerit speciale robur obtinere.

§. VI.

Vindicantur argumenta deprompta ex auctoritate Summorum Pontificum.

ARGVMENTVM I.

Nostratis sententia.

HOc desumitur tum ex verbis Epistolæ Lucij I. ita disserentis: [Ecclesia Romana Apostolica, & mater Ecclesiarum omnium, quæ à tramite Apostolicæ traditionis numquam errasse probatur, nec hæreticis nouitatibus deprauata succubuit, secundùm ipsius Domini pollicitationem dicentis: [Ego rogaui pro te, Petre, &c.] Eadem ferè habentur in epist. Felicis primi. Tum ex Agathonis Papæ epistola probata in Synodo VI. art. 4. in qua sic loquitur: [Hæc est veræ fidei regula, quam in prosperis viuaciter tenuit Apostolica Christi Ecclesia, quæ per Dei gratiam à tramite Apostolicæ traditionis numquam errasse probatur, aut hæreticis nouitatibus numquam deprauata succubuit. Quia dictum est Petro], Simon, ecce sathanas expetijt: Ego autem rogaui pro te Petre, &c. Hic Dominus fidem Petri non defecturam promisit, & confirmare eum fratres suos admonuit, quod Apostolicos Pontifices meæ exiguitatis Prædecessores fecisse, cunctis est agnitum.

Exceptiones Elliesianæ.

EXcipiuntur primò Lucij Primi, & Felicis Primi testimonia nullius esse momenti, vtpote desumpta ex epistolis, quas subditicias esse, constat apud omnes, in veraque ista, falsa Consulum nota earum notheian speciatim prodit.

Excipitur secundò. Cùm ab Agathonis testimonio ordiamur, agnosci hinc, nullum Pontificem per quinque & ampliùs Ecclesiæ secula sibi infallibilitatem arrogasse. Deinde, non dici ab Agathone, Romanum Pontificem infallibilitatis priuilegium habere, sed tantùm Romanam Ecclesiam à tramite Apostolicæ traditionis non aberrasse, quæ assertio est Facti, non Iuris, nam ex eo, quòd aliquis non errauerit, non sequitur, eum errare non posse. Denique id Agathonem non de solo Romano Pontifice dicere, hoc enim falsum fuisset, nam Liberium & Honorium à traditionis Apostolicæ tramite deuiasse, ignorare non poterat, sed de Romana Ecclesia, quæ deficientibus à fide Episcopis suis numquam tamen à fide defecerat.

Refutatio istarum exceptionum.

INprimis quomodocumque, vel ex aliquo accidentario duntaxat errore nitaris Lucij Primi, & Felicis Primi epistolas labefactare, ipsa tamen ponderosa antiquitatis auctoritas præualere meritò censenda est tuæ friuolæ exceptioni.

Ex Agathonis dein testimonio patet, infallibilitatem Papæ reduci in Christi Domini orationis efficaciam, promissionemque Diuinam, vt vel hinc tuæ, Elliesi, exceptionis infirmitas euincatur, dum illi Apostolicæ Sedis priuilegio non antiquiorem ijs temporibus originem affingis, nullo etiam respectu habito ad eius Pontificia verba, quibus dilucidè asserit, Prædecessores suos priuilegio illi Diuinitùs sancito, se conformando, fratres suos confirmasse, vtpote ex promissione Diuina omninò certos, fidem Petri non defecturam. Et quia idem Agatho, affirmando, Romanam Ecclesiam à tramite Apostolicæ traditionis non aberrasse, huius rationis in hoc reducit principium, quòd Dominus fidem Petri non defecturam promiserit, quomodò fas fuit Elliesio, excipere, hanc Agathonis assertionem solummodò esse Facti, minimè verò Iuris? Quamuis proinde, si de Romani Pontificis persona priuata sit sermo, potuerit omninò contigisse, vt aberraret à fide, ex ipso tamen, quòd ipso Elliesio fatente, illud infallibilitatis priuilegium sit Romanæ Ecclesiæ proprium, ideo negandum prorsùs est, Papam ex Cathedræ Apostolicæ Petra, super quam ædificata est Ecclesia, definientem, posse à fide aberrare.

ARGVMENTVM II.

Nostratis sententia.

ISstud argumentum petitur ab auctoritate rum Nicolai Primi in epist. 8. ad Michaelem Imperatorem ita scribentis: [Priuilegia istius Sedis perpetua sunt Diuinitùs radicata, atque plantata: impingi possunt, transferri non possunt, quæ ante imperium vestrum fuerunt, permanent, Deo gratias, hactenùs illibata, manebuntque post vos, quousque Christianum nomen prædicatum fuerit, illa subsistere non cessabunt. Et mox ostendens, vnde illa priuilegia tam liberè prædicaret, hæc ait: [nam & inter cætera is, per quem nobis præcipuè ista priuilegia col-

iata sunt, aliquando conuersus, audiuit à Domino: Confirma fratres tuos.]

Tum Leonis IX. in epist. 5. ad Petrum Antiochenum, sic loquentis: [Nimirum solus est Petrus, pro quo, ne deficeret fides eius, Dominus, & Saluator asseruit, se rogasse, dicens: rogaui pro te &c. quæ venerabilis, & efficax oratio obtinuit, quòd hactenùs fides Petri non defecit, nec defectura creditur in throno illius vsque in seculum seculi, sed confirmabit corda fratrum varijs concutienda fidei periclitationibus, sicut vsquequaque confirmare non cessauit.]

Tum Innocentij Tertij in cap. [Maiores de Baptismate, & eius effectu, ita statuentis: [Maiores causæ, præsertim articulos fidei contingenter, ad Petri Sedem referendos intelliget, qui nouit pro eo Dominum exorasse, ne deficiat fides eius.]

Exceptiones Elliesianæ.

EXcipitur primò. In illa præallegata Nicolai Primi Epistola 8. nihil dici, ex quo infallibilitatis deduci possit. Priuilegia Sedis suæ commendat, ea transferri non posse, & in æternum permansura esse, dicit: hoc nihil ad infallibilitatem Pontificis Romani. Nam licèt Ecclesiam Romanam semper subsistere, & à fide penitùs non deficere, necessarium sit, haud inde sequitur, eius Episcopum in errorem cadere non posse. Quòd verò addit, Petro, à quo hæc priuilegia Romanæ Sedi sunt collata, dictum esse; [Et tu confirma fratres tuos,] si probaret aliquid de Romano Pontifice, probaret, eum non posse in culpam cadere, quin pœnitentiam agat, & sic non posse damnari. Addit enim Nicolaus post hæc verba: [Et tu confirma fratres tuos, siquidem & in culpam cecidit Petrus, vt sciret, qualiter infirmitatis aliorum misereri deberet, &c.] Ergo, si idem priuilegium haberent successores Petri, quod habuit Petrus, haberent omnes donum perseuerantiæ finalis, sed, vt iam dixi, Nicolaus, ex his probare minimè vult, se errare non posse, sed suum esse, sollicitudinem Ecclesiarum omnium gerere, & fratres per vim oppressos adiuuare; veluti colligitur ex antecedentibus verbis: [Hæc, inquit, Ignatium Patriarcham nulla regula; nulloque ordine dictante deiectum, tamquam fratrem adiuuare compellunt: nam inter cætera is, per quem nobis sunt hæc priuilegia collata, sic aliquando conuersus, audiuit à Domino, confirma fratres tuos.] Vbi videre est, priuilegia Romanæ Sedis à Nicolao commendata eò tantùm spectare, vt Romanus Episcopus Ignatium Patriarcham iniustè deiectum possit adiuuare.

Secundò. Præadducta verba Leonis IX. non esse ita strictè accipienda quasi Romanus Pontifex à fide deficere, non possit, alioquin probaret, eum nō tantùm docendo Ecclesiam, errare nō posse, sed nec fidem eum posse amittere, non loquitur ergo de persona Romani Episcopi, sed de Rom. Ecclesia: vnde in epist. ad Michaelem Constantinopolitanum Patriarcham, eumdem Scripturæ locum allegans, ex eo probat, fidem Petri non defecturam in vniuersa Ecclesia. [Taliter, inquit, sancta Ecclesia super Petrum (id est) Christum, & super Cepham, filium hominis est ædificata, quia inferi portis, disputationibus scilicet hæreticorum nullatenus foret superanda, sic pollicetur ipsa veritas: Portæ inferi non præualebunt aduersùs eam; cuius promissionis effectum se impetrasse à Patre, Filius protestatur, dicendo ad Petrum: Ego rogaui pro te, &c. Erit ergo quisquam tantæ dementiæ, qui orationem illius, cuius velle est posse, audeat in aliquo vacuam putare? Nonne à Sede Principis Apostolorum, Romana videlicet, tam per eumdem Petrum, quàm per suos successores conuicta, atque expugnata sunt omnium hæreticorum commenta, & fratrum corda in fide Petri, quæ hactenus nec defecit, nec vsque in finem deficiet, sunt confirmata?

Tertiò. Innocentium loco cit. vnicè petere, vt maiores causæ, ac præsertim fidei, ad se referantur, at ipsum non dicere, eas supremo, ac infallibili iudicio à se iudicandas: nec alio fine adducit hæc verba Christi ad Petrum: [Ego rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua.] Ergo immeritò ab Aduersarijs ad probandam infallibilitatem adducuntur, cùm ijs tantùm probet Innocentius, causas maiores ad se referendas, & alio in loco disertè dicat, se in fide posse aberrare, & ab Ecclesia iudicari, serm. scilicet 3. de consecratione Romani Pontificis, vbi sic loquitur: [In tantùm mihi fides necessaria est vt cùm de cæteris peccatis Deum Iudicem habeam, ob peccatum, quod in fide committitur, possim ab Ecclesia iudicari.] Porrò peccatum in fide committi non potest, de quo Ecclesia possit cognoscere, & iudicare, nisi fiat docendo prauum aliquod dogma. Hoc autem ipsi Innocentio contigit, consultus enim ab aliquo Abbate Cisterciensi de quodam, qui sibi confessus fuerat se celebrasse Missas, etsi laicus esset, & sic vellet permanere, an posset in hoc casu reuelare secretum confessionis, ex Consilio Cardinalium censuit Innocentius, reuelandum esse in eo casu confessionis secretum. Id refert Cæsarius Cisterciensis Monachus Innocentio æqualis lib. 3. hist. memorab. cap. 23. vbi ait, [Innocentij responsionem simpliciter, & absolutè datam, non solùm communi Theologorum doctrinæ aduersari, sed etiam videri repugnare Lateranensi Concilio, can. 21. sub eodem Innocentio celebrato.]

Refutatio istarum exceptionum.

IN primis Nicolaus I. eatenus statuit, priuilegia Sedis suæ Apostolicæ manere perpetua, vt inter hæc etiam indefectibilitas à fide recenseatur in vi Christi verborum. [Confirma fratres tuos] connexorum cum istis eiusdem Domini verbis. [Pro te rogaui, vt non deficiat fides tua.] At eo ipso; quod teste Elliesio, hoc priuilegium competat Sedi Apostolicæ Romani Pontificis, qua ex Cathedra decernentis, oportet Romanum Pontificem, licèt dum non loquitur ex Cathedra sicque in sua persona priuata possit à fide deficere

ficere, attamen quatenus ex illius Apostolicę Cathedræ Petra, super quam Ecclesia à portis inferi semper præualens ædificatur, fidei definit dogma, non posse vt sic vlli contra errori obnoxium dici. Ex illo igitur Nicolai I. argumento manifestè euincitur Papæ quà ex Cathedra loquentis in fide infallibilitas.

Deinde Leo IX. dicendo, efficacem Christi orationem obtinuisse, ne fide Petri credatur in throno vsque in sæculum sæculi defectura, apertè sancit, infallibilitatem fidei esse immobiliter conneaam cum throno Apostolicæ Petri Cathedræ. At ista immobilis connexio haud subsisteret, si Papa ex Cathedræ Apostolicæ auctoritate definiendo fidei dogmata, esset errori obnoxius. Nec reuera Ecclesia Romana, super hanc immobilem Petram ædificata esset prorsus certa fidei numquam amittendæ, nisi Cathedræ Apostolicæ adinstar Petræ super se fundantis Romanam Ecclesiam, competeret illa per Christum promissa à fide indefectibilitas. Quæ proinde fidei petræ in Cathedra Apostolica firmitas in causa est, cur maiores, fidem præcipuè concernentes causæ, ad eius iudicium referri debeant. Quod adeò fidei iudicium oportet eo ipso esse infallibile, quod Christus non eam pro Petro personaliter spectato, quàm eius Cathedra perpetua rogarit, ne fides ipsius deficeret; vti argumentatur præcitatus Innocentius. Qui proinde Pontifex licèt aliquando fassus sit, se in sua persona propria posse fidei errori obnoxium esse, attamen einsmodi errabilitatem à sua Cathedra Apostolica, siue à se, quà ex huius petra per Christum immobiliter firmata remotissimam pronuntiauit.

Corollarium finale.

Quod ergo Elliesius in suo præloquio desiderauerat, vt Romani Pontificis ex Cathedra loquentis in fide infallibilitas ostenderetur ex sacra Scriptura, & traditione: hoc abundè à nobis præstitum iam habetur in antecedentibus. Dum verò vlteriùs desiderat, quid exigatur, vt Papa dici queat loqui ex Cathedra, eius rei explicationem ex Christi Domini verbis Matth. 16. ad Petrum definitè prolatis adferimus, quod scilicet Papa sit loquens ex Cathedra, quatenus ex Apostolicæ suæ auctoritatis petra: super quam ædificata extat Ecclesia, fidei dogmata, seu morum decreta definit. Et quia in secunda disquisitione præsentis art. 4. probauimus, hanc Petræ Apostolicæ firmitatem subsistere etiam antecedenter ad Corporis Ecclesiæ Hierarchici vnà secum in Concilio Oecumenico coadunati consensum; idcirco non intra dumtaxat, sed etiam extra Synodum vniuersalem Ecclesiæ vniuersæ perfectè, & completè repræsentatiuam, posse in vi auctoritatis ipsi quà capiti, & vt sic Ecclesiam totam capitaliter repræsentanti conuenire, vt fidei dogmata absolutè, ac definitiuè sanciendo, dicendus sit statuisse ex Cathedra sua Apostolica, atque adeò potiri vt sic in rebus fidei infallibilitate quoad se, & secundùm rei veritatem omninò perfecta, licèt quoad nos, & in ordine ad proteruos conuincendos, maior vis sit auctoritatis omnimodè, & consummatè conuincentis, dum suum consensum auctoriatiuum coniungit cum fidei, & morum decretis, intrà Synodum Oecumenicam à reliquo etiam Ecclesiæ hierarchico corpore comprobatis.





CYPRIANI BENETI ARAGONENSIS,

Ord. Prædicatorum, & Sacræ Theol. Doct. Parisien. ac eiusdem Theologicæ facultatis Cathedram in Vrbis Gymnasio gubernantem: nuperrimè editum.

DE PRIMA ORBIS SEDE: De Consilio, & Ecclesiastica potestate, ac de S. D. N. Papa supremo, insuperabilique dominio Opus.

Cyprianus Benedictus vulgari nomenclatione dictus Benetus ex Aragoniæ Regno Sodalis ex Ordine Prædicatorum Doctor Parisiensis, claruit, & Theologia, quæ speculatiua, & scholastica nominatur, & ea, quæ moribus leges præstituit, Exeunte decimo quinto, atque ineunte decimo sexto sæculo. Scripsit autem plura. De Prima Orbis Sede, De Concilio, De Ecclesiastica potestate, De Pontificis Maximi Auctoritate Romæ 1512. 4. ad Iulium II. Leonemque X. dedicata. Aubertus Miræus tribuit ei etiam alia duo opera. Dialogum nempe, De Excellentia, & Vtilitate Theologiæ. De Caroli Hispaniarum Regis Preæminentia, De Clementia &c. Romæ 1518. in 4. Simlerus in epitome Gesneri Bibliothecæ, & Philippus Labbæus in dissertatione historica de Scriptoribus Ecclesiasticis addidit tractatum de non mutando Paschate, & eum vocat Cyprianum Venetum, quem idem Philippus Labbæus putat esse eumdem cum Cypriano Beneto. Et certè error est omninò facilis quippe more Hispanico, V confunditur cum B. Ita Appendix ad Bibliothecam Dominicanam anno 1516. Meminere Cypriani Bibliotheca Hispanica, Bibliotheca Dominicana, eiusque Appendix, Ludouicus Carolus à S. Iacobo in sua Bibliotheca Pontificia, Eisengrenius in Catalogo testium veritatis. Vincentius Blascus in Aragonensibus chronicis, Bellarminus de Scriptoribus Ecclesiasticis, Philippus Labbæus, in cuius indice puto duos irrepsisse Typographorum errores, vnum quod ibi scribitur S. cum nullibi hoc legatur in aliquo, quem viderim, & dicitur Benerus. Meminere & quamplures alij. Præter supradicta opera ex Bibliothecæ Pontificiæ Auctore opus habuit aliud opus componere. Mortuo Leone X. nullus minori ambitione sua, Adriano VI. vt scribit Iouius adeptus est Pontificatum, quippe Romæ paucis cognitus, vix auditus ab Hispania, extremisque Germaniæ oris ad summum rerum fastigium tam felici, quàm inopinato euentu electus est absens. Id verò Populus Romanus tam ægrè tulit, vt cùm patefacto Conclaui Cardinales domum redirent passim maledictis incesserentur, quod non modò vrbem, sed Italiam Antistite orba-

orbatam fecissent; erat enim constans fama, vel remansurum in Hispania, aut enauigato protinus Oceano Germanos esse petiturum, vt ad immortale decus Gentis Patriæ Sacrorum Princeps ibi degeret. Nobiles etiam Hispani promissis maximis eum retinere tentabant, Henricus Britanniæ Rex summa contentione ad se inuitabat, promittebatque Viaticum, & Regiæ munificentiæ, & Pontificiæ dignitati conformem. Inuitabant, & Rex Portugalliæ, alijque Principes. Deterrebant autem tum maris tempestates, tum terræ assidua bella. Super hac re scripsit Cyprianus Hortatoriam, vt ait Ludouicus Carolus à S. Iacobo vehementem. Vixit autem notus pluribus Summis Pontificibus, sub quibus vixit, & quibus vel opera dedicauit, vel scripsit.

QVÆSTIO THEOLOGALIS

Sub hac verborum forma cunctis Christi cultoribus proponitur.



Vtrùm Leo X. Pontifex Maximus illa plenissima potestate, quam à Deo immediatè suscepit, supra Collegium, & vniuersale Concilium Ecclesiæ supremus existat: omnem temporalem superans potestatem?

Conclusio Prima.

Sicut mundi Saluator Christus, Ecclesiæ gentium super omne, & quodcumque ab æterno Patre ducatum, & sceptrum accepit: vt ei cœlestium, terrestrium, & infernorum cuncta curuentur genua; Sic & Beato Petro, & eius successori Leoni Pont. Max. in quo regalis, & sacerdotalis potestas fulget (quæ vna in omnibus) Rom. Pont. etiam malis singulariter elargitur: quod summum est, & plenum totum committit eidem.

Corrolarium Primum.

Cùm omnis potestas Ducum, & Principum temporalium sit Sanctitatis Suę in ministerium attributa: spirituale quoque, quodcumque corporale gubernare naturaliter necesse sit, ab eius dominio leges dependent, & sua suscipiunt statuta vigorem, ab eo quoque illorum potestas restringenda, aut ampliandas venit.

Corrolarium Secundum.

Sicut nullus potest intrare ad cœlestem curiam nisi Sanctitate sua mediante (quæ est æternæ vitæ Consistorij clauiger, & Ostiarius, & sicut appellare ad seipsum nemini permissum est; ita à Papa ad Deum, neque ad vniuersale Concilium iuridica appellatione nemo potest, quia neminem recognoscit in terris superiorem.

Conclusio Secunda.

Quicumque enim sublimem Sanctitatis suę potentiam violenter, aut quouis alio modo violare, aut restringere contendunt (quæ potiùs est ab omnibus reuerenter exaltanda) vt Diuinæ ordinationis transgressores deprimi debent per eamdem, atque puniri.

Corrolarium Primum.

Igitur Sanctitas sua, vt spiritualis homo quem Paulus enumerat, omnia vniuersaliter iudicans, ipse verò nec à Concilio vniuersali, quod decretum irritans aduersùs eam condere nequit, licèt bene quandoque reuerenter, & charitatiuè admoneri, & hortari ab eodem possit: tamen ab aliquo citra Deum iudicari non potest.

Corrolarium Secundum.

Et sicut Apostoli sine Christo nihil poterant facere, ita volentes inscindere vestem Christi inconsutilem, & contextam per totum, idest Ecclesiæ integritatem, vnitatem, & pacem grauiter offendunt, & absque ea nihil possunt, nisi errare.

Conclusio Tertia.

Quippe ne excellentissima Sanctitatis suę auctoritas, in qua ipsa fundatur Ecclesia, & vniuersalia Concilia ab eo solùm accipiunt potestatem, quod à nullo reprimi potest, aut restringi, nec magis ampliari, nisi à Deo nedum Sanctorum Patrum testimonio; sed diuina, & irrefragabili sententia corroborari potest. Ad quorum quidem statutorum obseruantiam minimè potest coarctari, cùm omnia iura in scrinio sui pectoris gerat, & sit super illa.

Corrolarium Primum.

Defecerunt quidam scrutantes scrutinio, errauerunt à principio, & locuti sunt falsa; Concilia vniuersalia Ecclesiæ, asserentes non à Papa, sed à Christo immediatam suscipere auctoritatem, & absque Rom. Pont. assistentia, & voto conuocata, & congregata etiam si forent.

Corrolarium Secundum.

Quàm grauiter etiam offendunt, qui neglecta Apostolicæ Sedis consultatione huiusmodi Concilia conuocare contendunt, quæ potiùs conuenticula appellari debent, & in illis grauissimas materias definire, ac ab alijs etiam obseruari præcipiunt.

Con-

Conclusio Quarta.

Sicut fide tenendum est, quod potestas tua Pater beatissime est suprema in Ecclesia, & constituit te Deus Principem super omnia regna mundi, illa posse restringi, aut auferri ab aliqua temporali, quæ non habet superiorem, nisi æternam, Imperiali, aut Regali indignum est profiteri, sicut dicere Sanctitatem suam habere plenissimam iurisdictionem etiam coactiuam sicut Christus habuit (& sic est) & illam non posse ad sui libitum exercere contradictionem implicat manifestam.

Corrolarium Primum.

Vnde cùm Rom. Pont. sit omnium spiritualium, & temporalium Dominus eminente Ecclesiæ necessitate, aut pro incremento, aut exaltatione eiusdem, & fidei à Prælatis Ecclesiasticis, & ab alijs pro officiorum, & beneficiorum collationibus aliquam summam pecuniæ, licèt absque canonicę simonię incursu accipere possit, id nulli alteri absque grauissimo peccato est permissum.

Corrolarium Secundum.

Quam quidem simoniam si ad Romanorum Pontificum electionem, radicemque eneruandam quisque fortè reduceret (cùm eadem ratio esset de omnibus) caput, & potestatem Ecclesiæ militantis, seu claues amputasset, & excinderet, aut per magna tempora corpus Ecclesiæ mixtum monstrum, aut sine capite fuit, & clausum permansit cœlum inferno semper aperto, quod fateri absurdissimum esset, etiam cùm ex iniquo principio conflata sit quandoque salutaris religio.

Conclusio Quinta.

Cùm diuersitas statutorum nequaquam in contrarium esse censeatur, si diuersitas locorum, & temporum varietasque personarum quibus distributa sunt rectè pensentur, Pont. Max. differre Concilium, ducatque ad aliquod tempus rationabiliter differendum (quia ei solùm incumbit) non est profectò indignum, in quo crimine hæresis proprijssime sumptę dempto, pro nullis alijs criminibus, de quibus potest absolui, ideo adimi sibi potestatem nullo potest iure videri, imò si qua dissensio in materia fidei occurreret, in ea suæ potiùs sententiæ, & determinationi standum est.

Corrolarium Primum.

Cùm bonum commune, & præcipuè totius mundi bono particulari sit præferendum, & ad tempus tolerandum veniat, quod diuina iustitia tolerat (secundùm quod iuxta merita, vel demerita plebium corda fidelium disponuntur) non tantùm Sanctitatem Electores, quantùm personæ prouidentiam, & sapientiam respicere quandoque tenentur: Sed studiosum, virumque literatum, & literarum amatorem eligere sanctius est.

Corrolarium Secundum.

Cùm Theologalis scientia primatum inter alias scientias à Deo obtineat, & maximè per illam Ecclesiastica hierarchia illustretur: sitque suum de fide, & de potestate Summi Pontificis disputare, inter Theologum & Iuristam, cæteris paribus, Theologus magis preferendus esse videtur.

Conclusio Sexta.

Non afferentes stateras dolosas, vt appendamus quod volumus, dicentes pro arbitrio nostro, hoc graue, hoc leue est: sed afferimus dumtaxat Diuinam stateram de Scripturis sacris, tamquam de thesauris Dominicis; & in illa tantummodo quid sit grauius appendentibus Sanctorum innitimur expositionibus, & Sacrosanctæ Romanæ, & Apostolicæ Ecclesiæ saniori determinationi, & dictis hoc humiliter submittendo, Ocham & eius discipuli Iasonis, sicut & gesta Cõstantiensis Concilij, & præcipuè Basiliensis in hac parte non multum ponderantes: pro exaltatione Ecclesiæ solùm eiusdem sponso Christo cooperante, ore & scriptis has veritates, & omnem quæstionem affirmare, & ventilare tentabimus.

Corrolarium Primum.

Et veritate imperante, & magis nobis amica (cum pace, & reuerentia aliquorum Magistrorum nostrorum ore, & non corde oppositum, vt existimo obseruantium loquar) amplissimam Catholicæ, & Apostolicæ Sedis potentiam minimè coarctari posse, & suas quæstiunculas per has nostras assertiones penitus eneruari vident, & nullum Ducem, aut Principem tantùm posse seruire Ecclesiæ Romanæ, quin magis teneatur, etiam de condigno.

Corrolarium Secundum.

Cùm Ecclesia Apostolica mater omnium fidelium, & magistra Deum præcipuum habeat protectorem, pro cuius libertate, & manutentione Leo Pontif. Max. post terribiles aggressus, & præclara, heroicaque facinora æterno commemoratu dignissima, & caput eiusdem, & Deus in terris congruè effici meruit. Huic quidem Ecclesiæ tantam tribuie Christus auctoritatem, vt Diuus Augustinus eius Euangelio (nisi ipsa impellente) non crederet: Quæ insuperabilis, & terribilis, vt castrorum acies ordinata, suos ad celum eleuans, rebelles, & inobedientes ad infernum deducit.

Corrolarium responsiuum est titulus quæstionis pro omni sui parte affirmatiuè tentus,

Et si tempore fe. re. Iulij Papæ Secundi, Sanctitatis tuæ prædecessoris sequens impressum sit opus; in eo tamen quicquid de illius animi strenuitate, & zelo, & maximè de Papali, & Pontificia dignitate referimus, totum Eninentissimæ supremæ tuæ obtulimus Maiestati: sub eiusdem Sanctitatis tuæ emenda, & castigatione benigna,



Relictis, & omissis prohemialibus filaterijs (quæ fastidiosa videntur: & ab opere speculatiuo alienissima existunt) Spiritu sancto cooperante: vt veritas, quæ de cœlo orta est magis, ac magis elucescat: quæ sola nos mouet, fouet, & custodiet; hinc inde inductis rationibus Peripateticorum, & Theologorum more procedimus. Scripsimus autem hæc tenui stilo: quia vt ait Augustinus contra Manichæum. Non ornato, politoque sermone: sed rebus manifestis conuincenda est vanitas aliquorum.

Contra Primæ Conclusionis fundamentum, arguitur primò sic. Filius Dei nihil accepit à Patre, ergo nihil potuit conferre Petro, Consequentia nota elt. Antecedens probatur: quia si aliquid: hoc esset vel deitatis, vel æternitatis, vel potentiæ: sed nullum istorum: Igitur. Minor patet per illud Athanasij. Ita Deus pater, Deus filius, Deus Spiritus sanctus. Et, Æternus Pater, æternus Filius, æternus Spiritus sanctus. Similiter: Omnipotens Pater: omnipotens Filius: omnipotens Spiritus sanctus.

Secundò arguitur sic. Christus non exercuit ducatus officium: nec portauit sceptrum, & non fuit nisi in Iudæa, & Hierusalem, & in partibus illis: ergo non super omne, & quodcumque talem habuit potestatem.

Tertiò arguitur sic. Genua terrestrium non curuantur: immò eriguntur contra eum: vt infidelium, & hæreticorum: qui negant ipsum esse Deum: vel non assumpsisse verum corpus: sicut Manichæi: similiter contra Beatum Petrum, retrudentes illum in carceribus: multò minùs successori suo: cùm multas, & varias terras videamus rebellare aduersùs eum; ergo conclusio est falsa. Et confirmatur: quia genua curuare, est humiliari, & inclinari coram eo: quia non loquitur de genu tibiæ, aut materiali notum est.

Quartò arguitur sic. Christus non saluauit mundum: igitur non est saluator mundi; consequẽtia tenet, antecedens probatur; quia maior pars mundi remansit in infidelitate, vt pagani, & Agareni multi: Et confirmatur; quia si saluasset mundum, maximè fuisset in instanti suę mortis, quãdo Sol fuit obscuratus, & petræ scissæ sunt, & multa corpora Sanctorum resuscitarunt, sed hoc non, quia solùm remansit fides in Beata Virgine: quia alij discipuli sicut corpore sic, & mente fugerunt, & fuerunt dubij quod esset Deus, & homo: & sicut ista consequentia non tenet: homo est albus secundùm partem, ergo homo est albus: sic in proposito: Christus saluauit partem mundi scilicet fideles: ergo Christus est mundi saluator.

Quintò arguitur sic. Christus venit saluare oues, quæ perierant ex Israel, & Cananeæ, quæ erat ex gentibus dixit: Non est bonum sumere panem filiorum hominum, & dare canibus; ergo videtur quod non accepit talem ducatum, aut sceptrum super Ecclesia gentium, nec omne, & quodcumque dedit ei,

Sed in contrarium sunt multa sanctorum decreta, & præsertim illa Concilij Ephesini, & etiam auctoritas Cyrilli Patriarchæ Alexandrini: qui sic ait in lib. thesaurorum: Sicut Christus accepit à patre ducatum, & sceptrum ecclesiæ gentium, ex Israel egrediens super omne; & quodcumque, vt ei genua cuncta curuentur: sic Petro, & eius successoribus plenissimam concessit potestatem.

Pro solutione art. est notandum primò, quod in proposito ducatus, & sceptrum non capitur propriè, sed metaphoricè pro quadam præeminentia dominij, seu potestate, quam Christus à patre suscipiens dedit Petro Apostolo, & successoribus eius, nec accipere aliquid ab aliquo, aut esse dicit prioritatem simpliciter, aut imperfectionem, nam filius est à patre, & omnem potestatem accepit ab eo iuxta illud. Math. vltimo data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra, & tamen non est maior eo, nec prius; quia in illa personarum Trinitate, nihil est prius, neque posterius etiam origine, vt bene probat Greg. Here. in 1. sentent. nec maius, aut perfectius, & quoad clauium potestatem, & exercitium illarum veri successores Petro non sunt minores, & habẽt illam eamdem, quam Christus habuit, vt Vicarij eiusdem, nec ista tenet consequentia iste habuit aliquid, quod non habuit alter, & fuit alius ab eo, ergo eo perfectius, est: nam filius in diuinis habuit sine assumpsit humanitatem, & factus est homo, natus, passus, &c. & non Pater, vel Spiritus Sanctus, ergo est eis perfectior vel maior; nec sequitur, est minor Patre secundùm humanitatem, ergo est minor, quia arguitur à dicto secundùm quid ad dictum simpliciter,

Secundò notandum est, quod habere plenissimum posse, seu potestatem super aliquare contingit dupliciter. Vno modo in actu, alio modo in potentia, vel voluntate, primam non habuit, quam ipse Christus exercuit, non tamen simpliciter, quia non eripit mortalia, qui regna dabat cœlestia, & statum perfectionis maximè ostendens, sed si voluisset fecisset, quia poterat eminentissimè, & sic, habuit secundo modo, & eam tribuit successori Petro, & suis Vicarijs vult pro loco, & tempore eam exerceri etiam coactiuè, quia omnis potentia etiam naturalis data dispositione debita non potest, non reduci ad actum, quia

fru-

frustrà est potentia, quæ non reducitur, aut reducibilis est ad actum, non ita Christum saluatorem mundi arbitramur contulisse suam potestatem B. Petro,& successoribus, vt velit eam in ipsis frustrari, & ad actum quando oportet, & præcipuè intra suum ouile, & fideles non posse reduci, quia imperfectionis esset, quod in Deo minimè cadit, cùm hoc nec ipsa natura permittat. Vnde Deus, & natura nihil faciunt frustra.3. de anima. Impeditur tamen per accidens, vt ignis applicatus stuppæ non potest, non comburere, similiter virtus solis applicata niui non potest non liquefacere, & numquam comburitur lignum nisi priùs humiditas expellatur, sic in proposito Papa producit effectu potestatis clauium in applicatos, sibi per veram obedientiam,& non in infideles hæreticos, & rebelles, quia nimium distant corda eorum ab eo,& nolunt, immo renuunt intellectum suum captiuare in obsequium Catholicæ, & Apostolicæ Ecclesiæque Romanæ,obduratum est cor eorum, & nolunt intelligere, vt bene agant, non igitur eidem auferunt dispositionem, & amplissimam clauium pietatem, seu tale dominium, sicut nec in naturalibus distantia patientium aufert effectum formalem ipsius ignis naturaliter agentis,& eodem modo dicendū est de Christo,qui fuit vniuersalis redemptor,tamen totus mundus non fuit redemptus, quia posuit obicem per infidelitatem, & inobedientiam, & obscuratum est cor eorum,noluerunt videre lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis Israel, obturauerunt aures eorum, ne audirent verba seruorum Dei, sicut Prophetarum, Patriarcharum, & Apostolorum, quorum sonus exiuit in omnem terram, & in fines orbis terræ verba eorum.

Et ex omnibus istis infertur, quod nullius antiquorum publicorum, & paganorum, quorumcumque per ignorantiam ab errore suo potest, nec vnquam potuit excusari,& per consequens fuerunt damnati, & est catholica sententia Diui Hieronymi, & multorum sanctorum, & filij Adæ vndè succedunt, alijs sufficenter enunciarunt similiter Patriarchæ, & Prophetæ, & Christus verus Deus, & homo, ac Apostoli sui, & discipuli, & sic consequenter: vnde nunquam in ipsis inuincibilis cadit ignorantia, nec rectè sentiunt oppositum opinantes, dico de fide, & Ecclesia extra quam aliquem posse saluari est impossibile, & scientem quod in se est numquam permitter Deus sic errare, quoniam noluerunt intelligere, vt bene agerent in omni tempore sufficienter via salutis ostensa est illis.

Tunc respondetur ad argumenta ad primum negando antecedens, quia filius à patre solo est, & ex substantia illius, & totum esse filij accepit ab eo, & ad probationem negatur consequentia, sicut in creaturis demonstrato patre, & filio eiusdem speciei, & eiusdem potentiæ, non sequitur, vnus est homo sicut alius, & ita potens, ergo non accepit aliquid ab alio.

Ad secundum dicitur, quod hoc habuit in potentia, & in libertate sua, & illa nomina capiuntur metaphoricè, & vt dictum est, & sic negatur consequentia.

Tertium verò soluitur ex dictis, & negatur consequentia, & ad rigorem vlterioris consequentiæ dicitur, quod non est simile, nec sic arguitur in proposito, sicut non sequitur demonstrato vno bono magistro, & docto, & sicut sæpè vidimus, hic magister non habet discipulos, ergo non est magister, & aliæ instantiæ dari possent.

Quartum iam solutum est ex dictis,quia ipsi obicem posuerunt, & ex defectu eorum prouenit, & eodem modo dicendum esset de illa portione vniuersi, & hominum, qui non obediunt Sedi Apostolicæ, et præcipuè de aduersarijs illius, et sese opponentibus aduersùs Papam sicut, et Romani, et Gentiles tunc restiterunt Beato Petro, et crucifixerunt eum, nihilominus ille erat verus, et indubitatus Papa, et Princeps mundi, sicut et quilibet successor eius ritè, et canonicè electus, in quem transit illa eadem potestas, quam tribuit Christus Petro: Sed dices contra, quia non habetur ex aliquo passu expresso Sacri Euangelij, ergo non dedit eam successoribus, non valet consequentia, quia arguitur ab auctoritate negatiuè, sicut non sequitur non est scriptum, quod scribo, ergo ego non scribo, potest tamen dici, quod istud postea reuelatum fuit eidem, quatenùs succederent per electionem; et vltra oues fideles sine domino non debent esse nec sine pastore, nec mundi principatus sine principe, et istum modum voluit Christus, voluit fortè occultare Petro, qui dimisit Clementem in successorem. Nec illud obstat, licèt Petrus esset sapientissimus, et reuelauit istud de Clemente discipulis, et ipso minoribus iuxta illud. Quæ abscondisti sapientibus reuelasti ea paruulis, quem Apostoli, et discipuli Christi non susceperunt in talem, sed de ista materia latiùs dicetur infra circa titulum quæstionis, et hæc pro prima parte, et fundamento primæ conclusionis dicta sufficiant.

Contra secundam partem conclusionis quæ est ista, quòd potestas Sacerdotalis, & regalis fulget in Iulio II. Pont. Max.

Arguitur primò sic, ista sunt contraria, ergo nō cōperiuntur in vno subiecto, antecedens patet,quia effectus vnius est militare armis materialibus,& corporalibus pro Repub. vtpote regalis, effectus verò alterius est militate spiritualiter cum lachrymis, & orationibus iuxta illud Ambros. arma militiæ nostræ sunt orationes, & lachrymæ, & loquitur de effectu clericali,& sacerdotali: igitur. Et confirmatur, quia semper videmus diuersas personas, & non vnam gerere huiusmodi officia, consequentia patet, quia duo contraria in eodem subiecto esse non possunt.

Secundò, arguitur sic, Christus non fuit Rex iuxta illud Ioan.18. Regnum meum non est de hoc mundo: Si enim ex hoc mundo esset, ministri mei vtique decertarent, vt non traderer Iudæis, nec regalem exercuit facultatem: ergò eam non contulit Petro, nec successoribus eiusdem.consequentia patet, quia nemo dat, quod non habet,& confirmatur,quia habitus exterioris Regis, & Pont. sunt diuersi, ergo & interiores oppositi sunt.

Tertiò, arguitur sic. In lege veteri Tribus leuitica, ex qua creabantur Sacerdotes, & Tribus Iuda, de qua ortus est Christus, & de qua creabantur Reges erant distinctæ potentes. ergo Papa non habet regalem potesta-

tem,

tem, patet contra quia potestas Papæ figurabatur in istis, & confirmatur, quia de Tribu Iuda nihil de Sacerdotibus locutus est Moyses, vt dicit Apost. ad Hebr. 7.

Quartò, arguitur in Papa gerente vicem Christi non fuit illa potestas regalis, igitur: cõsequẽtia patet antecedẽs probatur, per illud quod scribit Ioan. 6. quod cum cognouisset Iesu, quia venturi erant illi homines, quos pauerat, vt reciperent eum, & facerent eum Regem, fugit in montem, igitur. Confirmatur, quia cessit dominio regni.

Quintò, Papa non vtitur tali potestate regali, igitur illam non habet.

Sextò, Regnum Cœlorum, & terrenorum ex opposito diuiduntur, sicut spirituale, & corporale, ergo Papa non habet temporalem, seu regalem potestatem. Antecedẽs patet, consequentia probatur per illud Matt. 16. Tibi dabo claues regni cœlorum, nihil de terreno dixit Christus Petro.

Septimò, Christus non habuit illam iuxta illud Lucæ 12. quis me constituit iudicem, aut diuisorem super vos? quasi dicat, nullus.

Octauò, Quando dixit Matth. 22. reddite quæ sunt Cęsaris Cęsari, & quę sunt Dei Deo. Visus est ponere distinctionem, ergo istam potestatem non habuit, cum Sacerdotali intermixtam.

Nonò, Lex Imperatoris antiqua dicit oppositum, scilicet quod Papa solum curet spiritualia, & diuina, igitur, consequentia patet per illud Prouerb. 22. ne transgrediaris terminos antiquos.

Decimò, arguitur sic per illud apo. ad Titum 2. Nemo militans Deo implicet se negotijs sæcularibus.

Vndecimò, contrariorum secundùm Philosoph. & ff. de his qui sunt sui, vel alieni iuris, l. 2. §. videmus, eadem est disciplina, sed iudex non se debet, dico sæcularis, intromittere de spiritualibus, ergo nec è conuerso, vt in cap. decreuimus de iudicijs.

Duodecimò, istud repugnat Apostol. dignitati, quæ maximè debet esse perfecta, & Papa singulariter dicitur Apostolicus, igitur, & confirmatur, per illud quod scribitur Matth. 19. si vis perfectus esse. Vade, & vende omnia quæ habes, & sequere me, & sic videtur, quod solùm in spiritualibus, & non in temporalibus habeat potestatem, ergo non regalem, quia arguitur ex his à destructione superioris ad destruct. inferioris, quia benè sequitur, nullam habet pecuniam, ergo non Ducatum, vel Iulium habet, sic in proposito, nullam habet potestatem temporalem, ergo non regalem.

In contrarium est laudabilis consuetudo ab auctoritate Euangelij orta, & ratio, quia Papa consecratur vt Sacerdos, coronatur, vt Rex, & fit festum, & magnus triumphus in vrbe de huiusmodi, tam digna coronatione, ratio, quia gerit vicem Christi in terris, sed Christus habuit talem potestatem, ergo & Papa, antecedens notum est, & minor probatur tripliciter, scilicet quod habuerit eam, scilicet in incarnatione, in eius conuersatione, in passione, & resurrectione.

Primum patet, quia per filium sacerdotis, scilicet Ioan. Bapt. suum aduentum in carnem voluit nuntiare. Secundò patet, per Hieron. seu per Matth. cap. 17. dicentem, quòd Dominus filius Regis erat, quia secundùm Humanitatem ex Dauid stirpe erat generatus, secundùm verò Diuinitatem Omnipotentis Patris erat Verbum, & ideo tamquam regum filius tributa soluere non debebat. Vndè manifestè concluditur, quod erat Rex, & Sacerdos, & August. dicit in lib. de consensu Euang. quod Christus erat Rex, Propheta, & Sacerdos. Legitur etiam in authenticis historijs, qualiter fuit electus per Sacerdotes templi in Sacerdotem in Hierusalem, & propter obitum alterius, sic quod sciscitantes intra se Sacerdotes templi, & mirantes de eius vitę sanctitate, & excellentia, & quia sæpissimè in templo ipsum orantem, & mirabilem sanctimoniam ostendentem videbant, dignum duxerunt ipsum pręaliјs debere eligi in Sacerdotem, & sciscitantes, & diligenter quærentes, cuius filius esset, quia neminem illegitimum admittebant, inuenerunt. B. Mariam esse inuiolatam Virginem, & ipsum esse Filium Dei, prout ipsa etiam dixit illis, & inter alios Sacerdotes templi fuit, & comperitur scriptus, & prædictum mysterium occultum voluerunt. Vndè constat Christum gloriosum Sacerdotem fuisse, & dignitas Sacerdotalis maximè enituit in ipso, quia perfectus Deus, & perfectus Homo erat, & de eo scribitur Psal. 109. Tu es Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech.

Secundò hoc ostensum fuit eminente tempore benedictæ passionis suæ de reuerentia sibi exhibita ab omnibus sedenti super asinam, & pullum, dicentibus Osanna benedictus, qui venit in nomine Domini. Et vaticinium Zachariæ iuductum est per Matth. dicentem, cap. 9. Ecce Rex tuus veniet mansuetus sedens super asinam, & pullum, potestatem verò Sacerdotalem ostendit quando se obtulit in ara crucis in Sacrificiũ, & Hostiam, vt benè declarat August. in lib. de Ciuitate Dei cap. 14. & lib. 4. Tum etiam quando ipse dixit. Nunc princeps mundi eijcietur foras, & ego si exaltatus fuero omnia traham ad me ipsum, & locutus fuit de exaltatione per Crucem, & de principe mundi Lucifero, quia omnes erant filij iræ: Vnde ipse qui est veritas incarnata, & infallibilis dixit Matth. vlt. Data est mihi omnis potestas, scilicet Sacerdotalis, & regalis in cœlo & in terra, qui omnia dicit nihil excludit, hanc potestatem Sacerdotalem etiam ostẽdit in Spiritus sancti datione, quando dixit Io. 9. Accipite Spiritum sanctum quorum remiseritis peccata remittentur eis, regalem verò eminentissimè ostendit tempore Resurrectionis postquam inferni claustra penetrando suos captiuos redimens diabolo spoliato, & inferno multis corporibus sanctorum resurgentibus cum ipso, & accepto de hoste triumpho introierunt in sanctam ciuitatem, & cantat Ecclesia, propterea filiæ Hierusalem venite, & videte martyrem cum corona, &c. & per ista patet probatio minoris.

Sed pro solutione aliquorum argumentorum notandum est primò, quod secundùm Aug. Regnum Christi super quod regnant fideles eius sunt credentes in eum, quibus dicitur, vos de hoc mundo non estis, quia si de hoc

hoc mundo fuissetis, mundus, quod suum est diligeret: Christus autem non dixit, regnum meum non est in hoc mundo, quia certum est quoniam in hoc mundo, & in alio regnat super fideles suos, hic per gratiam, & in futuro per gloriam, hoc dixit non est de hoc mundo, quia de hoc mundo est quicquid homini est à Deo creatum, & ex viciata stirpe Adæ generatum, sed iam factum est regnum non de hoc mundo, quicquid de ipsis hominibus per ipsum Christum regeneratum est, dicente Apostolo eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit nos in regnum filij charitatis suæ. Et potest dici secundùm Chrysost. quod regnum Christi non est de hoc mundo, quia non fuit modo mundano sicut sunt alij Reges, qui ex fortitudine ministrorum accipiunt potestatem regnandi, ipse autem regnando super suos sibi ipsi sufficiens est, nullo alio adminiculo indigens, & ideo cæteris Regibus perfectiùs regnat.

Secundò notandum est, quod cùm aliquid est in superiori, & inferiori, & in principali agente, & ministro, & in instrumento perfectius est in principali agente, etiam naturaliter, potestas ergo regalis, & in Papa, & in alijs Regibus, & Principibus mundi, nobiliori modo tamen, & excellentiori est in Papa, quàm in eis, quia in Papa est per confirmationem, & dispositionem, atque correctionem ipsorum, in eis autem per executionem, & administrationem.

Ad argumenta ad primum dicitur, negando antecedens, & ad probationem dicitur primò, quòd ordinantur ad vnum finem, scilicet ad bonum Ecclesiæ vniuersalis, & militantis, & in ministerium ipsius, quæ non solùm corroborari debet armis spiritualibus, sed etiam materialibus aduersus rebelles, & infideles volentes eam subuertere, quia Ecclesia in se nullam patitur contrarietatem, quia in vnitate esse congregata, & in fide, & charitate, & spe fundata, & solidata, & secundùm Apostol. nulla tribulatione, aut aduersitate diuelli possunt veri fideles à charitate Christi, & sancti per fidem vicerunt regna operati sunt iustitiam adepti sunt repromissiones in Christo Iesu Domino Nostro. Secundò dici potest, quod omnia regna mundi, & omnis potestas, tam regalis, quàm Sacerdotalis ordinatur in Deum, vt fideles omnes ad regnandum cum Christo inducantur, & in hoc ordine, quantum est de se nulla est contrarietas, & præsertim respectu finis, qui est æterna beatitudo, quæ consistit in charitate perfecta in illa Ecclesia trumphanti, & super cœlesti, ad quam ordinatur ista. Sed dices contra quia sunt multa regna paganorum, & infidelium, quæ non ordinantur in Deum nec possunt extra vnionem Ecclesiæ militantis saluari. Dicitur quod istud est de per accidens, quia nolunt audire, nec intelligere, vt benè agant, comparati sunt iumentis, & similes facti sunt illis, quia nolunt obseruare legem Christi, quæ est omnium actuum humanorum regulatiua, & rectè ad cœlum inductiua. Lex inquit Psal. Domini immaculata conuertens animas testimonium Domini fidele sapientiam præstans paruulis, quos Christus in Euangelio vocat ad se, sinite paruulos: idest fideles meos venire ad me, ipsorum est enim regnum cœlorum, posset etiam dici, quod ordinantur in Deum, quia diuinæ iustitiæ effectus, pro triumpho fidelium viget in eis in inferno per afflictionem pœnarum, & sic sunt diuinæ iustitiæ instrumentum, & ex parte diabolo sunt, non solùm illi, sed etiam rebelles Rom. & Apostol. Eccles. & extra vnionem illius in peccato mortali descendentes grauiùs puniuntur, quia magis ingrati sunt de gratia beneficiorum, & Sacramentorum, quam à Christo in Ecclesia susceperunt. Cœteris paribus. Et ad probationem consequentię dicitur, quod verum est simul in eodem tempore secundùm actum, sed quando vnum est in potentia, & aliud in actu, & respectu diuersorum secus est.

Ad secundùm arg. dicitur negando primam partem antecedentis, scilicet quod non fuit Rex, & ad auctoritatem dictum est supra in primo notabili quomodo debet intelligi, & ad aliam probationem dicitur, quod talis habituum, & ornamentorum diuersitas non obstat, quia possunt mutari absque detrimento, seu diminutione Dominij, & quandoque B. Petrus arma portanit, nec habitus facit Monachum, sicut nec Cathedra Episcopum, & quod actus propriè non sint oppositi, vt sic dictum est supra in solutione primi.

Ad tertium negatur consequentia, & ad probationem dicitur negando, quod figuraretur propriè Sacerdotium, & dominium Christi per ordinem Leuiticum, sed magis per Sacerdotium, et dominium Melchisedech, qui fuit simul Rex, et sacerdos. Vndè dicit Apost. ad Hebr. 7. hic est enim Rex Salem, et Sacerdos Dei Summi.

Ad quartum negatur consequentia, & ad confirmationem dicitur, quod Christus, fecit hoc, vt cederet regno dato sibi per homines, quia noluit rex per homines fieri, qui regnum dabat hominibus, vt dicit August. Vel etiam posset dici, quod Petrus dedit illam potestatem temporalem, quando cõmitens, sibi oues suas contulit, sibi & claues regni cœlorum, ergò à fortiori &c. Cui datur maius ergo minus. & Christo data est omnis potestas in cœlo, & in terra Matth. vltimo, vel istud fecit propter nostræ humilitatis exemplum, quia ex defectu naturæ nimiùm superbit homo, & ideò ad conterendum, & humiliandum ceruicem nostram, & elationem, vt agnus coram tondente se non aperiens os suum saluator mundi exinaniuit semetipsum, & humiliatus est, vsque ad ignominiosam mortem crucis, vt humiliemur coram ipso in omni tempore, & terrena spernentes tendamus ad cœlestia solùm, ac submittentes colla iugo ipsius ipsum regem Angelorum sequi, conemur, & Io. 3. Non enim misit Deus filium suum, vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum, & ideò expleto Sacramento passionis, & resurrectionis commisit Petro regimen Ecclesiæ totum, quod necessarium erat ad regimen totius Ecclesiæ, & per consequens de electione successoris Papæ, vt annuntiaret alijs, & posteris verisimile est, nam sine capite regi non poterat.

Ad quintum negatur antecedens, quia ipsa vtitur tamquam ancilla, & ministra sua, quoniam oportet, nisi principes temporales resistant hoc de per accidens, & iniquè agunt, & præ-

& præcipuè, vbi eam exigit pro augmento spiritualis potestatis, scilicet pro dilatatione fidei, & Ecclesiæ militantis, cuius est caput, & maximè pro defensione, & tuitione eiusdem contra hostes, & rebelles ipsius, & ad recuperationem bonorum suorum procedendo. Vndè dato, quod tu habeas à me vnum ducatum, non sequitur, tu non vis reddere mihi ducatum, ergò non est meus. Sic in proposito aliquis princeps non vult exhibere aliquam potestatem qualem habet Papa, ergò talis potestas non est debita Papæ. Et vlteriùs negatur contra, sicut ego non vtor pecunijs, ergo non habeo illas: vt patet in tenaci, & auaro, quia arguitur ab esse ad posse negatiuè.

Ad sextum negatur assumptum simpliciter, & maximè in eo, in quo est potestas spiritualis regiminis Ecclesiæ tamen plenitudinem, sicut in Papa dicimus, & sicut deductum est superiùs in secundo notabili, & in responsione ad primum. Vndè in traditione clauium includitur etiam collatio terrenorum potestatum pro conseruatione bonorum spiritualium, & sicut est caput Ecclesiæ, sic etiam est caput politiæ mundanæ, & temporalis dirigens, & inducens quantum est ex se omnes homines in Deum, & ad regnum cœlorum, cuius est clauiger, nam nulla lex, aut institutio dicitur recta, nisi sit regulata per diuinam, & Ecclesiasticam legem, nec aliquod bonum morale perfectum esse potest sine fide Ecclesiæ, extra cuius vnitatem non est salus.

Ad septimū negatur antecedens, imò qui dicit Christum non habuisse potestatem spiritualem, & temporalem contradicit eidem apertè dicentem Matth. vlt. Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra. Idem dicendum est ad octauum, & ad auctoritates adductas dicitur, quod ipse non dedignabatur parua, & minora exequi, sed relinquebat ea minoribus, sicut nec facit Imperator, aut aliquis magnus rex sic Christus tantùm maiora, & sublimiora curabat, scilicet instruere nos de vita sua, & de redemptione nostra per ipsum facienda, ipse enim est vera pax, & verus mediator inter Deum, & homines propterea illi poterant recurrere ad minores, & ideò non erat opus exequi illam.

Ad nonum dicendū est, quòd non verum est primò, & principaliter, sed secundariò, quia sæpe temporalis potestas perturbatur, oportet, vt cum gladio spiritualis potestatis coarctetur, sed non è contra, vt infra patebit.

Ad decimum dicendum est, quod non se debet Papa implicare negotijs sæcularibus, sicut nec aliquis clericus, vel religiosus causa tamen charitatis, & pietatis cum debita moderatione se ingerere possunt secundùm superioris licentiam, & ministrando, & dirigendo de licentia suorum superiorum etiam litigare pro negotijs suorum Monasteriorum, & pro causis pauperum, & pupillorum apud Sedem Apost. vel aliàs, & hæc est sententia B.Th. 2.2. quæst.7. & 86. art.2. & dist.88. cap. decreuit: non ergo derogat dignitati Pontificatus, si causa charitatis, & vrgente necessitate maximè Ecclesiastica ad conseruationem spiritualium ad correctionem vitiorum ad punitionem maleficiorum, ac manutentionem pacis, & iustitiæ in populo Christiano, & libertatis Ecclesiasticæ, ob dilatationem eiusdem quandoque non solum negotijs se intromittere sæcularibus licebit Papam, sed etiam vsque ad sanguinem contra hostes, & rebelles, vbi principes temporales nolint præstare præsidium militare, & dimicare debet suo loco, & tempore exemplo prædeces. sui. B.Petri Apostoli, qui cum vidisset tempore passionis Christum pati, ad arma materialia confugiens, & ad gladios propria manu Maleo auriculam amputauit nimio zelo incensus, videns quod nullus principum iuuaret Christum, imò erant contra eum iuxta illud Psal.2. principes populorum congregati sunt, & conuenerunt in vnum aduersùs Dominum, & aduersùs Christum eius. Vndè verisimile esse videtur, quòd si Petrus comperuisset, tunc aliquem principum, & potentem eidem auxiliari non accessisset personaliter, & Christus dixit Apostolis, qui non habet gladium vendat tunicam suam, & emat ad insinuandum nobis solùm, quod Ecclesia Apostolica, & caput quandoque gladijs, & ferro tueri, & præmuniri debet, non vt propter hoc vellet impedire mortem suam, & redemptionem mundi sic fiendam, nam oblatus est, quia ipse voluit. Vnde mirari nemo debet, si quandoque contingat imminentibus prædictis causis, & ne Christus sponsus Ecclesiæ, cuius vices gerit in terris offendatur Rom.Pon. per horrentia bella personaliter, & inperteritè hostes aggredi, & rebelles, quòd fortassis etiam non fecisset si omnes principes terræ aduersùs tales sufficiens, & efficax præstarent auxilium sine personali accessu Rom. Pont. quia hoc facit, quoniam zelus domus suæ, idest Ecclesiæ comedit eum, & in humanis actionibus finem, & intentionem agentis principalis, quia causa finalis est causa causarum 2.Phil. præcipuè, & principaliter homines respicere debent, & non tantùm ipsum opus, quantùm operis finem considerando, & Deus ipse gloriosus per arma, & horrenda bella, ac per occisionem multorum in veteri lege timeri voluit, & solus adoratione latria adorari, vt patet in libris regum ad insinuandum nobis per hoc, vt etiam tempore legis gratiæ ne execretur nomen vnigeniti filij sui, aut ne offendatur sponsa sua Ecclesia mater omnium fidelium, & magistra, liceat quandoque armis, et bellis, vti temporalibus si aliter spiritualis sublimis potestas, et libertas Ecclesiæ suæ commodè obseruari nequit, et istud nedum iuri diuino, sed etiam naturali est conforme, quod vim vi omnem hominem cuiuscumque gradus, aut qualitatis existat, repellere legitur omnes leges etiam in ablatione bonorum suorum omnia iura permittunt, quare ergo Ecclesia terribilis, vt castrorum acies ordinata hoc priuilegio, seu lege priuari debeat, et in dictis casibus non videtur, etsi istud prouenerit ex audacia, aut excessu aliquorum principum lethale crimen est in eis, et excessus inuocat, et supplenda est negligentia ipsorum per Romanum Pontificum in casu præmisso, Ecclesia aduersùs ipsos clamante per prophetam, filios enutriui, et ipsi spreuerunt me. Et loquor cōmuniter, et in generali solum, quia sermo communis neminem tangit, nec intentio mea est ad particulares personas descendere,

dere, nam quilibet proprium onus portabit, et non est meum. Nec mirum si Papa thesaurizat quandoque, et ignorat, cui congregantur hæc, scilicet, vt pugnet pro Ecclesiastica libertate, et ipsam manu teneat cum thesauris, quod non potest cum suis filijs, et principibus facere, et superborum cuilibet loquens Ecclesiæ dicit per Prophetam. Impinguatus est dilectus meus impingnatus, dilatatus, et calcitrauit, et qualiter debent esse filij recti, et parati, et humiles iuxta sponsum Ecclesiæ, idest Christum, coram quo omne genu curuatur, et eius Vicario Rom. Pont, qui est caput, et verus Pastor Ecclesiæ, seu ouilis, et gregis Iesu Christi, in cuius mensa dat nobis Christus omnia Sacramenta salutis, et carnem suam ad manducandum, et sanguinem suum ad bibendum, vt viuamus in æternum Psalmista. enim dicit filij tui, sicut nouelle oliuarum in circuitu mensę tuæ Psal. 127. Vndè filialem, et humilem insinuat obedientiam. Debemus supremo Pont. obedientiam, et non seruilem, nec coactam, qui est Vicarius saluatoris mundi, et patet omnium, propter quod dicitur Beatissime pater, per excellentiam, et ideò Propheta subiungit, sic benedicetur homo, qui timet Dominum. Debet enim reuerenter venerari, extolli, et benedici ab omnibus, qui est Deus in terris timeri, et obediri debet ad nutum, pręcipuè à Potentatibus, qui per talem potentiæ excellentiam suæ mensę Ecclesiæ propinquiores existunt, in qua dulcis, & benignissimus Dominus Iesus Christus, vt dulcedinem suam in fideles demonstraret, pane suauissimo de cœlo præstito esurientes replens bonis, fastidiosos diuites dimittit inanes. Vndè veri filij sui velut alter Elias, qui cum subcinericeo pane illo roboratus ambulauit, vsque ad montem Dei, per quem designatur Ecclesiæ Romanæ celsitudo) sic in fortitudine huiusmodi ad montem hunc, idest Ecclesiæ Apostolicæ, & ad protectionem ipsius conuolabunt, & venient in custodiam aduersùs omnes rebelles, & qui pugnant contra eam, & supremum Pontificem adorabunt, & omnes Reges seruient ei exemplo illorum, qui natum saluatorem mundi (huius vices eminenter gerit) ex extremis mundi partibus venientes adorauerunt. Sunt enim reges terræ in Christi Vicarij ministerium attributi, & stipendiarij Domini Nostri Papæ, & ipsius Ecclesiæ militantis, Dei enim ministri sunt teste Apost. ad Rom. 13. & ad Colo 8. Nemini licet proprijs stipendijs militare, & qui rapere aliena, & Ecclesiæ bona contendunt, & satagunt non sunt in statu salutis, debent enim esse contenti terris, & stipendijs suis Lucæ 3.

Ad vndecimum negatur cõsequentia, quia non est similis ratio de Iudice sęculari, & Ecclesiastico, quia secularis omnino est incapax spiritualis, & Ecclesiasticæ iurisdictionis, vt in cap. decernimus de iudi. Vndè nec spiritualia possidere potest, cap. causam de rescrip. propter quod ozias punitus fuit lepra Paralip. 26. quia vsurpare voluit spiritualia, non est sic de iudice Ecclesiastico, imò ab initio omnes causæ temporales tractabantur coram sacerdotibus, vt in cap. per venerabilem, qui filij sunt legit. nec sunt contrarię istę iurisdictiones, ideò simul concurrere possunt in vna, & eadem persona, vt supra diximus.

Ad duodecimum dicitur, quòd hoc antecedens est falsũ, ad probationem dico cum B. Tho. 22. quæst. 84. art. 7. quòd abrenuntiatio huius potest considerari primò tantùm, quod est in actu, & sic in ipsa non consistit talis perfectio, sed quoddam perfectionis instrumentum, & ideò nihil prohibet statum perfectionis esse sine abrenuntiatione propriorum. Secundò potest considerari, quoad præparationem cordis, si, quòd homo sit paratus, si opus fuerit, omnia dimittere, & distribuere, & hoc directè pertinet ad perfectionem, & sic auctoritas illa procedit secundo modo, et non primo. Cùm autem potestas iurisdictionis possit stare in persona Domini Papæ cum hac animi præparatione, patet quòd possit etiam stare cum Apost, perfectione, vndè Christus perfectissimus fuit, et tamen in eo vtraq; potestas fuit, quare nihil valet consequentia. Multi enim sunt prælati, ex deuotione fidelium habent, et habuerunt iurisdictionem temporalem, et tamen non minùs pollet in ipsis Ecclesiastica dignitas, imò magis, quia magis boni censentur. Et si dicatur ergo superfluę ponuntur iurisdictiones Principum, negatur consequẽtia, imò sunt necessarię, quia plenaria iurisdictio temporalis non sic ponitur in Rom. Pont. quantùm ad immediatam executionem omnium actuum, qui sublimia curans, leuiora minoribus derelinquit etc. vt supradictum est ad octauum. Et hæc dicta sufficiant pro manifestatione, et probatione secundæ partis primæ conclusionis, quòd Papa vtramque habet iurisdictionem. Et notatur quòd ista argumenta pro maiori parte possunt adduci contra primum Corrolarium huius conclu. et sic etiam solui possunt, et ideò circa illud non arguam, sed veritas ipsius multipliciter probabitur.

Tertia pars conclusionis est, quòd omnium Romanorum Pontificum, vna est potestas, quam etiam malis à Deo elargitur singulariter.

Contra primam partem. Primò arguitur sic, per illud Lucę 22. Ecce gladij duo hic, ergo sunt duæ potestates, et non vna, patet consequentia, quia potestates designantur per gladios.

Secundò sic, potestates distinguuntur per actus, et obiecta, sed sunt diuersi actus, et obiecta, igitur sunt diuersæ potestates.

Tertiò sic, plures sunt ordines Episcoporum, ergo non est tantùm vna potestas, antecedens patet per Magistrum in 4. sent.

In contrarium arguitur per illud Can. 6. Vna est columba mea, vna est perfecta mea, vna est matri suæ electæ genitrici suæ, ergo potestas Papæ similiter erit vna, et respectu Ecclesiæ, cuius administrationem gerit, sicut secundùm Apostolum vnus Deus, vna est fides, vnum baptisma.

Pro quo notandum est primò, quod duplex est potestas in Papa. Vna, quæ vocatur ordinis, quæ est respectu corporis Christi veri

veri. Alia poteſtas iuriſdictionis, vel adminiſtrationis, quæ eſt reſpectu corporis Chriſti myſtici, ſi primò tunc eſt vna in omnibus vnitate reali, quia in omnibus eſt vnus character ſacerdotalis, dico enim ſacerdotibus, et Epiſcopis talis poteſtas non plurificatur, nec ex parte ipſorum ſacerdotum, vel Epiſcoporum offerentium, quia omnes offerunt in perſonam vnius ſacerdotis: ſicut Chriſti, non enim in aliam perſonam proferuntur illa verba ſacramentalia, hoc eſt etc. quàm in perſonam Chriſti. Vndè dicit Chryſoſt. in homilia de proditione Iudę, quòd Chriſtus, qui menſam illam ornauit diſcipulorum in cœna præſtò eſt menſæ noſtræ, quam conſecrat, quia non eſt homo, qui propoſita panem, et vinum, corpus, et ſanguinem facit, ſed ille, qui eſt crucifixus pro nobis Chriſtus, cuius virtute conſecrantur, licèt ſacerdotis ore proferantur, nec etiam ex parte rei oblatæ, quia vnum, et idem corpus numero offertur per vnum Epiſcopum, ſicut per alium, et alium ſacerdotem: ſicut Chriſti, et vna, et eadem paſſio Chriſti, quæ commemoratur per omnes, non ergo ex parte rei commemoratæ plurificatur. Primæ ad Corinth. 11, quotieſcumque etc. et ſic poteſtas Ordinis, vna eſt realiter in Papa, et in omnibus Epiſcopis, et ſacerdotibus, et in tali poteſtate omnes ſacerdotes non ſunt, niſi vnus ſacerdos, et Chriſtus vnum habuit ſacerdotium ſecundùm Apoſtolum ad Hebræos 7. Eſt autem vna poteſtas iuriſdictionis in Papa quadam vnitate Ordinis, quia ſiuè laici ordinentur ad clericos, vel clerici ad clericos, dico in ipſo corpore Eccleſiæ myſtico, ſiuè è conuerſo, vel omnes ordinantur ad clericos, et ſacerdotes. Hoc habet quodam ordine ſacere Papa, et intra ſe, et ad ſe clericos, et laicos ordinare. Et iſta eſt ſententia B. Auguſt. 3. de Trinit. cap. 4. Concludunt autem argumenta, quòd ſunt plures poteſtates iuriſdictionis, reſpectu plurium communitatum, et ſic plurificantur poteſtates, et non aliter.

Pro quo notandum eſt, quòd ſecundùm Philoſophum in libro Politicorum, plures ſunt Communitates, & facientes vnum, quare vna eſt Communitas vici, quæ reſultat ex pluribus domibus, Alia ciuitatis, quæ conſtituitur ex pluribus vicis, quæ eſt perfecta, quia ſi ciuitas ſit bene ordinata in ea debet inueniri, quicquid neceſſarium eſt ad vitam humanam. Alia eſt Communitas Prouinciæ, quæ exſurgit ex pluribus ciuitatibus. Alia Regni, quæ eſt ex pluribus Prouincijs. Alia eſt Communitas totius Orbis, quæ conſtituitur ex omnibus Regnis.

In prima præſunt Presbyteri parochiales, quorum quilibet regit vnum vicum, & vnam parrochiam. In ſecunda præſunt Epiſcopi, quia Ciuitas quælibet eſt Communitas perfecta, ſicut quilibet Epiſcopus eſt ſacerdos perfectus, eum poſſit ſimile ſibi generare. In tertia autem Communitate præſunt Archiepiſcopi, ſeu Metropolitani. In quarta præſunt Patriarchæ, & Primates. Sed in quinta præeſt ſummus Pontifex, quia quantum eſt de iure omnes, qui ſunt in toto orbe debent ſubijci ſummo Pontifici, ſicut de iure diuino, nullus poſſet ſaluari, niſi ſit de corpore Eccleſiæ extra quam non eſt ſalus, ita de iure eſt, quòd omnes, qui ſunt in toto orbe, ſunt ſub poteſtate Rom. Pont. & per illos duos gladios, duę poteſtates eiuſdem intelliguntur, ſed vna reducitur ad aliam tamquam inſtrumentum ad cauſam agentem principalem, & prout dictum eſt, & ſpirituale ſemper habet regere, & gubernare corporale, & per iſta hæc etiam ſoluuntur argumenta: Vna eſt ergo poteſtas omnium Romanorum Pontificum, quòd eſt concluſio.

Sed contra fundamentum iſtius concluſionis poteſt multipliciter argui. Primò ſic, plures ſunt Eccleſiæ, quàm vna, ergo malè dicitur, quod vna eſt Eccleſia, conſequentia patet, antecedens probatur per illud Apocalypſis primo; ſcribit Ioannes ſeptem Eccleſijs, & Pſalmo 66. in Eccleſijs benedicite domino.

Reſpondetur, quòd verum eſt, quòd ſunt plures Eccleſiæ, ſicut plures ſunt Communitates, ſcilicet particulares, ſed vna eſt Eccleſia vniuerſalis, ſicut dicit Porfirius in capitulo de genere, plures homines ſunt vnus homo, ſic etiam plures Eccleſiæ particulares ſunt vna Eccleſia in communi, & ſic ad argumentum negatur conſequentia.

Secundò arguitur ſic. Eccleſia primitiua, quæ erat ex Circumciſione, & Eccleſia præſens, quæ ex baptiſmo diſtinguuntur, ergo ſunt duæ Eccleſiæ, & non vna. Reſpondetur negando conſequentiam, quia vna, & eadem fides eſt antiquorum, & modernorum, & quod ipſi crediderunt implicitè, nos credimus explicitè, & quod crediderunt de Meſſia futurum, nos credimus iam veniſſe. Poſſet etiam dici, quòd diſtinguntur, ſicut lex vetus, & noua, & tamquam figurarum, & figura, ac vt ſpica, & ſemen tamquam perfectum, & imperfectum, fuit enim perfecta per Chriſtum, qui non venit ſoluere legem, ſed adimplere, ergo diſtinctio, quæ fuit reſpectu diuerſorum temporum nō arguit pluralitatem, ſicut vnus homo, qui nunc eſt paruus incipiens, & imperfectus, poſtea efficitur maior, & ſapiens, ac perfectus, non ideò eſt plures homines, ſed vnus homo. Sed contra Eccleſia eſt communis hominibus, & Angelis vt dicit Auguſtin. ſuper Pſal. 36. ſed non eſt eadem fides, immo angeli non habent fidem, ſicut nec viatores habebunt in Paradiſo, ergo Eccleſia eſt diſtincta, Reſpondetur diſtinguendo minorem, vel quòd non habeant fidem, ſicut nos habemus, & ſic conceditur, vel quòd non habeant, illud, quod ſuccedit fidei noſtræ, & ſpei ſcilicet charitatem, & ſic negatur. Vel aliter poteſt dici negando præſuppoſitum, quia nos loquimur de Eccleſia militante viatorum, & non de illa triumphante comprehenſorum, ſeu beatorum. Vel poteſt dici, quòd licèt diſtinguatur reſpectu ſubiecti, non tamen reſpectu finis, & obiecti, qui eſt Deus reuelatus, vel reuelabilis, qui eſt trinus, et vnus, et eſt vna etiam reſpectu finis, qui eſt beatitudo conſumata iuxta illud. Beati qui non viderunt, et crediderunt, quod dixit Ieſus Thomæ Didimo, volenti, non ſolùm credere, & videre, ſed palpare. Sed contra etiam arguitur fides, ſpes, charitas, iſta ſunt accidentia diſtincta, et diuerſa in diuerſis igitur, et diuerſæ Eccleſiæ. Reſpondetur, quòd licèt non ſint idem numero, conueniunt tamen in ſpecici

tie; vel quòd licèt sint diuersa subiectiuè, non tamen obiectiuè, quia idem est obiectum omnium fidelium, vt dictum est supra. Sed volo, quòd aliquis excommunicetur iniustè talis est extra vnionem Ecclesiæ, et tamen non est excommunicatus apud Deum, ergo est alia Ecclesia, per quam talis saluatur. Respondetur quòd talis sic excommunicatus in nullo læditur, immo potiùs meretur si patienter toleret ipsam iniuriam, et humilitatis meritum recōpensat talis excōmuncationis damnum, nihilominus tamen tali sententiæ obtemperandum est, si à suo Iudice fulminetur, et cum iuridicis circumstantijs. Præterea videtur, quòd ealia ad vnitatem Ecclesiæ non pertineant, quæ est congregatio omnium fidelium, tamen qui sunt in peccato mortali sunt extra charitatem, et est fides mortua in illis, Respōdetur quòd etiam ista fides reducitur aliquo modo ad fidem iustorum fidelium, et est eadem in substantia, quamuis non in circumstantia, et perfectione, dummodo non sit hæresis, quia per talem propriè sumptam efficitur homo infidelis, et non solùm membrum fætidum, sed membrum diaboli, et mortiferum, Sed contra Cathecumenus habet istas tres virtutes formatas, et tamen non incorporatur Christo, quia hoc esset per baptismum secundùm Aug. de baptismo paruulorum. Respondetur quòd licèt corpore nō incorporetur incorporatur mente, vel licèt non incorporetur numero, incorporatur merito secundùm Tho. in 4. senteut. dist. 4. et secundùm Apost. ad Ephes. 3. habitare Christum per fidem in cordibus nostris dicit. Præterea non fuit semper baptismus, ergo non semper fuit Ecclesia, antecedens patet ante Christi aduentum erat circumcisio, et nō baptismus. Respondetur quòd licèt non fuerit in re, fuit in figura. Vel aliter quòd licèt non fuerit, tunc erat tamen fides Christi venturi, vnde ortus est Baptismus, et Sancti Patres veteris legis etiam incorporabantur per fidem credentes futurum, quod nos credimus iam venisse, quia extra fidem Christi, nunquam fuit nec erit salus in æternum, et sic negatur cōsequētia. Cōtra plura sunt baptismata, sicut aquæ penitentiæ, et sanguinis, ergo nō est vna Ecclesia: antecedēs notū est, sicut habetur in glos. ad Hebre. 6. cōsequētia patet, quia ab vnitate baptismi sumitur ratio vnitatis Ecclesię. Respondetur quòd licèt tria in opere sunt tamen vnum, secundùm quod est vnus effectus, quia quilibet operatur vnam salutem, in spetie tamen secundùm Tho. non est propriè nisi vnus, scilicet aquæ sub debita forma celebratus, alia autem habent virtutem: Si tamen baptismus aquæ quæ haberi non potest, pro tunc sit in proposito, & non aliter.

Præterea Aug. tangit aliam vnitatem in lib. de bap. de qua in cap. est vnitas de cons. dist. 4. est vnitas Ecclesiæ, quæ latè patet in sacramentis videlicet societate, & communione: ergo insufficienter est assignata Ecclesię vnitas. Respondendo negatur cōsequentia, & ad auctoritatem loquitur, ibi Aug. de vnitate baptismi, quod est fundamentum omnium aliorum sacramentorum. Præterea non sunt semper ijdem fideles, ergo non est semper fides eadem nec vna, antecedens patet per mortem, & generationem fluunt, refluunt, & confirmatur, quia Ecclesia est congregatio omniū fideliū, vt in cap. Ecclesia de Conse. dist. 1. Respondendo, negatur consequentia quia manet semper eadem fides, manet, eadem forma sacramentorum, quibus formatur Ecclesia manet eadem lex, & eadem regula veritatis, permanet eadem habitudo, & ad vnum caput, & ad vnum finem vltimum, sicut partes alicuius animalis fluunt, & refluunt, idem tamen animal manet formaliter primò de generatione, & Aug. super psalm. 85. sibi descendentibus, & succedentibus membris vnus homo, vsque ad finem seculi extenditur.

Præterea dæmones reddunt, & contremiscunt similiter damnati Iacobi 2. ergo vnam Ecclesiam videntur nobiscum facere, quia habent eamdem fidem. Respondetur negādo cōsequentiā negatur, etiā quod habeant eamdem fidem, quia ipsi credunt ex perspicuitate naturæ, & antiquitate temporis, quia viderunt multa miracula, fideles verò ex dono Spiritus Sancti, & loquimur in proposito de fide, prout est donum Spiritus Sancti, & quidam habitus infusus imperatus à voluntate. Præterea si semper fuit vnitas Ecclesiæ hoc maximè videtur esse, quia semper fuit vnus Pastor, & vnus rector, qui visibiliter cum ea commoraretur, sed hoc non habuit semper, igitur fuit alia, & alia. Respondetur, quòd licèt non semper Ecclesia fuit, sic tamen tempore habebat ordinem, & aptitudinem ad talem principatum, quem tamen non habuit visibiliter conuersantem, vsque quo facta fuit splendidior, & opulentior, vt post plenitudinem gratiæ, quæ per Iesum Christum facta est Io. 1. Fuit enim in principio sui status paruula, & non habens vbera Cant. vlt. Præterea, & vltimò arguitur sic, Papa mortuo Ecclesia non minus est vna, quàm antea, ergo talis ordo ad vnū caput non facit adEcclesiæ vnitatem. Respondendo negatur consequentia, quia sedes non moritur, mortuo Papa eum etiam, quia ordo talis semper manet in habitu ad vnum caput, & potestas ad eligendum aliquem semper manet in ipsa sede. Est etiam actu talis ordo in Ecclesia ad eos, qui virtute summi Pont. illo tempore in Ecclesia quo ad aliqua funguntur, cuiusmodi est sacrum Collegium Cardinalium, & sic conuincitur aliquorum schismaticorum opinio, sed de hoc pleniùs dicetur infra.

Sed quod singulariter etiam elargitur à Deo malis huiusmodi potestas, quæ est secunda pars istius conclusionis patet.

PRimò auctoritate Christi dicentis Pilato volenti eum tradere morti non haberes potestatem, nisi tibi data esset desuper modò certum est, quòd illa potestas fuit mala, per quam Christus, qui erat Deus æternus, & potestas æterna, seu Deus ipse tradebatur morti, & membris diaboli, sicut Pilato, & crucifixoribus. Præterea dedit ipse potestatem maligno spiritui, vt tentaretur, & portaretur ab eo etiam ductus ab spiritu sancto Math. 4. Ductus est Iesus in desertum à spiritu, vt ten-

tentaretur à diabolo, ergo à fortiori cuilibet alio, & permisit mulierem quamdam quandoque in Papatu vixisse. Præterea Apostolus dicit ad Romanos 13. non est potestas nisi à Deo, & iubet Apostolus potentatibus etiam discolis, vt fidelis debeat obedire, quod non fecisset nisi talis potestas à Deo esset. Pro quo sciendum est, quòd secundùm communem opinionem omnium Doctorum, & etiam Commentatoris in 10. Metaph. ad productionem cuiuslibet effectus habentis aliquam entitatem positiuam immediatiùs concurrit ipsa causa prima sicut Deus, quæ secunda causa, seu agens quodcumque creatum sic quòd quælibet creatura, & inferior causa dicitur causa partialis sui effectus, & non totalis, de malo pœnę, & de potestate, per quam diuinæ legis, & Iustitiæ exercentur, nulli dubium est, quin à Deo producatur malum etiam culpę, non simpliciter secundùm, quoad esse materiale, vnde potentia peccandi, & ipse actus malę voluntatis. Vnde secundùm Aug. oritur omne peccatum, & prout est quædam qualitas absoluta est à Deo immediatiùs, quàm ab homine, prout autem dicit, & importat quamdam difformitatem, per quam deformatur legi diuinæ, & est præuaricatio illius, quæ est quædam priuatio bonitatis, & non est ens positiuum producitur, & fit ab ipsa creatura, & non à Deo nisi permissiuè, nam aliter esset causa peccati, quod non est dicendum, licèt aliqui teneant oppositum, mihi tamen illa opinio non placet, & eorum argumenta non cõcludunt nisi, quod coueniat ipse Deus, quo ad esse positiuum, & materiale ipsius peccati, non quoad esse formale ipsius peccati, & sine Deo factum est, nihil idest peccatū, seu priuatio debitę bonitatis, peccatum nihil aliud est, quàm dictum, vel factum, seu concupitum contra legem Dei, & semper aliquid positiuè concurrit antecedenter, vel concomitanter, vel consequenter: & dico istud notauter propter peccatum omissionis. De istis latiùs dicetur aliàs. Sed in proposito malitiam, & prauitatem mali Prælati producunt, & malè regentes, seu ad abusus huiusmodi potestatis collatę à Deo singulariter producitur solùm ab ipso Prælato, & sicut donum prophetiæ malis quandoque collatum fuit, vt Balaæ, & Caiphæ, qui prophetizauit nesciens, quòd melius esset, quòd vnus moreretur, quàm si tota gens periret, non est etiam inconueniens, quòd potestas huiusmodi malis etiam conferatur, vt inferiùs dicetur, quia huiusmodi dona sunt gratis data, & non gratum facientia, & Sap. 6. Data est nobis potestas à Deo, & virtus ab altissimo, & sicut omnes riuuli deriuantur à fonte, sic omnis potestas regendi deriuatur à Deo, qui est Rex Regum, & Dominus dominantium, omne ergo dominium ab eo est, & omnis potestas producitur ab ipso effectiuè, etiam est à Deo formaliter, sicut ratione cuiusdam ordinationis, quæ est inferioris ad superiorem; & talis ordo competitur in omni principatu, & habet aliquam rationem boni etiam in malis, nam per potestatem collatam à Deo Sathanæ Iob probatus est, vt iustus appareret, & Petrus tentatus est ne de se præsumeret, sicut per ancillam tempore passionis, & Paulus colaphizatus ne se extolleret, & Iudas damnatus, vt se suspenderet, similiter ex principatu Dæmonum relucet effectus iustitiæ Dei in damnatis: Et si dicatur contra, quia ibi nullus est ordo, sed sempiternus horror. Respondetur quòd verum est prouenìens ex ipsis Dæmonibus, vel damnatis, seu respectu ipsorum, sed benè respectu Dei imperantis talem pœnarum illationem secundùm iustitiam suam iuxta culparum demerita, & secundùm mensuram peccatorum, & criminum, seu delictorum mensuratur à Deo, tamquam à rectissimo iudice mensura pœnarum, & secundùm hoc vocauit dæmonum principē, quomodo dixit loquens de passione sua, nunc princeps mundi eijcietur foras, & ego si exaltatus fuero à terra, idest per crucem omnia traham ad meipsum per inferni spoliationem. Etiam finaliter videtur esse à Deo, quia quàmdiu sumus in hac vita pręliamur cum mundo, cum carne, cum spiritu; & sumus bellarores, & in huiusmodi exercitijs damnantur boni Angeli malis Angelis, & homines hominibus, & finaliter etiam spectatur corona legitimè certantibus iuxtà illud Apostoli in agone non coronabitur, nisi qui legitimè certauerit, & sic est in Ecclesia ista militante, quæ est terribilis, vt castrorum acies ordinata, & numquam tale bellum euacuabitur, vsque ad consummationem sæculi. primæ ad Corinthios 13. In prauitate adeptionis, in malitia, seu intentionis prauitate, vt sic numquam concurrit Deus. Vndè dicit Gregor. & habetur in glos. quòd potentiam principatus, & potestatem Deus tribuit, elationem verò potentiæ malitia nostra inuenit, est tamen à Deo ratione entis, & ratione ordinis, & ratione finalis reductionis etiam singulariter.

Et notatur secundò, quòd opera Dei, licèt omnia perfecta sint, ea tamen, quæ à Deo, & creatura aguntur, possunt habere aliquem defectum, seu deformitatem prouenientem non ex parte Dei, sed ex parte ipsius creaturæ coagentis. Et si dicatur nemo debet vocari ad Pont. nisi vocetur à Deo tamquam Aaron, sicut dixit Apost. Respondetur quòd vocatur à Deo mentaliter per vota eligentium, qui sunt Dei, nec oportet, quòd vox diuina ibi sensibiliter audiatur, & hæc dicta sufficiant de tota prima conclusione, & quo ad omnes sui partes summum verò, & plenum, quod confertur à Deo Sum. Pontif. latiùs etiam, atque etiam in sequentibus, & in finali Corrolario elucidabitur.

Vndè aduerte quòd illud, quod in vna propositionum præpositarum forrassis obmissum videbitur crebris fiat repetitio, quod fastidiosum foret in alijs declarabitur, & quod obscurum apparet in vna, clarissimè per aliam conspicietur; Et fiet sic, quod gratia Diuina mediatē tota quæstio clarificata erit bene, & comprobata quantum ad omnem partem habentem difficultatem aliquam.

Sed circa prædicta de potestate Papæ oritur vnum dubium vtile scilicèt. Vtrùm talis potestas solùm sit immediatè à Deo in ipso, & mediante Papa alijs exhibeatur, pro cuius dubij solutione dicunt communiter aliqui Doctores, & benè, quod loquendo de potestate iurisdictionis spiritualis, & temporalis talis potestas est triplex. Prima est immediata, quæ omnium spiritualium, & tempora-

poralium est solùm in Papa à Deo eidem immediatè collata, alia est ordinis, & deriuata, quæ est in omnibus Episcopis, & Prælatis, credo tamen, quòd Pont. Max. & Episcopis hæc ordinis æqualiter conferatur, posito, quod Papa esset sacerdos, nam aliter non haberet, nisi potestatem plenariam spiritualium omnium, & temporalium. Alia est potestas, quasi instrumentum supremum tantùm in ministerio attributa, & hæc est Imperatoribus, & Regibus, & Principibus per Rom. Pont. attributa, quia sicut secundùm Prophetam in 1. Ethic. Sine corporalibus bonis non contingit esse fœlicem, sic non contingit summum Pont. posse hanc supremam potestatem sine temporalibus principibus exercere. Vndè talis principum potestas temporalis non est de esse illius, nisi quoad exercitium, est tamen de bene esse, & ad magnum decorem, sicut bona temporalia etiam se habent ad ipsam fœlicitatem, & ad exercitium virtutis moralis, nihilominus sine illis aliquis dicitur habere perfectam virtutem, & virtuosus habetur, & bona temporalia virtuti debentur in ministerium, & habenti maximam virtutem, maxima bona sibi debentur secundùm legem moralem, sic secundùm legem Diuinam maximè principi, maximè principatui debet, & principatus dominium, & potestatem solùm ab ipso Deo summo opifici ei debuit impartiri, quantum ad potestatem ordinis, quæ respicit corpus Christi verum, & quæ est respectu ipsorum sacramentorum, puta, vt dixi, quòd talis est in Papa, & in ipsis Episcopis per æqualem immediationem quoad hoc dumtaxat, & est etiam opinio August. de Ancona in sua summa, & hanc Christus æqualiter concessit Petro, & alijs Apost. quorum personas repræsentant Episcopi Io. 19. quia ipse Christus solus fuit institutor omnium sacramentorum, sed loquendo de alia potestate iurisdictionis, & coactiua primò, & principaliter spiritualium, & temporalium, talis solùm est data Petro, & suis successoribus immediatè à Christo, patet primò, quia talis confertur solùm per clauium collationem, sed claues Christus solùm contulit Petro, & non alteri Matth. 16. Tibi dabo claues regni cœlorum, igitur, & Christus secundùm glos. solùm vult vnum Vicarium, & vnum caput esse in Ecclesia, ad quod omnia, & singula membra recurrant. Præterea Papa potest illã auferre. Christus ergo potest illam dare consequentia nota est, antecedens patet quia deponit, quos vult, & priuat, potestas ergo iurisdictionis residet solùm in Papa, propterea cuius auctoritate fit Prælatorum electio, & confirmatio, sed auctoritate Papę istud fit, igitur. Minor probatur, quia eis dicitur. Damus vobis auctoritatem ministrandi in spiritualibus, & temporalibus, igitur secundùm potestatem Prælatorum, vt dixi, est deriuata, præsertim iurisdictione in eis mediante Papa, cui immediatè confertur à Christo, & confirmatur per Concilium Ephesinum dicens sic se habet potestas Episcoporum ad Papam, sic radij solares ad solem, & riuuli ad fontem, & rami ad arborem, est ergo talis potestas deriuata in alijs à Papa, sed de potestate temporali Imperatorum, & regum patet primò, sic potestas eorum per potestatem Papæ institui, & ordinari si bona sit, & etiam regulari, & per ipsam condemnari, & iudicari debet si bona non sit, ergo talis potestas non est immediatè à Deo, sed est ab ipso in ministerium Papæ, & potestatis spiritualis attributa, consequentia patet, antecedens quoad vtramque partem prob. 22. dist. quod potestas Papæ cuiuslibet ordinis, dignitatem, & gradum instituere habet, ipsam verò solus Christus fundauit, & supra petram fidei mox nascentis erexit, quòd Beato Petro æternæ vitæ clauigero terreni simul, & cœlestis Imperij iura commisit, secundùm quod habet indicare, & deponere patet 15. quæst. 6. vbi dicit, quod Zacharias Rom. Pont. Regem Francorum non tam pro suis iniquitatibus, quàm etiam pro eo, quòd tantæ potestatis erat, vt inutilis à regno deposuit, propterea Imperator, & omnes alij præstant obedientiam, & iuramentum fidelitatis dicitur 63. dist. cap. tibi Domino, quòd Imperator iurat Summo Pontifici numquam mandatum suum præterire, & sibi in omnibus fidelitatem seruare; ergo à fortiori cæteri Reges, & Principes terræ temporales. Et nota, quòd si inueniatur quandoque aliquos Imperatores dedisse, seu contulisse aliqua bona temporalia Summo Pont. sicut Constantinus dedit Siluestro, hoc non est intelligendum ipsi dare, quod suum est, sed restituere, quod iniustè, et tyrannide ablatum est. Eodem modo si legatur quandoque aliquos Sum. Pont. dare bona temporalia Imperatoribus, et Regibus hoc non est intelligendum dominijs regnorum, sed magis in pacis Eccl. cognitionem, quia seruum Dei non opus litigare, sed mansuetum esse, et omnibus complacere, et hoc intellige, si possibile est, et erga humiles, quia superbis Deus resistit humilibus, autem dat gratiam, et deposuit potentes de sede etc. sic et Vicarius suus, et vices gerens eiusdem se debet, nam iuxta Apostoli doctrinam si hominibus placeret seruus Dei non esset, et sic quamque preseruatum, et reductum gladium à Petro in vagina euaginari necesse fuit contra hostes fidei, et aduersùs rebelles, et Sedi Apostolicę inobedientes Romanorum Pontificum instituta sunt, et mandata contemnentes. Præterea omnis potestas temporalis est subdelegata, potestati Pont. Rom. igitur est in ministerium attributa consequentia prout antecedens probatur 11. q. 1. c. quicumque litem habens cuilibet licitum est sacro Sanctæ Sedis antistitis: iudicio eligere, et sic patet solutio dubij, et quòd omnis potestas temporalis est in ministerium Papæ attributa, et est pro aliquali declaratione Cotrolarij immediatè sequentis circà quod etiam latiùs loquemur de istis.

Sed rursus quæritur, vtrùm aliquis possit esse ęqualis Papæ in potestate. Respondeo dicendum, vel de potestate ordinis, vel iurisdictionis; si primum hoc est, quoad characteris impressionem, vel perfectionem, vel habitionem, si quoad characteris impressionem quilibet sacerdos posset dici ęqualis Papæ, quia ita in simplici sacerdote imprimitur character, sicut in Papa, & ita bene consecrat vnus sacerdos, sicut alter, nec magis est Christus, aut verius corpus Christi panis consecratus per Papam, quàm per simplicem sacer-

sacerdotem, sicut ita est vnus Christianus etiam sicut alter ratione suscepti baptismi si verò quantùm ad perfectionem characteris omnes Episcopi sunt equales Rom. Pontif. quia omnibus Episcopis datur etiam facultas creandi, seu generandi sibi similem, quia est perfectus sacerdos, sicut & Papa: & in hoc, & rursus Episcopi repræsentant Apostolos modò talis honor fuit pariter in omnibus, nec Petrus in isto præcessit illos, nec fuit data ei singulariùs, Io. 2. quando dictum est eis accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata remittentur eis: non enim dixit Christus accipe, sed accipite, sicut in collatione clauium dixit. Tibi dabo claues regni cœlorum, & non vobis. Etiam quoad 3. sicut in habitione huius characteris, nam posset eligi vnus diaconus in Papam, tunc sacerdos simplex in hoc esset maior eo, qui esset verus Papa.

Quartò, etiam in ratione meriti, multi enim Martyres fuerunt, & pares, & fortè maiores B.Petro 2. quæst.7. cap. puto, quod sine vlla sui contumelia Cyprian. Episcopus Apostolo Petro comparatur, quantùm attinet ad martyrij coronam, quia etsi distat cathedrantis gratia, vna est tamen martyrum gloria, etsi vna simplex vetula sancta esset in hoc melior Rom. Pontif. non sancto quoad hoc solummodo, & vnus prædestinatus simplex esset melior, quoad Deum, quàm aliquis Pontifex reprobatus, nam & Christus plus dilexit Petrum, quando eum negauit, quàmcumque fecerit Iudam reprobum, qui melius fuisset, quod numquam nasceretur: sed de hoc magis dicetur aliàs. Sed quoad potestatem iurisdictionis temporalis contingit loqui dupliciter: Vel quantum ad immediatam executionem, & administrationem, & sic Imperator, & reges sunt maiores Rom.Pont. nec hoc est condignum sublimitati Spiritus sancti, vt supradictum est, qui debet altiora curare, & ideò ex hoc non habetur, quòd sint maiores Rom.Pont. simpliciter, imò inferiores, quia argueretur à dicto secundùm quid ad dictum simpliciter, sicut nec Christo propriè pertinet aureola, quia diminutionem importat, sed pertinet ei aurea, suprema, et excellens.

Secundò quantum ad immediatam auctoritatem, quam habuit à Deo, vt supra dictum est, & vtilem iurisdictionem, quæ arguunt, & important excellentiam, & sublimitatem, & sic nullus est Papæ æqualis, & est responsio ad dubium. Et ex dictis haberi potest vna ratio quare Episcopos vocat Papa fratres, sicut ratione perfectionis characteris, alia autem ratione conformitatis naturæ, propter quod nec ipse Christus confunditur, quia Deus, & Homo vocat omnes homines fratres dicens, nomen tuum nuntiabo fratribus meis, & etiam ratione meriti, vt dictum est, sed ratione iurisdictionis nullus Episcopus, aut Prælatorum est æqualis Rom. Pont. Vndè dicit Cyrillus in lib. Thesaurorum, quod Apostoli in epistolis, & in Euangelijs affirmauerunt in omni doctrina Petro collatum esse dominium, & eius Ecclesiæ regimen tenere dantes eidem locum in omni capitulo, & synagoga in omni electione, & confirmatione, cui sicut Petro omnes iure diuino caput inclinant, & primates mundi tamquam ipsi Domino Iesu obediunt, & dicit Chrysost. in quadam homilia Pentecost. Ecclesia maior est cœlo, & Angelis, & omni creatura ergo eius caput, quod est Papa maius est omni alio, seu & potestati nullus potest adequari, quæ maior omni alia, in terris esse dignoscitur.

Sequitur iam videre de primo Corrolario prima Conclusionis.

Circa quod primò sciendum est postquam prima pars illius est supra elucidata, sicut quod omnis potestas imperialis est ipsi Rom. Pont. in ministerium attributa, & omnia regi, & gubernari ab ipso Deo, qui est spiritus. Ioan. 1. sic actio ipsius in omnibus concurrit effectiuè, quàm alia actio secundæ causæ satis ex isto constat corporale regi ab ipso spirituali esse necessarium, quod etiam expressè dicit Boet. in lib. de Cons. O qui perpetua mundum ratione gubernas, stabilisque manens dans cuncta moueri; cœli mouentur & motu regulari, & ordinatissimo ab ipsis intelligentijs separatis omnia agunt, propter finem secundùm Philos. 1. Ethi. sed tamen actus insensibilium, sicut sagitta à sagittante, sic à Deo prima causa in suos fines diriguntur, ac omnia, quæ sub cœlo sunt faciens hominem Deus pro se omnia subiecit sub pedibus hominis oues, & boues vniuersa insuper, & pecora campi, volucres cœli, & pisces maris, qui perambulant semitas maris Psal. 8. & ideo cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius enunciat firmamentum, & nihil est, quod se abscondat à calore eius, scilicet actionis, & intelligentiæ in tantum, quod si non esset talis concursus actionis spiritualis primæ causę in omnibus rebus omnia in nihilum redigerentur secundùm Augustinus. Et ipsa Ecclesia vniuersalis dicitur quodammodo anima spiritualis cuiuslibet hominis spiritualizans, et viuificans illum, et ideo homines spiritales secundùm Apost. esse debemus, quia non ex solo pane viuit homo, et sicut naturaliter nisi corpus sit coniunctum animę informanti illud moritur temporaliter, et eadem ratione membra ipsius amittunt; ideo vitam sic spiritualiter, nisi homo fuerit coniunctus corpori mistico Ecclesiæ, et per Sacramentorum formam informatus, quæ dat esse salutis moritur æternaliter, et tamquam membrum putridum, et aridum proijcitur in ignem æternum, et sicut membra totius corporis humani sunt in ministerium, et famulatum animę naturaliter attributa, sic quoque reguntur ab ipsa, et ad nutum ipsius operantur, cuius quidem virtus principaliter, et adęquatè consistit in capite, sic à capite dicti corporis mystici, seu Ecclesiæ, quod est Rom. Pont. omne temporale regimen gubernari, et emanari naturaindice ritè à diuina prouidentia ordinatum fore dignoscitur confirmari. Vndè dixit Christus Petro soli. Propterea pro te oraui, vt non deficiat fides tua, sed tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. Et rursùs, quodcumque ligaueris super terram erit ligatum, et in cœlis, et quodcumque solueris super

terram

terram erit solutum, et in cœlis, in spe, fide, scilicet, et charitate, quod fit per Euangelium, et veram alimoniam, spiritualemque escam, per quam et non ex solo pane viuunt homines spiritualiter hic, et in futurum æternaliter, et itaque sicut per spiritum in corpore naturali viuimus: idest per animam, sic spiritu conregnabimus in cœlis, quia si secundùm carnem vixerimus: vt dicit Apost. moriemur sicut spiritualiter.

Sed oritur ibi quædam parua difficultas, circa illud, quod dixi de omnium membrorum humani corporis erga animam, et caput obedientia, quare in membris inferioribus istud non habere locum naturaliter experimur, et ne instari possit contra nos, propterea multipliciter respondetur.

Et primò, quod illud prouenit ex infirmitate ipsius naturæ, et carnis, (quia spiritus promptus est, caro verò infirma) quæ fuit læsa, et contaminata in primo parente per peccatum originale: omnes enim in Adam peccauerunt: et sumus, ait Apostolus, natura filij iræ, ac omnis homo mendax, et omnis caro fœnum, factus est homo sicut equus, et mulus.

Secundò vt homo ideo cogatur (deposito carnis appetitu) erigere quoque, et eleuare mentem in Deum, et viuere secundùm spiritum, et orationem, quia aliàs si secundùm carnem, vt iumentum factus est apud Deum.

Tertiò vt fragilitatem suam et loci vilitatem, vndè exiuit homo maculatus, et in peccato originali (quod inde oritur conceptus) Saluatoris nostri pretiosam mortem frequentiùs recolat, per quam & per eius sanguinem à miserabili seruitute peccati redempti sumus.

Quartò, vt recognoscat homo peccator, & multis peccatis obuolutus, quantum debeat pœnitere quando propter vnum peccatum solum oportuit Christum pati pro nobis, & sic intrare in gloriam suam, & vt super omnia viter peccatum superbiæ, quale fuit illud.

Sextò vt natura humana, (quam Deus pro nobis assumpsit, & quam Deo primi in ara Crucis igne charitatis incensa) luxuria minimè polluatur, quæ in Hostiam, & Sacrificium obtulit, quâ maiorem nemo erga suos habere potest numquam. Nam maiorem charitatem nemo habet, quàm vt quis ponat animam suam, sicut vitam pro amicis suis, sicut fecit Christus pro nobis, qui nec incarnatus, nec minùs passus fuisset, si primus parens noster non peccasset.

Considera! ò peccator, si quis amicorum tuorum, & capi & torqueri, ac suspendi vellet pro te, vt te à morte, & patibulo liberaret quantum debes ei? sic Christus vt te à patibulo inferni liberaret captus, passus, & mortuus est pro te. O impiè ingratitudinem tuam considera, & fac pœnitentiam.

Sextò propter continuam carnis resistentiam aduersus spiritum repugnantis, vt ex tali pugna reportare possimus coronam apud Christum, qui rebellionem illam etiam ab Apostolo suo electo Paulo humiliter deprecante amouere renuit, sed dixit illi. Sufficit tibi gratia mea Paule, per quam resistere poterat continuè rebellioni carnis, & partis sensitiuæ. Ad quod etiam abstinentia, & fuga multùm iuuant.

Septimò potest dici, quòd istud prouenit propter nobilitatem membri, & sexus vt quando resistit spiritui mens percipiat genus omne humanum per diluuium collapsum, & per mortem per ipsum erectum fore. Vndè nulla lege ipsum pro quocumque delicto ritè amputari iubetur, & agit sine labore, & delectabiliter, vt omnis caro viuens in specie consistat, & dilatetur ad diem iudicij vsque & fiat eiusdem continua propagatio. Vndè & per eam partem (non ex virili semine tamen, sed mystico expiramine & Spiritus sancti operatione) Saluator mundi ex Virgine gloriosa, & virgine permanente nasci voluit: in figura cuius ille magnus Patriarcha Abraham iurauit super femur suum, & circumcisionis opus ideo factum fuit, spiritualiter etiam baptismum in remissionem peccatorum insinuabat, quare eum extra matrimonium polluere abusus est, & semper peccatum mortale, si verò extra vas debitum, & præsertim cum viro nephandissimum est: est autem vir frigidior quacumque muliere calidissima; & non habituata calidior, & ideo puto quòd propter maiorem resistentiam, quam habet caro virilis aduersùs spiritum ipsum magis mereri apud Deum in isto, quàm mulier quæcumque, in quo castitatis decus si continuè vigebit angelicum est, & propè diuinum.

Nec istud alienum à proposito censebitur si exempla sæpè deducta, & deducenda rectè considerentur, sicut quòd omnia membra naturaliter capiti obediunt, quod in isto propter prædicta notabilem patitur exceptionem, & argumenta à simili semper claudicant vno pede, quia non requiritur inter diuersas res omnimoda similitudo, nam dicimus fortem hominem assimilari Leoni, vel esse sicut Leo, subaudi in fortitudine, & sic de alijs multis. Quare non debes lector mirari. Nec istud potest per aduersarios deduci in argumentum inferentes, ergo aliquod membrum licitè potest resistere capiti, seu rationi, quæ per macerationem carnis, & ieiunium & aliàs dominatur eidem, sicut & Papa caput omnium fidelium dominatur eisdem per diuinam legem, in qua sua suprema potestas capitalisque, & expressa est. Et per sanctorum Patrum instituta sole clariùs cunctis mortalib. aperta, & reserata existit, cui igitur resistere nephas est, & lethale crimen.

Sed pro declaratione illius partis corrolarij (reuertentes vnde egressi sumus) scilicet quòd leges temporales dependent ex dominio Rom. Pont. competenter corruit ex prædictis, quia ad eum pertinet condere leges confirmare, et destruere qui habet plenarium dominium, et plenissimam potestatem, etiam coactiuam in temporalibus prout infra manifestabitur, sed Papa habet tale dominium, et potestatem, ergo ab ipso dependent omnes leges, et statura temporalia, etiam circa res prophanas maior, seu prima propositio nota est, quia non videntur aliunde oriri, quam ab huiusmodi vniuersali dominio, eximia potestate, Et vltra aut tales leges absoluunt innocentem, et ligant reum nocentem; quia sunt ad conseruationem bonorum maximè spiritualium, et præsertim dignitatis

tis Papalis, quæ magis bonum, et maximum in terris esse dignoscitur, aut sunt ad desolationem malorum, quæ deteriora sunt, si spiritualibus aduersantur. Generaliter autem consideratę, aut soluunt homines, qui super terram sunt, sed istam vim ligandi, atque soluendi expresse tribuit Christus Petro, et ex consequenti eiusdem successoribus, quando tradidit claues regni cęlorum singulariter illi, et non alteri dicens quicquid ligaueris super terram erit ligatum, et in cœlis, et quicquid solueris super terram erit solutum, et in cęlis, et pastorale dominium, sine regimen sic dedit illi soli, et non alijs dicens, tibi dabo etc. Et pasce oues meas. Non hoc dixit Imperatori, nec Regibus, Christus Rex regum, et Dominus dominantium, sed quod plenum est, et summum totum suo Vicario, et Locumteněti in terris commisit, sed dicens contra, quia multæ sunt singulares leges, et instituta, quæ ipse Papa ignorat. Dicitur quod ipse sit in vniuersali illa, sicut et in vniuersali etiam confirmat, quando dat eis potestatem regendi, et imperandi infideles suos, non requiritur singularis confirmatio omnium homini singularium statutorum, quia dat eis potestatem ad ista. Constituit eum principem super omnem terram, et vt talis fuit ab omnibus Christi discipulis, et Apostolis tentus, et reputatus. Præterea omnis lex virtutem habet ligandi, atque soluendi, et prout est conformi legi diuinæ, et euangelicæ, et regulata per legem æternam, cuius imago, et signum est lex diuina huius minister dispensator Vicarius est Papa. Et prima causa operatur per secundas medias, et Papa est medius inter Deum, et Christianos, sicut nec aliqua lex fuit data populo Israelitico, nisi mediante Moyse, qui repræsentat Papam, dicente eodem de vtero Nu. 5. ego sequester, et medius fui inter Deum, et vos, vt annuntiarem vobis verba eius. Vnde sic eius electio, et confirmatio à Papa dependet sic legum, et statutorum approbatio. Vnde et antiquitùs etiam ex lege diuina, et ex sacra Scriptura leges humanas assumebāt, nam Pompilius, qui Romulo successit in regno per decem viros leges ex libro Salomonis conscribi decreuit, et in latinū sermonem translatas in 12. tabulas exposuit, vt dicit Isidorus in libro ethimol. et Iurisconsultus ponit quod cum aliquid addimus, vel detrahimus iuri diuino, et naturali tunc ius ciuile efficimus, sed quod nulla lex habet vim coactiuam, sen dissolutiuam, vt homines retrahat à malo, et conseruet in bono, et iustitia, nisi vt supradiximus sit conformis legi diuinæ patet per August. in libro de vera religione cap. 12. et libro primo de libero arbitrio dicentem in temporalibus nihil est iustum quod non ex æterna lege fuerit, et in suo polit. lib. 4. cap. 2. omnium legum inanis est censura si voluntatis diuinæ legis imaginem non gerat, ex quo sequitur, quicquid est iustum in foro interiori est iustum, in foro exteriori, et è contra. Sic ergo patet quod sicut Imperator recipit à Papa imperij temporalem administrationem, sic ab eo recipit institutorum, et legum approbationem non maiorem enim quia secundùm eumdem August. Leges etiam dici non debent, quæ iniustę sunt, ac ab omnibus obseruari subditis ex præcepto Papæ iubentur, vt in cap. certum 10. dist. vbi Papa mandat hoc expresse: ergo & aliorum principum, & regum rigor, & valor instit. & legum Papa dependent. Quia si id quod videtur minùs inesse: inest sicut Imperatori, ergo & id quod magis, sicui alijs Regibus, & Principibus orbis terrarum, hoc etiam confirmatur per eundem August. 9. dist. cap. quicumque Legibus Imperatorum, quæ pro Dei voluntate feruntur obtemperare non vult adquirit grande periculum, qui quandoque legibus Imperatoribus, quę secundùm Dei voluntatem feruntur obtemperare, vult acquirit grande præmium, & nullius Imperatoris Regis, vel alteriùs leges, seu statuta alicuius roboris, vel firmitatis esse censentur, nisi quatenus sunt per auctoritatem Papę confirmatę, & approbatę: itaque omnis vis directiua actuum humanorum, quę in illis continetur, & legi diuinæ conformis à Papa deriuatur, & ista de hoc primo Corrolatio dicta sufficiant.

De secundo Corrolario primæ Conclusionis agendum est.

ET licèt inter aliquos Doctores decertatio sit non parua, an debeamus dicere credo in vnam sanctam Ecclesiam, aut credo vnam Ecclesiam. Dico esse dicendum, sicut Ecclesia coniter dicit circa hunc articulum non me arestando. Fundamentum, & assumptum huiusmodi corrolarij multipliciter probatur, & potissimum sacræ scripturæ, & Christi infallibili, & irrefragabili auctoritate, vt manifestè illorum perniciosum errorem confutemus, qui assumunt quemlibet posse in sua secta, & suo errore saluari aduersùs sanctæ, & Apostolicæ Ecclesiæ vnitatem, extra quam quòd non sit salus, sic probatur.

Primò, fides Christi est supremum, & primum fundamentum, quod nemo mutare potest secundùm glosam super Paulum ad Hebræos vndecimo, & sine qua non est bona mutatio, & primæ ad Corinthios 3. Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id, quod positum est, quod est Christus Iesus, ergo alia opinio, seù secta aliàs fundata, & ędificata, vt corruat necesse est, & 24. quæst. 1. Beda dicit. Quicumque à bonitate fidei, vel societate Petri Apostoli quodlibet modo semetipsos segregant tales, neque vinculis peccatorum absolui, nec ianuam possunt regni cœlestis introire, tùm etiam, quia secundum Apostolum ad Hebræos 11. impossibile est sine fide complacere Deo, hinc etiam extra de Trinitate, & fide catholica cap. 1. dicitur vna est fidelis Ecclesia, extra quam nullus omnino saluatur. Et hoc multotiens dixit Christus in Euangelio fides tua te saluam fecit, vtpotè mulieri, & eadem mulier sanguinis fluxum patiebatur, Lucę 8. idem dicit cęco Matth. 10. & Apost. ad Gala 2. dicit ex omnibus operibus legis non iustificatur homo, nisi per fidem, & ad Ephe. 3. Gratia autem saluati estis per fidem, & secundùm omnes exporum. Per fidem nulla alia lex, aut fides intelligitur, nisi solum Christiana, hinc Sanctus Athanasius in symbolo clamat. Hæc est

est fides catholica, quam nisi quisque firmiter fideliterq; crediderit saluus esse non poterit,& Christus Matt.vlt.Qui crediderit,& baptizatus fuerit saluus erit, qui verò non crediderit condemnabitur, & Ioann. 10. qui non intrat per ostium &c. & huiusmodi hostij clauiger, & ostiarius est Papa, sed accedit aliundè, sicut deuiando à tramite catholicæ veritatis per schismata, sicut vel hæreses, aut alias. Ille fur est latro in patibulo infernali suspendendus. Quid sit fides testantur Apostoli Paulus, & Barna. act.14. & potest sic definiri enim assensus firmus alicuius articuli fidei sine hæsitatione de opposito. Falsum est ergo, ac manifestè hæreticum, quòd segregati ab vnitate fidei, & Ecclesiæ Apostolicæ possint saluari. Quinimmò etiam diuisus à Papa, & decisus, est quoque ab Ecclesia separatus secundùm beatum Cypr. in cap. scire debes,7.quæst.1.& iuxta B.Hieron. 44. quæst.1. cap. hæc est fides, & secundùm Papam Pelagium 24. quæstione 1. capitulo schisma.

Sed quæreret aliquis hic rationabiliter de tempore, quando incępit Ecclesia, & relictis varijs modis loquendi multorum. Dico cum B.August. qui in nulla arte, vel facultate, nec minus in Philosophia, & Theologia venit, nisi extollendus. Cuius oppositum quidam doctor modernus dixisse B. Thom. eidem minimè intellecto, nec bene viso falsò in proœmio suę physicæ nuper ascribit. Vnde falsum est dictum B.Thom.in aliquam doctrinam, nec philosophiam Diui August. spreuisse, sed in omnibus, & singulis operibus suis, & per Eccl.Apost. approbatis, & qui per os saluatoris audire meruit, bene scripsisti de me Tho. & communionem omnium sanctorum, & sacras traditiones summè potiùs veneratur, & extollit sana doctrina, & sanctitate repletus. Nec in aliqua pretium, sicut Thom.quos prędictus Doctor modernus allegauit facit pro se, imò potius aduersatur, sibi vt patet volenti diligenter, & mature præspicere, & intueri illas. Cùm Diuo August. inquam super par.118. & 128.& in glos.super 2. ad Corinth.4.& idem in sermone de Iacob, & Esau. & in libro de Ciuitate Dei. Idem pulchrè confirmans, & super par.36. quòd Ecclesia, quæ est congregatio omnium fidelium incępit ab Abel iusto, & durabit, vsque ad consumationem sæculi,& vsque ad instans vltimi decedentis. Et loquor de ista Ecclesia militanti viatorum, & non de triumphanti beatorum, quæ durabit sine fine, & in æternum. Et eadem quod sit fides antiquorum, & modernorum idem August. testatur in dicta glos. 2. ad Corin. 4. Sed credebant futurum, quod nos iam venisse credimus,& prædicamus, sicut filium Dei nasciturum, moriturum resurrecturum, & ad cœlos ascensurum &c. Nos verò iam natum fuisse mortuum, & resurrexisse, & ad cœlos ascendisse. Et sic patet quid dicendum est de prima parte secundi Corrolarij primæ conclusionis.

Circa illam partem de appellatione, &c.

ESt sciendum quod quicumque pertinaciter defendit aliquid, quod est contra illa, quæ determinata sunt per quatuor Concilia incurrit hæresim, sed in Concilio Ephesino, prout scribitur 15. dist. cap. sic inuenitur, quòd à Sedis Apost. sententia nulli appellare liceat, ergo erroneum videtur esse contrarium, tum etiam, quia hoc esset credere Papam non esse caput Ecclesiæ, cuius quidem vnitas, & firmitas est ex vnitate capitis, quam quidem vnitatem credere est de necessitate salutis, & vnus de articulis fidei, scilicet.Credo in vnam Sanctam Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam, & per Ecclesiam Apostolicam intelligitur Ecclesia Romana, ideòque vocatur ab omnibus Sedes Apostol. extra quam nusquam est salus, & loquar de iuridica appellatione, quæ fit in scriptis,& per petitionem Apostolorum reuerentialium &c. Et sicut causa prima potest suspendere effectum causæ secundæ agentis ignis, qui non calefacijt, sicut fecit de Daniele, & socijs, sic de quolibet agente naturali possit, quia non est maior ratio de vno, quàm de alio in ordine ad aliquod possibile, non tamen potest suspendere creaturæ dependentiam, & iurisdictionem, quam habet supra illam, per quam potest quodcumque creatum annihilare, & dominium subtrahere, quia tunc non esset magnus Dominus, nec creator vniuersalium, nec omnipotens &c. Sic etiam Papa licèt eximat aliquem, potestate sui Prælati, cuius effectum iurisdictionis impediat, & auferat ne agat in illum, vel alium tamen, sibi semper Rom. Pont. supremam, & eximiam, ac pleniorem sibi relinquens potestatem non potest subtrahere aliquem à iurisdictione, superioritate sua, quia quemadmodũ se esse caput omnium principũ vniuersalem totius mundi primum negaret: ex quo patet, quod decretum in oppositum, & sic contra suam plenariam potestatem, quàm immediatè à Christo suscepit facere non potest.Et sequitur quod cum à minori ad maiorem fiat appellatio, & collegiorum Cardinalium sit minus eo, vt inferiùs probabitur ab ipso Rom. Pont. ad Collegium Card. non posse appellati.

Et rursus sequitur,quod à Papa præsenti ad futurum non liceat appellari, quia esset nunquam definire litem, sed differre vsque in æternum,quia non esset maior ratio, quare à præsenti ad alium futurum appellaretur, & sic consequenter, & successiuè, vsque ad consummationem sæculi, & esset processus in infinitum, quod est impossibile, & præsens nobilior, & perfectior est quàm ille, qui est in potentia, sicut actus quàm potentia, vt dictum est, & per consequens à maiori ad minorem appellaretur in isto casu. Et si dicatur appellatur ad futurum, tamquam si esset præsens, tunc infringitur Ecclesiæ vnitas, & par inparem non habet dominium, et si Paulus appellauit ad Cęsarem,tanquam Ciuis Rom. contra improperantes ei, istud non fecit, vt subditus, vel minor, sed vt Ciuis, vel si voluit

luit subijci ipsi Cœsari hoc fuit propter humilitatem, sic Christus voluit humiliari coram Pilato, cuius non erat subditus, & sic patet, quòd talis appellatio à præsenti Papa ad futurum esset friuola, & inanis. Et rursus appellari ab ipso ad Deum ordine communi, & iuridico obseruato esset ridiculosum, nec admittendum, & solus Papa dicitur esse Vicarius Dei, quia solum quod ligatur, vel soluitur per eum habetur solutum, & ligatum secundùm Deum sententia igitur Papæ, & sententia Dei vna esse videtur, sicut vna sententia est Papæ, & auditoris eius; cum ergo appellatio semper fiat à minori iudice ad superiorem, sicut nullus est maior seipso, ita nulla appellatio tenet à Papa ad Deum. Vnum Consistorium est ipsius Papæ, & ipsius Dei, cuius Consistorij clauiger, & ostiarius est ipse Papa, nullus ergo potest appellare à Papa ad Deum, sicut nullus potest intrare ad Consistorium Dei, nisi mediante Papa, qui est æternæ vitæ Consistorij clauiger, & ostiarius, & sicut nullus potest appellare ad seipsum, ita nullus potest appellare ad ipsum Deum, quia vna sententia est, & vna Curia Dei, et Papæ. Hæc August. de Ancona in sua summa.

Tum etiam, quia talis videretur subterfugere iudicium à Deo in terris institutum, & iustitiam de cœlo procedentem iuxta illud psalmi. Veritas de terra orta est, et iustitia de cœlo processit, et beati, qui faciunt iustitiam in omni tempore, cuius ministerium auferre vitam similem, et moralem ab omnibus hominibus, et mores ipsorum facere feroces, et pecorales, quòd quidem ministerium maximè consistit in vi, et processu appellationis propter, quòd clamant leges, et iura, si grauaris appella, quòd fit ab habentibus superiorem in terris, per quod excluditur Papa. Tum etiam, quia iustificando se appellat, iniustificat de necessitate alium, scilicet iudicem, à quo et reprehendit illum quod non est faciendum, vt homo iustificetur coram Deo in lumine viuentium. Exemplum expressum habemus de Pharisæo Lucæ 14. Qui reprehendens Publicanum expulsus est ab eo, et è contra Publicanus iustificatus descendit in domum suam. Nec est sic de oratione, et precibus iusti, quę immediatè, et inuisibiliter intrat ad Deum appellatio, vt sic notum est, quod non potest intrare, igitur non est admittenda, sed repellenda penitus potest tamen iniustè grauatus orando humiliter petere iustitiam Deo, qui sępè Innocentes iuuit, vt clarè patet in Daniele, et Susanna vtique, et multis alijs. Vndè dicit per prophetam, et mihi vindictam, et ego retribuam, maximè si fuerint viduę, pupillæ, et personæ miserabiles omni temporali subsidio destitutæ super talibus præsertim Deus est victor, et descendit, sicut per effectum, et afflictionem multarum pęnarum, et audire clamorem, qui venit ad eum de terra, vtrùm opere compleuerint extra de accusationibus cap. qualiter il 2. et ipse pupillum, et viduam suscipiet, ait Psalmista, et vias peccatorum, et iniquorum iudicium disperdet, et in hoc etiam nos diuinam vindictionem vidimus aliquos innocentes iudices ordinarij aduersus vota principum, et Rom. Pont. præsertim ad gentes, et huiusmodi miserabilium personarum genus omni humano præsidio destitutum inhumaniter impiè, et iniquè persecuti sunt, et oppresserunt vehementer, et cum magna sęuitia, et feritate. Genus inquam innocens, et quod numquam peccauit, seù à similibus criminibus extraneum, et immune, et penitus alienum existens, agentes inquam immaniter, et omnis iuris naturalis æquitate, et pietate omissis; vidimus enim alios graui languore afflictos alios miserabiliter interijsse. Et hæ miserabiles personæ nobiles, sicut pupilli, et viduę Dei vindictionum liberè agentis cum lachrymis diuinam iustitiam implorant vindictam, non nisi contra iniquè agentes, humiliter imprecantur, et expostulant æternam mercedem ab eo sperantes, qui dixit, in patientia vestra possidebitis animas vestras, et qui passus est pro nobis factus obediens, vsq; ad mortem crucis, Christus Iesus iustus index fortis, et potens terribilis, iudex inquam viuorum, et mortuorum, salus vita, et resurrectio nomina, rectum iuditium suum nimis. Apud quem sicut nulla est vicissitudinis commutatio, sic in die illa iudicij magna, et amara valde, quando cœli mouendi sunt, et terra, nulla erit personarum exceptio, atque iudicium durissimum fiet his, qui præsunt, et pupillos, et viduam suscipiet, et vias peccatorum disperdet. Et hæc de appellatione ab homine ad ipsum Deum dicta sufficiant.

Verùm si accipies appellationem pro imprecatione quadam, aut oratione, licebit iniustè grauatis, et oppressis. Non autem modo iuridico, et vt præfertur, et de quo intelligitur conclu. et sic etiam loquuntur Doctores de appellatione. Et est quasi appellatio sic contra ipsum Deum, dum Papa sit medius, et sequestet inter ipsum, et homines, sicut fuit Moyses, et propterea Dathan, et Abiron terra absorbuit, quia contempserunt sententiam Moysinum. 16. Et qui contemnunt sacras sententias Rom. Pont. etsi non à terra absorbentur, à dœmonibus tamen in inferis rapientur. Quia Dei locumtenentem spreuerunt in terris.

Sed quod, nec ad vniuersale Concilium Ecclesia appellari à Papa possit. Hic est magis insistendum, quia pro nunc magis ad propositum esse videtur.

ET apparet primò quòd sic, et quod possit appellari à Papa ad Concilium Generale. A deuio, et obliquo, seù à fallibili ad infallibile, et rectum potest appellari. Ergò à Papa ad Concilium, antecedens patet, consequentia probatur, quia Papa potest falli, et errare, et talis communitas non.

Secundo, à minori ad maiorem potest appellari, sed maior est potestas in Concilio, quam in Papa. Igitur. maior est nota; minor patet, quia Papa mortuo adhuc manet potestas, in Concilio, igitur.

Tertiò, eminentibus grauissimis, et enormissimis criminibus in Papa, et Ecclesiam totam scandalizantibus, potiores terræ possunt appellare, nam in simili prouidendum est

est maximè, quia eminet magnum periculum animarum, et ibi cautius est agendum; igitur.

Quartò vbi Papa vellet directè contra ius, & in præiudicium alicuius priuati Principis, aut communitatis, inferre aliquid damnum tunc prouidendum est, & non videtur, quòd melius istud fieri possit, quàm per recursum ad Principes Christianos, & ad Imp. Maiestatem, & per appellationem huiusmodi, igitur.

Quintò bonum commune præfertur bono particulari, ergo taliter appellare licet, antecedens patet per Aug. & secundùm Phi. consequentia probatur, quia vniuersale Concilium respicit illud magis, quia plures tangit.

Sextò Papa iniustè volens punire, & opprimere RR. Cardin. & sacrum Collegium eorumdem destruere, tunc ad Principes, & ad Impe. ac ad ipsum futurum Concilium, vt aliàs factum legimus recurrendum esset etiam per appellationem ergo &c.

In oppositum arguitur à nullo maiori, seu superiori ad minorem, seu inferiorem, licet appellare, sed auctoritas Concilij est minor, quàm auctoritas Papæ, ergo ab ipso ad Concilium non licet appellare, maior colligitur ex cap. 2. quæst. 6. et ff. ac qui appel. non lic. l. infra, et ex multis alijs locis posset haberi, quòd à superiore ad inferiorem non licet appellare, minor verò satis patet ex præcedentibus, et in sequentibus, ac in vltimo Corrollario responsiuo ad præpositam quæstionē latiùs manifestabitur, cōsequentia nota est, quia in quarto primæ figuræ, et confirmat manifestè Gelasius Papa istud 9. quæst. 3. Vbi inquit. Ipsi sunt canones, qui appellationes totiùs Ecclesiæ ad huius Sanctæ Sedis examen voluerunt deferri ab ipsa, nusquam prorsus appellare sanxerunt, et nota vim illorum vocabulorum, etiam et prorsus omnem viam appellandi ab ipso Papa ad generale Concilium excludentem.

Sed adhuc ista conclusio ratione naturali, seu morali persuaderi potest, quæ sumitur ex 3. Ethicorum, et ex sancto Tho. in prima secundæ Electio est determinatio Concilij, fit enim Concilium ex multis personis, vt per illas proponātur diuersæ viæ, ex quibus ille qui præest Concilio possit vnam præ alijs eligere sine Papa, ergo sine eius auctoritate in Concilio nulla potest fieri electio. Nam secundùm Damascenum electio est ex multis præexistentibus vnum præ altero eligere, et ideò pristini patres sanxerunt meritò 17. dist. vt auctoritas vniuersalium Conciliorum Ecclesiæ penès Apostolicam Sedem resideret.

Est alia ratio in regimine morali, ordinem iudiciarium, et terrenum nemo potest immutare nisi Papa, qui vicem Dei gerit in terris. Sed ordo iudiciarius, qui vertitur inter homines præsupponit auctoritatem Papæ ad Concilium conuocandum, et auctorizandum, et modum etiam appellationis vnius ad alterum ordinando. Friuola ergo est appellatio a Papa ad Concilium, cùm talem ordinem iudiciarium Ecclesia inmutare non possit, absque Rom. Pont. auctoritate. Sed nota quòd potestas dicitur æquiuoce de potestate Papæ, et de potestate Concilij, quia in Papa dicit actum, qui est nobilior potentia, vt supra dictum est, nam deficiente Papa, et mortuo, potest Concilium sibi prouidere de Pastore, et Papa, est enim habitualiter, & radicaliter, in ipso Concilio, in quo, vt sic tantummodò maior esset, tunc quoniam in Papa, quia illa manet perpetuo in Ecclesia, & Congregatione fidelium, illa verò actualis, Papa decedente, decedit. Si inferatur ergo potentia Concilij est maior, non valet consequentia. Nec sequitur quia arguitur à posse ad esse, & à dicto secundùm, quid ad dictum simpliciter, sed bene est maior, vt sic dumtaxat, maioritate verò actuali maior est potestas Ecclesiæ in Papa, quàm in Concilio, quia per illam Papa potest agere quando vult, Concilium verò non, cum appellare sit agere, importetque appellatio actionem à Papa ad Concilium, non tenebit talis appellatio, & hæc distinctio est valde notabilis per solutionem multorum argumentorum, quæ in hac materia fieri possunt, & videtur, quod sicut maius bonum est bonum ducis, quàm totius exercitus, sic bonum Papæ maius est, quia totius Ecclesiæ Hierarcici Ordinis Papa dux est, & caput. Et sicut per huiusmodi appellationem tolleretur talis ordo, ita imputaretur tale bonum, quia propter vnumquodq; tale, ita & illud maius, modò bonum exercitus non est nisi propter bonum ducis, nam bona producta à Deo omnia sunt bona, & valde bona, quia vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona in se, & secundùm Aug. propter ordinem, quem habent ad inuicem, itaque modum inordinatum, seu aliquam deordinationem, etiam ipse Deus facere non posset secundùm Beatum Tho. Sed hunc ordinem iudicialem ipse Deus apposuit, vt patet in libris Iudicum, & voluit similiter suum Apostolum Paulum appellare ad Cæsarem, & non ad aliquod Concilium, ergo à Papa ad Concilium appellari non potest, nisi esset propter hæresim proprijssimè sumptam, & ad quam vellet suos subditos fortassis inducere. Nec valet si quandoque à rege aliquo ad Concilium Regni, sicut à Rege Franciæ ad supremam Curiam parlamenti, & Concilij Parisiensis, quandoque appellatur, siue ad Cæsaream Maiestatem, quia hi omnes habent superiorem in terris, & recognoscunt illum per veram obedientiam scilicet Papam, Papa verò neminem recognoscat superiorem nisi Christum Regnantem in Cœlis, & qui Papam indubitatum in B. Petri successorem Vicarium, & Locumtenentem eiusdem caput, & supremum Pastorem omnium, constituit in terris. Tum etiam quia Papa est iudex maximus, & supremus in Ecclesia, & Pastor eximius, ergo non habet superiorem. Nam hoc implicaret etiam in vi vocabuli, nullus ergo maior ipso, & omni alio maior, & superior: antecedens patet per cap. Nicolaus 9. quæst. 3. auctoritate Papæ maius non esse iudicium, quia Dominus posuit in eo totius Ecclesiæ principatum, vt in cap. noli 11. di. Tum etiam, quia à patre ad filios, à capite, à quo membri recipiunt influentiam, & non è contra. A Pastore, inquam, ad oues, neque ad gregem non licet appellare, ergo nec à Papa ad Concilium minùs licet appellare. Consequentia patet à simili, antecedens notum est in cap. Romanam, & in cap. si

quis, 2. quæst. 6. Tum etiam quia suum est de tota Ecclesia iudicare, & non è contra, ergo ab eo ad ipsam, seu Concilium nemo posset appellare, consequentia nota est, quia cui non est datum iudicare nō est ad ipsum appellare, antecedens patet in cap. cuncta, 9. quæst. 3. Cuncta per mundum nouit Ecclesia, quod Sacrosancta Rom. Ecclesia de omnibus fas habet iudicandi, nec cuique de eius liceat iudicare, iudicio siquidem ad illam de qualibet parte mundi appellandum est, ab illa autem nemini appellare permissum est. Tum etiam quia Concilium iudicandi, accipit potestatem à Papa, & è contra, vt infra etiam dicetur, & facit ad hoc 17. di. per totum, & extra de electione cap. significasti.

Verba multorum textuum, & decretorum non exprimimus breuitatis gratia, sed sententias veras ex eis sumentes lectori, si velit videnda sæpè relinquimus. Tum etiam quia idem est Tribunal Papæ, & Tribunal Christi, ergo à Papa ad Concilium non potest appellari, consequentia patet à simili, antecedens probatur per Chrysost. super illo verbo Io. vlt. Pasce oues meas dicit, idest loco mei præpositus esto, & caput fratrum tuorum, vt ipsi loco meo te assumentes, vbique terrarum te in throno tuo sedentem prædicent, & confirment, & confirmatur etiam ista ratio per cap. putamus de consue. li 6. hoc etiam patet per auctoritatem vniuersalium Conciliorum Ecclesiæ, quia à sententia Apost. Sedis nulli liceat appellare, vt in cap. ne Romana de elect. in Clem. & in cap. significasti supra eodem titulo, & in cap. licèt eodem tit. quod in Ecclesia Romana aliquid speciale constituitur, quia non potest haberi recursus ad superiorem, & Hostien. dicit quod nulla superior, sed ipsa super omnes est, & hanc conclu, rectè practicarent Concilia vniuersalia, vt patet ex gestis Concilij Ephesini, & Calcedon. vt latè ostendit Leo Papa in epistolis quas scribit Theodosio, & Martiano Imperatoribus, & Anatolio Episcopo, Constantinopolitano, in quibus liquidò, & clarè tenet istam conclus. & B. Tho. in quæstionibus de pœnit. quæst. 10. Rom. Pont. ait hæc sua auctoritate potest, cuius sola auctoritate Synodus cōgregari potest, & quo sententia Synodi confirmatur, & ad ipsum à Synodo appellatur. quæ omnia patent in gestis Chalcedonen. Concilij. Ex quibus manifestè patet conclusionem, & manifestus error illorum, qui tenent, & faciunt contrarium.

Ad argumenta, & ad primum verum est in casu, in quo Papa erraret in fide, quia tunc non esset Papa, sed vbi maneret eadem auctoritas in ipso, nullus posset se subtrahere ab eo. Sed dices quid in tali casu dicendum foret de ordinatis, & promotis per eum, & ad Episcopatum, qui Episcopi, & alios ordinant ad ordines Presbyteratus, & tales celebrant &c. & credunt fideles ipsum esse caput Ecclesiæ, verumque Papam. Et dato quod hæresis sit occulta, & proprijssimè sumpta dicendum esset piè (& saluo meliori iudicio) quia difficultas non est parua cum lex diuina, & Christi nullam patiatur perplexitatem, quod ignorantia inuincibilis tales excusaret, & defectus Presbyterorum suppleret virtus Altissimi Sacerdotis, & æterni, quæ non est alligata Sacramentis, sed potiùs virtus Sacramentorum alligatur eidem, & simplicia corda fidelium piè respicit, sed de ista materia latiùs dicemus alias. Non esset idem iudicium de errore patrato in electione Rom. Pont. propter maioritatem facti nam in ore duorum, vel trium stat omne verbum. Præterea huius argumenti negatur omnia simpliciter, quia tunc ad nullum iudicium posset appellare, & omne tale est fallibile, & flectibile, quia solus Deus non potest falli, nec fallere decipi, nec decipere, & omnis homo mendax, licèt in veritate Concilium vniuersalis Ecclesiæ plenarium ritè, & Canonicè congregatum, vt infra dicetur in his, quæ fidei sunt errare non possit, quia credimus in hoc casu virtutem Spiritus Sanctus efficaciter ibidem, & in tali casu perfectè cooperari ne deciperentur fideles, & credentes in Christum per fidem, & Euangelium ab eo, qui est infallibilis, & decipere neminem potest, & isto modo Concilium taliter congregatum, nec vniuersalis Ecclesia errare potest, loquendo de potentia ordinaria, & iam ordinata.

Ad secundum argumentum negatur minor, & ratio patet ex prædictis, scilicet quod stat maior potestas in Concilio. Ad probationem dicitur, quod verum est radicaliter, & in potentia, non tamen in actu, vt supradictum est.

Ad tertium verò, & quartum per ea, quæ infra dicemus circa quintam conclusionem clariùs dissoluentur, quia licet possit in similibus impediri, & possint eidem resistere aliquo modo, tale tamen impedimentum, seu resistentia non arguit superioritatem, quia tunc, & Paulus superior fuisset Petro, quia restitit in faciem suam, vel in similibus est Deus orandus, vt eum conuertat, quia ab ipso solo potest iudicari ad Corin. 4. qui autem iudicat me Dominus est, & cor ipsius in manu sua est, vt ipse dignanter prouideat, & alia remedia adhiberi possunt in simili casu, quæ latissimè tanguntur à Domino Petro de Turrecrem. Et similiter à d. Alexandrino super decretum, quæ breuitatis causa relinquo,

Ad sextum dicendum, quod bonum commune maximè respicit bonum capitis, & Papæ, quia aliter communitas, aliqua non esset bene ordinata, nisi haberet respectum ad vnum caput principaliter, vt supradictum est.

Ad septimum verò dicendum est sicut ad 3. & 4. & posset congregari Concilium, non tamen sine consensu Rom. Pont. qui si non possit haberi postquam non occurreret hæresis notoria, & pertinaciter à Papa defensa, ad tempus tolerandus est, & orandus est Dominus Deus &c. Si autem sic hæresis occurreret, ne dum obediendum non esset ei, sed vt alter Antichristus persequendus. Et hæc dicta sufficiant, & manet clara conclusio, quod à papa ad vniuersale Concilium minimè appellari potest. Ex quo vltimo infertur, quod minùs ad Imperatorem, vel regem per locum à fortiori, si id quod magis videtur inesse non inest, nec id quod minus, potest in casu haberi recursus ad eos; ad effectum, vt precibus, aut aliqua via cum moderamine tamen impediant, aut resistant, non tamen

vio-

violenter, nisi in prædicto casu notoriæ hæresis, & pertinaciter defensæ.

Sed vltima pars huius Corrolarii, quæ satis corruit ex præmissis, scilicet quòd Papa non habet in terris superiorem adhuc aliquid expressiùs dicemus.

QVicquid est superius alicuius superioris, esse superius inferioris illius superioris, sed Papa est super vniuersali Ecclesia auctoritate, et potestate, igitur est superior omnium inferiorum ipsa Ecclesia vniuersali: consequētia patet, quia iudari 3. primę figurę maior est maxima in Philosophia, et præsertim in his, quæ sunt eiusdem ordinis, et rationis, vt hic minor autem multipliciter, et breuiter probatur, caput quodlibet præeminere membris, & superius est ipso corpore, sic Pastor suo grege, igitur; antecedens est verum, consequentia patet, quia Papa est caput, & omnes fideles Ecclesię vniuersalis sunt tamquam membra & oues, & ipse Pastor, vt sæpè deductum est in præmissis, & amplius inferius dicetur, igitur: Conclusio verò, quòd non habet in terris superiorem, quia hoc maximè esset vniuersalis Eccl. vel vniuersale Concilium, sed hoc non, vt supra probatum est, immediatè, tum etiam quia Prælatus totius Ecclesiæ princeps ipsius, & princeps mundi habet insuper plenam, & supremam potestatem est generalis Christi Vicarius, & vt breuiùs loquar est Deus in terris, quia locumtenens vniuersalis, & vicesgerens ipsius, & sic communiter nominatur à Sanctis Patribus, &c. à tota Ecclesia, & omnibus Doctoribus suam auctoritatem, & potestatem rationabiliter, & canonicè extollentibus. Et hæc de ista particula Corrolarij pronunc dicta sufficiant.

Sequitur secunda Conclusio principalis, quam vnico prætextu breuitatis causa determinare intendo sicut quòd potestate sua, Papa (quæ ab omnibus extollenda est, & debent omnes eidem obedire) potest reprimere potestatem regum, & eos reprehendere, & deponere, &c.

Et primò, quod est ab omnibus reuerenter, &c. Reuerentia ad Apostolicam Sedem & vniuersalium Conciliorum, & antiquorum Patrum illustri testimonio colligitur ex eo, quod Synodi ipsæ vniuersales semper Rom. Pontif. patrem, & caput eorum profitentes semper venerate sunt, ac earum robur, & auctoritatem ab eo pendere recognoscentes semper solitæ sunt humiliter petere quæque per eos statuta, & gesta auctoritate Apostolica confirmari, sicut de multis exemplariter ostendi potest, si enim quando Oriens, & Africa fidei Christianæ titulo, & gloria erat illustris, quando orbis totus Christum loquebatur eum sanctissimis viris omnes ferme Ecclesiæ præsulibus, & gloriarentur tanto tempore, & montes sanctos souerent, nil vnquam vllis in locis contra Sedis illius auctoritatem, & dignitatem leuiter fuit attentatum. Modò verò valdè dolendum esset (& loquar cum Reu. Card. de Turrecrem. in sua summa) si quando ferme in sola Occidentali parte Christi religio sincera, & immaculata seruetur, sacræ & illius sedis minueretur, aut supprimeretur auctoritas. Absit maximè considerando quanta mala hic, & in futuro illis emineant, qui Apostolicæ Sedi, aut illius Honori, siue auctoritati derogare præsumunt, patet in lib. Deuteron. cap. 8. Prophetam suscitabo vobis (dixit Deus) de fratribus vestris, quicumque non audierit Prophetam illum; ego vltor. Ad istam pęnam æternam, & temporalem sibi infligendo, vt dicit glos. & per Prophetam intelligitur Papa. Ex quo verbo habetur, quòd impugnantes Sum. Pont. resistentes sibi grandi pęna, & grauissima puniuntur, ac vt prædictum est. Significatur enim Sum. Pont. per montem Sinai, de quo dicitur Exodi 19. quod die tertia descendit Dominus coram omni plebe super montem Sinai dicens filijs Israel. Ne ascendatis in montem, nec tangatis fines eius, omnis enim qui tetigerit montem morietur. Significatur etiam per arcam, vt tractat benè B. August. in lib. de Ciu. Dei 15. cap. 26. & in lib. contra Faustum Manichæum negantem in libris Hebræorum aliquid esse de Christo Prophetatum. Et possumus colligere ex dictis Aug. quòd quatuor modis illa arca Christum repræsentabat, & totidem Sum. Pont. eius vicegerentem, & Vicarium. Et primò quantum ad eius dispositionem, fuit autem dispositio, & proportio illius arcæ talis, quòd trecentorum cubitorum fuit longitudinis mensura, quinquaginta cubitorum latitudo, triginta cubitorum altitudo, ita, quòd erat arca septiès longior, quàm lata secundùm quem modum proportionatum est corpus humanum, & non sine mysterio caput habens, & oculos versus cœlum erectos, nam longitudo corporis humani est à vertice capitis, vsque ad vestigia, latitudo verò ad dexteram, & ad partem aliam sinistram, & latitudo eius à dorso, vsque ad ventrem. Vnde erit corpus humanum si benè sit proportionatum septiès longius, quàm latum, & deciès longius, quàm grossum, siue altum, dispositio ergo illius arcæ significabat corpus Christi in vtero virginis conceptum, compaginata fuit illa arca ex lignis leuigatis, quia Ecclesia, cuius Christus caput existit compaginata est ex viris sanctis in æternum mansuris, ligna enim leuigata, vt dicit glos. Gen. 7. Ligna imputrescibilia sunt, & non solùm ligna illa erant leuigata, verum etiam quadrata, & bituminata, & quia leuigata erant significabant sanctorum incorruptionem. Quia verò erant quadrata significabant sanctorum constantiam, & perfectionem, vt sicut quadratum semper rectum stat, ita sancti nec prosperis, nec aduersis franguntur, sed quia bituminata significabat sanctorum dilectionem, est enim bitumen perfectissimum glutinum curatorum. Continebatur autem in dicta arca natura masculina, & fœminina de omnibus animalibus, quæ significabant duplicem naturam in Christo, Diuinam, & humanam, per quam facta est omnium Sanctorum redemptio secundùm veritatem, & secundùm figuram, quia secundùm figuratiuam significationem duplex natura in Christo significata est, per duplicem naturam existentem in arca sicut masculinam, & fœmininam: Fuit autem illa arca sic consummata, quod in parte inte-

inferiori multùm lata, & in parte superiori multùm stricta, sic Ecclesia, cuius Papa sponsus existit inferiùs est multùm ampla propter multos filios, quos habet, & multa membra habentia diuersos actus, superiùs tamen est multùm stricta, quia in vno cubito perficitur, & consumitur iuxtà illud Genes. 7. in cubito consummabis summitatem eius, in vno enim Christo capite tota Ecclesia est perfecta, cuius Vicarius Papa existit, & sicut omnes contemnentes illam, quando Noe constituebat eam intra aquas diluuij suffocati sunt, quia non credebant Deum hoc ordinasse, sic omnes, qui contemnunt iussa, & sententias Rom. Pont, & Ecclesiæ submerguntur in aquis niuium infernalium, & transibunt de illis ad calorem nimium, sicut dixit Propheta: Et quoniam non rectè videntur credere in Ecclesiam sanctam, & Apostolicam, nec Romanam Ecclesiam esse matrem, et caput omnium aliarum Ecclesiarum.

Rectè inquit designatus est per montem Sinai quantùm ad impugnantium, et non obedientium sibi punitionem Genes. 2. Sum. Pontif. gerit vicem illius Prophetæ, de quo dicitur Deuteron. 18. Prophetam suscitabo de fratribus vestris quicumque non audierit illum ego victor ad illam pęnam æternam, et temporalem sibi infligendo, vt glos. dicit. Ex quo verbo habetur, quòd impugnantes Summum Pontificem, et resilientes sibi grandi pęna puniendi sunt, omnis enim, dicit Dominus, qui tetigerit montem morietur; significatur etiam Sum. Pont. ratione eiusdem generalitatis, quia sicut mediante illo monte descendit Deus super toto populo Iudæorum sic, et Christus mediante Papa descendit super toto populo Christianorum, ratione sublimitatis, quia sic Papa sublimior est omni alio Prælato, et ratione auctoritatis regalis, quia sicut de illo monte data est lex, sic et de ipso Papa, et omnia iura exquirenda sunt, omnis ergo, qui hunc montem ausu temerario tangit impugnando, vel sibi non obediendo mori decet, non quacumque morte, quia manus sic morientem non debent tangere, sed lapidibus est opprimendus, et iaculis confodiendus in detestationem talis peccati, vt dicitur eodem lib. Itaque quantum ad gubernationem, et quantum ad impugnantium punitionem singulariùs, et specialiùs potestas Papæ est à Deo, quàm potestas aliorum. Ex quibus etiam habetur, quòd illi, qui etiam verbo improperant, et maledicunt illi, maximè desiderantes eius mortem in hoc execrabiles homicidæ sunt, et grauiter Deum offendunt, scriptum est enim, qui dicitur fratri suo racha reus est iudicio, et qui oderit fratrem suum homicida est. A fortiori ergo, qui hoc egerit, aut dixerit contra suum, et vniuersalem patrem omnium, et locumtenentem Dei in terris, nam sicut, qui maledixit Vicario alicuius Episcopi videtur et ipsi Episcopo improperare, et maledicere, quia eius vices in omnibus gerit, sic, qui maledixit Vicario Christi, Christum maledixit, et ei potius iniuriatur, qui constituit illum principem super omnem terram, omnem sibi conferendo potestatem, et dignitatis sublimitatem, et si non ratione personæ, quia alia persona Papæ, alia Christi, non enim dicimus, quòd sint plures Christi, quorum vnus succedit alteri, sicut dicimus, quod sunt plures Papæ quorum vnus succedit alteri, nec temporale succedit æterno, quòd ex persona Christi succedit; ergo ei non in persona, sed in officio, et potestate quilibet Papa potest aliquo modo cedere Papatui, et renuntiare, et expirat officium Papatus in tali, Christus verò non quia est Pontifex, et Sacerdos in æternum, multa igitur Vicarius Christi Papa videlicet soli, et venerari debet omnia; nam omnes Cardinales, quos in creatione constituit principes mundi assistunt ei, sicut Apostoli assistebant Christo. Sed peteret aliquis vtrùm Papę apertè malo debeatur honor. Respondetur quòd sic, vt dicit glos. 1. Petri 3. super illo verbo, omnes honorate etiam si mali sunt, qui vobis præsunt debitum honorem non subtrahatis, cum autem ratione officij, et dignitatis quàmdiu à Deo toleratur in Papa, et tamdiu non desinit esse Papa, quia non exhibetur alicui honor ille in testimonium virtutis suæ, sed alienæ; nec peccat in officij adeptione, sed quia indignè exequitur, et sic exhibendus ei honor propter ipsam executionem, non propter indignitatem. Ex quo sequitur idem dicendum esse de malis Prælatis, Episcopis, et Sacerdotibus, Doctoribus, ac Religiosis apertè etiam malis respectu gradus, vel officij, aut habitus, et non propter indignitatem, aut merita eorum etiam honorari debent à fidelibus ratione virtutis alienæ, et non propriæ. Vlteriùs sequitur quòd meri laici, et nullum habentes gradum, vel officium, vel dignitatem apertè mali debent ex charitate communi amari, sed non venerari, sed dices honor est inhonorante secundùm Psalmistam, verùm est inhonorante sapienter, et non imprudenter vt solùm propter pulchra ornamenta, et speciositatem corporalem præcisè apertè malas personas, vt meretrices, et lenones complures imprudenter, et contra legem moralem, et politicam venerantur, et reuerentur, quod facere non deberent, cùm honor secundùm Tulium sit exhibitio reuerentiæ in prœmium virtutis, quam si quis non habet, aut (vt diximus) iniustè reueretur ab hominibus. Ista diximus incidentaliter, sed iam ad propositum vndè egressi sumus reuertentes videamus quas pęnas incurrunt Papam non honorantes, et illi inobedientes. Primò pęnam maledictionis, quam Chanam patris sui derisor probatus est, Gen. 9. Vnde Aug. nihil ita Deo placet sicut obedientia, Chanam ideo maledictus fuit, et post multa sæcula manet, quia patri non est obsecutus sicut Sem, qui obsecutus est, patri benedictionem habuit in omnia sæcula, hoc quare dico, vt obedientiam exhibeamus patribus nostris, sed qui patribus non obsequitur, Deo non obsequitur. Hæc illę. Dicitur enim Deuteronom. 17. maledictus, qui debonorat patrem suum. Secundò incurrit crimen læsæ maiestatis pro eo, quod vniuersalis Ecclesiæ principem, et rectorem, at in eo Regem regum, et Dominum dominantium, cuius Vicarius est, inhonorant dicente Domino Luc. 10. qui vos contemnit, me contemnit. Tertiò incurrunt zelus schismatis pro eo, quod Ecclesiarum omnium fundamentum deserunt dixit Dominus

minus Petro, & successor. Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meã. Et beatus Cyprianus in cap. qui Cathedram, 93. dist. qui cathedram super quam Ecclesia fundata est in Ecclesia se esse non confidat. Quartò incurrunt labem heresis, eo quod Apostolicæ Sedis priuilegia violare præsumunt, vt inquit Nicolaus Papa in cap. omnes 22. dist. qui Rom Ecclesiæ priuilegium ab ipso summo omnium Ecclesiarum capite traditum auferre conatur hic proculdubio in hæresim labitur, fidem quidem violat, qui aduersùs illam agit, quæ mater est fidei, & illi contumax inuenitur, qui eam cunctis Ecclesijs pretulisse cognoscitur. Hæc ille. Quintò excluduntur omninò ab spe regni cœlestis, & Bonifacius Papa scribit aduersùs beati Petri principatum quisquis insurgit habitator cœlestium non poterit esse regnorum. Tibi inquam dabo claues regni cœlorum, quod nullus absque gratia genitoris intrabit. Hæc ille. Quod ideo Dominus Petrus de Turrecrem. in summa sua inquit. Confusio, & ignominia, etiam temporalis huiusmodi præsumptores, sequantur non modò antique historię, quæ omnes tales communiter interijsse referunt, sed etiam scandala ipsa, & inconuenientia, quæ Basiliensibus superuenerunt pro eo quod Dioscori, & Forij præsumptionem imitatores diabolica temeritate Rom. Pont. Christi Vicarium, & Ecclesiæ totius prælatum, ac rectorem sibi subijcere attentarunt aperta Luce demonstrat. Hæc ille.

Sed quod debeant puniri, & reprimi quicumque rebelles, & potestates Imperiales inobedientes Papæ, quæ est alia pars Conclusionis secundæ.

Multipliciter constare potest, & manifestari. Tum primò auctoritate beati Augustini in sermone Apostolorum Petri, & Pauli dicentis. O mira potentia, & ineffabilis: quis plebeum piscatorem, & Apostolorum Principem, & Regibus obsistere, reges sanctificare regnis omnibus imperare mundum refrenare legibus, dæmones calcare pedibus iubere virtutibus, cœlum hominibus aperire merita mundi cognoscere, & culpas, & crimina hominibus relaxare, hæc ille. Et Innocen. III. in cap. solitę de maior. & obed. scribens Imperatori Constantinopolitano sic dicit, potuisses autem prerogatiua Sacerdotij ex eo intelligere potiùs, quod est dictum non à quolibet, sed à Deo, non regi, sed Sacerdoti, non de regia stirpe, sed de sacerdotali prosapia descendenti de sacerdotibus, vt qui erant in Anatoth. Ecce constitui te super Reges, & regna, vt euellas, & discipes, & ædifices, & plantes. Cum ergo Summ. Pont. sit maior illis sacerdotibus, à fortiori eidem talis potestas à Deo attributa fore videtur. Vndè constat eum in temporalibus supremum apicem attigisse potestatis, vt omnes possit corrigere potestates temporales reprimere ampliare, & stringere, & quoscumque principes terrenos culpa exigente punire, non tamen habet eam secundum illum modum, & secundùm quem habent principes temporales, sed modo digniori, & sublimiori, vt superiùs prima conclusione dictum est, & fuit responsum ad rationes, & argumenta, quæ etiam contra hanc conclusionem fieri possunt.

Sed ratione etiam istud notabiliter potest persuaderi, quæ sumitur ex primo ethi. Finis enim præcipit, & legem imponit his omnibus, quæ sunt ad finem, vt secundum exigentiam finis debito modo se coaptent, & adinuicem ordinentur secundùm vniuscuiusque mensuram, & modum, sed proprius finis, qui intenditur per principatum Papalem est æterna fælicitas, ad quam ordinatur homo, & dirigitur per virtutes theologales sicut fidem, spem, & charitatem, sine quibus nemo attingit illam. Finis autem, quem intendit potestas sæcularis est fælicitas politica, ad quem homo per virtutes morales. Sed nulli dubium quin finis spiritualis potestatis prior & principalior sit, quàm finis sæcularis potestatis, quem pagani, & infideles attingere possunt, ergo potestas spiritualis, & maximè Domini nostri Papæ, qui est Dux, Pater, & Rector populi Christiani, & dirigere, & regulare præcipere, & corrigere, atque leges dare, roborare, & confirmare principatibus, & potestati sæculari sui proprium est. Et confirmatur ista ratio, quia nec ipsę virtutes morales, quæ ordinantur ad Theologicas, quamuis exerceri possint in genere suo. Non tamen benè, nec meritoriè sine Theologalibus, quia sine fide impossibile est placere Deo, & hoc est quod communiter dicitur aduerbium sicue benè, vel meritoriè, virtutis perficit opus, & non nomen, quia bonum facere contingit secundùm virtutem moralem, benè autem, & meritoriè non nisi secundùm theologalem. Et ideo pagani, Philosophique morales nomen solum habentes propter defectũ huiusmodi aduerbiorum inciderunt secundùm August. & Hieronym. In domum inferorum: quia non debitis circumstantijs, & sicut ars militaris, seu architector precipit, & dominatur omnibus ordinatis ad illam, vt pote fabrili frenefractoria &c. sic potestas suprema Papalis dominatur omnibus alijs inferioribus potestatis ordinatis ad ipsam defendendum, conseruandum, & exaltandum, & ratione homini maximè hæc potestas dicitur superior, & sicut artibus inferioribus deficientibus militaris emendat, & corrigit fabrilem, sicut vel frenifactorem, sic Papalis potestas imperat sæcularibus inferioribus, ipsa corrigitque, & emendat.

Et sic eriã dicimus se habere theologiam ad omnes alias scientias, quę famulantur eidem iuxta illud Prouerb. 9. Vocauit ancillas ad arcem, & theologum ad Doctores in quacumque alia facultate, siue scientia promotos, quibus etiam præesse, & præponi debet ipsis, aut theologia, quæ est de Deo, & de his, quæ Dei sunt non esset cęteris scientijs superior, & excellentior, quod esset absurdum dicere, sed de ista materia magis infra dicemus. Sicque Rom. Pont. se habet ad reges, & principes tamquam architector ad alios artifices, ille enim propter quid & regulas iudicandi scit, isti autem sicut artifices mechanici tanquam experti in multis ipsum quia sciant. Propter quid autem ignorant propter quod debet illis Papa leges dare secun-

cundùm, quas debent iurisdictionem suam exequi, & populum regere in ordine ad beatitudinem supernam cuius dispensator clauiger, & ostiarius ipse Papa existit, & ostium est Christus Apoc, 3. qui autem intrat aliunde ad potestates temporales sic directas, & ordinatas ab beatitudinem ille fur est & latro, dixit Christus in Euangelio, & sic patet auctoritate, & rationibus qualiter Roman. Pont. ratione Papalis dignitatis ista potest quòd etiam corroboratur per illam glos. super verbo. Pasce oues meas Ioan. vlt. Clarum est autem quòd pascere gregem dominicum terrena subsidia si necesse est subditis prouidendo aduersarijs resistendo, & errantes corrigendo non solùm exigit in pastore spiritualem potestatem, sed etiam temporalem. Vndè cùm concesso alicui aliquo officio, seù regimine censeantur concessa illa, sine quibus officium siue regimen illud rectè expediri non potest de officio deleg.c.1.& c.1. & cap. prætereà manifestum est, quòd Rom. Pont. apicem potestatis sæcularis dicendus sit habere. Vndè Innoc. III. in cap. solitę de maior. & obed. scribendo Imperatori Constantinopol. quòd iure poterat ipsum, & corrigere, & increpare sic ait. Nos autem, etsi non increpando scripsimus potuissemus, tamen rationabiliter increpare, nobis enim in beato Petro sunt oues Christi commissę dicente Domino, pasce oues meas non distinguendo inter has oues, & alias, vt alienum se à suo ouili demonstraret, qui Petrum, & succes. suos magistros coguosceret, & pastores. Vndè constat Rom. Pont. habere apicem vtriusque potestatis, etiam debetur sibi talis præeminentia potestatis, quia eius est considerare de his, quæ pertinent ad aliquem finem, cuius esse considerare de ipso fine patet de medico, qui non solùm optat, & colligit quæ sunt necessaria ad sanitatem, quam principaliter intendit, sed etiam iudicat de impedientibus illam vt remoueat, & ita de alijs, sed ita est quòd corpus ordinatur ad animam, & secundum omnes naturaliter loquentes, & Rom. Pont. maximè considerat de anima, & est supremus iudex animarum: igitur tenetur considerare, & iudicare de his quæ pertinent ad salutem ipsius, sicut de potestatibus temporalibus, vt benè regantur, & dirigantur in Deum, & impedientes homini regimen debet corrigere increpare, vt benè, & rectè viuatur in hoc mundo cuius est princeps. Vndè ratione talis principatus talis etiam potestas temporalis sibi pertinet, similiter loquens Christus de incorrigibili Matth. 18. dixit quòd si Ecclesiam non audierit sit tibi, vt ethnicus, & publicanus adiungens consequenter. Amen dico vobis quæcumque liganeris super terram erunt ligata, & in cęlo, & B. Paulus hoc iudicium exercuit excommunicando fornicatorem notorium 1. ad Cor. 5. ex quo habetur etiam quod fornicatio est prohibita secundùm legem diuinam, & omnes Christiani pertinent, & sunt de foro Ecclesiæ, nec possunt trahi à foro suo vt est text. 11. quæst. 1. quæcumque contentiones inter Christianos ortę sunt ad Ecclesiam deferuntur, & ab ecclesiasticis viris terminabuntur, & si obedire voluerint quousque obediant à liminibus Ecclesiæ excludautur. Hæc ibi. Verumtamen nota quod quamuis hoc sit ius Ecclesi. sibi à Deo collatum tamen ipsa non semper vsa est isto iure, nec vbique partim ad vitandum scandalum ne putaretur, quod Ecclesia magis quęreret emolumentum pecunię, aut gloriæ temporalis, quam correctionem viciorum partim propter audaciam aliquorum tyrãnorum, in quorum terris plures Eccles. sunt fundatę, qui propter suam violentam potentiam non permiserunt Eccles. vti iure suo.

Sed nota quod scribit præfatus Innoc. Prælatis Gallicanis nullus, qui sit sanę mentis ignorat, quòd ad nostrum iudicium expectet de quocumque peccato mortali corripere quemlibet Christianum, & si correctionem contempserit per districtionem ecclesiasticæ censuræ coercere, & scribebat contra Regem Franciæ in cap. nouit extra de indic. Pontif. enim principes seculares notabiliter negligentes à dignitate deponere, & non solùm censuris coercere, quòd patet in cap. alius 15. quod 6. vbi Gelasius Papa Constan. Imperat. ita scribit alius item Pont. Zacchar. de quo in nostra propositione Regem Francorum non tam pro suis iniquitatibus, quàm pro eo, quod tautę potestatis erat, tãquam inutilis à regno deposuit, & Pipinum Caroli Imper. patrem in loco eius substituit, & licèt Rom. Pont. non possit aliquos Reges confirmare, quia si succedunt per consanguinitatem, aut populi electionem etiam præter hæresim, ob nonnulos alios defectus notabiles potest eos deponere secundùm Petrum de Palu. in sum. quam fecit de potestate Eccles. & si in excommunicatione perseueraret aliquis princeps non obediendo mandato Rom. Pont. potest eum deponere, & suos subditos à iurisdictione ipsius, & iuramento absoluere propterea sicut schismaticum, & inobedientem pertinacem, & Innocen. IV. Regi Portugalliæ, qui magnus dilapidator erat, & prodigus, qui etiam monasteria, & pia loca viduas, & pupillos destruebat, & grauabat, deditque adiutorem, & ipsum minimè regnare permisit, nisi per administratorem, vt in cap. grandi de suplen. ne. pręla. lib. 6. & hæc est etiam opinio Domini Vlrici in summa sent. & est bonus textus & notabilis Gregorij VII. in cap. nos sanctorum 15. quæst. 6. & Vrbani II. in cap. iuratis eadem quæstione, & causa, & vnus gladius in vaginam conuersus est in manu Imperatoris, sed non nisi ad nutum summi sacerdotis, hæc est communis glos. Io: 18. & Matth. 16. & in cap. quidem eadem causa, & quæstione. Et hæc est etiam opinio Beati Thom. 2. 2. quæst. 40. art. 2. quomodo ad clericos pertinet disponere alios ad bellandum bella iusta, vt sæpiùs factum legimus & Bern. super illo ecce gladij duo hìc ait, oportet autem gladium esse sub gladio: idest temporalem potestatem sub spirituali, idem Innoc. in cap. per venerabilem extra qui filij sint legitimi ex Sacra Scriptura, ita dicens non solùm in Ecclesiæ patrimonio, super quo plenam in temporalibus gerimus potestatem, verùm etiam in alijs regionibus certis causis expetis temporalem iurisdictionem casualiter exercemus, non quod alieno iuri pręiudicare velimus, sed quia Deuter. cap. 71. scriptum est, si difficile & ambiguum apud te iudi-

iudicium esse perspexeris inter sanguinem, & sanguinem lepram, et lepram causam, et causam, et iudicium inter portas videris verba variari, veniens ad sacerdotes leuitici generis, & ad iudicem, qui fuerit illo tēpore, qui iudicabunt indicij veritatem, & facies quæcumque dixerint tibi, qui præsunt loco, quem elegerit Dominus, sequerisque eorum sententiam, qui autem superbierit nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo decreto iudicis moriatur, ergo à fortiori Summo Sacerdoti, qui est Papa, tale iudicium pertinebit secundùm diuinam auctoritatem, quæ pro maxima rationum haberi debet, & certè est valdè notabilis, & clara, quia & si pro salute propria indigeat temporali ministerio, etiam pro apostolico statu sui, qui est Pater omnium fidelium, & princeps mundi, debet per omnes fideles per decimas, & portiones bonorum temporalium subuenirì, & ab omnibus plusquam pater, & mater venerari, sicut Christus in terris: quia Vicarius eius est etiam per assistentiam personalem, prout opus fuerit Spiritus sancti, vt possit fidei hostibus resistere, & deprimere rebelles & inobedientes, ipse enim solus legitimat ad sæculares honores, & dignitates Extra qui filij sunt legitimi, ipse potest supplere negligentiā, vel tyranniam dominorum temporalium erga subditos, vt ne præiudicentur, vt colligitur ex eodem Innocen. in cap. licèt Extra de foro comp. & confirmatur inconuincibiliter, nam secundùm eumdem Innocen. in c. Venerabilem Extra de elect. quia imperium Rom. propterea à græcis transtulit in Germanos, & potestatem, & ius eligendi Regem Imperatorem postmodum certis principibus contulit, & in personam Caroli, & glos. ibidem dicit, legimus in cronicis, quòd cùm Rom. Eccles. opprimeretur ab Astulfo Rege Longobardorum petijt auxilium à Constantino, & vero filio eius Imperatoribus Constantinopolitanis, & cum nollent patrocinari Ecclesiæ, Stephanus Papa 2. natione Rom. transtulit imperiū in CarolumMagnum, qui fuerat filius Pipini, quem Zaccharias prædecessor eius substituerat loco Regis Francorum, quem deposuerat, vt superiùs diximus, & idem Papa vacante imperio, vt dicto cap. licèt habet iurisdictionem imperialem in temporalibus. Dicit Innoc. Tum etiam per potestatem, quam habet super infideles simpliciter potens auferre eorum dominia. Benè probat B. Thom. 2.2. quæst. 10. art. 1. potest punire Iudæos, tam pœna temporali, quàm spirituali iudirectè, vt in cap. postulasti Extra de Iudicijs. Idem Innoc. tenet. Papa etiam potest auferre dominium temporale fidelibus principibus propter hæresim secundùm eumdem B. Thom. 2.2. q. 12. art vlt. quod etiam colligitur in cap. absolutos Extra de hęret. cap. nos sanctorum & cap. iuratos 15. quæst. 6. & potest indicere bellum contra hæreticos, & tyrannos, & contumeliosos fidei Christianæ, aut occupatores bonorum Ecclesiæ, aut perturbatores pacis, & quietis populi Christiani, non quidem vt occidant, mutilent, sed vt fidem defendant, Ecclesiam, & patriam liberent, & terram ab infidelibus occupatam reducant ad Christum, & super hoc potest dare iustè, & licitè indulgentias magnas arma ad hoc sumentibus, etiam religiosis, si necessarium fuerit. Hæc propositio satis, superque satis patet ex prædictis, ex quibus tandem sequitur Rom. Pont. S. D. N. Iulium II. Pont. Max. quoscumque, sic delinquentes posse, & potuisse priuare, & priuasse, deponere, & deposuisse. Quippè & si in similibus demeritis, & culpis exigentibus simpliciter indulserit illis, nimiùm misericorditer egit, & propter nimiam clementiam apicem suæ supremæ potestatis offenderet potiùs. Et si quandoque in subsidium Ecclesiæ ob libertatem, & manutentionem eiusdem, & ad maximam zizaniam nuper in Italia ortam eneruandum, cum magno, & constantissimo animo præfatum S. D. N. (maturè, sanctèque, senectutis laboribus, metuque, & periculis penitus spretis, & contemptis imperterritè, & feruenter hostibus, & aduersarijs) personaliter cum armis, & potenti exercitu occurisse sępiùs vidimus. Quod procul dubio non nisi zelo eximię charitatis erga Christum, & sacrosanctam matrem Ecclesiam hoc tam præclarum opus ascribendum venit. Nec mirari debet quicumque mortalium, sed potiùs heroicam, & admirabilem animi fortitudinem admirari licet vtique, & cum affectu contemplari, factum inquam sacris sanctionibus S. P. valdè conforme. Et ista loquor (nouit Deus, qui est mihi testis, & in hoc flendo tempore) solùm, quia zelus domus Dei comedit me. Et hæc dicta sufficiant pro secunda conclusione.

Circa primum Corrollarium huius secundæ Conclusionis, scilicet quòd Concilium generale decretum irritans facere non potest contra Ro. Pont.

ET licèt ex pręmissis satis inferatur istud Corrolarium, & quoad istam partem, nam ex illis constat Papam nullum habere superiorem in terris, & esse supremum in illis, nihilominus isto pręsupposito sic facilè probari potest: Tum primò, quia ipsa concilia generalia, vt magis inferiùs dicemus, non possunt pręfigere legem Rom. Pont. ergo non possunt contra ipsum decretum irritans condere, consequentia patet à fortiori, & antecedens probatur per illud cap. significasti Extra de elect. Tum etiam, quia inferior non potest annullare, aut irritare leges superioris; igitur, consequentia nota est, antecedens probatur, quia hoc est omnino contra ordinē rationis naturalis, quoniā in agentibus, etiam naturalibus causæ secundę nequeunt impedire causas superiores, & primas. Vt Deum, & cœlum, sed Papa est superior ipsis Concilijs generalibus, cum sit supremus, & in fine quæstionis latissimè manifestabitur, igitur, & confirmatur per text. inferior dist. 20. Tum etiam, quia quicquid auctoritatis habent vniuersalia Concilia est à Papa, ergo ipsa non possunt decretum irritans facere contra ipsum, nec minùs annullare, nec irritare leges suas, sicut nec stellæ extinguere lumen solis; consequentia patet à simili, antecedens patet ex dictis. Et hæc dicta sufficiant. Si latiùs

Dddd cupias

cupias informari circa istud, quęre tractatum, quem contra Basilien. Concilium. Card. de Turrecrem. edidit, cum essee illic præsens, & contra quòd hoc opus potissimùm militat,

Sequitur alia pars Corrollarij, scilicet quòd Papa quandoque potest charitatiuè, & reuerenter admoneri.

CОntra qùod primò arguitur sic scriptum est Exod. 19. Bestia quæ tetigerit montem lapidabitur, igitur Papa esse reprehensibilis: consequentia patet, quia per montem Papa significatur, vt supra ostensum est, per bestiam quilibet inferior.

Secundò sic, quia Papa posset ex hoc irritari, & scandalizari, sed hoc non est conueniens inferiori, igitur.

Tertiò reprehendens, se habet per modum agentis, reprehensus verò per modum patientis, sed agens nobiliùs est naturaliter patiente propter quod, & forma substantialis perfectior esse dicitur, & principaliter ipsa materia prima 1. Phy.

Quartò in aperto, & non in secreto debet reprehendi, ergo non charitatiuè, qui est malus secretus, & occultus, consequentia nota est, antecedens patet, quia Paulus, qui erat inferior Petro in faciem restitit sibi, & coram toto populo ad Gal. 5. idem Paulus scribens Timot. 1. ad T. 2. dixit peccantem ram omnibus argue, vt cæteri timeant. Sexto ad idem, quia scribitur act. 5. quòd Petrus Ananiam, & Zaphiram vxorem eius de peccato occulto publicè reprehendit, quare, &c.

In contrarium est illud Matth. 18. & habetur 2. quæst. 1. si peccauerit in te frater tuus corripe illum inter te, & ipsum solum ergo si iste modus debet obseruari in fratre peccante, à fortiori in supremo Patre fieri debet reuerenter quare &c. Et confirmatur, quia omnis homo est frater Papæ iuxta illud ad Hebr. 2. vbi Christus non confundebatur dicere, nunciabo nomen tuum fratribus meis, ergo ad Papam extenditur correctio fraterna, circa quod licèt aliqui teneant per illum text. si Papa dist. 4. quòd per fratrem non intelligatur Papa, ideo talis responsio, nisi causa hæresi in qua quilibet est superior, quia agitur de causa Dei, non se extendit ad ipsum Papam, propter quod saluo semper saniori iudicio discendum duximus cum Domino Ang. de Ancona, quòd correctio, seu reprehensio tripliciter contingit fieri. Primò simpliciter, & sperando aliquam emendam ex homini admonitione, vt fit etiam communiter à confessoribus magnorum Dominorum, & sic non derogatur suæ dignitati, & quòd aliquis secundùm quid, & in hoc fiat quodammodo superior, sicut etiam tenet B. Thom. quòd de licentia pęnitentis potest reuelari peccatum, quod tamen per præceptum Papæ fieri non potest. Scribit etiam Aug. Hier. in quadam epistola. Rogo te, ait, vt me fidenter corrigas vbi mihi hoc opus esse perspexeris. Secundo modo potest fieri per modum imperij, & superioris iurisdictionis Tertio modo per modum denunciationis, & incusationis coram iudice, & istis duobus modis talis correctio, seu reprehensio in Papa non potest habere locum, & sic procedunt rationes quæ communiter fiunt in oppositum, illa ergo correctio, quæ fit primo modo debet fieri discretè, vt speretur aliqua emenda, Secundò debet fieri reuerenter, & non modo temerario, & per potiores Ecclesiæ Prælatos. Tertiò, vt non fiat causa diffamationis, sed quadam modestia beneuolentiæ.

Argument. primum procedit si fiat indiscretè, temerariè, aut sine beneuolentia, quia talis est potiùs bestialis, & sic percussus fuit Oza tangens arcam, & Maria percussa est lepra, & nota hìc debitum modum, & vniuersalem ad corrigendum quemcumque pręlatum per humiles, & inferiores eo, & sic patet etiam solutio ad alia duo argum. Ad illud de Paulo puto esse dicendum, quòd in causa fidei, & in causa hæresis publicę talis reprehensio est faciēda publicè, quia ęqualiter quilibet tenetur diffundere Christi fidem, & vitare errores manifestos contra illam, & hoc videtur annuere glos. super illam auctoritatē dicens, quòd nequaquam Paulus Petrum coram omnibus reprehēdisset, videlicet in faciem sibi restitisset nisi ei fuisset par, vel æqualis, quod est verum quantùm ad defensionem fidei, & sic videtur esse solutum dubium, quod est inter Aug. & Hiero. in isto: In quo videntur esse varij, & hoc dicit B. Augu. in quadam epistola Diuo Hiero. directa, quòd pro veritate fidei minores maioribus resistere possunt in qua epistola tractat istam quæstionem, cum ergo iudaizare, & post promulgationem fidei alios ad iudaismum prouocare esset cōtra tramitem euangelicæ doctrinæ meritò in tali casu Petrus à Paulo reprehensus est, & sic in huiusmodi casu iustè à quocumque fideli, ne dum à Reuerendiss. Card. qui gerunt vicem Apostolorum posse corrigi. Sed cum non sit inconueniens quod aliquis secundùm quid sit maior Papa, vt supra probatum est. Et sic in proposito dicimus, quòd Paulus fuit minor Petro, & maior, & æqualis secundùm diuersas rationes. Minor enim potestate prelationis, quia solus Petrus fuit Cęphas: idest caput totiùs Ecclesię. Maior autē prærogatiua electionis, quia electus fuit à Christo ante, & post Resurrectionem. Vndè in bulla Papæ Paulus ponitur à dextris, & Petrus à finistris: sed æqualis fuit officio prædicationis, & fidei defensionis. Vndè in tali casu iustè poterat Petrum reprehendere sicut æqualem sibi, vel minorem. Sed & mihi videtur addendum pro nunc salua sententia melioris, quòd ipsum Papam reprehendere non liceret cuilibet fideli, etiam in tali casu solùm hoc facere est Cardinalium opus, qui habent vicem Apostolorum, & repręsentant illos. In quorum tamen defectum liceret cuilibet fideli, nam nemo discipulorum, nec aliorum minorum Petrum reprehendit, sed Paulus rationibus prædictis.

Ad quintum dicitur, quòd verum est de peccato notorio, & in Prelatis.

Ad sextum dicitur, quòd Petrus non peruenit ad huiusmodi notitiam modo iuridico seu humano, sed diuina reuelatione, & sic procedit cōtra illos secūdùm formā diuini iudi-

cij, & fuit executor illius, sed quod non possit citra Deum ab aliquo iudicari, patet ex præmissis, quia non habet in terris superiorem crimine hæresis propriè sumptæ adempto. Et hæc de isto Corrolario dicta sufficiant.

Secundum verò Corrolarium ex his, quæ diximus circa primam conclusionem de potestate etiam malis attributa loquentes de difformitate peccati; quæ nihil est priuatiuè nisi illa legis, & præcepti diuini preuaricatio, & glos. super illud Ioan. 1. sine ipso factum est nihil, dicit nihil, idest peccatum modò certum est quòd Papa gerit vices Christi, ergo sine ipso, idest sua potestate aliquo modo concurrente, seu Ecclesia, idest sacramentorũ, & fidei cõmunione, & quæ fit per vnionem ad ipsum caput, quod est Papa, vndè ordinem diuisus ab ea nihil potest, nisi peccare, & præsertim volens vnitatem Ecclesiæ violate perturbando ipsam, vel alias, quæ voluntas est graue peccatum, & si velint etiam conuocare Concilium gratia reformationis sine ipso, & Sedis Apostolicę consultatione, sicut nec Apostoli sine Christo (eodem testante, & dicente eis sine me nihil potestis facere) nihil vtique faciunt, & de his latiùs inferiùs dicetur, atque illis presertim loquitur, qui gerunt locum Apostolorum, ac propter hoc in Concilijs huiusmodi in primis gratia Spiritus sancti deuotè inuocatur, quæ in illis, nisi mediante Papa, & vt patebit infra, nihil penitus operatur, & fit tunc ex Concilio, conciliabulum. Cæterum Papa habet claues regni cœlorum, & ipse solus est clauiger, & hostiarius, ergo nihil facit, qui sine ipso in regnum cęlorum intrare contendit, à quo diuisus homo semper est in peccato mortali, & in statu perditionis, & omnia opera eius fiunt in peccato, & nihil prosunt ad vitam æternam, quare & per ea quæ etiam infra dicentur, ista de hoc corrollario dicta sufficiant.

Sequitur 3. conclusio, quòd Papa est fundamentum Ecclesiæ, seu illud in quo Ecclesia fundatur.

Istud patet, quia ipse Papa verus inquam, & indubitatus habet eamdem potestatem, imediatè à Christo circa ipsam Eccl. & sc. Apo. ratione successionis tantam, & quantam Petrus habuit, sicut ligandi, atque soluendi in Cœlo, & in terra, & pascendi oues Christi, sedendique in prima orbis sede, & sententiandi &c. Et licèt cæteri Apostoli dicantur fundamenta iuxta illud psal. fundamenta eius in montibus sanctis glos. idest Apostolis, tamen singulatiùs Petrus ipse fundamenti rationem à Christo suscepit, quando dixit illi specialiter, singulariterque Math. 16. tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Ædificium igitur Ecclesiæ est, & Petrus, & eius successor Papa fundamentum illius est. Confirmatur, quia ædificium, & fundamentum correlatiuè se habent, & relatiua secundùm Arist. posita se ponunt, & simul natura existunt. Quod fecit quando dixit illi pasce oues meas, & quando fecit eum clauigerum suum, & Regni Cœlorum hostiarium tradendo sibi claues &c. Vnde August. sicut Paulus edocuit, petra autem erat Christus, ita per Christum Petrus factus est petra, dicente ei domino tu es Petrus &c. nam sicut in deserto iussu diuino sitienti populo Iudaico aqua effluxit è petra, ita vniuerso sitienti per fidei ariditatem ex ore Petri fons salutiferæ confessionis emanauit, quando dixit Petrus Christo, tu es Christus filius Dei viui, hæc Aug. & textus de se clarus est, & idem omnes sancti exponentes illud senserunt, scilicet quòd ipse Petrus, & successor eius verus, & indubitatus Papa fundamentum Ecclesiæ existit, vel in quo ipsa fundatur Ecclesia. Vnde Gregor. Papa in epistola ad Siracusanum Episcopum, quis nesciat Sanctam Ecclesiam in Apostolorum Principis soliditate firmitatem? qui firmitatem mentis traxit in nomine, vt Petrus à petra vocaretur, cui veritatis voce dicitur, tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Et Papa fundamentum excellenter dicitur propter eius Cathedræ Aposto. insuperabile magisterium, in qua in cap. in sede, & in cap. hæc est fides 24. quæst. 1. habetur extra maculam semper est catholica seruata religio, & Hie. in c. vetus ibidem clamat Cathedræ Petri communioni sancior super illam petram Ecclesiam fundatam scio, quicumque extra hanc domum agnum comederit prophanus est, qui in Arca non fuerit peribit regnante diluuio. Ad idem Sanctus Cyprianus, qui Cathedram Petri, supra quam fundata est Ecclesia, deserit, in Ecclesia esse non confidat. Quæ sententia valde notabilis est, & contra multos proh dolor, multum ac nostra tempestate militans. Sicque ratione huius supremę Cathedræ, & primatus Papa est, in quo Ecclesia fundata est, cuius sedi Auctoritas quoddam fundamentum Ecclesiæ est. Et hæc est etiam sententia Diui Thomæ Doctoris nostri (quem in omnibus pro tenui posse nostro, ac in singulis meritò immitari conamur) scilicet in fine 2. sentent. Et Nico. Papæ in cap. omnes 22. dist. & Beati Aug. in ser. Cath. Sancti Petri, & quòd supra fundamentum, quod Christus posuit Ecclesiæ ædificij altitudo, sublimitasque eminenter consurgit, idem Augustinus Doctor irrefragabilis confirmat, & habetur in cap. pudenda, 24. quæst. 1. quod Ecclesia est fundata in radice Apost. secundùm manent firma eius iuditia, quasi Deo iudicante per ipsam dicit Origenes in glos. super Math. 16. Quodcumque ligaueris &c. ex quibus omnibus auctoritatibus, & rationibus breuiter, & absque argumentorum controuersia deductis Luce clarius patet conclusio.

Sequitur alia pars, scilicet quòd ab ipso Papa Concilia vniuersalia recipiunt firmitatem.

Hæc est Doctrina Aristotelica in primo Ethi. quod secundum ordinem finium est ordo artium, primus ergo finis, seu consideratio, qui totum populum respicit solùm est, qui toti Reip. præsidet, sed Papa præsidet toti Reip. Christianæ, cum sit Caput, & Princeps, ergo ipsius est proprium condere,

& statuere ea, quæ totum populum Christianum respiciunt, dictum est etiam supra quod felicitas humana, quæ maxime consistit in bonis spiritualibus animæ, quorum conseruator, & destributor supremus est ipse Papa, & si alij inferiores, hoc faciant ipsorum potestas talis deriuatur ab eo, & hæc est sententia, B. Tho. in 2.2. quæst. 1. art.vlt. Ipse enim est Princeps Principatu non dependente ab Eccl. sed à Deo immediatè, vt circa primam conclusionem dictum est, & habetur in cap. 9, dist. 21. & in cap. sacrosancta dist. 22. leges autem non habent vigorem, & virtutem coactiuam, nisi ex Principis auctoritate, siue eius, in quo totius communitatis est collocatus, vt est clarissimum apud omnia iura, vt bene testatur Anaclet. ille Sanctus Papa, & martyr in cap. leges, 3. quæst. 6. Leges inquit Eccl. Apost. firmamus auctoritate, & ratione qua in Apostolica Sede totius Ecclesiæ Principatus est collocatus, vt in cap. nolite errare dist. 12. & in cap. Basilicas de con. dist. 1. Hoc idem patet ex pratica sanctorum antiquorum Conciliorum, quorum vestigia, & documenta transgredi indecentissimum esset: & iuxta illud, quod scriptum est, ne transgrediaris terminos antiquos, hoc practicauit ille deuotus, & bonus Christianus Imperator Martianus, scribens Leoni Papæ super celebratione cuiusdam synodalis Concilij, & fatetur nihil habere firmitatem in Concilijs sine auctoritate Rom. Pont. Hoc, & apertè constat ex Concilio Chalcedonensis in sententia data contra Dioscorum cōtumacem: Hoc idem gloriosè profitetur Imperator Iustinianus in cap. de Sum. Trin. & Fide Cath. scribens ad Papam Ioan. potens approbationem fidei suæ, & suorum confirmationem, cui Papa annuit ibidem, & confirmat. &c. & sic consequenter omnes Sancti Patres robur, & confirmationem requisierunt omnium statutorum, quæ conficiebant in Concilijs nullam si secus fecissent posse habere firmitatem rectè, & sanctitatem arbitrantes. Ex Concilijs primitiuæ Ecclesiæ ortum exemplum ritè assumentes. In quibus omnibus præsens fuit Beatus Petrus, tamquam vertex Collegij, & Princeps totius Congregationis, & loquebatur primus diffiniens, & sententiaus omnia, vt actuum 1. & 15. patet de electione Mathiæ, & de cessatione legalium. Vnde cùm grauis quæstio mota esset in Concilio Apostolorum Petrus tamquam Princeps, vt ait glo. & alius, in qua idem in epistola ad Hieron. loquutus est, & rursus quod statuta homini ait à Rom. Pont. sumant firmitatem, hoc patet in epistola Nicolai Papæ in octaua synodo, quam vniuerso Clero Ecclesiæ Constantinæ scribit, & lecta fuit, & recepta cum omni laude suorum instituta confirmari debere per ipsum rectè insinuante, in quo Concilio vnum inter alia scribitur, neminem iusificatum per Sedem Apost. damnatum per Ecclesiam, patet etiam ex illo, quod ex Chalcedonensi Concilio, vtique circa sextam actionem legitur, prout refert Isidorus lib. Conciliorum, quod in omnibus Synodis Apocrisatij, idest Vicarij, siue Legati Apost. Sedis decretas sententias propter summam Sedis eiusdem auctoritatem confirmabant, et subscribebant, quia ante nullum robur habebant, hæc ibi. Idem Nicolaus Papa in Cōcilio Romæ celebrato sic ait, qua propter instructi prædecessorum nostrorum, aliorumq; Sanctorum Patrum auctoritate decernimus, atque statuimus etc. vt in cap. in nomine domini di. 23. Idem constat ex Concilio celebrato etiam Romæ per Alexandrum Tertium, in quo vt habetur in cap. licet de elect. duxit vltra etiam aliquid adiungendum. Hoc idem patet ex Concilio Lateranen. tempore Inno. III. vt in cap. damnamus de Sum. Trin. Idem ex Concilio generali temporè eiusdem Innocen. in cap. licèt de bap. et eius effectu. Idem in cap. in quibus Extra de pœni. et in cap. sacro approbante Concilio, Extra de sentent. excomm. Idem ex cap. vbi periculum de electio. lib. 6. Idem colligitur ex Concilio Vaticanense, vt in cap. 1. extra de Sum. Trin. Et ex Concilio Lugdunensi, vt in eodem. Idem patet per epistolam Adriani Papæ missam Imperatori Basilicę ad octauam Synodum. Ex quibus omnibus rectè colligitur Concilia vniuersalia, immediatam non suscipere à Christo auctoritatem, scilicet à Sum. Pont. et ecce quòd grauiter, errant tenentes, et facientes oppositum tantorum sanctorum gestorum transgressores, mirum profectò esse, quòd tam gloriosi Principes Ecclesiæ Sum. Pont. præsumpserint, vti tali modo loquendi, vt omnia definita, constituta, declarata, et prohibita in Concilijs vniuersalibus suæ ascriberent auctoritati, si ad eorum auctoritatem non pertineret, sed Concilia immediatè à Christo haberent auctoritatem talia faciendi. Et sequitur, quòd auctoritas Conciliorum vniuersalium dependet à Papa immediatè. Et hæc de hac parte Conclusionis nos locutos satis esse sufficiat. Quæ dicta fundamenta etiam multorum infra deducendorum esse possunt.

Sequitur alia pars conclusionis 3. quòd auctoritas Papæ à nullo citra Deum possit restringi; seu ampliari possit.

CVius enim est instituere aliquam potestatem, illius etiam est destituere illam, patet quia ad eumdem artifitem pertinet hæc communiter, et in magnis, et eminentissimis ædificijs, hoc est, manifestum, sed Deus gloriosus, vt supra ostensum est immediatè ipsam potestatem Papalem, et auctoritatem instituit, ergo ipse solus potest illam auferre, minuere, aut ampliare, nec creditur posse de potentia ordinata magis ampliari, quia Deus non est diminutus, nec minui, quia non est superfluus, nam opera Dei perfecta sunt, maximè in his, quæ salutem animarum fidelium concernunt. Secundò patet, quia potestas Papalis est cæteris omnibus superior, vt patet ex præmissis constat, igitur à nullo posse restringi, aut ampliari; antecedens patet; consequentia probatur, quia restringere, aut ampliare potestatem alicuius superioris est, et confirmatur per illum cap. quamuis di. 21. Tertio patet, quia si hoc esset, maximè fieri posset à Concilio vniuersali, sed hoc non vt infra probabitur, igitur consequentia possit à for-

à fortiori, et confirmatur per illud cap. inferior dist. 21.]imò est articulus fidei diffinitus in Concilio Constan. etiam quod potestas Papæ sit suprema in Eccles. Quartò patet, quia in fundamento super quod fundatur Ecclesia, nullus potest tangere augendo, vel minuendo aliter tale fundamentum esset tenue, vel superfluum, sed in Papa fundatur Eccles. et est in ipso tamquàm vero successo, re Petri, ve possit ex præmissis, ergo nec ampliari, nec minus restringi ab aliquo potest citra Deum, quod est conclusio, confirmatur per illum, quod scribit Vigi. pa. dilectissimo suo fratri Elen. et in quo excellentia Rom. Eccl. manifestè insinuatur. Nulli inquie, vel tenuiter scienti, vel pleniter sapienti dubium est, quòd Eccl. Rom. fundamentum sie, et forma Ecclesiarum (Ecce quod apertè concludit) à qua subiungit omnis Ecclesiæ principium sumpsisse, nemo rectè credentium ignorat, et confirmatur istud idem in sententia per cap. omnes, 22. di. vbi dicitur, quòd qui Romanæ Eccl. priuilegio ab ipso summo omnium Ecclesiarum capite conatur, resistere hic procul dubio in hæresim labitur. Et præcipuum omnium priuilegiorum datum à Christo, est ipsa plenitudo potestatis notum est, et sua potissima dignitas. Eadem est sententia Nicolai Papæ, enidam Michaeli Imperatori scribentis, sic Priuilegia Sedis Apost. nullatenùs possunt augeri, nullatenùs minui, nullatenus infringi, nullatenus cômmtari, quoniam fundamentum, quod Deus posuit humanus non potest auferre communicatus, ee quod Dominus statuie firmum, validumque consistit. Illi igitur potissimè peccant, qui Dei ordinationi resistere tentane, nec omittendum esse videmus hic quod Greg. 9. ait contra præsumptionem cuiusdam Michaelis Constantinopol. Quisquis Rom. Eccles. authoritatem, vel priuilegia euacuare, vel diminuere nititur, non hic vnius Eccles. sed totius Christianitatis subuersionem, et interitum machinatur, cuius compassione, vel sustentatione vlterius respirabunt filii à quonis oppresse, vnica illa suffocata matre ad cuius refugium appellabunt, ad quem refugium habebunt: ipsa enim Athanasium, ipsa omnes catholicos suscipie fauet, defendit, et proprijs sedibus pulsos restituie, hæc ille, et multùm egregiè. Probatur etiam, quia ipse esse Vicarius Dei, ergo non nisi à Deo posset eius potestas astringi, vel ampliari, consequentia nota est, et antecedens patet ex superioribus, et per ista patet error illorum, qui in hac parte Sersonem sequuntur opinantem in suis operibus contrarium. Hæc pro ista parte conclusionis dicta sufficiant.

Sed quòd Papa non subijciatur legibus, & statutis Conciliorum &c.

Probatur, nullus princeps subijcitur legibus, quas ipse statuit, sed Papa est supremus princeps. Vnde vis omnium legum (vt supra dictum est) vigorem habet, & firmitatem, ergo ipse non subijcitur legibus, & statutis huiusmodi, maior patet, quia nullus statuit, aut inducit arma contra se, nec istud intendit princeps condendo legem, seù aliquod statutum ad istam conclusionis difficultatem sequendo B.Thom. in 1. 2. quæst. 98. art. 6. dico sub distinctione, quòd secundùm quod lex, seù statutum de sui ratione duo habet primo, sicut quod est regula humanorum actuum, & à diuina, & æterna lege regulata si iusta est, & lex diei debeat. Secundò prout habet vim coactiuam, & sic dupliciter aliquis potest diei subiectus legi. Vno modo, sicut regulatum regulæ, & isto modo omnes illi, qui subduntur potestati subduntur legi, quam fert potestas. Alio modo sic coactiuè cogenti, & hoc modo homines iusti, & virtuosi non subduntur legi, sed solùm mali leges ergo illę uihil possunt, quia non haibene vim coactiuam, vt probatum est superiùs de Papæ potestate, igitur legibus, & statutis quibuscumque per positionem humanitus traditam nou subijcitur Papa, quia nullus propriè de iure naturali colligitur à se ipso, & dico notantur humanitus traditę &c. propter legem Diuinam, quæ est à Deo tradita, quam tenetur obseruare Papa, quia non est maior Christo perfectissimo Deo, & homine, qui liceè foret impeccabilis, non tamen venit soluere legem, sed adimplere, & debet viuere moraliter, ac sapienter, & secundùm quatuor virtutes morales, præsertim illas, quæ Cardinales appellantur, quæ sunt prudentia, iustitia, temperantia, & fortitudo, & dicuntur Cardinales, quia circa Cardines sic voluitur moralis, & fulget cum quadam exquisita vetustate quæcumque dignitas, aut potestas, habens eas habet potissimos virtutum habitus inclinantes ad actus omnium aliorum virtutum moralium, & istæ virtutes à theologicis, & omnes leges humanæ ab istis omnibus deriuantur, & ex illis si rectę fuerint nutriuntur, sed de istis aliàs dicemus. Nec propter transgresiones ipsarum, sicut nec leges diuinæ, nisi propter hæresim propriè sumptam potest ab aliquo citra Deum iudicari, pro grauissimis tamen peccatis, & Ecclesiam totam scandalizantibus potest, vt dictum est supra, charitatiuè hortari, sic igitur Princeps supremus dicitur solutus à lege, quia nullus in ipsum potest iudicium condemnatorium ferre, si contra legem agat, sicut ipse per iurisdictionem coactiuam in quoscumque Principes terræ legitima exigente culpa exercere deponendo ipsos &c. vt superiùs deductum extitit, tamen de bene esse, seu quantum ad veram directionem, & vt exemplo suo personæ simplices in debitum humanæ vitæ faciliùs deducantur, & leges, & statuta sancta obseruent, debet ea obseruare, & ius in cap. cum omnes extra de constitut. quòd quisque ius, quod inalium statuit, ipse eo vti debet, & dictum sapienteis est patere legem, quàm tu ipse tuleris, est enim super omnia statuta, & iura positiua, & notum est, quòd vis coactiua, & actiua legis transit in inferiorem tanquam in subditum, & passiuum, & non in superiorem agentem. Et sicut in naturalibus ignis agit in aquam, & non potest propriè agere in se ipsum, ipse nomen Papa est agens supremus in terris omnium iurium positiuorum informando illa per formam, sicut vim obligatoriam, quæ à lege æterna primordialiter regulatur, & oritur.

Ipse

Ipse enim Papa multis viris sapientissimis est semper fulcitus, & circumdatus scientiæ, & sapientiæ pro totius orbis, & christianæ religionis regimine, & guberno plenitudinem habentibus, vndè ipse Papa habet omnia iura in scrinio pectoris sui, distribuit illa, sicut placet ei, & dispensat, restringit, ampliat, confirmat, soluit, dissoluit, ligat, capit, relaxat, claudit cœlum, & aperit in virtute clauium, ipse enim clauiger est ostij cœlorum(quòd est Christus)ipse est ostiarius, & qui per ipsum renuit intrare fur est, & latro alimoniæ spiritualis, cibique animarum nostrarum ipse Pastor pascit, & non pascit, quoniam, & vbi vult esurientes replet bonis, & diuites dimittit inanes, & potentes de sedibus suis humiliat, & exaltat, pauperem facit, & ditat, nam totius pretij, & thesauri cœlestis ipse thesaurarius, & distributor, & dispensator opulentissimus gladius, quem Petrus prædecessor ipsius reddidit in vaginam, suus est, & potest eum euaginare bellum incitando contra infideles rebelles, quoque, & resistentes eidem nullum habens in potentia fortitudinis parem in terris, nec equalem, omnia subiecisti Christe sub pedibus eius, & Principem mundi faciendo ipsum omnium terrenorum potestatuum, regumque, & principum regem, & supremum constituisti Imperatorem nullis aliorum legibus subditum, sed omnium legum, & iurium superiorem, & conditorem instituisti omnia vniuersaliter iudicans à nemine ipsum vicarium tuum in terris iudicari permittis omnia iura positiua in scriuio pectoris, & animi sui recondens, & quod fortius est Papalem ipsam supremam potestatem malis etiam Pont. vt supra probatum extitit, æqualiter conferri disposuisti, siuè permisisti, quam etiam venerari, timeri, & honorari huiusmodi potestatem, & officij gratià dignum fore superiùs insinuatum est, nisi tales hæretica prauitate infectos liquidò cognouerimus. Et hæc de ista conclusione dicta sufficiant.

Circa primum Corrolarium huius tertiæ Conclusionis, quòd Concilium vniuersalis Ecclesiæ non habet immediatam auctoritatem à Christo, seù potestatem sine Papa.

ARguitur primò auctoritate illa Deutero. 17. si difficile, & ambiguum apud te est iudicium &c. surgesque ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, veniensq; ad sacerdotes, leuitici generis, facies quæcumque dixerint tibi, nec declinabis à dextris, neque à sinistris. Vbi glos. hoc quoque in Eccl. seruandum est, ergo sequitur, quòd generale Concilium in loco, quem elegerit Dominus audiendum est in sententia sua, nec declinandum à dextris, neque à sinistris.

Secundo Christus dixit omnibus Apost. Matth. 18. Quæcumque ligaueritis in plurali, sed Episcopi, & Prælati habent locum Apost. igitur ipsi possunt Concilium celebrare immediatè à Christo potestatem accipientes.

Tertiò, per illud eiusdem, cap. vbi fuerint duo, vel tres in nomine meo congregati ibi sum ego in medio eorum, ergò videtur, quòd à præsentia Christi Concilium capiat immediatè potestatem, & non à Papa.

Quartò, ex illo Io. 20. accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis &c. ergo Concilium sine Papa &c.

Quintò arguitur ex Concilijs vniuersalibus, primò ex octaua Synodo, in qua Potiores Concilij congregati in damnationem Forij ita dixisse leguntur.

Sextò, hoc videtur etiam contineri in quodam decreto Concilij Constantien.

Septimò, Papa mortuo, vel capto à barbaris, aut similiter, Ecclesia habet auctoritatem à Christo immediatè, igitur patet consequentia. Nam aliter non sufficienter prouidisset Ecclesiæ suæ Christus, ergo &c. Et ideò aliqui tenent istud fide tenendum esse, & subijciunt potestatem Papalem ipsi Concilio.

Sed in oppositum arguitur, corpus sine capite aliquid agere non potest naturaliter, igitur Concilium, quod est corpus nihil potest facere sine capite, quod est Papa, nihil inquam vitale, idest habens aliquem valorem, seù efficaciam, & consequentia patet à simili, & confirmatur per Isidorum, & per communem medicorum sententiam, quam omnes nerui, & corporis sensus indè initium capiunt, atque ex eo omnis viuendi causa oritur, & vltra benè sequitur, ergo esse contra rationem naturalem, ergo potiùs contra fidem, quàm ex fide, quæ contra ius naturale dependens ex diuino non est, licèt bene super naturam tamen non contra.

Secundò arguitur sic, talis assertio repugnat Euangelio, igitur nullo modo est admittenda, consequentia nota est, antecedens est ipsius Christi dicentis Io. vlt. Simon. Io. Pasce oues meas, dixit hoc Petro singulariter, & Chrysost. super hunc locum Petrus super omnes, qui filij sunt accepit potestatem, ergò à Papa Concilium immediatè recipit potestatem. Tertiò arguitur per illud Io. 10. Erit vnum ouile, & vnus Pastor, confirmatur, quia tunc Concilium esset alius Pastor, ergò non vnus, hoc est repugnans dictis Christi, ergò malè dicitur. Quartò, istud repugnat vni articulorum fidei, igitur, consequentia nota est, antecedens probatur, quia credimus vnam Sanctam Catholicam Ecclesiam. Et confirmatur, quia ista vnitas resultat ex vna suprema potestate Papali, vt supra etiam declaratum est, & deducitur pulchrè ex B.Thom. in 4. dist. 24. & habetur ex glos. Matth. 16. & eadem est sententia Cypriani ad quinque Presbyteros scribens, Deus vnus est Christus, vna Ecclesia, vna & Cathedra, vna supra Petrum Domini voce fundata, aliud altare construi, aut Sacerdotium nouum fieri præter vnum altare, & vnum sacerdotium non potest, quis alibi collegerit, spargit adulterium est, impium est, sacrilegium est, quicquid humano furore constituitur, vt dispositio diuina violetur. Quintò, istud repugnat dispositioni diuinæ, igitur consequentia patet, antecedẽs per Philosoph. 3. politicorũ, & 9. Ethi. quòd suprema potestas eius non est in multitudine, sed in vno totius multitudinis Principe, siuè capite locata sic confirmatur, quoniam diuina prudentia hunc hierarchicum ordinem sic disposuit, & constituit

stituit potissimè inter electorum suorum vnum ouile, & vnum Pastorem, sed quòd in Ecclesia sua sit tale regimen monarchicum optimè probat B.Thom. contra gen. cap. 76. & benè attestatur Iulius Papa in cap. nolite errare dist. 11. Sextò, hæc assertio derogat honori, & priuilegijs Eccl. Apost. igitur, consequentia patet, antecedens probatur ex dist. 17. per tot. & ex cap. consuluimus 25. qu. 1. & ex cap. significasti de elect. & ex multis alijs locis. Septimò, ista assertio subtrahit obedientiam debitam Rom. Pont. ex iure diuino, igitur mala assertio, & falsa, consequentia patet, antecedens probatur per cap. qui sunt dist. 81. Vbi inquit beatus Gregorius peccatum paganitatis incurrit, quisquis dum christianum se asserit Sedi Apost. obedire contemnit, & vide quod multùm nota in extrauaganti Bonifacij vnam Sanctam Ecclesiam Sedes Apostolica diffiniuit de necessitate esse salutis omnem hominem subesse Rom. Pont. qui autem se dimiserunt ab hac obedientia, si qui illi sint, in quo statu sint iudicent ipsi ex his. Octauò, ista assertio manifestè repugnat definitioni Sedis Apost. & sanctorum Doctorum sententiæ, igitur mala, consequentia patet ex terminis, antecedens verò probatur ex cap. sicut sinistri Extra de election. vbi Paschalis Papa dicit omnia vniuersalia Concilia per Ecclesiæ Romanæ auctoritatem, & facta esse, & accepisse robur dicit etiam beatus Thomas in lib. contra impugnan. Resurr. Christi, quòd sine auctoritate Rom. Pont. ss. & eadem interueniente Concilium congregari non potest. Conclusio, hæc assertio ab Ecclesia tollit hierarchicum ordinem, ergo mala, consequentia patet, antecedens notum est supra immediatè, & confirmatur per Dion. lib. de Ecclesiastica Hierarchia, qualiter ista est ad instar cœlestis, & triumphantis Ecclesiæ, vbi omnes actus dependent ab vno Principe, sicut Deo &c. Ex quibus manifestè patet non ad virtutem fidei pertinere, vt aliqui errantes defecerunt, & arbitrari sunt Concilium vniuersale potestatem, seu auctoritatem immediatè suscipere à Christo, etiam absque assistentia Romani Pontificis, & assensu, quod est contra veritatem.

Et ad responsiones ante oppositum ad primam negatur consequentia, & ad auctoritatem dicitur, quòd non est ad propositum, quia non loquitur de Concilio generali, quia tunc non erant in vsu, sed potiùs facit pro nobis, vt in arduis occurratur ad Collegium Card. & ad Sum. Pont. & glos. hoc iudicat, & hæc solutio ritè, & benè corroboratur ex dictis Innocen. in cap. per venerabilem extra qui filij sint leg.

Ad 2. dicitur simpliciter negando consequentiam, nec illa auctoritas facit ad propositum. Tum primò, quia Christus locutus est Petro non Collegio congregato, sed singulariter. Tum secundò, quia ibi erat Petrus cui dicit in cœlis, & non in cœlo, ad denotandum excellentiam Petri super ipsas. Tum etiam, quia hoc non fuit absente Petro. Tum etiam, quia ipsi primò, & singulariùs dixit. Tibi dabo claues regni cœlorum, tum etiam dicitur, quòd data fuit potestas eis ordinis, & non plenaria iurisdict. sicut Petro, quem singulariter, & Pastorem, & Principem eorum constituit, & in exercitio potestatis iurisdict. virtute clauium indigebant, quas solummodò Petro, & non Collegio, seu Concilio contulisse legimus, & si bene respiciatur dicta auctoritas, vt constat, plus pugnat contra aduersarios, & magis pro nobis est militans, præterea soli Petro dixit Christus, propterea pro te oraui Petre, vt ne deficiat fides tua: tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos. Hanc orationem non adscribit Concilio, nec minùs confirmationem aliorum, vt pleniùs in responsione tituli quæstionis dicemus.

Ad tertium dicitur, quòd ex illa auctoritate, & ex ratione non potest argui, quòd ideò conferatur, talis potestas iurisdict. quia tunc in qualibet congregatione mulierum, siue virorum daretur ista potestas, quod afferre esset absurdum, & incidere in errorem Waldensium, qui omnes sanctos homines claues Ecclesiæ habere præsumpserunt.

Ad quartum dicimus, sicut ad secundum. Ad quintum negatur consequentia, quia ex verbis illius Synodi non potest haberi, quòd illam potestatem immediatè habuerunt à Christo, alioquin cùm omnis potestas sit à Deo secundùm Apostol. omnis talis esset immediatè, quod non est verum; & sic committitur fallacia figuræ dict.

Ad sextum negatur consequentia, vt declarabitur in sexta conclusione.

Ad septimum verò, quæ maxima aliquibus esse videtur, negatur assumptum, imò meliùs prouidetur sic Ecclesiæ, nam valdè laboriosum, & graue esset, si in similibus semper conuocari oporteret generale Concilium, & ideò Sancti Patres meritò prouiderunt, vt notatur in cap. vbi periculum. Idem quoque lib. 6. vt ciriùs concurrant Card. ad electionem, & creationem Rom. Pont. In quorum Collegio, vt in radice persistit, talis potestas, nec habet illam plenissimam potestatem nisi secundùm quid, de quo aliquid supradiximus, & in quolibet magis dicemus. Et hæc de primo Correlario tertiæ conclusionis dicta sufficiant. Secundum verò Corrolarium satis, superque, satis ex præmissis corruit, & constat esse verum, & magis infrà dicetur, &c. Et vltrà, quia Christus specialiter, singulariterque locutus fuit vtens isto sermone singulari, & indiuiduali Christus pasce. Tibi dabo, & ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram, & ter examinauit ipsum Petrum Io. 21. quando sibi Ecclesiam commisit dicens trina interrogatione facta, pasce oues meas, quod non fecit Collegio, neque Ecclesiæ. Et rursùs Petre pro te oraui, ne deficiat fides tua; & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. Vnde ex his verbis, quæ in Euangelio passim, & expressè comperiuntur ex hac immediata locutione, quàm nusquam Ecclesiæ, nec cuiquam collegio legimus fecisse. Et vniuersaliter dicendum est, nihil posse Collegium Card. Papa mortuo, nisi quod est eis per statutum eisdem prædecessorum commissum, & Io. 14. Christus dicit Apostolis sine me nihil potestis facere, constat ipsi Petro. & per consequens cuilibet vero successori suo potestatem eidem, & non Concilio Christum contulisse satis manife-

stat,

ſtat, nam vt conſtat ex vi ſermonis non important, niſi ſingularem, & immediatam vni indiuiduo ſcilicet Petro poteſtatis ampliſſime collationem, & quæcunque conditiones indiuiduales, & effectus collationis huiuſmodi continuationem perſcrutaris, non aliud rectè ſi iudices lector quicumque fueris ſapiens comperies, quòd Petro, & non Concilio hanc immediationem Chriſtum operatum eſſe. Et voluit immediatè ipſa diuina prouidentia ipſum Petrum & primum, & ſupremum eſſe Vicarium ſuum in terris, & non ſic Collegium, aut vniuerſale Concilium, quare friuola eſt aliquorum, & aduerſariorum opinio, eorum præſertim ipſum Vicarium Chriſti & Sum. Pont. alteri in terris ſubiectum fore exiſtimarunt, à quo poſſet etiam citrà hæreſim propriè ſumptam iudicari, & malè.

Sequitur quarta Concluſio.

HÆc concluſio licèt emanet ex prædictis, & auctoritatibus Chriſti immediatè deductis, quibus firmiſſimam fidem adhibere neceſſe eſt, & fuerit iam circa vnitatem Eccleſiæ vnius principis, qui eſt Papa ſupremam poteſtatem in Eccleſia ipſa habere, eſſeque fundamentum, ſuper quod Eccleſiæ vniuerſalis ædificium erectum eſt credamus, atque ideò vnam ſanctam catholicam, & Apoſtolicam &c. fideſque ipſa hanc edocuerunt ſententiam, & vt ex ſuperioribus manifeſtè conſtat illam ſupremam Papalem poteſtatem à nullo poſſe citra Deum reſtringi, aut ampliari, nullumque habere ſuperiorem, niſi ipſum, nihilominus, vt luce clarius iſtud etiam, atque etiam dignoſcatur hanc noſtram poſitionem ſic extollere nitimur, vt dicamus iuxta ſanctorum Patrum traditiones hanc Papalem veri, & indubitati Papæ poteſtatem omnem creatam poſt Chriſti poteſtatem aliquo modo ſuperare, & per conſequentias illas Concilij vniuerſalis, quæ creata, & manifeſtè dignoſcitur extendens ſe ad cœleſtia, terreſtria, & infernalia, vt de ipſo Papa poſſit illud Pſal. 8. de Chriſto dictum. Omnia ſubieciſti ſub pedibus eius, oues, & boues vniuerſa inſuper, & pecora campi: volucres cœli, & piſces maris, & abs te, quia ipſe vices Chriſti gerit, & eſt eius Vicarius. quoad cœleſtia volucres, quoad infernalia dicit piſces maris per volucres cœli deſignat Angelos bonos, & malos, habetur in Euangelio, & quomodo Papa clauiger cœleſtis Conſiſtorij claudit cœlum affectum malorum angelorum, & malignorum ſpirituum complet in hoc quomodo aperit, ſeu inducit aliquos ad pœnitentiam gaudent ſuperiores, & cœleſtes ſpiritus, quia ſcriptum eſt in Euangelio; gaudium eſt Angelis ſuper vno peccatore pœnitentiam agente &c. & quia de hac ſuprema poteſtate multa diximus in ſuperioribus, reliqua circa hanc proportionem in penultimo Corrolario dicturi ſimus ad vltimam partem iſtius quartæ Concluſionis tranſeundo, illam contradictionis aſſertionem comprobamus ſic. Omnis illa propoſitio, quæ infert vnam copulatiuam de partibus ſibi inuicem contradicentibus eſt impoſſibilis, ſed dicere Papam habere plenitudinem iuriſdictionis etiam coactiuam ſicut Chriſtus, & illam non poſſe ad ſui libitum exercere eſt inducere vnam copulatiuam de partibus ſibi inuicem contradicen. ergo talis propoſitio eſt impoſſibilis, cõſequentia patet, quia in tertio primæ maior eſt, philoſophi in lib. priorum, nec in bona, & vera logica dari poteſt inſtantia, minor verò probatur aliquem habere plenum poſſe ambulandi eſt verum, & idem non poſſe ambulare eſt verum, eſt propoſitio copulatiua, quia conſtat ex duabus cathegoricis coniunctis per iſtam copulam, &; & tamen impoſſibile eſt eſſe ſicut per ipſam ſignificatur eſſe, quia dixit idem verum eſſe, & non verum reſpectu eiuſdem, & in eodem tempore, ergo omninò à ſimili arguendo eodem, & pari modo arguendo Papam habere plenum poſſe, ſeu iuriſdictionem coactiuam, & Papam non poteſt illam exercere, ſicut dicere Papam habere plenum poſſe iudicandi eſt verum, & Papam non habere plenum poſſe iudicandi eſt verum, & confirmatur, quia habere plenum poſſe, ergo habere poſſe bene ſequitur, quia arguitur ab inferiore ad ſuperius affirmatiue, non poteſt iſta calumniari conſequentia, quia termini tenentur æquè amplè, æquè reſtrictè, & ſunt eodem modo ſupponentes, quare talis aſſertio ſi eſſet vera primum principium deſtrueretur, nec Deus ipſe poteſt facere, quod implicat contradictionem propter imperfectionem rei, quæ non eſt factibilis, & non ſui, ſed quòd Chriſtus ipſe habuerit poteſtatem coactiuam, & talem iuriſdictionem patet, quia omnipotens, quia perfectus Deus, & perfectus homo, & potuiſſet adduxiſſe multas legiones Angelorum ad plenè exequendum illam, & in Prælatos, & in alios, & oblatus eſt, quia ipſe voluit, circa quod diximus multa in ſuperioribus, ac in declaratione primæ Concluſionis, & qualiter noluerit ipſam exequi ibi notabis. Habet igitur Papa pleniſſimam poteſtatem iuriſdictionis etiam coactiuam, & ipſam loco, & tempore, in quo ſuumque poteſt ad libitum exercere, & ad nutum quando, & vbi videtur ſibi faciendum, & in quibuſuis placuerit ſibi. Et hæc dicta ſufficiant pro tota iſta quarta Concluſione.

Sequitur primum Corrolarium huius quartæ Concluſionis.

PRo quo ſciendum eſt, quod per neceſſitatem in propoſito intelligimus, & pro nunc illam quæ lege carere quodammodo videtur, ſcilicèt in caſu, quo aliter honor ſublimis Sedis Apoſtolicæ, & principalis poteſtatis præeminentia conſeruari non poſſet, & nedum Eccleſia ipſa vniuerſalis, ſed fides pateretur detrimentum, aut grandem alterationem, & Apoſtolica Sedes ruinam, aut quando ſecus ſtatus ſupremi Pontificis decenter ſtare, & viuere non poſſet propter quod non reuerentur illum, ſed potiùs ſuam auctoritatem opinio vulgi, & ſimplicium contemneret alios reges, & potenter opulentiùs, & in familia longè opulentiùs viuere, propter quod debita fidelium obedientia in ſimplicibus maximè attenuaretur, vel ſchiſma aliquod damnoſum quod & grauiſſimum omnium peccatorum exiſtit, & periculoſum nimis noceretur, aut

Papa captinaretur, & multùm à magnatibus eidem subditis deprimeretur, aut ad eorumdem notoriam rebellionem, & resistentiam illicitam, & iniustam aliter resistere non posset etiam auferentes bona Ecclesiæ directè pertinenti impedire non posset, nec minùs paganorum, & infidelium aduersitatem contra Ecclesiam, & fideles Christi auferre non valeret in similibus, vt sibi prouideat, etiam accipiendo pro officiorum, & beneficiorum collationibus aliquam pecuniæ alimoniam, & maximè non taxatam, sed incertam à multis, & dictis necessitatibus dumtaxat occurrentibus, vel aliqua illarum non videtur indignum, sed magis pium esse putamus, & vt sic non intendit B. Thomas, quòd Papa committat simoniam, vel sumit valdè strictè, prout comprehendit venditionem rei merè spiritualis, vt gratiæ, & sacramentorum, quæ dependent ex expressa prohibitione iuris Diuini, siue Diuinæ legis, de qua ego in proposito non loquor, sed solùm intendo conclusionem meam esse veram de simonia iuridica, et quæ à iure positiuo dependet, seu cauetur ex eo, et solùm dictis causis occurrentibus, quia idem iuuaretur à seipso, vel per seipsum, sicut bonum est vendere calices pro erectione templi, vel altaris, vt missa ibi celebrari possit, et sacrificium in salutem viuorum, et defunctorum, propter quod nihil acceptius Deo esse potest, nec chariùs ipso sacrificio altaris, vel missa; propter quod etiam viuentes ipsa beneficia construunt, et fundant Capellas, et Ecclesias, ac alia loca pia Sedis Apostolicæ gloriam, et conseruationem, et augmentum explicitè, vel implicitè intendentes, cùm sic omnium aliarum prima, siue caput, defensionemque, et manutentionem præcipuè cupientes, et nullis temporibus deprimendam sentiunt. Et idem de officialibus dictæ Sedis Apostolicæ opinandum est. Ex quibus duo inferuntur. Primum istud non esse simpliciter contra voluntatem instituentium, patet, quia de necessitate salutis tenentur nolle ruinam, vel detrimentum Apostolicæ Sedis, seu Ecclesiæ, vel fidei ergo, volunt istorum augumentum, & honorem, patet consequentia per locum à contrarijs. Vnde benè sequitur, nolo mortem pati quem amo, siue colo; ergo volo vitam: sed de his magis alibi dicemus Deo dante. Vnde Papa nulli facit præiudicium, & præsertim illis, qui ex suis sic instituentes pro Ecclesiæ vniuersalis incremento, cuius caput est Papa interpretatiuè saltem hoc faciunt, & tradunt, quæ sua sunt Ecclesiæ, cuiùs membra existunt, & corporis mystici, cuius caput est verus, & indubitatus Papa. Secundum contra naturam esse videmus membrum caput non iuuare, & conseruare, quinimò sensus aliqua desuper in præmeditata, & celeri peripicutes ruinam, aut alicuius lapidis casum quodam instinctu naturæ etiam non considerante spiritu pro clypeo manum super caput subito apponimus, vt sensualitas, absque intellectu, sicut primum, & principale membrum custodire studet. Ista enim naturalia esse censentur, & ideo sunt immutabilia, & non alteranda 5. distin. per totam, & infra de iur. natur. §. sed naturalia, quod & serpentes faciunt, intercludunt, & retrudunt caput intra caudam, & totum corpus, vt incussum ipsum præcipuè, & præsertim custodire possint. Christus dixit Apost. estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ, ac si diceret cum omni humilitate, & patientia pro defensione, & honore capitis, quod est Christus, corpus ad omne supplicium, & flagella exponite cum subiungit, tradent enim vos in Concilijs, & flagellabunt vos. Ex quo sequitur, quòd si corpus nostrum, pro defensione Sedis Apostolicæ, & capitis, quod est Papa exponere debemus, à fortiori bona, ipsa temporalia, quæ pro capellis, & beneficijs elargimur, pro viuo capite, & Papa, & Ecclesiæ vniuersali, ac fide, causis præfatis eminentibus, gratijs exponi velimus, dignum est, & si dicatur contra non est faciendum malum, vt inde bona sequantur. Respondendo negatur præsuppositum, imò ex bono, & in eadem specie boni maius idem bonum fit, & sequitur ideò fore meliùs, & talis applicatio per ipsum Rom. Pont. facta est boni ad bonum, & liciti ad magis licitum, honestumque, & necessarium; sed hæc applicatio in capite solùm, & non in membris inferioribus est promissum, idest si Papa istud sic facere potest, hoc inferiores Prælati nequeunt absque simoniæ labe exercere, quia Papa est Dominus absolutus, & dispensator vniuersalis omnium bonorum Ecclesiæ, alij verò sunt speciales, & particulares dispensatores, & ministri ipsius, & neque possidere talia possunt, nisi haberent potestatem ab ipso Papa deriuatam, aut hoc vellet expressè, vel subintellectè: nec Papa dispensaret cum eis, vt possint committere licitè simoniam. Sed dices contra; simoniaca hæresis cæteris est damnabilior, igitur à Papa est vitanda, consequentia videtur nota; antecedens probatur 1. quæstione 1. Secundò simonia à Petro primò fuit damnata, ergo à Papa debet potiùs etiam damnari, quàm committi, consequentia patet, antecedens patet per illud actuum 8. pecunia tua, ait Petrus, tecum sit in perditionem.

Tertiò damnati à Deo sunt, qui emunt, & vendunt spiritualia, iuxta illud, quod continetur 1. quæst. 3.

Quartò Christus eiecit ementes, & vendentes de templo ad denotandum istam labem fore ab Ecclesia eijciendam, ergo & Vicarius Christi Papa istud facere debet.

Quintò cœpit Iesus facere, & docere, ergo si ipse faciat, qui gerit vices eius, cæteri Prælati facere possunt, patet consequentia, quia facta sua imitari debent, qui gerunt vices Apostolorum, & sicut Apostoli Christum præ alios imitabantur, cùm omnis vitæ Christi actio, nostra sit instructio, & quod agitur à Prælatis facilè traditur à subditis in exemplum, & August. de Anc. in sua summa de potestate Papæ, & multorum Doctorum cum eo, qui tenent hanc opinionem, quòd Papa non potest committere simoniam, eo, quia ipse legibus noscitur esse absolutus saltem positiuis, ergo ab ipsis ligari non potest, & ideo simonia, quæ deriuatur ab illis, & non à lege Diuina, seu naturali, non cadit in Papa, qui est super illas, & vt superiùs dictum est, nam princeps est solutus à suis legibus, & statutis, vt l. Princeps ff. de leg. nam Princeps ex propria lege non ligatur, ergo à fortiori, nec Papa à simonia huiusmodi alligari

non potest, et quod fortiùs est, receptio pecuniarum pro huiusmodi collationibus beneficiorum etc. In ipso nullam difformitatem, si fiat ex causis præmissis, importare videtur, imò est actus licitus in eo, in alijs verò semper malus, peruersus et iniquus. Vndè si Episcopus statueret, quòd ludens ad taxillos solueret decem talenta, certum est, quòd ille non ligaretur tali statuto, vt benè notat Io. And. in cap. cui licet, de re iudicata lib. 6. quòd Papæ placet legis vigorem haber, puto autem motiuum eorum, et fundamentum fuisse, quia benefica, et Apostolicæ curiæ officia non simpliciter merè spiritualia esse videntur, quia officia huiusmodi ex merè laicis, et sęcularibus exerceri quandoque videmus, et beneficia fundantur ab ipsis merè sæcularibus iuspatronatum retinentibus, cui propterea Papa non vult communiter, nec intendit derogare, nisi secundùm partem, et quę in bullis, et literis Apostolicis dicitur pro medietate dispensatum, et vidimus sæpè istud in curia practicatum, et similiter dantur ab ipsis fundatoribus beneficiorum pro substentatione vitæ bona temporalia, nam aliter deseruire non possunt, et dignus est mercenarius mercede sua, et non propterea vt sacrificetur ibi, seu propter sacramentum simpliciter sumptum, vel si sic est partim pro vno, et partim pro alio, scilicet vt sacrificetur ibi, et celebretur, et partim pro victu tunc habetur etiam propositum, quia non est merè spirituale, sic ille, qui tradit vnum Iulium vni pauperi Sacerdoti, vt celebret vnam missam pro eo, dat sibi pro actu celebrationis victum illius diei, non tamen ideò intendit emere Christum in illa missa Deo Patri oblatum, quia tunc esset talis collatio simoniaca, et magnum peccatum, similiter de ædificantibus, et fundantibus beneficia Ecclesiastica dicendum esset: sed dices, ergo si patroni ipsa beneficia etiam vendere possunt negatur consequentia, quia quod semel Ecclesiæ dedicatum est in alios vsus transferri non potest, verùm si patroni sint constituti quandoque in paupertate, et inopia dignum est, vt beneficiati prouiderent eis secundùm quod possunt, et valent, et vltra lege cauetur, vt non vendatur beneficium, quæ Papam non ligat, et qui est Dominus absolutus temporalium, et spiritualium, et vniuersaliter est dicendum ad argumenta, quę possent fieri de alijs Prælaris Ecclesiasticis, qui omnes sunt Papæ subditi, et inferiores, et legibus subijci possunt. Secundo modo capitur spirituale simpliciter, seu prout est merum spirituale, vt est gratia Diuina, quæ à solo Deo confertur iuxta illud; gratiam, et gloriam dabit Dominus; res sacramenti, sacramentum in se formaliter sumptum, et Spiritus sanctus, et huiusmodi, quæ gratijs conferuntur à Deo, et gratijs à creatura conferri debent, nam si Dominus est largus, seruus non debet esse tenax; et istud vendi, seu trafficari non solùm Diuinæ legi repugnat, sed etiam ipsi naturæ rei, cùm entis spiritualis ad corporale infinita sit distantia, et rei spiritualis ad corporalem nulla videatur esse retributio congrua, sit insuper Papa creatura rationalis, et diuinæ legi, et ipso Deo, cuius vices pariter in terris subiectus hac labe simoniaca, Papa, si talia venderet, aut vellet vendere condemnaretur, et grauiter peccatet, sicut et quicumque alius, quia nec diuinarum gratiarum est ipse conditor, nec sacramentorum institutor, licèt benè dispensator, et vniuersalis minister sit, istud tamen non aufert eidem legis diuinæ obligationem, et secundùm Innoc. in c. quotiens de simonia, quòd quando dicitur hæresis simonia, capitur isto secundo modo, et non aliter, nisi largè; seu largissimè capiendo hæresim, nec pro tali crimine potest deponi, scilicet pro simonia secundo modo sumpta, prout inferiùs suo loco latiùs deducetur. Si autem in aliquo enormissimo, et notorio crimine totam Ecclesiam scandalizante esset pertinax, et obstinatus, et penitùs post debitas monitiones, vt dictum est suprà, et simpliciter incorrigibilis comperiretur secùs esset, quia in tali casu non aliter, quàm propter hæresim propriè sumptam, quam ex eo incurrisset, posset secundùm aliquos iudicari, quibus in hac parte (salua eorum reuerentia) nequaquam assentio, quia talem casum formalem hæresim in se nunquam probabunt, et eo modo præsertim, quo loquor de hæresi in proposito, et puto sic intelligi ille textus valdè notabilis, et communis scilicet si Papa 40. dist. et sic etiam intelligunt Doctores Sancti, et potiores expositores eiusdem, et hoc pronenit fortassè in illis ex ignorantia moralis, et theologalis scientię, quia non rectè distingunnt inter vitium, et vitium, et lepram, et lepram; quia inter hæc est distinctio, et specifica, et sicut maximus error esset asserere gulam formaliter fieri posse inuidiam, vel auaritiam homicidium, sic in proposito peccatum quodcumque contra mores bonos, et non directè contra fidem, sicut talis incorrigibilitas, posse in se, et formaliter fieri hæresim, vel in granitate æquari illi est impossibile. Et ideò inquisitio iuridica non sic procedit contra incorrigibiles in quibusuis alijs criminibus, sicut facit aduersùs hæreticos, quos tradit curię sæculari igne, et citò comburendos: (et iterum pace illorum loquar) quia cum magno verborum strepitu, et processu prolixo multa folia, et chartas occupantes, nituntur probare, quod nec probabile esse videtur, quòd duo formaliter specie distincta, propria, et formali ratione in altero permanente, vnum fieri aliud, vel vt asinum posse fieri capram etiam per diuinam potentiam. Vnde isti tales volunt plus sapere, quàm Deus de potentia ordinaria potest facere, sed de his latiùs infrà dicetur. Itaque simonia secundo modo sumpta licitè potest committi à Papa, et vt præfertur.

Pro quo sciendum est, quòd hæresim capimus in proposito quadrupliciter, scilicet largissimè, largè; propriè, et propriissimè, siue strictissime, prout vario modo loquuntur Doctores de ea, quia errare facit à lege, vel præuaricatur aliquis eam per aliquem actum venientem contra præcepta decalogi, vel Ecclesiæ, per quem auertitur homo à Deo bono infinito, et conuertitur ad bonum finitum sic incurrit heresim quicumque peccans mortaliter, nam si cum ea decederet damnaretur æternaliter, et sic quodlibet peccatum mortale dicitur hæresis primo modo. Secundo modo dicitur hæresis omnis iniuria, vel violentia facta rei sacræ, vel spirituali, aut alicui

sacra-

ſacramento, et ſic capit Auguſt. 23. quæſt. 4. quando dicit fortè in populo Dei ſtat iuxtà te auarus, vel raptor, quem noſti talem, et infidelis eſt à fide ſacramentorum deuius, non tamen potes eum de Eccleſia pellere pro hæreſi. Tertio modo capit idem Auguſt. 24. quæſt. 3. in cap. quando dicit enim, hæreſis, ſiue hæreticus eſt, qui alicuius temporalis, et maximæ gloriæ Principatus ſui gratia falſas, ac nouas opiniones, vel gignit, vel ſequitur, non tamen in contemptum fidei, vel ſacramentorum, pro quo notat cap. cùm omnes 1. quæſt. 1. Quarto modo hæreſis eſt quodlibet peruerſum dogma contrarium directè fidei, quod quis pertinaciter nutrire, vel defendere in Eccl. nititur, et vult eam, et ſic capit eam B. Thom. in 2. 2. quæſt. 11. art. 2. et propter iſtam ſolùm poteſt Papa iudicari, vt 79. diſt. cap. ſi quis, et qui non recipit pertinaciter ſancta quatuor Concilia, vel aliquem de articulis fidei in ſymbolo expreſſum, vt eſt bonus text. in l. fin. C. de Sum. Trinit.

Et rationes ante oppoſitum. Primæ quatuor procedunt de hæreſi ſecundo modo, ſumpta, & non de alijs, & quoniam Papa eſt dominus abſolutus &c. Ad quintam dicitur, quòd licèt Chriſtus non fecerit, Hoc prouenire potuit ex duobus. Primò quia non aderat materia. Et nondum nec talia officia, nec beneficia erant inſtituta, cum ſecundò quia non indiguit, nec tales caſus ocurrerunt quoniam non dum erat auctus numerus fidelium ſufficienter, nec ita quoad dignitates, Eccleſiaſticaque bona, ita non erat Eccleſia Apoſtolica exaltata, propter quod nec Petrum hoc feciſſe legimus, cum etiam tertiò quia ſacerdotes templi non credebant in eum, imò congregati ſunt Principes ſacerdotum, & ſeniores templi contra ipſum, quem ſecundùm Apoſtolum, ſi cognouiſſent eum eſſe Deum, non crucifixiſſent eum, & auctoritas adducta in oppoſitum, intelligitur circa ea, quæ concernebant obſeruantiam Diuinæ legis, & præceptorum ipſius. Orabat Chriſtus, vt ipſis daret exemplum orandi. Vnde documentum ſumimus, et ad reprimendum carnis deſideria, & eiuſdem quotidianum ſtimulum debeamus orare, & vigilare, & ad hoc hortatur nos Eccleſia in completorio dicens, fratres ſobrij eſtote, & vigilate in orationibus, & ideo inſtante hora paſſionis dixit, vigilate, & orate &c. Vnde multa Chriſti, licet potiùs admirari, quàm imitari, ſicut condere legem, & ſacramenta inſtituere, vel facere miracula propria virtute, ieiunare quadraginta diebus ſine cibo, ſicut ipſe fecit, & ſic de multis Chriſti operibus, quæ licet potiùs admirari, quàm imitari. Nec vniuerſaliter ad verum illud, quod agitur à Prælatis facilè trahitur à ſubditis in exemplum, nam dominari, & præeſſe eſt prælatorum, ſubijci verò, & obedire eſt ſubditorum, & ſic Papa facit illud, & poteſt ratione dominij ſupradicti, quod non habent ſubditi, ideo non facilè trahi debet à ſubditis in exemplum; & ſi ſcandalum patiantur ſtantibus prædictis, hoc eſt paſſiuè, & non actiuè. Dicendum eſt illis, ſicut Chriſtus dixit Petro dicenti ei. Scis quia ſcandalizati ſunt audito hoc verbo &c. Cui reſpondit Chriſtus ſinite eos quia cæci ſunt, & duces eorum. Cæci quia non vident, neque perſpiciunt ſupremi dominij Rom. Pont. ſublimitatem. Scandalum, autem paſſiuum non eſt vitandum ſecundùm Hiero. propter veritatem ſanæ doctrinæ, & ſanctitatem vitæ. Vnde ſatis peruerſum eſt in ſubditis, quòd etiam malam vitam prælatorum ſuorum imitari contendunt. Nam ſi prælatos tuos, & ſuperiores tuos (in quibus non minor ſubſtantia dignitatis ideo perſiſtit) ſeſe in fluuium precipitari, fatuus enim, & ſtultus eris, ſi ipſos proſequaris imiterisue. Si ergo in malis corporalibus ipſis aſſimilari tenuimus longè magis ſpiritualia quidem mala, quæ in ipſis quandoque perſpicimus (quia ibi cautiùs eſt agendum, vbi de anima agitur) magis, ac magis fugiamus dignum, & iuſtum eſt, nam ea facere ſentire debet quilibet, quandoquidem bona animæ longè meliora ſint, quàm ipſius corporis alimenta. Et hæc dicta ſufficiant de iſto Corrol. vt imitemur, quæ bona ſunt, mala autem foras mittamus, ac diuino iudicio relinquamus, vbi de factis proprijs, & non alienis ſumus. vtique reddituri ſtrictam rationem, & vnusquiſque ante tribunal Chriſti proprium onus portabit. Et loripedem rectus, derideat Æthiopem albus.

Circa ſecundum Corrolarium quartæ Concluſionis.

PONO. iſtam propoſitionem fundamentalem bimembrem, & dico cum egregio Doctore Aug. de Ancona, qui in ſumma ſua tenet, quam fecit de poteſtate Eccleſiaſtica, ſcilicet per ſimoniam ſecundo modo ſumptam papæ electio non poteſt vitiari, ſic quòd per ipſam ſit Papa deponendus. Secunda pars eſt, quod electio Rom. Pont. non debet, ſicut aliæ examinari, deindè inducam inconueniens maximum, quod ſequeretur in Corrolario cõtentum, ſcilicet ſecus fieret, pecuniam tamen interponere illicitum, & peccatum eſt, non tamen ipſam electionem eneruans, aut vitians. Prima pars probatur electus à duabus partibus Cardinalium, abſq; vlla exceptione Sum. Pont. exiſtit, ergo per ſimoniam non eſt ideo deponendus, conſequentia nota eſt, quia dixit ſine vlla exceptione, antecedens verò eſt textus expreſſus in c. licèt extra eod. tit. Dico tamen quòd electio huiuſmodi poteſt tribus modis impediri. Primò ex parte electi, vt ſi ſic notoriè hæreticus hereſi tamen quarto modo ſumpta ſic; quod manifeſta notorietate huiuſmodi hæreſis non indigeret clamore accuſatoris. Vnde ipſo facto talis eſſet depoſitus, quia ipſe ſolus habet de hæreſi iudicare, & determinare, vt aliàs dicetur. Et quoniam talis electio non caderet ſuper materia debita. Et confirmatur iſta ratio per illum tex. ſæpè allegatum. ſi Papa 40. di. ex parte cauſæ ipſius formæ, vtpotè ſi eſſet electus à paucioribus, quod duabus partibus Cardinalium, tunc enim niſi maior concordia interceſſerit nullatenùs eſt aſſumendus in Rom. Pont. quod patet per dictum cap. licèt eod. tit. & 69. di. Tertiò vitiatur ex parte cauſæ agentis, ſcilicet eli-

gentium, vt si intronizaretur per seditionem, & per potentiam laicalem, talis autem nedum non est, vt Apostolicus habendus, sed vt inuasor, & destructor totius Christianitatis, & perpetuo anathemate, cum suis auctoribus, & clientulis conciliarijs, & fautoribus, sequacibusque cunctis hæreticus esset. Et bene notatur in cap. in nomine domini 23. di.

Et si dicatur contra ponatur casus, quòd eligatur aliquis extra Collegium, qui sit coniugatus, & intronizetur, posito tamen, quòd haberet mulierem, quam realiter crederet mortuam esse, & mulier volo, quod petat debitum. Dicitur quod debet mulier in hoc casu hortari ad perpetuam continentiam, vbi autem nollet, nec commodè fieri aliter posset tenetur sibi reddere debitum, quia continentia clericorum est de iure positiuo, Verùm quia antiquissima, & laudabilis Ecclesiæ consuetudo hæc non admittit, sanctiùs esset papatui potiùs renunciare dicta muliere petente, & omnino debitum requirente, sed de his magis dicetur in quodlibetis, & talis redditio debiti est de iure naturali, & diuino, & quod Deus coniungit sic, homo nec Papa ipse separare non potest. Verùm si scandalizaretur in huiusmodi restitutione debiti, dico quod esset scandalum passiuum, & non actiuum. Sed contra, hæresis vitiat electionem talem, sed simonia est hæresis, igitur; maior, vel hæresis primo, aut secundo, vel tertio modo capitur, & sic negatur, vel quarto modo, & sic conceditur. Et nota quod etiam secundùm dictum Doct. si electio fieret in terra interdicta propter legitimam causam non esset propterea mittenda; præterea potest dici, quod Papa committit simoniam, sed non committit simoniam Papa, nam in prima appellat, & dicit illum Card. aut alium qui est, vel erit Papa, in secunda vero aliter appellat, dicit illic posse committere simoniam, qui iam formaliter est Papa, quod non est verum, vt supra probatum est, & istud est in vi appellationis, propter quam logici admittunt istam prolatam ab aliquo, qui verberauit tempore pueritiæ illum, qui tunc esset Papa, & non tunc, tunc ista est vera Papam verberaui, sed hæc est falsa verberaui Papam, quia in prima appellat ipsum sine Papatu; in secunda verò cum Papatu, vel sub forma Papatus; Vnde posito, quòd aliquis electus ad Papatum committet simoniam in ipsa electione, quia nondum erat Papa. Istæ duæ stant simul, Papa commisit simoniam, & nullam simoniam commisit Papa, sed de istis subtilitatibus parùm curant iuristæ, ideo pronunc transeo ad vlteriora, dicendo quòd in rigore logicæ, & in tali casu communi, quòd nullam commisit simoniam Papa. Sed contra secundam partem prædictæ propositionis fundamentalis arguitur sic. Christus examinauit Petrum, ergo electio Papæ est examinanda, antecedens patet Io. 21. & 23. di. cap. qui Episcopis, consequentia nota esse videtur, quia Papa est successor ipsius Petri. Respondeo negatur consequentia, nam secundùm Aug. super dicta examinatione, ideo Christus examinauit Petrum de trina dilectione; quia trine negationi eius voluit, quòd trina confessio responderet, non igitur ex hoc sequitur, quòd debeat fieri examinatio, nisi fortassis à Christo solùm, quem habet solum superiorem in terris, & non ab aliquo, neque à Concilio in eis cuius quidem iudicia nobis, & innotissima, & abyssus multa, & ideo istud remittendum esset Deo iudici, quem nullum latet secretum, & apud quem nulla est vicissitudinis commutatio, & qui non voluit alium præter ipsum Papam non habere in terris superiorem, nisi ab eodem per hæresim strictissimè somptam, & manifestam, esset alterius. Et nota, quòd quando dico in processu huius operis Papam propter hæresim posse iudicari, & deponi, intelligo semper de hæresi quarto modo sumpta.

Secundò probatur secunda pars prædictæ propositionis fundamentalis sic, illa electio non posset examinari, cui non potest aliqua exceptio fieri, sed electio Papæ est huiusmodi, igitur, consequentia patet, minor verò probatur per dict. cap. licèt extra eodem titulo, & confirmatur, quia qui totum eximit nihil exceptionis dimittit, quod intellige, nisi hæresis sit (vt præfertur) capta. Nota tamen, quòd multipliciter aliqua electio venit examinanda. Primò ex parte causæ efficientis. Secundò ex parte formæ, Tertiò ex parte materiæ. Dico igitur pro primo modo ipsi electores, qui sunt causa efficiens huiusmodi electionis debent acuratiùs, & maturiùs, ac studiosiùs ipsam electionem, & circa formam, & circa materiam examinare, quam quicumque electores, primò circa materiam, quam requirunt bene dispositam, scilicet vt personam eligât Idoneam pro regimine totiùs Ecclesiæ, &c. Secundò quod seruetur forma in iure tradita, & vt prædictum est, nam sicut sacramenta requirunt determinatam materiam, & formam, sic electio Papæ, & sicut ipsa materia, & forma sacramentorum non potest ab aliquo, nisi Christo alterari, sic nec Papæ electio prædicto modo facta à nullo propter nullum crimen potest vitiari, nisi ob hæresim (vt sępè diximus) & semper ipsam quarto modo sumptam receptam habere volumus, quando dicimus, quòd propter nullum crimen potest Papa deponi, aut in terris iudicari. Præterea si electio Papæ esset examinanda, hoc esset maximè per superiorem, sed nullum habet talem in terris). igitur. Et confirmatur, quia sicut se habet spirituale ad materiale, sic quodámodo se habet Papa in ordine ad subditos, Sed materiale naturaliter non agit in spirituale, examinare est agere, ergo non potest à subditis examinari, & confirmatur per Apostoli sententiam, quia spiritualis homo omnia iudicat, & ipse minimè, nisi à Deo. qui est spiritus iudicatur, & examinatur iuxta illud eiusdem Apost. 1. ad Corinth. 2. animalis homo non percipit, quæ sunt spiritus Dei, quia spiritualiter examinatur (istis igitur partibus prædictæ fundamentalia propositionis præmissis, pro lucidiori deductione dicti inconuenientis dicendum est. quid per claues, & per caput, & per corpus mysticum importetur. Per claues autem quantum sufficit in proposito, intelligitur duplex potestas, scilicet spiritualis, & temporalis quam super omnes habet ipse Papa, vt dictum est.

Intelligitur etiam potestatis ordinis, & iurisdictionis, quinimò in collatione istarum clauium fuit data Petro, & per consequens, cuilibet successori suo facultas claudendi Cælum, & aperiendi, dicente Christo eidem, tibi dabo claues Regni Cœlorum. Et licèt denominentur à nobiliori effectu, scilicet à Cœlorum aperitione, nihilominùs inferni portę per ipsas aperiuntur per censuras suas iustas, & claudnutur per absolutionem à peccatis. Vnde Christus subiungit, & portæ inferi non prævalebunt aduersùs te. Manifestum est autem, quòd istę claues non conferuntur, nisi vero, & indubitato Papæ. Vnde bene sequitur demonstrato aliquo sic per simoniam electo hic non est Papa, ergo hic non habet porestatem claudendi, & aperiendi Cœlum, vel infernum. Vel sic iste non habuit claues, ergo non potuit aperire Cœlum, nec claudere infernum, patet consequentia à destructione superioris, à destructionem inferioris negatiuè. Sicut bene sequitur non est animal istud, ergo non est capra. Similiter iste non mouetur, ergo non currit, nec datur instantia. Sed caput dicitur dupliciter, sicut communiter, & propriè secundùm quod communiter accipitur, aut dicit enim solam excellentiam perfectionis, & hoc modo omne, quod est perfectissimum in quacumque natura dicitur caput, sicut Leo inter bruta animalia, vt dicit solam rationem principij, & hoc modo omne principium viæ dicitur caput, sicut fons est capue, & origo fluminum. Secundùm autem rationem principij tota Trinitas dicitur caput Christi, secundùm quod homo, vt habetur ex auctoritate illa 1. ad Corin. 11. caput Christi Deus, modo ly. Deus non supponit pro sola Persona Patris, sed pro tota Trinitate, à qua sicut ab humanitate Christi omnia bona deriuantur, & cui humanitas Christi subijcitur. Et quia tota ipsa Trinitas in actione ipsius cõcurrit (quoniam opera Trinitatis ad extra secundùm B. August. & veritatem sunt indiuisa) Dicitur etiam isto modo, & totius Ecclesiæ caput, quia ab ea omnis influentia boni descendit, & emanat. Secundo modo dicitur caput propriè, prout cùm ratione principij dicit conformitatem naturæ cum eo, cuius dicitur esse caput, & sic non Pater, nec Spiritus sanctus, nec tota Trinitas, sed solus filius dicitur esse Ecclesiæ caput, quia ipse solus incarnatus est, scilicet Iesus Christus factus homo similis nobis in natura humana. Pater tamen dicitur caput Christi propter conformitatem naturæ diuinæ, quia est eiusdem naturæ, seù essentiæ cum ipso solus tamen filius in similitudinem hominis factus, inuentus est, vt homo ad Eph. 2. Vndè sciendum est, quòd secundùm B. Thom. in 3. quæst. 8. art. 5. Caput in alia membra influit dupliciter, vno modo quodam intrinseco influxu, prout motus, seù vis motiua, & sensitiua à capite deriuatur in alia membra. Alio modo secundùm quod dicit quamdam exteriorem gubernationem, prout, scilicet secundùm visum, & alios sensus, qui in capite radicantur dirigitur homo in exterioribus actibus. Interior autem influxus gratiæ non est ab alio, nisi à solo Christo, cuius humanitas ex hoc, quod est diuinitati coniuncta, habet virtutem iustificandi. Sed influxus in membra Ecclesię, quantum ad exteriorem gubernationem potest alijs conuenire. Et secundùm hoc aliqui alij dicuntur capita Ecclesiæ iuxta illud Amos 6. optimates capita populorum. Ista tamen capita distinguuntur à Christo. Primò ratione loci, quia ipse est in omni loco. Alij autem homines dicuntur quantùm ad aliqua loca specialia capita, vt Episcopus in sua diœcesi est caput &c. Distinguitur etiam ratione status, quia Papa quamdiù viuit solùm est caput. Etiam distinguitur ratione status, quia Christus caput comprehensorum, & viatorum est, Papa verò solùm viatorum, & eorum, qui sunt sub dominio, & potestate Ecclesiæ militantis, Christus verò, & militantis, & triumphantis caput existit, vt dictum est. Verùm inter omnia capita viatorum in terris ipse Papa viuens solùm dicitur esse caput supremum, & maximum, & quoad gubernationem exteriorem omnium membrorum, & de isto capite loquitur, & intelligitur nostra conclusio, nam manifestum est, quòd non influit, nec influere potest aliquam virtutem in membra Ecclesiæ Christianæ, & catholicę, nisi virtute, quam à Christo immediatè habuit modò certum est, quòd ista potestas, seù virtus numquam datur, nisi veris, & indubitatis Rom. Pont. seù Papis istis suppositis, tamquam veris arguitur, sic demonstrando tempus, in quo talis putatiuus Papa realiter non est Papa, quia per simoniam electus in Ecclesia manet in hoc tempore, & in hoc tempore hæc Ecclesia non habet Papam, ergo hæc Ecclesia est, aut manet sine capite, consequentia patet, quia resolutoriè, & in tertia figura, & confirmatur, quia Papa est caput præmissę notę sunt, & pro corpore mystico, nihil aliud intelligunt Doctores sancti, prout ex ipsis colligere potui, nisi ipsam Ecclesiam, seù congregationem fidelium. Verum est, quod aliqui dicuntur membra propria, prout sunt illi, qui habent fidem formatam, & existentes sine peccato mortali, alij autem fideles fidem mortuam habent, qui in peccato mortali existunt, nam fides sine operibus mortua est. Dicuntur enim membra huius corporis, largè tamen. Qui verò nullo modo sunt per fidem huic corpori coniuncti, non dicuntur membra eius, vt infideles, & Pagani. Proprijssimè verò electi, & prædestinati ad vitam æternam, illi vera membra huius corporis mystici existunt, sed de prædestinatis, & electis magis dicetur aliàs. Manifestum est autem, quòd hoc corpus mysticum, tunc esset monstrum, quia quoad hoc esset sine capite, igitur inconueniens deductum in Corrol. est manifestum. Sed contra istud arguitur multipliciter ad tollendum tale inconueniens. Primò, improbando illam consequentiam, est hoc corpus sine tali capite, ergo est sine capite, quia arguitur à dicto secundùm quod ad dictum simpliciter. Secundò, Papa mortuo idem inconueniens sequeretur, ergò nulli decedente illo, tunc intrarent paradisum, quòd est falsum. Tertiò, idem sequeretur tempore schismatis, vbi aliquis crederetur verus Papa, qui tamen non esset, igitur. Quartò arguitur sic, pono casum, quòd Papa sit apostaticus, & non verus

Papa,

Papa, & rurſus alius Papa ſuccedens illi eſſet ſimilis, & ſic conſequenter, vſque ad finem mundi, tunc omnes eſſent damnati, patet quia nec cœlum aperiretur, & clauſus non eſſet infernus, & ſic Chriſtus non eſſet cum ſua Ecclesia, vſque ad conſumationem ſęculi, prout promiſit, & dixit hoc eſt falſum, & maius inconueniens, igitur. Quintò volo, quòd Papa putatiuus ſit in hæreſi occulta viuens, nec intendat aliquid facere, quod ipſa Eccleſia iubet, & intendit, tunc idem propoſitum, quod tota Eccleſia eſſet decepta, & omnes eſſent damnati, quæ omnia ſunt maxima inconuenientia, igitur concluſio, vel Corrolarium eſt falſum.

Pro ſolutione iſtarum rationum, quæ ſunt ſatis apparentes, & communes cum illis, quæ dixi ſupra, præpono primò, quod credere vnam Sanctam Catholicam, & Apoſtolicam Eccleſiam eſt articulus fidei, & quod eiuſdem vnitas conſurgit ex vnitate capitis, quod eſt Papa, quem credimus verum, & indubitatum Papam eſſe ſupremum Paſtorem in terris, & Vicarium Ieſu Chriſti, & quatenus ipſo ſoluente debitè reputemus nos ſolutos, & ipſo ligante, ligatos, & maximè ordine clauium (quem alius verus ſeruaret) etiam obſeruato, & quòd talis non ſit realiter, nec verè Papa, quod facere, aut permittere Deus poteſt, quia merè liberè agit ad extra, & quandoque permiſit mulierem in Papatu apparenter regnare. Secundò, ſuppono quod perplexitas ſaltem conditionata (vt multi Doctores tenent) cadat aliquando in his, quę dependent ex lege Diuina, aut fide. Tertiò, quòd quis poteſt per errorem inuincibilem adherere alicui falsò repugnanti alicui fidei articulo eidem ſubtiliter pręLdicato ab aliquo ſuo Curato, vel Prælato Idiota, vel hæretico, vt eſſet aliqua ignorans, & Idiota perſona, & ſimplex, quæ crederet fortaſſis Patrem in diuinis eſſe filio priorem, aut ſeniorem, aut tale quid quãdoque in pictura ſanctiſſimæ Trinitatis contingere poſſet, quod aliquis æſtimaret Patrem virum, & hominem eſſe, imò fateor me comperiſſe ſemel in montaneis prædicando, quamdam vetulam ſimplicem chriſtianam centum, & ſex annos attingentem, quæ ſeriosè quęſiuit mihi, quod mirabatur ſolùm de vno, quare in Eccleſia depingebant ſub tali forma, ſcilicet Trin. cùm eſſet mulier, quod cùm inueſtigaſſem accuratiùs, dixit, & aſſeruit ſe extitiſſe, & permanſiſſe in hac opinione per centum annos, quòd cum increpaſſem vehementer ad catholicam fidem, & veritatem citò conuerſa ad cor humiliter annuit verbis fidei, & catholicæ veritati, & cum fletu, & ſingultibus contrita vehementer egit gratias Domino Ieſu Chriſto, qui per me dignatus fuit ipſam conuertere ad eum, & ad lumen fidei ſic perueniſſe valde conſolata permanſit, & paululum poſt expirauit ad Chriſtum, & glorioſo fine quieuit in eodem. Vndè piè credidi, & exiſtimaui Chriſtum expectaſſe huiuſmodi ſimplicis perſonæ conuerſionem antequam moreretur, & fuit iſtud in Villa Solſone in diœceſi Vrgen. in Hiſpania. Quare in iſto non videtur eſſe difficultas. Quartò, ſuppono quod verriſſimum eſt, quòd ſola ignorantia inuincibilis generaliter in his, quæ fidem concernunt, vel ſunt circa ipſam, & præſertim circa iſtum articulum credo in vnam Sanctam, & Apoſtolicam Eccleſiam non excuſat &c. Nam, & ad hunc articulum fidei ſi contingat dubitare de alijs articulis fidei communiter, & quaſi quodam inſtinctu naturæ omnes confugiunt illico dicentes, credo in Eccleſiam Sanctam &c. Et in ipſo omnes mori, & viuere volumus, nam nec Auguſt. crediediſſet Euangelio, niſi compulſus eſſet per ipſum, vt ſupra dictum eſt, licèt alios explicitè non ſciat ad ſaltem hunc articulum eſt de neceſſitate ſalutis cuilibet fideli tenere, & firmiter credere ſimiliter, & ſextò ſuppono quod res aliqua, vel factum eſt in ore multorum, & publicatur ab illis vndique, ad quos potiſsimùm, & principaliter, & maximè expectet, faciuntque, & debent non poteſt tale factum non ſciri implicitè, vel explicitè, & cognoſci, & intelligi, & tempore debito procedente, quod eſt verum iuxta illud Chriſti verbum in ore duorum, vel trium ſtat omne verbum, vt ad dicta duorum pęnè temporales ſecundùm iuſtitiam meritò infligantur. Septimò ſuppono, quòd Collegium Cardinalium, & (vt moris eſt) publicet illum Papam, qui eſſet per notoriam ſimoniam electus, quòd iſtud pluribus eſſet manifeſtum, ipſum Collegio coniunctim, vel diuiſim eum, quem ſic elegerunt, pręLdicarunt, vt Papam, & colerent, vt talem, ſimoniacè fore, & eſſe electum tamen reſerantibus, ita quod cùm notorietate Papę notoria eſſet talis ſimonia, vel quòd poſt reſeraretur, & ſucceſſiuè nota fieret omnibus, vel maiori parte hominum, iſtis præſuppoſitis, & non niſi, vt magis, ac magis veritas prædicti Corrolarij eluceſcat, & ſic veriſſimum inconueniens, quòd pro inconuenienti ducitur, tunc reſpondetur ad prædicta argumenta in his tamen, ſicut in alijs, & in omnibus Eccleſiæ Apoſtolicæ ſaniori ſententia ſemper ſalua.

Ad primum negatur conſequentia, quia ſit denominatio à nobiliori, & perfectiori, aut principali, nam Papa, (vt dictum eſt) eſt viatorum immediatorũ corporis myſtici immediatum caput, vt dictum eſt, & pro tali tentum, & reputatum ab omnibus, & per caput totius Eccleſiæ communiter ipſum intelligunt omnes fideles terræ, qui et ſunt membra corporis myſtici, cui conſuetum eſt. Sed contra, quia illa conſequentia non habent locum, nam in propoſito, vbi corpus ſimul habet plura capita, igitur minus bene arguitur; probatur aſſumptum per ſuperius dicta, quia habet Chriſtum etc. et quælibet diœceſis habent ſuum caput, ſcilicet Epiſcopum, negatur aſſumptum, et ad probationem dicitur, quòd licèt habet plura capita in ſpecie non autem in genere, et Papa per reſpectum ad Chriſtum eſt caput inferiùs, et membrum per reſpectum ad alios viatores fideles eſt caput ſimiliter Epiſcopi reſpectu ipſius Papæ ſunt inferiores reſpectu diœceſis, et ſubditorum ſunt ſuperiores, et capita, nec eſt inconueniens vnum, et idem eſſe caput, et membrum, ſeù ſuperiorem, et inferiorem reſpectu diuerſorum, vt patet naturaliter in arbore Porphyriana in ſpeciebus ſubalternis, ſed contra deſtructa ſpecie deſtruitur genus, ergò deſtructo capite, quod eſt quaſi ſpecies, ſcili-

scilicet Papa mortuo destruitur superius genus negatur antecedēs,quia genera sunt ingenerabilia, et incorruptibilia secundùm Phil. 1. lib. post. et præsertim in proposito, vbi Christus manet in æternum, et mors illi vltra non damnabitur, sed quia relatiua posita se ponunt, perempta se perimunt, & destructo vno Correlatiuo destruitur reliquum secundum Philosophum in prædicam. relationis, sicut destructo aliquo superiori destruitur superioritas ipsius ad alios, vt destructo patrē destruitur paternitas ad filios. Verum tamen sicut inter species subalternas aliquæ sunt alijs, et superiores, et perfectiores in actu, vel potestatiuè, vt species, quam constituit differentia substantiæ, sicut incorporea est nobilior, et perfectior speciebus corporeis,sic Papa,quem prima substantia,et prima causa, quæ est Deus immediatè constituit alijs omnibus inferioribus capitibus tam Ecclesiasticis, quàm temporalibus, est in potestate, et dignitate nobilior, et perfectior per respectum ad ipsos, et sicut genus generalissimum dicitur vniuocè de omnibus perfectis speciebus contentis sub ipso, vt animal de omnibus veris animalibus, & depictis analogicè, seu æquiuocè, sic caput, quod est Christus de veris fidelibus, & electis dicitur quasi vniuocè de imperfectis reprobis, & existentibus in peccato mortali, quasi de fictis christianis dicitur æquiuocè caput talium membrorum, propterea hortatur nos Apostolus dicens. Perfecti estore. Ad 2. negatur consequentia, quia tunc caput, quod est Christus influit ad omnia membra intrinsecùs, quæ sunt necessaria ad salutem, & supplet Sede vacante vices ipsius Papæ defuncti, sed quantū ad gubernationem exteriorem ad soluendum,vel ligandum per censuras,& concessiones priuilegiorum, & talia huiusmodi notum est quod Christus istud non facit, seu exequitur, nec minùs ipsum collegium Card. nisi fortè secundùm quid, & in quo permanet potestas Papę,sicut inradice fructus, quia ex ipso nascitur, seu oriri debet Papa per electionem videlicet, qua electione debito modo, & vt prædictum est facta de aliquo tunc, & fructus tam supremæ præeminentiæ percipit, & thesaurus Christi per clauium potestatem vndique dispensatur, & distribuitur, & ordo huiusmodi clauis, seu potestas à nullo alio citra Christum potest restringi, aut ampliari, sicut nec omnes species subalternę, vel specialissimę possunt generis generalissimi auferre potestatem prędicandi de ipsis, aut minuere illam, & nota istam similitudinem, quę videtur satis notabilis in proposito, & aduerte quòd de tali capite, quod est Christus non intelligitur tale Corrolarium, sed precisè de capite communiter capto, & quod est Papa,à quo non vult diù esse desertam Christus suam sponsam Ecclesiam, non enim vult ouile suum diutiùs sine pastore esse,propter quod ex laudabili, & approbata Spiritus sancti consuetudine est Reu. Card. cito confugiant, & concurrunt ad electionem Pont. & cum certis pęnis, & abstinentijs, & in angusto loco congregati citiùs per electionem facere compelluntur, quæ electio si non conuenisset, aut fieri non posset aliqua legitima causa concurrente, tunc puto ad Ecclesiam vniuersalem potestatem eligendi Papam, fore ipso facto deuolutam.

Ad tertium dicitur, quod tale inconueniens posse sequi contingit dupliciter, aut per ignorantiā crassam, seu affectatam passionem aliqui vellent recipere illum in verum Papam, quem sciunt non esse Papam, & tunc tales non excusantur, & sunt schismatici, & sine capite etiam, quod est Christus, sed quid de simplicibus, & idiot. qui simpliciter credunt magnatibus, & potestatibus, & prælatis suis, & gesta ipsorum, seu cultus cito transeunt in malum exemplum ipsorum, & firmiter credunt ipsum esse Papam. Dicendum quod si assentiendo contrarijs fidei, quæ inuincibiliter credunt, & opinantur esse fidei, & Deus istud permittat, quod nc dum excusantur, sed etiam merentur ex tali assensu, vel piè credendum esse, quod tales saluantur ex recta intentione, & simplici voluntate, quam habent, sic quod si scirent illum non verum Papam, non vt verum coluissent, & ideo in voluntarium actum habent inrepretatiuè, & Christus misericors, qui non vult mortem peccatorum, & qui est tunc supremus potest ex quadam singulari prerogatiua, seu priuilegio illum concessum acceptare etiam ad salutem, hoc puto salua meliori sententia pro nunc esse censendum, & dicendum, nam dicere, quòd Deus istud non permisisset in faciente, quòd in se est,& ignorantia inuincibilis, aut perplexitas quæ nullatenus cadit in similibus fidem, & legem diuinam concernentibus, hoc est difficile ad substinendum cum varijs temporibus fuerunt plures Papæ putatiu. durante schisma existentibus illis per annos fermè 40. & tamen manifestum esse dignoscitur, tam ex traditionibus, Ratio ponitur quia ex fide, quod sicut vnus Deus, vna fides, vnum baptisma,sic vnus Papa, manifestum est autem quod tales, qui fuerant sub illis, firmam fidem erga illos sigillatim habentibus, & non sub illo, qui tunc erat verus Papa fuere, ideo damnari, satis durum esset, & impium esset asserere, sed excusantur per ignorantiam inuincibilem, & tamen istud Deum permisisse notum est, sic etiam foret crudele, & impium omnea à Sacerdote non baptizato adorantes Hostiam, quam talis consecraret non ideo essent idolatrę dato, quòd istud inuincibiliter per ignorantiam agunt, sed excusantur, & in tali casu dicunt sancti Doct. quòd supplet defectum huiusmodi Summus Sacerdos, & æternus Christus, cuius virtus non est alligata Sacramentis, quæ ipse condidit, & instituit, sed potiùs è conuerso, etsi dicatur contra, quia tunc aliquis assentiendo falsis, & fidei repugnantibus posset mereri prēmium martyrij, quia posset mori, & velle efficaciter talem fidem sustinere. Ad istud dicunt aliqui quòd tunc Deus prouidisset ei, sic quod haberet veram notitiam de opposito. Alij verò dicunt quod non ideo, quia assentit conclusioni practicæ falsò, sed quia assentit pręmissis, vel scit premissas sufficienter esse veras, vt in casu quicquid Prælatus prædicat mihi, & declarat de Sacra Scriptura, vel aliorum tenetur, vetula simplex credere, sed prædicat Prælatus aliquid contrarium fidei,igitur meretur, ergo talis propter assensum istarum præ-

præmissarum simpliciter in casu posito de Sacerdote non baptizato, qui non potest conficere Sacramentum, propterea quia deficit sibi fundamentum, nostri Doctores tenent communiter dicendum fundamentum aliorum Sacramentorũ esse Sacramentum Baptismatis, posset argui, tunc sic, videlicet, & quod si aliquis credens ibi esse Christum moreretur super hoc, his non obstantibus puto pro nunc (salua sententia melioris dicentis) quod iste mereretur, sicut assentiendo veris articulis fidei propter virtutem præmissarum Deo permittente, (qui non est acceptans meritum hominis ex condigno operationis, sed sibi placet) stare in tanta constantia, & non reuelare oppositum, nec tamen istud videretur esse implicitè, neque formaliter contra fidem, quia haberet talis istam fidem explicitam, scilicet credendo in vnam sanctam Ecclesiam, propter quod implicaret in voluntarium aliquod quia interrogatus hunc articulum non negaret, immo affirmaret ipsum, nec esse possibile Deum posse falli, aut fallere decipi, vel decipere, nec ideo sequitur fidei formaliter posse subesse falsum sicut, nec lumen tenebram esse, quia hoc implicat contradictionem.

Et nota secundùm Robert. Holcot super 1. sent. non omnis error, etiam in bis, quæ fidei sunt, est peccatum infidelitatis, vel hæresis, quia posito quòd aliquis in generali velit credere omnia, quæ Spiritus sanctus reuelauit Ecclesiæ fore credenda, & sub hac fide credat errando contineri quoddam oppositum alicui articulo subtili, ad cuius fidem explicitam non omnes tenentur, & per consequens si adhæreat illi habens, tamen promptum animum credendi ea sola, quæ Ecclesia credit, talis non est hæreticus. vel infidelis. Vndè Vincen. histor. in 2. parte speculi, narrat allegando Elinandum Episcopum de quodam alio Episcopo Asiæ, qui dicebatur Papias, qui fuit auctor hæreticorum, qui dicuntur Chiliastę i. millenarij, illi secundum Papiam dixerunt, quod homo per mille annos foret cum Christo in vita corporali, & frueretur corporis voluptate. Et tamen non obstante, quod iste Papias sic erat istorum auctor, non inter hæreticos, sed inter Sanctos in Martyrologio computatur similiter Iræneus Lugdunen. & Victorinus Pictauien. quorum vtrique prædictum Papiam sequuntur. Gloriosi tamen martyres extiterunt similiter B. Cyprianus de hæreticis rebaptizandis, errauit. Isti ergo errores prædictis sanctis non imputantur, quia non ex pertinacia, sed ex simplicitate errauerunt. Ex quo manifestè habetur, quòd non facilè, sed cum magna potius maturitate, & prouidentia aliquis, vt hæreticus censeri debet. Ad quartum dicitur, quòd casus, si per ipsum Deum permitteretur, quod per ignorantiam inuincibilem tales excusarentur. Sed aliter, & meliùs dicitur, quòd lege ordinaria stante hoc implicat contradictionem, nam Christus dixit, ego vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi. Et in tempore passionis suæ non euacuari, sed fidem in Beata Virgine, voluit præseruari. Ad quintum, quòd dato, quòd Deus hoc permitteret, ipse suppleret tunc effectum necessarium ad salutem, & per ignorantiam inuincibilem excusarentur, sed de his aliàs subtiliùs dicetur. Vndè ex prædictis omnibus patet nostri Corrol. veritas, & oppositum dogmatizantium, & opinantium vanitas. Cum his tamen stat quòd electores symoniacam culpam committerent, seu hæresim secundo modo sumptam, & grauissimè peccarent propter præeminentiam, quam elector propterea attingere habet, vt Deus ideo efficiatur in terris. Quare æternum ipsum Deum (cui de omnibus reddituri sumus rationem, & quem nullum latet secretum, & apud quem nulla erit in die iudicij personarum acceptio) magis, ac magis pre oculis habere tenentur. An verò aliqui quandoque in Rom. Pont. sic electi fuerint non est nostrum dicere, nec minùs iudicare. Si sic seu aliquam de circumstantijs electionis ad benè esse requisitis, vitiarunt. Non tamen esse substantiale, seu ipsius essentiam electionis, ideo destruxerunt, quin minùs sit Papa sic electus, quàm fuerit Beatus Petrus, quoad potestatem, & dignitatem Papalem, quod si secus existimetur sic electi si multi fuerunt predecessores S. D. N. Iulij veri, & indubitati Papæ 2. præfatum inconueniens in dicto Corrol. inductum, vitari minimè potest. Etsi dicatur quod talis venit declarandus, quia quoad Deum non est Papa, idem omninò videtur esse iudicium, cum eadem sit ratio oppositorum, sicut dicitur de excommunicato quoad Deum, qui non erit excommunicatus, quo ad mundum, neque quo ad iudicium humanum, & contentiosum, & è contra. Sed Deus videns ipsum non esse Papam non confert ei claues, sicut iniustè excommunicato non ideo aufert ei Paradisum. Et rursùs aliquem reputamus sanctum, qui apud Deum erit damnatus iuxtà illud, non omnis qui dicit mihi Domine, Domine intrabit in regnum cœlorum. Et multi adorantur in terris, qui cruciantur in inferis. Et vtrùm odio, vel amore aliquis sit, teste Apost. nemo scit. Et rursùs si constitueretur Eccles. vel Concilium vniuersale superior cuius oppositum supra est, & infra patebit. Foret multùm negligens in differendo talem declarationem, & sic Eccles. vniuersalis posset errare, vel decipi, quod non est dicendum, etiam secundùm aduersarios. Qui incidunt in scillam cupientes vitare caribdim. Et vltra cum Papa possit conteri, & in foro interiori pęnitere occultè, & nobis nescientibus. Quia cor contritum, & humiliatum Deus non despiciet. Igitur illud an sit Papa, vel non apud Deum non est nostrum pręscrutari, quia Deus posuit in potestate sua. Vndè hoc esset velle diuinare, aut plus sapere, quàm oportet. Vltima verò particula huius Corrol. de se est manifesta, tam in moralibus, quàm in naturalibus ex vitiosis enim, & perniciosis fieri tandem studiosos, & sanctos ex spinis rosam oriri, & fructus, & sicut ex spinis rosam genuit Iudæam Mariam. Ac ex templis paganorum efficiuntur templa Christi etc. Et sic ex iniquo principio conflata sit quandoque salutaris religio. Vndè contingit ex indebita electione Optimum Pontificem, et extremum totius Ecclesiæ fautorem protectorem, et ducem oriri. Quare mens opinantium oppositum, non est efficax, sed potius friuo-

friuola, et inanis, et vana, procedens fortassis potiùs ex ambitione humana, ee sic est finis totius Corrol..

Sequitur quinta Conclusio.

CIrca huius declarationem, et quia sepiùs de Concilio locuti sumus, te locuturi in posterum, ideo ipsum rectè definiri dignum priùs duxi. Est enim Concilium vniuersalis Ecclesiæ Catholicæ congregatio maiorum Prælatorum Ecclesiæ, auctoritate Rom. Pont. speciali, connocata ad aliquid communi intentione solemniter tractandum in religione Christiana, Papa ipso in Concilio præsidente, vel aliquo loco sui. Et hæc definitio est bona, et omnes conditiones requisitę eidem conueniunt, vt patet rectè intuenti illa. Ex quo patet, quòd illa definitio, quam aliqui assignant, scilicet quòd Concilium est societas fidelium in vnum propositum, et propter vnam intentionem congregatorum est sufficiens, cum conueniat alijs à definito vtpotè congregationi fidelium sæcularium, eec. Tangitur enim et causa efficiens, ee auctorizans Concilium, tangitur causa formalis, scilicet communi intentione, etc. tangitur causa finalis, scilicet in religione Christiana, tangitur et Ritus cæremonialis cum dicitur solemniter, tangitur director cum subditur Papa, etc. Ex quo sequitur alia Concilia vniuersalia Ecclesiæ aliter celebrata esse conciliabula, aut conuenticula potiùs appellanda maximè absque Rom. Pont. consultatione si fiant, et hoc quod potissimum esse censetur deficiat, quòd autem Concilium Summ. Pont. distulerit differendumque duxerit ad aliud tempus hoc posse, & potuisse omnia iura testantur maximè vbi suo tempore nonnulla præliorum, & bellorum intra Italiam, & contra Ecclesiæ Rom. bona excitata fuere impedimenta multa, quibus & paci Christianitatis primus Rom. Pont. etiam per realem, & personalem assistentiam esse intentum, & prepeditissimum in illis cum multis laboribus, & supplicijs, quasi vsque ad martyrij assumptionem pro ecclesiastica libertate necesse fuit nostris oculis, proh dolor, ac nostra tempestate vidimus, quare tot, & tantis periculis eminentibus, & ad omne schysma vitandum distulit sicut, & distulisse potuit Concilium consultè, & legitimè ad aliud tempus, nam si inceptum, & completum peripsum Papam dissolui, & reprobari potest, sicut sibi placet, & legitima occurrente causa, vt sæpe, & in dicta sum. Turrecrem. factum ritè legimus, cuncta quoque iura ad nos à Sanctis Patribus diuinitus emanata ista fieri permittant, & iubeant sic esse de facto, & fieri debet proculdubio, admirari nemo, quandoquidem sanctam, & religiosam mentem Spiritus sancti Concilium, si dici possit Concilium, Pisanum nuper damnatum Romanum, & Lateranen. ritè vndiq; terrarum, & inter principes omnes temporales per suos nuntios consultum pro prædicto tempore manifestum voluit, & publicatum, vnde rectè si pensemus, quæ gesta sunt tempore Iulij II. Pont. Max. ipsa Sedes Apostolica, & Romana Ecclesia plusquam à multis annis, & temporibus aliorum Pont. venit profectò, & extollenda, & admiranda plurimùm. Quorum omnium, & Bononia, & Ferraria, ac Rom. vrbis iustitia, & pax eeligiosissima efficax, ac opulentissimum perhibent huius rei exemplum, & testimonium in hostium, & aduersariorum dictæ Ecclesiæ Romanæ, & Apostolicæ Sedis sempiternum dedecus, damnumque spirituale, & opprobrium nullis temporibus è mentibus, & memoria bonorum Christianorum delendum, quia nunc Ferdinando Serenissimo, ac Catholico Rege Hispaniæ Catholicæ Ecclesiæ fauente cum effectu cuius fędus felix, faustum, & diuinitùs consultum publicè, & solemniter, et in templo Diuæ Virginis Gloriosæ de populo 6. septembr. 1511. in Vrbe cum Pont. Max. et totius celeberrimi collegij Ren. Card. assistentia Deum omnes laudantes audiuimus nostris auribus, cum gloria, et lętitia magna Christianorum efficaciter publicatum, et circa hanc dilarationis Concilij causam legitimam, satisque condignam nostro iudicio Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ correctioni illud in omnibus humiliter submittendo in hoc opere, et in dialogorum nostrorum prohemio non nisi quod vidimus, et audiuimus testamur omni adulationis labe seclusa, et hoc suadum tentandum, hoc opusque dictandum nisi zelo domus Dei, et Sedis Petri, si ne non coegisset hanc Prouinciam, et hac tempestate nostra (quamuis à multis rogatus fuerim) minimè assumpsissem, ac nisi ipsa catholica veritas (cuius professor indignus sum) me plurimùm impelleret, et clementissimæ Ecclesiæ Romanæ, et sicne D. N. Papæ benignitate fretus, ac suffultus à solo Sponso Ecclesiæ, qui est Christus Iesus testimonium conscientiæ meę bonorum omnium, & sapientię lagitore, mercedem sperans (cuius gratia sum, id quòd sum minimus, et iuutilis seruus eiusdem, ac aliorum Doctorum Ecclesiæ postremus.) Et quicquid scripsimus, si rectum eidem attribuatur, oro. Si defectum patiatur (quia nusquam est inuenire perfectum nisi in illo) quęso, vt saltem ex recta intentione simplicique, et humili spiritu id emanatum credatur, ac gratis, et absque vlla ambitione honoris mundani, hoc opus, et editum, et oblatum censeant omnes lectores obsecro. Sed ad eam partem conclusionis, quę aliquid difficultatis habet vlteriùs progrediamur dignum est.

Quòd dempto hæresis crimine proprijssimè sumpta Papæ potestas, etiam ab ipso Concilio vniuersalis Ecclesiæ non potest adimi.

ET breuitatis gratia, vt idem sępiùs non repetamus, supponimus illam distinctionem, quam in materiam simoniæ, et in Corrol. proximo de hæresi posuimus, quam in proposito non aliter assumo, quàm vltimo modo. Verùm vt clariùs veritas nostræ conclusionis elucescat, ac vt subtiliùs elimetur rubigo è mentibus aliquorum aduersariorum, argumenta ipsorum primitùs ventilari censemus.

Et primò argum. sic, grauiùs peccat fidelis, quàm infidelis propter ingratitudinem, quam habet de sua vocatione, ergo Papa potest deponi propter aliud crimen, etiamsi non fuerit infidelitatis, antecedens patet ad Heb. 10. consequentia probatur per illud Deut. 25. pro mensura peccati erit, et plagarum pondus. Secundò argum. sic hereticus nullis prauis moribus infectus, iudicandus non est, ergo nec Papa pro hæresi, consequentia videtur nota, et antecedens secundùm August. 6. q. 1. de tali dicentem non audeo præcipitare sententiam. Tertiò argum. sic à fortiori Concilium vniuersale non iudicauit Marcellinum Papam in hæresim lapsum, & conuictum, sed collegæ dixerunt ei, Noli audiri in nostro iudicio, sed collige in sinu tuo causam tuam, quoniam ex te iustificaberis, quia prima Sedes non iudicabitur à quocunq; ergo nec Papa, etiam hæreticus illo modo potest ab aliquo iudicari. Quartò argum. sic, & aliter, Episcopi criminibus inuoluti deponẽdi sunt, ergo & Papa, qui est summus ipsorum, antecedens est glos. 1. ad Thimot. 3. consequentia patet à fortiori. Quintò pascere oues est credentes in Christo, ne à fide deficiant confortare, & exemplum virtutum, cum verbo prædicationis impendere, ergo Papa criminosus debet deponi, consequentia videtur nota, & antecedens secundùm B. August. super illo verbo Ioan. 21. pasce oues meas. Sextò argum. si qui crimen aliquod defendit, & se de illo corrigere non vult, subuersus est, & proprio iudicio condemnatur, ergo si Papa est in crimine notorio, & in illo incorrigibilis inueniatur ipso facto est depositus, consequẽtia patet, antecedens est Apost. ad Thimoth. 3.

In contrarium est quod scribitur 41. distinct. Si Papa, textus tritus, & valdè communis, ac vbi est expressa conclusio, secundùm communiorem viam sanctorum Expositorum, quam pro posse imitari conamur. Vbi dicitur quòd in præsenti vita culpas Papæ nemo redarguere præsumat mortalium, Quia cunctos ipse iudicaturus, à nemine iudicandus est, nisi deprehendatur à fide deuius, pro cuius perpetuo statu vniuersitas fidelium orat. Vndè dico conformiter ad doctrinam sacram & euangelicam (à qua absit, vt deuiare putem, aut minùs credam) quòd sicut homo mortuus non est homo, sic Papa hæreticus non est Papa, sed depositus. Sed dices ponatur, quòd istud fuerit occultum fidelibus, & Ecclesiæ, sequeretur, quòd tunc credens in eum, & in vnitatem Ecclesiæ emanantem ab eo, deciperetur, & erraret, & defraudaretur vt supra de simonia dicimus, quòd excusantur propter ignorantiam inuincibilem. Sed quid quando esset plenè notorium, & nulla tergiuersatione occultari posset, nedum vt Papa debet coli, sed vt alter Antichristus ab omnibus persequi, & impugnari. Sed quid agendum quando res vertitur in dubium, sic quod ab aliquibus dicitur, & ab aliquibus affirmatur. Hìc duo mihi occurrunt, reliqua iuris, & legumperitis dimittendo, quòd si audiatur ab aliquibus grauibus personis probis, & honestis, & qui testificentur de visu, & quarum nulla interest, & quatenus sint plures, quia non in vnius, sed in ore multorum stat omne verbum. Debet istud cautè, & secretè aliquibus de collegio Reuerend. Cardin. denunciare, seu reuelare, & vbi viderunt ipsum Papam in occulto, vel aliàs in fidei contemptum, & blasphemiam aliquos cultus Iudæorum, & Paganorum, & iuxtà eorũ ritus obseruare, & talia huiusmodi facere, quæ totius religionis Christianæ opprobria existunt. Aut pertinaciter aliquem expressum fidei articulum, & in symbolo contentum negat, & in parte negatiua, non obstante determinatione Ecclesię in contrarium stare vult, & intendit perseuerare etiam contra Sacramenta Eucharistiæ, & Sacrosanctæ Matris Ecclesiæ Sacramentorum tunc sub pęna damnationis æternæ, sic scientes reatum tam prauum debent reuelare, & nullatenùs habere occultum, quod est in totius Ecclesię, & religionis Christianæ periculosissimum, et grauissimum detrimentum, quippè, etsi talis reuelans hanc veritatem, et propterea subiret quodcumque supplicium, aut mortem, ipse meritum martyris inter comprehensores non obmitteret, et notanter dixi in singulari, vt sic, quia non sufficit audire in vniuersali, seu in communi, hic quia est aliquibus alijs grauissimis, et notorijs criminibus, etiã simonia, dato quòd illam committere posset, errat in fide, aut malè sentit de ipsa, aut talia huiusmodi dicere, vel audire, quia licèt hęc faciant ipsum Papam criminosum, et peccatorem reddant, si vera sint, non tamen reddunt ipsum hæreticum. Dico præterea, quòd etiamsi hæc vera essent, tales loquaces grauiter peccant ponentes os in cœlum, et quoniam nullum habet in terris iudicem pro alijs criminibus, et multùm redarguendi sunt, nisi admonentes, et vt supra dictum est, quia si detrahere proximo, quoniam magna iniquitas est detractio, non licet cuiquam sine graui peccato, à fortiori Pontif. Max. et caput naturale posse à membro incuti, aut verberari, dementis, et contra naturam est, quippè cùm scriptum sit non maledicas surdo in occulto, et rursus dicat si quis hoc dixerit Patri suo, et principi orbis, et Pont. Max. racha verbum iniuriosum, & in contumeliam alicuius dictum intelligitur.

Secundò principaliter, dico quòd non facilè credendum est istis, qui sic communiter Papam inculpant, vt præfertur, quoniam scriptum est, qui citò credit leuis est, & hoc faciunt aliqua passione animi commoti, & quia ægrè ferunt gesta, aut iustitiam ipsius, & rursus isti non sunt effectus, aliquid facientes in iudicio contra Papam, nisi præcessissent, vel subsequerentur aliqui speciales actus, & singulares, & super sectam materiam, vt dixi, & qui fuissent euidenter visi, & auditi, & per legitimas, & multùm idoneas personas, pluresque sint testes requisiti, & maturiùs, ac diuturniùs, & cautiùs examinati, & consultiùs, quod secundùm iura vt in capit. qualiter Extra de accusat. in alijs Prælatis obseruari præcipitur, præsertim si fuerit occulta hæresis, secus si notoria esset id in Prælato Prælatorum, & in domino dominantium maximè obseruari debere, præterit proculdubio neminem, est enim quoddam vniuersale in mundo signum, omniumque iudicium in manu habens, & cum gladijs suæ eximię iurisdictionis, & potentiæ iustitiam gene-

generaliter, & specialiter dispensando, & distribuendo, seu administrando nequaquam potest omnibus complacere, & humanā hominum fragilitatem multifariè peruerti certum sit, & istud detestabile crimen hæresis, propter quod solummodo iudicari potest, Debet quoque in eo specialiùs resp. longè cautiùs, & maturiùs in iudicio consultissimè omnes prorsus accuratissimè examinari, & omni passione postposita, & in vniuersali Concilio Ecclesiæ Christi iudices, quia de iudice omnium iudicari debent intendunt, & Deum præ oculis præcipuè habentes, quia suum locumtenentem, & vicarium ad condemnandum procedunt sic, vt declarant eius Christi vices non habere, quam apud Deum, etiam post crimen tale commissum non habuit, ac propositi sublimitatem, quia quantò sublimior est persona, tantò eum maiori solemnitate debet deponi, & numerus testium qui requiritur quando crimen non est euidens, seu notorium ex 2. quæst. 5. & hanc requisitam consultam maturitatem consultè, & probè illi sancti Episcopi in Concilio vniuersali in. Marcellinum Papam in hæresim deprehensum obseruarunt, quando eidem humiliato, & se corrigenti dixerunt, noli audiri in nostro iudicio, sed collige in sinu tuo causam tuam, quoniam ex te iustificaberis, & ex ore tuo condemnaberis, quia prima Sedes non iudicabitur à quoquam, & sententiam depositionis contra eum non protulerunt.

Sed primum assumptum nostrum ad probandum conclusionem nostram, quòd pro hæresi proprijssimè sumpta sit Papa deponendus, fuit, quòd sicut homo mortuus non est homo, sic Papa deprehensus in detestabili crimine hæresis non est Papa, propter, quod ipso facto est depositus, probatur auctoritate Apollo. ad Ephe. 1. ipsum dedit caput super omnem Eccles. quæ est corpus eius, capitis autem est influere vitam omnibus membris, principium autem vitæ spiritualis est ipsa fides, quia sine fide impossibile est placere Deo. Vnde Apost. ad Hebr. 11. fidem dicit substantiam, in fundamentum omnium sperandarum rerum, si ergo Papa deuins à fide mortuus est ipsa vita spirituali, & per consequens alijs influere vitam non potest. Et ad argumenta ad primum dicendē, quòd procedit de punitionis gradu, item hoc & grauiùs punietur fidelis pro eadem specie peccati, quàm pro eadem punietur infidelitas pluribus, potiùs expelli, quàm puniri, ac totiùs Ecclesiæ Apost. libertatem ex neglectu notabili, vndiq; violari, & pœnitùs ammitti non curans notabilem tyranniam principum iniquè agentium, & bona Ecclesiæ violenter occupantium, & retinentium potens remouere, & non facit, & resistere illis, aut suffragari Ecclesiæ Apost. minimè curat, & ex spretu quodam, & notabili neglectu ista facere euidenter negligit, & talia huiusmodi, vndè infideles exultant. & Pagani in opprobrium Christianorum, & vniuersalis Ecclesiæ derisionem, vndique propterea innocentia, & virture depressa sola iniquitas exaltaretur, & ob notabilem, & euidentem negligentiam Papæ, sic quòd talis negligentia posset notabiliter dari pro contemptu Ecclesiæ, & multi propterea Ecclesiam Apostolicam conteuinerent, & sic de aliquo notorio crimine directè contra Ecclesiæ præceptum in eo regnante, & sic dominante, quòd nullis monitionibus ab ipso abstineri velit, & plurimi fidelium passim, & successiuè tale facinus propterea crimen esse, aut peccatum minimè existimantes, illud indifferenter patrarent, & prædicarent non esse ab Ecclesia prohibitum, vel à diuina lege, & sic dogmatizando hæc, nouam sectam exordiri inciperent, & facerent tunc, & in similibus puto talem Pont. nō esse ab hæresi proprijssimè sumpta immunem, & quatenus malè sentiret de fide, & non crederet in vnam Sanctam Catholicam, & Apost. Ecclesiam, in alijs verò licèt sit publicus, & notoriè criminosus, non video quòd dici possit, idea hæreticus, nisi per bonam consequentiam posset probari contemptor fidei Christianæ, aut ritus Ecclesiæ Apostolicæ manifestus, sicut vsurarius, aut concubinarius, siue auarus diues quantumcumque sit inueteratus, & inuolutus in dictis peccatis, dummodo non asserat talia non esse peccatis pertinaciter, non potest dici hæreticus, vt sic, vnde istæ consequentiæ, nihil valent, iste est peccator manifestus, ergo iste est hæreticus, quia antecedens est verum, quanquem consequens falsum, sic non sequitur istud est substantia, ergo est homo, quia erit lapis, quia arguitur à superiori ad inferius affirmatiuè, & vltra propter diuersitatem speciei, quæ est inter peccatum, & peccatum, sicut inter Capram, & Leonem, sicut non sequitur iste Leo, ergo iste est Capra, sic non sequitur, Papa est auarus, ergo hæreticus, quia auaritia, & hæresis differunt specie, & dato quòd Papa posset committere simoniam, quod non tenemus eò modo, quo supra diximus, non sequi. Nec ratio bene sequitur, quòd peccatum infidelitatis in infideli sit minus, quàm peccatum gulæ, aut alias in fideli, & sic negatur consequentia. Et ad probationem dicitur, quòd pondus, vt sic, & per accidens esset maius in fideli.

Ad secundum negatur antecedens. Ad probationem dicitur quòd Aug. loquitur de hæresi largè sumpta, vtpotè primo, vel secundo modo prædictis.

Ad tertium negatur minor, quia Papa in tali casu desiuit esse superior, sic & esse Papa, vt dictum est. Et ad illud de Marcellino, idem videtur esse dicendum de quocumque alio, qui ob detestationem criminis Citò conuersus ad Cor, sic & illo modo humiliaretur, quia desinit esse hæreticus, quia in quacumque hora peccator ingemuerit vita viuet, & non morietur, dici Deus per Prophetam, & rursus Ecclesia nulli claudit gremium, si igitur canonicè conuersus fuerit non esset deponendus.

Ad quartum dicendum, quòd non est eadem ratio de alijs, quia habent superiorem, quem non habet Papa in terris, & alia naturaliter est ratio capitis, & alia membrorum capitis sit influere & agere, membrorum autem pati, & recipere proprium sit respectu ipsius.

Ad quintum negatur consequentia, quia vt supra dictum est, alia crimina si faciunt ip-

ſum Papam criminoſum, & peccatorem non tamen hæreticum, ſicut gula propriè non facit ſuperbum, dico tamen, quòd ſi pertinaciter defenderet peccatum mortale, & à lege diuina prohibitum non eſſe peccatum, ſicut peccatum luxuriæ, vel aliàs eſſet hæreticus,

Ad ſextum negatur conſequentia, nec puto eſſe verum, niſi in caſu, quo tota Eccleſia vniuerſaliter, & notorie ſcandalizaretur,& ſimplices ideò notorie deuiarent à fide, tunc ſi penitus in hoc incorrigibilis inueniretur, & pertinax, nec aliunde Deus prouideret, vel aliud non poſſet haberi remedium: tunc ſalua ſaniori ſententia, ſemper puto eum non ob aliud crimen, quàm hæreſis, in quo ſic faciendo incideret, deponendum, nondum vt legis diuinæ, cui ſubiectus eſt Papa, & quam non condidit ipſe præuaricator, ſed vt contradicens eidem directè, & inuaſor ipſius eſſet cenſendus peruertens totam fidelium congregationem, facienſque ideo à legis diuinæ obſeruantia, quaſi penitus alienam. Et credo tunc fore tale ſcandalum, quando Papa eſſet notorius diſsipator bonorum Eccleſiæ, nullam inter ſubditos obſeruari iuſtitiam curans, permittens notabiliter innocentes vndique comprimi, & grauari, per iniquos, & famoſos maleficos ſemper, & ve inquiunt iſte eſt ſimoniacus,ergo hæreticus,nec de alio publico ſimoniaco ſequitur, quia arguitur dicto ſecundùm quid ad dictum ſimpliciter, non enim ſimonia eſt hæreſis, niſi ſecundùm, quid, & ſecundo modo ſumpta. Præterea ſi interrogetur communiter inueteratus luxurioſus, adulter, luſor, aut concubinarius, quantumcumque exceſsiuus, & obduratus,& inueteratus,an bene ſentiat de fide catholica, & de ritu Eccleſiæ Catholicæ, & Apoſtolicæ dicet. Vtique bene ſentio, & volo mori, & ſubire quodcumque ſupplicium, & martyrium, ſi opus ſit, propter hoc, licèt tale peccatum luxuriæ obmittere, & fragilitatem meam derelinquere non poſſim, tamen hæreſim penitus deteſtor, & hoc teſtamur, quod vidimus in multis, & interrogauimus, & inuenimus eſſe verum, licèt enim tales grauiſſimè peccent, veruntamen ſimilium peccatorum grauitas nunquam attingit de per ſe hæreticam prauitatem, de qua loquimur in præſenti, ſicut nec ſpecies pigritiæ de per ſe nunquam fiet ſuperbiæ ſpecies, nec capra leo fieri poteſt, vt prædictum eſt. Et ſecundùm B. Tho. in 2.2. quæſt. 39. grauitas peccati attenditur iuxta genus ſuum, ſeu ſpeciem. Hæc etiam conclu. multiplici via corroborari poteſt. Tum primò quia Papa eſt caput totius Eccleſiæ, & nullum habet ſuperiorem in terris, vt ſupra ſatis, ſuperque ſatis probatum extitit. Tum etiam ſecundò quia in naturalibus,cauſæ priores agunt in poſteriores, & non è contra, ergo nec inferiores agere poſſunt in priores. Et hoc habet verum in omnibus ordinatis ad inuicem. Tum 4. ſicut in ordine naturæ, & mobilium deueniendum eſt ad vnum immobile, nec eſt proceſſus in infinitum, ſecundùm Philoſophum, ita & in Eccleſiaſtico ordine deueniendum eſt ad vnum Principem in terris, in quo erit ſtatus, & confirmatur, quia non minùs relucet potentia Dei in his quæ ſunt moris, ſeu gratiæ. Præterea nullum eſt iudicium maius iudicio Sedis Apoſt, & Papæ; ergo à nullo poteſt iudicari, conſequentia nota eſt, antecedens patet ex cap. cùm inferior, di. 19. præterea Papæ iuditium ſoli Deo reſeruatum eſt, vt in cap. aliorum, 9. quæſt. 3. Præterea à Papa non licet appellari, ergo non habet ſuperiorem in terris, conſequentia nota eſt, antecedens ſupra probatum eſt. Confirmatur rurſus iſtud ſanctorum patrum, & Rom. Pont. auctoritatibus prima', B. Anacleti Papæ, & mat. in cap. ſi Papa ſæpè allegato, & Inno. in cap. nemo, 9. quæſt. 3. & Gela. Papa in cap. ipſi ſunt in eodem loco, & multorum aliorum, quos breuitatis cauſa relinquo. Sed & iſtud oſtendo ſacrorum Conciliorum definitionibus, vt in definitione Concilij vniuerſalis Rom. & ex definitione præfati ſynodi, in qua B. Marcellinus Papa, qui thurificatis Idolis mortis timore non fuit condemnatus, vt ſupra dictum eſt, de qua in cap. nunc autem di. 21. Idem ex Chalcedonen. Concilio, vt in cap. eorum, di. 21. quod conſtat etiam ex §. nunc autem di. 17. & multorum aliorum Conciliorum,& ſynodorum,&c. hanc opinionem tenent clariſſimi Sancti Docto. in theo. Hugo de Sancto Victore, Albertus, Sanctus Tho. in 4. Petrus de Taran. Inno. quintus in quarto, Dominus Petrus Vdalricus in ſum. ſua, Dominus Mat. de alta Villa in quarto; Dominus Petrus de Palude in ſum. ſua', quam facit de Poteſtate Eccleſiaſtica, Magiſter Aug. de Anc. in ſum. ſua, Frater Alex. de Elpidio in ſum. ſua de Eccl. poteſtate, huius quidem ſententiæ ſunt omnes fermè canoniſtæ Hoſtien. Io. And. Guido Archidiaconus Alnarus in lib. de ſtatu Eccleſiæ,ſcilicet quòd Papa indubitatus, & verus non poteſt iudicari ab aliquo in terris, niſi propter hæreſim propriè ſumptam, & de iſta concluſione dicta ſufficiant, quæ contra Baſiliense Concilium directè concluditur, & eius ſequaces, ſeu imitatores, qui errauerunt ab vtero, & locuti ſunt falſa contra rationes, & veritatem dogmatizantes, &c.

Sed quæres, quid agendum ſit in caſu, quo Papa eſt obuolutus in enormibus criminibus totam Eccleſ. Dei notabiliter ſcandalizantibus. Reſpondetur, quòd talis eſt,vt prædictum eſt,reuerenter,& charitatiuè admonendum, ibi enim ipſum Deum, quem ſolum habet iudicem deprecari debemus, vt eum conuertat de Cœlis, quem à neminè in terris poſſe iudicari voluit, quod ſępius diuina Prouidentia hoc permittit propter peccata plebium, vt ſic vertantur corda regentium ſecundùm Greg. ſicut etiam membri malitia, ſeu morbus naturaliter inficit, & perturbat cerebrum, & caput, ſicut Deus permittit malignitatem plebium,caput Eccleſiæ Papam in perſona quandoque contaminari, nec Papa maior eſt Petro ſucc. ſuo, qui Chriſtum ad clamorem vnius ſimplicis ancillæ negauit, qui fleuit, & pœnituit, & Chriſtus peccatum deleuit, non enim Papa Chriſtus eſt, qui erat penitus impeccabilis per naturam, licèt ſit eius Vicarius, ſic nec Vicarius Epiſcopi eſt Epiſcopus, omnis homo mendax, & nemo ſine crimine viuit, & ſi diximus, quòd peccatum non habemus ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non

eſt,

est, hoc enim speciale priuilegium est solius Christi, & Gloriosissimæ Virginis Matris suæ, quod nunquam venialiter obligatoria, neque mortaliter peccare potuerunt, quod habuit mater per gratiam, & filius per naturam, quod nulli puto homini etiam per diuinam potentiam potest communicari, quod sit impeccabilis per naturam, cùm omnis talis sit vertibilis propter liberum arbitrium, etiam secundùm naturam. Et quisque consideret se ipsum, & accuratè suam conscientiam perscrutetur ex omni parte, & eliciat primò trabem de oculo proprio, antequam velit festucam ab alienis auferre. Etsi quis sine crimine est, eijciat in alterum primum lapidem. Scriptum est enim nolite iudicare, & non iudicabimini, quia Deus iudicium sui Vicarij, sibi ipsi voluit reseruari, si enim ab ipsa Eccles. sua sponsa, nec à Concilio vniuersali eiusdem Papę iudicium penitus excludit, vt ex prædictis patet, quàm graue, & temeratium, & iniquum sit in particularibus hominibus, & potentatibus de ipso supremo Pont. facere iudicium quodcumque, præterijt proculdubio neminem. Vnusquisque onus suum portabit coram Christo iudice sempiterno, qui plus dilexit Petrum peccantem, quàm vnquam fecerit Iudam etiam rectè viuentem, quia vnus reprobus, & alter prædestinatus erat ad gloriã, an odio, vel amore quis sit dignus erga Deum, noli iudicare, si non vis errare, nam Christus Magdalenã ex lebete phialam, & ex peccatrice Apostolicam fecit, & Paulum vas electioni s ex persecutore fecit, quippe Petrum quandoque errantem permisit, quem pęnituisse, & fleuisse legimus sic, si contingat quandoque successores eius tamquam homines errare quãdoq; etiam ipsos pęnitere speremus, quoniam duodecim horę sunt diei, nec ipse Deus vult mortem peccatoris, sed dat tempus, vt conuertatur, & viuat, quod si vniuersaliter omnibus dictum sit, id maximè in suo Vicario id pietatis, et misericordiæ nomen (quia omnium nostrum curam gerit, et Seruum seruorũ Dei dilectis se exhibet) magis habere locum piè credendum est, ac Christus respiciens Petrum in vno nutu oculorum ipsum ad pœnitentiam prouocauit, et latronem eum, vt Deum in cruce confitentem secum in illa hora ducit ad paradisum, et clamet propheta, in quacumque hora peccator ingemuerit vita viuet, et non morietur, et scandalum quidem pati opus pusillorum, et minimorum est, dicente Christo. Si quis scandalizauerit vnum de pusillis istis minimis, idest qui in fide pusillanimes sunt, et minimi. Non enim Constantium in illa est scandalizari, nec minùs conturbari de operibus alienis, nam si videam Prælatum meum se in foueam præcipitare velle, an debeam, et ipse sequi illum, secum in foueam, profectò non nisi fuerim amens, et stultus, sicut iam dictum est, et propterea, vt è mentibus pusillorum, et huiusmodi simplicium personarum huiusmodi scandala euellantur Sedes Apost. et Eccl. iam per vniuersum mundum sufficienter per multos prædicatores, et Doctores prouidit, ne ignorantiam habeant inuincibilem, ac ex iudicio temerario, et ex tali scandalo animam faciat homicidam. Quippè fiet ex ignorantiã crassa hoc accidat illis, imputabitur eisdem, quia scriptum est, ignorans ignorabitur, et propterea dicit Deus, ductus est populus meus in captiuitatem, quia non habuit scientiam. Et Christus cum dixisset ei Petrus, scis quia scandalizati sunt Iudæi, audito hoc verbo etc. Respondit, sinite eos, quia cęci sunt, et duces eorum. Nihilominus cauere debent omnes Pręlati, quoniam per ea, quæ faciunt mala non soli moriuntur, secundùm Greg. et tu qui pateris humanam infirmitatem, et curare satagis alienam, pro curane tibi dicatur, medice cura te ipsum. Et tandem ex præmissis liquidò patet qualiter Papæ velle detrahere criminosum est, et ipsum priuatim, particulariter, communiter, iudicare, aut quouis modo, aut exquisito colore ipsum Papam despicere (aut quod Deus auertat) eius spernere sententias, lethale crimen est, et mortiferum. Cùm neminem recognoscat in terris iudicem, nec minus superiorem, nisi in casu hæresis, proprijssimè sumptę.

Sed quod in transgressione voti, et per iurij possit dispensari materialiter saltem, hoc est dictum, quoad transgressores, et non formaliter, sic quòd perpetrari periurium, et transgredi votum esset de se licitum, nulla est inter Doctores diuersitas, dico per papam) qui etiam secundùm multos potest in voto solemni castitatis dispensare. Et istud solet ab aliquibus Doctoribus sic intelligi, quòd Papam scilicet dispensare posset in pręceptis primæ tabulæ, quæ magis sunt obligatoria, quia ordinantur immediatiùs in ipsum Deum, et in honorem diuinum magis tendunt, & obligant ad semper, licèt non pro semper, intelligunt enim istud dupliciter. Primò, per ipsorum præceptorum transgressionem. Secundò, per ipsorum transgressorum absolutionem, primo modo Papa non potest dispensare in præceptis Dei, vt quòd alicui liceat Dei mandatum transgredi, vel votum, et contra ipsa aliquid agere, quia Papa diuinam legem non condidit, nec potest ipsius vim obligatoriam sic auferre, vt notum est. Sed secundo modo potest, quia absolutionem, et pęnę taxationem transgressorum præceptorum Dei in aliquibus casibus, sibi reseruat, in aliquibus verò alijs Papæ committit, & vrgente aliqua communi vtilitate, aut congrua ratione, seù causa nedum dispensat, sed ea, quando illicita sunt, etiam fieri iura minimè permittunt, sed quando sunt proficua, vel dubia, tunc in ipsis cadit dispensatio. Vndè differre votum, aut iuramentum ad tempus de Concilio vniuersali celebrando rectè, & nunc legitimè distulit, vsq; ad aliquod tempus aliquibus eminentibus causis maioribus canonicè, & legitimè impedientibus, quorum cognitio iudicialis non dependet ab aliquo ipso Sum. Pont. inferiore, sicut & augere numerum Reu. Cardin. ipsiusmet est cognoscere, & iudicare, qui totius reipub. vtilitatem in manu tenet, habet enim prouidere vtilitati non solùm vnius hominis, vel vnius populi, imò totius mundi, & ipsius cor est in totiusmundi actore, scilicet Deo, qui vertit illud, vbi vult, & differre facit, quod vult, & quæ ad vtilitatem Ecclesiæ sponsæ suæ, & totius numeri electorum faciunt

faciunt, & concernunt commodum christianitatis, & totius mundi regimem intrinsecùs reuelat diuina prouidentia, & spirat principaliter, quæ vult obscura fieri, aue occulta alijs,quoniam ipse solus futura contingentia bona, vel mala, & tamquam certa cognoscit, quæ occulta, & incerta omnibus hominibus facta sunt, & vias, per quas peruenitur ad futurum commodum contingenter solus ipse Deus cognoscit, & cùm fragile sit, & fallax omne iudicium humanum, sæpè via, & modus, quem arbitramur, & existimamur meliorem deterior est, & magis ducens ad peruiciem, nisi ad hoc specialiter spiretur à Deo, qui etiam homine non percipiente contingit. Vndè Spiritus, vbi vult spirat, & vocem eius audis, & nescis vndè, & bona gratis data, quæ concernunt publicam salutem etiam à non sciente pronuntiantur, & promulgantur,vtpotè de Caypha,qui modum humanæ redemptionis iudicauit, & prophetauit nesciens. Melius est, vt vnus moriatur pro populo, quàm tota gens pereat, similitee Balabę Propheta Azina locuta est, & suscitauit Spiritum Danielis Deus in condemnatione Susannæ innocentis, quam omnes credebant, & existimabant illam fuisse rectè iudicatam, vt lapidaretur: Vndè abscondit Deus multa sapientibus, & reuelat illa paruulis, & dona huiusmodi, seù gratiæ, sicut & prophetiæ dona gratis, & non gratum facientia existunt, & legimus sępè paganos, infidelesque principes multa egregia bona, & præclara gesta ex suo genere laudabilia fecisse fortitudinis, & iustitiæ. Rursus constat, quòd sicut cum alijs potest dispensare super huiusmodi transgressionibus votorum, & iuramentorum, & alijs quibuscumque criminibus etiam omnes pœnitentes cum ipsis dispensare, & plenariam omnium peccatorum suorum concedere, & per suos confessores Idoneos, vt quotidiè fit ab illis absolui posse declarat, & clauso inferno eisdem portas Paradisi reserat. Cur de eodem thesauro Ecclesiæ, cuius, & clauiger, & thesauearius est supremus, sibi ipsi prouidere nequeat? per suum Idoneum confessorem, sicut ab huiusmodi criminibus, & alijs grauioribus absolui possit, & valeat, & se pœnitenteem absolutum rectè credat, & existimee, debeat quoque existimari, & eeputari absolutum ab omnibus? præterit proculdubio neminem, qui & de potestate clauium, & de Sacramento pœnitentiæ rectè, & catholicè sentit. Et dato, quòd aliquis Papa offendisset in istis, qui & non offendisse potuit ex causis prædictis, imò talis causa occurrere potuisset, quòd complendo vota, & iuramentum plus demeruisset apud Deum, quàm aliquibus hominibus complacuisset fortassis, sicut Herodes malè iniquè fecit iuramentum in Decollatione B.Io.Bap.ob complacentiam aliquorum compleuisse, quare concludunt Doctores, & meritò nullum votum, aut iuramentum illicitum esse complendum, & quòd de se etiam videtur esse licitum, & complendum de per accidens, & ratione alicuius causæ, seù temporis foret illicitum, & ve si inro, & polliceor prædicare Verbum Dei, quòd est opus heroicum, & valdè meritorium de se verum, & hora, & temporibus accurrente necessitate baptizandi, vel subueniendi parentibus extremam necessitatem patientibus, aut etiam famem potiùs in hoc casu, & pro isto tempore prædicando offenderem, quàm si iuramentum huiusmodi, aut votum essem executus. Istud manifestum est, quia maius bonū de se sępè ratione temporis efficitur minus bonum, & è conuerso,vt vnus panis tempore extremę famis plus prodest vni, quàm mille ducatus auri si haberet, etsi dicatur rationes nostras concludere solùm in foro conscientiæ, & non contentioso. Respondeo quòd verum est principaliter, sed minus principaliter, seù de per accidens,concludunt etiam, quoad omne iudicium, quia occulta sunt diuinitus Papæ inspirata in eo casu, & in foro contentioso neminem in terris Papa superiorem recognoscit, vt planè ex supradictis patet, quare inanis est opinio, & friuola illorum, qui redarguere graniter nituntur, satagunt aliquem Sum. Pontif. pro huiusmodi transgressionibus, & quod fortius est ideò etiam depositione dignum arbitrantur, vel totam propterea reformari Ecclesiam in capite, & in membris prædicent illius Spiritus sancti eulogij. immemores omne cor mærens, & omne caput languidum, & eursus omnis homo mendax, & defectibilis per naturam, nec contrarium in eo posse Deus facere, vt prædictum est, quippè si Princeps erret in aliquo, ve homo, & non pudeat coram Deo pœnitere, qui ab alio puniri in terris non potest, & habeat, quæ sunt ad rectè principandum, & bonum zelum, & vehementem erga iustitiæ, & pacis ministerium opus, & affectionem, qui ad commune bonum huiusmodi pro totius christianitatis augmento, & robore, & ab hominibus, & ab ipso Deo principaliter, & immediatè noscitur fore, & esse creatus, & institutus, non propterea principandi desetit dignitatem, nec minùs de per se offendit illam, quia principalia, & maiora exequitur, quæ tali officio, & dignitati sunt principaliter adnexa, exempla verò bonorum, operum bona sunt, non tamen essentiam officij intrinsecùs attingunt, nec ad illud exequendum, seù possidendum sunt de necessitate requisita, sed potiùs, de per accidens, & debere esse existunt, nec obstat si aliquis Rom.Pont. iunerit antè, vel post adeptionem Papatus, est enim eadem species, quoad essentiam peccati, licèt gradus dignitatis alteretur, manet tamen eadem persona, subiectumque, & obiectum, quoad bonitatem, vel malitiam cuiuslibet actus moralis manifestum est, & hæc de ista parte conclusionis dicta sufficiant maiora dicturi in Corrolario sequenti.

Quòd Papæ est decidere dissensionem, si qua in materia fidei altercatio, seu contentio in Concilio vniuersali contigerit.

HVic vltimæ parti huius conclusionis sub distinctione, sicut dict. Cardinal. de Turre Crem. in sua Sum. Eccl. potestate procedendū esse censemus, quoniam dissensio, seù discordia inter patres Concilij, & Papam in

in materia fidei, aut est materia illa iam definit a prius per Apost. Sedem, quam Patres Concilij, aut vellent refutare, aut immutare, & in tali casu, & non aliàs procedit principaliter nostra conclusio, quæ patet per beatum Hieronymum in cap. hæc est fides 24. quæstione 1. & in hoc sensu videtur intelligenda glos. super cap. quodcumque, quæ ita dixit argumentum, quòd sententia totius Ecclesiæ præferenda est Romanæ, si in aliquo sibi contradicant argumentum 93. dist. legimus, sed contrarium credo argumentum hæc est fides 24. quæst. 1. nisi erraret Rom. Eccl. quod non credo posse fieri, quia Deus non permitteret, argumentum infra eadem recta, & cap. pudenda. Item glos. super cap. nemo 9. quæst. 3. sic dicit, arguitur, quòd Concilium non potest Papam iudicare, vt Extra de elect. cap. significasti. Vndè si totus mundus sentiret contra Papam, videtur, quòd sententiæ Papæ standum esset, vt 24. quæst. 1. hæc est fides, hæc glos.

Secundò possumus loqui, quòd prædicta materia fidei nondum fuit definita, sed veniret in Concilio definienda ad obuiandum alicui nouę hæresi, vel alijs, tunc in tali casu regulariter magis standum fore puto iudicio Patrum de Concilio, quàm iudicio Rom. Pontif. quod videtur emanari ex glos. cap. Anastasius dist. 19. quæ ita habet Papa tenetur requirere Concilium Episcoporum, vbi de fide agitur, & tunc Synodus maior est Papa secundùm quid, scilicet maioritate discretini iudicij, & salubrioris, quia vbi multa Consilia, ibi salus. Nam, vt Bernardus dicit, quæ maior superbia, quàm quòd vnus homo toti congregationi iudicium suum præferat, tamquam ipse solus habeat Spiritum Dei, propter quod Archidiaconus approbans glos. præfati capituli Anastasius dicit periculosum esset fidem nostram committere arbitrio vnius hominis, & non modò Papa vniuersali Concilio, sed etiam vnicuique, qui meliùs sentiret, deberet credere plusquam sibi, & maximè, quia in Concilijs huiusmodi solent esse Doctores, & magistri in Sacra Theologia, quandoque etiam superioribus peritiores, et qui diutiùs studuerunt in sacra Scriptura, & ea quæ fidei sunt faciliùs à similibus speculantur, decernuntur, & definiuntur vbi sunt definienda, vt prædictum est in iam definita; verò per ipsos Doctores theologos secundùm eorumdem decreta multa possunt canonistæ, quare laudabile est Rom. Pont. multos habere theologos, qui altissima fidei, & sacramentorum mysteria altiùs cæteris suo loco, & tempore recognoscere possint, sicut exemplum habemus de B. Petro, qui licèt esset supremus Pontifex, & Papa, ac Princeps Apostolorum per Saluatorem mundi immediatè constitutus, Paulo tamen Apostolo, & Doctori theologo resistenti sibi, suis rationibus adquieuit, de quo pulchrè Cyprianus in quadam epistola ita loquitur: nam nec Petrus, quem primum Dominus elegit, & super quem ędificauit Ecclesiam suam, cum secum Paulus de circumcisione postmodum disceptasset, nec vindicauit sibi aliquid insolenter, aut arroganter assumpsit, nec dixit se primatum tenere, & obtemperari à nouellis, & posteris sibi potiùs oportere, nec despexit Paulum, quòd Ecclesiæ primus persecutor fuisset, sed Concilium veritatis admisit, & rationi legitimæ, quam Paulus vendicat facilè concessit documentum nobis, & concordiæ tribuendum, vt non pertinaciter nostrum amemus, si quæ à fratribus, & collegijs nostris vtiliter, & salubrirer suggeruntur, si sint vera, & legitima ista potiùs, quàm nostra dicamus; diximus autem notanter regulariter, quia quandoque vnus homo, & maximè ipse Papa multiplici respectu in aliqua materia meliùs sentiret cæteris omnibus, & sicut secundùm communem opinionem sanctorum in sola Virgine gloriosa tempore passionis fidem, & totam Ecclesiam vniuersalem permansisse certè perhibetur omnibus Apostolis à Christo, sicut & corpore, sic & mente deuiantibus, & Diuæ Virgini dictum est à Christo patiente mulier ecce filius tuus, sic & Petro, cui commisit totam Ecclesiam, & omnes oues; dixit veritas ipsa incarnata, & infallibilis, pro te orabo Petre, vt non deficiat fides tua, ne dum Christus hoc videbat, sed etiam se oraturum pro huiusmodi constantia fidei in Petro dicebat, & iterùm dixit eidem. Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Vndè sicut ad Petrum, sic & ad successores istud verbum transiens, facit quemlibet Papam certum, & indubitatum totius Ecclesiæ fundamentum super totum Ecclesiæ ædificium construitur, & fundatur, Vndè piè credendum est, quòd in Papa fidei firmitas, & integritas, dubijs aliquibus etiam emergentibus in ipsa congregatione Concilij ex speciali Dei auxilio interdum maior persistat, pro qua congregatione, sicut singulariter pro B. Petro, vt non deficeret in fide, nullibi Christum orasse legimus, istud quidem si contigerit, quandoque regulariter verò congregationi canonicè congregare in definiendis, & non iam definitis in materia quacumque fidem tangente standum fore censemus. Et hæc de tota hac conclusione principali dicta sufficiant.

Sequitur primum Corrolarium eiusdem quintæ Conclusionis, scilicet quod non tantùm electores sanctitatem persona, quantùm sapientiam, seu prouidentiam quandoque respicere debent.

SEd contra istud Corrolarium arguitur sic primò, quia Papa debet conformare se Diuinæ voluntati in gubernando totam Christianitatem, sed homo qui est vitæ sanctioris faciliùs conformatur Diuinæ voluntati, quàm alius, qui non est ita bonus, igitur semper Papa venit eligendus, qui est vitæ sanctioris. Maior huius rationis est nota, & patet per illud verbum Christi, qui non facit voluntatem eius, qui misit me Patris, non est me dignus; maior probatur per illud Prophetæ in personam Dei non adhæsit ad te cor prauum. Super quo dicit August. quòd cor prauum, & distortum habet, qui non vult, quod Deus vult. Et confirmatur, quia Deus abscondit illa sapientibus, & reuelat ea paruulis, cùm voluntas Diuina occulta sit.

Se-

Secundò arguitur sic, scriptum est in maleuolam animam non introibit sapientia, ergo homo melioris vitæ in Papam eligendus est.

Tertiò sic, e est eligendus aliquis in Summum Pontificem, sic debet eligi simpliciter summè bonus: hoc dictat ratio ipsa naturalis, sed qui est sanctioris, & melioris vitæ simpliciter est summus, & melior esse videtur, quàm ille, qui est deterioris vitæ, ergo semper ille, qui est sanctioris vitæ præferendus est sapientiori, & prudentiori. Confirmatur, quia esse bonus secundùm affectum, & effectum scilicet voluntatem, & opus videtur esse summè, & simpliciter bonus.

Quartò arguitur, Prælati quicumque debent esse bene exemplares, quando per ea, quæ faciunt non soli moriuntur, sed multos ad mortem secum trahunt malè viuendo, ergo à fortiori Papa debet eligi, qui sit instar, & exemplar bonum omnium aliorum, quia est Prælatus Prælatorum: consequentia patet per locum à fortiori, & antecedens est B. Greg. in moral. & scriptum sit in Euang. Si quis scandalizauerit vnum de pusillis istis minimis expedit illi, vt mola asinaria alligetur in collo ipsius, & demergatur in mari. Confirmatur quia retraere sic, & malæ vitæ placere multos scandalizat, & à veritate, & à virtute deuios facit.

Quintò arguitur sic, quilibet elector debet se conformare iudicio rectæ rationi in eligendo, sed recta ratio magis dictat meliorem esse magis eligendum, ergo qui est sanctioris, & melioris vitæ sapientiori, & prudentiori præferendus est, maior patet, qui secus agens peccat, minor etiam probatur, quia maius bonum, magis eligendum est, quàm minus bonum, quia maius minori bono præferendum est.

In contrarium est, quòd scribitur, Extra de elect. cap. ne pro defectu, & cap. dudum eod. tit. & fermè per totum; satis est enim, quòd in electo nullum comperiatur canonicum impedimentum, & eligere sufficientem, & idoneum, quia Canones non plus dicunt, & ideò conformando se ipsis non agunt contra rectam conscientiam, eligentes cùm canonum statuta ab omnibus custodiri debeant, & nemo ex suo sensu, sed secundùm eorum auctoritatem procedere debet, maximè vbi hoc expressum habent Extra de constit. cap. 1. & canon quædam rectitudo sit ex sacris Conciliis emanata. Vndè pro sufficienti teneo illum, cui nihil deficit de necessario requisitis pro illius officij executione, ad quod prouenit per electionem, nec ad aliud tenetur respicere elector, sicut quando pacto, & conditione apposita inter aliquem seruum, & dominum, quòd pro seruitute vnius anni teneatur, & dare aureos decem, & in fine anni hoc facit Italis sufficienter soluit, & de condigno, & sufficienter solutus est idoneus seruus, si verò dominus plus dare velit, quia valdè benè seruiuit, istud est de benè esse, & de congruo, non tamen ad istud tenetur, sic in proposito, si aliquis competiatur, qui est valdè bonus, & doctus, & alius sapiens, & prudens fuerit, sed non æquè bonus, non tamen cum æqua facilitate primus eligi potest, sicut secundus, tunc eligendo secundum non peccat elector, nec ad primum eligendum magis obligatur, & facit sufficienter actum, & sufficienter, iuxta instit. Canonum eligitur ceteris tamen paribus doctior semper, & eligendus, & propinquior etiam, & magis amicus, & vbi cum pari, et æqua facilitate, qui est melioris vitæ, et non incipiens, nec notabiliter inexpertus, aut in prædictis puto, quòd esset personarum exceptio, si secus fieret. Idemque censeo esse dicendum de notabiliter doctiore, et istud erit, si aliquis de Collegio Reu. Card. sicut communiter fit, eligatur, secus esset, si fieret electio de aliquo extra collegium, tunc ad magis sanctum, et magis doctum, et rectè viuentem, et cæteris paribus semper ad doctiorem declinare debent electores, ni aliud impediret canonicum impedimentum, et cum æqua facilitate melior haberi posset, vnde opera nostra, quædam dependent ex præcepto Dei, vel Ecclesiæ, quædam verò ex Concilio. Ex præcepto Ecclesiæ, seu ex institutione sacrorum Canonum satis est eligere idoneum et sufficientem, et hoc obmittendo electores, qui scienter insufficientem, et non idoneum eliguot, grauiter peccant, quia contra canonum statuta, et contra rectum iudicium tationis, et Ecclesiæ præceptum agunt, si tamen eligerent meliorem, et doctiorem, meliùs facerent, et magis mererentur apud Deum, non tamen ad istud ex præcepto tenentur, sicut quis intrando religionem, aut obseruando continentiam, et virginitatem meliùs faceret, quia opus erogationis facit, non tamen ad hoc ex præcepto tenetur quis, quia tunc omnes non religiosi, non virgines, et non continentes essent in statu damnationis, quod esset absurdum profiteri. Vnde Apost. 1. ad Cor. 7. dicit de virginibus autem præceptum Domini non habeo, Consilium autem Dom. et 2. ad Corinth. 8. ait, non tamen imperans dico facta ex aliorum sollicitudine vestrum bonum ingenium comprobans. Vndè opera ex Concilio licèt sint magis meritoria, quia superogationis sunt, non tamen sunt ex præcepto obligatoria, nisi de peraccidens scilicet emissa professione, vel voto iuxta illud, vouete, et reddite vota vestra Deo, vnum est ex Consilio, aliud ex precepto scilicet reddere Deo votum, per emissionem. Habere ergo bonum sufficientem, et idoneum Prælatum, est necessitatis, et præcepti habere meliorem, et doctiorem, et est Consilij, et vtilitatis.

Et ad argumenta ad primum dicendum, quòd non est certum an velit Dominus sanctiorem eligendum quandoquidem elegerit Dauid, qui fuit adulter, et homicida licèt postea fuerit, et est sanctus, qui regit Israel, similiter voluit regem Salomonem, qui idolatrauit, B. Petrum, qui ad clamorem ancillæ Christum negauit, vnde vult ipsum eligendum fortè potiùs, qui licèt non sit melioris vitæ, habet homo illa, quæ sunt magis requisita ad benè, et rectè gubernandum, et faciunt magis pro augmento Reipublicæ, et pacis, nec sequitur, si Deus vult sanctiorem, et meliorem magis eligi, quòd propter hoc istud teneatur vile ex præcepto eligere, nam Deus vult magis aliquem religiosum ex Consilio, et tamen non intrando religionem, non peccat, nisi aliquà signa talis voluntatis diuinitùs, et singula-

gulariter emissa propter hoc vidissent, seu apparuissent super eligendum, sicut factum legimus in multis sanctis viris, et sic foret peccatum eligere alium, quàm ipse Deus specialiter eligit, et voluit per hunc modum specialiter eligendum ex voluntate beneplaciti, præterea potest dici, quòd lex diuina, et potissimum signum diuinæ voluntatis, in qua legimus quandoque peccatores promouisse ad regimen dum tenemur nos conformare voluntati diuinæ intelligendum est respectu eorum, quæ sunt ex præcepto, non autem respectu eorum, quæ sunt ex Consilio, vt in proposito.

Ad secundum dicendum, quòd illa auctoritas loquitur de sapientia, prout est vnum de septem donis Spiritus sancti, per quam plenè Christum intelligimus, et seruimus illi in charitate, quæ esse non potest cum malitia in anima. Vel potest dici, quòd loquitur de maleuolentia animorum hæreticorum infidelium, qui non credunt in Christum, nec volunt illum, siue legem diuinam nullo modo colunt, imò faciunt multa, blasphemantes illam, et manifestum est, quòd tales quaecumque sapientia pollerent, et prudentia nequaquam sunt eligendi, vel aliter, quod non introiuit sapientia, quæ facit ad charitatem, non quæ facit ad regiminis veritatem.

Ad tertium negatur assumptum, quia numquam est in venire perfectū, et solus Deus est talis summus, et simpliciter bonus, et omnis purus homo mendax, et vertibilis per naturam humanam, et fragilem. Vndè Saluator dixit, quis putas est fidelis seruus, et prudens, quem constituit Dominus super familiam suam? quasi dicat nullus in tali gradu perfectionis comperiretur, et rursùm per Prophetam omne caput languidum, et omne cor mœrens. Et ad probationem dicitur, quòd secundùm affectum, atque effectum nullus sic profici potest in via, nec tantùm bonus, aut sanctus quin sanctior fieri possit, quia Deus ipse potest capacitatem ipsius affectus, et effectus, seu voluntatis, et operis magis, ac magis augere, et dilatare. Pro quo est sciendum, quod quemadmodum artes mechanicę sic ordinatæ sunt, et distinctę secundùm speciem, vt quælibet ipsarum habet suum finem, et materiam determinatam, circa quam versatur, simpliciter et liberales sua obiecta diuersa, sicut quod obiectum vnius, sic ab vna consideratur, quod ad aliam non expectat ab ipsis quoque obiectis, et materijs recipiant suam specificam diuersitatem, exemplum primi, vt fabrilis non versatur circa frenificatoriam, nec pictura circa domificatoriam, et sic de alijs, et etiam vnus erit expertissimus, et aptissimus ad pugnandum, qui ad fabricandum, et artem fabrilem exercendum est penitùs inhabilis, et inexpertus, ita in proposito aliquis erit ad regimen animarum ita bonus, quòd non esset pro religione, aut arctiori sanctitate idoneus, & è contra sicut sanctus simplex, & deuotus qui nullatenus esset pro regimine, & cura alicuius magnæ communitatis idoneus, quia sicut artes intra se, & scientiæ etiam distinguuntur, sic & sanctimonia, & religionis virtus, seu sanctitas à prudentia, & sapientia, astutia, & industria distinguuntur: & sic vna ars sine alia esse potest in aliquo, sic virtus regiminis vigebit in vno, quòd nullo modo erit in altero: sic de secundo dicendum, aliquis enim erit metaphysicus, qui non erit canonista, aut medicus, & aliquis est logicus, qui non erit physicus, quare ista consequentia non valet, iste est bonus faber, ergo bonus miles, nec è contra. Sic in proposito non sequitur, iste est sanctus, & melioris vitæ; ergo ad regendum melior, & magis idoneus, quoniam specialis virtus, & ars artium est regimen animarum, nam non videtur, quòd B. Franciscus, vel D. Antonius Eremita fuissent ita idonei ad principandum, & gubernandum aliquem principatum, seu aliquam magnam communitatem, sicut fuit Dauid, & Salomon, aut Carolus Magnus, siue S. Ludouicus, aut alij strenui Imperatores, & Rom. Pont. quos non tantùm simplices, & sanctos, quantùm sagaces, prudentes, & fortes in regimine huiusmodi esse oportet, qui ad mortem vsque pro loco, & tempore decertare possent audactiùs; pro augumento Reipublicæ, & Ecclesiasticæ libertate, strenuus enim Petrus Apostolus princeps, & non Ioannes virgo Euangelista, & multùm priuilegiatus, instante hora captionis Christi clamauit ad ipsum, si oportuerit me mori tecum non te negabo, & ipsum solum legimus euaginasse gladium, & vulnerasse Malchum, ac citiùs arma detulisse, quæ omnibus à Christo erant tunc iussa deferri dicente, qui non habet gladium vendat tunicam suam, & emat, sic in proposito, aut eminente bello, aut armorum necessitate pro manutentione Ecclesiasticæ libertatis, & fidei defensione, & augumento, ac, vt prædictum est, absque simoniæ labe vendendo tunicam; idest Ecclesiastica beneficia, his occurrentibus causis, & omnium fidelium animarum magnis eminentibus periculis potest vtique ad arma etiam, velut alter Petrus, pro Christo licitè confugere, & ferreis quoque gladijs hostem superare, & deuincere, decet igitur Rom. Pont. esse fortem, & strenuum, vt horribilia mortis pericula aggrediatur, quod non facerent, qui sanctitate minores existunt, si vtrumque tamen æqua facilitate haberi potest meliùs agunt, & ad istud magis tenentur electores, vt supra dictum est, & dicta animi constantia, & extrenuitas, quia secularis potestas multùm iam eleuata est, & prosperata, ne superet Ecclesiā, pro cuius augumento potiùs, & conseruatione à Deo noscitur esse instituta, vt ex superioribus est manifestum. Et super illo verbo Ezechielis 13. hæc dicit Dominus de Prophetis incipientibus non ascendistis ex aduerso, nec posuistis vos, vt murum pro domo Israel, vt staretis in prælio in die Domini, per domum Israel intelligitur Ecclesia, per Prophetas verò Papa, & Collegium Cardinalium, & Prælatorum eiusdem. Vndè dixit Gregorius in Pastorali, quòd ex aduerso quippe ascendere est pro defensione veritatis libera voce huius mundi potestatibus contraire. Et vt vulgo Italico dicitur, & benè. A piede de lupi, denti de cani. Progreditur Iulius II. Pont. Max. aduersùs hostes Rom. Eccl. ad alligandos reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis, qui exurgunt aduersùs Deum, & aduersùs Christum eius, ne magis superbienti-

bus dominis temporalibus totam ipsam Ecclesiam eiusdem auferrentibus libertatem perturbent, opprimant, & inuadant, & totum Christi ouile hinc inde dispergant: quod, proh dolor hoc nostro tempore fleudo oculariter vidimus. Vndè tota Longobardia opulentissimum perhibet testimonium, ac Catholici Regis Hispaniæ superueniens præsidium semper in fauorem sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ (vt verum eiusdem filium docet) opus ipse exercuit, & exercet proculdubio propè diuinum, & omnes, qui pro Romana Ecclesia viriliter præliarunt, & eorum pectora semper feruent aduersùs eos, qui schisma, & bella volunt. Sicque vt magis prædictæ virtutes cum animi constantia, quàm vitę simplicitas, & sanctimonia quoniam plus requirantur in Rom. Pont. præterit neminem. Nam multories perhorrentia bella, & ferrum legimus in sacro canone impiorum ceruices, & nonnullorum rebellium pectora cum maxima sanguinis effusione, vtique Deum contriuisse, quia exurgebant aduersùs filios Israel, & Prophetas eorum, nunc autem propheticum illud Psalm. 2. adimpleri videmus, scilicet. Astiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in vnum; aduersùs Dominum, & aduersùs Christum eius: sed qui habitat in cœlis irridebit eos, & Dominus subsannabit eos: tunc loquetur ad eos in ira sua, & in furore suo conturbabit eos, & pater filio ait, & eiusdem Vicario Rom. Pont. postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem, idest Hispanorum fortitudinem, & auctoritatem, quam Papa Iulius verus Christus Domini perijt à Deo, & per Regem Christianissimum, & Catholicum Hispanorum data est ei gentium hæreditas, & in magna copia, dedit enim Deus in possessionem tuam terminos terræ, sed tu Pater Beatissime Iuli Pont. Max. vt vaticinium istud Dauidicum in te compleatur reges eos in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringes eos, & quanta fecit Deus pro locumtenente Iulij Papæ II. Et nunc reges intelligite, erudimini, qui iudicatis terram, & seruite Domino Papæ in timore, & exultate ei cum tremore, & apprehendite disciplinam idest sanam Apostolicæ, & Romanæ Ecclesiæ fidem, atque doctrinam, extra quam nulla salus existit, ne quando irascatur Dominus & pereatis de via iusta, sæpè enim legimus in libris Regum multos per principes, & quasi infinitos Deum interemisse homines propter blasphemiam in ipsum, & magna in lege scripturæ propterea ostendisse miracula. Vndè strenuum, rigidum, atque ferocem Papam esse necesse est, vt superbiam, & rabiem principum temporalium, qui exurgunt aduersùs eum, & Ecclesiam valeat superare, nam & Christus vt eijceret ementes, & vendentes de templo, quod Ecclesiam significabat, cum flagello violenter egessit, & Petrum quoque, vt præfertur gladios tulisse, & portasse iussit, quem successores pro tempore saltem, quo Christi collata Papæ potestas ligatur, siue deprimitur, aut Christus in terris conculcatur potiùs, imitari debent Petri successores in fortitudine, & constantia animi prædecessorem eorumdem viriliter, atque sectari, quod & in Rom. Pont. Iulio Papa II. & factum, & explicatum vidimus, quando assumpto Crucis vexillo, & eo preuio, fortes exercitus imperterritè, & feruenti animo personaliter aggressus est spirituali, & temporali gladijs enaginatis, vel vt alter Petrus intra milites concutientes Christum sese congessit, ac cum Petri manu potenti, & brachio Dei excelso Romanum Imperium, & primæ Sedis insuperabile magisterium mirum in modum extollendo, & cum catholica militia, patria propria liberata, suscepit vtique de hoste triumphum. Ac Deo dante Sedes Apostolica in perpetuum coronata triumphat, cum scriptum sit, regnauit Dominus præcinctus fortitudine cum decore virtutum, cuius Sedes parata est in æternum, & rursùs Deus dicat suo locumtenenti, quem constituit principem vniuersorum, & regem regum, per Prophetam. Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime. Specie tua, & pulchritudine tua; intende prosperè, procede, & regna. Et rursùs eodem Psalmo. Sedes tua Deus in sæculum sæculi; & populi sub te cadent in corda inimicorum regis. Regnabit igitur in perpetuum, & Deus non faciet verbum suum irritum.

Ad quartum negatur consequentia, quia in præclarissimis gestis, bonorum exemplorum gesta clariùs perspicimus, sicut sunt ista, magis, quàm in alia via simplicitatis, & sanctimonię, quàm si simplices non respiciunt in Prælatis, stupent & scandalizantur, & si propterea deuient, aut cadant in via virtutis, & in obseruantia Diuinorum præceptorum, & Ecclesiæ pusilli sunt, & parui animi. Sinite eos, dixit Christus Petro, quia cęci sunt, & duces eorum, & veh mundo ab scandalis, Christus autem loquebatur de scandalo passiuo, quod assumebant Iudæi, iniustè tamen, & iuiquè contra Christum, & veritatem infallibilem. Bona tamen vitæ exempla, magis cum præmissis iuuant, & prosunt.

Ad quintum dicitur, quòd recta ratio magis dictat prudentem, & sapientem, cautum, fortem, robustum, rigidumque, & constantem fore eligendum, quàm solummodò sanctum, nam id dictat, quod ad rectitudinem iustitiæ, & pacis, ac libertatis Ecclesiasticę magis pro tempore prodest. Et hoc bonum, quia communius, & ideò magis eligendum, quàm priuatum, quod facit priuata, & singularis personæ sanctitas. Et ideò vita actiua, & contemplatiua simul, quam obseruant mendicantes, melior est contemplatiua solùm. Si enim Iulius Pont. Max. contemplationi, & sanctimonię solùm vacasset, & is fuisset simpliciter intentus profectò, nec hostes superasset, nec conciliabulum iam inceptum dissoluisset, vt nuper fecit schisma, atque damnatum cum eiusdem fautoribus eneruare, & extinguere possit, & enernare gloriosa, & mirabili cum animi fortitudine satagit, atque contendit. Ex quibus sequitur, quòd Papa potiùs fortis, & robustus, ac prouidus, quàm sanctus, & animo debilis eligendus venit aliquando, & hæc de isto Corrolario dicta sufficiant.

Se-

Sequitur secundum Corrolarium quintæ Conclusionis, quòd Theologus in electione cæteris paribus præferendus venit.

ET videtur primò, quod Iurista theologo præferendus sit de Rhetoricis, & poetis solùm hic nulla fit mentio. Arguitur sic. In electione Pontificis Max. quoniam dictum est Moysi, applica tibi Aaron fratrem tuum Exodi 28. & Greg. dicit quòd qui ad summum sacerdotium assumuntur tanto amore, & studio debent eligi, & iustitiæ adhærere, vt germana videantur cognatione coniungi, ergo &c. Secundò Papa potissimè eligitur ad iurgia, & lites quæ sunt in mundo extinguendum &c. vt Extra de electionibus rex pacificus, ergo iurista, cui hoc proprium est, magis est eligendus. Tertiò arguitur sic, illi, qui referunt causarùm, & litium, & huiusmodi qualitates, qui referendarij vulgò nuncupantur per supplica: exponentes petentium, & oratorum voluntates non nisi per terminos iuris communiter procedunt, petuntque, & quærunt à Papa hoc fieri, ergo ipse per eosdem quoque terminos debet respondere, & concedere, vel negare proposita sibi subditorum suorum vota, & desideria, ergo iuristam plus quàm Theol. eligere conuenit in Papam. Quartò super illud Propheticum canes sunt non volentes latrare dicit Aug. quòd baculo, & manu arcendi sunt lupi, scilicet iustitiæ aduersarij, sed istud est præcipuè iuristarum, ergo iuristam potiùs, quàm theologum debet eligere collegium. Quintò regnum à regno transferetur propter iniustitias, & iniurias, & contumelias, & diuersos dolos &c. sed Papa debet esse doctus, & expertissimus inter omnia ista, ergo iuristam in Papam debet eligere collegium potiùs, quàm theologum. In contrarium est, quod scribitur 26. distin. quod ad summum sacerdotium non aspiret, qui diuinis stipendijs, & disciplinis non est eruditus, & B. Hieronymus fortiter reprehendit Clericos, & Prælatos Ecclesiæ, qui potiùs in manibus portant codices Imperatorum, quàm Euangelistarum, & Sacræ Scripturæ. Pro quo sciendum est, quòd sicut Theologia est suprema, & princeps, & monarcha omniū aliarū scientiarum, & proprijssimè pro salute animarū, & exaltatione fidei, & Eccl. specialiter ordinata, & immediatè ab ipsis articulis fidei orta diuinitùs, & non humanitus ab ipsa sapientia infallibili, & æterna, quæ est Deus mortalibus reuelata. Dignum est etiam, & iustissimum, vt Ecclesia, quæ in fide fundata est, & de potioribus articulis fidei est credere in vnam Sanctam, & Apost. Eccles. professor, & expertus in Theo. primatum teneat, ac in Eccl. Monarcha constituatur, & sit architector iustissima, quòd in electione ad Papatum præponatur, in quo constitutus scientiam sui Principis, seu prædecess. B. Petri imitari debet, qui solùm in Theo. & Euangelica doctrina per Christum dignoscitur esse eruditus, vt Romanis Pont. & alijs Ecclesiæ Prælatis speciale, & singulare præberet exemplum. Vnde antè ascensum ad Cœlum saluator mundi suis discipulis dixit, euntes in mundum vniuersum prædicate Euangelium omni creaturæ, & vt ad scientiam, & prædicationē de fide principaliter declinarent subiungit, qui crediderit, & baptizatus fuerit saluus erit, qui verò non crediderit, condemnabitur, non enim dixit iudicate, sed exercitium relinquit ipsis pro nouissima die, quando dixit Christus eisdem, cum sederit filius hominis in Sede Maiestatis suæ sedebitis & vos, iudicantes 12. tribus Israel, & ex Theo. consugit sonus, de quo loquitur Propheta. In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum, & non est sonus strepitus figuræ, & telæ iudicialis, et si inferatur ergo iurium, et legum exercitia superflua sunt, absit, imò sunt pro iustitiæ ministerio, et pro conseruatione valde necessaria, sicut pro arte militandi pro augumento reipub. et pace fabrili indiget, et tamen fabrilis, vel faber respectu huiusmodi infima est, et contemptibilis, et sicut aromatarius in comparatione medici, manifestum est enim huius exercitationes, scilicet strepitus, et talem iudicij contestationem ad Rom. Pont. non pertinere decidere, et definire, sic in particulari, sed minoribus Ecclesia huiusmodi executiones committit, licèt in vniuersali, in quadam generali præeminentia ardua, quandoque definiat, aut decernat, quæ etiam bonus theologus, cùm illa sint iusta, aut iniusta non ignorat, agnoscit enim quid conforme legi diuinæ sit, et tunc talis legis habere vigorem, aut quid difformè, et contrarium, et tunc legem talem, aut consuetudinem nulli habere valorem. Vnde dicit Aug. quòd lex, vt mihi videtur dicenda non est, quicquid enim veritatis, et iustitiæ est in omnibus scientijs, et in Sacra Scriptura perfectiùs inuenitur, quicquid enim noxium, et falsum est in ea damnatur secūdùm eumdem, nam ipsa sapientiæ theo. de semet ipsa loquitur, et clamat prouerb. 5. per me reges regnant, et legum conditores iusta decernunt, ergo iusta decernere, et saltem in Ecclesia regnare sapientis Theologi est, tenet consequentia per locum ab irrefragabili Sacræ Scripturæ auctoritate, et alibi esse aurum arenam esse exiguam in comparatione illius attestatur. Sed quòd sit suprema, et monarcha omnium aliarum scientiarum, quod est assumptum nostrum probat Diuus Doct. noster Angelicus B. Tho. in prima parte, nam legalis, et canonistalis facultas, et omnes aliæ scientiæ dicuntur ancillę ipsius, et solùm adminiculatiuæ iuxta illud prouerb. 6. misit ancillas suas vocare ad artem. Ista namque scientia quandoquidem, quantùm ad aliquid practica, quia de virtutibus theologicis, et moralibus ducentibus ad Deum, et de omnibus mundi operibus, nam theologus considerat de Deo, vel quæ Dei sunt, aut ducunt in ipsum tota est sermo diuinus, ideo dicitur theologia à Theos Græcè, quod idem, quod Deus Latinè, et logos sermo, quasi sermo diuinus, seu de Deo, et quantùm ad vtrunque omnes alias transcendit tàm practicas, quàm speculatiuas manifestum est ex sufficienti diuisione, et ratione, nam speculatiuarum scientiarum vna altera dignior

dicitur tùm propter fortitudinem, tùm propter dignitatem materiæ, et quantùm ad vtrumque hæc scientia omnes alias speculatiuas scientias excedit, quantùm ad primum, quia aliæ scientiæ certitudinem sumunt à lumine naturalis rationis humanæ, quæ potest errare, hęc autem scientia ex lumine diuinæ sapientiæ, quæ decipi non potest secundùm dignitatem, et materiam, quia ista scientia est principaliter de his, quæ rationis humanæ altitudinem transcendunt, et non contra, sed sunt super illam omnes aliæ scientiæ considerant ea, quæ rationi subduntur practicatum verò scientiarum, illa dignior est, quæ ad vlteriorem finem non ordinatur, finis autem huius doctrinæ, in quantùm est practica, est beatitudo æterna, ad quam sicut ad vltimum finem, ordinatur, omnes alios fines scientiarum practicarum excedens. Vnde manifestum est secundùm omnem modum eam esse cæteris digniorem, hæc B. Tho. Vnde sequitur, quòd digniorem locum debet habere ille, qui est professus in ea, et expertus, quàm alius quicumque in alijs scientijs, quantumcumque expertus, sed fortassis dubitando, dices hæc scientia recipit dubitationem, cum procedat ex articulis fidei, alia verò scientia, vt physica, et mathematica non recipiunt dubitationem, cùm earum principia sint euidentissima, ergo videtur, quòd ista scientia non sit dignior, secundò hæc recipit principium ab alijs, ergo videtur, quòd sit inferior. Ad primum dicendum, quod non inconuenit id, quod est certius secundùm naturam esse, quoad nos minus certum; hoc prouenit ex debilitate intellectus nostri, qui se habet ad manifestissima naturæ, sicut noctuę ad ipsum solem, talia enim principia in se, et quoad comprehensores sunt clara, et euidentiora cæteris principijs, quarumcumque scientiarum, nec hæc ratio etiam militaret pro iuristis, qui propriè scientiam non habent, sed potiùs quamdam prouidentiam, seu facultatem, qua quid prosequendum, aut fugiendum secundùm institiam prędicent, et decernunt, quod magis in quolibet discutitur. Ad secundum verò dicendum est, quòd hanc scientiam suscipere aliqua principia à physicis contingit dupliciter, vno modo quod eis indigeat, et sic est falsum, quia talia à Deo imediatè suscepit, et fuerunt reuelata ab eo, alio modo, quòd eis vtatur pro declaratione eorum, quæ traduntur in ipsa, et vtatur illi, tamquam quibusdam adminiculis, et ancillis sic similis militari, & militaris fabrili, & sic verum est. Hic enim defectus non ex ea, sed ex parte intellectus nostri, qui ex eis, quæ per naturalem rationem, ex qua procedunt aliæ scientiæ cognoscuntur facilius, manuducitur in ea, quæ sunt supra rationem, quæ in hac scientia traduntur. Vnde & iura, & decreta omnia Beatorum Aug. & Amb. Cypriani &c. Theologorum præcepta, quædam existunt, quibus iniustè, sicut aromatarij preceptis medicorum ad sanandum corporales egritudines vtuntur, sic & iuristæ etiam ad sanandum spirituales infirmitates, quæ contingunt ob defectum virturum theologalium, aut moralium, quæ sine illis, minimè perficiuntur vtuntur traditionibus Doctorum Theologorum, & Imperatorum legibus, quæ receptæ sunt à Theologis, & prout sunt Diuinæ legi conformes, & sic non sequitur medicus nescit exequi receptam, quam composuit, seu condere cum requisitis materiebus, eo modo, quo Aromatarius, nec miles facere frænum sicut faber, aut frenifactor, ergo dignior est Aromatarius medico, vel Faber milite. Sic in proposito, non sequitur Theologus nescit texere telam iudiciariã &c. sicut iurista, ergo iurista est dignior Theologo. Dico tamen quòd in iudicijs, & locis forensibus, vbi de iustitia, & iure materia legum agitatur ipsos primum locum obtinere dignum est, sicut & in commixtionibus, & condimentis potionum, Aromatarij multotiens medicis præponuntur, in alijs autem, quæ legales strepitus immediatè non concernunt prima dignitas, & prima sedes Theologorum sunt, & si secus faciane, quandoque iuristæ quia plures, & potentiores, & ditiores existunt, quàm Theologi, sicut Aromatarij multotiens medicis, etiam ditiores existunt, hoc nulla ratione publicæ honestatis insinuante, iuristæ si sint, & cæteris patibus in magnum per iudicium iustitiæ ciuilis permittunt, & faciunt, pace multorum loquar, qui ipsorum, postquam intetest contrarium facere nituntur, & hoc faciunt, arbitror, quia suis pompis, & diuitijs paupertatem Theologorum appropinquati etiam debere vtrentur, & erubescunt, quos videne magis in hoc Christo proximiores, à quo dependet immediatè Apostolorum, & Theologorum scientia, & est sicut, si Aromatarius medicum in succedendo, vel sedendo, aut aliàs honorare erubesceret, aut faber militem, vt ex pręmissis rectè intellectis, cœtera si fuerint paria manifestum est. Sed quòd magis ad Papatum collegium debeat eligere Theologum, quàm iuristam cœteris paribus.

Quatuor enim modis, vt dicit d. Ang. de Ancona in sua summa Papa considerari potest. Primò ex parte Eccles. cui præfectur, nomine cuius non intelliguntur muri, aut męnia, seu bona temporalia, aut huiusmodi, de quibus insurgunt omni die lites, & discordiæ, ad quod sedandum opus est præsidium Iuristarum, sed magis intelligitur vnio fidelium animarum, quæ vt coniungatur sponso illius Christo, & conformentur illi, maximè prædicatione, & Doctrina Theologorum indigent quotum continua prędicatione, lectione, disputatione (& non iuristali strepitu) fides saluberrima gignitur, nutritur, alitur, & contra hostes, & hæreticos defenditur, virtutesque animarum augentur, & præmia, & pro tali Eccles. Christus mortuus est, & terrena contemnens ait. Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos, filius autem hominis non habet, vbi reponat caput suum. Et Chryso. in Homilia de Pentecost. magna, inquit cura est Deo de Eccl. sua non muro circumdata, sed fide circumsepta. Et Apost. 2. ad Corin. 12. Christi vestigia sequens, dicit, ego autem libentissimè impendar, & super impendar ego ipse pro animabus vestris. Secundò hoc patet ex parte status, nam Papa idem sonat, quod pater patrum, ita quod debet esse medius inter Deum, & alios Pastores, & Prælatos Ecclesiæ, nam super illo verbo, quod dictum, est Moysi Exo. 4. in eis in

his,

his, quæ ad Deum pertinent, & Aaron frater tuus loquetur per te ad populum dicit Aug. quod Sum. Pont. cuius figuram gerebat Moyses medius debet esse inter Deum, & Aaron, qui gessit figuram aliorum Prælatorum, nam cùm ipse Moyses vellet terminare quæstiones, & iurgia in populo audiuit à Ietro cognato suo Exo. 19. stulto labore consumeris, statu in populo in his, quæ ad Deum pertinent, & ostendas populo ceremonias, & ritum colendi Deum, ad lites verò, & quæstiones determinandas prouide de omni plebe viros timentes Deum, in quibus sit veritas, & qui oderint auaritiam. Tertiò istud patet ex parte scientiæ, per quam Sum. Pont. perficitur, sicut enim ipsa præfertur omnibus Prælatis, & Pontificibus, ita scientia ius præferri debet omnibus scientijs, sed vt ex supradictis patet, Theologia est omnium scientiarum dignissima, ita etiam professor in ea præferatur omnibus alijs, in alijs scientijs professis dignum est cœteris paribus, sacra autem scriptura omnibus legibus præfertur manifestum est, ergo in Papam in ea magis eruditus magis eligendus, & nisi alter fuerit tanta prudentia, & sagacitate fulcitus, quod ad regimen animarum, & totius Christianitatis melior notabiliter esset, propterea subiungo cœteris paribus. Quartò istud constat ex parte Iudicij vniuersalis, quod habet Papa, multa mala fiunt in mundo, quæ per iura, & leges non puniuntur, vt dicit Aug. in 1. lib. de lib. arb. Videtur in lege ista, quæ regendis ciuitatibus fertur multa concedere, atque multa impunita relinquere, quæ tamen per diuinam scientiam iudicantur, & 10. di. scribitur, quod legibus Imperatoris non in omnibus Ecclesiasticis controuersijs, vtendum est, præsertim, cum inueniantur Ecclesiasticæ, & canonicæ, & Euangelicæ sanctioni aliquotiens obuiare.

Ad argumenta principalia, ad primum dicitur, quòd verbum Gregorij intelligitur de lege Diuina, aut aliter secundum B. Cyprianum scribitur 10. distin. quòd Christiani Imperatores pro æterna vita Pontificibus indigent, & Pont. pro cursu temporalium tamen modo imperialibus legibus vti debent, quatenus spiritualis homo negotijs sæcularibus se non implicet. Ad secundum dicitur, quòd Papa hoc facere debet per minores, quæ sunt in Ecclesia, vtpotè per iudices sæculares, sicut nec miles debet facere frena, sed fabr illa temiecit. Vndè; Apostoli 7. diacones eligerunt, qui temporalibus insisterent, nec bonus Theologus, vt dictum est supra, à legum, & iurium scientia nudus existit, nouit autem, quæ consormia, aut dissona sunt sacræ scripturæ, in qua est professor, nec requiritur singularis scientia terminorum, & per hoc dicitur ad argumentum tertium. Ad quartum dicitur, quòd hoc fieri debet per Papam per alios facere, & non per se ipsum, vt dictum est. Ad quintum dicitur, quòd bonus Theologus, habet enim per se, & cum alijs circumspectis viris sufficientem ad regendum scientiam, & hoc sufficit, nam Papa debet esse perfectus principaliter in lege Diuina, de qua scriptum est lex Domini Immaculata conuertens animas, circa quorum salutem Papalis dignitas principaliter à Deo instituta fore dignoscitur, legem autem humanam principaliter sumere potest non ad intentum principale, sed ad aliquod adiutorium temporale, vt dicit Augustinus, & habetur 10. dist. nam fecit hoc Paulus cum aduersùs iniuriosos Cœsarem appellauit, & Ciuem Romanum se esse protestatus est. Vndè, & latrare contra lupos, qui sunt tyranni Sedis Apost. rebelles ne animas fidelium schismaticas, vel alias rapiant, & stare ex aduerso contra volentes inuadere Dominicum gregem, & sanctum Imperium Apostolicum violare, aut deuastare, aut terras eidem subiectas occupare, melius est per sacras Scripturas, quàm per leges, & iura facere, quia finis eius est charitas iuxta illud Apost. finis præcepti est charitas, quæ vt scribitur in Cant. est omnis armatura fortium, qua expoliatus Petrus, vna enim voce mulieris percussus, dum mori timuit, vitam, scilicet Christum negauit, & qua vestitus dixit, obedire Deo, magisque hominibus, manifestum est enim de obedientia erga Deum, & de reuerentia exhibenda Supremo Pont. eiusdem Locumtenenti præcipuè determinare Theol. est & alia, quæ ad fidem Orthodoxam definire, & decidere, quare Theol. bonum expertum plusquam iuristam cœteris paribus magis sacrum Collegium Cardinalium eligere tenetur, & idem dicendum est de alijs præcipuis Ecclesiæ Prælaturis, & dignitatibus. Sed quod de fide, & potestate Papæ ad Theol. spectat disputare, tamquam totũ de se, & manifestũ relinquitur, quoniam ad ipsum de Deo, & de his, quæ immediatè procedunt ab eo, pertinet disputare, sed fides, & talis potestas, vt supra dictum est, immediatè procedit à Deo, ergò &c. minus principaliter, & ministerialiter iuristam exequi per Theol. & condimenta dignum est. Et ista cum omni pace, & reuerentia iuristarum dixerim, quos obsecro plus rationi, quàm affectui fidem adhibere velint, & in sacro, & irrefragabili canone, & sacra Scriptura diuinitùs inspirata Doct. expertos præ cœteris professoribus, cœteris paribus magis reuereantur, maioremque honorem, & reuerentiam exhibere curent, mercedem etiam habituri ab eo, qui in Eccl. triumphanti eosdem Doctores exaltando certis, & specialibus laureis, ideò est ornaturus, qui est Christus Iesus salus æterna credentium, & hæc de isto Corrolario dicta sufficiant,

Sequitur sexta, & vltima Conclusio.

COnclusio hæc tamen fuit superiùs virtualiter posita, seù consecuta videlicet in illis duabus conclu. præsertim, quod Papa recognoscit superiorem in terris, nec potest ab aliquo iudicari in terris, & nisi in casu hæresis propriè sumptę pro sui principatus excellentia tantis sunt supra sanctorum Patrum roboratę testimonijs tam irrefragabilibus (vt ità audeam loqui) fulcitę rationibus, & sanctorum Canonum luminibus illustratę, vt superuacuum censeamus alia inducere testimonia, sed solùm aduersariorum argutijs, & rationibus restat respondere. Et supponimus in primis, quòd potestas Papa-

tus

tus à nemine mortalium dependet, sed immediatè est impensa à Deo, vt in principio satis probatum est. Secundò, quòd Rom. Pót. non modò singularibus personis est superior, sed etiam toto Ecclesiæ corpore. Tertiò, quòd corpus istud non est aliquid commune propter membra congregata, sicut patet de alio corpore, quòd non est nisi partes adæquatę, simul sumptę, & vnitę, vt notum est. Quartò, quòd Papa Pastor est, & caput totius Ecclesiæ, & per consequens omnium fidelium singulariter, & simul sumptorum. Quintò, quòd ex textu illo, scilicet nemo iudicabit primam Sedem, sępè allegato satis sufficienter intentionem aduersariorum euacuari visum est, cum sequatur in eodem, non enim ab Augusto, nec ab omni Clero, nec à regibus, nec à Populo iudicabitur, & glos. ibidem super verbo ab omni Clero, ait argumentum, quòd Concilium non potest Papa iudicare, vt Extra de electione significasti, & sic eneruatur omnis potestas terrena, ne possit iudicare Papalem, nisi famosa hæresi, & pertinaci infectam, & contaminatam.

Et ad argumentum propiùs accedentes negatur illud assumptum, quòd nomina distributiua competere non possunt congregationi fidelium, quæ vnica, & inplurificabilis est, parùm valet, quia talia signa addita nominibus collectiuis, vt sunt populus, plebs, & huiusmodi tenentur, collectiuè significant enim idem quod totum, sicut est illud, quod habetur ad Heb. 3. sicut Moyses fidelis fuit in omni domo sua, quòd exponitur in tota domo, scilicet synagoga Iudæorum, & illud 3. Reg. 8. conuertitque rex faciem suam, & benedixit omni Ecclesiæ, & primi Paral. 19. præcipit autem vniuersæ Ecclesiæ benedicite Deo, & benedixit omnis Ecclesia Domino Patrum suorum, & illud Matth. 2. turbata est omnis Hierosolima cum illo, idest tota, & ideò illa auctoritate, nec ab omni Clero, toto, & sicut in ista expositione sic, & in multis inter alia patiuntur defectum logices, sine qua, nec disputare, nec arguere ritè conuenit notum est, & ideò nulla calumnia, aut tergiuersatione sanctū Sensum iam à sanctis Patribus explanatum ad eorum sensum, nisi valdè extortè attrahere nequeunt, quod etiam, atque etiam colligitur ex text. nunc autem 22. dist. & 5. Hinc etiam dist. 17. & cap. si Papa sępè adducto dist. 40. qui sole clarius dictum sensum, & sententiam explicant lucidissimè. Nec etiam obstat, quod dicunt ad auctoritatem, scilicet quòd Papa reseruatur Diuino iudicio, dicentes iudicium congregatum fore iudicium Dei, non valet, sed benè est iudicium Dei, quod vult fieri per hominem, sic etiam Doctores exponunt illos textus de penis dist. 3. sed quam, quòd quem sacerdos iudicat, Deus iudicat, cuius personam gerit, & cap. nemo 11. q. 3. non enim homo est, qui ligat, sed Christus, qui hanc potestatem dedit, in auct. autem prædictis loquentibus de Papa non est sic, quia excludunt omnino homines à iudicio suo, & loquuntur exclusiuè expresè, vt si dicerem nullus homo currit præter fortem, certum est, quòd sensus est, quòd solus fortes currit similiter ista, Papa à nemine, nec ab augusto &c. præter quam in casu hæresis, ergò solùm in illo posse iudicari notum est sequi, & quod insinuatur liquidò per illum text. aliorum 9. quæst. 3. habetur enim, ibique aliorum causas Deus voluit per homines terminari, sed Sedis istius Præsulem suo sine quæstione reseruauit arbitrio, & notatur etiam cap. erectionem 79. dist. Ex quibus patet, quod fantasia aduersariorum non exponit auct. & dicta sanctorum Patrum, sed magis se opponit his rationibus rationabiliter reseruatis, iam expresè obiecta per eos euacuemus dignum est.

Et primò ad illud, quod adducunt Matth. 18. si peccauerit in te &c. quòd ipsis apparet achilleum argumentum dicitur, quòd in Papa illa auct. non habet locum, quia nec habet superiorem in terris, ad quem post denuntiationem iuridicam pro castigatione possit aliquis recurrere, prout denuntiatio iuridica requirit, quare B. Bernar. scribens Bonif. Papæ, quis faciet mihi iustitiam de vobis, ait, si haberem iudicem, ad quem vos trahere possem, iam nunc ostenderem vobis, vt parturiens loquor quid mihi eminet, extat quidem tribunal Christi, sed absit, vt ad illud appellem vos, licèt enim Papa sit proximus, & frater natura, & fide, superioritate tamen, & dignitate est princeps, & caput. Et licèt possit propterea simpliciter admoneri, quia charitas est, non potest tamen corrigi &c. Et ad idem vidimus multos illuminatissimos Doct. scilicet Albertum, Henricum, Petrum de Palude, August. de Ancona, & conformiter sacris, & irrefragabibilibus sāctionibus Ecclesiasticis loquentes. Vndè per sacram Scripturam in præsenti conclu. Intelligo non solùm vetus, & nouum testamentum, sed decreta sanctorum Patrum, quæ Spiritus sanctus per eos, & Ecclesiæ, & mortalibus in salutem fidelium voluit propalari, & reuelata obseruare voluit. Nam vera videntes in eodem Spiritu sic Prophetę, & Apostoli locuti sunt, huic igitur sacris, & irrefragabilibus documentis, & disciplinis pro posse innitimur, nec loquimur pro libito voluntatis, vt patet rectè illud opus intueri volenti, & sic Dominus erit mihi adiutor, & despicientur aduersarij veritatis, quod loquor semper cum humili correctione, scilicet Matris Ecclesiæ omnium fidelium matris, & magistrę. Ad secundam obiectionem, quæ est satis communis, & sumitur ex illo ad Gal. 2. Vbi Paulus dicitur restitisse in faciem ipsi Petro, hoc nihil facit pro aduersarijs, cùm aliud sit resistere, & se opponere Papæ, vbi eminet periculum fidei, vt tunc Ecclesiæ aliud est imperare, seù per correctionem pęna punire, quòd non nisi superiori conuenit quoniam Papa in terris minimè recognoscit, vt ritè probatum est supra. Et rursus patitur defectum logicæ sine qua disputare contendentes cor eorum vanum est, arguunt enim à superiori ad inferius affirmatiuè resistere enim est quoddam commune superius ad punire, & iudicare, sicut non sequitur possum resistere tibi iniurianti, aut volenti me percutere, ergo possum te iudicare, punire &c. & sicut nihil valet ista consequentia, sic nec multæ aliæ, nec ex hoc in Paulo contingit aliqua superioritas super Petrum, sed magis in ipso charitas excellens, & in Petro eximia humi-

humilitas, vt Sancti exponunt ostensa est, imò hæc auctoritas potiùs militare videtur pro nobis, quòd tenemus Papam posse charitatiuè admoneri, & per aliquos graues Prælatos, sicut erat tunc inter Apostolos post Petrum Paulus, charitatiuè admoneri, & errantem in fide per publicam, & famosam hæresim, ac pertinacem eadentem directè super simbolicam orationem non solùm, tunc & in tali casu potest resisti eidem, sed potest puniri, & iudicari, ac persequi debet, vt antichristus, publicè autem obseruare cæremonijs, sed iudæorum, quæ erant mortua, & mortifera, nullo modo licebat sine eminenti periculo fidei, & ideò publica indiguit correctione publicè peccans, in nullo alio casu licuisset Paulo, nec alicui subdito liceret, nisi vbi emineret periculum fidei, & Paulus excessisset in correctione si publicè pro eo, omnique alio crimine, restitisset. Ad aliam, quæ sumitur ex obiurgatione facta Petro, & quod ad agentes diuertisset non potest argui ex hoc, quòd ipse admisit aliquas querelas, quòd ideò Prælati teneantur admittere etiam reprehensiones subditorum, & facere se eisdem subiectum, nec iudicio eorum subijci debere, vt rectè colligit canonista ex dictis B. Greg. cap. Petrus 2. quæst. 7. & etiam Gratiani ibidem, & rursus hæc consequentia peccat, sicut & supradicta non nouerunt lib. Topi. art. iudicium enim sui Vicarij non subditis, sed sibi relinquit Deus, potest enim illud Pauli de se dicere propria ad Corin. 4. Qui autem iudicat me Dominus est.

Sed iam ad ea, quæ sumunt ex Concilijs Basilien. & Constant. vt pollicemur in conclusione ipsa sexta, veniamus, licèt præmissa fermè omnia Papam in terris non habere superiorem ostendentia fundamenta ipsorum euacuent penitus, & eneruent, & quòd Concilium non à Christo, sed à Papa immediatè iam recipit potestatem, vt in prædic. Conclus. fuit probatum, & quod fortius est non videntur contra conclus. nostras militare, errauerunt enim ab vtero: idest à principio, & locuti sunt falsa, non enim habetur ex Concilio Constant. etiamsi legitimè, & Canonicè congregatum esset ipsum recipere immediatè à Christo potestatem sub nulla illorum decretorum forma legitur, nec institutum noscitur esse, & decretum illud, quod tunc in Constantia sub obedientia Ioan. 23. emanauit in nullo militat pro intentione aduersariorum, si rectè forma intelligatur, quæ talis est hæc sancta Synodus Constant. gener. Conc. faciens pro stirpatione, prout is schismatis, & vnionem ac reformatione Ecclesiæ in capite, & in membris fienda declarat, quòd ipsa in Spiritu sancto congregata, generale Concilium faciens, & Ecclesiæ Catholicę militantem potestatè à Christo habet immediatè, cui quilibet, &c. Non enim loquitur vniuersaliter de qualibet synodo, sed de illa singulariter dumtaxat, pro cuius tempore non erat totius Ecclesiæ vnus Pastor indubitatus, & pro vnione, & pro habendo illud indubitatum factum fore clarum esse dignoscitur. Vndè in illa forma, qua proponitur non fuit factum. Tum secundò, quia tale Concilium fuisse canonicè, aut legitimè congregatum maximum dubium est apud multos, immo plurimorum opin. est quòd fuerit irritum, & inane illud, non canonicè, siue legitimè congregatum, sicut eorum, qui fuerunt de obedientia Gregor. & Benedicti, & loquendum est vt plures: habuit enim ista congregatio tria tempora. Primum fuit in quo sola obedientia Io. Balthasar Constantię conuenerat. Secundum in quo Angelus Conradus vocatus in obedientia Gregor. 12. iuri suo cedens præfatę congregationi sub certis modo, & formis coniunxit. Tertium est in quo Reges, & principes, ac prælati obedientes Petro de Luna Benedicto 13. vocato, in cuius obedientia multi se vnierunt, &c. Asserere autē quòd præfatum Concilium, si Concilium dici possit ex illa sola obedientia Io. faciebat Concilium generale, aut repræsentaret Ecclesiam militantem temerarium esset. Tum tertiò, quia auctoritati illorum decretorum, (si decreta fuerint) Constantiæ, Aliæ duæ obedientiæ quæ erant, & illa longè potiores sicut Greg. & Benedict. apertissima contradictione in plena congregatione se opposuerunt, & eorum oppositionem acceptatam fuisse constat, vt etiam patet in bullis datis Oratoribus illorum temporum & aliàs, quare eor eorum vanum est. Tum etiam quartò, quia adhuc non integra fuit illa vna obedientia Ioan. 23. quoniam plures Patres doctissimi illis non præstiterunt consensum, seu assensum, immo restiterunt, & mutatum fuit, etiam illud nomen Ioannis. Tum quintò non militant, quia non fuerunt per omnes alias obedientias, nec petita, nec repetita fuerunt, &c. Tum sextò, quia per Sedem Apostolicam nequaquam fuit approbatum, immò potius videtur reprobatum, & annullatum fuisse per Dominum Martinum in condemnatione erroris Wiclef. & Io: hus vt patet in bulla, quam misit vniuersis Prælatis nationis Germaniæ. Tum septimò, quia sicut ex superioribus patet sacris Sanctorum Patrum institutis apertè contradicunt, & ideo in nullo militant eorum argumenta, & quicquid diffinitum sit in contrarium quibuscumque viribus caret iuxta cap. hæc est fides pater beatissime, &c. Et decreta quibus repugnant sunt irrefragabilium sanctorum Aug. Greg. Hier. Cypriani, Cyrili, Ambros. Theophili, Leonis primi, & aliorum plurium, quorum sententię nulla hominum auctoritate possunt refelli. Repugnant etiam communi doctrinæ multorum Doctorum, per quam pollet Ecclesia, vt Sol & Luna, videlicet sancti Thomæ, Albert. Magni Bonauen. Alex. de Ales. Hugon. de sancto Victore, & aliorum multorum, quos breuitatis causa omittimus nominare. Nec est hic tandem prætereundum argumentum, quoddam à fortiori non præiudicat auctoritati Hiero. & ratio est, quia roboratur auctoritate veteris testamenti, & Concilij, vt dicit glos. ibid. autem auctoritas vnius sancti Doctoris præiudicat auctoritati concilij, quantò magis auctor. tantorum Patrum, & sanctorum roborata à Sacra Scriptura, & Concilijs vniuersalibus, & definitionibus Apostolicæ Sedis, quare mirabile est de illis Prælatis, tunc sic Constantiæ aggregatis, quòd sic defecerint, sed quia errauerunt à principijs, & immo locuti sunt falsa. Vndè constat quod illa decreta sua nec virtutem habent,

habent, nec minùs necessitatem euertendi fidem, quam de Rom. Pont. principarn semper seruauit sanctorum Patrum auctoritas,& totius vniuersalis Ecclesiæ potestas veuerata est.

Rursus ea,quę induenur ex Concilio Basilien. minimè etiam militant, quorum supposita in primis negamus, & causa negationis patet ex præcedentibus, sicut quod Concilium illud Constant. fuerit generale, immo singulare fuit & vnius obedientiæ solùm, & non integrę, & quòd illud decretum fuerit à sancta Matre Ecclesia militante, quam dicebant hoc tenere satis dictum esse videtur, vt dictum est supra immediatè. Tum etiam non militat Concilium Basilien. quia noluit recipere præsidentes Papæ in auctoritate sua debita iuxta ritum,& visum aliorum Conciliorum ob defectum huiusmodi eorum sententiæ sunt apocriphe, & nullius valoris secundùm Isidorum in lib. Concil. & patet in actione sexta Concilij Chalcedonen. Tum etiam quia non fuerunt conclusa vnanimi consensu, quod requiritur, & est de necessitate vt dicit idem Isidor. 6.eth. cap. 1. & dist. 15. cap. qui non consentiunt nō potest dici conclusio Concilij vniuersalis, nam multi sapientissimi viri, & Doctores dissentierunt, nec spectarunt auctoritatem principū requisitam,& qui iurarunt, non iurarunt illa decreta seruare, nec vt Nūcij Apost. sed vt personæ priuatę,& particulares, & sic protestati sunt, & fuerunt compulsi, & coacti, quia aliter non admittebantur ad presidentiam in maximum scandalum totius Ecclesiæ & conclusa fuerunt illa decreta, Papa per suos oratores, & Nuncios reclamante, & apertè contradicente, cuius auctoritas est maximè requisita, vt ex superioribus, liquidò constat. Et ad illud, quod replicant de confirmatione dicti Concilij per bullas Domini Eugenij. Dicitur quod istę bullæ, vt aliqui probissimi viri in curia tunc testabantur plus per minas, quàm secundùm mentem Domini Eugenij emanauerint; Et ipso tunc in lecto decumbente. Nec ex illarum bullarum aliqua parte potest rectè argui, quòd Dominus Eugen. approbauerit præfatam, etiam Basilien. doctrinam. Et quia secundùm qualitatem ipsum, & personarum in melius sententiæ Rom. Pont. mutari debent, vt Nicola, in cap. scientiam 25. quæst. 7. vt luce clatus etiam Dominus Card. de Turrecrem. manifestat, & facundissimè, & valdè prolixe in lib. quem fecit de potestate ecclesiastica. Vbi totum manifestat, quod cupias rectè aduersus Basil. Concilium intelligere pleniùs, quod ipse breuitatis gratiam quia veteres facundi. & gaudent breuitate moderni, omitto, & deliqui rationes quæ fiunt superius contra Constan. possunt, etiam adduci contra Basilicam congregationem illā. Vndè infert dict. Dominus Cardin. de Turrecrem. Doctor facundissimus non parum admirandus, ait aduersarios Basilien. tanta caligine mentis inuolutos. & obscuros malitia, vt in materijs fidei definiendis, & declarandis maluerunt sequi homines ab Ecclesia Dei in doctrina sua damnatos sicut fuit Marsilius de Padua. Ocham cum complicibus suis, & Gerson, & alijs, ex quarum doctrina abstracta sunt pro magna parte decreta illa præfata Basilien.& quosdam alios nouellos Doctorellos, & infra; quam Doctores sanctos ab Ecclesia approbatos, & alios præstantissimos Doctores antiquos,& reputatissimos in schola theologiæ, quorum doctrina fulget Ecclesia, vt Sol, & Luna, horum igitur dicta non multum esse ponderanda meritò pro conclus. deduximus. contra quos ait Hier. & habetur in canone non afferamus 24. quæst. 1. hæc ille. Quod dictum Hieronymi non afferamus scilicet concl. nostra est. Ex his quoque infertur Corrolarium contra Turonense conuenticulum ex Basilien. natum, & ortum esse verum, & emanasse ex his, quorum decreta Conciliorum Constan. & Basilien. & Turonem nuper coagulata mentes multorum, & magnorum ad perturbandum totam Ecclesiam Dei, immo totam religionem Christianam in magnum, & detrimentum, & perniciem animarum multarum proh dolor iugiter prouocarunt, vt consurgerent aduersus in terris Deum, & aduersùs Christum eorum, & indubitatum Papam, & hæc pro præmissis conclusione, & Corrolario dicta sufficiant. Sed quòd condignæ Ecclesiæ Rom. & Apost. principes terræ fideles satisfacere, nec deseruire possunt per quam acquirimus præmium infinitum, pro qua etiam Deus mortuus, crucifixus est nulli dubium est testante hoc Apostolo non sunt condignę passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis propter ipsam Ecclesiam Catholicam, & Apostolicam cuius caput, & verùs Pontifex Max. est Iulius Secundus Papa in quam indubatus. Cuius etiam gesta præclara, quæ in laudem Dei, & Ecclesiæ oculis proprijs facta conspeximus in prohemio dialogi, seu breuiloquij nostri iam impressi conspicies.

Sed iam pro lucida declaratione vltimi Corrolarij, aut potiùs de dignitate, & fortitudine sacrosanctæ matris Ecclesiæ omnium fidelium magistra, quam dico illam Catholicam, & Apostolicam inquam confitentes vnum Deum Trinum in personis, & vnum Baptisma firmiter credimus aliquid inquam de excellentia ipsius dicendum esse dignum duxi de cuius potestate, & Papali dignitate potiùs, & principaliter agimus, quam de personarum singularitate ne adulari, aut commodi temporalis gratia videamur. Inducti Deum tantum, & veritatem prę oculis habentes per se primo, & principaliter omnia, singula agimus, & agere, & scribere nos ingenue fatemur, & quoniam sermo communis, & pro communi Ecclesiæ, & fidelium dignitate communiter diffusus fidelium neminem taugat, nisi quem angit, ac vt successoribus veri, & indubitati Papæ Iulij Secundi veritas totiùs præpositæ quæstionis, quam cum toto processus isto humiliter iudicio præfatæ Ecclesiæ submittimus, & submissa esse etiam atque etiam volumus lucidiùs appareat, videant quoniam terribilis est & fortissimorum virorum acie circumdata, cuius fortalitium excellentiam, & acumen posse attingere, & simpliciter demonstrare homi num est impossibile, ideo quibus ipsam laudibus afferam, tam talis præconijs excelsam. Profectò nescio vndè longè esse minorem laudem, quam ipse adduco, quam dignitas sua merea-

mereatur manifestissimum est. Aliquid à magnitudine roboris in primis assumentes illam auctoritatem communem, quam diuinitùs spirati sancti Patres, pro eadem Ecclesia exponunt, ducamus. In lectulum Salomonis ambiunt sexaginta fortes, ex fortissimis Israel omnes tenentes gladios in manibus, & ad bella doctissimi, vnusquisque ensis super femur suum propter timores nocturnos Cantic. 3. ad huius sponsæ suæ munimen, & robur, ac insuperabile auxilium, & singulare præsidium Deus ipse gloriosus, & Angelorum Cœlestem aciem illam, & hominum militiam terrestrem tribuit, & posuit contra Cacodęmonem antiquum hostem in custodem de qua Isaias in persona Dei loquens, cap. 62. ait. Super muros tuos Hierusalem: idest Ecclesiam, posui custodes, eximiorum scilicet, & Catholicorum Doctorum cętus, vt catholica ipsa fides, & immaculata persistat, & ab omni errore pręseruetur, ac aduersùs schismaticos, rebelles ipsa Ecclesia Apostolica firma, & secura persistat, et si in aliquo tempore, vt hac nostra tempestate, proh dolor; perturbari videatur, ac scopulis aliquibus, instigante maligno spiritu, fluctuetur, in nullo tempore Nauiculam Petri posse naufragium pati, sed duraturam vsque ad finem sæculorum non cum modica fide, sed firmiter, & constantissimè credimus, & confitemur, quoniam veritas incarnata Petro sic ait. Propterea pro te oraui Petre, vt non deficiat fides tua, et si quando à casu Rom. Pont. perturbari videamus, non miremur, quia in Petrum fidei petram, & Ecclesiæ fundamentum diuina prouidentia permisit, & fluctuari, & piscantes Apostoli in Nauicula Petri super mare; cum timore salua nos perimus. & Petro dictum est solùm, modicę fidei quare dubitasti, sicque si fidem obseruemus integrè, & constantes simus in illa, etsi fluctuemur, naufragium tamen Ecclesia nusquam patietur. quam charissimam sponsam suam, solùm matri suę in cruce Christus moriens pro ea, commendare visus est, quando solum in ea tunc permansit, mira inquam Ecclesiæ dignitas per Christum ostensa fuit, atque sublimis quando Io: Virgini ipsam Virginem commendauit, Ecclesiam tamen suam non sterilem permisit; sed hanc suam sponsam; vnde tamquam sponsus procedens de thalamo suo, ipse Christus speciosus forma præ filijs hominum processerat, immaculatam inquam; & inuiolatam Immaculatę, & inuiolatę Genitrici eiusdem Virgini Gloriosæ in pura mente, & corde, ipso pro nobis moriente, pro illo triduo dereliquit, solaque in ipsa sola Virgine permansit, in qua, & ipsius fidei, ac omnium gratiarum, & virtutum super omnes puras creaturas decus, & numen copiosiùs claruit, & abundauit, ac super omnium choros Angelorum in perpetuum coronata triumphans; pro nostra omnium salute, ac pro Ecclesiæ vnitate, & incremento mater nostra, & cœlorum regina indesinenter intercedendo Vnigenitum filium suum, vt magis, ac magis pugnaret pro ea iugiter deprecatur, vt ex monte, qui Christus est, mittatur auxilium Ecclesiæ suæ, quæ sola in regina ab alijs in monte Caluario perdita, & deserta, simpliciter, & integerrima permansit, quam & Deus ita dilexit, vt Filium suum Vnigenitum, quem constituit hęredem, & Regem vniuersorum morti traderet, qui cum sua morte à diaboli seruitute, & ab iniquorum perturbationibus; & conflictu illam constantissimè liberasset, & sanguinē vitam pro ea libentissimè profudisset, meritò caput illius institutus Christus Iesus, ab ipsa namq; Petrus, & cæteri ipsius veri sucessores immediatam potestatē, & auctoritatē recipientes, concitatam à dęmone quamcumque potentiam aduersùs Ecclesiam, constantissimè, & inuictissimè tandem superari, & eneruari nulli ambiguum esse debet eorum, qui fidem catholicam seruant inuiolatam, durabit enim ad consumationem sæculorum vsque, terribilis, vt castrorum acies ordinata, pro cuius tuitione, & fidei, fidelis quicumque pro loco, & tempore mortem, & quodcumque supplicium, quod martyrium rectè dicitur, sub pœna damnationis æternæ, sicut pro Christo subire tenetur tota fides, & schola sanctorum Theologorum istud vndique liquidò proficiente dignitate quoque ecclesiastica omnibus Christifidelibus, vndique etiam, atque relucente. Et rursùs cùm ipsius contemplor celsitudinem, laudem meam longè minorem semper conspiciam, quàm sua dignitas mereatur, tantùmque excelsa persistat, quòd vim, & acumen cuiuscumque hominum mentium superet, & excedat vltimę conclusionis. Secundo Corrolario breuitatis finem imponendum fore meritò duxi, & sic stat fides inuiolata in omnibus, & cunctis pro ecclesiastica libertate, & manutentione constantissima, & promptissima erga verum indubitatum Papam Iulium II. Pontificem maximum, ac suos veros successores obedientia iugiter consistat, ab eo præmium, & mercedem æternam accepturi, qui pro nobis factus est homo, vt suos milites, & pro Ecclesia militantes in æternum beatos faceret, atque Deos.

Pro Corrolario responsiuo quæstionis propositæ ponitur primò talis Conclusio, deindè, & secundò obiectiones aduersariorum recitabuntur, & dicetur ad eas sigillatim, licèt multa breuitatis causa ex dictis præsupponantur tamquam probata, & vera.

AVt plenitudo potestatis est data Ecclesię, aut Christi Vicario, quem ipse in terris constituit, & loquor de suprema potestate iurisdictionis clauium supra Concilium, & omnem in terris superantē potestatem. Probatur primò sic, non fuit collata Ecclesiæ, ergo Petro Christi Vicario, & successoribus suis, consequentia tenet multipliciter, quia arguitur à tota disiunctiua affirmatiua cum destructione vnius partis ad positionem alterius. Tum secundò, quia non datur medium. Tum tertiò, quia à positione vnius membri alicuius bonę diuisionis bimembris cum destructione alterius est bona consequentia, vt bene sequitur est animal, & non irrationale, ergo rationale, quia omne animal est rationale, vel irrationale. Similiter omnis potestatis plenitudo data est Petro, vel Ecclesiæ, quæ conclusio de se est valde manifesta, sed

quòd talis potestas nō sit collata à Christo ipsi Ecclesiæ, quæ est congregatio omnium fidelium, probatur multipliciter. Tum primò, quia tunc ad quemuis delinquentem incorrigibilem puniendum requireretur talis omnium fidelium congregatio, aut non est verum quòd Christus dixit de correctione fraterna proximorum, si te non audierit, dic Ecclesiæ, patet consequentia, quia non possunt aliter exire in actum, nisi omnibus assistentibus, quibus est facta commissio, prout est apertus textus cap. quia propter, & cap. coram de electiou. hoc est impossibile, cum sint dispersi per vniuersum mundum fideles. & dicere Christum non dixisse verum est absurdum, cum sit incarnata, & infallibilis veritas, nec falli, nec fallere potens, nec istud obseruatur, aut nunquam in Ecclesia obseruari posset. Tenet hæc ratio per locum à laudabili, & approbata consuetudine, quare &c. Secundò, quia tunc sequeretur, quòd saltem ad maiorem partem talis communitatis, ac collegij pertineret hanc traducere in effectum potestatem, quòd est directè contra illos text. inferior, & cap. denique 20. quæst. 1. Nam talem potestatem omnia membra simul iuncta exercebunt, & quilibet per baptismum efficitur membrum Christi in talibus sic iunctis est notabilis etiam incapacitas iudicandi, quæ diuiduntur in clericos, & laicos, inter quos sunt multi imbecilles, rudes, simplices, & mulieres etiam includuntur. Vel quòd ad quemlibet effectum talis potestas congregari oportuisset Concilium generale, quod est omnino irrationabile, & contra iustitiam, & antiquum Ecclesiæ vsum, igitur. Tertiò regimen optimum, & monarchicum cuiusuis communitatis secundùm omnem disciplinam moralem, & ciuilem, politicam, & Ecclesiasticam pariter, & naturalem, quæ vnicam causam simpliciter primam omniũ, quę sunt, aut possunt esse in natura, manifestat & ab vno principe solùm rectè gubernari possit, omne regnum regi oportet, certum est enim quòd Deus, à quo immediatè dependet regimen Ecclesiæ suæ, & immaculatæ sponsæ meliorem gubernandi, regendi speciem eligerit, quare non à multis, sed ab vno regi, & gubernari deberi liquidò constat, & corpus quoque aliquod viuum sine capite, aut plura capita habens monstrum sit, & confusum, quare, &c. Quartò si resideat in ista multitudine Christianorum talis potestas, tunc regimen huiusmodi esset politicum, & non monarchicum, & per consequens in nullo, quàm in tali multitudine residet talis potestas, & per consequens non esset etiam in Papa, quod est contra instituta sanctorum omnium, vt superiùs, quasi per totum probatum est, quia ista esset vera tantùm, et in Ecclesia vniuersali, seu in tali multitudine plenitudo potestatis, ergo in nullo alio, patet consequentia per eius exponentes, sed facilitas consequentis patet, etiam expressa per Greg. ad Mauritium Imperat. scribentem, In cunctis, ait, Euangelium scientibus liquet, quod voce Dominica Sancto, & omnium Apostolorum principi Petro Apostolo totius Ecclesiæ cura commissa est. Quintò pastorale officium soli Petro datum est, ergo &c. quia eidem dicit Christus pasce oues meas. Sextò quia talium potestatum pluralitatem ecclesiastica vnitas non admittit. Septimò, quia tunc interrumperetur omnis mundi superioritas, quia esset seruus super dominum, & corpus supra caput, quod esset absurdum, siue esset confusio. Data est ergo Ecclesiæ: idest potiori membro, quod est Petrus, & nunc successori eius, qui est Iulius Pont. Max. verus, & indubitatus Papa II. quędam tamen membris secundùm quid, potior tamen data est capiti immediatè à Christo. Octauò auctoritates sacri euangelij, & dicta Saluatoris non possunt trahi ad Ecclesiam, vt dicta sint communitati, nam cũ Petro Christus singulariter loquebatur, & pro hoc pronomen tu, & quod est secundæ personæ, & numeri singularis, scilicet tu es Petrus, &c. tibi dabo &c. & Matth. 16. Beatus es Simon Bar-Iona, et Ioan. vlt. Simon Io. pasce oues meas. Ecclesia enim grex est, et pastor, quo indiget non est ipsa, ergo erit Papa pastor. Similiter, nec illud obstat. Vos estis sal terræ, quòd si sal euanuerit, etc. Nec illud, sicut misit me Pater viuens, etc. et euntes prædicate Euangelium omni creaturę, qui crediderit etc. Loquebatur autem Christus Apostolis conferendo eis officium prædicandi, et baptizandi, in quibus erat vera sapientia diffusa in eos per Spiritũ sanctum non enim hoc potest toti Ecclesiæ referri, vt tota prædicet, vel baptizet etc. vt notum est, quare etc.

Postremum igitur est, omissis alijs multis breuitatis causa, dicere, et tenere vnicum principem in terris vnicum pastorem omniũ Christianorum, et totius mundi esse Roman. Pont. et verum, et indubitatum Papam Iulium II. videlicet Pont. Max. et quemlibet beati Petri verum successorem. Oportet enim, et necesse est vnum eligendum in caput, et à potiori parte huius multitudinis, vt est collegium Reu. Card. à quo ad omnia, et singula membra corporis mystici fluat integritas, & vita, & membra putrida auferri per eum, & euelli per pœnarum supplicia, & maiora, & nobilia minoribus dominari, & minima minoribus, minoraque maioribus, & omnia & singula, quæ vnum corpus sunt in Christo Iesu, vni capiti, & principi immediatè, vel mediatè subijci obedire, & obtemperare operæpretium est sentient vniuersi, & valdè rationabile, & condignum, & rationes, quæ sunt de dicta multitudine, & collegio, & cuicumque communitati magnæ multitudini Concilij attribui quoque possunt, in qua mortuo Rom. Pont. manet, & residet in terra in habitu, & potentia dicta potestas, scilicet in Concilio, aut Card. collegio, quibus deficientibus in Clero Vrbis, qui Pont. Max. eligere tunc posset, quo etiam deficiente ad aliquam multitudinem magis notabilem fidelium christianorum, & fidelium, quæ esset Ecclesia potior. pars deuolueretur Rom. Pont. electio, in quibus vera fides persisteret, & ipsa Ecclesia, sicut quandoque in sola Virgine Gloriosa permansisse dignoscitur tempore passionis Christi filij sui, quia omnes alij, sicut corpore, ita & mente declinauerunt tunc à Christo. Sed quod superet omnem etiam temporalem potestatem satis supra ostensum est. Et obiecta, quæ aliquam videntur habere apparentiam, quia alia ex superiùs dictis sufficienter solui

pos-

possunt, aut potiùs soluta sunt. Dicitur consequenter, quòd non obstat. Primò illud ad Rom. XII. multi vnum corpus sumus, singuli alter alterius membra, ergò Papa est membrum. Et rursus totum est maius sua parte; ergò tota Ecclesia est maior Papa, qui est membrum. Respondetur primò, quòd Papa potest dici membrum in ordine ad Christum, sed principale, quoad mundum istum, & videtur, scilicet caput, quod licèt dicatur membrum, ab eo tamen principaliter alia membra vitalem suscipiunt virtutem, & totum, quod est vitale habet ab illo, & adequatè consistit in eo, & virtus animæ magis viget in eo; propterea non sequitur consequentia; quia corpus est maius anima, & tamen non est ratio præstantiæ, quia magnitudo huiusmodi non arguit [illegible], vt Ciuitas est maior homine, ergo præstantior, seu dignior non sequitur, tamen etiam non videtur valere consequentia, propter necessariam dependentiam, quam habent alia membra ab eo, non tenet, [illegible] non esse, sed dependentiam [illegible] ab alijs, præterea non tenet, quia [illegible] instantia etiam, sicut tota monarchia, siue cœlestis exercitus est quoddam totum, & Spiritus sunt partes ipsius, ergò [illegible] totum est maius, seu præstantius, ac magis potens, quàm Deus, qui est spiritus; præterea non concludit etiam, quia loquitur ibi de potestate plenaria iurisdictionis, licèt autem in gratiæ, & virtutis plenitudine in tali multitudine comperiretur forte maior, quàm in Papa, imò in vna vetula [illegible], non tamen potestas iurisdictionis, & [illegible], de qua hic loquitur, similiter, nec potestas ordinis, & sacerdotalis, quoad characterem equaliter comperiatur in Papa, & in alijs veris sacerdotibus non tamen iurisdictionis, nec huiusmodi membra eumdem actum habent, vt ibidem subiungit Apostolus, & ideò nullum membrum simpliciter hac in plenitudine gratiæ, & virtutis potest præferri toti, præfertur tamen secundùm aliquid, idest secundùm illam potestatem; nec alia membra hunc eumdem effectum habent, & ideo etiam dicit Apostolus secundùm gratiam, quæ data est nobis differentes, & Christus etiam dicitur membrum secundùm Apostolum 1. ad Corinth. 12. Vos estis corpus, & membra de membro glos. i. dependentia de membro, idest Christo capite, & cum membro nostro. Et rursus si inferretur, ergò minor in perfectione potestatis, hæreticum esset, siue erroneum.

Secundò non obstat, quòd Ecclesia sit, & dicatur sponsa Christi, & Papa paranimphus, nam intelligitur in esse perfectè, quod non contingit excogitari sine capite esse talem sponsam, & caput est Papa, & dicitur paranimphus respectu officij, & dignitatis singularis. Nec etiam hoc arguit superioritatem super sponsum, qui aliquo modo etiam dicitur sponsus ratione amoris Christi, & charitatis Osee 2. Sponsabo te mihi in fide. Nec obstat, ergò illud, quod adducitur, Matth. 18. si peccauerit in te frater tuus &c. dic Ecclesiæ, & illud dicebat ipsi Petro, ergò à fortiori in alijs habet verum, & vult Petrum habere superiorem, & ipsam Ecclesiam, ergò Ecclesia vniuersalis est super Papam, negatur consequentia, & ad auctoritatem dicitur secundùm quod dicunt, & exponunt sancti Doctores Ambrosius, Augustinus, & Beatus Thomas, quòd ibi capitur totum pro parte, non enim intelligitur de Ecclesia dispersa per totum mundum notum est, nec de sancta Synodo ideò congreganda, sed de Prælato ipsius, qui est minister Papæ, vel ipsi Papæ si opus sit; fieri non potest correctio fraterna, in qua aliquod magis periculum emineret quasi dicat, quòd si vna correctio non sufficiat, debeo adhibere aliquam Ecclesiasticam pœnam, vt censuram, vel interdictum, vel huiusmodi potiorum Doctorum, & sanctorum huiusmodi auctoritatis hæc est expositio, de qua etiam correctione, seu denuntiatione superiùs multa diximus; nec Papa habet superiorem, nisi Christum, semota hæresi propriè sumpta, vt supra dictum est, & hoc esset iustitiæ commune impedimentum, & pacis Ecclesiæ perturbatorium, & mulieres etiam remitterentur ad talem Ecclesiam sic dispersam per totum mundum, hoc non videtur esse dicendum; igitur intelligendum est sic vniuersalis Ecclesia, idest hij, qui Ecclesiæ præsunt; quòd etiam obseruatur nunc in ordinibus, dicentis ordinis intelligitur, idest superiorem eiusdem, & non omnium, qui sunt in ordine simili, quod etiam declarat Beatus Thomas in 4. dist. 2. Nec obstat tertiò, quòd ipsa Ecclesia dicatur Domina, & Regina, vt per Hieremiam Domina gentium facta est sub tributo, similiter psalm. astitit Regina à dextris tuis; ergò cum Domina, & Regina supremam videtur habere potestatem, & act. 15. Iudicium Ecclesiæ est iudicium Dei, & Matth. 20. Filius non venit ministrari, sed ministrare. Respondeo, quòd Ecclesia est Domina, & Regina ratione gratiæ, & virtutis, & suum iudicium est Dei, dummodo fiat cum Papæ assistentia, qui venit dare gratiam, & virtutem, & viam salutis ostendere, & sanguinem suum pro redemptione nostra ministrare, & licèt ita humilis à superioritate auctoritate, dicitur tamen Dominus, quare &c. Quartò, non obstat illud Matth. vlt. ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi, sed quilibet Papa est mortalis; ergò plenitudo huius potestatis non est in Papa, sed in Ecclesia. Respondeo potest dici primò, quòd potestas ipsius, & principatus semper manet, scilicet in Christo, de quo dicitur dari. Vndè potestas eius potestas æterna, & regnum eius, quod non corrumpetur. Tum secundò dicitur manere in Ecclesia sancta, & Episcopalis in sua Ecclesia mortuo Episcopo, & superioritas in ordine, & religione mortuo Generali. Necnon dicitur tertiò, quòd manet in Sede Apostolica, quæ numquam moritur, prout est text. in cap. gratiosè de re. lib. 6. Manet etiam in Ecclesia, vt dixi in potentia, siuè habitudinaliter ad hunc sensum, quia Ecclesia semper potest eligere personam, quæ succedat in tali dignitate, & hoc Collegium Reu. D. Card. cum alijs Ecclesiæ Prælatis Ecclesiam vniuersalem repræsentans, & ideò dicendum est, quòd corrupto subiecto, hæc non dicunt non existere, sed vacare, hoc est administratione carere iuris, vel facti, vt in cap. cùm nostris de concess. præben. Vndè Leo ait, in Sede

Petri viuit potestas, & excellit dignitas, nec valet similitudo regiminis terreni, seù ciuitatis, quia illud à Papatu, istud à Christo, & rationes à simili semper claudicant vno pede, Quintò, non obstat illud Matth. 18. si peccauerit in te frater tuus dic Ecclesiæ, vt pro correctione charitatiua cuiuslibet particularis personæ debet, quis recurrere ad totam Ecclesiam vniuersalem dispersam per totum orbem, nec ad Concilium, vel sanctam Synodum &c. & secundùm rationem euidentem, & notabilem, & secundùm omnium sanctorum, & Doctorum antiquorum expositionem, sed sic exponitur dic Ecclesiæ, idest Prælatis Ecclesiæ, & dic ordini, idest Prælatis, & superioribus illius ordinis, sicut fit, & quotidiè practicatur, nec est illa, quam aliqui moderni pro sui voluntate dicunt, dic Ecclesiæ, idest Concilio, Vndè si tali expositori fuit facta aliqua grauis iniuria, vel ocisio in persona, & propterea oportuisset eum confugisse ad totum Concilium vniuersale, ideò congregandum, vt aduersarius eius, & iustè puniretur, aut corrigerit ei &c. numquam sic textum exposuisset, sicut nec exponendus est, & maximè, quia Saluator loquebatur cum Petro depriuata charitate, & correctione fraterna, quam quilibet debet cum proximo suo obseruare, quare ista ratio nullam penitùs videtur habere apparentiam, nec curo verba ibi multiplicare. Alia verò motiua, quæ nuper quidam Reu. Card. vir disertissimus subtiliter conferendo tetigit, ex diuersis partibus huius operis eidem intitulati discussa sunt, ni fallor, sed non ita perspicaciter.

Nec obstat sextò cap. quod quis 35. q. 9. vbi petit Papa, quòd Synodus subscriptionem suam accomodet &c. & sic petit Papa approbari sententiam suam à Concilio, & sunt multi textus ad hoc. Respondeo, quòd Papa istud non facit, vt Concilium sit maius auctoritate, quàm ipse, sed quia interueniente huiusmodi consensu Concilij, & approbatione, magis faciliter inducantur homines ad obseruandum id, in quo statuendo ipsi assenserunt superiori statuenti, Duplex enim funiculus magis ligat, & licèt hæc Papa ex humilitate fecisset, non ideò ponit necessitatem successoribus suis, vt idem facere teneantur si nollent, facie ad hoc cap. satagendum 15. quæst. 1. Nec obstat septimò, quod adducitur, & dicunt à Concilijs prouenisse auctoritatem Papæ cap. Concilia 17. dist. ergò Concilium videtur esse supra Papam. Respondeo, quòd verum est electiuè, non autem primò, & principaliter, quia illam potestatem immediatè suscipit à Christo, vel dici potest hoc esse verum priuatiuè, & in casu hæresis propriè sumptæ, in quo à Concilio eodem non conuerso ad cor, & renuente corrigi, & pertinaci potest adimi, sibi potestas, & non aliter. Octauò non obstat, quòd adducitur de capite multùm languido alligando per membra alia inferiora, & similiter illud, si oculus tuus scandalizet te erue eum abs te &c. Respondetur, quòd licèt possit charitatiuè hortari, & in casu resisti sibi, cum debito tamen, & reuerenti moderamine, vt supra dictum est, quia principaliora membra tradunt, suauiter suam virtutem ad curam capitis, non propterea eruunt, aut trucidant, nec minùs abscindunt illud. Nec inter membra scandalizantia ponitur caput, & rursus dicitur, quòd Spiritus sanctus numquam permitteret totum corpus Ecclesiæ infici, semper in aliquibus membris esset motus vitalis ritè credentibus Christo, qui est veritas, & vita, & portæ inferi non præualebunt aduersùs eam, & Christus cum ea est, vsque ad consumationem sæculi, idest vltimi electi morientis in die iudicij, & rursus hæc ordinatissimè diuina prouidentia disposuit etiam in natura, vt priora agant in posteriora, & non è contra, & semper potestatem Apostolorum voluit Christus deriuari à Petro in ipsos, & non è contra, & quidquid faciebant Apostoli repræsentantes Ecclesiam in suis Concilijs, & congregationibus agentibus, maximè de Diuina lege, vel de concernente illam agebant ista potestate deriuata, & prout erant Petro vincti, seù membra coniuncta ei, aut eo mortuo, vsque ad alium successorem Christo coniuncta fuissent, & sic in illis quatuor Concilijs, & congregationibus, quas legimus in actibus Apost. celebrasse Apost. aliquid permisit faciendum ab illis, Petrus fecit ex humilitate, nec illud necessitat successores, vt dictum est. Ad illud, quod nonò adducitur ex textu cap. in nono 21. dist. 1. cap. loquitur & 24. quæst. 1. quòd Apostoli pari consortio cum Petro potestatem acceperunt. Respondeo dicendum est, quòd ly, pari non dicit omnimodam similitudinem, nec paritatem, sicut in ista consequentia Christus dixit. Estote misericordes, sicut & pater vester misericors est, ergò sic debemus esse simpliciter, hoc est impossibile. Tùm secundò, quia loquebatur de potestate ordinis, non de potestate iurisdictionis, & Paulus etiam erat par Petro secundùm B. Thom. 2. 2. quæst. 34. art. 4. quoad fidei defensionem non quoad dignitatem Prælationis. Nec Petrum vocasse fratres Apostolos minuit superioritatem, & quæ consistit in lenitate, & suauitate humilitatis iuxta illud Christi verbum. Iugum meum suaue est, & onus meum leue, quia hoc fecit ex quadam charitate fraterna, sicut nec minuitur nunc in Rom. Pôt. quando vocat Episcopos Fratres. Nec obstat text. in cap. legimus 95. dist. vbi orbis maior est vrbe, nam loquitur de potestate generalis consuetudinis, quæ maior, & amplior est in orbe toto, quàm in Vrbe, non loquitur de potestate iurisdictionis, & dignitate. Nec obstat illud Christi dicentis Apostolis. Vos estis sal terræ &c. quòd si sal euanuerit &c. mittatur foras &c. nam hoc verum est solùm in casu hæresis propriè sumptæ, in alijs autem casibus adhibeantur remedia, vt supra. Nec obstat Verbum Christi volentis confirmare Ecclesiam post resurrectionem, quando dixit Apost. mitto vos, & non dixit Petro mitto te. Respondeo intelligitur, quoad prædicationem, & promulgationem Euangelij secundùm proportiones suas, nec hoc aufert capitis primatum, quod erat Petrus. Nec minùs obstat illud Concilium Apostol. act. 12. arguendo maioritatem propter missionem Petri, & Ioannis, quæ fuit vnà cum eis Petro determinata, & sic ipsi Petro, vnà cum eis attribuitur actus mittendi cap. 1. de spon. non enim potuisset cogi Petrus per congre-

gatio-

gationem, si noluisset ire notum est. Nec minùs obstat illud decretum generalis Concilij Cõstantien. in quo etiam Papam subijcit potestati suæ, nec Basilien. in quo dictum decretum fuit repetitum, & quatenus pertinaciter resistens determinationi huiusmodi Concilij hæreticus censendus est cap. omnes 22. dist. non obstare dicimus. Tum primò, quia non loquitur vniuersaliter de qualibet Synodo, sed demonstratiuè, & limitatè de ipsa Constan. solùm, quo tempore non erat aliquis indubitatus Papa, sed três, quorum quilibet pretendebat se esse Papam indubitatum. Tum secundò, quia ex eo non habetur, quòd Concilium habeat potestatem supra Papam, sed contra eum solùm, qui Papali dignitate, tunc se prætendebat exemptum, & subiectio foret in foro pœnitentiæ cap. sanct. de offic. deleg. iuncta glos. & vbi nescitur, quis est Papa, nec tunc fuit acceptum, neque admissum istud decretum à multis Prælatis, nec minus à Martino Papa vero concorditer electo fuit confirmatum, sed potius implicitè saltem reprobatum, cum damnat errorem illorum, qui negabant Papam habere supremam potestatem in Eccl. Dei, vt patet in eiusdem Bulla Martini reprobationis Io. Hugonis. Quod adducitur de Concilio Basiliens. paruifaciendum est, tùm quia factum per desolutionem, & translationem illius Concilij factam ab Eugenio, tum etiam quia non approbata ab ipso, & aliàs, vt supradictum est. Ex quibus omnibus patet veritas, & certitudo totius quæstionis, & qualiter in nulla sui parte est ambigua, & Corrol. responsiuum eiusdem, quòd Iulius II. Pontifex Maximus illa plenissima potestate, quam immediatè à Christo suscepit est supra Collegium, & supra vniuersale Concilium &c. omnem temporalem superans potestatem, per quam, & cœleste regnum nobis aperire dignetur Christus Iesus, cui laus, & gloria sempiterna. Amen.





CVNERI PETRI
DE BROVVERSHAVEN
Pastore S. Petri Louanij.

VERAE AC GERMANAE Domini Nostri Iesu Christi Ecclesiæ (quæ columna, & firmamentum est veritatis) designatio: atque eiusdem per XIV. Proprietates ostensio.

Cunerus Petrus à Brovvers-Havven, quod Zelandiæ Oppidum est in Pago Duisvvendichio, sed Brouers-Hauen educatus Louanij in Pædagogio Castrensi cursum studij Philosophici absoluit, dataque libris, ac studijs sacris diligenti Opera, eadem in Parcensi Norbertin. Ordinis Abbatia ipse interpretatus est. Inde ad Diuum Petrum Plebanus, ac Pastor, ac Sac. Theolog. Doctor anno MDLX. creatus, tandem primus Leouardensium apud Occidentales Phrisios constitutus est Episcopus, cathedræque possessionem post decem annos Kalendis Februarij accepit, Clero vniuerso, & Senatu, populoque ad Ecclesiam Sancti Viti solemniter comitante. Synodum primam habuit eodem anno die 25. Aprilis, statutaque Louanij edidit typis Hieronymi Vvelecij, & quamdiu licuit, nihil prætermisit, quod ad bonum Pastorem spectaret, expellens vicinos Lupos. Verùm inualescente factiosa Caluinistarum, & Anabaptistarum aduersùs legitimum Principem rebellione, occupataque ab ijs Leouardia, captus, Arcique Arlinganæ mancipatus, biennio exacto dimissus, & Episcopatu pulsus Monasterij Vvestphalorum aliquando substetit Coepiscopi munere functus, ac reliquum deinde vitæ Coloniæ in Vbijs exul transegit, Sacrasque ibi literas publicè interpretatus est. Scripsit de Sacrificio Missæ Louanij 1572. 8. de Meritorum Christi, & sanctorum consensu ibidem, quæstiones pastorales, & de cœlibatu Sacerdotum ibidem, veræ, ac germanæ Ecclesiæ Christi designationem per quatuordecim proprietates, siuè notas, earumque applicationem ad Ecclesiam Romanam ibid. 1568. 8. De Principis Christiani officio Coloniæ typis Matthæi Collini 1580. 8. Ad Principes electores de pace cum Hispaniæ Rege: De gratia, libero arbitrio, prædestinatione, iustificatione, indulgentijs, & Diui Petri Cathedræ firmitate ibidem 1583. 8. Scripsit etiam nonnulla vernaculo sermone, vt contra Anabaptistas de purgatorio &c. Moritur Coloniæ anno Domini MDLXXX. die 25. Februarij, & ætatis suæ anno 49. sepultus in æde maiori ad Aram trium magorum humili Sarcophago dignus vita longiori, & fortuna. Huius meminerunt Bibliotheca Belgica Valerij Andreæ Desellij, Ludouicus Carolus à S. Iacobo, alijque.

CA-

CAPVT PRIMVM.

Applicatio proprietatum ad Romanam Ecclesiam.



Rectus nunc ordo postulat, vt quæ sit vera Christi Ecclesia ex dictis Proprietatibus particulariter ostendamus. Cùm igitur Ecclesiam quærenti inexplicabilis occurrat sylua Contentionum, vt, quæ vera sit Christi Ecclesia, difficile sit imprudentibus agnoscere, oculos paulisper ad maximam, & antiquissimam illam, & omnibus (vt ait Iren. lib. 3. c. 3.) cognitam Romanam Ecclesiam conuertamus, eamque cum alijs in his prudenter conferamus. Romanam autem dico, non tantùm quæ Romæ est, sed etiam quæ quaqua versus in mundum diffusa Christi fidem, in Communione cum Romano Pontifice profitetur. In hac enim eas, quas nunc prosecuti sumus, Ecclesiæ Proprietates ad oculum sanè videre licet. Vt nemo prudens de eius Authoritate meritò dubitet. Hæc enim vnum Pastorem à Christo sibi cum certo Episcoporum, Presbyterorum, & Ministrorum ordine, per modum Regni velut acies ordinata se habens, visibile Deo offert Sacrificium, mundum videlicet Corporis, & Sanguinis Christi hostiam: bonos complectitur, & malos: semper iam olim à temporibus Apostolorum, & in toto orbe viguit: sic, vt nulla gens vnquam sub sole ad Christum conuersa fuerit, quæ non huic, (velut arbori, & viti, ramus & palmes) inserta fuerit: Cathedram Petri agnoscit, & perpetua successione primo Apostolico corpori connectitur: & in omni quæstione, quæ de fide, & religione exorta est, semper in sua sententia, non partis, sed corporis rationem obtinuit: sibi nunquam in fidei professione deformis: cuius desertione hæreses inter se pugnantes exortæ sunt; miraculis infinitis clara est: neque aliquid in eius doctrina ostendi potest, quod aut cum aperta ratione, aut Scriptura Sacra pugnet. Quamquam apud Sapientes etiam certum sit, nullam quantumuis obscuram Scripturam, rationemue illi refragari. Vt vir prudens, & salutis suæ studiosus, tot in mundo sectas considerans, non dubitet, se huius gremio tutò committere, & in eius societatem tranquillè acquiescat. Id, quod paulò altiùs repetito principio, ex ijs, quæ in Ecclesia à temporibus Apostolorum huc vsque obseruata sunt, poterit declarari.

CAPVT II.

Primùm igitur nemini dubium esse potest, quin sancta illa societas hominum ferè simul centum & viginti, inter quos in medio eorum Petrus cum Apostolis, mulieribus & Maria matre Iesu, & fratribus eius, quos Christus in vnum collegerat, vera eius fuerit Ecclesia: vtpote super quam Spiritus sanctus coram toto mundo visibiliter descendit, Deum in illis habitare consignans. Huic vno die appositæ sunt animæ circiter tria millia. Et paulò post: Factus est numerus virorum quinque millia. Et continua Apostolorum prædicatione numerus eorum mirabiliter, Deo cooperante, in Iudæa, & gentibus vicinis excreuit. *Act. 2. & 4.* Deinde dispersi Apostoli prædicauerunt Euangelium (sicut à Christo præceptum erat) omni creaturæ: Et (sicut à Prophetis dictum erat:) In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. *Rom 10.* *Psalm. 18.* Breuissimoque tempore (mirabile dictu) factum est, vt Hebræorum, Romanorum, Hispanorum, Corinthiorum, Galatarum, Ephesiorum, Philippensium, Colossensium, Laodicensium, Thessalonicensium, Cretensium, Antiochenorum, Arabum, Indorum, Ægyptiorum, Persarum, Scytharum, & omnium gentium, quæ in terris erant, vnum foret ouile Christi, grex vnus, familiaque vna, ita, vt paruus ille collis Apostolorum, factus sit mons magnus, qui iuxta Prophetiam Danielis, impleret terram: & humilis illa radix, in arborem excreuit, cuius aspectus vsque ad terminos vniuersæ terræ. *Daniel. 2. 4.* Quando igitur Apostoli Ecclesiam, per totum mundum hac ratione propagabant, non tot sectas, quoe numero erant ipsi Apostoli faciebant (vt nimirum singulæ nationes fide, quam à suo quæque Apostolo accepissent, contentæ separatim ab alijs, & per se viuerent: Absit enim ab vnitate Ecclesiæ tanta Apostolorum diuisio) sed omnes in vnum corpus, & ouile, cuius suo loco Pastorem Dominus ipse Petrum constituerat, ipsi colligebant: vt omnes, qui fidem Christi reciperent, cum Petro Apostolo communionem haberent, & in illius nauem, quam Christus, alijs relictis, conscendit, tamquam fœlices pisces importarentur. *Luc. 5.* Hæc itaque Christianorum societas, quæ cum Petro, & cæteris Apostolis habebat communionem, tametsi antequam Romani Christo nomen dedissent, aut Petrus Sedem suam apud eos collocasset, Romana Ecclesia dici non poterat, eadem tamen ipsa, Romanis ad eius communionem accedentibus, & Sede Petri ibi constituta, Romana nuncupari Ecclesia cœpit, & debuit. Quod si quis forte tergiuersetur: &, aut Petrum Romæ vnquam fuisse impudenter neget: aut omnes Apostolos prorsus sibi pares fuisse, contra Scripturas affirmet: & ea ratione, non speciem Regni, (qui optimus est Reipubl. status) sed Democratiæ confusionem, quam ipsi quoque Philosophi non probant, in Christi Ecclesiam (Quam ordinatissimè constat ab ipso institutam) inducere non vereatur, patiar eum, interim, donec authoritate Ecclesiæ (Iam ei per suprapositas proprietates, & notas demonstratæ) falsum id esse, intellexerit. *Petrum Romæ fuisse, testatur Clemens Disc. eius. Epist. prima Anacletus ep. 3. Ægysippus, lib 3. de excidio Hier. c. 2. Euseb. lib. 2. ca. 14. Chrys. ser. 2. in epist. ad Rom.* Certè, Paulum toto biennio Romæ fuisse, ideoque Romanos fide Apostolica ipsius tempore, plenè fuisse institutos negari non potest. Proinde, hac saltem ratione Ecclesiam Christi, tunc Romanam dici potuisse concedit, quòd gens illa notissima, cuius fides (testante Apostolo) annunciabatur in vniuerso mundo adscius communionem, societatemque accessisset. *B. August. epist. 162. & lib 2. contra liter. Petil. cap 51 & ad Quodvult-Deum. Item ep. 86. Gelasius in lyo. 60. Episcoporum.* Quemadmodum à parte notabiliori, res tota solet aliquando denominari. Satis enim nobis adhuc fuerit (quoniam ex notissimis procedere cupimus) quòd illa communitas (quæ iam tunc Romanos, Corinthios, *Act. 18. Rom. 2.*

&alios

& alios ſuperiùs enumeratos populos, in vna Apoſtolorum fide, & communi ſratrum, & membrorum einſdem corporis ſocietate complectebatur) vera Eccleſia Chriſti fuerit, cui ab omnibus eſſet adhærendum.

CAPVT III.

QVoniam verò, ſecundùm Chriſti, Apoſtolorum, & Prophetarum oracula, multi poſterioribus temporibus ex hac Societate erant abituri, qui ſub nomine Chriſti Doctrinam planè Adulterinam inferrent, nemini obſcurum eſt, his fieri incipientibus, hos Catholicæ Eccleſiæ nomine intelligendos venire, pœnès quos Corpus prædictæ Catholicæ Societatis remanſerit, pœnès eos videlicet, à quibus alij ſeſe, tamquam partes, abrumperent, & nouam Congregationem, contra priorem erigerent, verbi gratia: Primus ab Eccleſia exiens ſactus eſt Hæreticus Simon Magus, qui cùm à Philippo eſſet Baptizatus, ſub nomine Chriſti Venenum ſuum ſparſit. Quem deinde, adhuc viuentibus Apoſtolis, ſecuti ſunt Menander, Saturninus, Baſilides, Nicolaitæ, Gnoſtici, Carpocratæs, Cerinthus, Ebion, Iudaizantes, & Nazaræi. Qui omnes, præter Nazareos, licèt in quibuſdam, & ab inuicem, & à Simone differrent, in multis tamen, quæ à Simone didicerant, conſentiebant. Cùm ergo hi omnes, ſuam Colluuiem Dei Eccleſiam conſtituere aſſerebant, ſuamque Doctrinam genuinam eſſe, & à Chriſto profectam: Petrum verò, cui cœteri communicabant, prorſus errare, inde ſanè Fidelis quiſque non imprudens eos diſcernebat, quòd Communi Corpori (cuius ipſe commotus Authoritate, factus erat Chriſtianus) non adhærebant, ſed ſeorſim, ab illo ſeparati, ſua Conuenticula peragebant. Non enim propter ipſos, Totius Corporis deſertores, & transfugas, Chriſti Fidem ille ſuſceperat, ſed propter eos, quos ipſi deſerebant. Iſtis igitur Authoritate Petri (Nam ille Simonem confutauit, atque damnauit) cæterorumque Apoſtolorum profligatis, ea Societas, quæ Petro communicabat, in qua etiam Romani erant, remanſit, & perſtitit vera Chriſti Eccleſia. Poſtea verò Petro, & Paulo Martyrio coronatis, Tota Eccleſia, quæ contra has Hæreſes vbique terrarum dimicabat, cum Clemente, Lino, Cleto, Anacleto, Euariſto, Alexandro, Sixto, Teleſphoro, Hygino, omnibuſque alijs Romanis Epiſcopis tranquillè communicabat, illoſque, tamquam Petri ſucceſſores, ſuoſque Legitimos Superiores religioſè obtemperãdo agnouit. Siquidem Petrus Clementem ſibi Succeſſorem (vt ipſe Clemens teſtatur) antequam moreretur, elegit, his verbis: Clementem hunc Epiſcopum vobis ordino. Cui ſoli, meę prædicationis, & Doctrinæ Cathedram trado. Vnde, ſuborta apud Corinthios diſſenſione, ex perſona Romanæ Eccleſiæ, tamquam eorum Superior, epiſtolam eis miſit, quam illi, ſicut & aliæ permultæ Eccleſiæ, velut Authenticam publicè legerunt. An verò Linum, & Cletum humilitatis cauſa (ſicut quidam autumant) ſibi præferri voluerit, & eos poſtea ipſe ſecutus ſit, quando ipſum, & ſuos ſucceſſores Romanos fuiſſe Epiſcopos Petrique ſucceſſores publica Eccleſiæ, & omnium hiſtoriarum traditione conſtat, non admodum refert. Tametſi probabilius, quo ordine illos poſui, Eccleſiæ præfuiſſe credam. Cęterum, quod de omnium Eccleſiarum cum Romanis Epiſcopis tunc temporis Communione diximus, clariſsimè teſtatur Euſeb. lib. 5. cap. 24. & Epiſto. Irenæi, quam miſit ad Victorem. Ex qua etiam Authoritas eorum in cæteras Eccleſias, quà Aſianas excommunicare volebat, haud obſcurè patet. Pro qua re etiam Anacleti, Alexandri, Sixti, & Hyginij, Catholicæ Epiſtolæ clariſſima teſtimonia ferunt. Sacroſancta Romana, & Apoſtolica Eccleſia (Inquit Anacletus) non ab Apoſtolis, ſed ab ipſo Domino Saluatore noſtro Primatum obtinuit, & eminentiam Poteſtatis ſuper vniuerſas Eccleſias, ac totius Chriſtiani Populi Gregem aſſecuta eſt. Sicut ipſe B. Petro Apoſtolo dixit: Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam.

Act. 8.

Epiphan. to. 2. Aug. ad Quod vult Deum.

Euſeb. lib. 2. cap 24.

Leo ſerm. de nat. Petri, & Pauli. [illegible] & Prud.

Clemens epiſt. 1.

Apud Euſeb. lib. 4. cap. 23.

Vide Irenæ in lib. 3. cap. 3.

Hiero de Eccleſiaſt. Script.

Aug. epiſt. 165.

Euſeb. li. 3. cap. 14

Alexan. 1. epiſt. v.

Anacletum epiſt. 2. 3.

Pium 1. epi. ad Colonienſes, & epiſt. Ioan. 3 ad Epiſ. Germani, & Galliæ, vbi Clementem primum Petri Succeſſorem dicit. epiſt. 1. 2. epiſt. 1. epiſt 1. epiſt. v. na tantum.

CAPVT IV.

QVando verò Apoſtoli, & Sancti iſti Epiſcopi cum pleriſque eorum diſcipulis, & collegis, qui in toto orbe prædictas hæreſes expugnabant, ad Dominum migrauerunt, rurſus alijs miniſtris noſter aduerſarius, & deuotiſſimus hoſtis Diabolus, Eccleſiam adortus eſt, qui etiam ſub nomine Apoſtolorum, à quibus antea defendebatur, eam exagitarent. Protulit enim, licèt diuerſis temporibus, Valentinum, Ptolomæum, Marcum, Heraclionem, Ophitas, Marcioniſtas, Apellitas, Cataphryges, Adamianos, Valeſios, Catharos, ſeu Nouatianos, Apoſtolicos, Sabellianos, Origenianos, Paulum Samoſatenum, Manichæos, Montanum, & Donatiſtas. Qui incredibilibus ſuis fabulis, ſomnijs, & peſtilentibus doctrinis, quas de Deo, Mundo, & Sacramentis quibuſdam habebant, alij quidem alijs, ſed ad eamdem perniciem tendentibus, plurimas infęlices animas perdiderunt. Hos ergo cùm conſtet fuiſſe hæreticos, quænam tunc temporis ſocietas cenſeri Eccleſia Chriſti debuit? An non illa, quæ præcedentibus temporibus ab Apoſtolis plantatæ arbori, & communi corpori adhærens aduersùs hos peſtiferos ramos dimicabat? Siquidem in cuiuslibet eorum hæreſeos principio palàm erat, eos ſingulos, & omnes partes eſſe, quæ ſe à communi corpore reſecabant. Quæ autem ex Apoſtolico corpore reliqua manebat, ſeu reſtabat iſtis exeuntibus, abſque omni dubitatione, vera Eccleſia erat. Iam mihi conſidera, an ne ea, quæ per Aſiam, Aphricam, & Europam aduerſus iſtos hæreticos, paulò ante commemoratos pugnabat, tota Romana fuerit? & cum Epiſcopis Romanæ Sedis, veluti ſibi præpoſitis, vno Spiritu aduerſus iſtos communicauerit. Etenim qui illis temporibus Sedis iſtius gubernaculum tenuerunt, fuere Pius, Anicetus, Soter, Eleutherius, Victor, Zephyrinus, Calixtus, Vrbanus, Pontianus, Anterus, Fabianus, Cornelius, Lucius, Stephanus, Sixtus, Dionyſius, Felix, Eutichianus,

Anno Domini 143.

Lib. 4. cap. 11. Eccleſ. hiſt.

Aug epiſtola 165.

An. 311. nus, Caius, Marcellinus, Marcellus, Eusebius, & Melchiades, omnes (præter vnum Eutychianum alioqui sanctissimum etiam) sicut eorum Prædecessores, Martyres Christi Beatissimi. Quibus, cùm se pro summis gererent Pontificibus, quanta charitate, & reuerentia cæteri omnes, qui prædictis hæresibus aduersabantur, tunc communicauerint, testis est Eusebius, de rebus Ecclesiæ à libro 4. vsque ad 8. locupletissimus. Scripta quoque, quæ tum isti ad alios toto orbe, tum alij, qui erant celebriores, ex omnibus Mundi partibus, vel ad eos, vel de illis ediderunt.

Lib 3. cap. 3. Nam Irenæus scriptor illius temporis clarissimus, postquam ad Traditionem, quæ ab Apostolis continua Episcoporum successione ad nos deuenit, aduersùs dictas hæreses confugiendum esse docuisset: quoniam valdè longum est (inquit) in hoc volumine omnium Ecclesiarum enumerare successiones, maximè, & antiquissimæ, & omnibus cognitæ, à gloriosissimis duobus Apostolis Petro, & Paulo Romæ fundatæ, & constitutæ Ecclesiæ, eam, quam habet ab Apostolis Traditionem, & annunciatam hominibus Fidem, per successiones Episcoporum peruenientem, vsque ad nos, indicantes, confundimus omnes eos, qui quoque modo, vel per sui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem, & malam sententiam, præterquàm oportet colligunt. Ad hanc enim Ecclesiam propter potentiorem principalitatem, necesse est, omnem conuenire Ecclesiam, hoc est, eos qui sunt vndique fideles. Quod ipsum titulus epistolæ, quam ad Romanos scrible Ignatius, palam facit. De Polycarpo quoq; qui etiam Ipsius Ioan. Euangelistæ Discipulus fuit, idem Irenæus, quæ illi cum Rom. Pontifice Aniceto Communio: & huius in illum Authoritas fuerit, apertiùs declarat.

Euseb. lib. 4. cap. 23. Sicut, & Dionysius Corinthiorum sanctissimus Episcopus. Quod ad Soterem Pontificem attinet, quem pium, ac religiosum Patrem appellat, abundè testatum fuerit. Quid

Idem lib. 4. cap. 11. dieam de Iustino Philosopho, qui in communione Romanæ Ecclesiæ, verbo & sanguine

Idem lib. 6. cap. 13. Fidem Romanam consignauit? Quid de Ori-

Orig. ho. 6. in Mat. gene, cui (antequam ingenij arrogantia vicem dementasset) in votis erat, vt antiquissimam Romanorum videret Ecclesiam. Taceo

De præsc. Hæreue. de Tertulliano, qui eiusmodi de Romana Ecclesia testimonium habet: Age iam (inquiens) qui voles curiositatem meliùs exercere in negotijs salutis, percurre Ecclesias Apostolicas, apud quas ipsæ adhuc Cathedræ Apostolorum, in suis locis, præsidentur. Proxima est tibi Achaia, Habes Corinthum: Si non longè es à Macedonia, habes Philippos, habes Thessalonicenses: Si potes in Asiam tendere, habes Ephesum: Si autem Italiæ adiaces, habes Romam, vnde nobis quoque Authoritas præstò est statuta. Felix Ecclesia, cui totam doctrinam Apostoli, cum sanguine suo profuderunt: vbi Petrus Passioni Dominicæ assimilatur: Vbi Paulus Ioannis exitu coronatur: Vbi Apostolus Ioannes, posteaquam in oleum mersus, nihil passus est, in Insulam relegatur. Videamus quid didicerit? quid docuerit? Cum Aphricanis quoq; Ecclesijs cōtestatur vnum Deum. Quibus verbis, totius orbis cum Romanis Episcopis aduersùs dictas Hæreses communio, & eorum in omnes Authoritas palàm declaratur. Quibus Pastorales eorum Epistolas, quas ad diuersos direxerunt (quia promissionem à Christo habent, vt etiam de seipsis, suaque Authoritate à Domino acceptæ, testimonium perhibere possint) confidenter licet addere. Quibus Apostolicæ Sedis dignitatem, eminentiam, primatum, ad quem causæ difficiliores, & grauiora Episcoporum negotia essent referenda, & ad quem ab omnibus licitè appellari posset, magna eorum, quibus cum ipsis indissolubilis Communio erat, consensione constanter, & manifestè tradunt. Legite Pium, Anicetum, Soterem, Eleutherium, Victorem, Zepherinum, Calixtum, Cornelium, Stephanum, Syxtum, Dionysium, Fœlicem, & Melchiadem, qui sanguinem pro Christo non fudissent, neque Communionem cum cæteris retinuissent, si ambitione aliqua, & fastu sibi immeritò, & falsò tantùm Authoritatis arrogassent. Lubet etiam B. Cypriani (qui illius temporis Episcopus clarissimus, & totius Aphricanæ Ecclesiæ caput fuit) verba subijcere. Is enim lib. 4. epist. 8. de Rom. Ecclesia ad sanctum Cornelium scribens sic habet: Non enim singulis nauigantibus, ne cum scandalo vllo nauigarent, rationem reddidisse nos nescimus, & hortatos esse, vt Ecclesiæ Catholicæ matricem, & radicem agnoscerent, & tenerent. Et paucis interiectis: Per omnes omninò in Prouincia ista positos literæ fiunt, vt te vniuersi Collegæ nostri, & Communicationem tuam, idest Catholicæ Ecclesiæ Vnitatem, pariter, & charitatem probarent, firmiter, ac tenerent. Quod diuinitùs euenisse, & Concilium nostrum prouidenter processisse gaudemus. Sic enim nunc Episcopatus tui, & veritas pariter, & dignitas apertissima luce, & manifestissima, & firmissima est confirmatione fundata. Et Epistola eiusdem libri secunda, & lib. 1. epistola tertia, Romanorum Pontificem supremum, quem andire debent, agnoscit. Sub illa quoque tempora celebratum est Concilium 300. Episcoporum, & triginta Presbyterorum, vt causam Marcellini Pontificis, qui Idolis thurificauerat, expenderent. Sed quoniam prima Sedes (vt inquiunt) non iudicatur à quoquam, eum proprio iudicio reliquerunt. Et Concilium Antiochenum, ante hoc celebratum, numquid obscurè Dionysium Romanum Episcopum præ omnibus agnoscit? Quando ad ipsum tanquam primum Episcopum, querelam de Paulo Samosateno detulit. Euseb. lib. 7. cap. 25. & 26. Ex quibus luce meridiana clarius est, Ecclesiam quæ aduersùs temporis illius hæreticos tunc militauit, totam extitisse Romanam, eanique solam Catholici Corporis Apostolicæ prioris temporis Communicati adhærentis habuisse rationem. Cæteris, velut partibus inutilibus, ab illa communicate rescissis.

CAPVT V.

POst hæc, quem hæc Christi Ecclesia progressum temporibus habuerit succedentibus videamus. Nunquam enim quiescente

 no-

nostro aduersario Diabolo, post priores illos, iam satis damnatos, atque conuictos hæreticos, quemdam Alexandriæ Presbyterum, totius orbis turbatorem Arium, excitauit, qui Dominum nostrum negaret, Patri suo Consubstantialem, Quem secutus Macedonius, intolerabilem Spiritui Sancto finxit Blasphemiam, Coniunctus est his Pelagius, qui totam Christi gratiam euacuaret. Et ab hoc natus infœlix Nestorius, personas in Christo diuisit. Eutyches verò, dum imprudenti zelo Nestorio se opponit, multò peiorem (quo Naturas in Christo confundebat) errorem protulit. Quibus, ne quid de Incarnationis mysterio relinqueretur intactum, Monothelitarum, Authore Sergio, accessit insania. Horum autem omnium hæreses commiscens Petrus Episcopus Antiochenus, mirabile ex Trisagio, quasi tota trinitas pro nobis passa fuerit, monstrum, orbi proposuit. Iouiniano interim cum Heluidio, Vigilantio, & Aerio circa eadem tempora, de virginitatis, & excellentiorum operum depressione, Sanctorum contemptu, Peccatorum pro defunctis neglectu, & Virginis Mariæ contumelia, Ecclesiam turbantibus. Istis, inquam, hæresibus saucia Dei Ecclesia, quæ ex Corpore Apostolico reliqua erat, ab Anno Domini circiter trecentesimo vigesimo tertio, per trecentos annos, & multò amplius, nondum etiam Donatistis, & Manichæis, qui admodum diu grassati sunt, penitus extinctis, miserabiliter fuit agitatio, Quos igitur tunc fuisse putamus, qui, cùm pestibus istis obuiam irent, ipsi cum populo sibi adhærente Ecclesiam constituerunt? Sanè Nicææ, aduersùs Arium, trecenti decem, & octo Patres celeberrimi, cum Sancto Alexandro, & Athanasio, ex toto orbe conuenerunt, atque illum hæreticum declarauerunt. Quorum deinde vestigijs inhærentes, centum, & quinquaginta Constantinopoli congregati, Macedonium cum Donatistis, vt mihi videtur, damnauerunt. Istis verò omnibus, sanctus Chrysost. Basilius, Gregorius Nazianzenus, Hilarius, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, Prosper, Fulgentius, tempore quidem, & loco, tàm ab illis, quàm ab inuicem separati, Spiritu tamen coniunctissimi, tanquam vnius corporis membra communicauerunt, & dictas hæreses viriliter oppugnarunt, expugnaruntque, Quibus Patres Concilij Carthaginensis, & Mileuitani, atque adeò totius Aphricæ coniuncti, Pelagium trucidarunt. Hos etiam, contra Nestorium, in eadem communione secuti sunt 210. qui Ephesi cum magno illo Cyrillo Concilium habuerunt celeberrimum. Quibus in eadem societate, qui postea numero facilè sexcenti, Chalcedone imperitum Eutychem confuderunt, cum tet Sancto illo Leone succederunt. Et his omnibus subscribens, cœtus ille, qui Constantinopoli secundam Synodum celebrauit, Petrum Antiochenum, cum coadiutoribus suis Anathemati subiecit. Et qui tertiò ad eandem vrbem conuenit in eadem prorsus communione damnauit Monothelitas. Quando igitur hos solos, tunc cum populo sibi adhærente, cæteris ab eorum societate repulsis, Catholicos, & Orthodoxos fuisse constat, à qua parte Rom. Ecclesiam stetisse putamus? Certè si ordinem illorum recenseas, qui Sedi Apostolicæ per tempora illa præsederunt, & eorum cum dictarum pestium oppugnatoribus Vnionem consideres, totam societatem quam tunc Catholicam fuisse, & Orthodoxam constat, prorsus Romanam fuisse comperies. Cùm enim Melchiadi, qui superiorum temporum erat extremus, B. Siluester: & huic Marcus; Marco verò, Iulius: Iulio, Liberius: Liberio, Fœlix: Fœlici, Damasus: Damaso, Syticius: Syricio, Anastasius: Anastasio, Innocentius: & huic, Zosimus: Zosimo, Bonifacius: Bonifacio, Cœlestinus: Cœlestino, Sixtus: Sixto verò, Leo primus, per tempora illa successerit, omnes, qui in Catholica Ecclesia manentes Arium, Macedonium, Nestorium, & Eutychen sunt detestati, cum istis Pontificibus in vno corpore, vnaque communione fuerunt. Siquidem cum Concilio Niceno iuxta Zozomenum, ex Apostolicis Sedibus communicarent Macarius Ierosolymitanus Patriarcha, Eustachius Antiochenus, Alexander Alexandrinus, & omnium Ecclesiarum, quæ Europam, Lybiam, & Asiam replebant Episcopi, Romanus, propter senectutem, ipse quidem non adfuit, duos tamen Apocrisarios, idest Legatos, Victorem, & Vincentium Romanæ Ecclesiæ Prebyteros illuc destinauit. Qui, sicut ex actis Concilij patet, cum Hosio Cordubensi Hispano, & Macario Constantinopolitano, nomine Siluestri, Synodo præsiderent. Quod enim sub Siluestro, & non sub Iulio, vt quidam volunt, Concilium illud inceptum sit, & absolutum, clarè testantur, tum acta Concilij, tum literæ, quas Athanasius, & Marcus ad inuicem direxerunt. Rursus acta Concilij Romani, cui, post Nicenum, Siluester præsedit. Erat itaque illis vna orationis Domus, & tanquam à Deo, vt ait Socrates, dilatata intrinsecùs, ferebat omnes in idem. Syros simul, & Cilicas, Phœnicasque, & Arabes, atque Palæstinos, inter hos, & Ægyptios, Thebæos, Lybicos, nec non, qui ex Mesopotamia oriuntur, Sed etiam Persa ad Concilium venit Episcopus, Verùm nec Schyta defuit ex eorum choro. Penitusque, & Asia, Phrygia, & Pamphilia viros probatissimos præbuerunt. Aderant Thraces, & Macedones, Achiui, & Epirotæ, & his quoque interiùs habitantes. Ipse autem Hispanorum, valdè famosus Hosius vnus erat. Hæc ille. Vides candidissimè Lector, quod totus ille Catholicus Cœtus, quia Legatis ipsius Siluestri Concilio præsidentibus, vt vnius cum Papa corporis membra communicauit, prorsus Romanus erat, & Pontificem sùum esse superiorem, omnes agnoscebant. Nam quatuor illi Præsides à Siluestro, sicut ex actis Concilij patet, decreta, & quicquid constituerunt in Concilio, precantur, vt Oris ipsius consortio confirmetur. Quod in epistola ad ipsos, & totum Concilium Siluester fecit, Sicut, & in Concilio, quod Romæ cum 275. Episcopis celebratur. Quod ipsum, ex decretis Concilij manifestum est. Nam, sicut videre est in epistola Iulij ad Orientales: ac Alexandri, & Ægyptiorum ad Marcum, & Fœlicem, declaratum fuit in Concilio, vt omnes Episcopi, qui in grauioribus pulsantur, vel criminantur causis, quoties necesse fuerit, liberè Apostolicam

licam appellent Sedem, atque ad eam, quasi ad Matrem confugiant, vt ab ea, sicut semper fuit, piè fulciantur, defendantur, & liberentur. Cuius dispositioni omnes maiores Ecclesiasticas causas, & Episcoporum iudicia, antiqua Apostolorum, eorumque successorum, atque Canonum Authoritas reseruauit. Et plura in eiusdem argumenti confirmationem literis illis inseruntur. Quemadmodum Athanasius, & Ægyptiorum Episcopi ad Marcum Papam scribentes, Sedem Apostolicam Matrem, & Caput appellant omnium Ecclesiarum. Et ad Fœlicem: Scimus, inquiunt, in Nicæna magna Synodo 318. Episcoporum, ab omnibus concorditer esse roboratum, non debere absque Romani Pontificis sententia Concilia celebrari, nec Episcopos damnari. Licèt hæc, & alia complura necessaria, ab hæreticis, qui nos quotidie infestant, & perdere nituntur, vt faciliùs nos capere possint, sint incensa, nobisque sublata, & erepta. Et post pauca: Similiter, inquiunt, & à supradictis Patribus est definitum consonanter, vt si quisquam Episcoporum, aut Metropolitanorum, aut Comprouinciales iudices suspectos habuerit, vestram Sanctam Romanam interpellet Sedem. cui ab ipso Domino Potestas ligandi, & soluendi speciali priuilegio super alios est concessa. Ipsa enim firmamentum à Deo fixum, & immobile percepit: Ipsa est sacer Vertex, & Cardo, in quo omnes vertuntur, sustentantur, & releuantur. Deinde ipsum affirmantes Anchoritate, & officio Petrum, ac Basin, Caputque Ecclesiastici ædificij, declarant, se in suis tribulationibus ad illum, quasi ad caput confugere, vt illius fulti auxilio, ab hæreticorum fraudibus, & persecutionibus liberentur. Authoritatem eius tantam agnoscentes, vt aduersùs hæreticos, qui omnia peruertebant, solo ipsius mandato, crederent se fore tutiores. His adde Constantini confessionem, quam his verbis posteris reliquit: Dignum, inquit, iudicauimus, cum omnibus Satrapis, & vniuerso Senatu, & Optimatibus, & cuncto Rom. Imperio subiacenti populo, vt sicut B. Petrus Vicarius apparet, verba Christi: Tu es Petrus &c. iam citauerat, constitutus in terra à Filio Dei, sic à nobis, & à nostro Regno, locum tenentes Principis Apostolorum, loquitur de Siluestro, & eius successoribus, suscipiantur. Vt impleatum tunc temporis omnes viderint, quod Esaias antea de Ecclesia prædixerat: Erunt Reges Nutricij tui, & Reginæ nutrices tuæ: Vultu in terram demisso adorabunt te, & puluerem pedum tuorum lingent: Quoniam perfectè subiectos illos fuisse legimus. Atque adeò Ecclesiam, quam antea Dominus promiserat, & in toto terrarum orbe dominaturam per Prophetas dixerat, non aliam prorsus tunc fuisse, quàm Romanam palàm intelligimus. Cum enim tota Christianorum Communitas, per mundum sparsa, quę superioris temporis Catholicæ societati erat annexa, & inserta, contra prædictos errores Romano Pontifici adhæreret, conspicuum fuit omnibus, Arium, Eusebium, Theodorum, & eorum similes, qui se communi corpori opponebant, partes fuisse ab ipsa Arbore separatas, & corpus ipsum Catholicum non constituisse. Nec refert quantam ipsi secum postea turbam abstraxerint, quoniam totum penè orbem commouerunt, quando in ipso defectionis exordio Partis, atque adeò Sectæ, eos habuisse rationem: & non corporis manifestissimè patebat: Quamuis, non obstante quæ secuta est multitudine, progressus & exitus rem plenè declararunt.

CAPVT VI.

Vt autem progrediamur, nonne Synodus Constantinopolitana eum Damaso, primum Præsulem se confitentem habuit communionem, debitamque Sedi Apostolicæ reuerentiam, vt verbis ipsius vtar Damasi, distribuit? Et Romanam Ecclesiam super alias omnes agnouit? Sed, & verba totius Aphricæ, ad Damasum lubet hic adscribere. Domino beatissimo, inquiunt, & Apostolico culmine sublimato, sancto Patri Patrum Damaso Papæ, & summo omnium Præsulum Pontifici, Stephanus Archiepiscopus Concilij Mauritaniæ, & vniuersi Episcopi de tribus Concilijs Aphricanæ Prouinciæ. Notum facimus vestræ Beatitudini, quòd quidam venerabiles Episcopos à proprio deijcere moliantur gradu, cùm vestræ Sedi, Episcoporum Iudicia, & summorum fidem Ecclesiasticorum negotiorum, in honore Beati Petri Patrum Decreta omnium constet reseruasse, &c. Quibus vir ille sanctissimus tanquam Episcopus Sanctæ Catholicæ, atque Apostolicæ Ecclesiæ: Satis, inquit, fratres charissimi, firmamentum à Deo fixum, & immobile, atque titulum lucidissimum suorum Sacerdotum, idest omnium Episcoporum Apostolicam Sedem esse constitutam, & verticem Ecclesiarum, &c. Tantum virum, nemo ex ambitione locutum esse suspicetur. Quoniam Hieronymus ad eum scribens, eamdem illi longè fortius tribuit Authoritatem. Quoniam, ait, vetusto Oriens inter se Populorum furore collisus, indiscissam Domini tunicam, & desuper textam, minutatim per frustra discerpit, & Christi Vineam exterminant Vulpes, vt inter lacus contritos, qui aquam non habent, difficilè, vbi fons signatus, & hortus ille conclusus sit, possit intelligi: ideo mihi Cathedram Petri, & fidem Apostolico ore laudatam, censui consulendam: inde nunc animæ postulans cibum, vnde olim Christi vestimenta suscepi: à Sacerdote victimam, à Pastore præsidium ouis flagito: Facessat inuidia, Romani culminis facessat ambitio, cum successore piscatoris, & discipulo Crucis loquor. Ego nullum primum, nisi Christum sequens, Beatitudini tuæ, idest Cathedræ Petri communione consocior. Super illam Petram Eccl. ædificatam scio. Non noui Vitalem, Meletium respuo, ignoro Paulinum. Quicumque tecum non colligit, spargit, hoc est, qui Christi non est, Antichristi est.

Epist. Damasi Cano. 5. Concilij. qui renouatus in Concilio Chalced.

Anno Domini 145.

CAPVT VII.

Sed, vt clariùs statum illius temporis Ecclesiæ, (quoniam tunc florentissima fuit atque latissima) videamus, Patrum omnium illius

Vniuersalis Syn. ex Patribus istorum temporum.

illius temporis sententias, quæ quidem extent, colligamus, & peculiare de hoc argumento, quasi Concilium ex toto terrarum orbe cogamus, singulorumque suffragia, quid scilicet de Ecclesia Romana (cuius ipsi cum vniuerso orbe communionis fuerunt iudicauerint, inquiramus. Quid itaque Athanasius, & Hieronymus respondeant, modò audiebamus. Sedeant nunc suo loco cæteri, quos tunc temporis celebres, vsque ad Gregorium Magnum, in Ecclesia fuisse scimus, Basilius itaque epist. 52. communionem suam, & sententiam declarans, scribit ad Athanasium, vt missis ad Episcopum Romanum literis, ab ipso consilium, & auctoritatis suæ subsidium aduersùs hæreticos impleretur. Chrysost. etiam Patriarcha Constantinopolitanus ad Innocentium, tanquam Patrem omnium Episcoporum confugit, petens ab eo, vt, quæ ab aduersarijs contra eum decreta erant, eius auctoritate irritentur. Epiphanij verò sententia inde constat, quòd cùm in Ancorato docet, Dominum constituisse Petrum primum Apostolorum, petram firmam, super quam Ecclesia Dei ædificata est. Rom. Pont. hæresi 27. facit Petri successores: Episcoporum, inquiens, in Roma successio hanc consequentiam habuit: Petrus, & Paulus, Linus, Cletus, Clemens, Euaristus, Alexander, &c. Vnde 68. hæresi tradit Vrsatium, ac Valentem, qui S. Athanasium iniustè accusauerant, postea pœnitentiam agentes ad Beatum Iulium Romanum Episcopum cum libellis profectos esse, vt ab ipso in communitatem, ac ad pœnitentiam reciperentur. Quod, nisi eminentiam Romanæ Sedis, cum proprium haberet Episcopum, intellexissent, necessarium non erat. Sic totam Orientalem Ecclesiam suo tempore cum Romano Pontifice necessariam habuisse communionem insinuat B. August. lib. 3. contra Cresco. cap. 34. Ad Carthaginensem, inquit, Episcopum, Romano prætermisso, nunquam Orientalis Catholica scriberet, Nam de eius sententia mox eum audiemus. Accedat nunc ex Occidente cum suis Coepiscopis S. Ambrosius. Cùm enim Siricius Papa eis Iouinianum à se damnatum significaret, ipsi epist. 81. in hunc modum rescribunt 1. Recognouimus literis Sanctitatis tuæ, boni Pastoris excubias, qui fideliter tibi commissam ianuam serues, & pia sollicitudine Christi ouile custodias, dignus, quem oues Domini audiant, & sequantur. Et inde, dogmata Iouiniani confutantes: Credatur, inquiunt, Symbolo Apostolorum, quod Ecclesia Romana intemeratū semper custodit, & seruat. Et in oratione, quam de obitu fratris sui conscripsit, plurimum fratrem commendat, quòd cùm præsidio sacrosanctæ Eucharistiæ orario inuolutæ, naufragium euasisset, & ad Ecclesiam, vt gratias Deo ageret, se conferens, ipse sibi Sacramentum ministrare non auderet, aduocauit, inquit, ad se Episcopum: nec vllam veram putauit, nisi veræ fidei, gratiam: percunctatusque ex eo est, vtrumnam cum Episcopis Catholicis, hoc est, cum Romana Ecclesia conueniret. Planè necessariam esse omnibus eius communionem significans. Quam verò tota Aphrica communionem, & sententiam de Rom. Pont. tunc retinuerit, patet: tum ex libris, quos scripsit B. August. ad Bonifacium: tum & ex literis quas Concilium Carthaginense, & Mileuitanum ad Innocentium miserunt, Testatur etiam Cœlestinus, epistolæ, quam scribit ad Gallos cap. 2. Rursus B. Aug. lib. 1. contra Iulianum: Puto, inquit, tibi tibi eam partem orbis sufficere debere, in qua primum Apostolorum suorum voluit Dominus gloriosissimo martyrio coronare. Cui Ecclesiæ præsidentem B. Innocentium si audire voluisses, iam tunc periculosam iuuentutem tuam Pelagianis laqueis exuisses. Quid enim potuit vir ille sanctus Aphricanis respondere Concilijs, nisi quod antiquitùs Apostolica Sedes, & Romana cum cæteris tenet perseueranter Ecclesia. Et paulò post: Cum his, supple, Episcopis, Cypriano &c. ipse confidet, etsi posterior tempore, prior loco. Patres verò Concilij Carthaginensis, cùm damnationem Pelagij, & Cœlestij ad Innocentium referrent, idem omninò declarauerunt his verbis: Hoc itaque gestum Domine frater, sanctæ charitati tuæ intimandum duximus, vt statutis nostræ mediocritatis etiam Apostolicæ Sedis adhibeatur auctoritas, pro tuenda salute, & quorumdam peruersitate etiam corrigenda. Haud dissimiliter eidem scribunt Episcopi Concilij Mileuitani. Ad quos rescribens Innocentius: Diligenter, inquit, & congruè Apostolico consuluistis Honori, antiquæ scilicet regulæ formam secuti, quam toto semper orbe mecum nostis esse seruatam. Qui id etiam actione firmastis, quod per omnes Prouincias de Apostolico fonte petentibus, responsa semper emanent. Item quantę tunc temporis auctoritatis in toto orbe etiam apud hæreticos fuerit censura Romani Pontificis, verbis & facto testantur B. Augustinus, & aliquot cum ipso Episcopi, petentes, vt ipse accito Pelagio cogat librum quemdam ab eo anathematizari. Si enim cognouerint eumdem librum (quem illius, vel putant esse, vel norunt) Episcoporum Catholicorum auctoritate, & maximè Sanctitatis tuæ, quam apud eum esse maioris ponderis minimè dubitamus, ab eodem ipso damnatum, non eos vlteriùs existimamus ausuros loqui contra gratiam Dei. Et quando dictorum Conciliorum diligentia doctrina Pelagij excussa, ad Sedem Apostolicam delata esset, & ab ea damnationis sententiam accepisset, sufficere Populo Christiano vir ille sanctus existimauit. Nam de verbis Apostoli: Fratres, inquit, compatimini mecum, vbi tales inueneritis, occultare nolite, redarguite contradicentes, & resistentes ad nos perducite. Iam enim duo Concilia missa sunt ad Sedem Apostolicam. Inde etiam rescripta venerunt. Causa finita est. Vtinam aliquando finiatur error. Rursùs Bonifacio scribens, Summi Præsulis ipsum titulo honorat: Non dedignaris, inquiens, qui non alta sapis, quamuis altiùs præsideas, esse amicus humilium, & amorem rependere impensum. Et paulò post: Cùm communis sit omnibus nobis, qui fungimur Episcopatus officio, quamuis ipse in eo præemineas celsiore fastigio, specula pastoralis, facio quod possum, pro mei particula muneris. Sed enim, ò vir celeberrime, pleuissimè, quæso, sensum cordis tui nobis prodas, & quę te

in Ecclesia Romana tenuerint, aperi. Tenet me, inquit, consensio populorum, atque gentium: tenet auctoritas miraculis inchoata, spe nutrita, charitate aucta, vetustate firmata: tenet ab ipsa Sede Petri Apostoli, cui pascendas oues suas post resurrectionem Dominus commendauit, vsque ad præsentem Episcopatum successio Sacerdotum, quos epistola 165. recenset, tenet ipsum Catholicæ nomen, quod ista Ecclesia, non sine causa, sola obtinuit. Vt cùm omnes hæretici se Catholicos dici volunt, quærenti tamen alieni peregrino: vbi ad Catholicam idest vniuersalem Ecclesiam peruenitur? nullus vel Basilicam suam, vel domum audeat ostendere. Non enim possunt intelligi ab extraneis, nisi hoc nomine Ecclesia discernant, quo ab vniuerso, tam fidelium, quàm infidelium orbe appellatur. Vbi proprietates Ecclesię nuper à nobis expositas claré vides Ecclesię Romanę applicari. Vnde eius auctoritatem solidissimam esse veritatis inueniendę viam docet, in libello, quem scripsit de vtilitate credendi. Adiunge istis auctorem libri, qui apud Ambrosium de vocatione gentium inscribitur, quem multi Diui Prosperi esse putant. Is, cap. 6. eiusdem fert suffragium: Gratia Christiana non contenta est, eosdem limites habere quos Roma, multosque iam populorum, sceptro Crucis Christi illa subdidit, quos armis suis ista non domuit: quæ tamen per Apostolici Sacerdotij Principatum amplior facta est arce religionis, quàm solio potestatis.

CAPVT VIII.

Adde præterea totum Concilium Ephesinum, quod scribens ad Cœlestinum Pontificem Patriarchæ Antiocheni causam, pietatis ipsius iudicio reseruat. Et Legatos ipsius, inter quos præcipuus erat Cyrillus, commemorans: Qui, inquit, vicem, ac præsentiam tuam nobis consessu suo exhibuerunt, & Apostolicæ Sedis locum adimplenerunt. Et cum de Nestorij depositione in illo ageretur Cyrillus causam ad Cœlestinum referens: Verumtamen, inquit, nos ipsi ab illius communione cum fiducia modò eximimus, donec ista pietati tuæ communicemus. Cui respondens Cœlestinus, errorem Nestorij damnat, mandatque Cyrillo, vt adiuncta ipsi suæ Sedis auctoritate, & vicis illius successione, & potestate functus eum excommunicet, atque depouat. Quibus literis Synodus ipsa commota, sententiam depositionis in Nestorium tulit, Quam his verbis orbi voluit significatam: necessitate nobis à canonibus, & sanctissimi Patris collegæ nostri Romanæ Ecclesiæ Episcopi epistola imposita, diu, multumque lachrymantes, ad tristem hanc peruenimus sententiam, vt Nestorium à dignitate Episcopali, & conuentu Sacerdotum prorsus esse alienum decerneremus. Quam sententiam, cùm non ita placere Imperatori videret, multùm eò nititur, quòd magnæ Romæ Episcopus Synodo coniungeretur, qui sua sententia, in damnatione dogmatis, Synodum præueuisset. Accusans verò Patriarcham Antiochenum inter cætera illud etiam infert, quòd contra caput congregatorum Episcoporum, Cyrillum inquiunt dicimus sanctissimum Archiepiscopum, ausus fuisset proferre blasphemiam depositionis. Ipsum caput appellans, quia capitis Cœlestini vice fungebatur. Ecce habes amplius, quam ducentos & decem in vno consilio Episcopos, ex toto orbe congregatos, quos cum alijs Romani Pontificis super se auctoritatem, & necessariam cum eo communionem agnouisse vides. Quibus adde verba Cyrilli, quæ à B. Thoma in quartum de Ordine; & ad 16. caput Matthæi recitantur. Vbi omnes iure diuino caput Romano Pontifici inclinare testatur.

CAPVT IX.

Qvod si placet augustiorem habere Synodum, adde huic Chalcedonensem, quæ sexcentorum, & triginta Episcoporum fuit. Huic enim in eadem communione sanctissimi illius Leonis Vicarij præsederunt. Quando enim Cœlestino successit Sixtus, cui quantumuis accusato Imperator Valentinianus eum honorem detulit, vt non nisi eius auctoritate Synodum, in qua plenè purgatus ille fuit, congregaret. Hunc deinde secutus est Leo, ter sanctus à patribus nuncupatus. Quantum igitur huius loco, & Sedi Patres Concilij tribuerint auctoritatis, promptum est ex actis intelligere. Etenim actione vltima, cum Iudices, siue Senatus: perpendimus, aiunt, primatum & honorem præcipuum secundùm Canones antiquæ Romæ eo amantissimo Archiepiscopo conseruari, Episcopi dixerunt: hæc omnes dicimus: hæc omnibus placent. Et, vt de Concilij sententia pleniùs tibi constet, annotabis, quòd actione prima hoc titulo Leo honoretur, quòd thronum Apostolicum gubernaret: deinde, quòd ne, mine contradicente, Roma caput omnium asseritur, tertiò quòd secunda Ephesina Synodus reprobatur, & tanquam Acephala, quia sine auctoritate, & præsentia Sedis Apostolicæ celebrata est, damnatur. Post hæc, in secunda actione, Petrus per Leonem locutus esse dicitur. Et tertia, vniuersalis Archiepiscopus; Sicut etiam ex Gregorio patet, appellatur. Ibidemque mandatum Sedis Apostolicæ, de Dioscoro omni honore exuendo, tanquam à Beatissimo Petro, qui est petra, & crepido Catholicæ Ecclesiæ, & rectæ fidei fundamentum, receptum est. Postremò, quòd Concilium ad Leonem scribens, petit vt sua decreta ab eo confirmentur: Rogamus igitur, aiunt, & tuis decretis nostrum honora iudicium, quod ipsum finito Concilio, cum peteret Imperator, Sanctus Leo se fecisse declarat. Verùm, quia Sanctissimus iste vir eiusmodi est, vt ei plenissima fides debeatur, suam ipsius hac de re sententiam audiamus. Itaque epist. 63. sic habet: Gloriamur in Domino, qui nullum nos in magisterio fratribus detrimentum sustinere permisit, sed quæ nostro prius ministerio definierat, vniuersæ fraternitatis irretractabilis firmauit assensus. Vt verò à se prodisse ostenderet, quod priùs à prima omnium Sede firmatum totius Christiani orbis iudicium recepisset. Ex epist. 89. vbi de Petro, & eius Sede loquitur, quisquis

Prin-

Principatum, inquit, æstimat denegandum, Illius quidem nullo modò potest minuere dignitatem; sed inflatus spiritu superbiæ, semetipsum in inferna demergit. Eundem si velis legere 1. & 2. sermone de assumptionis suæ anniuersario die, miraberis Sedis Apostolicæ verè magnam dignitatem, hæc de Synodo Chalcedonensi.

CAPVT X.

Accedunt adhuc prædictis (vt ex omnium temporum, licèt inferioris auctoritatis Patribus, quàm meditamur, Synodus coalescat) Petrus Diaconus, cum cæteris Orientalibus Romam in causa Fidei directis. Et Fulgentius, cum 15. Occidentis Episcopis: Illi quidem ad Fulgentium cap. 5. quatuor illa celeberrima Concilia cum Cyrillo, & Leone recipientes, Eutychen, Dioscoron, & socios eorum detestantur, omnesque, inquiunt, quos iustè, ac regulariter Sedes Apostolica condemnauit: Isti verò ad ipsum Petrum cap. 11. Fidem de duabus Naturis, in vna persona Christi astruentes: Quòd, inquiunt, duorum magnorum luminarium Petri, scilicet Paulique verbis, tamquam splendentibus radijs illustrata, eorumque decorata corporibus Romana, (quę mundi acumen) tenet, & docet Ecclesia, totusque cum ea Christianus orbis. Quia autem Conuentum ex Patribus, qui Concilium Nicænum fecerti sunt, cogimus, licet tempore superioribus, vtcumque sunt posteriores, quia tamen pietate, & eruditione, cum eis sunt conferendi, adiungantur etiam, Beatissimus ille, humillimusque Gregorius: & verè mellifluus Bernardus. Quorum, ille sub annum Domini sexcentesimum florens (Quamuis nomen vniuersalis Episcopi propter speciem arrogantię, ne solus Episcopus videretur, cum prędecessoribus refugerit) Romanum tamen Pontificem omnibus Episcopis à Christo esse prępositum, non vt dominaretur, sed omnibus seruiret, constanter docuit. Nam in 5. Psalmum pęnitentialem ad versiculum: Tota diè exprobrabant mihi; aduersùs Principem quendam agens, in tantum, inquit, suæ temeritatem Vesaniæ extendit, vt caput omnium Ecclesiarum Romanam Ecclesiam sibi vendicet; & in Domina Gentium terrenæ ius potestatis vsurpet. Quod omninò ille fieri prohibuit, qui hanc Beato Petro Apostolò specialiter commisit. Cuius vt clariùs sententiam intelligas, elige epistolam trigesimam secundam, trigesimam tertiam, & trigesimam quartam, & trigesimam sextam; trigesimam octauam, nonam, libr. 4. & 28. lib. 6. *Bernardus* verò, de consideratione ad Eugenium lib. 2. sententiam suam profitetur huiusmodi: Age, inquiens, indagemus diligentiùs, qui sis, quam geras videlicet prò tempore personam in Ecclesia Dei. Quis es? Sacerdos Magnus, Summus Pontifex, tu Primatu Abel, gubernatu Noe, auctoritate Moyses, indicatu Samuel, potestate Petrus, tu es, cui claues traduntur, cui oues creditæ sunt. Sunt quidem, & alij Cœli Ianitores, & gregum Pastores, sed tu tantò gloriosiùs, quanto & differentiùs præ cæteris vtrùque nomen hæreditasti. Habent illi sibi assignatos greges, singuli singulos: Tibi vniuersi crediti, non vnius, nec modò omnium ouium, sed & Pastorum tu vnus omnium Pastor. Vnde id probem quæris? Ex Verbo Domini. Cui enim, non dico Episcoporum, sed etiam Apostolorum sic absolutè, & indiscretè omnes commissæ sunt oues? Si me amas Petre, pasce oues meas. Quas? Illius vel illius populi? Ciuitatis? aut regionis? aut certi regni? Oues meas, inquit, Cui non planum: Non designasse aliquas, sed assignasse omnes? Nihil excipitur, vbi distinguitur nihil. Rursus in epist. 190. ad Innocentium: Oportet, inquit, ad ad vestrum referri Apostolatū pericula quęque, & scandala emergentia in Regno Dei: ea præsertim, quæ de Fide contingunt. Dignum namque arbitror, ibi potissimùm resarciri damna Fdei, vbi non possit Fides sentire defectum. Hęc quippè huius prærogatiua Sedis. Vnde epist. 174. sua omnia Sedi Apostolicæ libenter submittit. Sanè si Episcopalis Synodus ex toto orbe congregaretur, mirum, si tales possent illic facilè sedere tot. Quia nec isti vno tempore fuerunt, quorum cœtum non in loco, quò nauigare conantur homines: sed in libro, qui nauigare possit ad homines, facilè intelligimus, quam Ecclesiam ipsi professi sint, & in qua animas suas, viri tam sancti, per totum orbem Domino commēdauerunt.

CAPVT XI.

Verùm enim verò, ad temporum Historias reuertamur, & quæ à temporibus, vbi destituimus, per successionem semper Catholicam apparuerit Ecclesia, videamus. Leoni itaque primo (vnde defluxit oratio) succedit Hilarius Synodi Ephesinæ, & Chalcedonen. confirmator. Quem secutus est Simplicius. Cui tamquam vniuersali Episcopo scripserunt Episcopi Constantinopolitani. Illi Fœlix, qui auctoritate Sedis Apostolicæ in Petrum, & Acatium Hæreticos confidenter est vsus. Huic surrogatur Gelasius, qui nulla acta cuiuscumque Synodi plenum robur habere docuit, nisi per Romanum Pontificem confirmarentur. Gelasio verò Anastasius; quem Catholicis in damnatione Acarij Hæretici, vt caput eorum consensisse. (licet eum quidam erroris huius notare voluerint) manifestum est: cum ex epistola, quam scribit ad Anastasium Augustum, capitulo 2. distinctione 19. Anastasius verò successorem habuit Symmachum, cuius, cùm accusatus esset, causam Synodus Romana, iussu Theodorici Regis ad iudicandum congregata, Deo permittendam esse voluit. Sicut liber Enodij Diaconi à Synodo probatus eruditè confirmat. Aliorum enim causas Deus voluit per homines terminari: Sed Sedis istius Præsulem suo sine quæstione reseruauit arbitrio. Symmacho autem successit Hormisda. Cuius mandatis Rex Franciæ Clodoueus se pariturum promisit Synodo Aurelianensi. Et huic constantissimus Ioannes Martyrio pro Fide Catholica coronatus. Qui successorem habuit Fœlicem Quartum. Quorum cum alijs communio patet ex epistolis,

ſtolis, quas ad diuerſos mitrit. Poſt hæc gubernaculum Eccleſiæ accipit Bonifacius Secundus, Cuius tempore Carthaginen. Eccleſia, quæ non nihil quæſtionis cum Romana, de Appellatione, aliquantiſper habuerat) pleuè eſt illi reconciliata. Ac Eulalius eius Archiepiſcopus vererum veſtigijs, (vt verbis eius vtar) inhærens, ſe Romano Pontifici ſubmiſit. Veram ſalutem in Eccleſia Romana aſſerens, omneſque anathematizans, qui Statutis Romanorum Pontificum conrradicunt. Bonifacij verò loco, ſedit Ioannes Secundus, ad quem Fidei Catholicam confeſſionem, velut ad omnium Paſtorem ſuum miſit. Auguſtus Iuſtiuianus, tametſi Catholicis poſtea iniquior. Poſt quem eius loco ſedit Deo dilectus Agapetus, vas, vt verbis vtar Gratiani, Catholicum. Qui animo martyr, & conſtanria aduersùs Eutychianam (cuius erat fautor Iuſtinianus) hæreſim, locum fecit Sylnerio, ſimili de cauſa martyri. Cuius ſucceſſor Vigilius Fidem Catholicam, & Sedis Apoſtolicæ Primatum ſanguine quoque ſuo ſuo conſignauit. Qui ſedem ſuam Papæ verè Felici reliquit. Qui Dogmate Petri Antiocheni de Triſagio inſanientis ad ipſum ex pluribus Orientis Prouincijs delato pereruditа epiſtola, ipſum cum Synodo ſua monuit, & confutauit. In qua re, & alijs fidem concernentibus tota Eccleſia (ſicut paret ex Concilio Conſtantinopolitano) ipſi & prçceſſoribus eius communicauit. Huius locum deindè tenuit Pelagius; Cuius tempore Patres in Concilio Aurelianenſi: Primum, Inquiunt, nefarias Sectas Eutycheris, & Neſtorij, quas Sedes Apoſtolica ſancta condemnat, ſimiliter, & nos eaſdem cum S. Auctoribus, & ſectatoribus execrantes, præſentis conſtitutionis vigore anathematizamus, Apoſtolicum fidei ordinem in Chriſti nomine prædicantes. Sed hic Ioanni III. locum fecit. Sub quoad ouile Chriſti, cuius ipſe Vicarius erat, Armeni ſunt reuerſi. Huic ſuccedens Benedictus Beticam gentem, errore eius ab Epiſcopo Dauide ad ipſum relato, fidem docuit Trinitatis. Quem ſecutus Pelagius cùm Patres Concilij Hiſpalenſis, & vniuerſæ Eccleſiæ communicarent, docuit Romanam Sedem inſtituente Domino, caput eſſe omnium Eccleſiarum. Cuius etiam tempore cùm Conſtantinopoli hæreſis, de reſurrectione Patriarcham occuparet, notum eſt Eccleſiam, quæ eam confutauit, fuiſſe Romanam. Gothi quoque Arianiſmo relicto fidem Romanæ Eccleſiæ eius tempore ſunt amplexi.

CAPVT XII.

POſt hæc Sedem Petri aſcendit verè Maximus ille Gregorius Papa 64. ſub annum Domini 600. Cuius tempore, quia aliam hominum ſocietatem, quam quæ eius ſanctitati communicabat, veram fuiſſe Chriſti Eccleſiam auder aſtruere, in ipſa meridie videtur mihi palpitare. Nam ſicut ex regiſtro eius manifeſtum eſt, cum ipſe ſe eum haberet, cui omnium Epiſcoporum, & Regum, & Imperatorum cura incumberet, atque Eccleſiam Romanam omnium eſſe caput doceret, omnes tamen vbique terrarum, cum populo ſibi ſubiecto, illius communionis erant. Et qui ad fidem Catholicam (quod in plurimis, nempè Anglis, Gothis, & Longobardis tunc factum eſt) conuertebantur, illius gubernationi, & Eccleſiæ ſe ſubijciebant. Etenim Euſebius Patriarcha Conſtantinopolitanus, qui ex Decrero Concilij Chalcedonen. poſt Romanos, ſecundus tunc erat in Eccleſia, & Imperator, ſicut ex epiſt. 63. lib. 7. manifeſtum eſt, Primatum Romanæ Sedis agnoſcebant. Idipſum Alexandrinus lib. 7. epiſt. 30. Gregorium Papam vniuerſalem appellans. Sicut & Epiſcopus Numidiæ, toto corde Sedi Apoſtolicæ inhærebat, lib. 2. epiſt. 86. Et Rauennatis Eccleſiæ Præſul, quòd Sedes Apoſtolica, vniuerſali Eccleſiæ iura tranſmittebat, lib. 10. epiſtola 55. declarat. Quibus accedit, quòd lib 12. Epiſcopi 31. inter quos erant etiam Alexandrinus, & Carthaginenſis, cum Rege Theodorico, & Regina Brunichilde ſubſcripſerunt vltimæ epiſtolæ, quæ mira priuilegia Sancti Medardi Monaſterio tribuens, Sedis Apoſtolicæ auctoritatem ſuper omnes attollit. Quem, inquit, locum Medardi meritis ſacratum caput Monaſterium totius Galliæ conſtituimus, nulliuſque ditioni parimur ſubeſſe. Sed, velut hæc Sedes Romana ſpeculationem ſuam toti orbi indicit, & nouas conſuetudines omnibus mittit, & omnium perſonarum ſeruitio caret: ita præfatus locus exemplum diuinæ religionis, & honeſtatis cæteris exhibeat monaſterijs. Idem clariſſimum euadit ex epiſtolis, quas ad quatuor Patriarchas, Primatem Carthaginenſem, & ad vniuerſos totius orbis Epiſcopos ſingulatim ſcribit. Ex his enim mutua eorum in fide catholica ſocietas fit euidentiſſima. Legat ſtudioſus epiſtolam 24. lib. 1. quam pro more mittit ad alios quatuor Patriarchas. Septimam quæ eſt ad Antiochenũ. Quartam quæ eſt ad Conſtantinopolitanum, & in ſecundo lib. 39. quæ eſt ad Carthaginenſem. Quibus, quoniam poſt eum proximi erant, & ſuprema in Eccleſia lumina, ſæpè de eccleſiaſticis cauſis ſcribit, eos, ſicut bonum paſtorem decebat, mouens, inſtruens, & corripiens. Idem quoque videre licet in epiſtolis, quas ad Epiſcopos Galliæ, Hiſpaniæ, Italiæ, Hyberniæ, Numidiæ, Corſicæ, Sciciliæ, Dalmatiæ, Aphricæ, Illyridis, Iſtriæ, & cuius obſecro, prouinciæ non ſcribit? Imò verò ipſi Reges, & Imperatores haud indignè tulerunt, quòd eos vir humillimus filios ſuos, & vxores eorum filias appellaret, ſic enim facit epiſtola 51. lib. 4. quam ſcribit ad Hildebertum Regem Franciæ, & epiſtola 37. 113, 53. lib. 11. epiſtola 12. & 36. ad Phocam Auguſtum, & Regem Longobardorum. In ſignum quoque omnium obedientiæ omnes Archiepiſcopi reuerenter ab eo Pallium, iuxta veterem conſuetudinem petiuerunt, quo in maioribus feſtiuitatibus in templo tantùm vterentur, ſicut habes lib. 4. epiſtola 15. 52. 54. lib. 5. epiſtola 5. lib. 7. epiſt. 5. 76. 125. 129. Credo igitur ſatis eſſe manifeſtum, quod illa ætate non alia fuit Chriſti Eccleſia, quàm quæ Gregorio communicaret.

CAPVT XIII.

POst Gregorium igitur, & qui ei successit Sabinianum, gubernaculum Ecclesiæ suscepit Bonifacius eius nominis tertius, cuius tempore Phocas Imperator Patriarchæ Cōstantinopolitani insolentiam compescens, Publica, & ad vniuersum Orbem missa sanctione præcepit, vt Romanæ Ecclesiæ, Romanoque Pontifici omnes perOrbem obedirent, & Sedes B.Petri, quæ caput omnium Ecclesiarum, ita, & diceretur, & haberetur. Huic suffectus aliusBonifacius successorem habuit: Deusdedit. Post quem Bonifacius Quintus Cathedram ascendit. Cuius tempore anno Heraclij Imperatoris Duodecimo, magnum illud in Orbe surrexit Idolum Mahomethus, tamquam eorum flagellum, qui defectionem à Sede Apostolica subinde moliebantur, homo Arabs, vel, vt alij, Persa Patre gentili matre Hebraica Ismahelitici generis, qui peccatis nostris id exigentibus, ex omnibus legibus,& superstitionibus horrendam generi humano inuexit Desolationem. Cuius qui superstitioni adhærent, tametsi longè maximam (proh dolor) Orbis partem nunc occupent, Ecclesiam tamen Christi, cùm ex Diametro cum Christo pugnent, & ex gentibus non baptizatis originem habeant, constituere, vt est manifestum, non possunt, tametsi, qui ex Christianismo ad eius partes transierint ex ipso initio defectionis clarum est, quòd Corpus ipsum Ecclesiæ non fuerint, sed Partes, & Rami indè se separantes. Post hæc floruit Honorius Primus, cui falsò Monothelitarum error impingitur. Nam,& Imperatorem Heraclium ab hoc errore reuocauit, & Sergium eius Authorem primus de eo monuit, & reprehendit. Quem etiam cum suis omnibus prædecessoribus Epistola Agathonis ad Concilium directa ab omni erroris labe vindicat: imò eius opera patiente Imperatore, Pyrrhus Patriarcha Constantino, huius erroris patronus, suo honore deiectus est, & in Aphricam relegatus. Post Honorium creatus est Seuerinus, pauperum amator. Deindè Ioannes quartus. Post hunc veniens Pyrthus Patriarcha ad pedes eius pronolutus, & erroris veniam petiuit. Cuius successorem Paulum, propter eumdem errorem Theodorus dignitate priuauit. Hoc itaque tempore cœperunt Orientales Ecclesię multum tumultuare,& graues in fide (contra viriliter agente Pontifice Romano) dissensiones excitare, Patriarchis ipsis Imperatorem Constantinum ad sectam Monothelitarum non parum sollicitantibus. Hic itaque diligenter considerandum, penes quos vera manserit Ecclesia, & qui ab illa desciuisse rectè dici possint.

CAPVT XIV.

THeodoro igitur surrogatus est Martinus. Qui damnato Paulo Constantinopolitano, pro fide in exilio mortuus est. Post quem electus Eugenius locum dedit Vitaliano. Quem secutus est Adeodatus. Hunc verò Donus, qui locum cessit Agathoni viro sanctissimo, Hic igitur Ecclesias grauissimè turbari Monotelitarum insania videns, opera Constantini Imperatoris Concilium habere constituit, in quo eorum causa tractaretur. Conuenerunt itaque Constantinopolim 289. Episcopi missis ab Agathone Sedis Apostolicæ Legatis, Ioanne Portuensi Episcopo, & Ioanne Ecclesiæ Romanæ Diacono. Hîc nunc attende, penes quos corpus ipsum catholicum in hac causa remanserit. Siquidem Georgius Patriarcha Constantinopolitanus, qui Paulo successerat, intellectis, quæ à Sancta Sede Apostolica, & alijs Patribus contra Monothelitas pro recta fide adferebantur, mutauit sententiam, & credere se, sequi, atque suscipere professus est, quæ à sanctissimo Agathone Papa Romano suggesta erant. Macarius verò Antiochenus, qui contra sententiam Concilij pertinaciter, vnam voluntatem, vnamque actionem in Christo, vt Monothelitam defendebat, à sancto Concilio, & Imperatore Pallio Episcopali exutus, in exilium est relegatus, omnibus Episcopis in sententiam Agathonis vnanimiter accedentibus. Quare Macarium cum suis tunc sectæ habuisse rationem: eos verò, qui Agathoni adhærebant, corporis naturam retinuisse, atque adeò Ecclesiam (quæ impiæ Monotelitarum Sectæ, tam in Oriente, quàm Occidente, se opponebat) verè fuisse Romanam, certum est. Paulò verò post hæc tempora sub Iustiniano, conuenerunt in Trullum 227. Episcopi: Qui sextæ, & quintæ Synodo Canones adiecerunt. Qui quidem conuentus, tametsi propter absentiam auctoritatis Apostolicæ nomen Concilij Generalis non mereatur, auctoritatem tamen Sedis illius, tamquam primæ agnoscit Can. 36. Sub eadem tempora Ecclesia Rauennas, quæ propter residentiam Exarchi ad tempus voluerat Romanæ Ecclesiæ esse æqualis, fasces illi submisit, Theodoro eiusdem Ecclesiæ Præside ad veritatis cognitionem reuertente. Agathone verò defuncto Leo Secundus, simili cōsentientia in eadem communione eamdem fidem professus est. Post Leonem verò Benedictus Secundus, cui Ioannes Quintus substituitur. Ioanni verò Conon. Post quem delectus Sergius Ecclesiam Aquileiensem (quæ quintam Synodum non omnino probabat) ad sanitatem doctrina, & auctoritate sua tandem produxit. Cuius etiam virtute,& Sanctitate Saxones, tùm primùm fidei Christianæ charactere, publico consensu, sunt insigniti. Post Sergium autem Pontificatum inijt Ioannes Sextus. Cuius tempore Aphrica ad leges Saracenorum vi & armis pertracta est. Hunc alius eiusdem nominis septimus secutus est. Cui suffectus Sisinnius, Mox Constantino locum fecit. Sub quo Iustinianus Imperator ad mentem rediens meliorem Sedem Apostolicam magna veneratione habuit, pedesque Constantini ad se inuitat exosculatus est. Cyrus etiam Patriarcha Constantinopolitanus Constantino in eadem fide communicauit, & cum toto Clero ad octauum, vsque Lapidem occurrens, maximo eum honore excepit, Sicut & Nicomedienses fecerunt, Huius quoque tempore, duo Saxonum Reges Romam, voti causa,& Religionis,

nis, accesserunt. Post Constantinum Gregorius Secundus, vir omnium laudatissimus, Papa electus est. A quo in Germaniam missus Bonifacius, eam, qua parte restabat, ad fidem conuertit, Ipseque plurimos Romam venientes proprijs manibus baptizauit. Post hunc Cathedram illam tenuit Gregorius Tertius, qui qua valebat in Ecclesia auctoritate, Imperatorem Leonem Iconoclastarum Authorem ausus fuit imperio, & fidelium consortio spoliare. A Gregorio verò Pontificatum obtinuit Zacharias, qui Pipino Regnum Franciæ sua auctoritate adiudicauit. Cuius successoris Stephani in Francia venientis pedes osculatus est Pipinus. Indè Paulus electus est. Post quem Stephanus III. Eiecto, qui locum vi occupaue rat Constantino, verus Petri successor effectus est, post quem Adrianus à Carolo Magno Francorum Rege magnificè honoratus.

CAPVT XV.

HOc tempore cùm Iconoclastę sacrarum Imaginum demolitione Ecclesiam non desinerent perturbare, celebrata est vniuersalis Synodus Nicęna secunda, quæ 350. Episcoporum, præsidentibus in ea Sedis Apostolicæ Legatis, Sanctorum Imagines venerandas esse iuxta catholicam obseruationem decreuit. Et in Epistolam Adriani (quæ præter directam de Imaginibus sententiam, etiam tradit Romanam Ecclesiam omnium esse caput) tota consensit. Legatis enim petentibus: Dicat nobis sacra Synodus, num recipiat sanctissimi Papæ veteris Romæ literas, an minus: Ea respondit: Sequimur, recipimus, & probamus. Et actione sexta, Propterea declaratur non veram fuisse Synodum sub Leone contra Imagines celebratam quoniam non habuit cooperarium Romanum Papam, nec illius Sacerdotes. nec per Prouinciales literas, quemadmodum fieri in Synodis debet. Cùm itaque præter Orientem constet huic Synodo omnes Galliæ, Italiæ, & Occidentis Episcopos communicasse, planum est, tunc corpus Ecclesiæ pęnes eos remansisse, qui cum Romano Episcopo communicabant. Post Adrianum verò Pontifex creatus est Leo Tertius, de cuius moribus, & vita (cum tamen vir esset integerrimus) quando Carolus Magnus in Basilica Sancti Petri astante populo, & Clero Episcoporum omnium, qui ex Italia, & Francia conuenerant, iudicia interrogaret, ab omnibus vna voce responsum accepit: Sedem Apostolicam omnium Ecclesiarum caput à nemine, præsertim Laico, indicari debere. Hic etiam Carolum, deficiente nunc Græcorum Imperio, primum Imperatorem Occidentis decreuit. Huius deindè loco electus est Stephanus Quartus, quem insecutus Paschalis primus Vicarium habuit Eugenium Secundum. Cuius locum Valentinus Primus, sicut huius Gregorius Quartus, & istius Sergius Secundus meruit. Inde Leo Quartus. Post Ioannes Octauus, in eadem Cathedra sunt collocati; de quo, quæ fabula de sexus fictione narratur, à grauissimis Authoribus commentum tum incerti Authoris traditur. Post hæc Benedictus tertius legatorum Ludouici Imperatoris, & aliorum ex more Principum christianorum oscula pedum admisit. Cuius successorem Bulgari ad fidem catholicam conuersi, cum alijs christianis agnouerunt. Deindè ad Sedem eius Cleri populique electione euectus est Adrianus Secundus, vir propter eleemosynas, & miracula clarus. Sub quo Constantinopoli celebrata Oecumenica Synodus (qui Legati eius præfuerunt) Photium schismaticum damnauit: & Ignatium catholicum restituit. Quæ etiam Sedis Apostolicę super omnes authoritatem declarare agnouisse. Quia literas Nicolai, & Adriani id asserentium recepit: & Cano. vlt. disertè fatetur. Neque hic Imperatores ante Sedis Apostolicæ Vicarios subscribere Synodo voluerunt. Porrò dehinc creatus est Ioannes nonus, Indè Martinus Secundus, quem alij Marinum vocant. Hinc Adrianus Tertius. Indè verò Stephanus Quintus. Post quem Formosus Romanæ Ecclesiæ deprehenditur legitimè præsedisse. Huic suffectus est Bonifacius Sextus. Cui deindè Stephanus Sextus, Post quem Romanus Primus. Inde Theodorus Secundus. Ioannes deindè decimus, Benedictus Quartus, Leo Quintus (Christophorum, quia putant illegitimum fuisse, non pono) Sergius Tertius. Anastasius Tertius. Laudus, seù, vt alij, Lando Primus. Ioannes Vndecimus. Leo Sextus. Post quos Stephano Quinto datum est Sedis illius gubernaculum. Sub quo Splrineus Poloniæ Dux fidem christianam in communione Romanæ Ecclesiæ recepit. Vndè Ioannes Duodecimus, Leo Septimus, Stephanus Octauus, Martinus Tertius, & Agapetus Secundus Pontificatum sunt adepti. Cui Leonem Octauum (Ioanne Decimotertio, & Benedicto Quinto velut iniquis Sedis occupatoribus omissis) legitimè suffectum ex Platina, & Blondo lector intelliget. Leonem verò subsecutus est Ioannes XIV. Quem Benedictus Sextus, Et hunc Donus Secundus. Quem præterito, & excluso Bonifacio Septimo, Sedis inuasore legitimè secutus est Benedictus Septimus. Vndè Ioannes XV. XVI. XVII. electi sunt. Post quos in Cathedra eorum sedit Gregorius Quintus. Qui Anno Domini millesimo secundo eam de Imperatoris electione sanciuit rationem, quam inde, huc vsque videmus obseruari: Qua solis liceret Germanis, qui inde sunt electores dicti, Principem deligere, qui Cæsar tunc, & Romanus Rex dictus, appellaretur Imperator Augustus, quando à Pontifice esset comprobatus. Gregorio autem legitimè suffectus est Syluester Secundus, Quem nullus Scriptorum affirmare dubitat, ait Blondus, literis, & moribus fuisse ornatissimum. Nam Ioannes XVIII. (qui Gregorio viuente Sedem occupauerat) verus Pontifex non fuit, sed defuncto Gregorio, atque Syluestro successit Ioannes, cui fuit agnomen Sicco: nominis quidem illius, secundum vsurpationem 19. sed secundum veritatem, tantum 18. Post quem alius eodem nomine creatus Ioannes Vigesimus communiter appellatur. A quo Sergius Quartus vir sanctus Cathedram ascendit. Inde Benedictus Octa-

uus. Cuius tempore Hungari fidem integrè acceperunt. In locum demortui Benedicti, successit Ioannes XXI. Post quem Benedictus IX. Et ab hoc Gregorius VI. Pontificatum accepit. Post Gregorium verò legitimè creatus est Leo IX.

CAPVT XVI.

His itaque temporibus tametsi multis bellis, tumultibus, & scandalis perturbata fuerit Christi Ecclesia, Orbis tamen in fide à superiorum temporum Concilijs probata enm Romano Pontifice communicabat. Sed, vt nunquam serpens antiquus eius aduersarius desinit eam agitare, nouum hac ætate monstrum extulit, & per quemdam Ecclesiæ Andegauensis Diaconum, nomine Berengarium sub Annum Domini 1060. magnum in Ecclesia scandalum contra Corporis Domini in Sacramento Eucharistiæ veritatem, excitauit. In qua perturbatione, dum per pauperculos aliquot eius discipulos nouum eius Dogma latiùs serperet, si penes quos tunc remanserit, Christi Ecclesia interroges, ex ipsa rerum qualitate responsum accipies. Nam cùm totus Christianus Orbis ante eum, & in ipso suæ nouæ istius blasphemiæ principio contrarium certò crederet, manifestum est, eum, qui se vnum toti opposuit Communitati, non corpus ipsum catholicum, atque adeò Ecclesiæ arborem non extitisse: sed cùm communitatem reliquerat, partem fuisse, & Ramum, qui se à communi arbore resecaret. Quem parum refert, quæ folia postea ediderit, quando in ipso exordio palmitem resectum fuisse constat. Scribens enim contra Berengarium Lanfrancus Archiepiscopus Cantuariensis: Omnes inquit, qui christianos se, & esse, & dici lætantur, veram Christi carnem, Verumque eius sanguinem, vtraque sumpta de Virgine, in hoc Sacramento se percipere gloriantur: Interroga vniuersos, qui latinæ linguæ nostrarum literarum notitiam perceperunt: interroga Græcos, Armenios, seù cuiuslibet nationis, quoscumque christianos homines, vno ore hanc fidem se testabuntur habere. Quod ipsum ex Scriptoribus, & Concilijs, tunc temporis ex toto Orbe errorem illius oppugnantibus, clarum est. Inconstantia quoque Authoris, quæ sæpius sententiam mutauit, & Palinodiam cecinit, argumentum fuit, non fuisse Apostolum, aut Prophetam, qui Spiritu sancto directus, Ecclesiam contra promissiones Abrahæ, & Patribus factas, Ecclesiam apud se solum retineret. Et quamquam plures in sententiam suam pertraxerit, multitudo tamen Conciliorum, quæ postea diuersis temporibus, tum vniuersalia, tùm particularia, item populus christianus ab eo non infectus, & quòd, Authore hæresim reuocante, postea error omnino sepultus est, argumenta sunt, quòd ipsa Communitas in partes eius non concesserit. Nunc igitur, si, quæ illa communitas fuerit, quæ toto Orbe Berengarium detestabatur, interroges, planè totam fuisse Romanam deprehendes. Cùm enim Leoni IX. successerit Victor II, & Victori Stephanus IX. Stephano autem Nicolaus II. Nicolao Alexander II. Atq; Alexandro Gregorius VII. successerit, omnes qui tunc temporis, vel contra Berengarium scripserunt, vel in Concilijs eum damnauerunt, in eadem cum dictis Pontificibus communione id fecerunt. Nam Leo I. Romæ, deinde Versellæ Concilium hac de causa inuixit, deinde loco Victoris II. Concilio Turonensi (vbi Berengarius errorem suum reuocauit) præsedit Hillebrandus Apostolicæ Sedis Legatus. Et rursus Berengario relabente, Concilium Generale Romæ celebratum est. Cui Nicolao præsidente, palinodiam iterum ille cantauit. Et postea sub Gregorio VII. in Concilio iterum Romæ congregato, postquam secundò lapsus erat, erorem suum rursus cum veritate mutauit. Quæ verò inde secuta de eodem dogmate sunt, alia Oecumenica Concilia, Lateranense videlicet, Viauense, & Florentinum, cùm omnia Romanis Pontificibus contra Berengarianos communicauerint manifestè, quæ tunc catholici corporis sententia, cuiusque illud communionis fuerit, ostendunt. His quoque temporibus Ecclesia Mediolanensis, diù schismatica, Ecclesiam Romanam (cui tunc Stephanus IX. præsidebat) vt omnium Matrem agnouit.

CAPVT XVII.

Gregorius itaque septimus, vbi postremum destitimus, successorem habuit Victorem III. Iste Vrbanum II. Et is Paschalem II. Qui Gelasium II. Gelasius Calixtum II, Calixtus Honorium II. Honorius verò Innocentium II. Sub quo Petrus quidam Abaylardus, imperitus philosophus, somnia quædam de Sacrosancta Trinitate, & causa, seù fructu Dominicę Passionis effutijt. Cui cùm nemo catholicorum, præter pauculos discipulos, consentiret, omnes (inter quos non paruum locum merebatur sanctissimus Bernardus) Innocentio eius damnatori cohærebant. Post hæc Cœlestinus II. Pontifex electus est. Cuius deindè locum Lucius II. Eugenius III. Anastasius IV. & Adrianus IV. conuersor Nor wegię, adepti sunt. Qui cum locum dedisset Alexandro III. Hic Lucio III. Cathedram reliquit. Post hunc Vrbanus III. Gregorius VIII. Clemens III. Cœlestinus III. ac Innocentius, etiam illo nomine Tertius, vir celeberrimus, Sedem illam obtinuerit. Huius itaque tempore, tametsi Græci à tempore Leonis IX. qui sub Ann. 1054. non nihil tumultuassent, vnam tamen eorum cum Romana fuisse Ecclesia, Sedis illius Primatum agnoscentem, & in fide catholica ipsi consentientem, docent tum, quòd Thomas Maurocenus Patriarcha Constantinopolitanus, ab Innocentio suæ electionis confirmationem petens, impetrauit: deinde, quòd Innocentius Constantinopoli, magno omnium applausu, atque triumpho, Apostolica Authoritate eorum Imperatorem coronauit: tum etiam, quòd magnum illud Lateranense Concilium, cui maximo numero vtraque pars interfuit, ipsum Innocentium in vna communione habuit præsidentem. Etenim illic videre erat, Constantinopolitanum, & Hierosolymitanum Patriarchas, Græci Latinique

nique Imperij Legatos, Episcopos 400. & 7. Metropolitanos, Priores conuentuales 800. cum 12. Abbatibus, Regum Hierusalem, Franciæ, Hispaniæ, Angliæ, & Cypri oratores. Qui confirmata superiorum Conciliorum fide, & vnam catholicam Ecclesiam confitentur, in qua Corpus, & Sanguinis Domini (pane, & vino transsubstantiatis) Deo Patri offeruntur. Vndè tunc non aliam, quàm Romanam Iesu Christi fuisse Ecclesiam, abundè constat, quæ in eodem Concilio grauissimum Abbatis Ioachim de Trinitatis vnitate errorem stepeliuit.

CAPVT XVIII.

POst Innocentium verò Ecclesiam gubernauit Honorius III. Post quem Gregorius IX. Quorum tempore ordines beatissimi Francisci, & Dominici Ecclesiam Romanam indicibilibus miraculis, & admirabili peccatorum conuersione, pietatisque promotione plurimum illustrarunt, & propulsis hæresibus subinde in Hispania, & alibi pullulantibus, eam veram esse Christi Ecclesiam consignarunt. Gregorio vero non multo post tempore subiunctus est Cœlestinus. Qui successorem Innocentium IV. Cui deinde suffectus Alexander Pontificatum Vrbano, etiam quarto, reliquit. Quem secutus Gregorius X. Concilium celebrauit Lugduni, quò Palæologus Imperator Constātinopolitanus Magno suorum comitatu profectus est. Quando nunc Authore suo Emanuele (vt est apud Nicephorum) à Maiorum sententia de Spiritus sancti à Patre, & Filio processione deflexerant, & hic cum Romana Ecclesia, quæ semper eum retinuit, conuenerunt, atque adeò luce clarius est etiam tunc demonstratum, eam esse veram Ecclesiam, quæ in vna fide Sedi Romanæ adhæreret. Deinde Cathedram illam tenuit Innocentius V. Inde Adrianus etiam Quintus. Post quem Ioannes XXII. Qui Sedem reliquit Nicolao III. In cuius locum venit Martinus IV. Qui cessit Honorio IV. Post quem longo vacans tempore, randem Cœlestino N. Eremitæ sanctissimo credita est. Cuius coronationi ducenta millia hominum interfuisse commemorantur. Sed hoc Magistratum abdicante, electus fuit Bonifacius VIII. Qui Benedicto VI. locum cessit. Qui Clementi V. Sedem reliquit. Quo tempore rursus ex Generali Concilio Viennensi manifestè enituit, eam Christianorum Societatem, quæ Romanæ Sedi communicabat, solam esse Christi Ecclesiam. Cùm enim Hæreses Beguinarum omnibus detestabiles, tunc Ecclesiam infestarent, quotquot ab illis dissentiunt, Sedi Apostolicæ cum sancto illo Concilio, cui Clemens præsidebat, planè consentiunt. Cuius sanè Concilij (in quo Festum, & veritas præsentiæ Domini in Sacramento Eucharistiæ comprobata sunt) tanta fuit fama, vt eius Sanctitate permoti Tartari Imperatorem secuti, characterem Christianum petierunt. Cùm itaque Concilium cum populo sibi adhærente corporis Ecclesiastici, non partis indè præcisæ (Sicut illę Beguinæ) naturam habuerit, nisi colluuiem earum iam olim extinctam, tunc Ecclesiam fuisse dixeris, necessarium est: non aliam fuisse, quàm quæ contra eam Romano Throno adhærebat.

CAPVT XIX.

CLemens autem successorem habuit Ioannem XXIII. Et Ioannes, Benedictum XII. Qui quæstionem de animarum, mox post mortem (si nihil restaret purgandum) beatitudine, absoluit. Post quem Clemens VI. & huic Innocentius etiam VI. Et deinde Vrbanus V. omnium consensu electus est. Qui post 70. annos quibus Curia in Gallia fuerat, Romam Summo Romanorum gaudio reuersus, locum fecit Gregorio XI. Viro etiam docto, & Pio. Quem demortuum, secutus Vrbanus VI. loco suo habuit Bonifacium IX. virum quidem Iuuenilis ætatis, sed constantiæ plus quàm virilis. Cui legitimè successit Innocentius VII. Innocentio autem etiam legitimè Gregorius XII. Quo abdicante Pontificatum, & mortuo verus Christi Vicarius extitit Martinus V. in Concilio Constantien. omnium Cardinalium, & nationum consensu creatus, Vt Cardinalis quidam conclaui egrediens, non homines, sed Deum elegisse Pontificem clamaret. Nam Clementem, qui dicebatur septimus, Benedictum XIII. Alexandrum V. Ioannem XXIV. adulterinos, & non veros fuisse, series Historiarum bene consulta declarat. Tametsi non omninò perspicua res, tunc temporis omnibus fuerit, vt quis verus Papa fuerit legitimè omnibus constaret. Quamquam igitur horrendam cladem, hæc schismata, tunc Ecclesiæ attulerint, eam tamen minimè obscurare potuerunt. Sicut enim mortuo Pontifice manet apud eos Ecclesia, qui legitimè electo Petri successori parati sunt obedire: Ita per schismatum tenebras, capite velut occultato, nihil christianis periculi fuit, qui parati erant illi obtemperare, qui verus demonstraretur, pro quo perficiendo nullum in tanta rerum perturbatione consilium occurrebat, quàm vt omnibus illis Pontificatum abdicantibus, vnus ab ijs eligeretur, ad quos nullo dubitante pertineret electio. Et quamuis bene, ac feliciter contigerit, vt is, qui historijs bene inspectis verus fuisse deprehendatur Gregorius duodecimus, ante Martini electionem defunctus fuerit, quia tamen à multis eius electioni vis facta obijciebatur, & iuramento se ad resignandum constrinxerat, potuit in tanta rerum perplexitate, etiam nonnullo metu à Præsulibus, & Principibus Christianis, eo modo ad resignandum induci, quo in Concilio Constantiensi, id ab ipso est impetratum. Hoc itaque tempus præ alijs periculosissimum erat, & insigniter Fidem Sanctorum tentabat. Prodierant enim nunc ex Occidente impij Waldenses, seu Pauperes de Lugduno Authore cuie quodam illius nominis Lugdunensi, qui alio nomine Pauperes de Lugduno vocabantur, hi omnes Ecclesiæ cæremonias, Potestatem, Constitutiones, & nonnulla Sacramenta reijciebant, quorū velut Antesignanus impietatem iuuabat, & augebat ex Anglia Ioannes Wicleph, Et in Bohemia Ioannes Hus, cum Hieronymo, quorum ille 45. hic 30. articulos erroris

adferebant, Ex Oriente verò Iacobitæ, Armenij, & Græci, de antiquis, & nouis quæstionibus Ecclesiam agitabant. Et in multis articulis, de Spiritus Sancti videlicet processione, purgatorio, beatitudine, confessione, primatu Pontificis, & alijs nonnullis contra Romanam Ecclesiam mouebantur, vt ferè tempus esset, de quo Ioannes in Apocalyp. Hic sapientia est, qui habet intellectum computet numerum bestiæ. Age igitur te compello quisquis Ecclesiæ Romanæ etiam nunc aduersaris, elige mihi vnam ex omnibus istis societatem, cui dignitatem, & nomen Ecclesiæ Christi tribuere velis. Et, quamcumque elegeris, illius per omnia doctrinam sequere. Cùm enim præter Romanam nulla fuerit, cuius non aliqui errores meritò tibi displiceant, aut nullam Ecclesiam Christi contra promissiones eius dabis, aut Romanam confiteberis. Non enim cum Græcis de Spiritus Sancti processione dubitas, neque cum Waldensibus omnem probas commixtionem, aut omne iudicium aduersus peccatores tollis, neque cum Wicleph, quod Deus debet obedire Diabolo. Neque cum Hus, quod ipsæ naturæ Christi diuinitas, & humanitas sunt ipse vnus Christus. Attende etiam nouitatem cuiusque originem, & à qua communitate, cuius priùs singuli membra fuerant, se separauerunt, cuius desertione inter se pugnantes, quam oppugnarent & considerata quæ sibi semper conformis prioris temporis Catholicum corpus referebat. Non aliam profectò, quam quæ Pontificibus Romanis cohærebat Ecclesiam Christi fuisse deprehendes. Adde quod singulorum non eiusmodi fuit successus, & continuatio, vt aliqua eorum colluuies nomen, vel speciem Ecclesiæ mereretur: nam Patres Ecclesiæ his turbis excitati cooperantibus Regibus, & Imperatoribus ad generale Concilium, sub annum Domini 1415. conuenerunt, & Schismate extincto, erroribusque Ioannis damnatis Catholicum Ecclesiæ corpus penes eos remansisse, atque residere declararunt, qui Martino V. adhærerent, quod adhuc luculentiùs sequenti Concilio Florentino, & exitu Concilij Basiliensis omnibus est ostensum.

Art. 6. & Art. 4. August. Nazarenus docebat quod humana natura in Christo vere esset Christus, & eadem esset persona verbi cui consensit Ioannes Hus, vt in Conc. Basiliensi, sessione 22 patet.

CAPVT XX.

Siquidem Martinum in Pontificatu sequutus est Eugenius IV. qui Florentiæ Anno Domini 1439. Concilium habuit celeberrimum, cui cùm septingenti selectissimi viri ex Græcorum parte interessent, summa totius orbis lætitia, rursus de Spiritus Sancti processione, & omnibus alijs Articulis Latinis coniuncti sunt. Accedentibus etiam Armenorum Oratoribus, qui eandem de Sacramentis, & Incarnationis Dominicæ mysterijs, cum Sede Apostolica fidem susceperunt. Cùm igitur hæc duo magna, & vniuersalia Concilia Catholicam arborem repræsentarent manifestum est, hos, & illos, quorum quisque priuatæ suæ opinioni insordesceret, eiusmodi fuisse, quos cauendos Dominus, & Apostoli prædixerunt. Vtpote qui Sectas facerent, & segregarent semetipsos, vno dicente: Hic est Christus: alio, non, sed hic, & apud me est. Exstabat quidem etiam tum horrendum Schisma inter Eugenium, & Basilienses, sed totius orbis, qui postea secutus est consensus, reiecto Amadeo, & falso Felice, qui etiam Inductus fuit, vt cederet, Eugenium verum Pontificem agnouit. Quando enim illi Concilio capitis aberat Authoritas, non magis Corpus Ecclesiæ poterat constituere, quàm olim Concilium Ariminense, quo fidei nostræ fundamentum, homousion, explodebatur. Ideoq; quæ ibi decreta sunt, legitimam authoritatem non habent, nisi qua parte à Nicolao V. Eugenij successore sunt approbata, vel alijs Ecclesiæ decretis consentiant. Quamuis, quia nihil in illo Concilio definitum est, quod ab Ecclesia antea, vel postea iudicatum est hæreticum, non potuit illa dissensio, & quæstio, quæ facti erat, & ex mala intelligentia decreti Constantiensis, quod in Schismate, vbi ignoratur verus Papa locum habet, cuique contrarium definire non intendebant, oriebatur, impedire, quò minus, qui vnam cum Eugenio fidem profitentes parati erant illum agnoscere Pontificem, qui legitimus declararetur, Vnum Ecclesiæ corpus conficerent. Secus verò in Concilio Ariminensi res habebat, quia enim antea Catholico Concilio, sicut ab Initio erat traditum, contrarium receptum erat, ac maxima eorum pars, non in re, sed nomine tantùm per imprudentiam errasse se profiteretur, facilè Catholicum Ecclesiæ corpus licebat ab hæreticis discernere. Quamuis reuera, sicut nuper dictum est, nihil interest, quantam multitudinem abscissum membrum postea secum trahat, quando ex ipso initio, & origine membrum resectum esse constat.

Blondus.

CAPVT XXI.

Evgenius, itaque successorem habuit vltrum optimum Nicolaum V. Quem eo non inferior secutus est Calixtus III. Post quem Æneæ Sylvio verè Pio secundo Pontificatus obtigit. Inde in eo sedit Paulus II. cui surrogatus est Sixtus IV. Ad quem tanquam Ecclesiæ Pastorem, cum relatæ essent, Doctrina cuiusdam Petri Osmensis, negantis necessitatem confessionis, & contentio de Intemeratæ Virginis Conceptione, ipse Catholicam doctrinam tradens postea ab orbe in Concilio Lateranensi, & Tridentino comprobatam, Ecclesiæ pacem restituit. A Sixto Cardinales elegerunt Innocentium octauum. Vnde in Alexandrum VI. virum excellentem suffragia eorum declinarunt. Inde in Pium III. Quo 26. sui Pontificatus die mortuo, Iulius II. Pontificatui initiatus est. Qui rursus schisma cum Pisanis sustinuit, quod generali Concilio Lateranensi, eorumque, qui excitauerant, pœnitentia extinctum est, atque Leo X. defuncto Iulio succedens legitimus Petri successor, & Christi Vicarius est declaratus. Et, vt tandem finem imponamus, qui inde fascisus illius sacrosanctæ Sedis eminuerunt, sunt Adrianus VI. Clemens VII. Paulus III. Iulius III. Marcellus II. Paulus IV. Pius IV. Quorum loco illustrissima pietate, ac miraculis clarà nunc præsidet Pius V. 233. supremus Pontifex. Horum sanè temporibus, cùm infinitæ in Occidente sectæ emerserint intelligentia opus est, vt iuxta prædictas proprietates, penès quos vera Christi mãserit Ecclesia, videamus.

CA-

CAPVT XXII.

SVb annum itaque 1517. tempore Leonis X. quidam Martinus Lotherus ordine Augustinensis Wittembergæ, quod est ad Albim oppidnm Saxoniæ, Thrologus, munere publicandi Indulgentias, quas Leo pro fabrica Ecclesiæ S. P. per orbem mittebat, ab Augustinensibus ad Dominicanos translato, primùm conqueri de Indulgentijs: inde, de Sacramentis: tum, de iustificatione: de libero arbitrio, de peccato originali, de Missæ Sacrificio, alijsque Christianæ Religionis fundamentis, se alterum Eliam iactitans, Ecclesiam grauissimè perturbare cœpit. Cumq; in varias se formas ipse verteret, ex impuro illius ore, statim tres immundissimi Spiritus, inter se contrarij, prodierunt, videlicet, Homologistæ, seu Confessionistæ, Sacramentarij, & Anabaptistæ. Quorum Confessionistæ facilè in 20. aut 30. partes, & amplius, dissecti commonstrantur: Sacramentariorum verò, quorum pater Zwinglius, seu Carolostadius Lutheri filius, soror verò OEcolampadius, enutritor autem Caluinus, in 8. & plura genera diuisi commemorantur. Anabaptistarum verò Sectarum numerus est infinitus. Hic igitur Christiane Lector, qui salutis tuæ studiosus es, cùm non de compede, aut pileo iudicium vertitur, sed de æternitate, aut pœnæ, aut salutis, prudentiam sapientiamque requiro, quam ex his omnibus, quæ cum inter se pugnent, Romanæ Ecclesiæ aduersantur, sortem eligas, quam vt veram Christi Ecclesiam sequaris. Noli adhuc doctrinæ cuiusque qualitatem inspicere. Quoniam de hac Ecclesiæ iudicio certior fieri debes. Diligenter itaque considera, quam pro Fundamento, & columna veritatis eligas, cui te committas, cuique per omnia credere velis. Quod igitur ante hanc Lutheri commotionem, inter tot exorientia Schismata vera Christi Ecclesia, ab ipsis Apostolis continua serie perpetuaque corporis ad corpus successione remanserit, apud eos qui cohærerent Sedi Apostolicæ manifestum facimus. Quæritur nunc ergo, quam Lutherus aliam Ecclesiam inuenerit, quàm quæ postra ab ipso est oppugnata? Neque enim cùm ipse Romanæ Ecclesiæ per Baptismum insereretur, & per professionem excellentioris vitæ generi se Deo consecraret, Ecclesia Christi extincta iam erat, Extabant quidem adhuc reliquiæ Waldensium, Hussitarum, alteriusque generis hæreticorum, sed nullam horum colluuiem tanti fecit, aut eiusmodi fuisse credidit, vt ad illam tamquam veram Christi Ecclesiam, ipse se transferret, sed illos potiùs ad se transire vellet. Cum neque ipse omnia ab illis prodita, neque illi, quæ ab ipso proficiscebantur omnia comprobarent. Sed vt illi separatim sua, ita hic seorsim propria proposuit. Atque ita nouam confusionem, velut alteram in Occidente Babiloniam condens ipso nouitatis nomine suos sectatores, & omnes qui ex ipso prodierunt Ecclesiæ honore, ac Priuilegijs spoliauit.

CAPVT XXIII.

SIquidem omnes primùm membra Ecclesiæ Romanæ fuerunt, indeque se segregarunt, nullum eorum genus suam originem vltra annos 60. referre potest: nusquam nisi in his partibus vnquam de illis auditum fuit. Et cùm quidam suos omnes Sanctos: alij omnes impios, & iniustos profiteantur sine Sacrificio tamen, quo vel gratias agant, vel Deum sibi propitium reddant, velut ingrati, & desolati sedent, cumque seditiones eorum totus orbis sentiat, plerique tamen suos inuisibiles, & in occulto Prædestinatorum numero latere dicunt, nullam cum Sede Petri, primi ouium Christi Pastoris Communionem habent, & quod nullum à Christo sibi Præfectum agnoscant, se familiam eius esse negant. Vix tres apud eos inuenies, qui constanter per omnia sibi de omnibus consentiant: nulla suæ doctrinæ signa, nullus, quibus ea firmetur, virtutes habent, & vt quæ Scripturæ hæreticis tribuunt paucis complectat, electitia, & proprio eorum iudicio inuenta profertur, non quod acceperunt depositum, aut communi iudicio receptum; Propter quod Apostolus hæreticos dicit proprio iudicio condemnatos: quia videlicet, vt nomen eorum habet, non sectantur communia, sed segregant semetipsos, & quod sequuntur priuato suo elrgerunt iudicio. Deinde quod de hæreticis prædictum dicit ab Apostolis B. Iudas: tanquam viri illusores rident, quæcumque in Ecclesia non intelligunt. Docent quod ipsis à nemine legitima auctoritate mandatum est. Cùm scriptum sit: quomodo prædicabunt, nisi mittantur? Ad hæc qua nota Dominus omnes falsos Prophetas dignosci voluit, à fructibus eorum facilè cognoscuntur. Etenim quo spiritu inuenta sit doctrina Martini, testata est horrenda illa clades rusticorum, quæ nemini in Germania est incognita. Rursus, à quo agitati fuerint Anabaptistæ, lascinus eorum furor Monasterij, & Amstelodami demonstrauit. Caluinistarum verò fructus hucusque deplorat Francia, & nos ipsi experti sumus. Licèt enim non semper in omnibus boni mores cum veritate coniuncti sint. Quoniam de quibusdam Saluator: quæ dicunt, ait, facite: Secundùm opera verò eorum nolite facere, quando tamen ipsam doctrinam, vt in pluribus flagitia aliqua, præsertim in primis eius professoribus, comitantur, argumentum est, quo Diuina prouidentia nos admonitos esse voluit, eiusmodi à malo spiritu, talium flagitiorum authore, proficisci. Hinc illa, quæ de hæreticis scribit Apostolus fore, vt in nouissimis diebus tempora fiut periculosa, homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, parentibus non obedientes, ingrati, scelesti, sine affectione, sine pace, criminatores, incontinentes, immites, sine benignitate, proditores, proterui, tumidi, cæci, & voluptatum amatores magis, quàm Dei, habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem eius abnegantes. Hos, inquit, deuita. Sic Petrus & Iudas magistros mendaces, & Pseudopropheras ab eiusmodi criminibus cognosci voluerunt. Sicut & Iacobus, fal-

ſam ſapientiam à zelo amaro, & contentione, veram à pudicitia, pace, modeſtia, & docilitate agnoſcendam tradit. Præterea quędam ipſorum dogmata, quæ etiam nomine fructuum à Domino comprehenſa ſunt, tam ſunt abſurda, vt homini timenti Deum, & vel modicum in ſcripturis, & Chriſtiana religione inſtituto, facilè videantur, non eſſe ſecundum Deum. Nam quòd omnes ſuos per fidem ante mortem de vita æterna ſecuros faciunt, cùm tamen non omnes ſaluabuntur, manifeſtè cum timore Dei pugnat. Quodque Caluinus paſſiones, quas Chriſtus ante deſcenſum ad inferos ſuſtinuit, docet non ſuffeciſſe, vt à damnatione liberaremur, planè impium eſt, & toti Scripturæ aduerſatur. Quodque poſtremi confeſſioniſtæ negant, localiter Chriſtum ad cœlos aſcendiſſe, abſurdius eſt, quàm vt confutationem mereatur. Rurſus liberum prorſus negare arbitrium, & omnibus operibus, etiam in Sanctis, peccati maculam affingere, quod Caluiniſtis cum Martiniſtis eſt commune, ſpem Chriſtianorum planè ſubuertit. Omitto mendacia, quibus aduersùs Romanam Eccleſiam nituntur. Nam tota ferè confeſſio Auguſtana huic mendacio innititur, quòd Catholici doceant, nos propter merita operum noſtrorum ſine fide, & merito Chriſti apud Deum iuſtificari, & peccatorum remiſſionem, & vitam æternam conſequi, cùm prorſus contraria in ſacro Concilio Tridentino ſint definita, & ſemper apud Catholicos audita. Quis verò inconſtantias, & contradictiones eorum facilè commemorabit? Vt enim de cæteris taceam, quorum antitheſes copiosè ab alijs ſunt annotatæ, Caluinus cum in 15. & 16. Can. Conc. Trid. de iuſtificatione doceat, Spiritum regenerationis non dari, niſi electis, & frequenter inculcet, nos certos eſſe debere de ſalute in Can. tamen 23. eos planè damnat, qui hominem ſemel iuſtificatum, peccare poſſe, & aliquando labi negant. Ridet ſubinde diſtinctionem fidei formatæ, & informis: Fidemque charitate vacuam ſomnium, & inane hominis figmentum aſſerit. Cùm tamen in 28. Can. Conc. ſcribat: ſemen aliquod fidei in homine manere licèt ſuffocatum etiam inter grauiſſimos lapſus. Non nego, inquit, id quantulumcumque eſt, particulam fateor eſſe veræ fidei, addo etiam viuæ. Iterum verò, quid abſurdiùs ab homine Chriſtiano proficiſci poteſt, quàm quòd in Eccleſia reprehendit catechumenis fidem in baptiſmo petentibus iuxta Saluatoris inſtitutionem dici: Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata. Cùm alibi doceat Chriſtum nobis datum eſſe legiſlatorem, cui obediamus, & fidem, quæ iuſtificat, non eſſe ſolam, ſed coniunctam habere obedientiam. Item, quod fatetur præter fidem neceſſariam eſſe, pœnitentiam fideique coniunctam eſſe charitatem. Neſcio quo pacto conſtet, cum illa fidei certitudine, qua ſola dicunt nos iuſtificari, & de gratia Dei, tam in præſenti, quàm futuro ſecuros eſſe. Cùm nemo per verbum Dei certò cognoſcat, an veram pœnitentiam, veram obedientiam, veramque charitatem habeat: tantaque incertitudo ex horum conſideratione naſcatur, quantam ex dogmate Catholicorum, qui fidem, & obſeruationem mandatorum Dei requirunt, ſequi calumniantur. Sed hæc res peculiarem tractatum exigit. Hoc vnum ab illis poſtulo, vt ſi Eccleſiam Dei viuentis conſtituant, & doctrinis ſuis Diuinam auctoritatem arrogent, teſtimonia ſui Apoſtolatus ædant: Neque enim de Diuinæ prouidentiæ bonitate credendum eſt, quòd nouos aliquos doctores orbi mittat, quos non certis, manifeſtis, & irrefragabilibus indicijs eidem commendat, & fide dignos oſtendit: Credo enim ſanctiſſimum Moyſen, Dominum noſtrum ipſum Chriſtum, Apoſtolos, Martyres, & Confeſſores digniores fuiſſe, quibus mundus crederet, quos tamen non ſine euidentiſſimis teſtimonijs Pater ſe miſiſſe declarauit. Poſtremò quia proprium eſt Eccleſiæ, tanquam verę matris filios Chriſto procreare: Hęreſeos verò, tanquam adulteræ, alienæ, ſeu nouercæ, perdere oſtendant, quas gentes Chriſto primùm pepererint, aut etiam nunc pariant. Sicut è diuerſo, quas primum bene Chriſto inſertas, quotidie perdant, luctuoſis tumultibus oſtendunt, Romana verò Eccleſia, Deo fœcunditatem illi dante, ſemper ab initio creuit. Et ad eam velut cęleſtem Hieruſalem, quę de cœlo deſcendit, montem Sion, & domum Dei Iacob omnes gentes venerunt, & in ea ſe Domino Deo ſuo commendarunt. Neque enim vnquam, quòd bene aduertendum eſt, vlla ſub Sole natio Chriſto nomen dedit, quæ non ab ipſo *ad hanc Eccleſiam* velut communem matrem ſit deſtinata. Id quòd etiam noſtro tempore, laus Domino, magno cum gaudio audiuimus. Quando Indos cum nouis Inſulis gentem latiſſimam, eadem Dei virtute, qua omnes in initio conuerſi ſumus, eidem intelleximus acceſſiſſe, & horum perditionis filiorum loco illos, velut nouos palmites, fractis iſtis ramis, bonæ quotidie oliuæ inſeri. Hæc nunc amplius, quàm ducentis vicibus per hæreſes tentata, & grauiſſimis inſultibus oppugnata, nunquam extincta fuit. Vnde qui illam fortiſſima manu tamdiu ſeruauit, certiſſimam fidem fecit, quòd idipſum in finem vſque præſtabit. Vt veriſſimè de hac Propheta ex perſona ipſius dixerit: niſi quia Dominus erat in nobis dicat nunc Iſrael, Cum exurgerent homines in nos, fortè viuos deglutiſſent nos, cùm iraſceretur furor eorum in nos, forſitan aqua abſorbuiſſet nos, Benedictus Dominus, qui non dedit nos in captionem dentibus eorum. Etenim, quomodò ſine magno Dei auxilio aduersùs tot cruentas perſecutiones, tot hæreſes, & ſchiſmata potuiſſet vna ſocietas tam conſtanter perſiſtere, vt nunquam vel lato vngue à fide ſemel tradita receſſerit, perpetuò ſibi in illa conſentiens, niſi Deo in ipſa habitante, ſuſtineretur & protegeretur. Hæc à nulla præcedente communione deficiens, nulli alij ſuam virginitatem ſtuprandam tradidit. Cuius doctrina eiuſmodi eſt, vt qui Spiritum eius ſequuntur, omnium virtutum ſplendore nitant, & in ipſa communitate ſequuntur eam, modeſtia, caſtitas, pudicitia, obedientia, pax, concordia, benignitas, vnitas, longanimitas, manſuetudo, charitas, gaudium, iuſtitia, & omne genus virtutum. A quibus, tanquam veris Spiritus ſancti fructibus, qualis ſit hæc arbor, haud difficilè cognoſci poteſt. Nam quæ à ſtultis in hac communita-

te

te admittuntur, non occasione doctrinæ, qua expresè prohibentur, neqne per Spiritum, qno communitas ipsa agitur, sed per imprudentiam, & spiritum istius commnnitatis aduersarium perpetrantur. Et vtcumque præsentes se habeant, qni nihil aliud, quàm quod apud ipsos depositum est, vlterius tradunt, certè primos annunciatores, & plantatores irreprehensibiles fuisse constat: Et, vtcumque singuli nostris desectibus laboremus, ipsa tamen communitas, cuius nomine doctrina proponitur, & auctoritatem habet, fructus non nisi salnberrimos, & sanctissimos habet. De miraculis verò quid dicant? quibus toto orbe gloriosissimè semper resplenduit. Quæ Dœmoni, qui non verentur ascribere, gloriam soli Deo debitam, alieno tribuunt, illumque verè Deum faciunt. Nam vti dictnm est, non alia ratione Deus Abraham, Isaac, & Iacob, quàm per eiusmodi stupenda signa agnitus est, verus esse Deus. Ad hæc nullum hìc dogma traditur, qnod cum euidenti Scriptura, aut ratione pugnet. Præterquàm enim quòd eruditi omnium possnnt solidissimas proferre rationes, cuiuis etiam, non execæcato, & obdurato facilè constare potest: nihil in ea tradi, quòd credenti Deo, sit absurdum, aut incredibile. Item snauissimo Corporis, & Sanguinls Domini Sacrificio Deum profitetur, suum per Christum redemptorem, bonos complectitur, & malos, perpetuam cum Sede Petri communionem retinens. Postremò sacrum generale Concilium Tridentinum, cui toti anni 18. quibus ab omnibus diligenter fides excuti potuit, & omnium nationum, quà patet orbis Christianus diuersorum temporum tractatores eloquiorum Dei, non parum auctoritatis addiderunt, luce meridiana fecit manifestius, quòd Ecclesiæ Catholicæ corpus prioris temporis catholico corpori annexum, solùm penes eos remanserit, qui contra has omnes sectas Sedi Apostolicæ, in vna communione cohærent. Etenim qui Sedi Apostolicæ, cum tanto Concilio communicant perspicuum est, uon partis, sed totius retinere naturam: Qni verò ptiuaris opinionibus, separatim ab istis, hìc & ibi, colliguntur, qnisque videt: partes esse, & ramos ab aliqna arbore diuulsos. Quod ipsum solum hæreseos enidentissimum est in scripturis argumentum. Vt magnas suo redemptori gratias meritò debeant, qui turbis istis & tempestatibus non moti, firmiter in nauicula Petri se continent. Etenim verè in illam conuenire iam credo pio lectori satis constare, quod de illa in Spiritu olim scriptum est. Fundamenta eius in montibus sanctis: diligit Dominus portas Syon super omnia tabernacula Iacob. Vt qui in ea secundùm leges, quas ibi audiunt, fidem suam, & spem in Dominum Iesum dirigunt, meritò lætentur in his, quæ dicuntur eis: Quoniam in domum Domini ibimus. Stantes erant pedes nostri in atrijs tuis Hierusalem.

CAPVT VLTIMVM.

Epilogus ad Lectorem.

HIc itaque mihi nunc sermo ad omues, qni enm Romana Ecclesia hac tempestate non consentiunt, dirigendus venit: Si Diuina prouidentia, ò viri salutis, veritatisque studiosi, aliqua in mnndo relicta est certitudinis regula, qna in hac procellosa humanorum ingeniorum varietate, & inexplicabili labyrintho esse tuti ab errore possumus mirum si melior, & firmior inueniri poterit, quàm quæ nunc in Ecclesia Romana demoustrata est residere. Mirum enim, si antiquior, celebrior, constantior, sibi conformior, sæpius, magisque probata, & pluribus testibus confirmara dari possit. Mirabor qnoque si excellentiores verbi Dei dispensarores, pietate, & eruditione celebriores offeranrur, quibns alicuius societatis auctoritas illustriùs comprobetnr, quàm pro huius firmitudine stare declarauimus. Sanè quantò vobis essent indices isti optabiliores, si tenereris Catholicam fidem, tantò vobis sunt terribiliores, qnia oppugnatis Catholicam fidem: quam in lacte suxerunt: quam in cibo sumpserunt: Cuius lac, & cibnm paruis, magnisque ministrauerunt. Vos ergo vbicumque sitis, vbicumque ista legere poteritis, ante istos in cordibus vestris constituo, quos non amicos nostros, & inimicos vestros, aliqua in nostram partem gratia propendentes, aliquo à vobis merito offensionis auersos, in hac disceptatione coustituo coguitores. Nondum extiteratis, contra quos susciperent de hac re conflictum, nullas nobiscum, vel vobiscum amicitias attenderunt, vel inimicitias exercuerunt, neque nobis, neque vobis irati sunt, neque nos, neque vos miserati sunt. Quod inuenerunt in Ecclesia tenuerunt, quod didicerunt docuernnt, quod à Patribns acceperunt, hoc filijs tradiderunt. Talibus post Apostolos Sancta Ecclesia plantatoribus, rigatoribus, ædificatoribus, pastoribus, nutritoribus creuit: Illis, qui ex gentibus ad Christum venerunt, sese tranquilla conscieutia in Spiritu commiserunt, his qui sanctitate, castitate, martyrio, confessione, aut miraculis clari extiterunt omues communicarunt. Ideo prophanas voces nouitatis expauescimus, quas ab ipsis non accepimus. Si nnmerum quæritis, sunt infiniti: si pietatem, & eruditionem, quis eis comparari potest? Relinquite igitur, ò viri, iter istud vestrum haud tritum. State super viam, & interrogate de semitis antiqnis, quæ sit via bona. Attendite ad petram, vnde excisi estis. & ad cauernam laci, de qua præcisi estis. Attendite ad ianitorem, super familiam suam à Domino constitutum. Attendite, inquam, ad Ecclesiam, quæ peperit vos. Neque enim tutum esse potest, transire terminos, quos tanta authoritate eiusmodi Patres constituerunt. Ad hos igitur, non Pædagogos, sed verè parentes conuertite, eorum vestigijs in communione Ecclesiæ adhærete. Si, qua nihil est optabilius, pacem, ac vnitatem in vobis, & republica cupitis retinere, & sponsum Ecclesiæ, iudicem vestrum in hora mortis placatum inuenire.

EIVS-



EIVSDEM AVCTORIS.

DE FIRMITATE CATHEDRÆ PETRI.

PROPOSITIO.

Promissio facta Beato Petro non patitur, vt Pontifex Romanus in fidei, & morum negotijs & officio, & authoritate capitis agens definiat aliquid, quod cum veritate, vel fide pugnet.



Nihil magis pro fidei vnitate in Ecclesia tuenda est necessarium, quàm vt auctoritas, & priuilegium Cathedræ Petri, seu Sedis Apostolicæ bene cognita, & perspecta habeantur, & agnoscantur. Neque enim aliundè hæreses obortæ sunt (ait Cyprianus) aut nata sunt schismata, quàm inde quod Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec vnus in Ecclesia ad tempus Sacerdos, & ad tempus iudex vice Christi cogitatur. Vnde mirandum simul, & dolendum, quòd etiam nonnulli catholici scriptores tàm per plenè, & variè de firmitate Cathedræ Petri, aliter sanè, quàm conuenit pro honore, & conditione Petri, disserunt. Nam si hic non certa, & indubitata habeatur sententia, verè quoque fidei vnitas retineri non poterit, neque Ecclesiæ prospectum erit, quò minus eius filij omni vento doctrinæ moueantur. Quare sepositis incertis, & dubijs opinionibus, id quod verissima habet Ecclesiæ traditio, & Scripturæ manifestæ conuincunt, liberè profitendum est. Id enim Ecclesiæ ab initio traditum est, maiores, & difficiliores Ecclesiæ quæstiones ad S. P. Petri Successores referendas esse, atque eius definitioni inhærendum, quemadmodum in omnibus controuersijs, quæ de fide post obitum Apostolorum exortæ sunt, Sanctissimi Patres, martyres, & confessores fecerunt, & hæreses hac ratione damnatas, etiam sine generali Concilio vitandas populo proposuerunt, & extinxerunt. Nam Valentiniani, Manichæi, Nouatiani, Aerius, Iouinianus, Heluidius, Pelagius, & alij, quàm plurimi errorum imitatores soliùs Sedi Apostolicæ auctoritate damnati sunt, & eorum dogmata pro hæresibus à populo Christiano habita, vt rectissimè à Diuo Bonauentura dictum sit. Malum esse non tolerandum in fide, vel moribus: Pontificis definitioni dogmatizare contrarium approbando, quod ipse reprobabat, reædificando quod destruit; Vndè Beatus Augustin. quando quæstiones Pelagij fuerant ad Pontificem relatæ, & eiusdem super illis ædita, & habita esset sententia, docuit hoc iudicium sufficere. Fratres mei, inquit, cōpatimini mecum, vbi tales inueneritis, occultare nolite: non sit in vobis peruersa misericordia, prorsùs vbi tales inueneritis, occultare nolite, redarguite contradicentes, & resistentes ad nos adducite, iam enim de hac causa duo Concilia missa sunt ad Sedem Apostolicam, inde etiam rescripta venerunt, causa finita est, vtinam aliquando finiatur error. Cùmque Pelagiani generalem *Synodi* congregationem postularent, *ille* non opus fuisse docens, tradit hoc Sedis Apostolicæ iudicium competens, & sufficiens esse, & vbicumque isti lupi apparuerint, conterendi sunt. Sanè in definitione si posset errare Pontifex nequaquam iudicium eius competens, aut sufficiens in negotio fidei (cui falsum subesse non potest) censeri deberet. Prospexit itaque Dominus Ecclesiæ suæ, quando magno compendio vnum constituit, cuius in omnibus sententiam tutò sequi possumus. Primùm enim Beato Petro, quem totius ouilis sui pastorem voluit constituere, haud obscuris verbis hanc sententiæ firmitatem pollicitus est, quando enim pro fidei suæ merito, atque constantia volens honorare dixit: Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam, quòd in Hebraico Euangelio ad verbum dicitur. Tú es Cephas, & super hunc Cepham ædificabo Ecclesiam meam. Nam apud Ioannem cùm ad Christum Simon adduceretur, dixit illi Iesus: Tu es Simon filius Iona, tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus. Hac sententia Dominus clarissimè pollicetur Petrum fore velut firmissimam petram, ac rupem, ex qua eius ædificaretur Ecclesia, quæ propter firmitatem petræ vnde esset excisa, ipsa quoque immobilis, & inflexibilis permaneret, siquidem firmitatem Ecclesiæ ex petra, vnde exciditur deriuandam significat, propterea enim contra eam portæ inferi non præualent, quia ædificata est supra petram, ædificata, inquam, non sicut Domus staminea, aut lutea posset rupi alicui imponi, quæ facillimè ventis dimoueri queat, sed sic super petram, vt (sicut loquitur Esaias) inde excisa sit, vt ipsa petra quatenus excauata, & excisa est, habens in se ipsa mansionem, sit domus, & Ecclesia Chri-

Lib. 1. ep. 3.

Decret. dist. 42.

in Apol. pro paup. cap. 1. resp. 1.

Lib. 4. con. duas epistol. Pelag. cap. vlt. & lib. 3. con. Iulian. cap 1.

Matth 16.

Christi, eam firmissimè sustinens. Quamquam autem Christus Dominus verè ipse sit petra, hìc tamen Simonem, quem vice sua pastorem Ecclesiæ fieri voluit, in consortium nominis, & honoris pro sua erga Ecclesiam bonitate assumpsit, eumdem sua protectione, defensione, & assistentia ità muniendum, vt & ipsum contra portas inferi petram effecerit. Quod enim Simonem ipsum intellexerit, quando dixit supra hanc petram, qui verba Christi perpendit, dubitare non potest; præcedit enim proximè de Petro, & tu es Petrus, & mox subiungit, super hanc petram. Quam igitur aliam (si conuenienter verba ista accipies) poteris intelligere petram, quàm quæ proximè designata erat: Tu es Petrus, cui subijciens, & super hanc petram, illam apertè demonstrat, quæ hoc nomine Petrus iuxta nominis rationem designatur, hoc enim sapientia Dei non inaniter Simoni dixit, quasi nihil aliud, quàm eum alio nomine appellare voluerit, sed absque omni dubitatione vim, & rationem nominis Petrus, quod à Petra dicitur attendens, Simonem hoc nomine pro fide sua honorauit, & remunerauit, quasi diceret: Ego te facio Petrum, qui instar rupis, & saxi sub mea protectione sis immobilis, potens, & firmus contra infernales potestates, & super te sic firmum, & immobilem ædificabo Ecclesiam meam. Ideòque Beatissimus Apostolus, iuxtà Hieronymum, Hilarium, Cyprianum, Ambrosium, Chrysostomum, Leonem, & alios Sanctos veteres dicitur, & hoc loco fundamentum Ecclesiæ. Accedit quod hoc loco nulla fit Christi mentio, vt nulla probabilitate ad personam Christi referri queat, quod istic de petra dicitur: Deindè omnes ab initio Sancti, totaque ciuitas Dei ab origine mundi super Christum ædificata est, super hanc verò petram iam deinceps se ædificaturum, idest omnes oues, & filios in vnum sub Petri obedientia, & fide collecturum pollicetur. Nam ridicula videbitur demonstratio, si Petro, quem solemniter volens honorare dicebat: Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, si inquam Petro relicto ad se demonstrationem conuertisset, & super hanc Petram. Quid enim hoc ad Petrum? ad quod propositum? quorsum inane nomen Petrus? Quare si rectè, vt consequenter textus exigit verba Domini accipis, dices Petrum demonstrari super hanc petram, quam videlicèt nomine Petri exprimi, & designari voluit. Altera einsdem argumenti scriptura manifestè, & sine metaphora hanc prærogatiuam promittit. Nam in cœna nouissima iam mortem pro Ecclesia subiturus, Dominus ait Simoni: Simon ecce Sathanas expetiuit vos, vt cribraret, sicut triticum, ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. Hoc Dominus dixit Simoni pro tempore, quo post gloriosam suam resurrectionem regnum eius esset in hoc mundo virtute passionis eius erigendum, de quo proximè dixerat: Et ego dispono vobis, sicut disponit mihi Pater meus regnum, vt edatis, & bibatis super mensam meam in regno meo, & sedeatis super thronos iudicantes duodecim tribu, Israel. In hoc itaque regno, quod est Ecclesia cùm Petrum, sicut regni natura vnum caput exigit, sub loco omnibus præficere vellet, cum pro totius regni contra Sathanam, qui incessanter regnum esset oppugnaturus, oratione sua muniuit, ne in fide deficeret, vt oues dum facilè pastoris sui Vicarij Christi fidem perspicerent, & intelligerent, hanc sequentes, possent etiam facillimè omnes Sathanæ laqueos euitare. Cùm autem persona Simonis non semper illic esset permansura, Ecclesia autem, & regnum perpetuò staret: Non aliter per has pulcherrimas Christi promissiones Ecclesiæ consultum fuit, quàm quę his promissa sunt Petro, etiam ad successores eius pertinere intelligerentur. Dicuntur enim, quæ omnia Petro tamquam futuro Christi Vicario, ac totius Ecclesiæ Pastori, vtpotè quibus, & futurus Pastor significatur, & pro eius, & Ecclesiæ Consolatione tanta in officio assistentia promittitur, quod enim dicit: & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos, ad caput, & Pastorem fratrum pertinet, & quod de oppugnatione Sathanæ commemorat, non pro illo tantum tempore, sed quàm diù regnabit Ecclesia, verum est. Denique quod apud Matthæum dicit se super petram ædificaturum Ecclesiam, non pro diebus Petri dumtaxat, sed toto tempore, quousque ad consumationem sæculi ædificatur Ecclesia, intelligi debet: quia videlicet, omnes, Christo Authore, ac protectore in vnum ouile sub obedientia, & fide successoris Petri Vicarij Christi colligimur. Ex quibus sententijs, tametsi Pighius in sua Ecclesiastica Hierarchia colligat, Papam non posse fieri hæreticum, aut simpliciter in fide errare, cuius sententia nescio, an euidenter, ac veraciter posset confutari, numquam enim illud visum est, non amplius tamen traditum est Ecclesiæ, quàm quod Spiritus sanctus ipsum in iudicialiter definiendo non patietur in fide errare, nam quæ dicta sunt, ad Simonem pertinent, vt erat futurus Christi Vicarius, Iudex, & Pastor Ecclesiæ, sicut dispono, inquit Dominus, vobis regnum, vt sedeatis super thronos iudicantes duodecim tribus Israel, quorum omnium ipse Simon generalis futurus Iudex significatur, quando ad eum dicitur, & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos, sicut post resurrectionem clarissimis Domini verbis omnium ouium, & agnorum Christi rector, & Pastor constitutus est; quando tam grauiter, & seriò alijs præsentibus illi peculiariter, & nulla personarum distinctione dictum est, pasce Agnos meos, pasce oues meas, & quando super ipsum dicebatur Ecclesia ædificanda, non simpliciter eius persona spectabatur, sed super ipsum, vt erat futurus Christi Vicarius. Ex his, inquam, Ecclesiæ traditum est; quod Pontifex agens, vt Pontifex (sicut loquitur Dionysius, & Ioannes XXII. & ex authoritate capitis definiens Christi protectione, & assistentia non errabit: quomodo considerata Pontificis authoritate, Cathedra Petri, & Sedis Apostolicæ nuncupatur. Vndè Diuus Bernardus ad Innocentium: oportet, inquit, referri ad vestrum Apostolatum pericula quæque, & scandala emergentia in Regno Dei, ea præsertim, quæ de fide contingunt: Dignum namque arbitror ibi potissimùm resarciri damna fidei

Ioan. 21.

De Eccles. Hierarch. in ex rauagãt de Verborũ significat. Epist. 190.

fidei, vbi non possit fides sentire defectum. Hec qnippè huius prerogatiua Sedis, cui enim alteri aliqnando dictum est: ego pro te rogani petre vt non deficiat fides tua, quomodo Lucius, Fęlix, Marcus, & Agatho Pontifex his verbis Sedis Apostolicæ sententiam in causa fidei ab omnibus sequendam esse docent. Et Diuus Hieronymus ad Damasum. Cum successore, inquir, piscatoris, & discipnln crucis loqunr: ego nullum primum, nisi Christum sequens Beatitudini tuæ, idest Cathedræ Petri commnnione consocior, non noui Vitalem, Meletium respuo, ignoto Paulinum: qui tecum non colligit, spargit. Et rursus Epistola mox sequenti: quorumdam circa mauentium antiqua surgit in me authoritas, ergo interim clamito: Si quis Cathedræ Petri iungitur, meus est. Et quoniam nonnulli Ioannem Picum Mirandnlam in cōtrarium solent adducere, non pigebit etiam sententiam illius, aliàs non magnopere necessariam huc attexere: cum enim multas ille disputandas sententias proposuisset, & ob non nullas velut suspectas non optimè audiret, in Apolngia sic scriprum reliquit. Iudicabit de his Sancta Sedes, & sedens in ea Innocentius Octauus, cuius iudicium negligere, aut violare nephas, & flagitium est. Porrò pulcherrima sunt, quæ catholici ex Ægipto Episcopi olim ad Fęlicem Episcnpum de hoc Sedis Apostolicæ priuilegio scripserunt: vestra Sancta Romana Sedes, inquiunt, firmamentum à Deo fixum, & immobile præcepit, quoniam ipsam formam vniuersorum titulorum lucidissimam Dominus Iesus Christus vestram Apostolicam constituit Sedem: ipsa est enim sacer vertex, in quo omnes vertuntur, sustentantur, releuantur; Tu es, sicut diuinum veraciter testatur eloquium, Petrus, & super fundamentum Ecclesiæ Columnæ, idest Episcopi tibi sunt confirmatæ: tu prophanarum hæresum, & impetitorum, atque omnium infestantium depositor, vt princeps, & Doctor, caputque omnium Orthodoxæ doctrinę immaculatæ fidei existis: quibus omnibus debitè consideratis facilè est quorumdam refellere inuentiones magis ex diffidentia, & fidei infirmitate, quàm vera ratione excogitatas, quorum isti opinantur Sedem Apostolicam posse quidem ad tempus in erorem incidere, sed non finaliter in eo permanere, vt quod vnus aliquando, vt homo malè sensit, alius, vel idem ipse statim corrigat, quemadmodum in causa matrimoniali contigisse videtur in decretalibus, de sponsa duorum capitulo licèt Alexander Tertius aliter respondet, quàm à quibusdam prædecessoribus fuerat aliquando iudicatum: Similiter in sexta Synodo Generali Honorio Pontifici Monothelitarum error imponitur, sicut & de Liberio quidam voluit, quod tandem ab Arianis victus subscripserit, & manifestè dicitur in distinctionibus, quòd Papa à fide deuiare possit. Alij imaginantur Pontificem, quando legitimè materiam discutit, & ordinatè pro rei difficultate procedit, adhibitis in consilium; qui pro Ecclesiæ consuetudine solent in his adhiberi, tunc demùm non posse in definiendo ab errare. Quæ speculationes, neque cum verbis, & promissis Christi, neque cum obedientia, & fide, quæ secundùm Ecclesiæ traditionem debetur Pontifici, conueniunt: Etenim, qui dixit, rogaui pro te, vt non deficiat fides tua, quid aliud significare voluit, quàm quod fides eius numquam deficeret, siquidem manifestum est, eiusmodi negatione totum id, quod futurum est temporis comprehendi? sicut & quando dixit: portas inferi Ecclesiæ non præualituras, proculdubio id significare voluit, quod numquam præualeterent, sicut id nequaquam patitur petræ natura, vndè hanc firmitudinem habet Ecclesia, vt aliquando moueri possit, cùmque vnus Pontifex non maioris honoris, & anthoritatis est populo christiano, quàm alius, neque subditorum est discurere, qnonam modo sni superiores procedunt, nulla est Christi fidelibus (qui solam intuentur authoritatem) ratio cur vni potius vno tempore credant, & obediant, qnàm alijs. Ad quem modum nulla ouibus Christi certitudo relinquitur, quòd in subortis quæstionibus sequi debeant: quando etiam de generalibus Concilijs humana posset temeritas aliquando suspicari, aut timere, ne non legitimè, & sufficienter essent omnia discussa, atque semel admissa hac mutabilitate, & data iudicandi licentia, neutiquam per firmitudinem petræ prospectum erit Ecclesiæ, ne sicut paruuli varijs doctrinæ ventis circumferantur. Quamobrem ad proposita exempla pancis respondendum est, sacros Pontifices non omnia, quæ sentiunt, iudicant, aut opinantur, & vt viri docti scripto, vel verbo proferunt, statim ea definire, & indicialiter pro sententijs fidei capitis authoritate decernere, sed cuiusmodi sunt sermones, Epistolæ, & commentaria Gregorij, Leonis, & aliorum. Doctissimorum Pontificum plurima scripta, multa ab illis quomodo ab alijs Episcopis, & professoribus sine præiudicio, & definiendi authoritate proficiscantur: quod in nuper allegata extrauagante benè annotat Ioannes XXII. Promisit autem Dominus non vt opinione, & communi iudicio non aliquando fallerentur, sed ne fides eorum deficeret, quæ nisi definitus sit error, non deficit. Sic itaque de Cœlestino, cuius sententia per Alexandrum in causa matrimoniali correcta est, censendum est, sicut certissimum est, plurimas decretales sine definitione, & vltima resolutione, non interposita capitis anthoritate, sed velut à Doctoribus primùm à Pontificibus æditas esse. Quod verò ad Honorium pertinet, qui in numero Pontificum bis inuenitur, eruditè, & confidenter declarat Adrianus Pontifex, quòd Orientales in iudicando Honorio suæ facultatis limites excesserint, sicut, & re vera res non ita se habuit, quemadmodum Græcis persuasnm fuerat: patet enim euidenter ex Epistola, quam scribit Sergio Constantinopolitano, vndè erroris nata est suspicio, quod nihil aliud voluerit Honorius, quàm quod Christus Dominus vnus sit operator, quod qnidam in Concilio dum audirent, non rectè intellexerunt eum diuersas in Christo actiones, & voluntates negare. De Liberio autem tametsi Hieronymus scribat eum à Fortunatiano detestabili Episcopo Ariano fractum, & ad subscriptionem hæreseos compulsum, constat tamen ex Athanasio, & Ecclesiastica historia, quàm constanter,

ter, etiam cum, nunc ageretur in exilium, pro Athanasio, & fide Nicęna steterit. Nihil interim mirum est, neque hic repugnat sententia, quod sicut de Marcelli, qui litauerat idolis, lapsu, & pęnitentia legimus, idipsum de Liberio confiteamur, quod primò priuata infirmitate peccauerit, sed errorem nulla auctoritate defendit, aut definiendo proposuit, quemadmodum si alius concedatur in hæresim labi posse (quod auertat Deus, & numquam adhuc visum, aut probatum fuit) de hoc interim Ecclesia secura est, quod ex ipsa Cathedra; idest ipso officio, & authoritate capitis numquam definitionem erroris audiet: Sic enim rectè Cathedram, seù Sedem ipsam, quod dicitur metaphoricè, intelligimus authoritatem, qua tamquam pręsidens vice, & nomine Christi, velut eius Vicarij, & Generalis Ecclesiæ præpositi in causa fidei, & morum Pontifices definitè, & vt iudices aliquid resoluunt, quos ad tale in fide iudicium, iuxta Christi promissiones, numquam Spiritus sanctus deuenire permittet, nisi rebus sic expensis, & consideratis, vt error subesse non possit: hoc enim, & natura petræ sic exigit, & fidei, quæ in Ecclesia debet esse, vnitas, & certitudo postulat, ideòque verbis eruditissimis Ecclesiæ, postea Pij Secundi verbis concludimus: Hoc inquit, ausim dicere Romanus Præsul indubitatus nemo vmquam est falsæ doctrinæ publicus assertor.

FINIS.

REGESTRVM.

ABCDEFGHIKLMNOPQRSTVXYZ

Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr Sſ Tt Vu Xx Yy Zz

Aaa Bbb Ccc Ddd Eee Fff Ggg Hhh Iii Kkk Lll Mmm Nnn Ooo Ppp Qqq Rrr Sſſ Ttt Vuu Xxx Yyy Zzz

Aaaa Bbbb Cccc Dddd Eeee Ffff Gggg Hhhh Iiii Kkkk Llll Mmmm Nnnn Oooo Pppp Qqqq Rrrr Sſſſ Tttt Vuuu Xxxx Yyyy Zzzz

Aaaaa Bbbbb Ccccc Ddddd Eeeee Fffff Ggggg Hhhhh Iiiii Kkkkk

Omnes ſunt Duerniones; præter Kkkkk quod eſt Ternio.
Principium eſt Duernio.



ROMÆ, M.DC.XCVIII.
Ex Typographia Ioannis Franciſci Buagni.

Superiorum permiſſu.



